

BIBLIOTHECA
VETERUM PATRUM
ANTIQUORUMQUE SCRIPTORUM
ECCLESIASTICORUM.

[illegible]

Cura & studio Andreae Gallandii Presbyteri
Congregationis Oratorii.

TOMUS [illegible]

VENETIIS CIↃIↃCCLXXIV.

EX TYPOGRAPHIA
JOANNIS BAPTISTAE ALBRIZZII HIERON. FIL.
[illegible]

BIBLIOTHECA
VETERUM PATRUM
ANTIQUORUMQUE SCRIPTORUM
ECCLESIASTICORUM,

POSTREMA LUGDUNENSI MULTO LOCUPLETIOR ATQUE ACCURATIOR.



Cura & studio ANDREÆ GALLANDII *Presbyteri*
CONGREGATIONIS ORATORII.

TOMUS X.

VENETIIS CIↃIↃCCLXXIV.



EX TYPOGRAPHIA
JOANNIS BAPTISTÆ ALBRITII HIERON. FIL.
CUM VENETI SENATUS PRIVILEGIO.

KING'S INNS
LIBRARY
DUBLIN

PROLEGOMENA.

CAPUT I.

DE

SALVIANO.

I. SALVIANUS natione Gallus, ut ipse perhibet [1], Coloniæ Agrippinæ ortum habuisse videtur [2], & quidem sæculo IV. desinente, si Tillemontium audiamus [3]. Palladiam primum Hypatii & Quietæ filiam uxorem duxit, ex qua unicam filiam, Auspiciolam nomine, suscepisse intelligimus [4]. Verum deinceps sanctorum exemplis permotus, ut par est credere, qui ea tempestate florebant, Paullini inquam ac Therasiæ, nec non Eucherii & Gallæ; quam antea uxorem habuit, velut *sororem* postea dilexit [5]: quippe qui scilicet monasticum institutum, & in cœnobio quidem Lerinensi, ut eruditi viri jure conjiciunt [6], amplexus videatur. Illinc vero digressus Massiliensis ecclesiæ presbyter fuit ordinatus, Gennadio teste [7]: quo etiam nomine illum B celebrat Hilarius Arelatensis in funebri oratione de vita S. Honorati, quam habuit anno CCCCXXIX. aut CCCCXXX. Sic enim ille [8]: *Egregius & in Christo beatissimus vir Salvianus presbyter*, cet. Familiariter usum fuisse scriptorem nostrum celeberrimis illius ætatis viris, cum Baluzio libenter agnoscimus [9]: Honorato nimirum episcopo Arelatensi, Eucherio Lugdunensi, Agrœcio Antipolitano, Salonio & Verano, quondam ejus discipulis [10]; quorum etiam priori libros *de gubernatione Dei* nuncupavit. Floruit autem Salvianus circa medium sæculi V. supremumque diem obiisse sæculo eodem exeunte constat. Nam Gennadius qui suum librum *de Viris illustribus* scribebat anno CCCCXCVI. quippe qui eo ipso anno fato functum memoret Gelasium papam [11], de Salviano verba faciens [12]: *Vivit*, inquit, *usque hodie in senectute bona*.

II. *Humana & divina litteratura instructus* auctor noster, ait idem Gennadius, *scripsit scholastico & aperto sermone multa*. Ex quibus tamen tria tantum opera superesse noscuntur. Ea inter, ordine temporum servato, primum locum occupant *libri* IV. *adversus avaritiam*, quos ut maxime conscripsit circa annum CCCCXL. [13] Eorum porro meminit auctor in libris *de gubernatione Dei* [14], illosque sub nomine *Timothei* ad ecclesiam catholicam toto orbe diffusam direxit [15]. Qua de re ipse D disserit in epistola IX. Salonio inscripta [16].

Alterum opus libris VIII. distinctum vulgo hunc præ se fert titulum, *de gubernatione Dei*; quod tamen Gennadio dicitur *de præsenti judicio* [17]: cui A quidem inscriptioni favet ipsemet auctor [18]. Nonnulli exaratos conjiciunt hos libros ante annum CCCCLI. [19] Sed alii rectius, ut videtur, annum CCCCLV. statuunt [20]. In iis enim Romam a Vandalis obsessam & expugnatam tradit Salvianus [21]: quod sane, ut ex Prosperi chronico liquet [22], eodem anno contigisse comperimus.

Tertium denique Salviani litterarum monumentum. Gennadio laudatum est, *epistolarum liber unus*: ex quibus tamen novem tantummodo supersunt: pars videlicet earum minima quas ad diversos scripserit, si attendatur in primis auctoris ætas longæva. De reliquis vero ejus scriptis deperditis haud interest plura contexere, quum de iis duntaxat ratio nobis reddenda videatur quæ adhuc superant, quæque proinde studio nostro evulgantur.

III. Complures circumferuntur Salviani operum editiones, quas ad unam omnes recensere non est hujus loci. Inter eas quæ duobus superioribus sæculis prodiere, duæ potissimum in pretio habentur: altera Petri Pithœi anno 1580. Parisiis evulgata: altera Conradi Rittershusii anno 1611. typis Altorfinis excusa. Verum Stephanus Baluzius modo laudatam Pithœanam editionem nactus, cum vetustissimo ms. exemplari monasterii Corbejensis optimæ notæ ac duobus codicibus Colbertinis contulit, atque in lucem emisit Parisiis anno 1663. C Quam præterea iterum atque iterum expolitam, exactamque denuo ad alios duos mss. codices quibus usus fuerat Pithœus, tertio in vulgus eduxit Parisiis anno 1684. Et hanc quidem postremam editionem Baluzianam reliquis multo præstantiorem prelo consignandam duximus.

IV. Porro non est heic omittendum, anno sæculi hujus 1729. eadem Salviani opera prodiisse Pisauri studio ac labore Demetrii Barbulii, qui & Concordantias Salvianeas alphabetice dispositas adtexuit. Dolendum vero est editorem nobis obtrusisse Salvianum Massiliensem *episcopum* [23], quem tamen post Gennadium viri eruditissimi *presbyterum* tantum agnoscunt. Fictitium quoque Salviani episcopatum asseruit Larinus Amatius in Vita seu potius Elogio ejusdem Salviani, quod ex nostri scriptoris epistolis concinnatum sub initium præfatæ Barbulianæ editionis occurrit [24]. Neque vero ex-

1. *Salv.* de gubern. D. lib. VI. §. XIII. infra pag. 38. a.
2. *Id.* epist. I. pag. 51. e.
3. *Tillem.* Mem. eccl. tom. XVI. pag. 182.
4. *Salv.* epist. IV. pag. 52. e.
5. Id. ibid. pag. 53. a. Qua de re vide Sirmondum ad Sidonium lib. V. epist. XVI. infra pag. 510. not. 3.
6. Hist. litter. de la France, tom. II. pag. 519.
7. *Gennad.* de Vir. illustr. cap. LXVII.
8. *Hilar. Arel.* apud Bolland. Act. SS. Jan. tom. II, pag. 20. num. 19.
9. *Baluz.* ad Salvian. pag. 376.
10. *Salv.* epist. VIII. pag. 55. b.
11. *Gennad.* l. c. cap. XCIV.
12. *Id.* l. c. cap. LXVII.
13. *Tillem.* l. c. pag. 191.
Hist. litt. de la Fr. l. c. pag. 522.
14. *Salv.* de gubern. D. lib. IV. §. I. pag. 18. e.
15. *Id.* adv. avar. lib. I. pag. 57. c.
16. *Id.* epist. IX. pag. 53. b.
17. *Gennad.* l. c. cap. LXVII.
18. *Salv.* de gubern. D. lib. I. §. IV. pag. 5. c.
19. *Tillem.* l. c. pag. 191.
20. Hist. litt. de la Fr. l. c. pag. 525.
21. *Salv.* de gubern. D. lib. VI. §. XII. pag. 37. b.
22. *Prosp.* Chron. pag. 754. in append. ad opp. S. Prosp. edit. Parif.
23. *Barbul.* in inscript. edit. Pisaur.
24. *Larin. Amat.* Vit. Salv. pag. IX.

cuſatur uterque auctoritate magni Baronii. Ille quidem aliique plures cum eo Salvianum Maſſilienſem epiſcopum appellarunt [1], decepti nimirum mendoſis editionibus Gennadiani operis *de Viris illuſtribus*, quas Eraſmus & Marianus Victorius inter Hieronymiana evulgarunt, ubi perperam ex prava lectione titulo ejuſmodi honeſtatur presbyter Maſſilienſis. Verum poſtquam a viris doctis Pagio [2], Tillemontio [3] atque Hiſtoriæ litterariæ Gallicæ ſcriptoribus [4], ut ceteros omittamus, error detectus mendumque ſublatum palam fuit; mirari ſubit enimvero Barbulium ejuſque comitem Amatium in tanta luce adhuc cæcutire potuiſſe.

V. Sed nondum dimittendus laudatus Amatius. Noſtra enim intereſt in eo quod contexuit Salviani Elogio, aliud neque ſane leve ipſius detegere erratum. Nimirum, Gallum quidem fuiſſe Salvianum aſſentitur ille [5]: qua vero ex Galliarum urbe ortum traxerit haud ſatis liquere arbitratur. Quin & Baluzium non ſibi admodum conſtare aſſerit, dum

A ſub initium voluminis Salvianum *audacter* Gallum proclamans, poſtmodum in notis patria fuiſſe Agrippinenſem adſtruit. Quod equidem a viro erudito nollem dictum. Optime namque ſibi conſtat Baluzius, & Gallum natione ſcriptorem noſtrum ſtatuens, & patria fuiſſe Agrippinenſem conjiciens: quod nos quoque ſub initium hujus capitis affirmavimus, cum ipſum Baluzium, tum alios eruditione præſtantes viros affectati [6]. Non animadvertit Amatius, Coloniam Agrippinam, qua tempeſtate florebat Salvianus, in ſolo Gallico ſitam fuiſſe: quam ſcilicet, imperii viribus debilitatis & accifis, Romanis ademit occupavitque Childericus Francorum rex; eamque regni ſui ſedem B conſtituit Sigibertus ſenior cognomento Claudus: quo ſublato Clodoveus magnus reliquis ditionibus ſuis adjunxit, uti narrat Gregorius Turonenſis [7]. Verbo, Colonia Agrippina principibus Francis Merovingicæ ſtirpis paruiſſe comperitur. Qua de re fuſius Hadrianus Valeſius [8] & Dionyſius Sammarthanus [9].

CAPUT II.

DE

S. VINCENTIO LERINENSI.

I. VINCENTIUS, natione Gallus, LERINENSIS dictus, quo ab aliis duobus ejuſdem nominis diſtingueretur qui eadem tempeſtate claruere, *aliquamdiu variis ac triſtibus ſæcularis militiæ turbinibus* ſe ipſum fuiſſe jactatum profitetur [10]. Sed tandem *in portum religionis Chriſto adſpirante* ingreſſus, *ibi depoſitis vanitatis ac ſuperbiæ flatibus, Chriſtianæ humilitatis ſacrificio placare Deum* ſtuduit [11]. Quibus ex verbis in eam adductus eſt ſententiam noſter Baronius [12], ut ſibi perſuaſum haberet, auctorem quo de agimus, fuiſſe illum Vincentium cujus meminit Sulpicius Severus [13], virum egregium omnique virtutum genere præſtantem, qui vivente ſancto Martino Turonenſi epiſcopo Galliarum præfectura fuiſſe auctus comperitur. Verum hujuſmodi viri magni conjectura Papebrochio [14], Tillemontio [15] aliiſque ſcriptoribus eruditis [16] minus arridet. Alii præterea ex epiſtola ſancti Eucherii ad Hilarium *de laude eremi* [17] arguunt, Vincentium noſtrum ſancti Lupi Trecenſis epiſcopi fuiſſe fratrem germanum. At hæc item ſententia viris doctis modo laudatis, Papebrochio inquam [18], Tillemontio [19] atque Gallicæ hiſtoriæ litterariæ auctoribus [20] haud probatur. Quibus addendi operum Noriſianorum editores [21], ſed in primis ipſemet Noriſius qui hac de re pluribus erudite diſſerit [22].

II. Abdicatis itaque Vincentius ſæculi curis, ac vitam monaſticam deligens, in inſulam Lerinenſem

C ſeceſſit. [23] *Locus autem*, inquit, *quod urbium frequentiam turbaſque vitantes, remotioris villulæ & in ea ſecretum monaſterii incolamus habitaculum*. Ex his porro verbis arguit Noriſius [24], monachum quidem fuiſſe Vincentium, dum ſuum ſcriberet Commonitorium, ſed non Lerinenſem; propterea quod *remotioris villulæ & in ea ſecretum monaſterii ſe incolere habitaculum* tradat: neque enim, inquit vir doctiſſimus, ulla erat villula in Lerino, ſed tantum monachorum cellulæ inſula tota diſperſæ. Quapropter conjicit eumdem in Maſſilienſi quodam monaſterio degiſſe: licet mox Gennadii auctoritate permotus annuat, illum apud Lerinenſes ſupremum diem obiiſſe. In aliam tamen a Noriſiana ſenten- D tiam abiit cl. Antelmius: quod minus advertit Tillemontius [25]. Noriſio quidem is aſſentitur, opinanti auctorem noſtrum extra Lerini monaſterium Commonitorium elucubraſſe: at monachum Lerinenſem tum jam fuiſſe ſtatuit, ſecus atque Noriſius. Sic enim ſcribit: [26] „ Vincentius E MONASTERIO LERINENSI in montis Capo-fulvi (*Cap-roux*, quod promontorium eſt oræ Forojulienſis maritimæ, e regione Lerini) ſecreta magno religionis & anachoreſeos ardore ſecedens, in illis Commonitorii ſcribendi & digerendi propoſitum ſumſit. „ Hæc aliaque vir eruditus. Verum Tillemontius doctiſſimos duumviros, Noriſium & Antelmium, ſibi ſapere finit [27]; atque adhærens interim ipſemet Gennadio, in in- E ſula Lerinenſi monaſticen profeſſum vixiſſe ac ſcri-

1. *Baron.* ad ann. 428. §§. I. & XI.
2. *Pagi.* ad ann. 490. §. XXVI.
3. *Tillem.* Mem. eccl. tom. XVI. pagg. 194. & 747. not. V. ſur Salvien.
4. Hiſt. litter. de la France, tom. II. pag. 521.
5. *Lar. Amat.* l. c.
6. *Tillem.* l. c. pag. 182. Hiſt. litter. de la Fr. l. c. pag. 517.
7. *Greg. Tur.* Hiſt. Franc. lib. II. cap. XL.
8. *Hadr. Valeſ.* Rer. Franc. lib. V. tom. I. pagg. 235. 236.
9. *Dion. Sammarth.* Gall. Chriſt. nov. tom. III. pag. 620.
10. *Vincent.* L. Commonit. §. I. infra pag. 103. b.
11. *Id.* ibid. c.
12. *Baron.* ad ann. 434. §. XX.
13. *Sulp. Sev.* Dial. I. cap. XXVI.
14. *Papebr.* Act. SS. Maii tom. V. pag. 284. num. 4.
15. *Tillem.* Mem. eccl. tom. XV. pag. 143.
16. Hiſt. litter. de la Franc. tom. II. pag. 305.
17. *Eucher.* epiſt. ad Hilar. pag. 562. edit. Pariſ. 1579.
18. *Papebr.* l. c. num. 2.
19. *Tillem.* l. c. pag. 859. not. I. ſur Vincent. de Lerinſ.
20. Hiſt. litter. de la Franc. l. c.
21. *Ballerin.* ad tom. IV. opp. Noriſ. pag. 913. d.
22. *Noriſ.* Hiſt. Pelag. lib. II. cap. XI. opp. tom. I. p. 395.
23. *Vinc. Ler.* l. c.
24. *Noriſ.* l. c. pag. 396. b.
25. *Tillem.* l. c. pag. 860. not. II.
26. *Antelm.* de ver. opp. SS. Leon. & Proſp. Differt. IX. cap. XV. pag. 419.
27. *Tillem.* l. c. pagg. 144. & 860.

pſiſſe Vincentium exiſtimat. Neque aliter cenſent Gallicæ hiſtoriæ litterariæ ſcriptores [1].

III. Enimvero hæc de auctore noſtro Gennadius [2]: *Vincentius*, inquit, APUD MONASTERIUM LERINENSIS INSULÆ *presbyter*, *vir in ſcripturis doctus & notitia eccleſiaſticorum dogmatum ſufficienter inſtructus*, COMPOSUIT, *ad evitanda hæreticorum collegia*, *nitido ſatis & aperto ſermone* VALIDISSIMAM DISPUTATIONEM, *quam abſconſo nomine ſuo titulavit*, PEREGRINI ADVERSUS HÆRETICOS. Hoc eſt autem celebre Commonitorium: ,, quod quidem, ut ait Baronius [3], quam mira fuerit ſcriptoris eruditio, palam oſtendit: ut vix ſit reperire qui paucioribus chartis majora & feliciori tractatu con- B cluſerit: ,, cujus auctor proinde [4] *magnam ſui nominis in eccleſia catholica laudem reliquit*. Hæc magnus Baronius, qui & alibi [5] opus illud contra hæreſes ſcriptum, *certe aureum* appellat. Et jure plane optimo egregium hujuſmodi libellum ſummis præconiis auxere alii viri doctiſſimi, ut videre eſt apud Noriſium, non ſolum catholicorum [6], verum etiam heterodoxorum elogia paucis congerentem [7]; qui Commonitorium, opus *eximium*, *aureolum*, *aureum*, *divinum*, *numquam homini Chriſtiano deponendum manibus*, honoris gratia dixerunt.

IV. Quo porro tempore hoc opuſculum ſcripſerit Vincentius, teſtatur ipſemet ubi mentionem C injicit [8] *ſancti concilii*, *quod* ANTE TRIENNIUM *ferme in Aſia apud Epheſum celebratum eſt VV. CC. Baſſo Antiochoque conſulibus*. Fuiſſe autem coactam œcumenicam ſynodum Epheſinam anno CCCCXXXI. nemo neſcit: adeoque anno CCCCXXXIV. ſuum illum libellum ſcripſerit Vincentius. Neque alibi plane quam in inſula Lerinenſi opus illud litteris ipſum conſignaſſe fas eſt opinari, ut modo ex Gennadio intelleximus: cujus quidem auctoritati Eucherii quoque Lugdunenſis epiſcopi teſtimonium addere libet, qui Salonium filium ſic alloquitur [9]: *Vixdum*, inquit, *decem annos natus*, EREMUM *ingreſſus*, *inter illas ſacras manus non ſolum imbutus es*, *verum etiam nutritus es ſub Honorato patre illo*, D *patre inquam primo* INSULARUM, *poſtea etiam eccleſiarum magiſtro*; *quum te* ILLIC *beatiſſimi Hilarii*, *tunc* INSULANI *tironis*, *ſed jam nunc ſummi pontificis*, *doctrina formaret per omnes ſpiritualium rerum diſciplinas*; *ad hoc etiam te poſtea conſummantibus ſanctis viris*, *Salviano atque* VINCENTIO, *eloquentia pariter ſcientiaque præminentibus*. Ecce tibi Vincentius *in eremo*, id eſt in Lerino, ubi *Honoratus*, ubi *Hilarius*, Salonium ſacris diſciplinis inſtituens. Supremum tandem diem clauſit vir optimus, Gennadio teſte [10], *Theodoſio* (juniore) *& Valentiniano* (III.) *regnantibus*: ac proinde ut maxime circa annum CCCCL. quo Theodoſius die XXVIII. Julii Indictione III. e vivis exceſſit, Theodoro Le- E ctore perhibente [11]. Ejus memoria in tabulis eccle- A ſiaſticis recolitur IX. Kal. Junii: cujus reliquiæ nobili loco repoſitæ in Lerinenſi monaſterio aſſervantur [12].

V. Præter Commonitorium ſcripſiſſe quoque auctorem noſtrum *Vincentianas objectiones* quas refutaſſe ſanctum Proſperum novimus, complures eruditi viri exiſtimant; qui propterea eum legitima Semipelagianiſmi ſuſpicione laborare contendunt: neque porro ab hac labe immune ipſius quoque Commonitorium ducunt. Inter eos, ut alios prætereamus, eminent Noriſius [13], Antelmius [14], Natalis Alexander [15], Pagius [16] & Noriſii operum editores [17]. Contra vero ab hac nota Vincentium B vindicant Baronius in primis [18], Labbeus [19], Papebrochius [20] atque Gallicæ hiſtoriæ litterariæ ſcriptores [21]. Neque ab his longe abeſt Tillemontius [22]. Utcumque ſit,, nulla per nos, inquit Noriſius [23], Vincentii ſive eruditioni ſive ſanctitati injuria importatur, dum illum cum iis Maſſilienſibus cenſuimus qui Semipelagiani vulgo audiunt. Neque enim iſti erant id temporis hæretici, ſed viri doctiſſimi ac ſanctiſſimi, quos ſanctus Auguſtinus *fratres ac dilectores ſui* [24]; Proſper vero, licet alias eorum hoſtis, *ſanctos*, *honoribus & meritis claros*, & *egregios in omnium virtutum ſtudio viros*, honoris cauſſa appellabant [25]. Quis autem neſciat Hilarium Arelatenſem, Joannem Caſſianum ac Fauſtum Re- C jenſem, adhuc in vivis magna in æſtimatione in Galliis fuiſſe; mortuos vero, Arelate, Maſſiliæ & apud Reios uti ſanctos coli, quum tamen iidem fuerint Semipelagianæ ſcholæ magiſtri? Tunc ab Auguſtino in controverſia de prædeſtinatione ad fidem recedebant, quando fas erat, ea de re in utramque partem diſputare. Anno enim demum centeſimo ab Auguſtini obitu, ſancti doctoris ſententia in Arauſicana ſynodo inter fidei canones relata eſt...... Quare quum in omnium pæne ſententia, illa Auguſtini doctrina de efficaci electione ad primam gratiam *contraria putaretur patrum opinioni & eccleſiaſtico ſenſui*, teſte Proſpero in epiſtola ad eumdem ſanctum doctorem, & *præter paucos* reliqui uno D conſenſu contra eumdem conſpirarent: quid mirum, ſi Vincentius qui toto eo eruditiſſimo ac elegantiſſimo volumine unum hoc urget, nempe communem ſententiam *privatis opiniunculis*, ut ejuſdem verbis utar, præponendam eſſe, ea in controverſia communi inter Galliæ doctores ſententiæ ſibi inhærendum eſſe putaverit, relicta Auguſtini Africani opinione, quæ nova putabatur & *contraria patrum opinioni & eccleſiaſtico ſenſui*? Hæc fuſius proſecutus ſum, quo nonnullorum querelis facerem ſatis, qui grandi piaculo adſtringi putant eum qui Vincentium Lerinenſem, eximiæ eruditionis ac ſanctitatis patrem, in Maſſilienſium album refert, quaſi Semipelagiani id temporis hæretici fuerint, non E vero viri ſupra ceteros in Galliis doctiſſimi atque ſanctiſſimi. ,, Hactenus vir præſtantiſſimus: qui &

1. Hiſt. litter. de la Franc. tom. II. pag. 306.
2. *Gennad.* de Vir. illuſtr. cap. LXIV.
3. *Baron.* ad ann. 434. §. XX.
4. *Id.* in notat. ad Martyrol. IX. Kal. Jun.
5. *Id.* ad ann. 431. §. CLXXXVIII.
6. *Noriſ.* Hiſt. Pelag. lib. II. cap. XI. opp. tom. I. pag. 387. b.
7. *Id.* tom. III. pagg. 993. ſeqq.
8. *Vinc. Ler.* Common. II. §. XXIX. infra pag. 115. b.
9. *Eucher.* præfat. ad lib. de præſt. vet. & nov. Teſtam.
10. *Gennad.* l. c.
11. *Theod. Lect.* lib. II. num. 64.
12. *Noriſ.* Hiſt. Pelag. lib. II. cap. XI. opp. tom. I. pag. 397. b.
13. *Id.* ibid. pagg. 387. ſeqq. & alibi paſſim cum in *Confut. Palinod.* tum in Differt. inſcripta, *Anonymi ſcrupuli* cet.
14. *Antelm.* l. c. §. XVII. pagg. 419. ſeqq.
15. *Natal. Alex.* Hiſt. eccl. ſæc. V. part. I. cap. III. art. II. ſeq.
16. *Pagi.* ad ann. 434. §§. XVI. ſeqq.
17. *Ballerin.* Obſerv. lib. I. cap. VI. num. III. ad tom. IV. opp. Noriſ. pag. 912.
18. *Baron.* ad ann. 431. §. CLXXXVIII. & in Notat. ad Martyrol. IX. Kal. Jun.
19. *Labb.* Differt. de Script. eccl. tom. II. pag. 489.
20. *Papebr.* Act. SS. tom. V. Maii pag. 285. numm. 6. ſeqq.
21. Hiſt. litter. de la Franc. tom. II. pag. 309.
22. *Tillem.* Mem. eccl. tom. XV. pag. 860. not. III.
23. *Noriſ.* l. c. tom. I. pagg. 397. ſeq.
24. *Aug.* lib. de dono perſev. in fine & lib. de prædeſt. SS. init. & cap. XIV.
25. *Proſp.* epiſt. ad Auguſt.

alibi adversus Blondellum [1] optime adstruit [2], Vincentium jure fuisse ab ecclesia sanctorum fastis adscriptum.

VI. Non solum autem auctori nostro tributæ *Vincentianæ objectiones* ab iis viris criticis quorum superius meminimus; verum etiam Symbolum *Quicumque* variis argumentis eidem asserere conatus est laudatus Antelmius: inter quæ alicujus sane momenti videtur esse illud, quod petit vir eruditus ex aliquibus loquendi formulis magnam cum Symboli particulis quibusdam similitudinem præ se ferentibus, quas ex Vincentii Commonitorio ille collegit. Eas refert ac expendit cl. Montfauconius [3]; aitque id probe eruditi viri argumentis confici, nihil repugnare scilicet quin sit illud Symbolum Vincentii Lerinensis opus, si alias certum quodpiam suppeteret pro Vincentio vel codicis vel scriptoris alicujus testimonium. Sed hæc hactenus. Nihil porro reliqui de auctore nostro nobis superest adjiciendum præter monitum de illa editione qua usi fumus in ejus Commonitorio excudendo. Eam nimirum adhibuimus quam Parisiis anno 1684. tertio evulgavit ceteris præstantiorem Stephanus Baluzius: qui primum cum duobus codicibus mss. bibliothecæ regiæ contulit ejusmodi opusculum; deinceps vero illud rursus exegit ad alios duos eosque vetustissimos, quorum alter nunc asservatus in bibliotheca Colbertina, fuit olim Petri Pithœi; alter celeberrimi monasterii Corbejensis. Notas autem Baluzianas quarum præcipuus scopus est variantes lectiones indicare, textui adjecimus, paucis pro more nostro ad oras paginarum appositis.

CAPUT III.

DE

S. VALERIANO

EPISCOPO CEMELIENSI.

I. Apud Gennadium, Isidorum aliosque scriptorum ecclesiasticorum nomenclatores altum de VALERIANO silentium. Ex aliis itaque veterum monimentis repetenda, si qua sunt, quibus auctor noster utcumque noscatur. Et primum quidem de ipsius episcopali sede inquirendum: hinc enim simul compertum fiet, qua tempestate claruerit sanctus antistes. *Oppidum Vediantiorum Cemelion*, ait Plinius [4], illudque cum Ptolemæo Italiæ tribuit, quia uterque *Varo* flumine Italiam terminat, non *Alpe summa*, uti rectius Antonini Itinerarium, ubi Galliæ adsignatur: ad quem locum Wesselingium adi sis [5]. „ Et vero, inquit Sirmondus [6], ad Galliam pertinuisse Cemelium, præter modo citatum Itinerarium, fidem sine controversia facit vetus Notitia civitatum Galliæ, quæ inter Alpium maritimarum civitates quæ sub Ebreduno metropoli censentur, sexto loco numerat civitatem Cemelenensium: & Usuardus in Martyrologio pridie Idus Maias; quo die sancti Pontii martyris natalem *in Galliis civitate Cymela* solemnem fuisse notat [7]: ejus nimirum quem auctor noster sæpius triplici homilia *de bono martyrii*, sed tacito semper nomine commemorat [8]. „ Quibus addenda ejusdem sancti Pontii Acta, Baluzii studio evulgata, ubi ad rem nostram hæc habentur [9]: *Fines Italiæ transiens* (Pontius) *urbem sub jugo Alpium procul sitam petiit nomine Cymelam*. Porro hæc urbs, ut scribit Sammarthanus [10], quæ olim celeberrima fuit, tot cladibus a Vandalis, Longobardis & Saracenis attrita est, ut primævæ suæ magnitudinis ne umbram quidem servaverit: [11] cujus hodieque prisca tantum ruderum vestigia, nomenque haud procul Nicæa restat in colle quem Cemelam vocant.

II. Semel igitur Valeriani cathedra episcopali constituta, reliquum est, ut quo tempore vixerit cum Sirmondo inquiramus. [12] „ Mihi vero, inquit, ex cathedra ipsa Cemelensi deprehendere videor, illum sub annum Christi CDL. hoc est, Leonis magni temporibus floruisse. Post Leonem enim, Leonis ipsius decreto, ut Hilari papæ verbis epistola IV. docemur, Cemeliensis civitatis & Nicæensis castelli episcopi diversi non fuerunt: sed iidem Cemelienses simul, quamdiu Cemela stetit, & Nicæenses. Quod videre est in synodo v. Aurelianensi, cui Aetius presbyter directus a Magno episcopo ecclesiæ Cemelensis & Nicæensis, subscripsisse legitur in antiquis exemplaribus quæ integras ejus concilii subscriptiones habent: nam mutilæ sunt in excusis. Quare Valerianum qui Cemelensis tantum episcopus nuncupetur, ante Leonis decretum sedem illam rexisse oportuit. Atque ut quod sentio dicam, omnino Valerianum hunc illum esse conjicio, ad quem & alios vicinarum Galliæ provinciarum episcopos, scripta exstat Leonis ejusdem epistola de Vasensis episcopi ordinatione [13], quam æternæ memoriæ cardinalis Baronius ex Arelatensi codice divulgavit [14]. Confirmorque in sententia, quod in illo episcoporum numero Ingenuum video, Ebredunensem, id est Valeriani Cemelensis metropolitanum antistitem. Sed & aliæ duæ sunt epistolæ, Leonis una ad XLIV. episcopos Galliæ, altera episcoporum eorumdem ad Leonem [15], in quibus Ingenuus & Valerianus pariter conjunguntur. „ Hactenus Sirmondus: cui accedunt Tillemontius [16] atque Historiæ litterariæ Gallicæ auctores [17].

III. De Valeriani gestis hæc Sammarthanus [18]: „ Anno CCCCXXXIX. adfuit Rejensi concilio, in quo

1. *Blondell.* de Primat. in eccl. sect. VI. pag. 52. edit. 1641.
2. *Noris.* opp. tom. III. pagg. 1010. & seq.
3. *Montf.* Diatr. in Symb. *Quicumque* ad opp. Athan. tom. II. pagg. 724. seqq.
4. *Plin.* Hist. nat. lib. III. cap. V.
5. *Wessel.* Vett. Rom. Itiner. pag. 296.
6. *Sirmond.* præfat. ad Valerian. homil.
7. *Usuard.* Martyrol. sinc. pag. 81. edit. Paris. 1718.
8. *Valerian.* homm. XV - XVII. infra pagg. 146 - 150.
9. *Act.* Pont. cap. XV. apud *Baluz.* Miscell. tom. II. pag. 134.
10. *Sammarth.* Gall. Christ. nov. tom. III. pag. 1268.
11. *Sirmond.* l. c.
12. *Id.* ibid.
13. *Leon.* epist. LXVI. opp. tom. I. pag. 998. novifs. edit. Ballerin.
14. *Baron.* ad ann. 450. §. LVII.
15. *Leon.* epistt. XCIX. & CII. pagg. 1107. & 1136. edit. cit.
16. *Tillem.* Mem. eccl. tom. XV. pag. 125.
17. Hist. litter. de la Franc. tom. II. pag. 329.
18. *Sammarth.* l. c. pagg. 1270. seq.

de negotio Armentarii actum est. Accepta sancti Leonis epistola ad Flavianum, (anno CCCCLI.) cum aliis plurimis ad ipsum scripsit, illam summis laudibus extollens, eique se in omnibus assentiri professus est [1]. Fuit etiam unus ex iis quibus respondit sanctus pontifex (anno CCCCLII.) gratulatus ipsorum orthodoxam fidem, & Eutychen ac Dioscorum in concilio Chalcedonensi damnatos significans [2]. Orta gravi controversia Theodorum Forojuliensem episcopum inter & Faustum abbatem Lerinæ quæ tunc ab ea diœcesi pendebat, — cum Valerianus noster & Maximus Reiensis, episcopi, partes in eo jurgio, & quidem Lerinensium, amplexi fuissent; Ravennius Arelatensis episcopus, tanto malo remedium allaturus, in sua urbe concilium coegit ad XXX. Decembris [3]. Adfuere cum eo & Rustico Narbonensi undecim antistites: convenerunt quoque cum Lerinensibus monachis Maximus & Valerianus: non nominantur tamen inter judices, forte quia ut partes aderant. Lis tamen amice composita fuit. Quo præcise anno habitum fuerit concilium istud, incompertum: certe inter annos CCCCXLIX. quo ad episcopatum evectus est Ravennius, & CCCCLXI. quo ad immortalem vitam migravit. Annum assignat CCCCLV. Sirmondus, antea Tillemontius [4]. Rivierius Carthusianus notat mentionem fieri anno CCCCLI. Valeriani Nicæensis episcopi. „ Hactenus Sammarthanus.

IV. Superest, ut de Valeriani opusculis sermo paucis instituatur. Hic sane Cemeliensis præsul, ut superius innuimus, nuspiam fuit agnitus inter scriptores ecclesiasticos ante annum 1601. quo Genevæ prodiit ejus Homilia sive *Sermo de bono disciplinæ*, auctori suo ex antiquo codice ms. a Goldasto restitutus, qui incerto antea nomine inter S. Augustini opera ferebatur [5]. Porro ex stili argumentique similitudine facile conjecit Sirmondus, ejusdem auctoris esse Homilias undeviginti quas detexit in pervetustæ sed parum castigatæ manus exemplari monasterii Corbejensis, una cum epistola monachis, ut videtur, Lerinensibus inscripta *de virtutibus & ordine doctrinæ apostolicæ*. Quamvis igitur ejusmodi ms. codex auctoris nomen haud præ se ferret, has tamen Homilias, una cum ea quæ antea evulgata fuerat, addita quoque laudata epistola, Parisiis edidit idem Sirmondus anno 1622. atque hanc ἐπίκρισιν apposuit [6]: „ Stilus, ait, optimus judicandi magister; gravis, inquam, ac splendida & dignitatis succique plena facundia quæ in his Homiliis elucet, satis hanc ejus quam dixi ætatem prodit: illam scilicet qua Eucherius Lugdunensis, Hilarius Arelatensis episcopi, Vincentius Lerinensis, Prosper & Salvianus presbyteri, Galliam nostram non dissimili eloquentiæ laude & gloria decorabant. „ Hæc Sirmondus. „ Verum vixdum lucem aspexerunt Valeriani Homiliæ, inquit Sirmondianorum editor [7], quum Romæ ad sacrum tribunal delatæ fuerunt, tamquam hæresi Semipelagianæ affines. At ipsas continuo editor suus defendit, misso ad Urbem brevi scripto quod Romani judices probavere. Easdem insuper Francisco Barberino cardinali, veteri amico, per litteras commendavit. Atque his nunc præsidiis quæ inter Sirmondi schedas hactenus latuerant, Valerianus instructior prodit atque ornatior. „ Utrumque porro scriptum apologeticum Valeriani homiliis subjectum exstat.

CAPUT IV.

DE

S. PATRICIO

HIBERNORUM APOSTOLO.

I. SAncti PATRICII res gestas Probus, Jocelinus aliique medii ævi scriptores litteris consignarunt, quorum tamen auctoritas haud firmo talo consistit. Inter recentiores autem Usserius [8], Bollandiani [9] ac Tillemontius [10] certiora tradiderunt. Ea vero heic fuse persequi neque libet neque vacat, si ratio in primis instituti nostri spectetur. At ex beati antistitis *Confessione* atque ex ipsius *Epistola ad Coroticum* quæ inter ejus scripta primum occurrunt, complura eruet lector ad ejus acta probe dignoscenda, quibus alibi firmiora frustra quærat. Plura videas de sancto antistite nostro apud Joannem Glastoniensem, a Thoma Hearnio anno 1726. Oxonii evulgatum [11]. Porro id unum adnotasse sufficiat: Patricium nimirum a Deo ad Hibernorum conversionem vocatum circa annum CCCCXXXI. [12], post innumeros labores in eo munere apostolico perficiendo exhaustos, e vivis excessisse anno CCCCXCI. annos natum CXX. ut communior fert sententia [13]. Ceterum, ut Pagii verbis utamur [14] „ Hiberni Patricio debent, quod patria sua facta sit *Sanctorum insula*, & litterarum scientiarumque fuerit aliquando gymnasium. Nam quamvis nonnulla Christianæ doctrinæ semina ante eum in Hibernia sparsa fuerint, & ideo sanctus Palladius *ad Scotos in Christum credentes* missus dicatur; conversæ tamen Hiberniæ decus & titulus uni debetur Patricio, per quem non pauci aliqui atque ex vulgo homines, sed reges & principes, populique gregatim salutari tincti baptismate, jugo fidei submisere cervices. Ipse sanctam Brigidam velavit, aliqua concilia a Speelmanno relata congregavit, ejusque opera plurimæ sparsim ecclesiæ erectæ, in iisque episcopi ordinati. „ Hæc Pagius.

II. Jam vero ut ad sancti Patricii opusculorum recensionem quæ ipsi adtributa feruntur, accedamus; Jacobi Waræi editionem secuti sumus, quæ prodiit Londini anno 1656. Is enim eorum aliqua ex antiquis mss. codicibus in lucem eruit: reliqua

1. Inter *Leon.* epistt. num. XCIX. pag. 1107. edit. cit.
2. *Leon.* epist. CII. pag. 1136. edit. cit.
3. Conc. tom. V. pag. 23. edit. Ven-Labb.
4. *Tillem.* Mem. eccl. tom. XV. pag. 125.
5. *Aug.* opp. in append. ad tom. VI. pag. 295.
6. *Sirmond.* præfat. ad Valer. Homil.
7. *Baun.* præfat. ad tom. I. opp. Sirmond. §. VIII.
8. *Usser.* Britann. eccl. antiqq. cap. XVII. pagg. 425. seqq. edit. II. Londin. 1687.
9. *Bolland.* Act. SS. Mart. tom. II. pagg. 517. seqq.
10. *Tillem.* Mem. eccl. tom. XVI. pagg. 452. 781. seqq.
11. *Joan. Glaston.* Hist. de reb. Glaston. tom. I. pagg. 60. seqq.
12. *Pagi.* ad ann. 431. §. III.
13. Vide *Tillem*, l. c. pag. 783. not. III. sur S. Patrice.
14. *Pag.* ad ann. 491. §. XIX.

recognovit : omnia denique notis hiſtoricis illuſtravit. Ea inter primum occupat locum ſancti Patris *Confeſſio* ſtilo epiſtolari ad Hibernos tranſmiſſa, in qua vitæ ſuæ ac prædicationis rationem exponit. Ex hac autem Confeſſione fragmenta quam plurima ad hiſtoriam pertinentia excerpſit intexuitque duobus ſuis libris de Vita ſancti Patricii Probus Hibernus, ſæculo x. clarus; ejuſque lucubratio exſtat inter opera Bedæ [1] cui perperam tribuitur ut compertum habetur ex fine libri II. ubi auctor nomen ſuum palam prodit his verbis [2]. „ Ecce „ habes frater Paulline a me humili PROBO po- „ ſtulatum noſtræ fraternitatis judicium, quo nos „ pauperes aliqua tibi de ſanctiſſimi patris noſtri „ PATRICII epiſcopi virtutibus ſcribere cupiebas. „ Porro hujuſmodi opuſculum primus evulgavit laudatus Waræus e quatuor antiquis exemplaribus mss. inter ſe collatis, ut ipſemet profitetur [3]. Cujus quidem editionem ad eam exegimus, quam ex vetuſtiſſimo Nobiliacenſis S. Vedaſti monaſterii edidere Bollandiani [4]: additis præterea nonnullis adnotationibus quibus aliquot loca vel reſtituuntur vel illuſtrantur: quod & in ſequentibus alicubi pro munere noſtro præſtitimus.

III. Confeſſionem Patricianam excipit ejus *Epiſtola ad Coroticum* regulum Cambro-Britannicum, ſeu potius *ad Chriſtianos Corotici tyranni ſubditos*, ut recte inſcribitur apud Bollandianos [5]. Hujus epiſtolæ, ut obſervat Waræus [6], diſerte meminit in Vita S. Patricii Jocelinus [7] monachus Ciſtercienſis cœnobii Furneſſenſis apud Lancaſtrienſes; qui ſæculo XII. deſinente claruit, Vitamque illam conſcripſit [8] *præceptis reverendiſſimi Thomæ Armachani epiſcopi totiuſque Hiberniæ primatis, & Malachiæ Dunenſis epiſcopi, nec non petitione illuſtriſſimi Joannis de Curſi, Vlidiæ principis*. Ejuſmodi Jocelini opus poſt editiones Antuerpienſem, Pariſienſem & Lovanienſem prelo rurſus conſignarunt Bollandiani [9], qui etiam de auctore plura tradidere [10]. Ceterum hanc epiſtolam cum tribus vetuſtis codicibus manu exaratis contulit Waræus: qui & illud animadvertit [11], utriuſque opuſculi, tum Confeſſionis tum Epiſtolæ, antiquitatem ſatis argui e ſacræ ſcripturæ locis citatis ex verſione interpretationis LXXviralis, non autem e tunc recenti verſione ſancti Hieronymi, quæ ſancti Patricii ævo nondum publicitus fuerat recepta: ſimulque addit, nonnulla quidem in utroque opuſculo exſtare veterum exſcriptorum incuria quæ criticum ingenium requirant, ſed nihil præterea occurrere de quo jure dubitare quis valeat.

IV. Jam de reliquis ſermo recurrat. Succedit porro *Synodus S. Patricii*, ex antiquo ms. codice Andegavenſi deſumta, cujus apographum ad Uſſerium e Gallia miſerat Sirmondus; eoque apographo uſus Speelmannus, ſynodi hujus canones in lucem eduxit [12], quos deinceps Wilkinſius iterum

A evulgavit [13]. Canonum S. Patricii meminit Jocelinus [14].

Alios IX. *Canones* qui ſequuntur *S. Patricio adſcriptos*, præter V. & VI. quos jam ediderat Uſſerius, protulit Waræus ex ms. codice bibliothecæ Cottonianæ, ut ipſemet teſtatur [15]: qui & addit, ad finem Canonis I. in alia Canonum collectione Cantabrigienſis collegii S. Benedicti ſequentia ſubjici: *Clericus qui cauſſam ſuam, ſive juſtam ſive injuſtam, ad judicium alterius fidei judicis provocat, excommunicetur*. Hos quoque IX. Canones typis excudendos curavit laudatus Wilkinſius [16].

Synodum epiſcoporum Patricii, Auxilii & Iſſernini quam antea vulgaverat Speelmannus [17], emen-
B datiorem dedit Waræus ex collatione modo citati ms. codicis bibliothecæ collegii Cantabrigienſis S. Benedicti; ſimulque animadvertit [18], Canonem I. ſynodi hujuſce in vetuſto codice Canonum bibliothecæ Cottonianæ ita efferri: *Si quis redemtionem captivi inquæſiverit ſuo jure, ſine permiſſione abbatis, meruit excommunicari*. Quartus vero & quintus ibidem ſic ſe habent: *Si quis acceperit permiſſionem pontificis, & collectum ſit pretium captivi*, cet. Subdit denique in eodem codice Cottoniano Canonis VI. cauſſam, quatenus nimirum ad clericorum tonſuram more Romano attinet, his verbis innui: *Romani dicunt tonſuram a Simone Mago ſumſiſſe initium, cujus tonſura de aure ad aurem tan-*
C *tum contingebat; pro excellentia* (forte *expellenda*) *ipſa Magorum tonſura qua ſola frons anterior tegi ſolebat. Auctorem autem hujus tonſuræ in Hibernia, ſubulcum regis Loigeri filii Nil* (Nell) *exſtitiſſe, Patricii ſermo teſtatur: ex quo Hibernenſes pæne omnes hanc tonſuram ſumſerunt*. Eadem recitat Uſſerius [19], qui & hac de re alia nonnulla refert. Ceterum de hujuſmodi ſynodis a Patricio coactis haud prætermittendus Tillemontius [20].

Actis hujus ſynodi, quam ex annalibus Ultonienſibus arguit Waræus habitam fuiſſe a S. Patricio poſt mortem Secundini epiſcopi circa annum CCCCL. ſuffecit idem editor *alios tres canones*, antea editos a Speelmanno [21], ex ſuperius laudato
D codice Cantabrigienſis collegii Benedictini. Quibus præterea ſubjecit ex ms. libro Canonum Cottoniano *Proverbia aliqua S. Patricio tributa*. Et librum quidem Proverbiorum Hibernice conſcripſiſſe Patricium tradit Jocelinus [22].

Chartam ſancti Patricii, quæ appellatur etiam *Epiſtola de antiquitate Avalonica*, edidit Waræus ex Guilielmi Malmesburienſis libro ms. *de antiquitate eccleſiæ Glaſtonienſis*, quam & cum aliis vetuſtis codicibus manu exaratis a ſe fuiſſe collatam teſtatur. Integra item exſtat apud Joannem Glaſtonienſem [23], haud ita pridem, ut ſuperius innuimus, a Thoma Hearnio in vulgus emiſſum. Ante annos CLXX. ejuſdem Chartæ excerptum cum hac
E inſcriptione *S. Patricii legatio*, ediderat Gerardus Voſſius [24], a Mariano Victorio epiſcopo Reatino, dum in Anglia degeret, ex vetuſtiſſimo ms. exem-

1. *Bed.* opp. tom. III. pagg. 225. ſeqq. edit. Colon. Agripp. 1688.
2. Ibid. pag. 242.
3. *War.* ad opuſc. S. Patric. pag. 94.
4. *Bolland.* Act. SS. Mart. tom. II. pagg. 533. ſeqq.
5. Ibid. pag. 538.
6. *War.* in præfat. ad opuſc. S. Patric.
7. *Jocel.* Vit. S. Patric. cap. CL.
8. *Id.* in prolog.
9. *Bolland.* l. c. pag. 540. ſeqq.
10. Ibid. pag. 521.
11. *War.* ad opuſc. S. Patric. pagg. 94. & 110.
12. *Speelm.* Conc. Brit. tom. I. pag. 55.
13. *Wilk.* Conc. Brit. tom. I. pag. 4.
14. *Jocel.* l. c. cap. CLXXXV.
15. *War.* l. c. pagg. 119. 121.
16. *Wilk.* l. c. pag. 6.
17. *Speelm.* l. c. pag. 51.
18. *War.* l. c. pag. 123.
19. *Uſſer.* l. c. pag. 479.
20. *Tillem.* l. c. art. VII. pagg. 476. ſeqq. & pag. 786. not. V. ſur S. Patrice.
21. *Speelm.* l. c. pag. 54.
22. *Jocel.* l. c. cap. CLXXXV.
23. *Joan. Glaſt.* Hiſt. de reb. Glaſton. tom. I. pagg. 63 - 66 edit. Oxon. 1726.
24. G. *Voſſ.* Miſcell. SS. PP. pag. 239. edit. Mogunt. 1604.

plari bibliothecæ monasterii Glastoniæ transscri- A ptum : exinde vero desumtum recusumque in bibliotheca Patrum Lugdunensi [1]. Porro de hujusmodi Charta Patriciana plura Usserius [2], atque deinceps Waræus [3].

V. Hactenus recensitis opusculis S. Patricio adscriptis alia duo post Waræum suffecimus, quorum prius *de tribus habitaculis* inscribitur. Bostonus monachus Benedictinus in cœnobio Buriensi sancti Edmundi, qui claruit ineunte sæculo xv. sub Henrico IV. Angliæ rege, de hujusmodi libello in opere *de scriptoribus ecclesiasticis* adhuc inedito hæc habet [4]: *Patricius archiepiscopus Hiberniæ floruit anno Christi* CCCCXXIX. *& scripsit* DE TRIBUS HA- B BITACULIS, *cæli, mundi & inferni*. Init. *Tria sunt*. Liber ille tunc exstabat, ut ille innuit, in bibliotheca S. Joannis Colcestriæ. Alibi vero laudatus Bostonus eumdem libellum tum Augustino, tum Patricio adscriptum tradit. Utrique tamen abjudicat editor Anglus [5], eo scilicet nomine quod libelli auctor sacræ scripturæ textum passim citet ex versione sancti Hieronymi, Augustiniano ævo & Patriciano haud passim recepta. Ceterum hujus opusculi exemplar desumsimus ex Appendice ad tomum VI. operum S. Augustini edit. BB. Paris. pagg. 159. seqq.

Posterioris autem opusculi *de duodecim abusionibus sæculi* fragmenta quædam, Waræo teste [6], C S. Patricio tributa citantur in antiquo ms. codice bibliothecæ collegii S. Benedicti Cantabrigiæ, laudanturque a Cathwulpho in epistola ad Carolum Magnum apud Duchesnium [7]. Integrum vero exstat inter opera Cypriano [8] & Augustino [9] supposita. Verum scripturæ loca in hoc libello prolata ex versione Hieronymiana satis evincunt, ut recte arguit idem editor Anglus, illud neque Cypriani, neque Augustini, adeoque neque Patricii esse ob rationem modo allatam, quamvis inter ejus scripta feratur. Qua de re nonnulla Fellus in præfat. ad opera Cypriani circa medium. Utcumque sit, in eo exscribendo opusculo Pamelii editionem Cyprianicorum secutus est Waræus : nos vero accura- D tiorem Baluzii, seu potius Marani Benedictini V. C. qui Baluzianam ἔκδοσιν absolvit, quique eumdem libellum cum edito Augustiniano sociorum suorum studio adornato contulit.

VI. Quod superest, hanc syllogen Patricianam claudit *Hymnus alphabeticus*, Secundino episcopo adscriptus, in laudem S. Patricii avunculi sui, dum ille adhuc in vivis ageret. Eum descripsit Waræus ex antiquo ms. codice Hymnorum olim ad conventum ordinis Minorum de Observantia Donagalliæ pertinente, deinceps vero in bibliothecam Usserianam translato : contulitque cum alio ejusdem Hymni exemplari manu recentiori exarato, cujus et- E iam variantes lectiones apposuit. Exstat præterea hic Hymnus in Antiphonario monasterii Benchorensis edito a Muratorio [10], ad quem proinde Waræanam editionem exegimus. Qui quidem V. C. ad rem nostram hæc habet [11]: „ Legimus in Antiphonario nostro *Hymnum S. Patricii magistri Scotorum*. Memini autem, cl. virum P. D. Bernardum de Montfaucon, dum olim Mediolani ageret, conspecta codicis hujus ac monumenti vetustate, mihi ostendenti fuisse gratulatum. Narrabat quippe, in Galliis esse eruditum quemdam cui nata suspicio fuerat, non ipsas solum S. Patricii res gestas, sed ipsum S. Patricium inter fabulas Romanenses esse amandandum : tantis nempe anilibus commentis deturpata fuerat sancti illius episcopi historia. At profecto unus hic Hymnus satis esse potest ad confirmandam veritatem cum insignium Patricii operum, tum celeberrimæ famæ quæ de sancto viro ad nostra usque tempora permanavit. Tu uberiora, etsi non paria antiquitate, ab Usserio pete [12]. „ Hæc Muratorius : cui propterea, dum ista scribebat, incomperta videtur fuisse Waræi editio, qui primus hunc Hymnum in lucem eruit. Quin & illam præteriisse Bollandianos ex eo conjicimus, quod eumdem Hymnum omisere inter acta S. Patricii quæ fusissime ab iis fuisse descripta comperimus. Ceterum de Secundino episcopo hujusce Hymni auctore, ut fertur, haud otiosum fortasse fuerit Jocelinum audire. Sic autem ille [13]: „ Sanctus Secundinus, sapiens & litteratus, dixit sancto Patricio, velle sibi adjacere, de Sancto quodam adhuc superstite Carmen componere. Et quia Sanctus hic erat Patricius de quo scribere disposuit, illius nomen silentio suppressit. Ad quem sanctus Patricius: Vere, inquit, dignum & justum est, æquum & salutare, ut [14] sapientiam & gloriam sanctorum narrent populi, & laudem eorum nuntiet ecclesia : sed quidem dignius & commodius, post lucis terminum, totius cœnodoxiæ sublata materia. Lauda ergo diei serenitatem, sed quum advesperaverit : militis virtutem, sed quum triumphaverit : nautæ prosperitatem, sed quum applicuerit. Dicit enim scriptura [15]: *Ne laudaveris hominem in vita sua*. Si tamen id omnino cordi tuo infixum fuerit, quod facere disponis, fac citius, quia mors tibi adest in januis : omnium enim episcoporum qui sunt in Hibernia, de sæculo primus migrabis. Hymnum igitur in laudem sancti Patricii composuit ; & paucis postea diebus elapsis, juxta verbum sancti Patricii diem ultimum clausit : sepultusque in ecclesia sedis suæ, in loco qui vocatur Domhnach-Seachlainn, crebris se miraculis cum Christo vivere ostendit. Hymnum autem illum Hibernici plures consuescunt quotidie canere, ac multa magnaque mirabilia ex ejus frequentatione narrant evenisse. „ Hactenus Jocelinus.

1. Bibl. PP. Lugd. tom. VIII. pag. 875.
2. *Usser.* l. c. pag. 456.
3. *VVar.* ad opusc. S. Patric. pagg. 131. seqq.
4. Apud *VVar.* in præfat. ad opusc. S. Patric. §. IV.
5. *Id.* in not. pag. 130.
6. *Id.* in præfat. cit. §. VI.
7. *Duchesn.* Hist. Franc. tom. II. pagg. 666. & seq.
8. *Cypr.* opp. in append. pag. CCLXXV. edit. Paris. 1726.
9. *Aug.* opp. in append. ad tom. VI. pag. 211. edit. BB. Paris.
10. *Murat.* Anecd. Lat. tom. IV. pagg. 136. seqq.
11. *Id.* ibid. pag. 125.
12. *Usser.* Britann. Antiqq. cap. XVII. pagg. 425. & seqq.
13. *Jocel.* l. c. cap. CLXXVII. apud Bolland. cap. XVIII. num. 145. pag. 576.
14. *Eccli.* XXXIX. 14.
15. Ibid. XI. 30.

CAPUT V.

DE

S. ORIENTIO

EPISCOPO AUSCIENSI.

I. MIrum inter eruditos de ORIENTII patria, profeſſione ac ætate qua floruit, diſcidium. Baronius Tarraconenſem exiſtimat [1], qui poſtea epiſcopus fuerit Illiberitanus; eumdemque ducit cum Oreſio cui Sidonii epiſtola exſtat inſcripta [2]. „ Id enim opinari, ait vir magnus, patriæ nomen ac ſtudium poeticæ facultatis, & in ſcribendo ſuavitas æque a Sigeberto [3] atque a Sidonio laudata, facile perſuadent. „ In Baronii ſententiam alii complures conceſſere; Delrius [4], Nicolaus Antonius [5], Caveus [6], Schurtzfleiſchius [7], Leyſerus [8], Baſnagius [9], alii. Ab his diffidet Fabricius [10], qui Orientium quidem epiſcopum Auſcienſem agnoſcit, ſed ab eo diverſum fuiſſe Orientium Commonitorii auctorem ſibi perſuadet. Ceteros mittimus aliter opinantes: quos inter Sammarthanus, qui veteri eccleſiæ Auſcienſis inſtrumento innixus ſub initium ſæculi XII. confecto, ſedem illam ab anno CCCXXIII. ad CCCLXIV. Orientium occupaſſe perhibet [11]. Contra vero multo accuratius re inſpecta, magis congruentia tradidere poſt Martenium [12] & Oudinum [13] erudítiſſimi Gallicæ hiſtoriæ litterariæ ſcriptores [14]: quos ergo de Orientio verba facturi præ ceteris affectabimur.

II. Et primum quidem ORIENTIUM, non Oreſium, Orentium aut Orontium vocat ſe ipſum auctor, ſic inquiens [15]:

Ut peccatores vincens ORIENTIUS *omnes*.

Sic item eum appellat Venantius Fortunatus, qui medio ſæculo VI. ſcripſit in Gallia [16]:

Paucaque perſtrinxit florente ORIENTIUS *ore*.

Neque aliter codices mss. unde ſumtum ejus opuſculum. At Sigebertus Gemblacenſis [17]: ORENTIUS *Commonitorium ſcripſit metro heroico, ut mulceat legentem ſuavi breviloquio*. Porro natione Gallum aut ſaltem in Galliis agentem fuiſſe Orientium, qui & clades per Gothos medio ſæculo V. genti Gallicæ illatas ſpectarit, ipſemet his verſibus luculenter teſtatur [18]:

Per vicos, villas, per rura & compita, & omnes
Per pagos, totis inde vel inde viis
Mors, dolor, excidium, ſtrages, incendia, luctus:
Uno ſumavit GALLIA TOTA *rogo*.

Hinc itaque temporis notationem colligimus quo claruit noſter auctor, circa ſcilicet annum CCCCXL.

A De ipſius autem epiſcopatu ſilent quidem Fortunatus & Sigebertus: at eorum ſilentium non eſt demum tanti ducendum, ut inde ſatis firmum argumentum eruere quis poſſe videatur, quo epiſcopalis dignitas Orientio abjudicetur: in primis vero ſi ſpectemus, rem uno verſiculo tranſigere Fortunatum antiquiorem. Verum hac de re difficultatem demum, ſi qua ſit, tollere cenſentur Acta ſancti Orientii epiſcopi Auſcienſis, quæ vulgata primum a Philippo Labbeo [19], Actis Sanctorum Bollandianis fuere deinceps intexta [20]: quæ quidem licet primævam antiquitatem non referant, in iis tamen nonnulla geſta enarrantur, quæ variis Orientii Commonitorii locis plane congruere intelliguntur: adeoque B fidem omnino iiſdem Actis detrahere haud æquo jure quis valet, ut recte ſtatuunt eruditi viri ſuperius laudati [21].

III. Produnt itaque hujuſmodi Acta [22], *beatiſſimum Orientium, mundanæ lubricitatis ſqualore depoſito, ſe totum caſta mente divinæ majeſtati devoviſſe, & altioribus honoribus adeptis, pontificalis Auxio civitate cathedræ dignitatem aſcendiſſe*. Heic vero in anteceſſum improbanda occurrit Baſnagii [23] & Fabricii [24] conjectatio, ex verbis mox adducendis minus recte acceptis efficta, Orientium videlicet fuiſſe primo idololatriæ addictum. Pergunt porro eadem Acta: *Eccleſiaſticis namque dogmatibus* C *apprime eruditus, commiſſum ſibi populum ſacro ſermone correxit*, PAGANORUMQUE PERVERSITATEM DESTRUXIT: *& ita pleniſſime doctus tanta doctrina eos erudivit, ut* SPRETA IDOLORUM VILITATE *auctorem ſuum cognoſcerent, & ad legem ejus, baptiſmatis gratiam accipiendo pertingerent*. Quæ quidem verba ut cum Martenio loquar [25], quam bene conveniunt iis quæ ſcribit Orientius! [26]

Et nos a fæce ethnicorum emerſimus,
Eamque tandem rupimus caliginem,
Dum ſpiritales exaudimus angelos.

Optima ſane viri docti interpretatio. Ecquis enim demum non videat Orientium heic non ſui, ſed neophytorum ſuorum nomine quibus erudiendis hanc D *Orationem* compoſuit, fuiſſe locutum? qui *dum ſpiritales exaudierunt angelos*, id eſt epiſcopos, quos ita nominatos in Apocalypſi novimus [27], lætantur ſe *a fæce ethnicorum emerſiſſe, eamque tandem rupiſſe caliginem*. Faceſſat igitur de Orientii idololatria inane commentum.

1. *Baron.* ad ann. 484. §. CXXXVIII.
2. *Sidon.* lib. IX. epiſt. XII.
3. *Sigeb.* de ſcript. eccl. cap. XXXIV.
4. *Delr.* in præfat. ad Orient. Common.
5. *Nic. Ant.* Bibl. Hiſp. vet. lib. IV. cap. I. tom. I. pag. 206.
6. *Cav.* Hiſt. litter. tom. I. pag. 503.
7. *Schurtz.* in præfat. ad Orient. Common.
8. *Leyſer.* Hiſt. Poet. med. æv. pag. 77.
9. *Baſnag.* ad Caniſ. Theſ. tom. I. pagg. 164. ſeqq.
10. *Fabric.* Bibl. Lat. med. æv. tom. V. pagg. 508. ſeqq. edit. Hamb.
11. *Sammarth.* Gall. Chriſt. nov. tom. I. pag. 973.
12. *Marten.* ad Common. Orient. tom. V. Theſ. nov. Anecdot. pag. 19.
13. *Oudin.* Comment. de Script. eccl. tom. I. pagg. 1068. ſeq.
14. Hiſt. litter. de la France tom. II. pagg. 251. ſeqq.
15. *Orient.* Common. lib. II. ℣. 417.
16. *Venant. Fort.* lib. I. de Vit. B. Martin. ℣. 17. Bibl. PP. Pariſ. tom. VIII. pag. 753.
17. *Sigeb. Gembl.* l. c.
18. *Orient.* Common. lib. II. ℣℣. 181-184.
19. *Labb.* Bibl. nov. mss. libr. tom. II. ſect. III. pagg. 596. ſeq.
20. *Bolland.* Act. SS. Maii tom. I. pagg. 61. ſeq.
21. Hiſt. Litter. de la Franc. l. c.
22. *Bolland.* Act. SS. l. c. pag. 61. num. 1.
23. *Baſnag.* l. c. pag. 164. §. II.
24. *Fabric.* l. c. pag. 509.
25. *Marten.* l. c. pag. 19.
26. *Orient.* Orat. XXIV. ℣℣. 56. ſeqq. infra pag. 196. d.
27. *Apoc.* I. 20. II. 1. 8. 12. 18. III. 1. 7. 14.

IV. Praeterea ex iisdem Actis erudimur [1], Orientium quum provectae jam esset aetatis, rogatu Theodorici Gothorum regis qui tum Tolosae residebat ac late per Aquitaniam ac Novempopulaniam dominabatur, cuique proinde suberat sanctus praesul, legationem suscepisse, quo suis precibus terribilem impetum Aetii ac Litorii ducum Romanorum adversus Gothorum regem averteret. Cujus quidem legationis egregiam descriptionem exhibet Salvianus [2], iis prorsus consonam quae in Actis nostris enarrantur. Hinc vero arrepta Orientio *strages & incendia* describendi occasio, quibus *fumavit Gallia tota*, ut superius intelleximus. Hoc autem bellum a Litorio adversus Gothos infeliciter gestum, anno Christi CCCCXXXIX. contigisse tradunt Idacius, Prosper & Cassiodorius in Chronicis: cui proinde anno illiganda esse quoque Orientii legatio ad eumdem Litorium perhibetur. Quo autem anno posthac e vivis excesserit beatus antistes, omnino incompertum. In tabulis ecclesiasticis recolitur ejus memoria Kalendis Maii: cujus elogium sub eadem die in Usuardi martyrologio sincero ita effertur [3]: *Apud civitatem Auscium, sancti Orientis episcopi, qui virtutibus ornatus sancto, fine quievit*. Quibus porro ista ex Sammarthano addere placet [4]: „ Monasterium, inquit, sancti Orientii in civitate Ausciensi locupletissimum, quod legimus fundatum a Bernardo Othone comite Fidentiacensi, ejus sacris reliquiis gloriatur. Saltem ibi quiescebat anno MLXVIII. „

V. Jam vero ut de scriptoris nostri litterarum monumentis nonnulla subjiciamus, ea potius cl. Martenii verbis exponere juverit [5]: „ Habes heic, lector, inquit, COMMONITORIUM SANCTI ORIENTII, inter antiquos poetas Christianos celeberrimi. Carmen istud hactenus desideraverant viri eruditi, maxime vero illustrissimus Annalium ecclesiasticorum concinnator cardinalis Baronius [6], *dolens nobilis ingenii omnia periisse monimenta, immo & nomen ipsum paene oblivione sepultum; quod vix tandem eruderatum obtectaque rubigine purgatum reddere liceat*. Ejus votis aliqua ex parte fecit satis Martinus Delrio Societatis Jesu presbyter eruditus, qui reperto in ms. codice Aquicinctensis monasterii Commonitorii libro primo, tamquam invento thesauro pretioso exsultavit, eumque quam citius cum omnibus etiam quibus scatebat, mendis & lacunis anno 1600. typis mandari curavit: ratus nihilominus in illo suo codice integrum Orientii opus non contineri, sed plura *deesse, minimum de ceteris peccatis, gula, acidia, superbia, fors & plura*. Nec sane sua eum fefellit opinio: nam re vera deerat integer liber secundus, quem cum aliis ejusdem auctoris versibus, de Nativitate, de Trinitate, de nominibus Domini & Orationibus, ex pervetusto codice insignis ecclesiae sancti Martini Turonensis ab annis circiter 800. exarato, beneficio cl. viri Gatiani *de Galiczon* tunc praecentoris ejusdem ecclesiae, nunc episcopi Agathopolis, descriptum, *obtectaque rubigine purgatum* aliquibus ab hinc annis (anno 1700.) publici juris feci, ac denuo ad ms. codicem emendatum iterum profero, (anno 1717.) erratis quae in editione Delrii occurrerant correctis, ac repletis lacunis: tametsi religio mihi fuerit, ea omnia in quibus aliquando auctor in exactas artis poeticae leges peccavit, immutare. Nam & in antiquis scriptoribus vel ipsa menda venerari debemus. „ Huc usque vir doctus. Ceterum reliqua de operis pretio eruditorum judicia, nec non varias ejusdem editiones heic recensere omittimus, quae apud Leyserum, Fabricium atque Gallicae historiae litterariae auctores ll. cc. facile occurrunt.

C A P U T VI.

D E

EUTHALIO DIACONO.

I. EUTHALIUS gente Aegyptius fuisse, aut saltem in Aegypto vitam duxisse atque scripsisse videtur; quippe qui aera Diocletianea Aegyptiis usitata, quin & mensis Aegyptiaci notatione opus ab se elucubratum consignet his verbis [7]: Ἐπιφὶ ί. Διοκλετιανοῦ ροδ'. id est: *Epiphi die* v. (sive *apud Romanos tertio Kal. Julii*, ut mox scribit idem Euthalius [8]) *Diocletiani anno* CLXXIV. sive anno Christi CCCCLVIII. Porro diaconum, seu potius archidiaconum fuisse scriptorem nostrum, & ecclesiae quidem Alexandrinae, qui cum Athanasio ejusdem ecclesiae presbytero anno CCCCLI. Chalcedonensi concilio interfuerit, extra dubitationis aleam positum post Wetstenium [9] existimamus: quamvis aliter visum Fabricio [10]. Id enim satis constat ex Actis ejusdem synodi Chalcedonensis [11], confirmaturque temporis notatione quo scripsit Euthalius. Hinc vero praeterea jure optimo quis arguat cum eodem Wetstenio [12], secus atque duxere Zacagnius [13] aliique ipsum sequuti, Athanasium illum cui Euthalius editionem Actuum Apostolorum nuncupavit, non fuisse Athanasium juniorem qui ecclesiae Alexandrinae sedem episcopalem obtinuit anno CCCCXC. ab haereticis haeretico Petro Mongo suffectus, & ipse quidem haereticus: sed potius Athanasium presbyterum, Cyrilli patriarchae Alexandrini ex sorore nepotem, a Dioscoro per octo ipsos annos vexatum, ut ex libello ab eodem Athanasio patribus Chalcedonensibus oblato compertum habemus [14]: idque clarius adhuc mox demonstrabimus.

II. Atque hujusmodi sane sententia nonnullis argumentis confirmari posse videtur. Primum enim testatur Zacagnius [15], operis inscriptionem quam

1. Act. SS. l. c. num. 3.
2. *Salvian.* de Gubern. lib. VII. capp. IX. & X. infra pag. 43. d. e.
3. *Usuard.* Martyrol. sinc. pag. 74. edit. Paris. 1718.
4. *Sammarth.* Gall. Christ. nov. tom. I. pag. 974.
5. *Marten.* l. c. pag. 17.
6. *Baron.* ad ann. 484. §. CXXXVIII.
7. *Euthal.* infra pag. 250. c. edit. vero Zacag. pag. 567.
8. *Id.* ibid. l. cit.
9. *Wetsten.* Prolegom. ad N. Test. Gr. pagg. 73. & 76. edit. Amst. 1751.
10. *Fabric.* Bibl. Gr. tom. VIII. pag. 369.
11. Conc. Chalc. Act. III. tom. IV. pagg. 1281. & 1349. b. edit. Ven-Labb.
12. *Wetsten.* l. c. pag. 76.
13. *Zacagn.* praefat. ad Collect. Monum. pag. LXXV.
14. Conc. Chalc. Act. III. tom. IV. pagg. 1281. d. & 1289. a. edit. Ven-Labb.
15. *Zacagn.* infra pag. 199. not. 1.

A exhibet, ubi epiſcopatus cum Euthalii tum Athanaſii Alexandrini mentio habetur, unum Regio-Alexandrinum exemplar præ ſe ferre: quæ tamen in Vaticano codice num. 367. ita ſimpliciter effertur, Εὐθαλίυ διακόνυ πρόλογος τῶν πράξεων. Quin alibi quoque aſſerit laudatus editor [1], eumdem codicem Vaticanum, nulla diſtinctione adhibita, Euthalio diacono tribuere quæcumque ſcripſit noſter auctor, nuſpiam illius epiſcopatus mentione injecta. Neque aliter ceteri codices, niſi quod in iis nomen tantum auctoris prætermittitur. Quo quidem in prologo *amiciſſimum fratrem Athanaſium*, presbyterum ſcilicet, compellat Euthalius [2], ipſemet diaconus ſeu potius *archidiaconus*, quemadmodum, ut paullo ante innuimus, in ſynodi Chalce- B donenſis Actis vocatur [3]. Deinde ut verbis utar laudati Wetſtenii [4] „ Athanaſius presbyter Alexandrinus in ſua *Synopſi ſacræ Scripturæ* plerumque ad verbum eadem repetit, quæ Euthalius expoſuerat: ut propterea eum pro eodem ipſo presbytero cui Euthalius prologos ſuos inſcripſit, indubitanter habeamus. „ Quis denique ſibi perſuadeat, Euthalium qui anno CCCCLVIII. *Paulli epiſtolas* lectionibus, capitulis ac verſiculis diſtinxit, poſt annum demum CCCCXC. quo Athanaſius junior pontificatum Alexandrinum ſuſcepit, annis nimirum XXXII. jam elapſis, eamdem operam in recenſione *Actuum Apoſtolorum* poſuiſſe, quam ipſemet Athanaſio pontifici deinceps nuncuparit? C

III. Quid quod ipſemet Euthalius de ſuo fictitio Sulcenſi epiſcopatu conjectationem omnino exſufflat? Is enim, ut appoſite obſervat Millius [5], mox ab evulgata *epiſtolarum S. Paulli* editione, in *Actibus Apoſtolorum* & *catholicis epiſtolis* digerendis penſum idem ab ſe peractum, palam profitetur, Athanaſium alloquens his verbis [6]: ΕΝΑΓΧΟΣ τοίνυν τὴν Παύλου βίβλον ἀνεγνωκὼς, ΑΤΤΙΚΑ ΔΗΤΑ καὶ τήνδε τὴν τῶν ἀποστολικῶν πράξεων, ἅμα τῇ τῶν καθολικῶν ἐπιστολῶν ἑβδομάδι, πονήσας, ἀρτίως σοι πέπομφα. *Quum ergo epiſtolarum Paulli librum* NUPER *verſibus diſtinxiſſem*, ACTUTUM DEMUM *eamdem operam in Apoſtolorum* D *quoque Actibus ac ſeptem catholicis epiſtolis diſtinguendis impendi, eamque lucubrationem modo ad te miſi*. Quum itaque teſtetur Euthalius [7] Paullinas epiſtolas ab ſe fuiſſe diſtinctas anno CCCCLVIII. atque alteri Actuum Apoſtolicorum operi αὐτίκα, *ſtatim* ſeu *mox* manum admoviſſe: id vero demum præſtiterit inſequente anno CCCCLIX. ſive ut maxime CCCCLX. adeoque, ut videtur, quum adhuc diaconi munere fungeretur. Neque proinde Athanaſius junior quem ad cathedram Alexandrinam anno CCCCXC. evectum comperimus, fuerit Athanaſius ille cui ſuum poſterius opus anno circiter CCCCLX. confectum dicavit Euthalius: ſed potius Athanaſius presbyter, S. Cyrilli Alexandrini ex ſo- E rore nepos, cujus ſuperius meminimus; quem propterea ipſemet auctor, vel diaconus, vel ſi mavis, jam presbyter, *fratrem* merito appellarit [8]. Porro ſententiam quam ſequimur de ſubdititio Euthalii epiſcopatu, confirmat magis adhuc idem Euthalius: qui dum in *Actuum Apoſtolorum* opus digerendum incumberet, ſe ipſum νέον χρόνων τε καὶ μαθημάτων, *ætate juvenem & a doctrinis mediocriter inſtructum* fuiſſe teſtatur [9]. Quæ quidem verba ſatis luculenter evincunt, ejuſmodi poſterius opus, paullo poſt *Epiſtolas Paullinas* ſuſceptum, ut modo ex eo accepimus, fuiſſe ab auctore noſtro conſcriptum, quum in Diaconorum gradu etiamnum conſiſteret, ſive ut maxime quum nuper admodum ad presbyteratus ordinem fortaſſis fuiſſet evectus. Hunc autem Euthalii locum mirari ſubit enimvero fuiſſe a Zacagnio [10], Fabricio [11] aliiſque in alium ſenſum a ſcriptoris mente prorſus alienum detortum; quo nimirum ſua ipſorum placita de Sulcenſi Euthalii epiſcopatu adſtruerent confirmarentque.

IV. Jam vero ſi quis ad hæc animum diligenter attendat, eaque rite perpendat ac latius diducat; de noſtri Euthalii epiſcopatu dubitandi anſam ſaltem arripiat. Neque immerito enimvero ſuſpicari liceat, ſcriptorem quo de loquimur ab aliquo librario nimis liberaliter ſacris infulis fuiſſe auctum: eo in primis nomine, quod ut modo advertimus, unus codex a Zacagnio excitatus dignitatem hujusmodi Euthalio largiatur. Nimirum librarius ille, dum prologum Euthalianum ad *Actus Apoſtolorum* exſcriberet, iis verbis permotus quibus auctor *Athanaſium fratrem* appellat, neque alios præter duos Athanaſios agnoſcens, conjecerit primum ea verba non eſſe accipienda de magno Athanaſio qui ſæculo IV. deſinente e vivis exceſſit, ſed de altero Athanaſio qui ſedem Alexandrinam ſub finem ſæculi V. occupavit: illuc enim reſpicere oportebat; quandoquidem teſtatur ipſemet auctor ſcriptioni manum admoviſſe anno CCCCLVIII. ut ſuperius vidimus. Deinde vero intelligens idem librarius *Athanaſium* juniorem præſulem Alexandrinum *fratrem* vocari haud potuiſſe niſi ab Euthalio jam epiſcopo; eapropter neſcio quam cathedram epiſcopalem *Sulcenſem* ſcriptori noſtro adtribuerit: quæ ſane in ea regione ubi degebat ſcribebatque noſter Euthalius, nuſpiam cum in veterum Geographorum ſcriptis, tum in antiquis epiſcopatuum Notitiis reperitur.

V. Neque vero huc revocanda ſive *Sulcis* Sardiniæ urbs aut oppidum, cujus meminit in Itinerario Antoninus [12], Pomponio Melæ dicta *Sulchi* [13] & Straboni Σοῦλχοι [14]: ſive *Sulchi* memorata in Notitia Leonis imperatoris editionis Beveregianæ inter urbes Mauritaniæ II. quæ tamen quum Sardiniam vicinaſque urbes complecteretur, eamdem eſſe cum præcedente ipſius Sardiniæ inſulæ comperitur, ut videre eſt apud Victorem Vitenſem [15] ejuſque enarratorem Ruinartium [16]. At vero Zacagnius ut Euthalio epiſcopatum afferat, conjecturis indulgens exiſtimat, *Sulcam* cujus auctor noſter fuerit epiſcopus, eamdem eſſe ac *Pſelcham*, urbem ſcilicet Syeni Thebaidis propinquam [17]. Sed eruditi viri conjectationem nihil moratus fuiſſe videtur cl. Lequienus: qui hac de ſede verba faciens,

1. *Zacagn.* præfat. ad Collect. Monum. pag. LXVI.
2. *Euthal.* infra pag. 201. e.
3. Conc. Chalc. l. c. pag. 1349. b.
4. *VVetſt.* l. c. pag. 76.
5. *Mill.* Prolegom. ad N. Teſt. Gr. num. 944. pag. 90. edit. Roterod.
6. *Euthal.* Prolog. ad Act. Apoſt. ſub init. infra pag. 200. a.
7. *Id.* infra pag. 250. c.
8. *Id.* Prolog. cit. infra pag. 201. c.
9. *Id.* infra pag. 208. d.
10. *Zacagn.* præfat. ad Collect. Monum. pagg. LXII. ſeq.
11. *Fabric.* Bibl. Gr. tom. VIII. pag. 367.
12. *Anton.* Itiner. pagg. 80. 84. edit. Weſſel.
13. *Pompon. Mel.* lib. II. cap. VII. pag. 46. edit. Voſſ.
14. *Strab.* lib. V. pag. 224.
15. *Vict. Vit.* Notit. provinc. Afric. pag. 139. ſub fin. edit. Pariſ.
16. *Ruinart.* ibid. pag. 395.
17. *Zacagn.* præfat. cit. pag. LXIV.

atque ex Actis conciliorum Ephesini & Chalcedonensis ecclesiam illam Ψυγχοῦς, *Psynchus*, non *Pselcha* appellans, inter ejus præsules haud recenset Euthalium [1]. Quin & in toto suo *Oriente Christiano* idem vir doctus unum Euthalium τῶν Κολοφωνίων, Colophoniorum episcopum memorat: ut proinde *Sulcensem* Euthalii episcopatum ille insuper habuisse videatur. Verum quæ hactenus edisseruimus, eruditorum arbitrio dimittimus.

VI. Porro ad Euthalii scripta quod attinet, ex iis quæ illius nomine inscribuntur, eum sacris litteris excolendis in primis operam dedisse intelligimus, permotum videlicet, ut videtur, *sapientissimi cujusdam & Christi amantissimi patris* [2] exemplo: qui quum antea novi fœderis textum continuo tenore ductuque exaratum circumferretur, primus omnium sæculo IV. desinente, id est anno CCCXCVI. [3], Epistolarum S. Paulli contextum capitulis distinxit, iisque lemmata quædam adjecit quæ compendiosam eorum seriem proponerent. De hoc anonymo scriptore, episcopali sane dignitate aucto, quem est imitatus atque alicubi exscripsit noster Diaconus [4], plura erudite Millius [5], ex quo etiam ea quæ mox infra proferemus, potissimum hausimus. Euthalius igitur, quo faciliorem redderet utilioremque Epistolarum Paullinarum lectionem, capitula capitumque breviaria quæ ab anonymo præsule scriptore nobis modo laudato desumsit, suis quæque Epistolis in sua editione præfixit [6]. At aliam addidit ipse divisionem per sectiones quasdam iisdem capitulis multo ampliores. Ad Epistolæ cujusque calcem adtexuit præterea στιχομετρίαν, id est, numerum στίχων seu versuum ex quibus unaquæque constat. Quam quidem textus Paullini per στίχους descriptionem Euthalium omnium primum invexisse comperimus ex eodem auctore, qui hoc in opere contexendo se ipsum inexperto alicui juveni per desertam nec tritam viam pergenti comparat [7]. Epistolis item Paullinis subnotationes quasdam adjecit, quibus unde atque interdum per quos hæ missæ fuerint ostendit. Operi suo denique prologum satis luculentum de gestis Paulli Apostoli præmisit, anonymi cujusdam episcopi rogatu susceptum, eidem ut videtur ecclesiæ præfecti, utique Alexandrinæ, in qua Euthalius Diaconi munus obibat. Hujusmodi namque opus se suscepisse διὰ τῆς παρακοῆς testatur [8]: quod quidem de alio vix dici poterat, quam de ejusdem diœceseos episcopo, ut apposite laudatus Millius [9]. Quum autem ex superius dictis liqueat, editionem suam absolvisse scriptorem nostrum anno CCCCLVIII. anonymum propterea illum episcopum quem *patrem maxime venerandum* compellat [10], fuisse sanctum Proterium auguramur, qui ab anno CCCCLI. usque ad CCCCLVII. quo v. Kal. Aprilis ab Eutychianis occisus martyr occubuit, Alexandrinam rexit ecclesiam, ut ex auctore Breviculi Eutychianistarum [11] & Liberato [12] docet Lequienus [13].

A VII. Absoluta Paullinarum Epistolarum editione medio anno CCCCLVIII. alteri *Actuum Apostolorum* & *Epistolarum catholicarum* Euthalius manum *statim* admovit, αὐτίκα δῆτα, ut ipsemet profitetur [14], adeoque sive eodem anno currente, sive insequente CCCCLIX. prioris enim editionis dum in hanc posteriorem incumbebat, velut *nuper* confectæ, ἔναγχος, ibidem meminit: quo ipso plane sensu, ut sibi constet auctor, ea verba accipienda quibus ait [15], librum epistolarum sancti Paulli ad quemdam ex patribus ab se missum πρώην, *nuper*, sive *ante*, non *jam dudum*, ut vertit Zacagnius, quo suæ hypothesi de Sulcensi episcopatu inhæreat. Hinc itaque iterum, quod sæpius diximus, non est B cur dubitemus, quin hujusmodi posterius opus contexendum susceperit noster auctor, quum adhuc in diaconatus gradu esset constitutus; quippe qui tunc νέος χρόνων τε καὶ μαθημάτων exstiterit, ut ex eodem scriptore paullo ante intelleximus [16]. Illud vero aggressus est sive hortatu sive impulsu Athanasii presbyteri Alexandrini, de quo subinde superius verba fecimus; quemque propterea *fratrem & amicissimum* quidem appellat, ipsemet nimirum diaconum seu fortassis etiam presbyterum agens in eadem Alexandrina ecclesia.

VIII. Jam vero de hoc opere Euthaliano adnotanda nonnulla superessent adhuc animadversione di- C gna, quæ latius viri docti observarunt, Zacagnius inquam, Millius & Wetstenius ll. cc. ad quos proinde lectores remittimus. Verum id unum pro muneris nostri ratione meminisse operæ pretium fuerit: videlicet nos in limine voluminis IV. hujusce nostræ Patrum bibliothecæ, cl. Montfauconium secutos, *Expositionem capitum Actuum Apostolorum* edidisse quæ in Euthaliano exemplari exstat [17], eamque sancto Pamphilo martyri vindicasse argumentis ut videtur haud contemnendis. Locum consulere fortasse juverit [18]. Heic præterea subjicere placet duo animadversa Fabricio in Euthalium [19]. Et primum quidem in hæc verba [20]: καὶ αὖ πάλιν σοφῶν γε ὁ πανάριστος βιωφελῶς τῇ D μελέτῃ τὸ πᾶν ἀνέθηκεν: ubi non Davidem regem (quæ fuit conjectura Zacagnii) respici observat, sed Cleobulum Lindium, cujus notum apophthegma, μελέτη τὸ πᾶν. Alterum versatur in emendanda hujus loci Euthaliani interpretatione, ubi sermo de Epistola ad Romanos [21]: διὸ πρώτη τέτακται, οἷα δὴ πρὸς ἀρχὴν ἔχοντας εἰς θεοσέβειαν γραφεῖσα. *Propterea primum locum habet, ut pote quæ ad eos qui prima principia pietatis tenebant, scripta fuerit.* Ita, inquit Fabricius, reddendus hic locus, non *qui pietatis principatum tenebant*, ut vertit Zacagnius. Nam ut Euthalius alibi docet [22], Paullinarum Epistolarum liber κατὰ προσαύξησιν est dispositus, eo utique ordine, ut a minus perfectis in- E cipiens præstantiora progrediatur. Sed vereor ne partium studio abreptus Fabricius, hunc locum Euthalianum sic reformandum putarit: si attendatur in primis argumenti sublimitas ac præstantia in ea

1. *Lequien.* Or. Chr. tom. II. pag. 615.
2. *Euthal.* infra pag. 247. c.
3. *Id.* ibid. pag. 250. b. c.
4. *Id.* ibid. pag. 247. c.
5. *Mill.* Prolegom. ad N. T. Gr. num. 905.
6. *Id.* ibid. numm. 941. seqq.
7. *Euthal.* Prolog. ad Act. Apost. infra pag. 199. b.
8. *Id.* Prolog. ad Epistt. Paull. infra pag. 242. a.
9. *Mill.* l. c. num. 943.
10. *Euthal.* l. c.
11. Brevic. Euthych. §. IV. infra pag. 668.
12. *Liber.* Breviar. cap. XV. pag. 101. edit. Garneri
13. *Lequien.* Or. Christ. tom. II. pag. 414.
14. *Euthal.* Prolog. ad Act. Apost. infra pag. 200. a.
15. *Id.* ibid. pag. 199. b.
16. *Id.* ibid. pag. 208. d.
17. *Euthal.* infra pag. 208. d. — 212. c.
18. Prolegom. ad vol. IV. Bibl. PP. cap. I. §. III. pag. IV.
19. *Fabric.* Bibl. Gr. tom. VIII. pag. 368.
20. *Euthal.* Prolog. ad Act. Apost. infra pag. 200. c.
21. *Id.* infra pag. 245. b.
22. *Id.* infra pag. 247. c.

epistola propositi, ubi profundiora Christianæ religionis mysteria exponuntur & illustrantur. Denique advertit Millius [1], numerum στίχων seu versuum ex quibus constat Epistola II. ad Timo- A theum, in Zacagniano Euthalii codice [2] perperam signari ροθ'. rescribendumque ροβ'. CLXXII. non autem CLXXIX.

CAPUT VII.

DE

IDATIO

EPISCOPO AQUÆFLAVIENSI.

I. IDATIUM Lemicæ provinciæ Gallæciæ urbe fuisse natum, ex ipso erudimur auctore [3]. Ejus ortum anno circiter CCCLXXXVIII. illigat Floresius [4], qui gesta Idatiana satis diligenter digessit in erudito opere, quod inscriptum *Espanna sagrada* quatuorque voluminibus distinctum, ann. 1744-1749. Madriti evulgavit. In orientem profectus Idatius *adbuc infantulus*, ibidem inter alios præstantes viros Doctorem maximum se vidisse testatur [5] ad annum tertium Olympiadis CCXVI. Christi CCCCVII. Legationem autem ad Aetium ducem pro Gallæcis suscepit jam episcopus [6] Olympiadis CCCII. anno tertio, Christi CCCCXXXI. ut propterea fuerit ad hanc dignitatem evectus circa annum CCCCXXVII. aut CCCCXXVIII. Et *in Lemicam* quidem *civitate summi præsul creatus officii* fuerit Idatius, ut ipsemet in prooemio innuere videtur [7]: sed non ideo ex eo loco episcopus Lemicensis ille statuendus cum Sigeberto Gemblacensi [8] & Trithemio [9] aliisque recentioribus utrumque scriptorem secutis, Miræo inquam [10], Vossio [11], Pagio [12], Ruinartio [13], Fabricio [14], ceteris. Nam ipse auctor Olympiadis CCCX. anno secundo, Christi CCCCLXII. se *in Aquæflaviensi ecclesia captum* a Gothis VII. *Kal. Augusti, ac tribus mensibus captivitatis expletis, mense Novembri rediisse ad Flavia* tradit [15]. Hinc igitur Idatius ejusdem ecclesiæ Aquæflaviensis episcopus fuisse jure intelligitur. Atque in hanc sententiam abiere Caveus [16], Floresius [17] & postremi operum S. Leonis editores [18]. His itaque positis, plane respuendum Basnagii commentum, inquientis [19] de Idatii episcopatu dubitari apud eruditos, quia sedem suam non indicat ipse. Quibus addas velim, Idatii nostri episcopi meminisse sanctum Leonem sub finem epistolæ ad Turribium præsulem Asturicensem [20]: ex qua viri docti arguunt [21] non solum antistitem Turribio antiquiorem fuisse Idatium, qui propterea ad annum CCCCXLV. Turribio se ipsum præponit [22]; verum etiam magno in pretio fuisse habitum ab eodem Leone B pontifice, qui nimirum dignum eum duxerit qui Turribio juniori episcopo efficaciorem utilioremque operam adjungeret, ut in Gallæciæ provincia synodus adversus Priscillianistas cogeretur. Hæc porro de præcipuis Idatii gestis. Quo autem anno posthac e vivis excesserit, haud est omnino exploratum. Anonymus auctor libelli *de* XII. *scriptoribus ecclesiasticis* qui Isidoro & Ildefonso subjici solet [23]: *Decessit*, inquit, *sub Leone principe, ultima jam pæne senectute; sicut etiam præfationis suæ demonstrat indicio*. Qua de re Cangii sententiam ex Fastis Idatianis desumtam in medium adducere libet. Sic autem ille [24]: „ Procedunt, ait, hi Fasti ad secundum usque Anthemii consulatum, id est, ad C ea tempora quibus vixit Idatius, quum decessisse legatur Leone M. imperatore, in quæ cadit secundus Anthemii consulatus, qui est annus Christi vulgaris CCCCLXVIII. quo etiam, vel certe sequenti, ejusdem Idatii Chronicon finitur. „ Hactenus Cangius: cui Floresius quam proxime accedit [25]: At Pagius ex iis quæ scribit Idatius [26] de Aspare degradato ejusque filio occiso, quum ea contigerint anno CCCCLXXI. concludit, eadem hoc ipso anno vel forsan tardius auctori nuntiata, fuisse ab eo deinceps suo Chronico addita [27]: adeoque ulterius eum vitam produxisse, secus atque alii existimarunt.

II. Ad Idatii Chronicon quod attinet, illud pri- D mum contexere statuerat auctor ab anno primo Theodosii, ad annum tertium Valentiniani Placidiæ reginæ filii, ut ex eodem intelligimus [28]: quod postea fuisse ab eo perductum usque ad annum Leonis imperatoris octavum, sive ex ipso Idatio [29], sive ab anonymo scriptore cujus modo meminimus, erudimur [30]. Neque enim audiendus Sigebertus, qui præsulem nostrum hujusmodi opusculum perduxisse usque ad annum Christi CCCCXC. litteris tradidit [31], ut post Sirmondum [32] Vossius [33] & Pagius [34] observarunt. De hujus autem Idatiani Chronici pretio sic edisserit Sirmondus [35]:

1. *Mill.* Prolegom. ad N. T. Gr. num. 942.
2. *Euthal.* infra pag. 252. c.
3. *Idat.* præfat. ad Chronic. infra pag. 303. a.
4. *Floref.* Espan. sagr. vol. IV. pag. 300.
5. *Idat.* l. c. pag. 323. c. & 324. b.
6. *Id.* in Chron. pag. 326. a.
7. *Id.* l. c. pag. 323. a.
8. *Sigeb. Gembl.* de scriptor. eccl. cap. XVIII.
9. *Trithem.* de scriptor. eccl. cap. CXL.
10. *Mir* Auctar. de scriptor. eccl. cap. XCVII.
11. *Vos.* de Hist. Lat. lib. II. cap. XVII. pag. 230. apud quem pag. 225. perperam dicitur in inscriptione *Idacius Lemovicensis*.
12. *Pagi.* ad ann. 431. §. LXI.
13. *Ruinart.* ad Victor. Vitens Hist. persecut. Vandal. part. II. cap. II. pag. 413. edit. Paris. 1694.
14. *Fabric.* Bibl. eccl. ad incert. auct. libell. pag. 70. & Bibl. med. Latin. tom. IV. pag. 79. edit. Hamb.
15. *Idat.* Chron. pag. 329. b. c.
16. *Cav.* Hist. litter. tom. I. pag. 438.

E

17. *Floref.* l. c. pag. 306.
18. *Ballerin.* tom. II. pag. 1366. edit. opp. S. Leon.
19. *Basnag.* ad Thes. Canis. tom. II. pag. 150. §. IV.
20. *Leon.* epist. XV. tom. I. pag. 711. edit. Ballerin.
21. *Ballerin.* ad tom. I. edit. Leon. pag. 1475.
22. *Idat.* Chron. pag. 326. d.
23. Anonym. de XII. script. eccl. cap. VIII. apud *Fabric.* Bibl. eccl. pag. 69.
24. *Cang.* præfat. ad Chronic. Pasch. §. XL. pag. XXXI.
25. *Floref.* l. c. pag. 305.
26. *Idat.* Chron. pag. 330. a.
27. *Pagi.* ad ann. 469. §. V. & ad ann. 470. §. II.
28. *Idat.* præfat. ad Chronic. pag. 323. b.
29. *Id.* Chron. pag. 329. e.
30. Anon. de XII. script. eccl. cap. VIII.
31. *Sigeb.* Chronic. ad ann. 490.
32. *Sirmond.* præfat. ad Idat. in Vet. testim.
33. *Vos.* l. c. pag. 230.
34. *Pagi.* ad ann. 469. §. VI.
35. *Sirmond.* l. c.

„ Quanti merito, inquit, esse debeat hic libellus, A tute, lector, statim agnosces. Intelliges enim, non solum ab hoc fonte hausta ea esse quæ de Gothorum, Suevorum aliarumque gentium rebus in Hispania Galliaque per ea tempora gestis, apud Isidorum & alios scriptores, non aliis ferme quam Chronici hujus verbis contexta leguntur; sed alia præterea tum ad sacram, tum ad civilem historiam plurima heic doceri; quæ ut ceteris omnibus intacta qui exstant, ipsi nos etiam, nisi ab Idatio prodita essent, ignorare cogeremur. „ Et jure quidem hæc Sirmondus ad res quod pertinet: at de computo Idatiano secus censet Pagius [1]; de quo etiam plura disserit Cointius [2], quem propterea consulere juverit.

III. Chronicon excipiunt Fasti consulares, de quibus Sirmondus [3]: „ Fastos consulares, inquit, quos Chronico adjecimus, Idatianos jam alibi nominavimus: non tam quod in codice Metensi quo usi sumus in Chronico edendo, eidem Chronico subjiciebantur; quam quod rerum & verborum in utroque opere affinitas & cognatio, epocharumque & temporum par observatio, eumdem utriusque auctorem fuisse satis ostendant, tametsi auctoris nomen nullum præferat inscriptio, quæ his verbis ibi concepta est, DESCRIPTIO CONSULUM EX QUO PRIMUM ORDINATI SUNT. Etsi porro in exemplari nostro procedebant hi Fasti ad secundum usque Anthemii consulatum, hoc est ad ea tempora in quibus Idatii Chronicon desinit, atque a primis orsi consulibus, omnia exinde ad eum usque annum paria consulum percensebant: nobis tamen, dum aliud consilium dies proferat, satius in præsens visum est, eam dumtaxat partem edi quæ & ab antiquariis minus fuerat depravata, & memorabilium rerum varietate atque fructu lectoribus acceptior jucundiorque fore videbatur. „ Huc usque Sirmondus.

IV. „ Quod vero, subdit Labbeus [4], summus ille vir usque ad obitum renuit, hoc ego plurimorum pulsatus precibus ac prope conviciis, publicare aggressus sum, integrosque Fastos Idatianos capite pedibusque truncos, lectoribus ex eodem nostro codice ms. repræsentavi, additis ad oram utriusque columnæ annis ab Urbe condita ex Varroniana supputatione, & castigatis plerisque antiquariorum sive exscriptorum erroribus. Addidi quoque, sed diverso a ceteris charactere, omissos, interdum eorumdem antiquariorum potius quam Idatii culpa consules geminos, quia id a me postulare videbatur & argumenti ratio & lectorum major opportunitas. „ Hæc ille. Quibus addit Baunius Sirmondianorum editor [5]: Ut autem a nobis iidem Fasti aliquanto etiam ornatiores exirent, præter illa quæ Labbeus omissa suppleverat, præterque adjectas ab ipso sive emendationes, sive variantes lectiones, alia insuper generis ejusdem non pauca ex Ciceronis libris aliisque veterum monumentis conquisita similiter ad utriusque columnæ oram adscripsimus: nec non breves aliquot animadversiones intexuimus, quibus aliqua Idatianæ descriptionis errata notaremus: præsertim quum id jam alii accurate præstiterint, atque inter ceteros Emmanuel Schelestratius & Antonius Pagi, a quibus haud pridem eruditæ de ea re tota dissertationes prodiere. „ Hactenus cl. Baunius: cujus recensitam Idatii cum Chronici, tum Fastorum editionem Sirmondianam secuti sumus, aliquot in locis ad paginarum limbum pauculis nostris observationibus auctam.

V. Verum illud heic haud prætereundum, Floresium nimirum quem superius memoravimus, Idatium Fastorum auctorem non agnoscere [6], secus atque certatim censuere post Sirmondum eruditi viri quos inter cl. Cangius [7]; qui præterea eosdem Fastos denuo contulit cum ipso codice quo usus est Labbeus, & quamplura ex eo emendavit quæ antea B parum fida vel accurata manu fuerant descripta: quam quidem Fastorum editionem sic restitutam inter *selecta quædam ad illustrationem Chronici Paschalis* evulgavit [8]. Nonnulla vero in iisdem Fastis Idatianis castigata reperias apud Dodwellum [9]. Illud insuper monendum ducimus, laudatum Floresium ex codice ms. qui Joannis Marianæ fuit, cum Complutensi ac Toletano collato, in lucem emisisse Idatii Chronicon minus, hactenus ineditum [10].

VI. At vero heic demum operæ pretium fuerit Sirmondi observationem in medium proferre *de Numerorum notis quæ Chronici & Fastorum marginibus affixæ sunt*. Sic igitur ille [11]: „ In Chronico Ida- C tii, ait, præter Olympiadas & singulorum imperatorum annos qui ordine digeruntur, duo præcipue numeri adnotantur. Unus major cujus initium ducitur ab Abrahamo, hoc est ab exordio Chronici Eusebiani. Nam quum Eusebii Chronicon continuaret Idatius, consequens erat ut illius etiam epochas sectaretur. Hic igitur prior numerus est Eusebianus. Alter est æræ Hispanicæ, quam in Fastis quoque ut Hispanis usitatam & familiarem adjecit. Hæc vero Christi natalem XXXVIII. annis tantum antecedit, quum numerus Eusebianus præcedat annis II. XV. Quare si adsignata æra, Christi annum indagari placet, deducendi ab æra sunt anni XXXVIII. Verbi gratia, barbarorum in Hispanias ingressum D in Chronico [12] & in Fastis [13] contigisse notat æra CCCCXLVII. deduc annos XXXVIII. reliqui fiunt CCCCIX. Is ergo Christi annus fuit, quum barbari in Hispanias penetrarunt. Quod sane confirmant reliqui etiam characteres, qui una ibidem comparantur. Olympias enim CCXCVII. & consules Honorius VIII. & Theodosius III. & feria tertia IV. Kal. Octobris, omnia congruunt anno Christi CCCCIX. Rursus prodigia quædam in Gallæcia VI. Nonas Martias visa, eamque feriam sextam fuisse narrat in Chronico [14], æra quingentesima. Si de quingentis tollantur XXXVIII. restant CCCCLXII. Annus ergo Christi fuit CCCCLXII. in quem & feria item illa quadrat, & Severi augusti qui Majoriano E successit, annus secundus cui hæc adscripta sunt. Atque in hunc modum ratiocinari in ceteris licebit, nisi si quando numeri suis locis antiquariorum culpa moti scrutantium industriam & conatum eludent. „ Hæc ille. Ceterum de æræ Hispanicæ ratione & origine Joannem Marianam consulere præstat [15]. Sed manum de tabula.

1. *Pagi.* ad ann. 463. §. VI.
2. *Coint.* Annal. eccl. Francor. ad ann. 468. §. I. tom. I. pag. 103.
3. *Sirmond.* præfat. ad Idat.
4. *Labb.* Syllab. scriptor. tom. I. Nov. biblioth. mss. libror. pag. 2.
5. *Baun.* præfat. ad tom. II. opp. Sirmond. §. II.
6. *Flores.* l. c. pag. 454.
7. *Cang.* præfat. ad Chron. Pasch. §. XL. pag. XXXI.
8. *Id.* ad Chron. Pasch. §. XII. pagg. 344. seqq.
9. *Dodw.* ad opp. post. Pears. in Dissert. singul. cap. VII. §. X. pag. 101. seq.
10. *Flores.* l. c. pag. 403.
11. *Sirmond.* præfat. ad Idat.
12. *Idat.* Chron. infra pag. 324. b.
13. *Id.* Fast. infra pag. 341. d.
14. *Id.* Chron. infra pag. 329. d.
15. *Marian.* Hist. de reb. Hisp. lib. III. cap. XXIII. tom. I. pagg. 101. seqq. edit. Hagæ-Comit. 1733.

CAPUT VIII.

DE MARCELLINO COMITE V. C.

I. PAuca sunt admodum quæ de MARCELLINI COMITIS V. C. gestis in promtu exstant. Eum fuisse *natione Romanum* tradit Anonymus Mellicensis [1]. Comitem autem Illyricianum egisse, ac Justiniani adhuc patricii cancellarium, ex Cassiodorio erudimur [2]. Sæculo VI. ineunte variis litterarum monimentis inclaruit, quorum unus inter veteres meminit idem Cassiodorius his verbis [3]: *Marcellinus*, inquit, *quatuor libros de temporum qualitatibus & positionibus locorum pulcherrima proprietate conficiens, itineris sui tramitem laudabiliter percurrit*. Et alibi [4]: *Marcellinus*, ait, *pari cura legendum est, qui Constantinopolitanam civitatem & urbem Hierosolymorum minutissima narratione descripsit*. Verum utrumque Comitis nostri memoratum opus vel prorsus intercidit, vel etiamnum alicubi delitescit. Pergit porro Senator [5]: *Chronica quæ sunt imagines historiarum brevissimæque commemorationes, scripsit Græce Eusebius quem transtulit Hieronymus in Latinum, & usque ad tempora sua deduxit eximie. Hunc subsecutus est supra scriptus Marcellinus Illyricianus, qui adhuc patricii Justiniani fertur egisse cancellos: sed meliore conditione devotus, a tempore Theodosii principis usque ad fores imperii triumphalis augusti Justiniani opus suum Domino juvante perduxit*. Id est, ab anno Theodosii senioris primo usque ad quartum Justiniani consulatum, qui est imperii ejus annus octavus, Christi CCCCCXXXIV. annorum nimirum CLVI. periodum perficiens, ut ipsemet auctor in sua præfatione testatur [6].

II. Porro Marcellini Chronicon quod post primam Antonii Schonhovii canonici Brugensis editionem pluries prodiit, castigatissime omnium Parisiis evulgavit Sirmondus anno 1619. qui de eo hæc habet [7]: „ De Chronici hujus auctore necessario monendus es, lector, non omnino Marcellini esse quæ in illo continentur. Testatur enim præfatione sua Marcellinus se opus suum ab initio principis Theodosii ad Magni usque consulatum per annos CXL. perduxisse: tum deinde alios tantum XVI. annos adjecisse, a primo Justini ad quartum usque Justiniani augusti consulatum, hoc est ad annum Christi CCCCCXXXIV. Ultra hunc annum igitur non processerat Marcellinus, nec plura sane his fuerant in editione Antonii Schonhovii qui Chronicon hoc in lucem primus dedit. Quæ deinceps sequuntur ad finem usque principis Justiniani, ab alio postea quopiam adjecta sunt, & a Panvinio primum, deinde ab aliis nullo discrimine pro Marcellinianis edita. Nos ex vetustissimo Tilianæ bibliothecæ codice, tum Marcellini omnia multo quam hactenus emendatiora, tum Appendicem quæ & ipsa perantiqui scriptoris est, multis partibus auctiorem damus :

A integram daturi, nisi nos lacerum exemplar in septimo post Basilii consulatum anno destituisset. Quo facto in reliquis ad finem usque Panvinianam editionem sequi necesse fuerit, demtis annorum ad calcem epilogismis; quos idcirco prætermittendos censuimus, quia nihil illos neque ad Marcellini Chronicon, neque ad ejus Appendicem pertinere constabat. „ Huc usque Sirmondus.

III. Interesse autem putamus his modo relatis ea subdere, quæ de eodem opere in litteras retulit Sirmondianorum editor Baunius. Sic igitur ille [8]: „ Chronicon Marcellini Comitis rursum contulimus cum mss. duobus, uno Collegii nostri Parisien-
B sis, altero bibliothecæ Victorinæ: atque ex iis lectiones aliquot variantes adnotavimus, ac nonnullas item ex schedis viri docti atque in recensendis veterum scriptis exercitatissimi, Petri Francisci Chiffletii, qui Sirmondianam Chronici Marcellini editionem cum veteri codice Brugensi comparaverat. Præter istas porro aliasque quas suis locis indicavimus, lectiones novas; postmodum & aliæ nobis Chronici ejusdem in Chifletii schedis occurrerunt, quarum indiculum statim dabimus. „ Has vero posteriores lectiones, quas sero detectas editioni suæ Sirmondianæ Baunius subjicere haud valuit, nos suis quasque locis apposuimus. Verum quum alias in idem Chronicon observationes longiores edi-
C derit in sua præfatione laudatus Baunius, eas heic opportunius, & aptiori quidem ordine digestas, proferendas duximus. Sic autem se habent.

IV. „ Quod annus 381. inscribitur *Eucherio* (sive Euchario) & *Evagrio coss.* mendosum id esse, ac pro *Evagrio* scribendum esse *Syagrio*, satis constat tum ex Idatii Fastis, tum ex aliis antiquis scriptoribus. Sed nimirum similitudine scripturæ factum est, ut primo apud Socratem [9] Εὐάγριος pro Συάγριος, ac deinde apud Marcellinum *Evagrio* pro *Syagrio* scriberetur, sicut notavit vir eruditissimus Joannes Harduinus [10].

Anno 397. *Cæsario & Attico coss.* ubi *Flaccilla*
D *Archadio nata* legitur: itemque anno 431. *Antiocho & Basso coss.* ubi *Flaccilla* Theodosii augusti filia vocatur; *Placillam* utroque in loco scribi debere contendit Petrus Lambecius [11]: pariterque emendari vult S. Ambrosii, Claudiani, Paulli Diaconi & Prosperi locos, ubi videlicet pro *Placilla* nominari *Flaccillam* putat: quippe Theodosii quidem filiam haud dubie *Placillam* dictam fuisse de nomine Placidiæ, sive *Placillæ*, Antonii filiæ, primæ uxoris Theodosii; ac deinde ad filiam quoque Arcadii, Theodosii neptem, illud nomen transiisse. Socrates quidem primam Theodosii uxorem nominat Πλακίδην, filiam autem Theodosii & Gallæ

1. Anonym. Mellic. de script. eccl. cap. LVI.
2. *Cassiod.* de instit. divin. litter. cap. XVII.
3. *Id.* ibid. 4. *Id.* ibid. cap. XXV.
5. *Id.* ibid. cap. XVII.
6. *Marcell.* præfat. ad Chron. infra pag. 343. a.
7. *Sirmond.* præfat. ad Chron. Marcell.
8. *Baun.* præfat. ad tom. II. opp. Sirmond. §. III.
9. *Socrat.* Hist. eccl. lib. V. cap. VIII.
10. *Harduin.* in notis ad Orat. XVI. Themistii.
11. *Lamb.* Bibl. Cæs. lib. II. pag. 585.

Πλακιδίαν [1]; ac priorem Sozomenus Πλακίλλαν. At Henricus Valesius notat hanc ab Epiphanio Scholastico *Flaccillam* dici, & quidem rectius: sic enim in veteribus nummis appellari. Tum hæc adjicit [2]: *Sed mirum est Græcos in hoc nomine fere hallucinari: supra enim observavimus* Πλάκιτον *dici a Socrate pro Flaccillo, qui fuit Antiochensis episcopus*. Demum Joannes Harduinus scite admodum monet; utcumque Græci scripserint, de Latinæ reginæ nomine fidem haberi potius Ambrosio aliisque Latinis debere, qui uxorem Theodosii senioris *Flaccillam* vocant.

Ad annum 525. *Philoxeno & Probo coss.* ubi sic legitur: *Joannes R. E. papa* LI. *anno a Petro.....* CCCCLXXV. Chiffletius ponit CCCCLXXXV. codicem tamen nullum citans. Ac postea Schelestratius in *dissertationibus* quibus *ecclesiæ antiquitatem* illustravit, sic ad annum illum scripsit: *Petrus pontificatum Romanum iniit, juxta nostram chronologiam, anno post mortem Christi duodecimo: a quo usque ad prædictum consulatum sunt anni* 485. *unde decem anni desiderantur apud Marcellinum: forsan tabellariorum incuria, qui* CCCCLXXV. *pro* CCCCLXXXV. *scripserunt*.

Postremo ad annum 547. *Post consulatum Basilii* VI. monet Chiffletius, in codice regio 1690. Marcellini Chronicon ibi desinere, post illa scilicet verba, *Præsentale accepit magisterium*. Atque id Petrus quoque Lambecius testatur [3] de veteri codice Cæsareo, qui olim Matthiæ Corvini Hungariæ regis fuit: in eoque post verba modo memorata, in morem inscriptionis subjici, COLLECTIO OMNIUM ANNORUM; tum infra: *Istius Chronicæ colliguntur omnes anni usque ad consulatum Valentis sextum*, cet. „ Hactenus cl. Baunius, cujus Sirmondianam editionem recensitam typis expressimus. At de his satis.

CAPUT IX.

DE ANONYMO

AUCTORE PRÆDESTINATI.

I. QUisnam fuerit auctor PRÆDESTINATI, complures feruntur eruditorum conjecturæ quas multis referre singillatim, instituti nostri ratio haud sinit. Verum ne officio nostro prorsus deesse videamur, ea tantum in medium adducemus, quæ quid de auctore ipso quidve de illius opere censendum sit, satis prodant. Sirmondus qui nostrum anonymum scriptorem primus in lucem extulit, quum codex vetus, optimæ ceteroqui notæ, auctoris nomen haud exploratum haberet, ne inscriptione captus omnino liber prodiret, adscititium fingens titulum, *Prædestinati* nomine opus prænotavit. Deinde conjecturis indulgens, libri auctorem Arnobium juniorem cujus exstant in Psalmos commentarii, ob stili sententiarumque affinitatem auguratus est. Quapropter ad Prædestinati calcem Arnobiana excerpta subjecit: quæ deinceps Sirmondianorum editor aliis viginti circiter locis ex iisdem Arnobii commentariis, sibi ab Harduino indicatis, auxit. Sirmondi conjectationem probatam quoque Petavio novimus. Postquam enim animadvertit [4], Prædestinati auctorem Fausto Reiensi antiquiorem videri; eumque dum S. Augustini partes contra Prædestinatos ac Pelagianos tueri velle præ se ferebat, manifeste prævaricatum fuisse, quippe qui multa intexuerit quæ Pelagianismum redoleant, tandem concludit [5]: „ Non dissimilis notæ ac genii est „ Arnobius junior in commentario ad Psalmum „ CXLVII. — ut ab eodem auctore utraque profe„cta videri possint: quod merito viri docti suspi„cantur. „ Atque hæc eadem sententia tum Tillemontio [6], tum vero in primis Historiæ litterariæ Gallicæ auctoribus arrisisse comperitur [7].

II. In aliam sententiam abiit Holstenius. Is namque, ut refert Baunius [8], Roma Sirmondo nuntiavit, in bibliothecæ Barberinæ veteri codice Prædestinati opus Primasio adscribi; cujus codicis auctoritatem testimonio quoque Isidori præsulis Hispalensis confirmari existimavit, qui tradit [9] *Primasium Africanum episcopum composuisse sermone scholastico de hæresibus libros tres directos ad Fortunatum episcopum*. Neque aliter censuit Rigaltius, qui semel iterumque Prædestinati librum sub Primasii nomine laudat [10]. Quin & Mabillonius in Augiensi bibliotheca se inspexisse testatur [11] Sirmondi Prædestinatum cum hoc titulo qui dilutiori tantisper atramento scriptus est, sed antiqua manu: *Opus sancti Primasii discipuli Augustini de hæresibus num.* XC. Verum tum ex Isidori verbis probe intellectis, tum etiam ex litteris quas ad Holstenium Sirmondus rescripsit, ab editore Sirmondianorum in aditu Prædestinati appositis, alios prorsus Anonymi nostri libros ab iis fuisse quos a Primasio conscriptos memorat Isidorus, satis constat. Præterea de Prædestinati opere *quæstionem historico-theologicam* accuratam evulgavit Piccinardus, simulque putavit illius auctorem fuisse aut Vincentium quemdam presbyterum natione Gallum cujus meminit Gennadius [12], aut potius Vincentium Victorem contra quem libros de anima & ejus origine scripsit S. Augustinus. Verum quid de illius placitis sentiendum sit, viri eruditi prodidere [13]. Aliorum porro conjectationes de hujusce operis auctore nihil moror, sive Harduini qui a Reginbaldo monacho Benedictino ante annos DCCCL. fuisse librum exaratum, nullo teste in medium prolato fidenter affirmat [14], si-

1. *Socrat.* lib. IV. cap. XXXI.
2. *Vales.* Adnot. ad Socrat. lib. IV. cap. XXXI.
3. *Lamb.* Bibl. Cæs. lib. II. pag. 874.
4. *Petav.* Theol. dogm. tom. IV. part. II. lib. XIII. cap. VI. §. IX.
5. *Id.* ibid. §. XI.
6. *Tillem.* Mem. eccl. tom. XVI. pag. 21.
7. Hist. litter. de la Franc. tom. II. pagg. 349-351.
8. *Baun.* præfat. ad tom. I. opp. Sirmond. §. VII.
9. *Isid. Hisp.* de script. eccl. cap. IX.
10. *Rigalt.* ad Cypr. epistt. XLIX. & LV.
11. *Mabill.* Iter Germ. inter Analect. pag. 15. edit. in fol.
12. *Gennad.* de Vir. illustr. cap. LXXX.
13. *Baun.* præfat. ad tom. I. opp. Sirmond. §. VII. *Baller.* Observ. lib. II. cap. X. ad tom. IV. Noris. pag. 922.
14. *Hard.* Differt. de Bapt. §. XIII. inter opp. select. p. 235.

ve Oudini qui ejusdem scriptorem fuisse Vincentium Lerinensem sibi persuadet [1]: quem propterea Historiæ litterariæ Gallicæ auctores solide præ ceteris refutarunt [2]. Sed hac de re tantilla satis multa.

III. Jam vero ad opus ipsum quod attinet, virorum doctorum verbis utimur [3], quibus illud penitius lectores agnoscant. „ Auctor itaque, quisquis demum is fuerit, opus suum in tres libros dispertivit. Et in primo quidem nonaginta hæresum catalogum contexuit, quas ex Hygino, Polycrate Africano & Heliodoro quos hæresum scriptores nominavit ante hunc nemo, dicit excerptas; nec Augustinum memorat, ex cujus libro de hæresibus exscribit, quidquid recitat quod sit bonum: reliqua enim vel ex ingenio videntur conficta, & toti antiquitati sunt prorsus ignota; vel si ad vivum resecentur, dubia esse aut falsa inveniuntur. Secundo libro opusculum exhibet, quod Prædestinatianorum errores complectitur. Hoc Augustino a Prædestinatianis scribit attributum, ut tanti Doctoris nomine suæ sententiæ patrocinarentur: quod tamen, inquit, quum Cælestinus legisset, ita exhorruit, ut illud *juberet perpetuo damnari silentio*. Pater Piccinardus Evodium Uzalensem hujus libelli suspicatur auctorem [4]: hunc enim Prædestinatianam hæresim quam in Adrumetino monasterio exortam cum Sirmondo censet, coluisse conjicit. Porro huic Evodii libro in Gallias delato Augustini nomen inscriptum, & ex eo Vincentianas objectiones quibus satisfecit S. Prosper, sumtas autumat: aliaque ejus generis non pauca deducit, quæ neque nobis neque cuiquam probatum iri existimamus. Nam monachos Adrumetinos a Prædestinatianorum hæresis suspicione satis purgat Norisius [5]: Evodius autem qui Augustini doctrinam probe tenuit, in eam reprehensionem adduci infirmissimis conjecturis non debet: cetera vero quæ his fundamentis nituntur, non minus sunt imbecilla, ut ne sit opus refellere. Hunc librum a Semipelagianis suppositum credimus: qui si *diabolicum* errorum *indiculum*, teste Prospero, confinxerunt, eosque adscripserunt Augustino; quidni hunc librum erroribus redundantem eosdem scripsisse, & Augustini nomine edidisse suspicemur? Auctor vero Prædestinati, quum hunc librum Cælestino oblatum & ab eo damnatum narrat, non minus videtur finxisse; quippe S. Cælestinus hac de re nihil attigit in epistola, quam sub vitæ finem in Prosperi Hilarii que defensionem exaravit. Præterea nec S. Prosperum, nec reliquos S. Augustini discipulos fideique catholicæ vindices, eum librum qui tantam Augustino calumniam, tantum fidei periculum inferebat, numquam, ut Augustini fideique doctrinam vindicarent, refellisse incredibile est [6]. Tandem tertius liber dum prædictum opus rejicit, plures Pelagianorum ac Semipelagianorum errores inculcat. Eamdem cum Pelagio gratiam prædicat: fidem ac bonæ voluntatis initium cum Semipelagianis voluntati tribuit: concupiscentiam, non secus ac Julianus, appellat bonam: iisdemque pæne verbis utitur, quæ in Juliani fragmentis leguntur. Ex quo patet auctorem Pelagianis ac Semipelagianis hæreticis cooptandum. „ Huc usque viri eruditi. Neque omittendus hac de re Tillemontius [7].

IV. Prædestinatum edidit Sirmondus Parisiis anno 1643. Insequente autem anno 1644. ibidem prodiit Gallice peracris hujusce operis censura sic inscripta: *Censure du* Prædestinatus *du P. Sirmond, par le Sieur Auvray*: quæ deinceps Latine reddita in Hollandia una cum Prædestinato anno 1645. prelo commissa perhibetur. Sub eo nomine Dn. *Auvray* alii Arnaldum, alii vero Blondellum ut Grotio visum [8], latere existimarunt. Sed verum Censuræ auctorem fuisse comperimus [9] Dn. *de Barcos*, Joannis Vergerii famosi abbatis San-cyrani nepotem. Hinc caussa & occasio Sirmondo *Historiæ Prædestinatianæ* scribendæ, quam libris Prædestinati subjecimus. Quo de opere varia circumferuntur virorum doctorum judicia. Eos qui eamdem Historiam suis suffragiis comprobarunt, recenset Sirmondianorum editor [10]. Verum aliter censuit eminentissimus scriptor, qui de hacce Historia hujusmodi judicium tulit [11]: „ Quæ de hæresi Prædestinatiana edisseruit Sirmondus, ea scripsit effeta ætate, octogenario major. In quibus tam longe a veritate deflexit, ut ejusdem Historia a Gilberto Maguino V. C. Galliarum regi a consiliis, & in sacra ac profana historia versatissimo, fabula ignominiæ caussa fuerit nuncupata. Hic autem scriptor adeo solide ac nervose tria priora capita Historiæ Sirmondianæ de Prædestinatianis confutat, ut Ludovicus Cellotius in historia Gottescalcana in qua Maguinum refellendum suscepit, libro II. cap. II. ubi de Prædestinatianis agit, ne verbum quidem pro suo Sirmondo eidem Maguino reponere potuerit. „ Hactenus V. C. In eamdem porro sententiam Tillemontius [12].

1. *Oudin.* de script. eccl. tom. I. pag. 1247.
2. Hist. litter. de la France, tom. II. pag. 313. seqq.
3. *Baller.* l. c. pag. 921. seq.
4. Vid. *Baun.* præfat. ad tom. I. opp. Sirmond. §. VII.
5. *Noris.* Hist. Pelag. lib. II. cap. XV. tom. I. opp. Noris. pag. 441.
6. Vid. *Pagium* ad ann. 490. §. XIII.
7. *Tillem.* Mem. eccl. tom. XVI. pag. 20.
8. *Grot.* part. II. epist. 699.
9. Hist. litter. de la France, tom. II. pag. 350.
10. *Baun.* præfat. ad tom. IV. §. V.
11. *Noris.* Hist. Pelag. lib. II. cap. IV. opp. tom. I. pag. 440.
12. *Tillem.* Mem. eccl. tom. XVI. pag. 19.

CAPUT X.

DE

MAMERTO CLAUDIANO.

I. MAMERTUM CLAUDIANUM, sive ut aliis placet, *Claudianum Ecdicium Mamertum*, domo Viennensem fuisse arguit Baluzius [1] ex ipsius Claudiani litteris ad Sapaudum, ubi hæc leguntur [2]: *Admonitus quoque sis oportet Viennensis urbis nobilitatis antiquæ, cujus tu civis & doctor non otio duplex debitum solves, a quo bifariam quæritur vel patribus respondere vel patriæ.* Monasticum institutum *virente in ævo* primum professus, ut scribit Sidonius in ejus epitaphio [3], postea presbyter fuit Viennensis sub sancto Mamerto episcopo ejus fratre natu majore, illiusque strenuus adjutor eodem Sidonio teste. Mamertus præsul, inquit [4], *suspiciebat* Claudianum *granditer*, *habens in eo consiliarium in judiciis*, *vicarium in ecclesiis* ...... *in lectionibus comitem*, *in expositionibus interpretem*, cet. Hinc proinde in ipsius Claudiani epitaphio Sidonianæ epistolæ modo citatæ subjecto dicitur *antistes in ordine secundo*. Scilicet, Sirmondo interprete, Mamertum fratrem episcopum plurimis in rebus ita sublevabat, ut quamvis presbyter tantum esset, episcopus ipse quodammodo videretur. Atque hæc quidem postrema Sidonii verba minus recte animadversa, in caussa fortasse fuerint cur Gennadius Claudianum nostrum *episcopum* appellarit [5]: nisi mavis cum aliis corruptum esse illum Gennadii locum, quippe qui postea eum *presbyterum* vocet [6]. Quem tamen errorem deinceps erravit Trithemius [7]: &, quod mireris, etiam Canisius [8]; licet a Baronio edoctus [9] quem laudat, ab eo sibi cavere potuisset. Ceterum claruit Claudianus inclinante sæculo V. Constat enim ipsum tres libros *de statu animæ* de quibus mox verba faciemus, circa annum CCCCLXX. nuncupasse Sidonio patricio, nondum ad Arvernensem episcopatum evecto. Supremum autem diem clausisse videtur anno CCCCLXXIII. aut CCCCLXXIV. quo Viennam profectus idem Sidonius, quum Claudianum e vivis sublatum comperisset, *super unanimi fratris ossa*, ut ipsemet testatur [10], lugubre carmen conscripsit. De utraque vero temporis notatione viri eruditissimi consulendi [11].

II. Porro qualis quantusque fuerit Claudianus, sive illius mores sive ingenium spectes, luculenter nos edocet laudatus Sidonius. Et primum quidem [12]: „ Quis, ait, competenti præconio illum „ extollat? quod conditionis humanæ per omnia „ memor, clericos opere, sermone populares, ex- „ hortatione mærentes, destitutos solatio, captivos „ pretio, jejunos cibo, nudos operimento consola- „ batur. Pariter & super his plura replicare super- „ foraneum statuo. Nam merita sua quibus divi- „ tem conscientiam censu pauperatus locupletavit, „ spe futuræ retributionis celare plus studuit. „

A Hæc ille pauca de Claudiani pietate. Cujus præterea ingenium suspiciens, ambigit [13], num quispiam ei par surrecturus sit. „ Vir siquidem, in- „ quit, fuit providus, prudens, doctus, eloquens, „ acer, & hominum ævi, loci, populi sui inge- „ niosissimus, quique indesinenter salva religione „ philosopharetur. „ Et post pauca: „ Deus bone, „ ait, quid erat illud, quotiens sola consultationis „ gratia conveniebamus? Quam ille omnibus sta- „ tim non dubitans, non fastidiens aperiebat? vo- „ luptuosissimum reputans, si forte oborta quarum- „ piam quæstionum insolubilitate labyrinthica, „ scientiæ suæ thesauri eventilarentur ..... Quis „ enim virum super abditis consuleret invitus, a B „ cujus disputationis communione ne idiotarum „ quidem imperitorumque sciscitatio repudiaretur? „ Hæc summatim de Claudiani doctrina ex Sidonio descripsimus, qui tamen in ejus laudes cum heic, tum alibi latius excurrit.

III. Jam vero inter florentissimi hujus ingenii litterarum monimenta quæ superant; (alia enim nonnulla veteribus memorata, non sine jactura ecclesiasticæ antiquitatis interierunt) eminent *de statu animæ* libri tres contra Faustum Reiensem conscripti. Etenim hic præsul epistolam vulgavit bipartitam, ex qua Gennadius duos distinctos libellos facit [14]. In parte nimirum priore Arianos & C Macedonianos refellit: in posteriore autem pugnat *adversus eos qui dicunt in creaturis aliquid esse incorporeum*. Et posterior quidem epistolæ Faustinianæ pars comparet in Patrum bibliothecis, Claudiani libris eo nomine præmissa quod illam impugnandam sibi sumserit presbyter noster Viennensis. Integram vero eamdem epistolam primus edidit Canisius [15], ex quo deinceps in bibliothecas Patrum Parisiensem [16] & Lugdunensem [17] transiit. Sed ut ad Mamertum redeamus, tres ejus libros contra Faustum elucubratos eximiis præconiis passim laudat Arvernorum episcopus, ex quibus hæc tantum seligimus [18]: „ Librum, inquit, *de statu animæ* „ tribus voluminibus illustrem, Mamertus Clau- D „ dianus, peritissimus Christianorum philosophus & „ quorumlibet primus eruditorum, totis sectatæ „ philosophiæ membris, artibus partibusque come- „ re & excolere curavit, novem quas vocant Mu- „ sas, disciplinas aperiens esse, non feminas. Nam- „ que in paginis ejus vigilax lector inveniet verio- „ ra nomina Camœnarum, quæ propriam de se si- „ bi pariunt nuncupationem. Illic enim & gram- „ matica dividit, & oratoria declamat, & arith- „ metica numerat, & geometria metitur, & musi- „ ca ponderat, & dialectica disputat, & astrolo- „ gia prænoscit, & architectonica struit, & me- „ trica modulatur. „ Hæc ille. At longe cumula-

1. *Baluz.* præfat. ad tom. VI. Miscell. pag. ult.
2. Ibid. pag. 537.
3. *Sidon.* lib. IV. epist. XI. 4. *Id.* ibid.
5. *Gennad.* de Vir. illustr. cap. LXVII.
6. *Id.* ibid. cap. LXXXIII.
7. *Trith.* de script. eccl. num. CLXXVIII.
8. *Canis.* Thes. tom. I. pag. 361. in not.
9. *Baron.* ad ann. 490. §. XXXIX.
10. *Sidon.* lib. IV. epist. XI.

E 11. *Tillem.* Mem. eccl. tom. XVI. pagg. 213. 245. *Hist. litter. de la France*, tom. II. pagg. 448. 445.
12. *Sidon.* lib. IV. epist. XI.
13. *Id.* ibid.
14. *Gennad.* de Vir. illustr. cap. LXXXV.
15. *Canis.* Thes. tom. I. pagg. 361-365.
16. Bibl. PP. Paris. ann. 1644. tom. III. pagg. 359. seqq.
17. Bibl. PP. Lugd. tom. VIII. pagg. 548. seqq
18. *Sidon.* lib. V. epist. II.

tiſſimis laudibus eoſdem libros auget ipſemet Arvernenſis antiſtes in litteris auctori Claudiano inſcriptis, quas infra duabus aliis epiſtolis presbyteri noſtri Viennenſis intextas reperies. Et jure quidem tantis laudibus effertur Claudianus; quippe qui ſcilicet, inquit magnus Baronius [1], una cum theologicis facultatibus, ceteris quoque ſcientiis polleret: ut plane veritatis aſſertorem, non autem adulatorem Sidonium fuiſſe cognoſcas.

IV. Unum tamen heic adnotare fortaſſe juverit: Claudianum nimirum in ea fuiſſe ſententia [2], *conſtare Angelum & corpore & ſpiritu, præcipua inter creaturas dignitate formato*. Quem ad locum hæc advertit Huetius [3]: „ Mamertum ſua videtur „ fefelliſſe ratio; nam vitalem ipſum ſpiritum vel „ incorporeum eſſe dicet, vel corporeum; ſi in„ corporeum eſſe velit, quare non totam itidem „ Angeli naturam pro incorporea admittat, cauſ„ ſa non eſt: ſi corporeum; ut nullum corpus ex „ ejus ſententia ſponte ſua vivere poteſt: ergo alio „ ſpiritu excitante viveſcat neceſſe eſt. Eadem por„ ro de tertio illo ſpiritu, atque item de quarto, „ & ſic in infinitum recurret quæſtio. „ Hactenus V. C. Ejuſdem quoque Mamerti de Angelorum corporibus placita perſtringuntur in Braſichellano Indice librorum expurgandorum [4]. Ceterum haud paucos ex antiquis patribus in eamdem opinionem declinaſſe compertum habemus. Qua de re præter laudatum Huetium, Muratorium item adire haud pigeat, ubi quid de quæſtione, utrum Angeli corporei an incorporei ſint, credendum inquirit [5].

V. Horum autem trium Claudiani librorum editionem prelo conſignavimus, quam Andreas Schottus poſt collationem a Joanne Woweriо cum membranis Plantinianis inſtitutam recenſuit, exegitque cum ad exemplar anno 1520. Baſileæ ſtudio Petri Moſellani vulgatum e Cellenſi Germaniæ bibliotheca, tum in primis ad vetuſtiorem codicem Tornacenſem bibliothecæ Benedictinorum ad ſanctum Martinum: quo munere perfunctus *loca prope innumerabilia* ſibi fuiſſe reſtituta profitetur. „ Lutetiæ „ enim, inquit, bis terve ita opera typographica „ eum auctorem in Patrum veterum bibliotheca de„ formarunt, nihil ut ſanum integrumve in horri„ do illo dicendi genere legi poſſet aut intelligi, „ nedum ad cognoſcendum ſubtilia illa invitarent. „ Hujuſmodi vero Schotti editio primum prodiit anno 1618. in bibliotheca Patrum Colonienſi, repetita deinceps in Lugdunenſi anno 1677. Quum vero nobis haud eſſet in promtu editio Colonienſis, Lugdunenſi uſi ſumus [6]; quam tamen pluribus in locis male habitam cum ea contulimus quæ occurrit ſive in bibliotheca PP. Pariſienſi [7], ſive in Orthodoxographis [8]. Hinc factum, ut non ſolum complura typographica menda fuerint ſublata, verum etiam multa integritati reſtituta, ut inita comparatione ac ex notulis ſubjectis compertum fiet. Præterea longiora capita, quo facilior lectio procederet, in ſectiones diſtinximus. Sed illud in primis commodi acceſſit, quod ex eadem Pariſienſi bibliotheca [9] commentariolum deſumſimus Sidonio ab eodem Claudiano inſcriptum, atque ad idem argumentum *de ſtatu animæ* reſpiciens. Mirari vero ſubit ejuſmodi commentariolum in editione Lugdunenſi fuiſſe omiſſum, (an etiam a Schotto in Colonienſi?) quum tamen utraque Orthodoxographa cum Heroldi, tum Grynæi anno 1555. & 1569. typis Baſileenſibus evulgata illud exhibeant, ad quæ propterea exemplaria noſtrum diligenter exegimus.

VI. Jam vero tres *de ſtatu animæ* libros excipiunt duæ Mamerti Claudiani epiſtolæ. Et altera quidem ad Sidonium, cui ea quoque ſubjicitur qua idem Sidonius Claudiano reſpondet: altera vero ad Sapaudum rhetorem Viennenſem; ad quem ſcribens ipſemet Sidonius [10], eum ita laudat ut Quintiliano & Palladio ſummis rhetoribus comparare haud vereatur. Hanc autem elegantiſſimam Claudiani epiſtolam primus ex archivo regio Pariſienſi e tenebris eruit Baluzius [11], ſed nonnullis in locis minus emendatam, ut ad paginarum limbum innuimus. Ceterum de Sapaudo plura erudite obſervata videas apud Hiſtoriæ litterariæ Gallicæ auctores [12]. His porro duabus epiſtolis Carmen ſubdidimus, *Pange lingua glorioſi prœlium certaminis*, cujus idem Sidonius in litteris ad ipſum Claudianum meminiſſe videtur his verbis [13]: *Jam vero de Hymno tuo ſi percunctere quid ſentiam, commaticus eſt, copioſus, dulcis, elatus & quoslibet lyricos dithyrambos amœnitate poetica & hiſtorica veritate ſupereminet. — Excreſcit amplitudo proloquii anguſtias regulares, & tamquam parvo auro grandis gemma vix capitur*: cet. Ad quem locum Sirmondus: „ Adnotarat, inquit, ſcholiaſtes quidam Hymnum „ ſignificari cujus initium eſt, *Pange lingua glo„ rioſi prœlium certaminis*. Et quidem ſtilum red„ olet cultiorem, quam Fortunati eſſe ſoleat, cui „ tamen illum tribuunt antiqui etiam ſcriptores „ & codices. In eum præterea ſcite cadunt omnia „ quæ laudantur a Sidonio. Scriptus eſt verſibus „ trochaicis, quibus inſerti aliquando pyrrichii nu„ meri. Commaticus eſt, crebris aptiſque comma„ tiis inciſus, ſententiis non interruptis, ſed mol„ liter cum verſu cadentibus. Denique Claudiano „ carmen hoc vindicat non ſolum vetus ſcholiaſtes „ quem dixi, verum etiam Gennadius, non qui„ dem ut editus eſt, ſed prout in codice cœnobii „ S. Michaelis de Tumba vulgatis auctior in Clau„ diani mentione legitur his verbis: *Scripſit & „ alia nonnulla, inter quæ & Hymnum de paſſione „ Domini, cujus principium eſt*, Pange lingua glo„ rioſi. *Fuit autem frater Mamerti Viennenſis epi„ ſcopi*. „ Hæc ille. Alia quidem poemata plerique recentiorum Claudiano adtribuunt; quæ tamen ſive Damaſum papam, ſive Paullinum Nolanum auctorem agnoſcunt; quemadmodum poſt Tillemontium [14], Hiſtoriæ Gallicæ litterariæ ſcriptores eruditi liquido evincunt [15].

1. *Baron.* ad ann. 490. §. XXXVIII.
2. *Claud.* de ſtat. anim. lib. I. cap. XIV.
3. *Huet.* Origenian. lib. II. cap. II. quæſt. V. §. VIII. pag. 71.
4. *Braſich.* Ind. tom. I. pagg. 141. ſeq. edit. Rom. 1608.
5. *Murat.* de Ingen. moder. lib. I. cap. XIII. pagg. 106. ſeq edit. Pariſ.
6. Bibl. PP. Lugd. tom. VI. pagg. 1045 - 1074.
7. Bibl. PP. Pariſ. tom. IV. part. I. pagg. 599 - 658.
8. Orthodox. pagg. 1250 - 1305.
9. Bibl. PP. Pariſ. l. c. pagg. 654 - 658.
10. *Sidon.* lib. V. epiſt. X.
11. *Baluz.* Miſcell. tom. VI. pag. 535.
12. Hiſt. litter. de la France, tom. II. pag. 498.
13. *Sidon.* lib. IV. epiſt. III.
14. *Tillem.* Mem. eccl. tom. XVI. pag. 126.
15. Hiſt. litter. de la France, tom. II. pag. 453.

CAPUT XI.

DE

S. SIDONIO

ARVERNORUM EPISCOPO.

I. Quæ nunc Clarus-mons, Gallice *Clermont*, appellatur princeps in Aquitania I. civitas, olim vocabatur Augustonemetum, moxque dicta est *Arverni*, ut ex Plinio constat [1]; atque hoc solo fere nomine passim designata est apud veteres atque in conciliis [2]. Hujus itaque urbis episcopatum obtinuit SIDONIUS, Lugduni ortus [3] Nonis Novembris [4] circa annum CCCCXXX. cujus integrum nomen CAIUS SOLLIUS APOLLINARIS SIDONIUS; *vir* scilicet, ut ait Gregorius Turonensis [5], *secundum sæculi dignitatem nobilissimus, & de primis Galliarum senatoribus*. Cathedram Arvernensem ascendisse Sidonium anno CCCCLXXIII. ex variis ejus epistolis adstruere nititur Pagius [6]; secus atque duxerat Baronius vir maximus, initium ejus pontificatus illigans præcedenti anno CCCCLXXII. [7]; ejusque sententiæ adhærere noscuntur viri doctissimi, Sirmondus in primis [8], Tillemontius [9] & Sammarthanus [10]. Neque enim audiendus Labbeus qui ab aliquot annis ante CCCCLXXII. ordinatum fuisse Sidonium ex crebris ejus per ea tempora datis ad varios epistolis evinci affirmat [11].

II. Ad episcopatum igitur licet invitus assumtus, qui prius in excolendis liberalibus disciplinis se pæne contriverat, deinceps ad divinas litteras pertractandas animum studiaque omnia convertit. Porro tanta erat de ejus prudentia existimatio, ut oborta contentione in eligendo metropolitano episcopo Bituricensi, hujusmodi electionem comprovinciales præsules ab ipso pendere voluerunt [12]. Magna vero animi demissione præditum fuisse nostrum antistitem, ex iis potissimum ipsius epistolis quas compluribus episcopis inscripsit, compertum habemus: ut propterea dignus fuerit qui ad sanctitatis culmen a Deo eveheretur [13]. Exactis denique in episcopatu Arvernensi octodecim ferme annis, vir non minus litteris quam egregia morum probitate insignis, in cælum ex hac vita emigravit, ejusque nomen in tabulas ecclesiasticas sub die XXIII. Augusti relatum.

III. At vero de anno sancti Sidonii emortuali deque supremo ejus die, haud una est virorum eruditorum sententia. Si Pagium audias [14], rem penitus ignoramus. Tillemontius annum CCCCXC. diemque XXI. Augusti decernit [15]. Historiæ Gallicæ litterariæ scriptores Tillemontii placitis quam

A proxime accedunt [16]. Sammarthanus denique, ut alios omittamus, XII. Kal. Septembris anno CCCCLXXXII. sancti præsulis obitum consignat [17]. Quandoquidem autem viros doctos modo laudatos latuere quæ hac de re scripserit Scaliger, ea heic referre haud otiosum fortasse fuerit. Sic igitur ille [18]: „ Gregorius Turonensis agens de Sidonio Apollinari Augustonemeti Arvernorum episcopo, ex iis quæ de tempore obitus ejus summi viri memorat, nobis prævivit ad annum quo is decessit, indagandum. Ait [19] diem proximum ab ejus obitu, fuisse Dominicam. Jam ex ecclesia Augustonemetensi (Clarum-montem vocant) constat eum decessisse XXIII. Augusti. Ergo XXIV. fuit Dominica,
B littera dominicali E. Ex schedio veteri Cluniacensi in quo erat scriptum ejus epitaphium, additum erat obiisse Zenone imperante. Procul dubio igitur hoc contigit anno CCCCLXXX. Christi, cyclo solis XIII. [20]. Nam non videtur anno CCCCLXXXVI. cyclo solis XIX. Nimium enim remotum est tempus. In schedio igitur ita scriptum fuit epitaphium, quod P. Pithœus noster, vir summa & probitate & eruditione, nobis communicavit [21]:

C. SOLLII APOLLINARIS MODESTI SIDONII.
Sanctis contiguus sacroque patri
Vivit hic meritis Apollinaris.
. . . .
C *Illic Sidonius tibi invocetur.*
XII. *Kal. Sept. Zenone imperatore.*

XII. Kal. Sept. ponit, quum ecclesia Arvernorum a prima usque antiquitate retinet X. Kal. Alioqui si obierit XII. Kal. hoc fuerit anno Christi quidem CCCCLXXXII. imperii autem Zenoniani VII. — Obiit igitur Sidonius anno V. Zenonis augusti, post consulatum ipsius Zenonis (III.) Fl. Basilio juniore V. C. Cos. anno secundo Hlodovei, indictione tertia, X. Kal. Sept. sabbato. „ Hactenus Scaliger.

IV. Verum, ut cum Baunio loquar [22] „ nihil
D est admodum quod cogat discedere a sententia cardinalis Baronii [23], quam quidem approbavisse & veriorem existimavisse Sirmondus videtur [24]: nempe Sidonium pervenisse ad annum CCCCLXXXIV. idque intelligi ex ipsius ad Oresium epistola, in qua se *ab exordio religiosæ professionis*, poeticæ re-

1. *Plin.* Hist. nat. lib. XXXIV. cap. VII.
2. *Sammarth.* Gall. Christ. nov. tom. II. pag. 222.
3. *Sidon.* lib. I. epistt. V. & VIII. & Sirmond. ad carm. XVII.
4. *Id.* Carm. XX.
5. *Greg. Turon.* Hist. Franc. lib. II. cap. XXI.
6. *Pagi.* Prolegom. ad Dissert. Hypat. §§. XXXI. & XXXII. & ad ann. 472. §. V.
7. *Baron.* ad ann. 472. §. XIV.
8. *Sirmond.* ad Sidon. epist. I. lib. VI. & epist. XII. lib. IX.
9. *Tillem.* Mem. eccl. tom. XVI. pag. 749. not. VI. sur S. Sidoine.
10. *Sammarth.* l. c. pag. 232. d.
11. *Labb.* Chronol. hist. part. I. pag. 344. edit. Paris. 1670.
12. *Sidon.* lib. VII. epistt. V. VIII. IX.
13. *Baron.* ad ann. 472. §. XVI.
14. *Pagi.* ad ann. 484. §. XXVIII.
15. *Tillem.* Mem. eccl. tom. XVI. pagg. 274. & 755. not. XVI. sur S. Sidoine.
16. Hist. litter. de la Franc. tom. II. pag. 557.
17. *Sammarth.* l. c. pag. 233. c.
18. *Scalig.* de emend. temp. lib. VI. pag. 613. seq.
19. *Gregor. Turon.* Hist. Franc. lib. II. cap. XXIII. pag. 75. a. edit. Ruinart.
20. Confer *Labb.* Chronol. techn. part. I. pag. 114. ad ann. CCCCLXXX.
21. Integrum epitaphium habes infra, Vitæ Sidonianæ a Sirmondo conscriptæ subjectum.
22. *Baun.* præfat. ad tom. I. opp. Sirmond. §. XI. sub fin.
23. *Baron.* ad ann. 484. §§. CXXXVI. CXXXIX.
24. *Sirmond.* ad epist. XII. lib. IX.

nuntiavisse ac eo *in silentio tres* jam *olympiadas*, hoc est annos duodecim, *decurrisse* scribit [1]. Nam verba hæc, *ab exordio religiosæ professionis*, de initio episcopatus & Baronius & Sirmondus merito intelligunt: siquidem, *Eparchio migrante*, *Sidonium ex* Urbi *præfecto substitutum* testatur Gregorius Turonensis [2]: migrationem autem Eparchii Baronius aliique ad annum CCCCLXXII. referunt. „ Hæc ille. At de his satis.

V. Maxime claruit Sidonius poeticis in primis & rhetoricis litteris; quo nomine nulli suæ ætatis secundus: ut proinde viris ea tempestate præstantibus fuerit magno in pretio habitus & summis laudibus auctus. Cujusmodi sunt sancti præsules, Lupus Trecensis, Euphronius Augustodunensis, Principius Suessionensis, Remigius Remensis, Ruricius Lemovicensis, ut alios prætereamus. Claudianus Mamertus qui suos libros *de statu animæ* auctori nostro tum præfectorio dicavit, in epistola nuncupatoria eum vocat [3] *doctissimum & optimum virum, potissimum disertorum, eruditissimum virorum ac veteris eloquentiæ reparatorem*. Et alibi ad ipsum jam episcopum scribens [4]: *Quum*, inquit, *scripturarum cælestium mysteria rimaris, quo te studiosius imbuis, eo doctrinam ceteris copiosius infundis*. Gennadius autem de eodem Sidonio hæc habet [5]: *Sidonius Arvernorum episcopus scripsit varia & grata opuscula, & sanæ doctrinæ. Homo siquidem tam divinis quam humanis ad integrum imbutus, acerque ingenio, — catholicus pater, & doctor insignis habetur*. Sanctus item Avitus Viennensis de Apollinari Sidonii filio verba faciens, *paternæ facundiæ* (Sidonianæ) *delicias*, & *flumina fontium paternorum* extollit [6]. Qui rursus ad ipsum Apollinarem scribens [7]: *Heic nunc*, inquit, *nihil falso, nihil assentatorie me loqui, coram sinceritate vestra imprecor testem Deum, tantum me tuo judicio delectatum, veluti si auribus domni mei patris tui* (Sidonii) *meditata confessus, cujuscumque laudis momento sub censore donarer*. Gregorius denique Turonensis [8]: *Sanctus Sidonius*, ait, *tantæ facundiæ erat, ut plerumque ex improviso luculentissime quæ voluisset, nulla obsistente mora componeret*. Neque aliter de antistite nostro censuere sequioris ævi scriptores, Flodoardus, Sigebertus Gemblacensis, Honorius Augustodunensis, Hugo Floriacensis, Petrus venerabilis abbas Cluniacensis aliique, quorum præconia proferre neque refert neque libet.

VI. Ceterum quanti habendus sit Sidonius, Sirmondum audire juverit qui ejus scriptorum dotes probe noverat. Sic igitur ille in ipsius elogio, quod opusculis Sidonianis adtexuit [9]: „ Ingenii monimenta, quamvis alia plurima scripserit, hæc sola quæ restant publici juris esse voluit. In quibus sane, seu metro vinctis, seu liberis ac solutis, sive narret aut suadeat, sive laudet aut vituperet, & quodcumque argumentum tractet, par in omnibus felicitas & copia, atque ea tum verborum tum sententiarum varietas, ut mira in eo vis ingenii & abundantia quædam doctrinæ statim eluceat ..... Neque vero in iis tantum quæ attentius meditabatur & elaborabat, quantus esset ostendit; sed in extemporalibus etiam repentinisque scriptionibus: quarum illi tam prompta facultas erat, ut non pauculos dumtaxat versus non meditatos funderet e vestigio ..... sed justa interdum utroque orationis genere opuscula pari celeritate pertexeret ..... Ceterum quum talis omni ex parte tantusque esset Sidonius, ejusque scripta omnibus mirifice probarentur, ipse unus de se modice sentire ac parum sibi usquequaque satisfacere videbatur. Itaque & multa suppressit, & quædam adorsus, ut Attilæ bellum, operis pertæsus abjecit. Historiam præterea sui temporis ut scriberet hortante Leone Eurici regis consiliario detrectavit, quum diceret historiæ scribendæ consilium clericis minime convenire. „ Huc usque Sirmondus.

VII. Quod superest, eam Sidonianorum editionem, Baunium secuti [10], typis exprimendam tradidimus quam ipsemet Sirmondus summa diligentia recognitam & illustratam evulgavit. Neque tamen eorum ulla prætermisimus, sive quæ in posteriori editione Labbeus ex Sirmondi schedis adjecit, sive quæ Sirmondianorum editor ex compluribus tum regiæ tum Colbertinæ bibliothecæ mss. codicibus ad Sidonii textum emaculandum eruit. Adjecimus præterea observationes illas quas in idem consilium laudatus editor in præfatione ad tomum I. collectionis Sirmondianæ ex variis virorum eruditorum operibus descripsit. Nonnulla denique alicubi adnotavimus, nobis aliunde petita.

CAPUT XII.

DE

ÆNEA GAZÆO.

I. ÆNEAM GAZÆUM, ex philosopho Platonico & sophista doctissimo ad Christianam fidem conversum, Gazæ ortum quæ est Palestinæ I. provinciæ urbs, ita denominatum existimat magnus Baronius [11] a viro divino Ænea Gazensi episcopo qui sanctum Porphyrium in ea ecclesia regenda præcesserat, teste Marco Gazensi ejusdem sancti Porphyrii discipulo [12], quique anno CCCXCIV. exeunte aut insequente CCCXCV. ineunte supremum diem obiisse docet cl. Lequienus [13]. Apud veteres qui scriptorum ecclesiasticorum catalogos texuere, altum de auctore nostro silentium. Ipse tamen in elucubratissima disputatione judice Baronio [14], sive in Dialogo quem THEOPHRASTUS inscripsit, *de animarum immortalitate & corporum resurrectione*, nonnulla litteris consignata reliquit, quibus & se ipsum satis prodit & quo tempore claruerit manifestum facit. Et primum quidem Hieroclis philo-

1. *Sidon.* epist. XII. lib. IX.
2. *Greg. Turon.* Hist. Franc. lib. II. cap. XXI.
3. *Claudian.* infra pag. 417.
4. *Id.* epist. I. infra pag. 455. c.
5. *Gennad.* de Vir. illustr. cap. XCII.
6. *Avit. Vien.* epist. XXXVIII.
7. *Id.* epist. XLV.
8. *Greg. Turon.* Hist. Franc. lib. II. cap. XXII.
9. *Sirmond.* Vit. S. Sidon. infra pag. 624. a. b.
10. *Baun.* præfat. ad Sirmond. opp. tom. I. §. XI. init.
11. *Baron.* ad ann. 484. §. XCI.
12. *Marc. Gaz.* apud Bolland. tom. III. Febr. pag. 647. col. I. c.
13. *Lequien.* Or. Christ. tom. III. pag. 610. num. V.
14. *Baron.* l. c. §. XC.

ſophi auditorem ſe fuiſſe profitetur [1]: quem probe diſtinguit ab Hierocle Bithyniæ primum ex vicario præſide & poſtea Alexandriæ præfecto, qui λόγους φιλαλήθεις πρὸς τοὺς Χριστιανοὺς ſcripſit, *non contra Chriſtianos*, inquit Lactantius [2], *ne inimice inſectari videretur; ſed ad Chriſtianos, ut humane ac benigne conſulere videretur*. De eo igitur ſic noſter Æneas [3]: Ἱεροκλῆς δὲ, οὐχ ὁ διδάσκαλος, ἀλλ᾽ ὁ προβαλλόμενος τὰ θαυμάσια. *Hierocles autem, non is quem ipſi præceptorem habuimus, ſed ſcriptor ille qui mirabilia quædam refert* (Apollonii Tyanenſis.) Illum autem Hieroclem Æneæ Gazæi magiſtrum ſæculo v. floruiſſe, ex iis quæ mox ſubjiciemus compertum fiet; eumque auctorem eſſe commentarii in *Aurea Carmina* cenſuere Fabricius [4] & Needhamus [5]. De hujus autem Hieroclis ætate plura Jonſius [6]. Sed in primis conſulendus Valeſius vir ſummus [7].

II. At vero reliqua proſequamur. Itaque in collectione epiſtolarum Græcorum ſcriptorum Aldina & Genevenſi, ut videre eſt apud laudatum Fabricium [8], exſtant auctoris noſtri epiſtolæ xxv. in quarum xix. non ſolum ab eo reſpicitur Procopius Gazæus, ὁ ἐμὸς Προκόπιος, ſed etiam in aliis ad eoſdem fere ſcribit, quibus ejuſdem Procopii epiſtolæ feruntur inſcriptæ: ut ipſa proinde tempeſtate vixerit Æneas qua Procopius, qui clarus exſtitit ineunte ſæculo VI. Præterea, ut advertit Caveus [9], meminit noſter Æneas [10] Platonicorum philoſophorum, Syriani Alexandrini & Procli Lycii: quorum ille, teſte Suida [11], ſcholæ Athenienſi præfuit; hic vero ejus auditor & in ejuſdem ſcholæ regimine ſucceſſor, Theodoſii junioris ætate celebris, e vivis exceſſit, narrante Marino ejus diſcipulo [12], anno poſt Juliani imperium centeſimo viceſimo quarto, τῷ δ᾽. καὶ κ᾽. καὶ ρ᾽. ἀπὸ τῆς Ἰουλιανοῦ βασιλείας. Atqui Julianus periit anno CCCLXIII. adeoque Proclus fato functus eſt anno CCCCLXXXVII. ut propterea ſub ſæculi v. finem floruerit noſter Æneas.

III. Quid quod hanc ipſam temporis notationem luculentius adhuc ipſemet auctor confirmat? Africanos enim confeſſores quibus anno CCCCLXXXIV. impius Hunericus Vandalorum rex linguas radicitus exſecuerat, ſe vidiſſe & recte loquentes audiſſe ac rem tantam miratum eſſe teſtatur [13]. Hujus adeo ingentis miraculi teſtis locuples alter accedit Victor Vitenſis, eodem tempore clarus quo noſter Æneas, Zenone nimirum imperante: qui de iiſdem confeſſoribus verba faciens, hæc habet [14]: *Spiritu ſancto præſtante ita locuti ſunt & loquuntur, quomodo antea loquebantur. Sed ſi quis*, ſubdit, *incredulus eſſe voluerit, pergat nunc Conſtantinopolim, & ibi reperiet unum de illis, ſubdiaconem Reparatum, ſermones politos ſine ulla offenſione loquentem. Ob quam cauſſam venerabilis nimium in palatio Zenonis imperatoris habetur, & præcipue regina mira eum reverentia veneratur.* Alia duo præterea de re tanta, quamvis omni fide probata, placet addere teſtimonia, ſcilicet Marcellini Comitis & Procopii, quorum uterque iiſdem confeſſoribus adhuc viventibus vixit ac ſub Juſtiniano imperatore claruit. Et Marcellinus quidem in Chronico ad annum CCCCLXXXIV. Indict. VII. Theodorico & Venantio coſs. [15]: *Totam*, inquit, *per Africam crudelis Hunerici Vandalorum regis in noſtros catholicos perſecutio importata eſt. Nam exſulatis diffugatiſque plus quam* CCCXXXIII. *orthodoxorum epiſcopis, eccleſiiſque eorum clauſis, plebs fidelium variis ſubacta ſuppliciis, beatum conſummavit agonem. Nempe tunc idem rex Hunericus, unius catholici adoleſcentis vitam a nativitate ſua ſine ullo ſermone ducentis, linguam præcepit excidi; idemque mutus, quod ſine humano auditu Chriſto credens fide didicerat, mox præciſa ſibi lingua locutus eſt, gloriamque Deo in primo vocis ſuæ exordio dedit. Denique ex hoc fidelium contubernio aliquantos ego religioſiſſimos viros, præciſis linguis, manibus truncatis, apud Byzantium integra voce conſpexi loquentes. Hæc Arianorum crudelitas in religioſos Chriſti cultores ſupra ſcriptis coſs. menſe Februario cœpit infligi.* Hæc Marcellinus. Procopius vero [16]: *Chriſtianos Africæ*, ait, *tam crudeliter tamque injuſte nemo vexavit, quam Honericus. Quum enim illos ad ſectam Arianam compelleret, quoſcumque parum ad obſequendum promtos deprehendebat, igne aliiſque ſuppliciis excruciatos necabat. Multis linguam faucium tenus abſcidit, qui noſtra etiam ætate ſuperſtites Byzantii explanate loquebantur, nullum capientes ſenſum illius pœnæ.* Hactenus Procopius, quem etiam affectatur Evagrius [17].

IV. Sed quorſum, inquies, hæc teſtium nubes inducta de tanto miraculo toto jam orbe vulgato? Nimirum, quo impotentem obſcuri critici cenſuram confutemus, ſimulque noſtri Æneæ Gazæi aliorumque ſcriptorum ipſi coævorum auctoritatem ab inſolenti calumnia vindicemus. Iſte namque anonymus *Decadem diſſertationum hiſtorico-theologicarum* recenſens, ab Joanne Andrea Schmidio anno 1714. Helmſtadii evulgatam, quarum ſeptima inſcribitur, *De elinguatis myſterium Trinitatis prædicantibus*, haud veritus eſt iſtiuſmodi verba inverecunde litteris tradere [18]: „ Profert *Schmidius*, „ inquit, quotquot occurrerunt hujus rei teſtes; „ interque eos principem locum tribuit *Juſtiniano* „ imperatori, cujus hæc ſunt verba [19]: *Vidimus* „ *venerabiles viros, qui abſciſſis radicitus linguis* „ *pœnas ſuas miſerabiliter loquebantur*. Ne quis vero hanc narrationem in dubium vocet, hiſtori„ corum qui eam referunt, fidem & candorem „ vindicat. Heic tamen pace cl. Schmidii addi„ mus, eſſe viros nonnullos qui hanc hiſtoriam in „ *fabellarum* cenſum referant. Ac videntur ſane „ quæ afferuntur hanc in rem teſtimonia labefacta„ ri poſſe, ſi quis criticen adhibere velit. Cer„ te palmarium illud *Juſtiniani* imperatoris te„ ſtimonium ut alienum eſſe appareat, medioeri

1. *Æn. Gaz.* infra pag. 619. a.
2. *Lactant.* Inſtit. lib. V. cap. II.
3. *Æn. Gaz.* ibid. pag. 637. a.
4. *Fabric.* Bibl. Gr. tom. I. pagg. 468. 470. & de Verit. relig. Chriſt. cap. II. §. XXVII. pag. 107.
5. *Needh.* in præfat. ad Hierocl. comment. in aur. Carm. ſub fin. edit. Cantabr. 1709.
6. *Jonſ.* de ſcriptor. hiſt. philoſ. lib. III. cap. VIII. pagg. 301. ſeq. edit. Jen. 1716.
7. *Valeſ.* Emendat. lib. I. cap. v. pag. 9-13.
8. *Fabric.* Bibl. Gr. tom. I. pag. 427.
9. *Cav.* Hiſt. litter. tom. I. pag. 460.
10. *Æn. Gaz.* l. c. infra pag. 634. e.
11. *Suid.* Lexic. v. Συριανὸς & Πρόκλος ὁ Λύκ.
12. *Marin.* Vit. Procl. cap. XXXVI. pag. 88. edit. Fabric. Hamb. 1700.
13. *Æn. Gaz.* l. c. pag. 663. c.
14. *Vict. Vit.* Hiſt. perſec. Vandal. lib. V. cap. VI. pag. 76. edit. Pariſ. Ruinart.
15. *Marcell.* Chron. infra pag. 350. e.
16. *Procop.* de bello Vandal. lib. I. cap. VIII. pag. 196. edit. Pariſ.
17. *Evagr.* Hiſt. eccl. lib. IV. cap. XIV.
18. Act. Erudit. Lipſienſ. ann. 1714 pag. 338.
19. *Juſtinian.* Cod. lib. I. tit. XXVII. *de offic. præf. prætor. Afric.* pag. 110. edit. Lugdun.

„ mentis attentione opus est. Scilicet imperator A
„ acuto sermonis genere usus significat, eos lin-
„ guæ usu privatos miserabili voce *quasi* locutos
„ esse miseriam suam. Unde nec dicit, eos de
„ Trinitate locutos esse, sed *locutos esse pœnas*
„ *suas*; nec eos diserte clareque locutos, sed *mi-*
„ *serabiliter*. Pari sermonis figura usus Cicero in-
„ quit [1]: *Res loquitur ipsa*. Idem alibi [2]: *Cur*
„ *nolint, etiam si taceant, satis dicunt*. Sic &
„ Ovidius [3]: — *Digitis sæpe est nutuque locu-*
„ *tus*. Scilicet eumdem in modum illi a *Justinia-*
„ *no* memorati loquebantur, nullo miraculo, sed
„ figura rhetorica. „ Hactenus anonymus Lipsiensis.

V. Ecquis porro sanæ mentis patienter ferat ho- B minis ingenio abutentis intemperantem criticen, qui rem adeo luculenter testatam, nedum dubiam, sed etiam incredibilem, quin & risu dignam atque *inter fabellarum censum referendam* effutit? Non vidit vir κριτικώτατος Justinianeæ constitutionis textum manifeste corruptum; quod sane pervidit doctissimus Tillemontius [4], qui ubi vulgo *miserabiliter* legitur, rescribendum *mirabiliter* jure optimo existimat. Quam quidem restitutionem non est enimvero cur quis merito improbare valeat; quippe quæ Justinianum imperatorem reliquis antiquioribus oculatis testibus, & vel ipsi Procopio suo consonum reddat. Quod propterea ut plane pateat, eorum verba in medium adducantur. Noster igitur C Æneas Gazæus [5]: *Illi vero* (confessores), inquit, *de quibus nobis est sermo, nec peplo opus habent, sed ipsius naturæ conditorem implorant, qui recentiorem eis naturam die tertia post largitur: non dato quidem alterius linguæ, sed facultatis sine lingua* ARTICULATIUS QUAM UMQUAM ANTEA *quod vellent* ELOQUENDI MUNERE. — *Ipse ego*, subdit, *hos viros vidi, & loquentes audivi, &* VOCEM ADEO ARTICULATAM ESSE POSSE MIRATUS SUM: *instrumentum vocis inquirebam: & auribus non credens, oculis judicandi munus remisi, atque ore aperto linguam totam radicitus evulsam vidi, ac stupefactus mirabar, non sane quo pacto vocem conformarent, sed quo modo conservati essent*. Hæc Æneas. D Jam vero paullo ante Victorem Vitensem testantem audivimus, *Reparatum subdiaconem* Constantinopoli exstitisse SERMONES POLITOS SINE ULLA OFFENSIONE LOQUENTEM. Quid vero Marcellinus Comes? Eum item hæc afferentem modo intelleximus: *Aliquantos ego*, inquit, *religiosissimos viros, præcisis linguis — apud Byzantium* INTEGRA VOCE *conspexi* LOQUENTES. Procopius denique. *Multis*, ait, *linguam faucium tenus abscidit* (Hunericus,) *qui nostra etiam ætate superstites Byzantii*, EXPLANATE LOQUEBANTUR, *nullum capientes sensum illius pœnæ*. Quorum plane illustrium testium loquendi rationes flagitant, non postulant, in Justinianea constitutione *mirabiliter* re- E scribendum. Abeat nunc igitur anonymus criticus Lipsiensis, & suis persuadeat illos venerabiles viros quos Justinianus imperator se vidisse testatur, *non diserte clareque locutos, sed miserabiliter*; quin & eos *nullo miraculo, sed figura rhetorica fuisse locutos*.

VI. „ Habes, itaque, ut de aliis taceam, (Baronii viri maximi [6] verbis utor) quinque qui
„ eadem quæ viderunt & audierunt, scriptorum
„ monumentis, posteris commendarunt, nempe Vi-
„ ctorem episcopum Uticensem, (l. Vitensem) Ju-
„ stinianum imperatorem, Æneam Gazæum, Mar-
„ cellinum Comitem atque Procopium: quibus tan-
„ ta prodigia voluit Deus reddi omni fide testata
„ omnibusque perspicua, ut posteris cunctis inno-
„ tesceret, curare nostra Deum; quum tam magno
„ miraculo, jam subacta a Vandalis Africa, catho-
„ lica fides pressuram passa tunc de victoribus trium-
„ pharet, ubi exstingui penitus putaretur: sicque
„ certa, fida tutaque semita monstraretur, per quam
„ fideles cuncti absque errore periculove securi,
„ quo tendunt, in cælum perveniant. Ex quibus
„ non illius tantum temporis corrigi & emendari
„ valuissent hæretici, sed omnes qui postea emer-
„ sere, quive hoc perditissimo tempore tamquam
„ ranæ in Ægypto ebullientes catholicam verita-
„ tem infestant.

VII. „ Etenim quos Deus tanto signo, tot sine
„ lingua testantibus vocibus docuit esse catholicos;
„ & fidem cujus caussa subirent martyrium, esse
„ veram; plane & ecclesiam in qua essent, dici
„ debere catholicam, perspicue demonstravit. At
„ ab ea quam longe absint novatores qui se hodie
„ catholicos profitentur hæretici, lectis quæ ipse
„ Victor & mox post ipsum Fulgentius, vel alii
„ hujus temporis Africani doctores scripsere, per-
„ spicue satis, si modo velint, intelligere possunt.
„ Contra vero quum nos eamdem cum illis secte-
„ mur fidem, eademque habeamus communia sa-
„ cramenta, per omniaque doctrinam similem; ca-
„ tholicos nos non esse, haud dicere possunt, red-
„ arguti ab iis qui linguas non habentes, pro no-
„ bis altissima voce clamant: ut plane per conse-
„ crata illi ex fidei confessione organa benedicta
„ ipse Deus loqui intelligatur. „ Huc usque magnus Annalium ecclesiasticorum parens.

VII. Quod superest, Dialogus Æneæ Gazæi quem *eruditum & elegantem scriptorem* vocat Casaubonus [7], sæpe typis consignatus habetur. Varias ejus editiones interpretationesque diligenter, ut assolet, recenset Fabricius [8]. Eas inter illam typis tradendam curavimus, quæ interprete Joanne Wolfio prodiit in auctario Ducæano [9], semel iterumque repetita in Parisiensi bibliotheca veterum Patrum Morelliana [10]. Interpretationem alicubi recensuimus, ac notulas nonnullas subjecimus.

1. *Cic.* Orat. pro Milon. cap. xx.
2. *Id.* Divinat. in Verrem.
3. *Ovid.* Trist. II. 453.
4. *Tillem.* Mem. eccl. tom. XVI. pag. 579.
5. *Æn. Gaz.* l. c. infra pag. 663. b. c.
6. *Baron.* ad ann. 484. §§. XCIII. & seq.
7. *Casaubon.* pag. 17. edit. Wolfii Hamb. 1710.
8. *Fabric.* De verit. relig. Christ. pag. 107.
9. Auctar. Bibl. PP. Duc. tom. II. pag. 373. edit. ann. 1624.
10. Bibl. PP. Parif. ann. 1644. 1654. tom. XII. pag. 617.

CAPUT XIII.

DE

BREVICULO HISTORIÆ EUTYCHIANISTARUM cet.

ET

DE SUPPLEMENTO ACACIANO.

I. EPistolis X. pontificum Romanorum, FELICIS III. GELASII & VIGILII, præfixus est libellus in veteribus libris inscriptus GESTA DE NOMINE ACACII, quem Sirmondus BREVICULUM HISTORIÆ EUTYCHIANISTARUM appellat. Scriptum autem comperitur hujusmodi opusculum circa Christi annum CCCCXCIV. Auctor enim sub initium mentionem injicit Nestorii [1] *ante quinquaginta & octo fere annos Oasitano exsilio relegati*; quem videlicet in Oasim fuisse deportatum anno CCCCXXXVI. ex veterum monumentis docuere Baronius [2], Pagius [3] aliique. Hinc minus recte duxit Sirmondus [4] quem item secutus est Blondellus [5], ab ipso auctore scriptum innui Breviculum anno CDXXXVI., hoc est, biennio post damnatum a Felice Acacium. Incertum quidem hujusce opusculi scriptorem vocat idem Sirmondus [6]; quem tamen a Gelasio papa fuisse conscriptum merito existimavit doctissimus Valesius [7], latiusque comprobarunt eruditi Veronenses S. Leonis operum editores [8]. Attamen dubius hæret Tillemontius [9], censetque Breviculi auctorem in rebus historicis enarrandis accuratiorem videri, quam Gelasius esse solet: qui & l. c. alia nonnulla de eodem scriptore notatu digna subtexit. Ceterum dum ait Pagius [10] deceptum fuisse Valesium Gelasio papæ Breviculum adscribentem; propterea quod, inquit, prior hujus libelli pars totidem verbis excerpta est ex Breviario Liberati, qui opus illud imperante Justiniano elucubravit: ipse profecto vir criticus deceptus fuisse comperitur; qui quidem ab ejusmodi censura temperasset, si quæ Garnerius & Quesnellus hac de re observarunt, consulere sibi succurrisset. Enimvero Liberati Breviarium scriptum demum fuit post annum DLXIV. ut pluribus ostendit Garnerius [11], adeoque Breviculo est posterius qui ultra Gelasii tempora non excurrit. Quid quod? (Quesnelli verbis utor [12]) „ ultro profitetur Diaconus hic Carthaginiensis [13] se Breviarium suum *ex ecclesiastica historia, & ex gestis synodalibus vel sanctorum patrum epistolis collegisse, nectens temporum curriculo, illa quæ in Græco Alexandriæ scripto acceperat*: ut appareat historicum istud opusculum ex pluribus scriptis invicem assutis consartum esse, quorum unum fuit Breviculus. „ Hæc ille.

A Et jure quidem. Nam, ut ait Garnerius [14] „ quantum ex Breviculi historiæ Eutychianistarum profecerit Liberatus, oculi ipsi legentium renuntiant: verba enim ipsa sæpe usurpat, continentemque orationem. „ Atque in eamdem sententiam adversus Pagium abiere quoque alii viri eruditi [15]. Neque aliter Quesnellum assectatus Sirmondianorum editor [16].

II. Hæc porro *Gesta de nomine Acacii* haud primum edita fuere studio Sirmondi, quæ nimirum anno 1591. in Romana epistolarum summorum pontificum editione [17] ante S. Leonis epistolas vulgata compareant. Neque vero id latuit ipsum Sirmon- B dum, ut nonnulli existimarunt [18]; quippe qui eadem Gesta *inter epistolas Cælestini & Leonis hactenus posita* probe noverit [19]. At illud potius adnotandum, quod post Baunium [20] alii quoque observarunt [21], in Sirmondiano scilicet exemplari, nec non in vulgatis conciliorum editionibus [22], postremam deesse periodum eidemque adtextum fragmentum epistolæ Felicis III. ad episcopos per Ægyptum, Thebaidem, Libyam & Pentapolim missæ adversus Petrum Cnapheum: quæ quidem omnia in modo laudata Romana epistolarum summorum pontificum editione habentur. Ex qua propterea ea heic describenda censuimus, secus atque duxit editor Sirmondianus. Itaque post ultima Breviculi C verba, *ad Antiochenam misit ecclesiam*, editio Romana sequentia subdit: *Postquam Joannes supervenit episcopus quem Romana suscepit ecclesia, sanctus papa Felix legationem, ut dictum est, sicut oportuit ordinavit, quæ apud prædictos omnes quidquid est hostilitatis experta est. Nam detrusa in custodiam, perditis chartis, cum grandi vix remeavit opprobrio, episcopatum Petri ad quem expellendum missa fuerat, firmatum reportans, quem Romana anathematizavit ecclesia. Ita Felix papa episcopis per Ægyptum, Thebaidem, Libyam & Pentapolim constitutis post alia*: „ Petrus vero qui se ab ecclesiæ unitate sub „ beatæ recordationis Proterio separavit, & in mor„ tem ipsius parricidæ Timotheo se ad persequen- D „ dos junxit orthodoxos, nulla tanti nominis & „ honoris permittimus societate lætari, quanto in „ creatoribus propriis non dissimilibus ipso sui exor-

1. *Brevic.* §. I. infra pag. 667. a.
2. *Baron.* ad ann. 436. §§. I. seqq.
3. *Pagi.* ad ann. 436. §. II.
4. *Sirmond.* in præfat. ad Append. Cod. Theodos.
5. *Blondell.* de primatu in eccl. pag. 397.
6. *Sirmond.* l. c.
7. *Vales.* ad Evagr. Hist. eccl. lib. III. capp. XII. XV. & XVIII. nott. ubique I.
   Id. Observ. eccl. ad Evagr. lib. I. cap. I. & lib. II capp. II. & VIII.
8. *Ballerin.* ad S. Leon. opp. tom. II. pag. 1414. seqq.
9. *Tillem.* Mem. eccl. tom. XVI. pag. 659.
10. *Pagi.* ad ann. 496. §. IV.
11. *Garner.* præfat. ad Liber. Brev. §. XII.
12. *Quesn.* ad Cod. Can. cap. XLIII. tom. II. opp. S. Leon. pag. 83. edit. Lugd. 1700.
13. *Liber.* Brev. cap. I. pag. 3. edit. Garner.
14. *Garner.* l. c. §. VII.
15. *Ballerin.* ad tom. II. opp. S. Leon. pag. 1415.
16. *Baun.* præfat. ad Sirmond. opp. tom. I. §. X.
17. Decret. epist. tom. I. part. II. pag. 142.
18. *Ballerin.* in præfat. ad tom. III. opp. S. Leon. pag. CLXIII. num. XCIX.
19. *Sirmond.* in præfat. ad Append. Cod. Theodos.
20. *Baun.* l. c.
21. *Ballerin.* l. modo cit.
22. Conc. tom. V. pag. 173. edit. Ven.-Labb.

,, dio caducum, quod se æstimat, reperitur. Est A ,, ergo præfatus cunctis anathema, nec ab ecclesia catholica credatur umquam recipi, qui post ,, * cohortationem sæpissimam, & per tot annorum spatia in perversitate propria perseverans, ,, locum satisfactionis amisit. ,, Hæc ibi.

III. Hujus autem additamenti occasione, satis erudite adverterunt semel iterumque modo laudati cll. viri [1], Breviculi de quo agimus, tres editiones esse distinguendas, ab ipso auctore Gelasio subinde recognitas. Nimirum in prima opusculum brevius a damnatione Dioscori exorditur, & in iis gestis desinit quæ Acacii damnationem præcesserunt. Hoc autem exemplar a Crabbo editum est B ex codice Aquensi summæ antiquitatis, ac deinde a Quesnello [2]: exstatque præterea in aliis antiquis collectionibus ad caussam Acacianam pertinentibus. Deinceps idem opusculum in secunda editione eodem Gelasio auctore aliquot in locis recensitum, duo præcipua recepit additamenta: & alterum quidem initio, quo hæc historia ab origine, a Nestorio scilicet & Eutyche inchoatur; alterum vero in fine, quo eadem historia ad Acacii damnationem usque perducitur. Atque istam auctiorem editionem ex Virdunensi codice in quo sola monumenta Acaciana continentur, vulgavit Sirmondus; qui ms. codicis veterem inscriptionem *Gesta de nomine Acacii* reformans, notiori titulo *Breviculum historiæ Eutychianistarum* appellavit. C Tertiæ demum editioni aliud accessit additamentum, quo res sub Felice gestæ paucis indicantur. Atque hujusmodi editio jam dudum prodiit anno 1591. in Romana epistolarum summorum pontificum editione, ex qua etiam descriptam modo protulimus additionem, quæ in reliquis vulgatis desiderabatur. Reperitur autem tertia isthæc editio, ut iidem viri docti adnotarunt, in mss. præstantissimæ collectionis Avellanæ, in quibus hoc initium legitur ab editoribus Romanis omissum: *Incipit. In caussa fidei Christianæ, cui ab exordio sui numquam defuisse probantur inimici, nostro quidem sæculo* cet. Quod sane initium in Sirmondiano etiam exemplari occurrit. At de D Breviculo satis.

IV. Nunc vero de Epistolis X. eidem Breviculo subjectis sermo instituendus. Atque illud in antecessum advertimus, has omnes Epistolas, suis quasque locis, addito quoque Breviculo ex editione Sirmondiana conciliorum collectioni Labbeanæ [3] fuisse intextas. Porro quæ de earum plerisque monuere sive Sirmondus ipse, sive operum illius editor Baunius aliique [4], operæ pretium ducimus heic subnotare. Et primum quidem [5], ex Felicis III. epistolis VII. duas priores, quarum altera ad Zenonem augustum, altera ad clerum & plebem Constantinopolitanam data est, manifesto pertinere ad E posteriorem synodum Romanam Henricus Valesius animadvertit [6]: ,, Scriptæ sunt, inquit, a Felice ,, papa totius synodi nomine, sicut mos erat ec- ,, clesiæ Romanæ jam inde ab antiquis tempori- ,, bus, quemadmodum diserte testantur illius synodi Romanæ episcopi in epistola synodica ad universos episcopos & archimandritas Constantinopoli & per Bithyniam consistentes. ,, Huic autem observationi Valesianæ aliam addimus Sirmondi admonentis [7] ,, ex prima Felicis ad Zenonem epistola sumtum fuisse caput *Certum est* Dist. x., ut suppleri jam queat, quod ejus capitis titulo deest apud Gratianum, hoc modo: *Item Felix papa Zenoni augusto*. ,,

V. Porro ad epistolam V. quod attinet, hanc Sirmondi notam recitat Labbeus [8]: ,, Codex Virdunensis, ait, hanc tribuit Gelasio: at Gelasius ,, hoc tempore pontifex non erat, sed Felix. Liberatus [9]: *Moritur*, inquit, *Acacius*, & *ordinatur post eum Flavitas presbyter qui fuit a sancta Thecla: qui non consensit sine Romano pontifice inthronizari, sed transmisit synodicam papæ Romano Felici. Qui modico vivens tempore moritur, non accipiens epistolam ipsius*. Vide Nicephorum [10]. ,, Ad epistolam VI. idem Sirmondus apud Labbeum hæc habet [11]: ,, Huic epistolæ ,, titulus in veteri codice præfixus est hujusmodi: ,, *Exemplum epistolæ quam pertulerunt in legationem directi monachi, ad Rufinum, Hilarum* & *Thalasium, archimandritas Constantinopoli*. ,, De hac autem ipsa epistola differens Baunius [12]: ,, Epistolam VI., inquit, non Felicis, sed Gelasii esse censet Blondellus [13]: at nullam, cur sic sentiat, caussam profert. Vacante autem post Acacii mortem sede Constantinopolitana scriptam esse, proindeque ante superiores duas collocari debuisse, cuidam visum est viro docto. Sed Labbeus notavit [14], scriptam esse mortuo Acacii successore ipso Flavita, cui Evagrius menses episcopatus dumtaxat quatuor, tres tantum Theophanes tribuit: Victor autem Tunonensis mortuum ait tertio sedis mense: id quod de spatio tribus etiam mensibus aliquanto minore potest ,, intelligi. ,, Hæc ille.

VI. Graviora sunt quæ in promtu habemus, viris eruditis observata de epistolis VIII. & IX. Et primum quidem Sirmondus [15]: ,, Gelasii papæ, ,, ait, epistolæ duæ mutilæ sunt, ut patet: atque ,, haud scio an ad unum eumdemque tractatum ,, ambæ referendæ sint, qui a Nicolao papa in epistola ad Michaelem imperatorem dicitur *Tomus Gelasii ad orientales episcopos*. Ita ut quæ ibidem ex Tomo illo citantur a Nicolao, & alia ,, rursus quæ Nicolaus idem ad Gallos scribens in ,, epistola *Quamvis singularum* de præscriptione ,, XXX. annorum, commemorat ex epistola Gelasii ,, ad orientales, quæ ipsa citat etiam Gratianus ,, XVI. q. 3. *Post quingentos*; ea quum in his nostris fragmentis non reperiantur, in aliis quæ ,, desiderantur, fuisse credendum est. ,, Hactenus Sirmondus. De utraque hac epistola Gelasiana erudite disserit ut assolet Tillemontius [16]. Verum de priore illud in primis notatu dignum observat, eam

1. *Ballerin.* ad tom. II. edit. S. Leon. pag. 1414. & ad tom. III. pag. 308.
2. *Quesn.* in Cod. Can. cap. XLIII.
3. Conc. tom. V. pag. 175. seqq. edit. Ven-Labb.
4. Cod. Theodos. tom. VI. part. II. sub fin. pagg. XXII. seqq edit. Lips. 1725.
5. *Baun.* in præfat. ad tom. I. opp. Sirmond. §. x.
6. *Vales.* Observ. eccl. ad Evagr. lib. II. cap. IV.
7. *Sirmond.* in præfat. ad Append. Cod. Theodos.
8. Concil. tom. V. pag. 212. cit. edit.
9. *Liberat.* Breviar. cap. XVIII. pag. 127. edit. Garner.
10. *Niceph.* Hist. eccl. lib. XVI. cap. XIX.
11. Concil. tom. V. pag. 213.
12. *Baun.* l. c.
13. *Blondell.* de Primat. in eccl. pag. 404.
14. Concil. tom. IV. pag. 1091. edit. Paris.
15. *Sirmond.* in præfat. ad Append. cit.
16. *Tillem.* Mem. eccl. tom. XVI. pagg. 648. seq.

* Al. *coercitionem sæpissime*.

nimirum quædam continere, quæ privatum hominem potius quam Romanum pontificem deceant; ut sunt illa [1]: *Non est quidem nostræ humilitatis, de totius orbis dissensione ferre sententiam: est tamen nostrum de propria salute esse solicitos*. Et iterum [2]: *Unde & optamus, qualiacumque & quantacumque super nos importaverit inimicus, tolerare discrimina in sæculo præsenti*. Ac sub finem [3]: *Me enim credo, spero, confido in Christo, quod ab ejus caritate nec tribulatio, nec angustia, nec gladius, nec persecutio, nec vita, nec mors umquam poterit separare. Incumbat persecutio, sæviant leges: militi Christi gloriosius est mori, quam vinci: fraudari præsentium commodis melius, quam carere futuris*. Quæ quidem omnia si rite perspiciantur, ut arguunt post Tillemontium viri docti [4] „ hominem exhibent qui in oriente violentiæ suberat; non autem Romanum qui sub Theodorico tutus, ab imperatore orientis Anastasio nihil metueret. At vero hujusmodi opusculum, seu verius fragmentum opusculi, non versionem e Græco, sed Latinum originale manifestissime præ se fert. Quid igitur? Si Gelasii nomen in codice Virdunensi erat præfixum, quod non ita clare a Sirmondo traditur; vel si inter Gelasii opera inventum, ac ex ejus schedis ab origine sumtum fuit: illud verisimile est, quod Tillemontius conjecit, idem opusculum scriptum quidem fuisse a Gelasio a cujus stilo non abhorret; at non suo, sed orientalium nomine qui in oriente vexabantur, ut eos a profana communione alienos in proposito confirmaret. „ Hæc illi. Cui tamen conjecturæ calculum adjicere haud facile fortasse quis assentiatur, eo in primis quod utramque hanc Gelasianam epistolam etiam pervetustus codex capituli Veronensis præter Virdunensem exhibeat, ad quem exacta studio cl. Francisci Blanchini exstat in collectione conciliorum Veneto-Labbeana [5].

Quæ autem de postrema x. epistola lectorem monitum voluit Sirmondus, ita se habent [6]: „ Vigilii demum encyclicam, antehac desideratam, & priore tantum sui parte notam, excipiebat in codice Remensi altera ejusdem epistola de damnatione Theodori Cæsariensis, cujus in encyclica fit mentio. Tum deinde sequebatur cleri Romani de iisdem Vigilii calamitatibus relatio ad legatarios Francorum, cui edendæ haic etiam locus erat, nisi a nobis edita jam esset tomo I. conciliorum Galliæ anno DLII. „ Ceterum encyclicam Vigilii epistolam cum reliquis duabus modo a Sirmondo memoratis videas apud Labbeum [7].

VII. Reliquum est, ut de *Supplemento Acaciano* paucis agamus. Illud itaque descriptum e vetusto codice Veronensi notisque illustratum primus evulgavit anno 1728. V. C. Scipio Maffeius in conciliorum collectione Veneto-Labbeana [8]; iterumque recensitum anno 1742. inter *Opuscula ecclesiastica* edidit, quæ suæ *Historiæ ecclesiasticæ de Gratia* suffecit [9]. At eodem anno 1728. quo prior Maffeiana editio prodiit, novam opusculi ejusdem inter tomi IV. opera Sirmondi publici juris fecit vir eruditus Josephus Blanchinus, illudque ad præfatum codicem Veronensem denuo diligentius exegit: qui tamen secus ac Maffeius, epistolam I. Supplementi laudati, non Felicis papæ, sed *alicujus Romanæ ecclesiæ clerici fetum esse* opinatur [10]. Verum in prioris editoris placita jam abierat vir doctissimus P. Bernardus de Rubeis, anno 1729. edita hac in urbe dissertatione *de una sententia damnationis in Acacium episcopum Constantinopolitanum post quinquennium silentii lata in synodo Romana Felicis papæ* III. ubi dum eidem Felici memoratam epistolam I. cum viro illustri vindicat, hanc præterea ecclesiasticæ historiæ partem hujusce monumenti præsidio præclare illustrat.

VIII. At vero eruditis operum S. Leonis editoribus neutram arrisisse sententiam comperimus, qui dictum opusculum Gelasio asserendum contendunt [11]. Primum enim, inquiunt, codex Veronensis post Vigilii obitum scriptus illud Gelasio adtribuit; atque huic codici alius accedit sæculo VIII. digestus, in quo fragmentum occurrit ex eadem epistola desumtum Gelasii nomine inscripta. Subdunt deinde, Nicolaum I. [12], S. Anselmum [13], Ivonem [14], Gratianum [15] aliosque idem opusculum Gelasio asserere. Stilum denique aiunt ac sententias cum iis congruere, quæ in Gelasii epistola ad Dardanos & in Tomo de anathematis vinculo continentur. Hinc vero concludunt, nimiæ esse confidentiæ hoc monumentum Felici III. adscribere sine ullius codicis ms. aut antiqui testis auctoritate, ut Gelasio adimatur, cui & codices & veterum testimonia illud vindicare noscuntur. Ad objectas porro difficultates quod attinet, eas demum conciliari posse ducunt iidem viri docti, si dicatur Gelasius hoc opusculum elucubrasse, quo refelleret orientalium libellum Felicis tempore exaratum, dum Acacius, Petrus Mongus & Zeno imperator in vivis agerent: ipsi autem libello ita respondendum putasse, perinde ac si hæc responsio illis adhuc viventibus digesta fuisset.

Quod superest, hujusmodi opusculum edidimus, retenta inscriptione, prout eam extulit cl. Maffeius Lectiones autem Blanchinianas subdidimus, quas tamen alicubi cum Maffeianis contulimus.

1. *Gelas.* epist. VIII. §. V. infra pag. 676. c.
2. Ibid. d.
3. Ibid. pag. 677. §. IX. d.
4. *Ballerin.* in præfat. ad tom. III. edit. S. Leon. pag. CLI. num. X.
5. Concil. tom. V. pagg. 338. seqq.
6. *Sirmond.* in præfat. ad Append. Cod. Theodos. sub fin.
7. Concil. tom. V. pagg. 1308. 1314. 1397.
8. Ibid. pag. 180.
9. *Maff.* Opusc. eccl. pag. 213.
10. *Blanch.* ad tom. IV. opp. Sirmond. edit. Venet. pag. 552.
11. *Ballerin.* in præfat. ad tom. III. edit. S. Leon. pag. CL. num. IX.
12. *Nicol.* I. epist. XLII.
13. *Anselm.* lib. IV. cap. XXVII.
14. *Ivo.* part. XIV. cap. VIII.
15. *Gratian.* Caus. XI. q. III. cap. XLVI. & Caus. XV. q. III. cap. IX.

CAPUT XIV.

DE

S. AVITO

EPISCOPO VIENNENSI.

I. Exeunte sæculo V. & VI. ineunte, non minus pietate quam doctrina floruit ALCIMUS ECDICIUS AVITUS, Isicii seu Hesychii primum clarissimi senatoris, deinde Viennensis episcopi filius, sedisque successor circa annum Christi CCCCXC. sub finem imperii Zenonis, ut ex ejus Actis colligunt Bollandiani [1], quibus Gallicæ historiæ litterariæ scriptores accedunt [2]. In episcopatu mira edidit virtutum insignia, ex quibus unum aut alterum pro instituti nostri ratione sat erit heic referre. Plurimum itaque laboravit sanctus antistes, quo Gundobadus Burgundionum rex Arianam hæresim ejuraret, ut narrat Gregorius Turonensis [3], excerpta simul nonnulla referens Collationis publicæ inter catholicos episcopos & Arianos eo nomine Lugduni habitæ anno DI. ut videtur Pagio [4]; sive ut alii censent, anno CCCCXCIX. [5]; quæ quidem Collatio sæculo demum superiore in lucem prodiit [6]. Sed hac de re Agobardum audire præstat [7]: *Avitus*, inquit, *fide catholicus, eloquentia facundissimus, ingenio acerrimus, sacrarum litterarum expositor suavissimus, litterarum etiam sæcularium doctissimus & in metris facillimus; cum Gundobado frequenter de fide altercans, & dialogos in præsenti conficiens, & epistolis absenti respondens, plura & clara ingenii sui & virtutis opera reliquit. Qui ipso Gundobado in sua perfidia perdito successorem ejus* (filium) *Sigismundum regem ad fidem catholicam convertit: in cujus conversione recitavit homiliam in populo sensuum suavitate plenissimam & verborum compositione dulcissimam.* Hinc vero, ut Hadriani Valesii verbis utar [8], „ facillime impetratum est a Burgundionibus, ut regis sui imitarentur exemplum, & religionem catholicam in qua eorum majores versati erant, ejurato errore sequerentur. „ Anno quippe DXVII. ut mox advertit idem Valesius, qui fuit secundus regni Sigismundi, Epaone quo episcopi Burgundiæ convenere, celebratum est concilium, cujus decretis primus subscripsit Avitus *die* XVII. *Kal. Octobris Agapeto V. C. consule*. De quo quidem concilio plura Pagius [9].

II. Præter Arianam hæresim quam acerrime insectatus est beatus præsul, hæreses etiam Eutychianorum, Nestorianorum, Photinianorum ac Bonosiacorum confutavit [10]. Scripsit quoque adversus Faustum Reiensem [11], simulantem quidem damnare Pelagium, corroborantem vero ipsam Pelagianam perfidiam, ut ait Baronius [12]. Hæc vero in primis testantur Gregorius Turonensis [13], Agobardus Lugdunensis [14] & Ado Viennensis [15], episcopi. Præterea, Fausto & Symmacho senatoribus Urbis epistola inscripta, Symmachum papam adversus schismaticos strenue adjuvit [16]. Reliqua egregia ejus facinora consulto præterimus: longum enim esset ire per singula. Quapropter jure plane optimo sanctissimum juxta & doctissimum nostrum provinciæ Viennensis antistitem magnis laudibus celebrarunt viri eruditione ac virtute præclari; quos inter Ennodius Ticinensis præsul [17]: *Præstantissimus*, inquit, *inter Gallos Avitus Viennensis episcopus, in quo se peritia velut in diversorio lucidæ domus inclusit*. Gregorius vero Turonensis [18]: *Magnæ facundiæ*, ait, *erat tunc temporis beatus Avitus. — Exstant exinde nunc apud nos epistolæ admirabiles, quæ sicut tunc hæresim oppresserunt, ita nunc ecclesiam Dei ædificant*. Eumdem vocat Isidorus Hispalensis *scientia sæcularium litterarum doctissimum* [19]. De eo item rursus Agobardus [20]: *Alchimus Avitus*, inquit, *ecclesiæ Viennensis episcopus, quam eximius doctor & facundus exstiterit, pæne tota novit ecclesia Christi*. Adoni denique dicitur [21] *eloquentia & sanctitate præcipuus*, scribens *luculentissimo & castigato satis sermone ac lucidissima fide*.

III. Porro quo anno e vivis excesserit sanctus præsul, haud una est virorum eruditorum sententia. Verum quo difficultas hujusce quæstionis quoad fieri potest dissolvatur, res penitius inspicienda. Tradit igitur Ado [22] vitam adhuc egisse Avitum post necem Sigismundi Burgundionum regis, *quem* nimirum, inquit, *captum & a Francis occisum vehementissime doluit* idem Viennensis antistes. Adonem exscripsit anonymus auctor vitæ ejusdem sancti Aviti apud Bollandianos [23]: qui proinde post Adonis ætatem scribens, sæculo saltem X. aut serius fortasse, parum auctoritatis propterea sibi conciliare comperitur. Sed ne Adoni quidem ipsi fides adhibenda videtur, ubi Sigismuudo regi superstitem fuisse Avitum enarrat. Avitus enim qui Sigismundum e medio sublatum ingemuit, non fuit Avitus præsul Viennensis, sed Avitus abbas Miciacensis monasterii, *magnus tunc temporis sacerdos*, ut scribit Gregorius Turonensis [24], cujus verba latius relata expendit edisseritque Cointius [25]. Sed quo demum anno interiit Sigismundus? Si Marium Aven-

1. *Bolland.* Act. SS. tom. I. Febr. pag. 661. num. 1.
2. Hist. litter. de la Franc. tom. III. pag. 116.
3. *Greg. Turon.* Hist. Franc. lib. II. cap. XXXIV.
4. *Pagi.* ad ann. 501. §§. III. IV.
5. Collat. episc. infra pag. 794. seqq.
6. Hist. litter. de la Franc. l. c. pag. 117.
7. *Agobard.* lib. adv. leg. Gundob. cap. XIII. opp. tom. I. pag. 120 edit. Baluz.
8. *Hadr. Vales.* Rer. Franc. lib. VII. ad ann. 516. tom. I. pagg. 330. 331.
9. *Pagi.* ad ann. 509 §§. VI. VII.
10. *Avit.* epistt. II. & III.
11. *Id.* epist. IV.
12. *Baron.* ad ann. 516. §. XXXI.
13. *Greg. Turon.* Hist. Franc. lib. II. cap. XXXIV.
14. *Agob.* Lugd. lib. adv. Felic. cap. XLI. opp. tom. I. pag. 55. edit. cit.
15. *Ado* Vien. in Chron. ad ann. 492. & ante ann. 519.
16. *Avit.* epist. XXXI.
17. *Ennod.* Vit. B. Epiph. opp. Sirmond. tom. I. pag. 1686.
18. *Greg. Turon.* l. c.
19. *Isid. Hisp.* de script. eccl. cap. XXIII.
20. *Agob.* lib. de Judaic. superst. opp. tom. I. pag. 70. edit. cit.
21. *Ado* in Chron. ad ann. 492. & ante ann. 519.
22. *Id.* ibid. ad ann. 492.
23. *Bolland.* l. c. pag. 668. num. 5.
24. *Greg. Turon.* Hist. Franc. lib. III. cap. VI.
25. *Coint.* Annal. eccl. Franc. ad ann. 524. §. I. tom. I. pag. 337.

ticensem in Chronico audiamus quem etiam sequitur Aimoinus, id contigit *Maximo consule*, *Indictione* I. hoc est, anno Christi DXXIII. At Gregorius Turonensis aliique Francorum historici Sigismundum interfectum tradunt insequente anno DXXIV. *Justino* II. *&* *Opilione coss. Indictione* II. Hæc fusiori stilo persequitur Hadrianus Valesius [1]. Quibus itaque positis plerique recentiorum ab Adone decepti censuere post Sigismundi necem Avitum supremum diem clausisse. Et alii quidem anno DXXIII. [2]; alii vero post hunc annum [3]; alii denique anno DXXV. [4]. Verum quum constet, Avitum qui exstincto Sigismundo superfuit, alium fuisse a Viennensi; jam tum itaque ad cælum evocatus fuerit Avitus noster, quum rex ille Burgundionum periit, quemadmodum advertit vir eruditus [5]: adeoque contigerit ejus obitus intra tempus illud quod excurrit inter celebratas synodos Epaonensem & Lugdunensem II. Nam ut superius vidimus, synodo quidem Epaonensi anno DXVII. coactæ primus subscripsit Avitus: at ipse haud interfuisse agnoscitur synodo Lugdunensi II. sub Sigismundo rege paullo post habitæ: ejus enim nomen inter subscriptiones hujus concilii non legitur, ut videre est in conciliorum collectione [6]; ubi tamen male inscribi *Lugdunense* I. intelligimus ex ipso Avito qui sic scribit [7]: *Rediens*, inquit, AB URBE LUGDUNENSI *sanctus Chartenius episcopus*, *in qua*, NOBIS DE CONCILIO DISCEDENTIBUS, *ad privata quædam negotia expedienda resederat*, cet. Hinc igitur existimarim equidem beatum antistitem ad superos evolasse ineunte anno DXVIII. hoc est, V. Non Febr. quo die illius nomen in ecclesiæ fastis consignatur: quam quidem in sententiam eo facilius descendo, quod anonymus Vitæ sancti Aviti auctor, primum editus a Labbeo [8], deinde a Bollandianis [9], scriptum reliquit, Avitum *Anastasio adhuc principe* vita fuisse functum, qui VII. Id. Julii eodem anno DXVIII. interiisse perhibetur.

IV. Jam vero, ut de ipsius Aviti litterarum monimentis sermonem demum habeamus, Sirmondus potissimum audiendus, qui ea omnia quæcumque reperire potuit, vel primum edita, vel restituta & expolita Parisiis in vulgus emisit anno 1643. Sic itaque V. C. [10] „ Epistolarum Aviti, ait, quas tibi lector jam tot annis debebamus, verendum erat ne sera nunc apud te vel consumta sit gratia, nisi moræ istius viderem fructum nobis aliquem exstitisse. Quippe qui emendatius illarum exemplar, secunde affulgeret, dum quærimus, in Flori Diaconi volumen apud Cartusiam incidimus, cujus beneficio Aviti opusculorum septemdecim non titulos modo & nomina, majorem partem ignota didicimus, sed plurima etiam & illustria fragmenta ornamento editioni futura consecuti sumus. Fecit epistolarum utilitas & elegantia, ut tædium quod in vitiosi codicis emendatione devorandum fuit, alacrius perferremus: ac librorum etiam quin-

A que partitionem quam promittebat, amplexuri eramus, si integram præstitisset. Verum tanta inerat perturbatio, ut satius nunc quidem visum sit, omisso librorum discrimine, Epistolas tibi omnes uno textu continuas repræsentari. Non dubito quin consilium probaturus sis: proximum erit, ut corruptæ quoque lectionis vitia quæ restant, feras indulgentius. In fragmentis sane nullus noster labor fuit. Flori enim exemplar probum & castigatum secuti sumus. In Poematis autem quid præstitum sit, intelligent qui editionem hanc conferent cum Gagnejana: cujus auctor, vir alioqui doctus ac disertus, præter alia quæ passim proprio arbitrio mutavit, quingentos pæne versus de suis intrusit pro
B Avitianis. Nobis vero curæ fuit, ad amussim fidemque veterum exemplarium universa sic exigere, ut rejectis subdititiis, legitimisque restitutis, purum tibi & sincerum Avitum, nævulis quibusdam quos ætas illa ferebat, neglectis exhiberemus. In quo si calculi quoque tui suffragium, lector, accesserit, erit quod sanctissimo atque inter poetas Christianos haud facile cuiquam postponendo, ecclesiæ præsuli, non inanem hac etiam in parte operam nos posuisse gratulemur. „ Hactenus Sirmondus.

V. Neque vero eorum recensio prætermittenda, quibus Sirmondianam editionem auxit eruditissimus Baunius. Sunt autem ejusmodi [11]: „ San-
C cti Aviti Viennensis episcopi operibus a Sirmondo editis quædam nunc ejusdem auctoris adjecta sunt. Primum, epistolæ quatuor quas V. C. Stephanus Baluzius ex vetusto Petri Marnæsii senatoris Gratianopolitani libro vulgavit [12]. Deinde fragmenta aliquot operis *de divinitate Spiritus sancti*, quæ ex antiquo monasterii S. Galli codice idem Baluzius edidit [13]. Præterea *Collatio* cum rege Gundobado adversus Arianos Lugduni habita, quum universi ferme ecclesiæ Lugdunensis episcopi eo convenissent, uti notaverat Hieronymus Vignierius, cujus ex schedis hanc Aviti lucubrationem Dacherius publicavit [14]: qui admonet nihil tamen esse quod cogat ipsam referre, uti fecisse videtur vir
D doctus, ad illud concilium Lugdunense, cui se una cum Chartenio quodam episcopo interfuisse Avitus testatur [15]. Nam primo, Avitum de fide cum Gundobado sæpius, nunc coram per *dialogos*, nunc absentem per epistolas egisse, scribit Agobardus [16]: & id ex ipsis quæ exstant Aviti epistolis satis liquet. Deinde ex illis epistolis liquet etiam, in more positum fuisse, sicut Sirmondus notat [17], ut episcopi vicinarum sedium collegas episcopos ad urbium suarum celebritates invitarent: in primis, sancti Justi celeberrima Lugduni solemnitas erat; de qua & Sidonius [18]. „ Et hæc quidem Baunius.

VI. His porro hactenus expositis *Sermonem* sub-
E jicimus *B. Aviti feria III. in Rogationibus* habitum, quem ex ms. majoris Cartusiæ descriptum edidit cl. Martenius [19], hujusmodi admonitionem præmittens: „ Sancti Aviti Viennensis archiepisco-

1. *Valef.* Rer. Franc. lib. VII. tom. I. pagg. 345. seqq.
2. *Labb.* Differt. de script. eccl. tom. I. pag. 169.
Cav. Hist. litter. tom. I. pag. 515.
Fabric. Bibl. Lat. med. tom. I. pag. 139.
3. *Bolland.* l. c. pag. 661. num. 6.
4. Hist. litter. de la Franc. tom. III. pag. 120.
5. *Dn. Belley*. Mem. de l' Academ. des Inscript. tom. XVIII. dans l' Hist. pag. 262. in 4.
6. Concil. tom. V. pag. 723. a. edit. Ven-Labb.
7. *Avit.* epist. XXVIII. infra pag. 722. c.
8. *Labb.* Nov. bibl. mss. tom. I. pag. 695. cap. V.
9. *Bolland.* l. c. pag. 668. num. 6.
10. *Sirmond.* præfat. ad opp. Avit.
11. *Baun.* præfat. ad tom. II. opp. Sirmod. §. I.
12. *Baluz.* Miscell. tom. I. pag. 355.
13. *Id.* ibid. pag. 361.
14. *Dacher.* tom. V. Spicil. pag. 110.
15. *Avit.* epist. XXVIII.
16. *Agob.* lib. adv. Gundob. leg. cap. XIII. opp. tom I. pag. 120. edit. Baluz.
17. *Sirmond.* ad Avit. epist. LVIII.
18. *Sidon.* lib. V. epist. XVI.
19. *Marten.* Thes. Anecdot. tom. V. pagg. 49. seq.

pi Sermonem in Rogationibus feria III. pronuntiatum reperimus in veteri codice ms. majoris Cartusiæ, quem pro sua in nos humanitate transscripsit R. P. domnus Innocentius *Bouchart* ejusdem loci monachus nobis singulariter amicus. In eo duo præsertim advertere licet. Primum, Rogationes seu solemnes supplicationes quæ ante Ascensionem in ecclesia celebrantur, ejus tempore, seu ut ipse ait, *nostro sæculo*, institutas fuisse, & quidem a S. Mamerto qui anno CCCCLXII. Viennensem administrabat ecclesiam, ut docet alibi idem Avitus qui post Hesychium in eadem sede ipsi successit, & Sidonius Apollinaris Arvernensis antistes [1]; quibus accedit Gregorius Turonensis, qui etiam caussam istius institutionis modumque describit in hæc verba [2]: *In his temporibus fuit in Vienna urbe terræ motus maximus, ubi multæ ecclesiæ & domus multorum concussæ fuerunt & subversæ, ubi bestiæ multæ oberrantes, lupi, ursi acerbi ingressi per portam civitatis devorantes plurimos, per totum annum hoc faciebant. Nam veniente solemnitate sancti paschæ, sanctus Mamertus qui in ea urbe erat episcopus, dum missarum solemnia ipsa vigilia celebraret, palatium quoque regale quod in ea civitate erat, divino igne succensum est. Quumque hæc agerentur, appropinquante Ascensione Domini, indixit jejunium vir sanctus Dei triduanum in populo cum gemitu & contritione*, cet.

Alterum, quod in ecclesia Viennensi feria III. Rogationum in divinis legeretur officiis prophetia Amos, cujus locum hoc Sermone explicandum suscipit Avitus. In antiquo tamen lectionario Gallicano, quod ex Luxoviensi ms. publici juris fecit noster Mabillonius, non prophetia Amos feria III. legebatur, sed ad Tertiam epistola I. sancti Petri, ad Sextam epistola I. Joannis, ad Nonam liber Judith. Verum id mirum videri non debet, quum non una esset in omnibus ecclesiis Gallicanis divini officii celebrandi ratio; sed neque idem ordo in legendis sacræ scripturæ locis ubique servabatur: quum ad episcoporum nutum fierent omnia. Porro supervacaneum heic non erit notare id quod habet Herbertus Turritanus archiepiscopus [3]; quod scilicet in Normannia *in diebus Rogationum quum clerus & populus processionem longius procedendo extenderet, consuetudo erat, ut pausantibus interdum clericis, mulieres vicissim modulando succederent.* „ Huc usque Martenius.

VII. Et hanc quidem Sirmondianam operum sancti Aviti editionem hujusmodi opusculis auctam exhibemus, quam præterea nonnullis in locis obscurioribus aliquot animadversionibus a Sirmondianis sejunctis pro viribus illustravimus: additis quoque ad calcem Carminis VI. tribus versibus [4] quos Labbeus ex codice XXVI. bibliothecæ Naudeanæ descriptos in lucem emisit [5], quia in omnibus editis exemplaribus desiderabantur.

CAPUT XV.

DE

JOANNE

S. R. E. DIACONO.

I. JOANNIS S. R. E. Diaconi Epistolam ad Senarium virum illustrem evulgavit Mabillonius [6]. „ Illustris est, inquit cl. editor [7], epistolæ scriptor Joannes Diaconus: sed quis sit ille Senarius ad quem scribit, ignoramus. Hanc epistolam eruimus ex vetusto codice Christinæ reginæ, qui olim fuit monasterii nostri Ferrariensis. In ea quædam occurrunt observatione digna de ministro Confirmationis; de septem altaribus, sabbato sancto in ecclesia Romana erigi ac consecrari solitis; deque immistione lactis & mellis in calicem eodem die: cujus utriusque postremi ritus nullam invenimus mentionem etiam in Ordine Romano. Nisi si benedictio lactis & mellis, quæ post benedictionem agni in die sancto paschæ præscribitur, huc referenda est. Quod attinet ad JOANNEM, vir fuit pro sua ætate doctissimus atque accurato judicio præditus, ut probant libri quatuor ab eo conditi de vita sancti Gregorii papæ I. qui recentioribus scriptoribus vitas sanctorum ex propriis eorum scriptis contexendi exemplum præbuerunt. „ Hactenus vir doctissimus tum de epistolæ pretio, tum de ejus auctore. In Mabillonii sententiam, ad hujus Epistolæ scriptorem quod attinet, concessit vir eruditissimus Edmundus Martenius [8]. Neque aliter Fabricius [9] aliique.

II. At vero multo antiquiorem exstitisse auctorem quo de agimus, pervidit nostro quidem judicio doctissimus Muratorius: cujus proinde verba heic describere haud otiosum existimamus. Sic igitur ille in præclara *de rebus Liturgicis dissertatione*, quam ad *Liturgiam Romanam veterem* præmissam exhibet [10]: „ Assentiri non possum, inquit, doctissimis viris Mabillonio & Martene, dum Epistolam ad Senarium tribuunt Joanni illi Diacono, qui sæculo Christi IX. ex Vita Gregorii magni aliisque libris non mediocrem nominis celebritatem sibi conquisivit. Num in Romana ecclesia unus fuit Joannes Diaconus? Intellexissent ii, longe nimis vetustiorem fuisse altero illo auctorem epistolæ hujus, si quæ idem scribit de Confirmatione per presbyteros collata, attentius animadvertissent. En ejus verba [11]: *Sed nec illud tangat animum, quod sibi aliquando quædam vis necessitatis assumit, (quod* NUNC *per Africam fieri dicitur) ut presbyteri sanctum chrisma conficiant: quod merito moveret, si istam pontificalis auctoritas licentiam non dedisset.* Sæculo Christi IX. excisa omnino erat in Africa Christiana religio, circumquaque ibi diffuso imperio & superstitione Arabicæ gentis. Quæ igitur heic legis, Joannem hunc Diaconum referendum monent ad finem sæculi V. quo tempore in catholicos bar-

1. *Sidon.* lib. I. epist. VII. & lib. VII. epist. XIV.
2. *Greg. Turon.* Hist. Franc. lib. II. cap. XXXIV.
3. *Herb.* lib. I. Mirac. cap. XXI.
4. *Avit.* Poem. lib. VI. infra pag. 791. a. not. *
5. *Labb.* Nov. bibl. mss. libb. pag. 226. edit. Paris. 1653.
6. *Mabill.* Mus. Ital. tom. I. part. II. pagg. 69-76.
7. *Id.* ibid. pagg. 76. seq.
8. *Marten.* de antiq. eccl. ritib. lib. I. cap. I. art. XV. §. XVI. tom. I. pag. 156. edit. Antuerp. 1736.
9. *Fabric.* Bibl. Lat. med. tom. IV. pag. 197. edit. Hamb.
10. *Murat.* de reb. Liturg. dissert. cap. III. pag. 32.
11. *Joan.* Diac. Epist. §. VIII. infra pag. 802.b

baricam perſecutionem excitavit Hunericus Arianus A Africæ rex. Hæc cœpta anno Chriſti cccclxxxv. acrius deinde efferbuit. Tunc in exſilium actis epiſcopis catholicis, *ex neceſſitate* presbyteris chriſma conferre permiſſum fuit.

III. Fieri etiam poteſt, ut ante eadem tempora floruerit Joannes ille Diaconus. Repetere heic liceat, quæ habentur in Carthaginienſi concilio anni cccxcvii. [1]: *Ut in ſacramentis corporis & ſanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis & vinum aqua mixtum. Primitiæ vero, ſeu mel & lac, quod die ſolemniſſimo in infantum myſterio* (nempe baptiſmo) *ſolet offerri, quamvis in altari offeratur, ſuam ta-* B *men habent propriam benedictionem, ut a ſacramento corporis & ſanguinis diſtinguantur.* Quum Joannes Diaconus non improbarit commixtionem lactis & mellis cum ſanguine Domini, a patribus Carthaginienſibus improbatam; ſuſpicio ſuboritur, illum eodem ſæculo Chriſti iv. floruiſſe. „ Hactenus V. C.

IV. Porro ex duabus allatis viri docti conjecturis de tempore quo vixit epiſtolæ auctor, priorem quidem admittimus, poſterior vero nobis minus probatur. Illa enim ſententia qua noſter Joannes ſub finem ſæculi v. exſtitiſſe perhibetur, ex eo potiſſimum adſtruitur, quod Epiſtola *Senario viro illuſtri* comperitur inſcripta. Scilicet Senarium illum quem prorſus ignoravit Mabillonius, ut ipſemet profitetur, præteriitque Muratorius, deſinente demum ſæculo v. admodum claruiſſe compertum habemus. Neque enim ullus dubitandi locus jure ſuppetit, quin *Senarius ille vir illuſtris* ad quem epiſtolam ſuam ſcripſit Joannes S. R. E. Diaconus, idem ſit cum *Senario*, & *viro* quidem *illuſtri*, cui tum Aviti Viennenſis [2] tum Ennodii Ticinenſis [3] variæ noſcuntur epiſtolæ inſcriptæ. Patricius namque hic fuit, & Comitiva Patrimonii a Theoderico rege auctus anno dxi. ut docet Caſſiodorius [4], de quo etiam idem Senator alibi plura [5]. Præclaras *illuſtris* hujus *viri* laudes exhibet epitaphium a Petro Pithœo in libro iv. Poematiorum relatum, quod recitat & Sirmondus [6].

CAPUT XVI.

DE

S. REMIGIO

EPISCOPO REMENSI.

I. IN actis ſancti Remigii epiſcopi Remenſis pro C temporis ratione digerendis diffident inter ſe viri doctrina & eruditione præſtantes: Baronius [7], Pagius [8], Henſchenius, [9] Cointius [10], Labbeus [11] & Sammarthanus [12], ut alios prætereamus. Verum noſtro quidem judicio, eam chronotaxin reliquis præferendam duximus quam inſtituunt Gallicæ hiſtoriæ litterariæ ſcriptores [13], qui beati antiſtitis ortum illigant anno ccccxxxix. ipſius autem ordinationem peractam ſtatuunt anno cccclxi. eumque ſupremum diem obiiſſe Idibus Januarii anno dxxxiii. ætatis ſuæ anno xciv. *ſeptuaginta aut eo amplius in epiſcopatu annis expletis*, ut ſcribit Gregorius Turonenſis [14]. Teſtatur enimvero ipſemet Remigius in epiſtola quam in cauſſa Claudii presbyteri poſt mortem Clodovei regis ſcripſit anno dxii. ut omnes ferme conſentiunt, ſe tum jam *quinquaginta & tribus annis epiſcopali ſedi præſediſſe* [15]. Ordinatus igitur fuerit anno cccclxi. Quumque, teſte Hincmaro [16] quem ſequitur Flodoardus [17], *annos natus viginti duos ad pontificii culmen raptus potius quam electus fuerit*; hinc proinde in lucem editus fuiſſe colligitur anno ccccxxxix. Rurſus vero eumdem præſulem *ultra ſeptuaginta annos in epiſcopatu expleſſe*, modo ex Gregorio Turonenſi intelleximus. Præterea Flavium Remigii poſt Romanum ſucceſſorem, *die* v. *Idus Novembris* anno Chriſti dxxxv. Arvernenſi concilio ſubſcripſiſſe conſtat [18]: ut propterea ultra initium anni dxxxiii. quo Idibus Januarii e vivis exceſſiſſe fertur, vitam illum produxiſſe haud videatur. Quæ quidem ſententia præ omnibus veriſimilior habetur.

II. De præclaris Remenſis hujus præſulis geſtis illud unum memoraſſe ſatis fuerit, ab eo nimirum fuiſſe baptizatum Clodoveum Francorum regem anno Chriſti ccccxcvi. in ſolemnitate nativitatis dominicæ, ut auctor eſt Avitus Viennenſis epiſcopus, ad ipſum Clodoveum hac de re ſic ſcribens [19]: *Occiduis partibus in rege non novo novi jubaris lumen effulgurat. Cujus ſplendorem congrue redemtoris noſtri* D *nativitas inchoavit: ut conſequenter eo die ad ſalutem regenerari ex unda vos pareat, quo natum redemtioni ſuæ cæli Dominum mundus accepit.* De converſione porro ac baptiſmo Clodovei pluribus agit Gregorius Turonenſis [20]; inter quæ, *De exercitu ejus*, inquit, *baptizati ſunt amplius tria millia.* Hincmaro autem in vita ſancti Remigii dicitur Clodoveus *baptizatus cum gente integra.* Cui concinit vetus auctor ita inquiens [21]: *Baptizatus poſtea cunctus populus Francorum.* Hinc itaque beatus Remigius optimo jure Francorum Apoſtolus fuit nuncupatus. Neque illud celebre effatum heic prætereundum a Gregorio Turonenſi litteris traditum [22], quo Clodoveum regem ad baptiſmum ac-

E

1. Conc. Carth. III. can. xxiv.
2. *Avit.* epiſt. xxxvi. infra pag. 726.
3. *Ennod.* lib. I. epiſt. xxiii. lib. III. epiſt. xi. & lib. V. epiſt. xv.
4. *Caſſiod.* lib. IV. Variar. epiſt. III.
5. *Id.* ibid. epiſtt. iv. & vii.
6. *Sirmond.* ad Avit. epiſt. xxxvi. infra pag. 726. e.
7. *Baron.* ad ann. 471. §. xxxiv.
8. *Pagi.* ad ann. 471. §. xiii. & ad ann. 541. §. x.
9. *Henſch.* Act. SS. Febr. tom. I. pag. 783. num. 1. & pag. 785. num. 12. 13. & Jun. tom. II. pag. 90. not. 6.
10. *Coint.* Annal. eccl. Franc. ad ann. 486. §. xii. & ad ann. 512. §. II. tom. I. pagg. 117. & 291.
11. *Labb.* Chron. hiſt. ad ann. 523. tom. I. pag. 387.
12. *Sammarth.* Gall. Chriſt. nov. tom IX. pagg. 10. ſeqq.
13. Hiſt. litter. de la Franc. tom. III. pag 155. not. 1.
14. *Greg. Turon.* lib. de glor. Confeſs. cap. lxxix.
15. *Remig.* epiſt. III. infra pag. 805. a.
16. *Hincm.* Vit. Remig. capp. vi. ix.
17. *Flodoard.* Hiſt. Remenſ. lib. I. capp. xi. xvii.
18. *Sammarth.* l. c. pag. 13. e.
19. *Avit.* epiſt. xli. infra pag. 728. a.
20. *Greg. Turon.* Hiſt. Franc. lib. II. capp. xxx. xxxi.
21. *Anon.* Geſt. reg. Franc. cap. xv.
22. *Greg. Turon.* l. c. cap. xxxi.

cedentem Remensis pontifex noster veluti divina quadam majestate gravis ita compellavit: *Mitis depone colla Sicamber: adora quod incendisti, incende quod adorasti.* Reliqua porro beati Remigii gesta ex scriptoribus superius laudatis repetenda, quæ strictim exhibet Sammarthanus [1].

III. *Erat sanctus Remigius*, inquit Gregorius Turonensis [2], *episcopus egregiæ scientiæ, ac rhetoricis adprime imbutus studiis*. Qualis vero quantusve in disciplinis excolendis exstiterit noster antistes Remensis, quam etiam eximiæ fuerit eruditionis, testis est locuples Sidonius Arvernorum episcopus, qui ad ipsum Remigium scribens [3]: „ Rarus, inquit, aut nullus est, cui meditaturo par assistat dispositio per caussas, positio per litteras, compositio per syllabas. Ad hoc opportunitas in exemplis, fides in testimoniis, proprietas in epithetis, urbanitas in figuris, virtus in argumentis, pondus in sensibus, flumen in verbis, fulmen in clausulis. Structura vero fortis & firma, conjunctionum perfacetarum nexa cæsuris insolubilibus: sed nec hinc minus lubrica & levis, ac modis omnibus erotundata, quæque lectoris linguam inoffensam decenter expediat, ne salebrosas passa juncturas, per cameram palati volutata balbutiat. Tota denique liquida & ductilis, veluti quum crystallinas crustas aut onychintinas non impacto digitus ungue perlabitur: quippe si nihil eum rimosis obicibus exceptum tenax fractura remoretur. Quid plura? Non exstat ad præsens vivi hominis oratio, quam peritia tua non sine labore transgredi queat ac supervadere. „ Hæc Arvernensis præsul. Quibus relatis, subdit noster Baronius [4]: „ Utinam ipse qui hæc scribit Sidonius, perfecisset quod iisdem litteris ad eum datis est comminatus his verbis: *Si distuleris nostram sterilitatem facundis secundare colloquiis, aucupabimur nundinas involantum, & ultro scrinia tua, conniventibus nobis ac subornantibus, effractorum manus arguta populabitur: inchoabisque tunc frustra moveri spoliatus furto, si nunc rogatus non moveris officio*. Verum, ut verbis utar Sirmondi [5] declamationes Remigii quarum eloquentiam Sidonius tantopere commendat, nullæ ad nos pervenerunt: nec recens hæc jactura; quum Hincmarus ipse [6] ac Flodoardus qui hanc Sidonianam epistolam Historiæ suæ intexuit [7], eas penitus ignorasse videantur. „ Nimirum, Baronio interprete [8], „ hisce Remigii lucubrationibus frui nobis non licet, quas vivens ille præ animi submissione oblivione potius obruere voluit, quam perpetuitati dicare. „ Qua de re vide sis Gallicæ historiæ litterariæ scriptores [9].

IV. At vero haud prorsus interiere omnia beati antistitis Remensis litterarum monimenta. Quatuor enim superant adhuc ejus epistolæ, quæ sive in his eloquium spectes, sive judicium, sive maxime sacerdotalem animi vigorem in juribus ecclesiasticis vindicandis, tanto enimvero episcopo dignæ agnoscuntur. De his autem epistolis, ut & de reliquis quæ iisdem adtexuimus, nihil heic amplius dicere suppetit præter ea quæ in subjectis notis animadvertimus. Porro quod spectat ad *Explanationes Epistolarum beati Paulli Apostoli*, sub nomine Remigii Remensis olim a Joanne Baptista Villalpando evulgatas, jam dudum viri docti eidem falso fuisse tributas monuere: quos inter Cointius [10], Pagius [11], Gallicæ historiæ litterariæ auctores [12] & novissime omnium domnus abbas *Lebeuf* in opere inscripto, *Recueil de divers ecrits pour servir d'eclaircissemens à l'histoire de France* [13]: ut propterea mirari profecto subeat, Huetium [14] V. C. Villalpandi sententiæ inhærentem, beato Remigio Remensi episcopo illud opus tribuisse, quod alii rectius Remigio Antissiodorensi asserendum comprobarunt.

1. *Sammarth.* l. c.
2. *Greg. Turon.* l. c.
3. *Sidon.* lib. IX. epist. VII. infra pag. 545. a. b. c.
4. *Baron.* ad ann. 471. §. XXXVII.
5. *Sirmond.* ad Sidon. epist. VII. lib. IX.
6. *Hincm.* Vit. Remig.
7. *Flodoard.* Hist. Remens. lib. I. cap. XII.
8. *Baron.* l. c.
9. Hist. litter. de la Franc. l. c. pagg. 161. seq.
10. *Coint.* Annal. eccl. Franc. ann. 533. §. XLIX. tom. I. pagg. 405. seqq.
11. *Pagi.* ad ann. 471. §. XIV.
12. Hist. litter. de la Franc. l. c. pag. 162. seq.
13. *Lebeuf* Recueil, cet. tom. I. pagg. 278. seq. edit. Paris. 1738.
14. *Huet.* Origenian. lib. II. cap. II. quæst. VIII. §. II pag. 128.

INDEX

EORUM QUÆ IN PROLEGOMENIS CONTINENTUR.

INDEX CHRONOLOGICUS
VETERUM PATRUM
ANTIQUORUMQUE SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM,
QUORUM OPERA IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

SÆCULUM V.

INDEX ALPHABETICUS
VETERUM PATRUM
ANTIQUORUMQUE SCRIPTORUM
ECCLESIASTICORUM,
QUORUM OPERA IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR,

SALVIANI

PRESBYTERI MASSILIENSIS

OPERA

QUÆ EXSTANT OMNIA;

ACCESSIT

VINCENTII

LIRINENSIS

COMMONITORIUM.



Ex tertia editione STEPHANI BALUZII V.C.

Quæ prodiit Parisiis anno MDCLXXXIV.
præcedentibus multo præstantior.

SALVIANI
PRESBYTERI MASSILIENSIS
LIBRI VIII.
DATI
AD S. SALONIUM EPISCOPUM
DE GUBERNATIONE DEI.

INCIPIT PRÆFATIO.

Pag.1. SANCTO episcopo Salonio Salvianus salutem in Domino. Omnes admodum homines, qui pertinere ad humani officii culturam existimarunt, ut aliquod linguarum opus studio ingeniorum excuderent; id speciali cura elaborarunt, ut sive utiles res ac probas, sive inutiles atque improbas stilo texerent *, seriem tantum rerum nitore verborum illustrarent, caussisque ipsis quas loqui vellent loquendo lucem accenderent. Itaque ad hanc se partem ex utroque genere litterarum scriptores mundialium * negotiorum plurimi contulerunt, non satis considerantes quam probabilius materiis se im-
P. 2. penderent, dummodo ea quæcumque dicerent, aut comto & blando carmine canerent, aut luculenta oratione narrarent. Omnes enim in scriptis suis caussas tantum egerunt suas; & propriis magis laudibus quam aliorum utilitatibus consulentes, non id facere adnisi sunt ut salubres ac salutiferi, sed ut scholastici * ac diserti haberentur. Itaque scripta eorum aut vanitate * sunt tumida, aut falsitate infamia, aut verborum fœditatibus sordida, aut rerum obscenitate vitiosa; ut vere cum ingeniorum tantum laudem aucupantes, tam indignis rebus curam impenderent, non tam illustrasse mihi ipsa ingenia quam damnasse videantur. Nos autem, qui * rerum magis quam verborum amatores, utilia potius quam plausibilia sectamur, neque id quærimus ut in nobis inania sæculorum ornamenta, sed ut salubria rerum emolumenta laudentur; in scriptiunculis nostris non lenocinia esse volumus, sed remedia, quæ scilicet non tam otiosorum auribus placeant quam ægrotorum mentibus prosint, magnum ex utraque re cælestibus donis fructum reportaturi. Si enim hæc salus nostra sanaverit quorumdam non bonam de Deo nostro opinionem, fructus non parvus erit quod multis profui. * Sin autem id non provenerit; & hoc ipsum * infructuosum saltem non erit, quod prodesse tentavi. Mens enim boni studii ac pii voti, etiamsi effectum non invenerit cœpti operis, habet tamen præmium voluntatis. Hinc ergo exordiar.

INCIPIT
LIBER I.
DE GUBERNATIONE DEI
ET
DE JUSTO DEI PRÆSENTIQUE JUDICIO:

Incipiunt dialogi disputantis.

P. 3. I. INcuriosus a quibusdam & quasi negligens humanorum actuum Deus dicitur, utpote nec bonos custodiens, nec coercens malos; & ideo in hoc sæculo bonos plerumque miseros, malos beatos esse. Sufficere quidem ad refellenda hæc, quia cum Christianis agimus, solus deberet sermo divinus. Sed quia multi incredulitatis paganicæ aliquid in se habent, etiam paganorum forsitan electorum atque sapientum testimoniis delectentur. Probamus igitur ne illos quidem de incuriositate ac negligentia ista sensisse qui veræ religionis expertes nequaquam utique Deum nosse potuerunt, quia legem per quam Deus agnoscitur nescierunt. Pythagoras philosophus, quem quasi magistrum suum philosophia ipsa suspexit *, de natura ac beneficiis Dei differens, sic locutus est: * [1] *Animus per omnes mundi partes commeans atque diffusus, ex quo omnia quæ nascuntur animalia vitam capiunt.* Quomodo P. 4.
igitur mundum negligere Deus dicitur, quem hoc ipso scilicet satis diligit quod ipsum se per totum mundi corpus intendit? Plato & omnes Platonicorum scholæ moderatorem rerum omnium confitentur Deum. * Stoici eum gubernatoris vice intra id quod regat semper manere testantur. Quid potuerunt de affectu ac diligentia Dei rectius religiosiusque sentire, quam ut eum gubernatori similem

1. Cicero lib. I. de natura deorum.

* BALUZII adnotationum sedem hoc * asterisco signavimus, margini adjectis paginarum numeris editionis tertiæ Baluzianæ, ut lectori eas ad calcem positas facilius reperire posset.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

esse dicerent? hoc utique intelligentes quod sicut navigans gubernator numquam manum suam a gubernaculo, sic numquam penitus curam suam Deus tollit a mundo; ac sicut ille & auras captans, & saxa vitans, & astra suspiciens, totus sit simul tam corporis quam cordis officio operi suo deditus, ita scilicet Deum nostrum ab universitate omnium rerum nec munus dignantissimæ visionis avertere, nec regimen providentiæ suæ tollere, nec indulgentiam benignissimæ pietatis auferre. Unde etiam illud mysticæ auctoritatis exemplum, quo se non minus philosophum Maro probare voluit quam poetam, dicens: [1] *Deum namque ire per omnes terrasque tractusque maris cælumque profundum*. Tullius quoque: [2] *Nec vero Deus ipse*, inquit, *qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest quam mens soluta quædam & libera & segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens & movens*. Alibi quoque: *Nihil enim*, inquit, *præstantius Deo*. Ab eo igitur mundum regi necesse est. Nulli igitur naturæ obediens aut subjectus Deus. Omnem ergo regit ipse naturam. Nisi forte nos videlicet sapientissimi ita sentiamus, ut eum a quo omnia re- P. 5. gi dicimus, & regere simul & negligere credamus. Cum ergo omnes, etiam religionis expertes, vi ipsa & quadam necessitate compulsi, & sentiri omnia a Deo & moveri & regi dixerint; quomodo nunc eum incuriosum quidam ac negligentem putant, qui & sentiat omnia per subtilitatem, & moveat per fortitudinem, & regat per potestatem, & custodiat per benignitatem? Dixi quid de majestate ac moderamine summi Dei principes & philosophiæ simul & eloquentiæ judicarint. Ideo autem nobilissimos utriusque excellentissimæ artis magistros protuli, quo facilius vel omnes alios idem sensisse vel certe sine auctoritate aliqua dissensisse monstrarem. Et sane invenire aliquos qui ab istorum judicio discrepaverint, præter Epicureorum * vel quorumdam Epicurizantium deliramenta, non possum: qui sicut voluptatem cum virtute, sic Deum cum incuria ac torpore junxerunt; ut appareat eos qui ita sentiunt, sicut sensum Epicureorum atque sententiam, ita etiam vitia sectari.

II. Non puto quod ad probandum nunc rem tam perspicuam etiam divinis uti hoc loco testimoniis debeamus; maxime quia sermones sacri ita abunde & evidenter cunctis impiorum propositionibus contradicunt, ut dum sequentibus eorum calumniis satisfacimus, etiam ea quæ supra dicta sunt plenius refutare possimus. Ajunt igitur a Deo omnia prætermitti, quia nec coerceat malos, nec tueatur bonos, & ideo in hoc sæculo deteriorem admodum statum esse meliorum; bonos quippe esse in paupertate, malos in abundantia; bonos in infirmitate, malos in fortitudine; bonos semper in luctu, malos semper in gaudio; bonos in miseria & abje- P. 6. ctione, malos in prosperitate & dignitate. Primum igitur ab iis qui hoc ita esse vel dolent vel accusant, illud requiro, de sanctis hoc, id est, de veris ac fidelibus Christianis, an de falsis & impostoribus doleant. Si de falsis; superfluus dolor, qui malos doleat non beatos esse; cum utique quicumque mali sunt, successu rerum deteriores fiant, gaudentes sibi nequitiæ studium bene cedere; & ideo vel ob hoc ipsum miserrimi esse debent ut mali esse desistant, vindicantes improbissimis quæstionibus * nomen religionis, & præferentes ad sor- A didissimas negotiationes * titulum sanctitatis: quorum scilicet nequitiis si miseriæ comparentur, minus sunt miseri quam merentur: quia in quibuslibet miseriis constituti, non sunt tamen tam miseri quam sunt mali. Nequaquam ergo pro his dolendum quod non sunt divites ac beati; multo autem pro sanctis minus: quia quamlibet videantur ignorantibus esse miseri, non possunt tamen esse aliud quam beati. Superfluum autem est ut eos quispiam vel infirmitate vel paupertate vel aliis istiusmodi rebus existimet esse miseros, quibus se illi confidunt esse felices. Nemo enim aliorum sensu miser est, sed suo. Et ideo non possunt cujusquam falso judicio esse miseri, qui sunt vere sua B conscientia beati. Nulli enim, ut opinor, beatiores sunt quam qui ex sententia sua atque ex voto agunt. Humiles sunt religiosi, hoc volunt: pauperes * sunt, paupertate delectantur: sine ambitione sunt, ambitum respuunt: inhonori sunt, * honorem fugiunt: lugent, lugere gestiunt: infirmi sunt, infirmitate lætantur. [a] *Cum enim*, inquit Apostolus, *infirmor, tunc potens sum*. Nec immerito sic arbitratur, ad quem Deus ipse sic loquitur: [b] *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate* P. 7. *perficitur*. Nequaquam ergo nobis dolenda est hæc adflictio infirmitatum, quam intelligimus matrem esse virtutum. Itaque quidquid illud fuerit, quicumque vere religiosi sunt, beati esse dicendi sunt: C quia inter quamlibet dura, quamlibet aspera, nulli beatiores sunt quam qui hoc sunt quod volunt. Soleant quamvis esse nonnulli qui turpia atque obscena sectantes, etsi juxta opinionem suam beati sunt, quia adipiscuntur quod volunt; re tamen ipsa beati non sunt, quia quod volunt, nolle debuerant. Religiosi autem hoc cunctis beatiores sunt, quia & habent quæ volunt, & meliora quam quæ habent omnino habere non possunt. Labor itaque, & jejunium, & paupertas, & humilitas, & infirmitas non omnibus sunt onerosa tolerantibus, sed tolerare nolentibus. * Sive enim gravia hæc, sive levia, animus tolerantis facit. Nam sicut nihil est tam leve quod ei non grave sit * qui invitus facit, sic D nihil est tam grave quod non ei qui id libenter exsequitur, leve esse videatur. Nisi forte antiquis illis priscæ virtutis viris, Fabiis, Fabriciis, Cincinnatis, grave fuisse existimamus quod pauperes erant, qui divites esse nolebant; cum omnia scilicet studia, omnes conatus suos ad communia emolumenta conferrent, & crescentes reipublicæ vires privata paupertate ditarent. Numquid parcam illam tunc agrestemque vitam cum gemitu & dolore tolerabant, cum viles ac * rusticos cibos ante ipsos quibus coxerant focos sumerent, eosque ipsos capere nisi ad vesperam non liceret? Numquid ægre ferebant quod * avara ac divite conscientia auri talenta non premerent, cum etiam argenti usum E legibus coercerent? Numquid illecebras & cupidita- P. 8. tis pœnam putabant quod distenta aureis nummis marsupia non haberent, cum * patricium hominem, quod usque ad decem argenti libras dives esse voluisset, indignum curia judicarent? Non despiciebant tunc, puto, pauperes cultus, cum vestem hirtam ac brevem sumerent, cum ab aratro arcesserentur ad fasces, & inlustrandi habitu consulari, illis fortasse ipsis quas adsumturi erant imperialibus togis madidum sudore pulverem detergerent. Itaque tunc illi pauperes magistratus opulentam rempublicam habebant; nunc autem * dives

[a] II. Cor. XII. 10. [b] Ibid. ỽ. 9.

1. Virgil. lib. IV. Geor.

2. Cicero lib. I. Quæst. Tuscul. cap. XXVII.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.



potestas pauperem facit esse rempublicam. Et quæ, rogo, insania est, aut quæ cæcitas, ut egestuosa ac mendicante republica divitias posse credant stare privatas? Tales ergo tunc veteres Romani erant; & sic illi tunc contemnebant divitias, nescientes Deum, sicut nunc spernunt sequentes Dominum. Quamquam quid ego de illis loquor qui cura imperii propagandi, contemtum propriæ facultatis ad publicas opes conferebant, & licet privatim pauperes essent, divitiis tamen communibus abundabant; cum etiam Græci quidam sapientiæ sectatores sine ullo publicæ utilitatis affectu prope omni se rei familiaris usu, assequendæ gloriæ aviditate, nudaverint; nec solum hoc, sed etiam usque ad contemtum doloris ac mortis doctrinæ suæ culmen erexerint, dicentes scilicet etiam in catenis atque suppliciis beatum esse sapientem? Tantam virtutis vim esse voluerunt, ut non possit esse umquam vir bonus non beatus. Si ergo illi a quibusdam nunc etiam sapientibus viris miseri non putantur, qui nullos laboris sui fructus nisi ex præsenti tantum
P. 9. laude capiebant; quanto magis religiosi ac sancti viri miseri non putandi sunt, qui & præsentis fidei oblectamenta capiunt, & beatitudinis futuræ præmia consequentur?

III. Dixit quidam ex istis de quibus querimur cuidam sancto viro secundum veritatis regulam sentienti, id est, quod Deus omnia regeret ac pro humano genere * necessariam nosset moderationem suam & gubernaculum temperaret, Quare ergo, inquam, tu ipse infirmus es? hoc utique eo sensu atque judicio, hoc est: Si Deus, ut putas, in hac præsenti vita omnia regit, si Deus cuncta dispensat; qua ratione fortis ac sanus est homo quem peccatorem scio, & tu infirmus, quem sanctum esse non ambigo? Quis tam profundi cordis virum non admiretur, qui merita religiosorum atque virtutes tam magnis retributionibus dignas putat, ut in præsenti hac vita carnes atque fortitudines corporum præmia putet debere esse sanctorum? Respondeo igitur, non unius tantum religiosi nomine, sed universorum. Quæris igitur, quisquis ille es, qua ratione infirmi sint sancti viri. Respondeo breviter, quia ideo sancti viri infirmiores se esse faciunt; quia si fortes fuerint, sancti esse vix possunt. Opinor enim omnes omnino homines cibis ac poculis fortes esse; infirmos autem abstinentia, ariditate, jejuniis. Non ergo mirum est quod infirmi sunt qui usum earum rerum respuunt per quas alii fortes fiunt. Et est ratio cur respuant, dicente Paullo Apostolo de se ipso: [a] *Castigo corpus meum, & servituti subjicio; ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Si infirmitatem corporis appetendam sibi etiam Apostolus putat, quis sapienter evitat? Si fortitudinem carnis Apo-
P. 10. stolus metuit, quis rationabiliter fortis esse præsumit? Hæc ergo ratio est, qua homines Christo dediti & infirmi sunt & volunt esse. Absit autem ut hoc argumento religiosos putemus a Deo negligi, per quod confidimus plus amari. Legimus Timotheum Apostolum * carne infirmissimum fuisse. Numquid negligebatur a Domino, aut ob infirmitatem Christo non placuit, qui ad hoc infirmus esse voluit ut placeret? quemque etiam ipse Apostolus Paullus [b], licet nimiis jam infirmitatibus laborantem, non tamen nisi pauxillulum vini sumere ac delibare permisit; hoc est, ita eum voluit
A infirmitati suæ consulere quod noluit tamen ad fortitudinem pervenire? Et hoc cur ita? Cur absque dubio, nisi quia, ut ipse dicit, [c] *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Hæc enim*, inquit, *invicem sibi adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis.* Non imprudenter quidam hoc loco dixit * quod si repugnante corporis fortitudine, quæ optamus facere non possumus; infirmandum nobis carne sit ut optata faciamus. [1] *Infirmitas enim carnis*, inquit, *vigorem mentis exacuit, & affectis artubus*, * *vires corporum in virtutes transferuntur animorum; non turpibus flammis medullæ æstuant, non male sanam mentem latentia incentiva succendunt, non vagi sen-*
B *sus per varia oblectamenta lasciviunt; sed sola exsultat anima, læta corpore adfecto, quasi adversario subjugato.* Hæc ergo, ut dixi, religiosis viris caussa infirmitatis est; eamque esse nec tu, ut arbitror, jam negas.

IV. Sed sunt fortasse, inquis, alia majora: id est, quod multa in vita ista aspera atque acerba patiuntur, quod capiuntur, quod torquentur, quod trucidantur. Verum est. Sed quid facimus quod & P. 11.
Prophetæ in captivitatem abducti sunt, & Apostoli etiam tormenta tolerarunt? Et certe dubitare non possumus, quod tunc Deo maxime curæ erant, cum pro Deo ista paterentur. At forsitan hoc ipso ma-
C gis probare te dicis quod Deus in sæculo isto omnia negligat, & futuro totum judicio reservet, quia semper & boni omnia mala passi sunt, & fecerunt mali. Non infidelis quidem videtur adsertio, maxime quia futurum Dei judicium confitetur. Sed nos ita judicandum humanum genus a Christo dicimus, ut tamen etiam nunc omnia Deum, prout rationabile putat, regere ac dispensare credamus; & ita in futuro judicio judicaturum adfirmamus, ut tamen semper etiam in hoc sæculo judicasse doceamus. Dum enim semper gubernat Deus, semper judicat: quia gubernatio ipsa judicium est. Quot modis hoc vis probemus? ratione, an exem-
D plis, an testimoniis? Si ratione; quis tam expers humanæ intelligentiæ est & hujus ipsius de qua loquimur, veritatis alienus, qui non agnoscat ac videat pulcherrimum mundi opus & inæstimabilem supernarum infernarumque rerum magnificentiam ab eodem regi a quo creata sit, quemque elementorum fabricatorem, eumdem etiam gubernatorem fore? qui cuncta scilicet qua potestate ac majestate condiderit, eadem etiam providentia ac ratione moderetur; præsertim cum etiam in his quæ humano actu administrantur, nihil penitus sine ratione consistat, omniaque ita a providentia incolumitatem, quasi corpus ab anima vitam, trahant; ideoque in hoc mundo non solum imperia & provincias, atque rem civilem ac militarem, sed etiam minora
E officia & privatas domos, pecudes denique ipsas, P. 12.
& minutissima quæque domesticorum animantium genera, non nisi humana ordinatione atque consilio, quasi quadam manu & gubernaculo, contineri. Et hæc omnia sine dubio voluntate ac judicio summi Dei: scilicet ut eo exemplo omne genus humanum particulas rerum & membra regeret, quo ipse summam totius mundani corporis gubernaret. Sed in principio, inquis, creaturarum hæc sunt a Deo statuta atque disposita; ceterum patrata universitate rerum atque perfecta, removit a se cunctam terrestrium rerum curam & ablegavit †; la-

a I. Cor. IX. 27. b I. Tim. V. 23. c Gal. V. 17.

1. Salvianus epist. V.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.



borem videlicet forte fugiens, a suo loco amandavit, & molestiam fatigationis evitans, aut occupatus negotiis aliis, partem rerum reliquit, quia totum obire non possit.

V. Removet igitur a se, inquit, curam mortalium Deus. Et quæ ergo nobis divinæ religionis est ratio? quæ vel caussa Christum colendi, vel spes propitiandi? Si enim negligit Deus in hoc sæculo genus hominum, cur ad cælum quotidie manus tendimus, cur orationibus crebris misericordiam Dei quærimus, cur ad ecclesiasticas domos currimus, cur ante altaria supplicamus? Nulla est enim nobis ratio precandi, si spes tollitur impetrandi. Vides ergo quam stulta atque inanis sit hu- B jus persuasionis adsertio: quæ utique si recipitur, nihil penitus de religione servatur. Sed ad illud forte confugies ut dicas nos metu futuri judicii Deum colere, & id omni præsentium officiorum cultu elaborare ut in die futuri sæculi mereamur absolvi. Quid ergo sibi vult Apostolus Paullus præcipiens quotidie in ecclesia [a] ac jubens ut offeramus jugiter Deo nostro orationes, obsecrationes, postu-
P. 13. lationes, gratiarum actiones? Et hæc omnia quam ob caussam? quam utique, nisi, ut ipse dicit [b], *ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni castitate*, Pro præsentibus, ut videmus, Domino supplicari jubet & orare: quod utique non juberet, nisi exorare posse confideret. Quomodo ergo ali- C quis pro obtinendis futuri temporis bonis apertas Dei aures, pro præsentibus autem clausas atque obstructas putat? Aut quomodo nos in ecclesia supplicantes præsentem nobis salutem a Deo poscimus, si audiendos nos penitus non putamus? Nulla ergo nobis pro incolumitatibus ac prosperitatibus nostris vota facienda sunt. Quin potius ut modestia supplicationis vocem conciliet postulantis, dicendum fortasse nobis est: Domine, non prosperitatem vitæ istius petimus, nec pro bonis præsentibus supplicamus; scimus enim aures tuas his obsecrationibus clausas esse & auditum te ad preces istiusmodi non habere, sed pro his tantummodo petimus quæ sunt futura post mortem. Esto igitur, D postulatio talis utilitate non careat; quomodo ratione subsistit? Si enim Deus a respectu hujus sæculi curam removit, & postulantium precibus aures suas clausit; absque dubio qui non audit nos pro præsentibus, non audit etiam pro futuris: nisi forte credimus pro precum diversitate aures suas Christum vel tribuere vel negare, id est, ut claudat eas cum rogantur præsentia, aperiat cum futura. Sed de his dicendum amplius non est. Tam stulta enim sunt & tam frivola, ut cavendum sit ne id ipsum quod pro honore Dei dicitur, injuria Dei esse videatur. Tanta quippe est majestatis sacræ & tam tremenda reverentia, ut non solum ea quæ ab illis contra religionem dicuntur horrere, E
P. 14. sed etiam quæ pro religione nos ipsi dicimus cum grandi metu ac disciplina dicere debeamus. Igitur si stulte atque impie creditur quod curam humanarum rerum pietas divina despiciat, ergo non despicit. Si autem non despicit, regit. Si autem regit, hoc ipso quod regit judicat: quia regimen esse non potest, nisi fuerit jugiter in rectore judicium.

VI. Sed parum esse fortasse quispiam putet quod hoc ratio declarat, nisi probetur exemplis. Videamus qualiter mundum a principio Deus rexerit; & ita eum omnia semper gubernasse monstrabimus, ut simul etiam judicasse doceamus. Quid enim scri-

A ptura dicit: [c] *Formavit igitur Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in eum spiraculum vitæ*. Et quid postea? [d] *Posuit*, inquit, *eum in paradiso voluptatis*. Quid deinceps? Dedit scilicet legem, præceptis imbuit, institutione formavit. Quid autem post hæc secutum est? Præteriit homo mandatum sacrum, sententiam subiit, paradisum perdidit, pœnam damnationis excepit. Quis non in iis omnibus & gubernatorem Deum videat & judicem? Constituit enim Adam in paradiso innocentem, expulit reum. In constitutione ordinatio est, in expulsione judicium. Quando enim eum in loco voluptatis posuit, ordinavit: quando autem reum de regno expulit, judicavit. Ergo hoc de primo homine, id est, de patre. Quid de secundo, id est, de filio? [e] *Factum est*, inquit scriptura sacra, *post multos dies ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primitiis gregis sui & de adipibus ejus. Et respexit Dominus ad Abel & ad munera ejus: ad Cain vero & ad munera ejus non respexit*. Prius quam de evidentiore judicio Dei dicam, puto quod etiam in his quæ jam P. 15.
diximus, quædam censura judicii est. In hoc enim quod unius sacrificium Deus suscipit, alterius excludit, evidentissime utique & de unius justitia & de iniquitate alterius judicavit. Sed hoc parum est. Cum igitur futuro facinori viam sternens fratrem in solitudinem trahit, secretis patrocinantibus scelus peragit, impiissimus pariter & stultissimus, qui ad perpetrandum maximum nefas sufficere sibi credidit si aspectus vitaret hominum, fratricidium Deo teste facturus. Unde puto quod hæc in illo jam tunc opinio fuerit quæ nunc in multis est, Deum scilicet terrestria non respicere & actus sceleratorum hominum non videre. Nec dubium est, cum post facinus admissum, Dei sermone conventus, nihil se de cæde fratris scire * responderit. Adeo inscium facti sui Deum arbitrabatur ut crederet feralissimum nefas tegi posse mendacio. At aliter expertus est quam putabat. Nam Deum, a quo non existimavit videri scelera cum occideret, sensit videre cum damnaretur. Heic nunc requirere ab illis volo qui negant res nunc humanas vel respici a Deo, vel regi, vel judicari; an cuncta in his quæ diximus e diverso sint. Puto enim quod præsens est qui sacrificio interest, & regit qui Cain post sacrificia castigat, & solicitus est qui ab interfectore interfectum requirit, & judicat qui percussorem impium justa animadversione condemnat. In quo quidem etiam illud non incommode: verum ne miremur * nunc sanctos homines quædam aspera pati, cum videamus quod jam tunc Deus etiam per maximum nefas primum sanctorum * sivit occidi. Quæ quidem qua ratione patiatur, neque humanæ imbecillitatis est plena in- P. 16.
dagine cognoscere, neque nunc temporis disputare. Interim probare satis est omnia istiusmodi non negligentia aut incuria Dei fieri, sed consilio ac dispensatione permitti. Nequaquam autem injustum possumus dicere, in quo divinum esse judicium non possumus denegare: quia summa justitia est, voluntas Dei. Neque enim ideo non justum est quod divinitas agit, quia capere vim divinæ justitiæ homo non valet. Sed ad propositum revertamur.

VII. Videmus ergo in his quæ dicta sunt nihil incuria Dei actum, sed quia quædam ex his dispositio divina ita ordinavit, quædam patientia sustinuit, quædam sententia judicavit *. Sed non satis quidam forte existimant hæc quæ dicimus nos probasse per

a I. Tim. II. 1. *b* Ibid. ℣. 2. *c* Gen. II. 7. *d* Ibid. ℣. 15. *e* Gen. IV. 3-5.

pautos. Videamus an id ipsum manifestare possimus etiam per universos. Aucta igitur ac multiplicata humani generis multitudine simul & iniquitate, *videns Deus*, inquit scriptura sacra [a], *quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore; pœnituit eum quod hominem fecisset in terra: & tactus dolore cordis intrinsecus, Delebo, inquit, hominem quem creavi, a facie terræ*. Consideremus quemadmodum in his omnibus & solicitudo Domini pariter & severitas indicetur. Primum enim ait: *Videns autem Deus*. Secundo, *Tactus dolore cordis intrinsecus*. Tertio, *Delebo*, inquit, *hominem quem creavi*. In hoc siquidem quod videre omnia Deus dicitur, cura ejus ostenditur; in hoc quod dolet, terror irati; in hoc quod punit, severitas judicantis. *Pœnituit ergo*, inquit scriptura sacra, *Deum quod hominem fecisset in terra*; non quod Deus sit obnoxius huic motui aut ulli subja-
P. 17. ceat passioni *; sed sermo divinus ad insinuandam plenius nobis rerum scripturarum intelligentiam, quasi humano nobiscum affectu loquens, sub nomine pœnitentis Dei vim * demonstravit irati. Ira est autem divinitatis, pœna peccantis. Quid ergo post hæc secutum est? [b] *Cum*, inquit, *vidisset Deus terram esse corruptam, dixit ad Noe: Finis universæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate a facie eorum, & ego disperdam eos cum terra*. Et quid postea? [c] *Rupti sunt*, inquit, *omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cæli apertæ sunt: factaque est pluvia super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus*. Et paullo post: [d] *Consumta est omnis caro quæ movebatur super terram*. Et deinceps: [e] *Remansit autem solus Noe, & qui cum eo erant in arca*. Heic nunc requirere ab illis volo qui incuriosum rerum humanarum appellant Deum, an illo tempore vel curasse eum terrestria credant vel judicasse. Puto enim non judicavit tantum, sed etiam dupliciter judicavit. Nam dum servabat bonos, pium se retributorem; & dum condemnat malos, se verum judicem comprobavit. Sed hæc forsitan apud stultos, quia ante diluvium, id est, quasi alio quodam sæculo gesta sunt, minus auctoritatis habere videantur. Quasi vero aut tunc alius Deus fuerit, aut postea eamdem mundi curam habere noluerit. Possum quidem divino munere per singulas post diluvium generationes probare quæ dico; sed & enormitas vetat, & tamen certa quædam & majora sufficiunt: quia cum idem sit absque dubio majorum pariter ac minorum Deus, id profecto intelligendum est in minoribus quod in majoribus comprobatur.

P. 18. VIII. Igitur cum post diluvium generationi hominum benedixisset Deus, immensamque hominum multitudinem benedictio ipsa generasset, loquitur ad Abraham Dominus e cælo [f], jubens ut deserat terram suam, inquirat alienam. Vocatur, sequitur, adducitur, conlocatur; fit de paupere locuples, de ignoto potens, infimus peregrinatione, excellentissimus dignitate. Sed ne hæc tamen quæ ei data a Deo * fuerant, muneris tantum viderentur fuisse, non meriti; qui lætabatur prosperis, probatur adversis. Sequitur quippe labor, periculum, timor. Vexatur commigratione, fatigatur exsilio, contumelia adficitur, uxore privatur: immolari sibi Deus filium jussit, pater obtulit; & quantum ad defunctionem * cordis pertinet, immolavit. Rursum exsilia, rursum metus, Philistinorum

A invidia, Abimelech rapina: multa quidem mala, sed tamen paria solatia. Nam etsi a plurimis adficitur, tamen de omnibus vindicatur. Quid igitur in cunctis istis quæ memoravimus? num Deus non est & inspector, & invitator, & ductor, & solicitus, & sponsor, & protector, & munerator, & probator, & sublimator, & ultor, & judex? Inspector quippe est, dum ex omnibus unum elegit quem meliorem vidit; invitator, dum vocat; ductor, dum ad ignota perducit; solicitus, dum ad ilicem visitat; sponsor, dum futura promittit; protector, quia inter gentes barbaras protexit; munerator, quia locupletavit; probator, quia tentari asperis voluit; sublimator, quia potentiorem omni-
B bus fecit; ultor, quia eum de adversariis ultus est; judex, quia dum ulcifcitur, judicavit. Subjungit autem statim huic historiæ Deus dicens: [g] *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum adgravatum est nimis*. *Clamor*, inquit, P. 19.
Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est. Pulcre clamorem dixit in se habere peccata. Grandis enim absque dubio peccantium clamor est, qui a terra ascendit ad cælum. Quare autem peccata hominum quasi clamare testatur? Scilicet quia cædi aures suas Deus dicit clamoribus peccatorum, ne differatur pœna peccantium. Et vere clamor, & grandis clamor est, quando pietas Dei peccatorum clamoribus vincitur ut peccantes punire cogatur. Osten-
C dit ergo Dominus quam invitus puniat etiam gravissimos peccatores, dicens quod clamor Sodomorum ad se ascenderit. Hoc est dicere: Misericordia quidem mea mihi suadet ut parcam, sed tamen peccatorum clamor cogit ut puniam. Cum ergo ista dixisset, quid consecutum est? Mittuntur angeli Sodomam [h], proficiscuntur, introeunt, bonorum foventur officio, malorum vexantur injuria; cæcantur improbi, salvantur probi. Loth cum affectibus * piis urbe educitur: urbs cum habitatoribus impiis concrematur. Interrogo heic, utrumnam Deus ex judicio malos, an sine judicio concremarit? Qui sine judicio Sodomitas punitos a Deo dicit, iniquum Deum arguit. Si autem cum judi-
D cio malos perdidit, judicavit. Judicavit utique *; & quidem jam quasi ad instar futuri judicii judicavit. Cum enim ad supplicium malorum gehennam in futurum arsuram esse manifestum sit, Sodomam & vicinas ei urbes cælestis flamma consumserit. In præsenti autem illud quod futurum est, Deus voluit declarare judicium, quando super impium populum gehennam misit e cælo; sicut etiam Apostolus dicit [i], quod Deus civitates Sodomam & P. 20.
Gomorrham eversione damnarit, exemplum ponens impie acturis: quamvis id ipsum quod ibi actum est, plus habuerit misericordiæ quam severitatis. Quod enim pœnam eorum tam diu distulit, misericordiæ fuit; justitiæ, quod aliquando punivit. Et
E ideo cum angelos Sodomam Deus mitteret, hoc nobis probare voluit, quod etiam malos puniret invitus. Scilicet ut cum legeremus quæ a Sodomitis angeli pertulissent, & videremus scelerum immanitatem, criminum turpitudinem, libidinum obscenitatem; probaret utique nobis Deus quod ipse eos noluerit perdere, sed ipsi extorserint ut perirent.

IX. Possum innumera proferre. Sed vereor ne dum satis rem probare nitimur *, historiam texuisse videamur. Moyses in deserto positus gregem pascit [k], rubum ardere conspicit, Deum ex rubo audit, præcepta accipit, potestate exaltatur, ad Pha-

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.



[a] Gen. VI. 5-7. [b] Ibid. ℣. 13. [c] Gen. VII. 11. 12. [d] Ibid. ℣. 21. [e] Ibid. ℣. 23. [f] Gen. XII. 1. [g] Gen. XVIII. 20. [h] Gen. XIX. 1. seqq. [i] II. Pet. II. 6. [k] Exod. III.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.



raonem mittitur, venit, loquitur, contemnitur, vincit. Ægyptus percutitur, Pharaonis inobedientia verberatur, & quidem non uno modo; scilicet ut plus sacrilegus * torqueatur diversitate supplicii. Et quid postremo? * decies rebellat, decies verberatur. Quid ergo dicimus? Puto quod in his omnibus & curare pariter res humanas Deum & judicare cognoscas. In Ægypto * quippe tunc enim non simplex tantum, sed multiplex constat Dei fuisse judicium. Quotiescumque enim rebellantes Ægyptios percussit, toties judicavit. Sed post ista quæ diximus, quid sequutum est? Israel dimittitur, pascha celebrat *, Ægyptios spoliat, dives abscedit. Pharaonem pœnitet, exercitum contrahit, ad fugientes pervenit, castris jungitur, tenebris se- P. 21. paratur, siccatur pelagus, Israel graditur, officiosa undarum patientia liberatur. Pharao sequitur, mare super eum volvitur *, fluctu operiente deletur. Puto jam non obscurum in his quæ acta sunt, Dei esse judicium; & quidem non judicium tantum, sed etiam moderationem atque patientiam. Patientiæ enim fuit quod Ægyptii rebellantes * sæpe percussi sunt; judicii, quod contumaciæ pertinaces * morte damnati. Igitur post hunc rerum gestarum ordinem ingreditur eremum victrix sine bello gens Hebræorum. Agit iter sine itinere, viatrix sine via, prævio Deo, divino commilitio honorabilis, ductu cælesti potens, sequens mobilem columnam, nubilam die, igneam nocte, congruas colorum diversitates pro temporum diversitate sumentem; scilicet ut & diei lucem * lutea obscuritate distingueret, & caliginem noctis flammeo splendore claritatis radiaret. Adde huc fontes repente natos, adde medicatas aquas vel datas vel immutatas *, speciem servantes, naturam relinquentes. Adde aperta erumpentibus rivis montium capita, adde scaturientia novis pulverulenta arva torrentibus, adde inlatos itinerantium castris alitum greges Dei pietate indulgentissima, non usibus tantum hominum, sed etiam inlecebris servientes *, datum per quadraginta annos astris quotidie famulantibus cibum, rorantes jugiter escis dulcibus polos, non ad victum tantum, sed etiam ad delicias profluentes. Adde homines in nullis membrorum suorum partibus accessus & decessus humanorum corporum nescientes, ungues non auctos, dentes non imminutos, capillos semper æquales, non attritos pedes, non scis- P. 22. sas vestes *, calciamenta non rupta, redundantem hominum honorem usque ad induviarum vilium dignitatem. Adde huc erudiendæ gentis officio descendentem ad terras Deum, accommodantem se terrenis visibus Deum filium *, innumeræ multitudinis plebem in consortium divinæ familiaritatis admissam, sacræ amicitiæ honore pollentem. Adde huc tonitrua, adde fulgura, terribiles buccinarum cælestium sonos, tremendum undique totius aeris fragorem, polos sacris clangoribus mugientes, ignes, caligines, nebulas Deo plenas, loquentem cominus Dominum, legem divino ore resonantem, incisas digito Dei litteras, rupices paginas *, saxeum volumen, discentem populum, & docentem Deum, ac mixtis pæne hominibus atque angelis unam cæli ac terræ scholam. Sic enim scriptum est, quod cum retulisset Moyses verba populi ad Dominum, dixerit ei Dominus: [a] *Jam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te*. Et paullo post: [b] *Ecce*, inquit, *cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura & nubes densissima*

A *operire montem*. Et iterum: [c] *Descenditque (Dominus) super montem Sina in ipso montis vertice*. Ac deinceps: [d] *Loquebaturque cum Moyse, videntibus universis quod columna nubis staret ad ostium tabernaculi: stabantque & ipsi, & adorabant per fores tabernaculorum suorum. Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum*. Quæ cum ita sint, videtur ne habere hominis curam Deus, hæc tanta tribuens, hæc tanta præstans, participem sermonis sui vilem homunculum faciens, & quasi in consortium sacræ sodalitatis admittens, aperiens ei plenas divitiis immortalibus palmas suas, alens eos nectaris poculo, P. 23. pascens cælesti cibo? Quam, rogo, majorem eis gu- B bernaculi sui præstare curam, quem majorem præstare potuit affectum, quam ut cum præsentis sæculi vitam agerent, speciem jam futuræ beatitudinis * possiderent?

X. Sed respondeatur forte hoc loco, habuisse quondam hanc hominum curam Deum; ceterum nunc penitus non habere. Unde hoc ita credimus? forsitan quia, ut illi tunc, mannam quotidie non comedimus, cum agros triticeos plenos messibus demetamus; quia coturnices humanis se manibus ingerentes non adprehendimus, cum omnia avium, pecudum, bestiarum genera devoremus; quod salientes rupibus aquas apertis oribus non excipi- C mus *, cum vinarias domos vinearum fructibus inrigemus? Addo ego amplius aliquid, quod nos ipsi, qui illos tunc Deo curæ fuisse & nos a Deo negligi dicimus, si accipere pro præsentibus bonis præterita possemus, respueremus penitus conditionis istius optionem. Nollemus enim hæc quæ nunc habemus amittere, ut possemus ea quibus tunc illi usi sunt possidere; non quod nos meliora nunc habeamus quam gens illa tunc habuit; sed quia & illi qui quotidiano tunc cæli ac Dei ministerio pascebantur, antiquam ventris ingluviem bonis præsentibus præferebant, turpissima scilicet ciborum carnalium recordatione mæsti, & fetidissimo cæparum atque alliorum amore ægrescentes: non quod D potiora essent quibus antea usi erant; sed quia quod nunc a nobis fit, hoc tunc ab illis. Illi horrebant quæ erant; & quæ non erant, desiderabant. Nos magis laudamus illa quæ tunc fuerunt quam ista quæ nunc sunt; non quia si eligendi facultas esset, P. 24. semper habere illa mallemus; sed quia usitatum hoc humanæ mentis est vitium, illa magis * semper velle quæ desunt. Et quia, ut ille ait [1], *aliena nobis, nostra plus aliis placent*; accidit quoque illud * quod generale ferme est omni homini, ut Deo semper ingratus sit; insitoque hoc & quasi nativo malo se cuncti invicem vincunt, ut beneficiis Dei detrahant, ne debitores se esse cognoscant. Sed hæc hactenus. Nunc ad negotii du- E dum cœpti ordinem revertamur; quamvis, ut reor, non mediocriter jam probaverimus quæ proposuimus; sed addamus tamen adhuc, si placet, quippiam: quia melius est plus probare aliquid quam necesse est, quam minus forsitan quam negotio debeatur.

XI. Liberatus quondam de Pharaonis jugo populus Hebræorum, ad Sina montem prævaricatus est, & statim a Domino pro errore percussus. Sic enim scriptum est: [e] *Percussit ergo Dominus populum pro errore vituli quem fecerat Aaron*. Quod potuit ma-

a Exod. XIX. 9. *b* Ibid. ℣. 16. *c* Ibid. ℣. 20. *d* Exod. XXXIII. 9-11. *e* Exod. XXXII. 35.

1. P. Syrus.

jus & evidentius de peccatoribus Deus ferre judicium, quam ut statim consequeretur pœna * peccantes? Et tamen cum omnis populus reus fuerit, cur non est in omnes missa damnatio? Quia pius scilicet Dominus partem percussit sententiæ suæ gladio ut partem corrigeret exemplo, præberetque omnibus simul & coercendo censuram & indulgendo pietatem. Censura enim fuit quod castigavit; pietas, quod pepercit: quamvis utrumque impari modo. Plus siquidem tunc pietati datum est quam severitati. Ideo utique, quia cum indulgentissimus Dominus propensiorem se semper miserationi præstet quam ultioni, licet in coercenda tunc Judaici exercitus parte judicio ac severitati censura divina
P. 25. aliquid attribuerit, majorem tamen sibi populi portionem pietas vindicavit: specialiter quidem hoc, & peculiari tunc innumeræ plebis misericordia; ne omnes scilicet quos reatus complectebatur, pœna consumeret. Ceterum erga quasdam personas, ut legimus, ac familias censura Dei inexorabilis est; sicut illud, ubi otiante sabbatis populo, is qui colligere ligna usurparat, occidi jubetur [a]: quamvis enim opus ipsum hominis videretur innoxium, faciebat tamen eum diei observatio criminosum. Vel cum duobus lite certantibus, unus qui blasphemarat, morte multatur. Sic enim scriptum est: [b] *Ecce autem filius mulieris Israelitidis quem pepererat de viro Ægyptio inter filios Israel, jurgatus est in castris cum viro Israelite. Cumque blasphemasset nomen Domini, & maledixisset ei, adductus est ad Moysen.* Et paullo post: [c] *Miserunt*, inquit, *eum in carcerem, donec viderent quid juberet Dominus. Qui locutus est ad Moysen, dicens: Educ blasphemum extra castra, & ponant omnes qui audierunt, manus super caput ejus, & lapidet eum populus universus.* Numquid non præsens Dei est manifestumque judicium, & prolata quasi juxta humani examinis formam cælesti disceptatione sententia? Primum, qui peccaverat comprehensus est; secundo, quasi ad tribunal adductus; tertio, accusatus; deinde in carcerem missus; postremo, cælestis judicii auctoritate punitus. Porro autem non punitus tantum, sed punitus sub testimonio; ut damnare scilicet videretur reum justitia, non potestas: exemplo scilicet ad cunctorum emendationem * proficiente, ut ne quis postea admitteret quod omnis
P. 26. in uno populus vindicasset. Hac igitur ratione atque judicio omnia Deus & nunc agit & semper egit; scilicet ut correctioni omnium proficeret quidquid singuli pertulissent. Sicut etiam & illud fuit, [d] cum Abiu & Nadab, sacerdotalis sanguinis viri, cælesti igne consumti sunt; in quibus utique non judicium tantum, sed præsens Deus ostendere voluit impendensque judicium. Sic enim scriptum est [e], quod cum egressus ignis a Domino devorasset holocaustum; [f] *arreptis Nadab & Abiu filii Aaron turibulis, posuerunt ignem & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum: quod eis præceptum non erat. Egressusque ignis a Domino, devoravit eos; & mortui sunt coram Domino.* Quid enim aliud quam extentam super nos dexteram suam & imminentem jugiter gladium voluit ostendere, qui errorem supra dictorum statim in ipso opere punivit, nec pæne prius peractum est facinus peccantium, quam ulcisceretur pœna peccatum. Quamvis non id tantum in hac re actum sit, sed etiam multa alia. Cum enim in illis tunc non mens im-

A pia, sed facilitas nimium inconsulta punita sit; declaravit profecto Dominus quo supplicio digni essent qui contemtu divinitatis aliquid admitterent, quando etiam illi percussi a Deo essent qui sola mentis inconsideratione peccassent; aut quam rei essent qui contra jussionem Domini sui facerent, cum etiam illi taliter plecterentur qui injussa fecissent. Porro autem etiam ex hoc consulere Deus voluit nostræ correctioni per censuram salubris exempli, ut omnes laici intelligerent quantum iram Dei timere deberent, cum a præsenti pœna filios sacerdotis nec meritum parentis eriperet, nec ministerii sacri privilegium vindicaret. Sed quid ego de P. 27.
his dico quorum inconsiderantia quodammodo Deum
B tetigit & ad cælestem injuriam redundavit? Maria contra Moysen loquitur, & punitur; nec punitur tantum, sed judicii more punitur. Primum enim ad judicium vocatur, deinde arguitur, tertio verberatur. In objurgatione excipit vim sententiæ, in lepra autem patitur piaculum criminosæ: quamvis coercitio istiusmodi non Mariam tantum, sed etiam Aaronem humiliaverit; quia etsi deformari lepra summum antistitem non oportuit, & ipsum tamen Domini castigatio flagellavit: nec solum hoc; sed in pœnam quam Maria patitur, Aaron etiam quasi culpæ particeps coercetur. Maria enim supplicio adficitur, ut Aaron confusione multetur. Porro autem ut inexorabilem in quibusdam agnosceremus
C formam divini esse judicii, ne illius quidem intercessu qui læsus fuerat indulsit. Sic enim legimus ad Aaronem & Mariam dixisse Dominum: [g] *Quare igitur non timuisti detrahere servo meo Moysi? iratusque abiit. Et ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix; clamavitque Moyses ad Dominum dicens: Obsecro, Domine, sana eam. Cui respondit Dominus: Si pater ejus spuisset in faciem illius, non debuerat saltem decem dierum rubore suffundi? Separetur septem diebus extra castra, & postea revocabitur.* Sufficiant igitur de hoc genere divisionis & de hac parte sermonis ista quæ diximus. Infinitum enim est de omnibus disputare, quæ nimis longum est etiam sine disputatione numerare. Sed adhuc
D tamen aliquid addamus.

XII. Pœnitet gentem Hebræorum de Ægypto recessisse [h]; percutitur: dolet deinde fatigari se labore itineris; adfligitur: carnes desiderat, verbera- P. 28.
tur. Et quia quotidie mannam edens explere inlecebris cupit ventris ingluviem, optata quidem cupiditate saturatur, sed in ipsa tamen saturitate torquetur. [i] *Adhuc enim*, inquit scriptura, *esca erat in ore ipsorum: & ira Dei ascendit in eos. Et occidit plurimos eorum, & electos Israel impedivit.* [k] Og contra Moysen rebellat; extinguitur. [l] Core conviciatur; obruitur. Dathan & Abiron murmurant; devorantur. [m] *Aperta est enim*, inquit,
E *terra, & deglutivit Dathan, & operuit synagogam Abiron.* Ducenti quoque & quinquaginta, ut sacer sermo testatur, principes viri qui tempore concilii per nomina vocabantur, surrexerunt contra Moysen: [n] *Cumque stetissent contra Moysen & Aaron, dixerunt: Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus. Cur elevamini super populum Domini?* Et quid post hæc? [o] *Ignis*, inquit, *egressus a Domino interfecit ducentos quinquaginta viros qui offerebant incensum.* Sed cum hæc tanta fierent, cælestis cura non profuit. Adhi-

a Num. xv. 35. *b* Levit. xxiv. 10. 11. *c* Ibid. ℣℣. 12-14. *d* Num. xxvi. Levit. X. II. Paral. xxiv. *e* Levit. ix. 24. *f* Levit. X. 1. 2. *g* Num. xii. 8-14. *h* Exod. xvi. *i* Psalm. lxxvii. 30, 31. *k* Deut. III. *l* Num. xvi. *m* Psalm. cv. 17. *n* Num. xvi. 3. *o* Ibid. ℣. 35.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.



bita est sæpissime coercitio, sed emendatio non est A secuta. Sicut enim nos, cum flagellamur assidue, non corrigimur; ita & illi, cum cæderentur sæpissime, non emendabantur. Quid enim scriptum est? [a] *Murmuravit autem omnis multitudo filiorum Israel sequenti die contra Moysen & Aaron, dicens: Vos interfecistis populum Domini*. Et quid postea? Percussa sunt statim & divino igne consumta quatuordecim millia hominum & septingenti. Cum omnis ergo tunc populi multitudo peccaverit, cur non est in omnibus vindicatum? præsertim cum ex illa quam supra dixi, seditione Core nullus evaserit. Cur ibi cunctum peccantum cœtum interfici P. 29. Deus voluit, heic tantummodo portionem? Scilicet quia plenus & justitiæ & misericordiæ * Dominus, & pietati suæ multa donat per indulgen- B tiam, & severitate punit per disciplinam. * Et ideo ibi præstitit disciplinæ, ut proficeret cunctorum emendationi pœnam omnium noxiorum: heic autem misericordiæ suæ tribuit, ne universus populus deperiret. Et tamen cum tam misericorditer egerit, quia in parte plebis castigatio toties repetita non profuit, ad ultimum omnes morte damnavit. Quæ res & timori & emendationi nostræ simul proficere deberet; scilicet ne qui illorum exemplo penitus non corrigimur, illorum fortasse exitu puniamur. Non enim dubium est, quid actum de eis fuerit. Nam cum universa gens Hebræorum ad hoc de Ægypto exierit ut terram repromissionis intraret, præter duos tantum sanctos nullus intravit. Sic enim scriptum est: [b] *Locutus est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens: Usquequo multitudo hæc pessima murmurat contra me? Vivo ego, ait Dominus: sicut locuti estis ante me hodie, sic faciam vobis. In solitudine hac jacebunt cadavera vestra*. Et quid postea? [c] *Parvulos*, inquit, *vestros de quibus dixistis quod prædæ hostibus forent, introducam ut videant terram quæ vobis displicuit. Vestra cadavera jacebunt in solitudine*. Et quid deinde? [d] *Omnes*, inquit, *mortui sunt atque percussi in conspectu Domini*. Quid est quod in his omnibus non sit? Vis videre rectorem? Ecce & præsentia corrigit, & futura disponit. Vis videre severum * judicem? Ecce noxios punit. Vis videre justum & pium? Ecce innocentibus parcit. Vis videre in omnibus judicem? Ecce ubique judicium est. Nam & ut ju- P. 30. dex arguit, & ut judex regit. Judex promit sententiam, judex noxios perimit, judex innoxios muneratur.

Explicit liber primus.

[a] Num. XVI. 41. [b] Num. XIV. 26-29. [c] Ibid. ✝✝. 31. 32. [d] Ibid. ✝✝. 36. 37.



INCIPIT

LIBER II.

I. SUfficiunt igitur de exemplis ista quæ diximus; quibus utique jugiter Deus noster & contemplator solicitissimus, & gubernator piissimus, & judex justissimus comprobatur. Sed cogitat de imperitioribus forte aliquis: Si sic aguntur nunc a Deo omnia ut tunc acta sunt, quid est quod mali prævalent, adfliguntur boni; & cum tunc iram mali senserint, & misericordiam boni; nunc videntur sentire quodammodo boni iram & mali gratiam? Paullo post ad ista respondeam. Nunc quia tria hæc, id est, præsentiam Dei, gubernationem atque judicium, tribus his me probaturum esse promisi, hoc est, ratione, exemplis ac testimoniis; quia ratione & exemplis jam satisfecimus, superest ut testimoniis declaremus: quamvis exempla ipsa quæ diximus, haberi pro testimoniis debeant; quia recte testimonium esse dicitur quo rerum veritas adprobatur. Quid igitur ex illis tribus quæ supra dicta sunt, per testimonia sacra primum probari debet, præsentia, an gubernatio, an ne judicium? Præsentia, opinor: quia qui vel recturus est * vel judicaturus, præsens absque dubio esse debet, ut P. 31. vel regere quidquid illud est vel judicare possit. Loquens in voluminibus suis sermo divinus sic ait: [a] *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos*. Ecce habes præsentem, ecce intuentem, ecce in omni loco cura ac provisione vigilantem. Idcirco enim & bonos ab eo considerari & malos dixit; ut probaret scilicet nihil ab eo negligi, quem ostenderet universa rimari. Quod ut plenius capias, audi quid in alio scripturarum loco idem testatur Spiritus sanctus: [b] *Oculi*, inquit, *Domini super timentes eum, ut eripiat a morte animas eo- C rum, & alat eos in fame*. Ecce cur aspicere justos homines Deus dicitur; utique ut conservet, ut protegat. Aspectus enim divinitatis * propitiæ, munus est conservationis humanæ. Nam & alibi idem divinus Spiritus: [c] *Oculi*, inquit, *Domini super justos, & aures ejus in preces eorum*. Vide qua benignitate agere cum suis Deum scriptura dicit. In hoc siquidem quod ait oculos Domini super justos esse, affectus aspicientis ostenditur: in hoc autem quod aures in precibus paratas, semper exaudientis largitas demonstratur. Quamvis per id quod dicit, divinas aures in precibus semper esse justorum, non audientia tantum Dei, sed quædam quasi obedientia Dei designetur. Quomodo enim in precibus justorum D divinæ aures sunt? Quomodo, nisi ut semper audiant, nisi ut semper exaudiant, nisi ut promte audita tribuant, nisi ut ilico exaudita concedant? Semper ergo ad audiendas sanctorum preces paratæ Domini nostri aures, semper attentæ sunt. Quam beati essemus omnes, si quam promtam erga nos Dei audientiam legimus, tam promte ipsi Deum audire vellemus! Sed forsitan dicis, hoc quod justos aspicere Deus le- P. 32. gitur, parum prodesse caussæ, quia non sit generalis divinitatis intuitus qui justis tantum speciali benignitate tribuatur. Jam quidem superius sacer sermo testatus est, quia oculi Domini contemplantur bonos & malos. Sed si hoc etiam nunc vis plenius probari, respice quid sequatur. Hoc enim subditur: [d] *Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum*. Vide absque dubio, quia non potes queri quod non aspiciat etiam injustos Deus; quia intelligis generalem quidem esse in omnes Domini visionem, sed merito-

[a] Prov. XV. 3. [b] Psalm. XXXII. 18. 19. [c] Psalm. XXXIII. 16. [d] Ibid. ✝. 17.

Sæcul. V.
circa
Ann. Chr.
445.



rum fieri disparilitatem diversam. Boni quippe aspiciuntur ut conserventur, mali ut disperdantur: cum quibus utique partem & ipse habens, qui hominem a Deo aspici negas, non solum videri te a Domino evidenter intellige, sed periturum quoque indubitanter agnosce. Nam cum ad hoc sit *vultus Dei super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum*; [a] necesse est ut qui aspicere Dei vultum per fidem negas, aspicientis iram perditione cognoscas. Igitur de præsentia ac de aspectu Dei ista sufficiunt.

DE GUBERNATIONE DEI.

II. Videamus nunc an qui respicit regat, cum utique ipsa ratio aspiciendi caussam in se habeat gubernandi: quia non ad hoc respicit ut cum aspexerit negligat, qui scilicet per id ipsum non negligere intelligitur quia respicere dignatur; præsertim cum superius sacer sermo testatus sit, malos ad perditionem a Deo aspici, bonos ad salutem. Hoc ipso utique dispensatio divini guberna-
P. 33. culi demonstratur. Hoc est enim justa gubernatione regere & singulos quosque homines pro meritorum diversitate tractare. Sed accipe tamen de hac re plenius testimonium. Dicit ad Deum patrem in psalmo Spiritus sanctus: [a] *Qui regis Israel, intende*. Israel, videns Deum interpretatur: quem utique cum Christiani fide & corde videant qui fideliter credunt, licet gubernator omnium Deus sit; illis tamen peculiariter regimen præstari a Deo dicitur, qui regi peculiariter a divinitate mereantur. Unde & tu, quicumque ille es, si Christianus es, necesse est ut regi te a Deo credas. Si autem gubernari te a Deo cum ceteris Christianis omnino non putas, necesse est extra omnes Christianos te esse cognoscas. Sed si illud, ut supra jam diximus, magis quæris quod ad omnes homines, non quod ad solos pertinet Christianos; ecce evidenter dicit volumen sacrum cuncta quotidie nutu divinitatis regi & incessabiliter a Deo omnia gubernari. [1] *Ipse enim*, inquit [b], *diligit consilium & disciplinam*. Nec enim est aliud Deus, cujus cura est de omnibus. [c] *Cum sis ergo*, inquit, *justus, juste omnia disponis, & cum magna reverentia disponis nos*. Ecce habes jugiter disponentem Deum, jugiter gubernantem: quamvis in isto scripturæ loco non gubernatio tantum sacra, sed etiam dignitas declaretur humana. In hoc enim quod ait, *disponis nos*, vis divinæ gubernationis; in hoc autem quod *cum magna reverentia*, culmen humanæ ostenditur dignitatis. Alibi quoque in Propheta: [d] *Numquid non cælum*, inquit, *& terram ego impleo?* Cur autem cuncta impleat, ipse declarat: [e] *Quia vobiscum sum*, inquit, *ut salvos faciam vos*. Ecce enim non modo regimen suum Dominus & impletionem, sed
P. 34. etiam vim ac beneficium ipsius adimpletionis ostendit. Hunc enim fructum in se habet divinitatis impletio, ut salvet ea quæ adimplentur. Et ideo in Apostolorum actibus beatissimus Paullus, [f] *In ipso*, inquit, *& vivimus & movemur & sumus*. Plus absque dubio quam gubernator est vitæ, in quo motus ipse viventis est. Non enim dixit ab ipso nos, sed in ipso moveri, docens scilicet insitam intra virtutes sacras omnium nostrum esse substantiam: quia in ipso profecto vivimus a quo hoc ipsum du-

A cimus quod sumus. Sed & Salvator ipse in evangelio: [g] *Ecce ego*, inquit, *vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*. Non solum nobiscum se esse dixit, sed etiam omnibus diebus esse nobiscum. Tu eum, o ingratissime homo, qui sine cessatione nobiscum est, nec curam nec respectum nostri habere dicis? Quid ergo facit nobiscum? Numquid ad hoc nobiscum est, ut non respiciat, ut negligat? Et quomodo sibi utrumque convenit, ut qui pietati præstat præsentiam, impietati tribuat incuriam? *Ecce enim*, inquit, *vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*. Præclare videlicet affectum Dei interpretamur, si nos calumniamur ab eo jugiter negligi, cum ille
B nos a se testetur jugiter non relinqui. Ille per hoc ostendere voluit quod a nobis affectu & protectione jugiter non discederet, qui a nobis etiam præsentia non abesset. Nos in contemtum nostri divinam vertimus caritatem, nos amoris testimonia in odii argumenta mutamus. Hoc enim quod præsentem se esse dicit, odii magis testimonium esse volumus quam amoris. Nam si absentem se Dominus futurum esse dixisset, minus caussari forsitan de incuria poteramus absentis. Majoris contemtus res P. 35.
est atque fastidii, si nos jugiter negligit qui a nobis jugiter non recedit; & plus in se odii nostri habet, si ad hoc semper nobiscum permanet ut qui nos præsentia numquam deserit, semper repudiet
C affectu. Sed absit hoc de piissimo ac misericordissimo Deo credi, ut ad hoc semper nobis voluerit adsistere ut nos majore fastidio negligere videretur adsistens. Absit hoc scelus dici. Nemo enim, puto, vel in toto humano genere tam malus est qui ideo cum ullo hominum velit esse quia non amet, & ad hoc tantum uti præsentia sua cupiat ut majore odii fructu possit despicere præsentem. Ipsa nos vel doceat humana natura, vel vincat, si non ideo cum quocumque homine esse cupimus quia eum cum quo esse cupimus diligimus. Et quia utique diligimus, prodesse ei præsentiam nostram cupimus quem amamus. Quod ergo etiam malo homini auferre non possumus, Deo tollimus; & pe-
D jorem pessimis hominibus Deum facimus, qui ad hoc futurum nobiscum se esse dixerit ut fastidiosius nos negligeret, cum fuisset. Sed hæc hactenus.

III. Superest ut quia testimoniis sacris & respici ac regi a Deo omnia jam probavimus, etiam judicari plurima in hoc sæculo a divinitate doceamus. David sanctus cum a Nabale Carmelo contumeliæ pertulisset injuriam, quia se ipse ulcisci distulit, ultionem statim Deo exsecutore percepit. Exstincto itaque paullo post adversario suo & manu cælesti obruto, sic locutus est: [h] *Benedictus Dominus, qui judicavit caussam opprobrii mei de manu Nabal*. Eumdem quoque cum fugasset e regno
E filius persecutor, judex in brevi Dominus vindicavit; nec vindicavit tantum, sed cumulatius vin- P. 36.
dicavit quam ipse voluit qui vindicabatur. Ut ostenderet scilicet Deus graviorem sibi esse injuriam injusta tolerantium quam tolerantibus suam. Nam qui supra votum ejus vindicat qui vindicatur, quid aliud vult intelligi quam se ipsum in eo quem sic ulciscitur vindicare? Acto itaque in crucem non manu factam filio parricida, vindictam ei divinitus attributam sic nuntiatam refert sermo divi-

a Psalm. LXXIX. 2. *b* Eccli. XXXIX. 10. *c* Sap. XII. 15. *d* Jer. XXIII. 24. *e* Ier. XLII. 11. *f* Act. XVII. 28. *g* Matth. XXVIII. 20. *h* I. Reg. XXV. 39.

1. Respicit fortasse auctor locum *Eccli.* XXXIX. 10. ubi legitur: *Ipse diriget consilium ejus & disciplinam*. Atque heic ita legendum suadere videtur contextus.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 445.



nus: * *Bonum adporto nuntium, domine mi rex. Judicavit enim pro te hodie Dominus de manu omnium qui surrexerunt contra te.*

IV. Vides quomodo non rebus tantum, ut supra diximus, & exemplis, sed ipso nomine atque appellatione judicii, Deum etiam præsenti sæculo judicare divinæ per sacros testes litteræ probant. Sed forsitan dices id specialiter sancto viro a Deo præstitum, ut de adversariis ejus protinus judicaret. Dies me deficiet, si de præsentibus in hoc mundo sententiis Dei atque judiciis dicere velim. Sed tamen ut evidenter agnoscas censuram suam & examen sacrum non tam personis præstare quam caussis, audi quomodo judex Deus, qui pro David servo suo sententiam assidue evidentem dedit, contra David ipsum sæpius judicarit *. Et quidem hoc non in multorum hominum negotio aut, quod forsitan potuisset Deum magis movere, sanctorum, sed in caussa & unius hominis & barbari *, & ubi tantum virum persona penitus non gravaverat, nisi caussa multasset. Interfecto Uria Ethæo, homine gentis impiæ & nationis inimicæ, statim fit ad David sermo divinus: [b] *Uriam Ethæum percussisti gladio & uxorem illius accepisti uxorem, & interfecisti eum gladio filiorum Ammon. Quamobrem*
P. 37. *non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum. Itaque hæc dicit Dominus: Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua; & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo. Tu enim fecisti abscondite: ego vero faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu solis.* Quid dicis tu, qui non solum non judicari quæcumque agimus, sed nec respici omnino a Deo credis? Vides ne etiam a secreto illo quo David semel lapsus est, nequaquam Dei oculos abfuisse? Unde & tu, qui, ad solatium arbitror peccatorum tuorum, considerari actus nostros a Deo non putas, ex hoc ipso & aspici te a Christo semper intellige, & puniendum forsitan propediem esse cognosce; quia etiam David sanctum vides unum errorem suum nec secreto occultorum penetralium potuisse contegere, nec a præsentibus pœnis privilegio saltem magnorum operum * vindicare. Quid enim ait ad eum Dominus? *Tollam uxores tuas in conspectu tuo; & gladius non recedet a domo tua usque in sempiternum.* Vides quam præsens excipiat tantus vir pro uno statim errore judicium. Protinus culpam secuta damnatio est, & damnatio statim puniens nihilque reservans, atque illico coercens reum, non in futurum differens reatum. Et ideo non dixit, Quia fecisti hoc, venturum judicium Dei senties, & futuro gehennæ igne torquebere; sed, præsentia, inquit, tormenta senties, atque imminentem jam cervicibus tuis divinæ severitatis gladium sustinebis. Et quid post hæc? Agnoscit scilicet reus culpam, humiliatur, compungitur, confitetur, luget, pœnitet, deprecatur, gemmas regias abdicat, crispantia auro textili indumenta deponit, purpura exui-
P. 38. tur, diademate exhonoratur, * cultu & corde mutatur, totum regem cum ornatibus suis abjicit, providum pœnitentem cum patrocinio ambitiosi squaloris adsumit, jejunio exigitur, ariditate siccatur, fletu effunditur, solitudine carceratur. Et tamen rex tanti nominis, sanctitate major quam potestate, prærogativis meritorum antecedentium supereminens, cum tanto ambitu supplicet, non evadit. Et hic tantum tam grandis pœnitentiæ fructus est, quod æternis quidem piaculis non addicitur,

A sed in præsenti tamen veniam non meretur. Denique quid pœnitenti Propheta ait? [c] *Quia blasphemare fecisti inimicos Domini, filius qui ex te natus est morietur.* Præter pœnam acerbæ orbitatis, etiam hunc addi piissimo patri intellectum summi supplicii Deus voluit ut dilectissimo filio caussa mortis pater ipse exsisteret qui doleret, cum utique natum ex crimine puerum crimen ipsum occideret quod creasset.

V. Hoc ergo primum est divinæ animadversionis exordium. Primum utique, non solum. Secuta namque est ærumnarum ingentium longa series, atque a domo ejus jugis admodum malorum conti-
B nuatio non recessit. [d] Thamar Amnonis furore corrumpitur: Amnon ab Absalone jugulatur. Scelus quidem grande ab uno fratre * committitur, sed pejus tamen ab alio vindicatur. Inter hæc tamen David pater facinore utriusque punitur. Duo filii peccant, sed tres duorum scelere perduntur. In Thamar enim virginitas amittitur; in Amnone etiam Absalonis perditio lugetur. Et quidem nescias quem de filiis duobus tam bonus pater gravius amiserit, illum qui manu fratris occisus est in hoc sæculo, an illum qui sua periit in futuro. Jam vero hinc juxta verbum Dei inæstimabilis mali cumulus. Insidias diu pater a filio patitur, re- P. 39.
gno pellitur, & ne occidatur, profugus abscedit.
C Impurior nescias, an cruentior filius. Quia interficere patrem non potest parricidio, fœdat incestu; & quidem incestu, præter incesti nefas, per industriam adcumulandi sceleris elato; cum utique facinus, quod etiam secreta abominabile facerent, persecutor parentis publice perpetraret; scilicet ut feralissimo crimine non pater tantum absens deformaretur quam oculi etiam totius orbis publico fœdarentur incestu. Jam si addenda est & ipsius fugæ facies, quale illud fuit cum tantus rex, tanti nominis, cunctis regibus altior, mundo major, omnes admodum suos cum paucissimis suis fugeret, in comparatione dudum sui egestuosus, in compa-
D ratione sui solus, fugiens cum metu, cum dedecore, cum luctu, [e] *operto*, inquit scriptura, *capite, & nudis pedibus incedens*, superstes prioris status * a se ipso exsulans, pæne jam post se vivens, dejectus usque in servorum suorum vel, quod grave est, contumeliam, vel, quod gravius, misericordiam; ut vel [f] Siba eum pasceret, vel maledicere Semei publice non timeret: ita Dei judicio a se alter effectus, ut ei quem timuerat totus orbis *, unus in faciem insultaret inimicus.

VI. Ubi sunt qui a Deo respici res humanas negant? Ecce quoties testes sacri in persona unius hominis non respexisse tantummodo Deum, verum etiam judicasse docuerunt. Et cur hæc omnia? Cur
E utique nisi ut intelligeremus eamdem futuram semper in mundo censuram & coercitionem Dei quæ fuisset. Et ideo etiam sanctos homines castigatos quondam judicio Dei legimus, ut judicandos nos P. 40.
Deo judice etiam præsenti sæculo nosceremus. Quia sicut Deus est semper, sic justitia Dei semper; sicut omnipotentia Domini indeficiens, sic censura indemutabilis; sicut Deus jure perpetuus, sic justitia perseverans. Et ideo omnes admodum sancti in libris sacris inter discriminum imminentium motus & persecutorum gladios constituti præsens judicium Dei postulant. Sic enim justus dicit in psalmo: [g] *Judica me Deus, & discerne caussam meam*

a II. Reg. xviii. 31. *b* II. Reg. xii. 9-12. *c* Ibid. ℣. 14. *d* II. Reg. xiii. *e* II. Reg. xv. 30. *f* II. Reg. xvi. *g* Psalm. xlii. 1.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

de gente non sancta. Quod ne ad futurum Dei judicium trahi possit, subdit statim: *Ab homine iniquo & doloso eripe me*. Præsens utique judicium Dei postulat, qui liberari se de manu persecutoris implorat. Et bene pro conscientia bonæ caussæ non tam suffragium Domini quam judicium deprecatur: quia bonæ caussæ optimum semper suffragium tribuitur, si cum justitia judicetur. Alibi quoque hoc evidentissime: [a] *Judica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me. Adprehende arma & scutum, & exsurge in adjutorium mihi*. Vides etiam hoc loco non futuri examinis severitatem, sed censuram præsentis judicii postulari. Hoc est enim illud quod ait: *Adprehende scutum, & arripe gladium*; scutum scilicet ad protectionem, gladium ad ultionem: non quia hoc judicans Deus egeat apparatu; sed quia in hoc sæculo hæc terribilium rerum nomina terribilium judiciorum sunt instrumenta, ad humanam intelligentiam humanarum rerum significationibus loquens; quia judicari ac vindicari se de adversariis precabatur, per instrumenta terrenæ istius ultionis vim divinæ

A animadversionis expressit. Denique alibi Propheta idem quid inter præsens & futurum judicium Dei esset ostendit. Quid enim de censura præsentis examinis dicit ad Dominum? [b] *Sedes super thronum qui judicas æquitatem*. Quid autem de futuro Dei æternoque judicio? [c] *Judicabit*, inquit, *orbem terræ in æquitate*. Et iterum: *Judicabit populos cum justitia*. Ipsis scilicet verbis præsentis temporis & futuri tempus judicii utriusque distinxit. Ut enim præsens judicium ostenderet, *Judicas* posuit. Ut autem futurum distingueret a præsenti, subjecit postea, *Judicabit*. Hæc igitur de cura erga nos Dei & gubernaculo & judicio, ratione, exemplis, testimoniis probasse satis est; maxime quia etiam B quæ post hoc secutura sunt, ad id ipsum omnia pertinebunt. Nunc si a Deo cujus negotium agimus, vires ad agendum acceperimus; ea quæ contra hæc ab adversariis dici solent, & proferre simul & refutare tentabimus. P. 41.

Explicit liber secundus.

a Psalm. XXXIV. 1. 2. b Psalm. IX. 5. c Psalm. XCV. 13.

INCIPIT

LIBER III.

I. Bene se res habet *. Jacta sunt fundamenta C operis pia molitione cœpti & divini officii amore suscepti. Et ideo non sunt solubili luto posita, nec temporali lapide constructa, sed sacrarum expensarum confectione valida, & divini magisterii arte firmata: quæ, ut ipse in evangelio Deus dicit [a], nec ventis possint furentibus concuti, nec alluvione fluminum subrui, vel pluviarum infusione dissolvi. Cum enim opus hoc manus quodammodo divinorum voluminum instruxerit, & cælestium scri-
P. 42. pturarum compago solidarit; necesse est tam firma hæc per Dominum Jesum Christum esse quæ facta sunt, quam firma illa sunt quæ fecerunt. Ædificium itaque hoc * naturam status sui de stirpe sumit, & labefactari salvis auctoribus suis non potest. Sicut D enim in terrenis ædificiis dejicere parietes nullus potest, nisi prius lapides & cæmenta dejecerit; sic ædificium quod construximus dissolvere nullus valet, nisi id unde structum est & consummatum ante dissolverit: quod quia labefactari utique nequaquam potest, recte etiam a nobis incolumitas ædificii præsumitur, cujus status subsidiis immortalibus continetur. Quæritur itaque, cum hæc ita sint, si totum quod in hoc mundo est, cura & gubernaculo & judicio Dei agitur; cur & melior multo sit barbarorum * conditio quam nostra; cur inter nos quoque ipsos sors bonorum durior * quam malorum; cur probi jaceant, improbi convalescant; cur iniquis, & maxime potestatibus, universa succumbant? E Possum quidem rationabiliter & satis constanter dicere: Nescio. Secretum * enim & consilium divinitatis ignoro. Sufficit mihi ad caussæ hujus probationem dicti cælestis oraculum. Deus a se, ut libellis superioribus jam probavimus, omnia dicit aspici, omnia regi, omnia judicari. Si scire vis quid tenendum sit, habes litteras sacras. Perfecta ratio est, hoc tenere quod legeris. Qua caussa autem Deus

hæc de quibus loquimur ita faciat, nolo a me requiras. Homo sum; non intelligo, secreta Dei investigare non audeo, & ideo etiam attentare formido: quia & hoc ipsum genus quasi sacrilegæ temeritatis est, si plus scire cupias quam sinaris. Sufficiat tibi quod Deus a se agi ac dispensari cuncta testatur. Quid me interrogas, quare alter major sit, P. 43.
alter minor; alter miser, alter beatus; alter fortis, alter infirmus? Qua caussa quidem hæc Deus faciat, non intelligo; sed ad plenissimam rationem abunde sufficit quod a Deo agi ista demonstro. Sicut enim plus est Deus quam omnis humana ratio, sic plus mihi debet esse quam ratio, quod a Deo agi cuncta cognosco. Nihil ergo in hac re opus est novum aliquid audire: satis sit pro universis rationibus auctor Deus. Nec licet ut de his quæ divino aguntur arbitrio, aliud dicas justum, aliud injustum: quia quidquid a Deo agi vides atque convinceris, necesse est plus quam justum esse fatearis. Hæc ergo de gubernaculo Dei atque judicio expeditissime ac fortissime dici possunt. Neque enim necesse est ut argumentis a me probetur quod hoc ipso quia a Deo dicitur comprobatur. Itaque cum legimus dictum a Deo quia aspiciat jugiter omnem terram, hoc ipso probamus quod aspicit quia aspicere se dicit; cum legimus quod regat cuncta quæ fecit, hoc ipso adprobamus quod regit quia se regere testatur; cum legimus quod præsenti judicio universa dispenset, hoc ipso est evidens quod judicat quia se judicare confirmat. Alia enim omnia, id est, humana dicta, argumentis ac testibus egent. Dei autem sermo ipse sibi testis est: quia necesse est quidquid incorrupta veritas loquitur, incorruptum sit testimonium veritatis. Sed tamen cum per scripturas sacras scire nos quasi de arcano animi ac mentis suæ quædam voluerit Deus noster, quia ipsum quodammodo scripturæ sacræ oraculum Dei

a Matth. VII. 24. 25.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

mens est; quidquid vel agnosci per suos vel prædicari Deus voluit, non tacebo. Unum quamvis prius quam loqui ordiar, scire cupiam, cum Christianis mihi loquendum an cum paganis sit. Si enim cum Christianis, probaturum me quod ago esse non dubito; si autem cum paganis, probare contemno: non quia deficiam in probatione, sed quia profuturum quod loquor esse despero. P. 44. Infructuosus quippe est & inanis labor, ubi non recipit probationem pravus auditor. Sed tamen quia esse nullum omnino arbitror Christiani nominis hominem qui non se Christianum videri velit, ego cum Christiano agam. Quamvis enim quis impiæ ac paganicæ infidelitatis sit, mihi tamen satis est a Christiano probari quod dico.

II. Caussaris igitur quid si istud quod Christiani qui Deum credimus, miseriores omnibus sumus. Sufficere quidem mihi ad respondendum hoc loco poterat quod Apostolus ad ecclesias dicit: [a] *Nemo moveatur in tribulationibus. Ipsi enim scitis quia in hoc positi sumus*. Et ideo cum in hoc positos nos esse a Deo Apostolus dicat, ut ærumnas, ut miserias, ut tristitias perferamus; quid mirum est si mala cuncta perferimus, qui ad toleranda adversa omnia militamus? Sed quia multi ista non sapiunt, & putant homines Christianos hæc quasi stipendia fidei suæ a Deo capere debere, ut quia sint cunctis gentibus religiosiores, sint cunctis etiam fortiores; adquiescamus opinioni eorum atque sententiæ. Sed videamus tamen quid sit Deum fideliter credi. Qui enim tam magnam credulitatis & fidei mercedem in hoc sæculo esse volumus, qualis credulitas aut fides ipsa esse debeat considerare debemus. Quid est igitur credulitas aut fides? Opinor, hominem fideliter Christo credere, * id est, fideliter Dei mandata servare. Sicut enim servi hominum divitum aut procuratores, quibus vel suppel- P. 45. lectilis copiosa vel cellaria opulenta creduntur, fideles absque dubio dici non queunt si res sibi traditas devorarint; sic profecto etiam Christiani homines infideles sunt, si bona sibi a Deo adsignata corruperint. Quæritur forsitan quæ sint bona quæ Deus Christianis hominibus adsignet. Quæ, nisi omnia per quæ credimus, id est, omnia per quæ Christiani sumus? Primum scilicet legem, deinde prophetas, tertio evangelium, quarto apostolicas lectiones, postremum generationis novæ munus, sancti baptismatis gratiam, divini chrismatis unctionem: scilicet ut sicut apud Hebræos quondam, id est, peculiarem ac propriam Dei gentem, cum judiciarius honor in potestatem regiam transscendisset, probatissimos & lectissimos viros per unguentum regium Deus vocavit in regnum; sic omnes homines Christiani, cum post chrisma ecclesiasticum omnia Dei mandata fecissent, ad capiendum laboris præmium vocarentur ad cælum. Cum ergo ista sint omnia per quæ fides constat, videamus quis tanta hæc fidei sacramenta custodiat ut fidelis esse videatur: quia infidelis, ut diximus, sit necesse est qui fidei commissa non servat. Et quidem non quæro ut cuncta faciat quæ testamenta duorum temporum jubent. Remitto censuram legis antiquæ, remitto omnes prophetarum minas; remitto etiam quæ remitti omnino non possunt, vel apostolicorum librorum severissimam institutionem, vel evangelicorum voluminum plenam omni perfectionis genere doctrinam. Paucissimis saltem præceptis Dei quis obsequatur interrogo. Nec illa dico quæ ita multi refugiunt, ut pæne & ex-

A secrentur. Tantum apud nos honor & reverentia P. 46. Dei proficit ut quæ indevotione non facimus, etiam odio digna esse ducamus. Deinde hoc quod Salvator cogitare nos de crastino prohibuit [b], quis audire dignatur? Quod contentos singulis tunicis jubet esse, quis recipit? Quod ambulare excalcios * præcipit, quis non modo faciendum, sed vel ferendum arbitratur? Itaque & ego ista prætereo. In hoc enim fides per quam confidimus, recidit ut quæ Dominus nobis salutaria esse voluit, nos superflua judicemus. [c] *Diligite*, inquit Salvator, *inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos*. Quis hæc omnia facit? Quis pro inimicis suis ista quæ Deus jussit, non
B dico votis, sed verbis saltem agere dignatur? Aut etiam si quis se cogit ut faciat, facit tamen ore, non mente. Præstat quidem vocis officium, sed animi non mutat affectum. Ac per hoc etiamsi pro adversario suo orare se cogit, loquitur, non precatur. Longum est de singulis dicere. Sed adhuc tamen aliquid addam; ut intelligamus nos non modo non omnibus Dei obtemperare verbis, sed nullis pæne illius obedire mandatis. Et ideo Apostolus clamat: [d] *Nam qui se existimat esse aliquid, cum nihil sit, se ipsum seducit*. Hoc enim ad crimina nostra addimus, ut cum in omnibus rei simus, etiam bonos nos & sanctos esse credamus, ac sic in nobis cumulentur iniquitatis offensæ etiam præ-
C sumtione justitiæ. [e] *Qui odit*, inquit Apostolus, *fratrem suum, homicida est*. Intelligere ergo possumus multos esse homicidas qui se innoxios putant; quia, ut videmus, homicidium non sola tantummodo occidentis manu, sed etiam odientis animo perpetratur. Unde est quod Salvator mandati istius normam P. 47 censura adhuc severiore cumulavit dicens: [f] *Qui irascitur fratri suo sine caussa, reus erit judicio*. Ira mater est odii. Et ideo Salvator excludere iram voluit, ne ex ira odium nasceretur. Si ergo non solum odium, sed etiam ira nos in Dei judicio reos faciet; evidenter agnoscimus quod sicut nullus omnino est immunis ab iracundia, sic nullus omnino immunis esse poterit a reatu. Prosequitur autem Do-
D minus quasi fibras præcepti istius, & omnes penitus frutices ac ramusculos secat dicens: [g] *Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. Qui dixerit fratri suo, racha, reus erit concilio*. Racha * quod genus sit contumeliæ, multi nesciunt. Fatuitas autem quam injuriose objiciatur, optime norunt. Et ideo scientia sua potius homines quam ignorantia utentes, malunt reatus suos per id convicium quod sciunt, divinis ignibus, quam per id quod nesciunt, humanis conciliis expiari.

III. Quæ cum ita sint, & cum hæc omnia quæ jubentur a Domino, non modo a nobis omnino non fiant, sed pæne in diversum omnia fiant;
E quando majora illa faciemus? [h] *Qui enim*, inquit Salvator, *non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*. [i] *Et qui non tulerit crucem suam, & secutus me fuerit, non est me dignus*. Et qui se Christianum dicit, debet [k], quemadmodum Christus ambulavit, sic & ipse ambulare: quæ non modo illos qui voluptates & pompas sæculi sequuntur, sed ne illos quidem implere certum est qui sæculares amores * derelinquunt. Nam & qui renuntiare divitiis videntur, non sic renuntiant ut penitus renuntiasse videantur. Et qui putantur crucem portare, sic portant ut plus ha- P. 48. beant in crucis nomine dignitatis * quam in pas-

a I. Thess. III. 3. *b* Matth. VI. 34. *c* Matth. V. 44. *d* Gal. VI. 3. *e* I. Joan. III. 15. *f* Matth. V. 22. *g* Ibid. *h* Luc. XIV. 33. *i* Matth. X. 38. *k* I. Joan. II. 6.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

ſione ſupplicii. Et omnes tamen iſti etiamſi aliquid A horum bona fide adimplerent, illud abſque dubio nullus efficeret ut per viam vitæ iſtius ſic incederet ſicut Salvator inceſſit. [a] *Qui ſe enim*, inquit Apoſtolus, *dicit in Chriſto manere, debet, quemadmodum Chriſtus ambulavit, ſic & ipſe ambulare*.

IV. Sed dura forſitan quidam putant Apoſtolorum eſſe præcepta. Dura plane exiſtimanda ſunt, ſi plus ab aliis officiorum exigunt quam ſibi ſumunt. Porro autem ſi multo minus ceteris imperarunt quam ſibi, non modo non graves magiſtri, ſed parentes indulgentiſſimi judicandi ſunt; qui onera quæ cervicibus filiorum per amoris indulgentiam B detrahunt, ſibi per affectum religionis imponunt. Quid enim unus ex ipſis ad populos eccleſiaſticos * dicit? [b] *Filioli*, inquit, *mei, quos iterum parturio donec formetur Chriſtus in vobis*. Et rurſum: [c] *Imitatores*, inquit, *mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*. Nobis hoc imperat ut ſe imitemur, qui ſibi hoc imperaverat ut Chriſti eſſet imitator. Et quidem quod ipſe Chriſtum imitatus ſit, nulli dubium eſt. Chriſtus enim ſe pro nobis ſubdidit mundo, & ſe ipſe pro Chriſto. Chriſtus pro nobis tædia & labores graviſſimos pertulit, & hoc ipſe pro Chriſto. Chriſtus pro nobis contumelias paſſus eſt, & hoc ipſe pro Chriſto. Chriſtus pro nobis paſſionem mortemque toleravit, & hoc ipſe pro Chri- C ſto. Et ideo non ſine cauſſa meritorum ſuorum conſcius dicit: [d] *Certamen bonum certavi, fidem ſervavi; de reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ*. Itaque cum ille Chriſtum ſic imitatus ſit, videa-
P. 49. mus quis noſtrum Apoſtoli imitator appareat. Scribit enim ipſe de ſe primum [e] quod nulli umquam dederit offenſionem, ſed in omnibus exhibuit ſe ſicut Dei miniſtrum, in patientia multa, in tribulationibus, in plagis, in carceribus, in lacerationibus. Et alibi, dum ſe aliis comparat, ſic ait? [f] *In quo quis audet, (in inſipientia dico) audeo & ego; ut minus ſapiens dico, magis ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter. A Judæis* D *quinquies quadragenas una minus accepi. Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci*. Sane etſi de ceteris quas dixit virtutibus apoſtolicis nihil facimus; in hoc tamen uno, ubi Apoſtolus ter naufragaſſe ſe dicit, etiam vincere poſſumus. Non enim ter tantummodo naufragavimus, quorum pæne omnia vita naufragium eſt. In tantum quippe vitioſe ab omnibus vivitur, ut prope nullus Chriſtianorum ſit qui non jugiter naufragare videatur.

V. Sed dicit fortaſſe aliquis, non id nunc eſſe temporis, ut pro Chriſto nos perferamus quæ tunc Apoſtoli pertulerunt. Verum eſt. Non enim ſunt E principes pagani, non tyranni perſecutores: non ſanguis ſanctorum funditur, nec fides ſuppliciis comprobatur. Contentus eſt Deus noſter, ut ei pax noſtra ſerviat, ut ſola ei immaculatorum actuum puritate & vitæ incontaminabilis ſanctitate placeamus. Quo plus ei fides & devotio noſtra debet; quia minora a nobis exigit, & majora conceſſit. Et ideo cum & principes Chriſtiani ſint, & perſecutio nulla ſit, & religio non inquietetur; qui ad probandum fidem experimentis durioribus non compellimur, inferioribus ſaltem officiis Domino plus placere debemus. Probat enim etiam in majoribus, ſi res exigat, exſecutorem ſe idoneum fore a quo minora complentur.

VI. Omittamus ergo illa quæ beatiſſimus Paullus pertulit, immo quæ in libris poſtea de religione conſcriptis omnes admodum Chriſtianos legimus pertuliſſe; qui ad cæleſtis regiæ januam gra- P. 50.
dibus pœnarum ſuarum aſcendentes, ſcalas ſibi quodammodo de eculeis cataſtiſque fecerunt. Videamus ſi in illis ſaltem religioſæ devotionis obſequiis, quæ minora atque communia in ſumma quiete & omni tempore omnes Chriſtiani obire poſſumus, præceptis dominicis reſpondere tentamus. Jubet Chriſtus ne litigemus. Quis jubenti obtemperat? Nec ſolum jubet, ſed in tantum hoc jubet, ut ea ipſa nos de quibus lis eſt relinquere jubeat, dummodo litibus exuamur. [g] *Si quis enim*, inquit, *voluerit tecum judicio contendere & tunicam tuam tollere, relinque ei & pallium*. Interrogo qui ſint qui ſpoliantibus adverſariis cedant, immo qui ſint qui adverſarios ſuos non ſpoliare conentur? Tam procul enim abeſt ut cum tunicis etiam alia relinquamus ut, ſi quo modo poſſumus, pallium ſimul adverſariis tunicaſque tollamus. Tam devote enim mandatis dominicis obedimus ut non ſufficiat nobis quod adverſariis noſtris etiam minima veſtimentorum noſtrorum parte non cedimus, niſi eis, quantum in nobis eſt, ſi res ſinat, cuncta rapiamus. Jungitur autem præcepto huic par & conſimile mandatum, quo ait Dominus: [h] *Qui percuſſerit te in dexteram maxillam, præbe ei & alteram*. Quantos putamus eſſe qui dicto huic vel aures modeſte præbeant, vel certe, etiam ſi id facere videntur, animis adquieſcant? Aut quotus quiſque eſt qui ſi ictum unum acceperit, non multos pro uno
reddat? Tantum ab illo abeſt ut cædenti maxillam P. 51.
præbeat alteram; ut tum ſe vincere putet, non quando adverſarium vapulando, ſed quando cædendo ſuperaverit. [i] *Quæ vultis*, inquit Salvator, *ut faciant vobis homines, eadem & vos facite illis ſimiliter*. Hujus ſententiæ partem tam bene novimus ut numquam prætereamus, partem ſic prætermittimus quaſi penitus neſciamus. Nam quid ab aliis præſtari nobis velimus, optime novimus; quid autem ipſi aliis debeamus præſtare, neſcimus. Atque utinam neſciremus. Minor eſſet ignorantiæ reatus, ſecundum illud: [k] *Qui neſcit voluntatem domini ſui, vapulabit paucis. Qui autem ſcit, & non facit eam, vapulabit multis*. Nunc autem major in hoc offenſa eſt quod partem ſententiæ ſacræ pro commodorum noſtrorum utilitate diligimus, partem pro Dei injuria præterimus. Exaggerat quoque hoc Dei verbum officio prædicationis ſuæ Apoſtolus Paullus dicens [l]: *Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius*. Et iterum [m]: *Non quæ ſua ſunt*, inquit, *ſinguli cogitantes, ſed ea quæ aliorum*. Vides quam fideliter præceptum Chriſti fuerit exſecutus: ubi cum Salvator ſic nos pro aliis ſicut pro nobis juſſerit cogitare, ille plus aliorum nos commodis juſſit conſulere quam noſtris; boni ſcilicet Domini bonus famulus, & ſingularis Magiſtri præclarus imitator, qui in veſtigiis Domini ſui ambulans, patentiora quodammodo & expreſſiora pedibus ſuis fecit domini ſui eſſe veſtigia. Quid ergo horum facimus Chriſtiani, quod Chriſtus, an quod Apoſtolus jubet? Puto omnino quod neutrum. Nam tantum abeſt ut aliorum commodis aliquid

a I. Joan. II. 6. *b* Gal. IV. 19. *c* I. Cor. IV. 16. *d* II. Tim. IV. 7. 8. *e* II. Cor. VI. 3-5.
f II. Cor. XI. 21. 23-25. *g* Matth. V. 40. *h* Ibid. ℣. 39. *i* Matth. VII. 12. *k* Luc. XII. 47. 48.
l I. Cor. X. 24. *m* Philipp. II. 4.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 445.

cum propria incommoditate præstemus, ut omnes vel maxime nostris commodis cum aliorum incommodo consulamus.

P. 52. VII. Sed eligere forsitan majora quæque videmur quæ nullus impleat, &, ut ipsi putant, implere omnino non possunt & præterire alia quæ & implere queant & ab omnibus impleantur. Sed primum illud considerandum est, quia nulli servorum licet ex his quæ dominus suus imperat, eligere pro arbitrio quid velit facere, quid nolit, & insolentissima abusione quod placuerit adsumere, quod displicuerit repudiare; maxime cum & terrestres domini nequaquam æquo animo tolerandum putent si jussiones suas servi ex parte audiant & ex parte contemnant, & pro libidine sua quæ putaverint facienda faciant, quæ putaverint conculcanda conculcent. Si enim pro arbitrio suo servi dominis obtemperant, ne in iis quidem in quibus obtemperaverint obsequuntur. Quando enim servus ex domini sui jussis ea facit tantummodo quæ vult facere, jam non dominicam voluntatem implet, sed suam. Si ergo nos qui homunculi imbecilli sumus, contemni tamen a servis nostris omnino nolumus, quos etsi nobis servitutis conditio inferiores, humana tamen sors reddit æquales; quam inique utique cælestem Dominum contemnimus, qui cum homines ipsi simus, contemnendos tamen nos a nostræ conditionis hominibus non putamus. Nisi tanti fortasse consilii ac tam profundæ intelligentiæ sumus, ut qui pati servorum injurias nolumus, subditum injuriis nostris Deum esse velimus; & quæ ipsi toleratu humano indigna credimus, Deum a nobis digne hæc tolerare credamus. Ac per hoc si qui sunt, ut ad superiora redeamus, qui de majoribus nos Dei præceptis dicere existi-
P. 53. ment & minora reticere, superflue queri intelligendi sunt. Neque enim justa caussatio est cur præferantur aliqua, ubi facienda sunt omnia. Sicut enim dominorum carnalium servis eligere, ut jam dixi, omnino non licet quæ ex præceptis servilibus faciant, quæ non faciant; sic nos qui servi Domini nostri sumus, inlicitum omnino existimare debemus, ut vel illa quæ placent pro animi oblectatione sumamus, vel illa quæ displicent pro superbiæ abusione calcemus.

VIII. Sed adquiescamus tamen his qui ex præceptis dominicis idcirco forsitan nos nolunt majora dicere, quia se putant minora complere; non quia sufficiat ad salutem, si majoribus spretis minora faciamus, secundum illud [a]: *Quicumque totam legem servaverit, offendit autem in uno, factus est omnium reus*. Ac per hoc, licet nobis non sufficiat parva ac minima quæque facere, adquiesco tamen ego minora dicere, ut ostendam maximam Christianorum omnium partem nec exigua saltem ac minima fecisse. Jussit Salvator noster [b], ut Christiani homines non jurarent. Plures invenias qui sæpius pejerent quam qui omnino non jurent. Jussit quoque, ut nemo malediceret. Cujus non sermo maledictio est? Prima enim semper irarum tela, maledicta sunt; & quidquid non possumus imbecilli, optamus irati: ac sic in omni animorum indignantium motu, votis malis pro armis utimur. Unde unusquisque hominum evidentissime probat, quidquid fieri adversariis suis optat, totum se facere velle, si possit. Sed videlicet quia omnes hac improbitate linguarum facile utimur, qui jussis dominicis non obtemperamus, idcirco etiam apud Deum facile hoc putamus esse qui jussit. [c] *Maledici*, inquit sermo divinus, *regnum Dei non possi-* P. 54. *debunt*. Hinc ergo intelligere possumus quam gravis sit & perniciosa maledictio, quando etiamsi alia bona adfuerint, sola excludit a cælo. Invidiam procul esse jussit Christus a nobis. At nos e contra, non extraneis tantum, sed etiam proximis invidemus; nec solum inimicos, sed etiam amicos nostros livore perfundimus. Adeo prope in omnium sensu hoc malum regnat: adeo esuriendi libido terminum habet, detrahendi libido terminum non habet. Nam semper admodum cibo, numquam detractione saturamur. Sed levis forsitan pœna istius labis est. *Detrahens*, inquit scriptura sacra, *eradicabitur*. Gravis profecto & tremenda animadversio, sed tamen nulla correctio. Dummodo enim unusquisque hominum alium lacerare non desinat, tanti putat ut etiam sibi ipse non parcat. Sed digna plane mali istius retributio est, quæ solum persequitur auctorem. Illi enim nihil nocet penitus cui detrahit: tantummodo illum punit e cujus ore procedit. Sed delirare, opinor, videmur ista repetendo; & fero ut nos delirare videamur. Numquid deliravit Dominus, qui præcepit: [d] *Omnis enim*, inquit per Apostolum suum, *clamor auferatur a vobis cum omni malitia*. Utrumque quidem hoc in nobis jugiter perseverat, sed magis tamen malitia quam clamor. Clamor quippe non semper est in oribus nostris, malitia autem semper est in cordibus nostris; ac per hoc puto quod etiam si in nobis clamor desineret, tamen malitia permaneret. [e] Sine murmuratione quoque & querela nos Deus noster esse præcepit. Quando hæc in humano genere non fuerunt? Si æstus est, de ariditate caussamur: si pluvia, de inundatione conquerimur: si infecundior annus est, accusamus sterilitatem: P. 55.
si fecundior, vilitatem. Adipisci abundantiam cupimus, & eamdem adepti accusamus. Quid dici hac re improbius, quid contumeliosius potest? etiam in hoc de misericordia Dei querimur, quia tribuat quod rogamus. Abesse a servis suis omne omnino, etiam oculorum, scandalum Deus præcepit. Et ideo [f] *si quis*, inquit, *viderit mulierem ad concupiscendum, jam mœchatus est eam in corde suo*. Hinc intelligere plene possumus quam castos nos esse Salvator jusserit, qui etiam licentiam visionis abscidit. Sciens enim fenestras quodammodo esse nostrarum mentium, lumen oculorum, & omnes improbas cupiditates in cor per oculos, quasi per naturales cuniculos, introire; exstinguere eas penitus foris voluit, ne intus orirentur, & letaliter crescentibus fibris convalescerent fortasse in animo, si germinassent in visu. Idcirco itaque ait Dominus petulcos impudicorum hominum intuitus noxa adulterii non carere; scilicet ut qui bona fide fugeret adulterium, custodiret aspectum. Perfectæ siquidem ac sincerissimæ sanctitatis volens cultores suos facere Salvator, jussit ab his cautissime etiam minima vitari; scilicet ut quam pura est pupilla oculi, tam pura esset Christiani hominis vita; & sicut salva intuitus incolumitate pulveris labem in se oculus non reciperet, sic vita nostra labem in se penitus impudicitiæ non haberet. Unde est illud etiam quod in sequentibus ait Dominus: [g] *Si scandalizat te oculus tuus, erue eum. Et si scandalizat te manus tua, abscinde eam. Expedit tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam*. Si igitur juxta

a Jac. II. 10. *b* Matth. V. 34. *c* I. Cor. VI. 10. *d* Ephes. IV. 31. *e* Philipp. II. 14. 15. *f* Matth. V. 28.
g Ibid. ℣℣. 29. 30.

P. 56. Dei verbum in gehennam scandalis trahimur, recte profecto, ut gehennam vitare possimus, etiam manibus nostris nos oculisque multamus: non quod membris suis quis privare se debeat; sed quia tam necessariæ nobis sunt quædam domesticorum obsequiorum necessitudines ut his quasi oculis, interdum autem quasi manibus utamur, recte nobis præsentium ministeriorum officia subtrahimus, ne æterni ignis tormenta * patiamur. Ubi enim de ministerio agitur & vita, rectius profecto Christiano est ministerio carere quam vita.

IX. Itaque cum in omnibus his quæ diximus, obedire nos sibi Dominus noster jusserit; ubi sunt qui aut in universis mandatis Deo aut certe vel B in paucissimis obsequantur? Ubi sunt qui aut inimicos diligant *, aut persequentibus benefaciant, aut malos in bono vincant, qui maxillas cædentibus præbeant, qui spoliantibus res suas sine lite concedant? Quis est apud quem delectationi * penitus nihil liceat, qui convicio suo neminem lædat, qui silentio os coerceat, ne in amaritudinem maledictionis erumpat? Quis est qui faciat hæc minima? ut non dicam illa de quibus diximus paullo ante, majora. Quæ cum ita sint, & cum a nobis nil penitus dominicæ jussionis fiat; quid est quod nos queramur de Deo, cum queri magis Deus de nobis omnibus possit? Quæ ratio est ut doleamus nos non audiri a Deo, cum ipsi Deum C non audiamus; & susurremus non respici a Deo terras, cum ipsi non respiciamus ad cælum: ut molestum sit despici a Domino * preces nostras, cum præcepta ejus despiciantur a nobis? Fac nos pares Domino nostro esse. Quis justæ querimoniæ locus est, hoc pati quemque quod fecerit? Salvo eo

P. 57. quod probare facile possum, nequaquam nos pati illa quæ facimus, & mitius multo nobiscum Deum agere quam nos cum Deo. Sed interim tamen hac agamus lege qua cœpimus. Sic enim ipse etiam Dominus dicit: [a] *Clamavi ad vos, & non audistis me; & vos clamabitis ad me, & non exaudiam vos*. Quid enim dignius, aut quid justius? Non audivimus, non audimur: non D respeximus, non respicimur. Quis rogo ex carnalibus dominis hac cum suis lege agere contentus est, ut contemnat tantummodo servos suos, quia fuerit ab eis ipse contemtus? Quamquam nos non hac solum injuria contemnamus Deum, qua contemni a servis suis domini carnales * solent; quia servorum hic contemtus est maximus, si non faciant quod jubentur. Porro autem nos omni studio, omni nisu, non solum jussa non facimus, sed contra id facimus quod jubemur. Jubet enim Deus ut omnes nobis invicem cari simus: omnes autem nos mutua infestatione laceramus. Jubet Deus ut cuncti egentibus sua tribuant: cuncti admodum aliena pervadunt. Jubet Deus ut o- E mnis qui Christianus est, etiam oculos castos habeat: quotus quisque est qui non se luto fornicationis involvat? Et quid plura? Grave & luctuosum est quod dicturus sum. Ipsa ecclesia Dei quæ in omnibus esse debet placatrix Dei, quid est aliud quam exacerbatrix Dei? aut præter paucissimos quosdam qui mala fugiunt, quid est aliud pæne omnis cœtus Christianorum quam sentina vitiorum? Quotum enim quemque invenies in ecclesia non aut ebriosum, aut helluonem, aut adulterum, aut fornicatorem, aut raptorem, aut ganeonem, aut latronem, aut homicidam? & quod

A his omnibus pejus est, prope hæc cuncta sine fine. Interrogo enim Christianorum omnium conscientiam; ex his vel flagitiis vel sceleribus quæ nunc diximus, quotus quisque hominum non aliquid est horum, aut quotus quisque non totum? Facilius quippe invenias qui totum sit, quam qui nihil. Et quod diximus nihil, nimis forsitan gravis videatur esse censuræ. Plus multo dicam. Facilius invenias reos malorum omnium quam non omnium; facilius majorum criminum quam minorum: id est, facilius qui & majora crimina cum minoribus, quam qui minora tantum sine majoribus perpetrarint. In hanc enim morum probrositatem prope omnis ecclesiastica plebs redacta est, ut in cuncto populo Christiano genus quodammodo sanctitatis sit, minus esse vitiosum *. Itaque ecclesias vel potius templa atque altaria Dei minoris reverentiæ quidam habent quam cujuslibet minimi ac municipalis judicis domum. Siquidem intra januas non modo * inlustrium potestatum, sed etiam præsidum ac præpositorum, non omnes passim intrare præsumunt, nisi quos aut judex vocaverit aut negotium traxerit aut ipsa honoris proprii dignitas introire permiserit; ita ut si quispiam fuerit insolenter ingressus, aut cædatur, aut propellatur, aut aliqua verecundia atque existimationis suæ labe multetur. In templa autem vel potius in altaria atque in sacraria Dei passim omnes sordidi ac flagitiosi sine ulla penitus reverentia sacri honoris inrumpunt: non quia non omnes ad exorandum Deum currere debeant; sed quia qui ingreditur ad placandum, non debet egredi ad exacerbandum. Neque enim ejusdem officii est indulgentiam poscere & iracundiam provocare. Novum siquidem monstri genus est: eadem pæne omnes jugiter faciunt quæ fecisse se * plangunt; & qui intrant ecclesiasticam domum ut mala antiqua defleant, * exeunt; & quid dico, exeunt, in ipsis pæne hoc orationibus suis ac supplicationibus moliuntur. Aliud quippe ora hominum, aliud corda agunt; & dum verbis præterita mala plangunt, sensu futura meditantur: ac sic oratio eorum * auctrix est magis criminum quam exoratrix: ut vere illa in eis scripturæ maledictio compleatur [b], ut de oratione ipsa exeant condemnati & oratio eorum fiat in peccatum. Denique si vult quispiam scire quid in templo hujusmodi homines cogitaverint, videat quid sequatur. Siquidem consummatis solemnibus sacris, statim ad consuetudinaria omnes studia discurrunt; alii scilicet ut furentur, alii ut inebrientur: ut evidenter appareat hoc eos esse meditatos, dum intra templum sunt, quod postquam egressi fuerint exsequuntur.

P. 58.

P. 59.

X. Sed videlicet cuncta hæc mala & omnem vitiorum probrositatem quam supra dixi, ad servos fortasse quidam aut abjectissimos quosque homines referendam putant; ceterum nomen ingenuum hac flagitiorum labe non pollui. Quid autem aliud est cunctorum negotiantium vita quam fraus atque perjurium, quid aliud curialium quam iniquitas, quid aliud officialium quam calumnia, quid aliud * militantium quam rapina? Sed putas forsitan quod hoc etiam de personis istiusmodi ferri possit. Hic est enim, inquis, eorum actus quæ & professio; ac per hoc nihil mirum est, si agunt quod profitentur. Quasi vero aut agere ullum Deus res malas velit aut profiteri; aut nulla sit penitus sacræ majestatis offensa, si maximum scelus

[a] Jer. XI. 11. Zach. VII. 13. [b] Psalm. CVIII. 7.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

minores videantur agere personæ: præsertim cum A in hac hominum multitudine major multo sit pars generis humani; & absque dubio ubi major est peccantium turba, major est divinitatis injuria. Sed omnis, inquis, nobilitas ab his sceleribus immunis est. Parum est id quidem, quia non aliud P. 60. videtur nobilitas in omni mundo quam unus homo in grandi populo. Sed videamus tamen si vel id ipsum parum sit carens crimine. Ac primum consideremus quid de hujusmodi hominibus dicat sermo divinus. Arguens quippe Apostolus Dei populum, sic ait: [a] *Audite, fratres mei dilectissimi. Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide & heredes regni quod repromisit Deus diligentibus se? Vos autem exhonorastis pauperem. Nonne* B *divites per potentiam opprimunt vos? Nonne ipsi blasphemant bonum nomen quod invocatum est super vos?* Grave hoc Apostoli testimonium est: nisi forte immunes se ab eo nobiles putent, quia sunt soli divites nominati. Sed aut iidem sunt nobiles qui & divites; aut si sunt divites præter nobiles, & ipsi tamen jam quasi nobiles: quia tanta est miseria hujus temporis ut nullus habeatur magis nobilis quam qui est plurimum dives. Sed sive de alterutris sive de utrisque Apostolus dixerit, facile de hoc componi potest. Non enim interest, de qua hoc potissimum parte dictum sit, quod utrique certum est convenire. Quis enim est vel nobilium omnino vel divitum horrens crimina? Quamvis in hoc fefellerim: C multi enim horrent, sed paucissimi evitant. In aliis quippe horrent quod in se semper admittunt, mirum in modum & accusatores eorumdem crimi- P. 61. num & excusatores. Exsecrantur publice quod occulte agunt; ac per hoc dum damnare se ceteros putant, ipsos se magis propria animadversione condemnant. Sed relinquamus istos qui magis rei sunt. Quis est vel dives omnino vel nobilis aut innocentiam servans aut a cunctis sceleribus manus abstinens? Quamquam superflue a cunctis dixerim: utinam vel a maximis; quia volunt sibi id forte majores quasi * privilegii vindicare, ut jure suo crimina vel minora committant. Itaque de peccatis facilioribus nihil dico. Videamus si vel a duobus D illis quasi capitalibus malis ullus immunis est, id est, vel ab homicidio, vel a stupro. Quis enim est aut humano sanguine non cruentus, aut cœnosa impuritate non sordidus? Unum quidem ex his ad pœnam æternam sufficit; sed prope nullus divitum non utrumque commisit.

XI. Sed cogitat forte aliquis de hoc numero: Ego jam ista non facio. Laudo, si non facis; sed tamen forte ante fecisti; & non est numquam omnino fecisse, facere cessasse. Quod si ita esset, quid * proderat tamen unum a scelere desistere & multos in sceleribus permanere? Non sanat unius conversio crimina plurimorum; nec sufficit ad placandum Deum quod unus peccata deserit, quem universitas totius humani generis offendit; præsertim cum is qui convertitur ut mortem æternam possit evadere, magnos profecto conversionis suæ fructus capiat, si evadat, nedum contingere ei possit ut ab aliis pœnam damnationis avertat: quia & hoc intolerabilis superbiæ atque immanis piaculi crimen est, si tam bonum se aliquis esse credat ut etiam malos existimet per se posse salvari. Loquens Deus de terra quadam vel de populo peccatore sic dicit: P. 62. [b] *Si fuerint tres viri in medio ejus, Noe, & Daniel, & Job, non liberabunt filios & filias: Ipsi soli salvi erunt.* Neminem tamen reor tam impudentem fore qui se his talibus viris audeat comparare: quia quamvis placere nunc aliquis Deo studeat, hoc ipsum tamen genus maximæ injustitiæ est si se justum præsumat: ac per hoc sublata est omnis spes falsæ opinionis, qua credamus innumeram perditorum hominum multitudinem * suffragio paucorum bonorum a præsentibus malis posse defendi. Cum enim nullus illis quos supra diximus, par sit; quæ esse spes ullis potest quod liberari & extranei & innumeri & mali a paucissimis bonis possint, cum illi familiarissimi Deo sancti ne hoc quidem a Domino promeruerint, ut in filiis suis vel sua membra salvarent? Et recte. Nam licet omnes admodum filii membra parentum esse videantur, non putandi sunt tamen membra eorum esse a quibus affectu cœperint discrepare: quia morum degenerantium pravitate pereunt in talibus beneficia naturæ. Quo fit ut etiam nos, qui * Christiani esse dicimur, perdamus vim tanti nominis, vitio pravitatis. Nihil enim omnino prodest * nomen sanctum habere sine moribus, quia vita a professione discordans abrogat inlustris tituli honorem per indignorum actuum vilitatem. Unde cum pæne nullam Christianorum omnium partem, pæne nullum ecclesiarum omnium angulum non plenum omni offensione & omni letalium peccatorum labe videamus; quid est in quo nobis de Christiano nomine blandiamur, cum utique hoc ipso magis per nomen sacratissimum rei simus, quia a sancto nomine discrepamus? Nam & ideo plus sub religionis titulo Deum lædimus, quia positi in religione peccamus. P. 63.

Explicit liber terius.

a Jac. II. 5-7. b Ezech. XIV. 14. 16.



INCIPIT

LIBER IV.

I. Discedıtur itaque ab illa quam supra diximus Christiani nominis prærogativa, ut putemus, quia simus cunctis gentibus religiosiores, debere nos esse etiam fortiores. Nam cum, ut diximus, hoc sit hominis Christiani fides, fideliter * Christum credere; & hoc sit Christum fideliter credere, Christi mandata servare: sit absque dubio ut E nec fidem habeat qui infidelis est, nec Christum credat qui Christi mandata conculcat; ac per hoc totum in id revolvitur, ut qui Christiani nominis opus non agit, Christianus non esse videatur. Nomen enim sine actu atque officio suo, nihil est. Nam, * sicut ait quidam [1] in scriptis suis, quid est aliud principatus sine meritorum sublimitate, nisi

1. Salvian. lib. II, ad ecclesiam catholicam, sive adversus avaritiam, pag. 252.

honoris titulus sine homine; aut quid est dignitas A in indigno, nisi ornamentum in luto? Itaque ut iisdem verbis etiam nos utamur, quid est aliud sanctum vocabulum sine merito, nisi ornamentum in luto? sicut etiam per divinas litteras sacer sermo testatus est dicens: [a] *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulcra & fatua.* Et in nobis itaque Christianum vocabulum quasi aureum decus est: quo si indigne utimur, fit ut sues cum ornamento
P. 64. esse videamur. Denique qui vult plenus scire vocabula nihil esse sine rebus, respiciat quomodo innumerabiles populi, cessantibus meritis, etiam nomina perdiderunt. Duodecim Hebræorum tribus, cum electæ quondam a Deo essent, duo nomina sacrosancta acceperunt. Populus enim Dei, & Israel appellatæ sunt. Sic quippe legimus: [b] *Audi populus meus, & loquar; Israel, & testificabor tibi.* Ergo Judæi aliquando utrumque, nunc neutrum. Nam nec Dei populus dici potest qui cultum Dei jam olim reliquit, nec videns Deum qui Dei filium denegavit, sicut scriptum est: [c] *Israel vero me non cognovit, & populus meus me non intellexit.* Propter quod etiam alibi Deus noster de Judæorum plebe loquitur ad Prophetam dicens: [d] *Voca nomen ejus, Non dilecta.* Et iterum ad Judæos ipsos; *Vos non estis populus meus, & ego non sum Deus vester.* Cur autem hoc de eis diceret, ipse alibi evidenter ostendit. Sic quippe ait: [e] *Dereliquerunt venam aquarum viventium, Dominum.* Et iterum: [f] *Verbum,* inquit, *Domini projecerunt, & sapientia nulla est in illis.* Quod quidem timeo ne non magis tunc de eis dici potuerit, quam de nobis nunc dici possit: quia nec verbis dominicis obtemperamus; & qui verbis Domini non obsequimur, sapientiam profecto in nobis penitus non habemus. Nisi fortasse credimus sapienter nos Deum spernere, & hoc ipsum quod Christi mandata contemnimus, summam prudentiam judicamus. Est quidem caussa, cur hoc ita existimare credamur. Nam tanto consensu omnes peccata sequimur, quasi summi consilii conspiratione peccemus. Quæ cum ita sint, quæ ratio est ut ipsi nos falsa opinione falla-
P. 65. mus, existimantes scilicet, quia Christiani esse dicamur, quod opitulari nobis inter mala quæ agimus nomen bonum possit, cum Spiritus sanctus nec fidem quidem dicat hominibus Christianis sine operibus bonis posse prodesse. Et utique multo plus est fidem habere quam nomen: quia nomen est vocabulum hominis, fides autem fructus est mentis. Et tamen hunc ipsum fidei fructum infructuosum Apostolus sine operibus bonis esse testatur dicens: [g] *Fides sine operibus mortua est.* Et iterum: [h] *Sicut enim corpus sine spiritu, sic fides sine operibus mortua est.* Addit quoque asperiora quædam ad confundendos eos qui sibi præsumtione Christianæ fidei blandiuntur.

II. [i] *Sed dicet aliquis: Tu fidem habes, & ego opera habeo: Ostende mihi sine operibus fidem tuam, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* Quo utique hoc indicat, actus bonos Christianæ fidei quasi testes esse: quia Christianus nisi opera bona fecerit, fidem suam penitus adprobare non possit; ac per hoc quod probare non valeat quia sit, sic omnino habendum esse quasi non sit. Nam quam pro nullo hoc habendum existimaret, in subditis statim ipse demonstrat dicens ad Christianum: [k] *Tu credis quia unus est Deus. Bene facis. Et dæmones credunt & contremiscunt.* Consideremus quid voluerit hoc loco Apostolus dicere: nec irascamur divinis testimoniis, sed adquiescamus; nec contradicamus, sed proficiamus. *Tu credis,* inquit ad Christianum sermo divinus, *quod Deus unus est. Bene facis. Et dæmones credunt, & contremiscunt.* Numquid erravit Apostolus, ut hominis Christiani fidem dæmoni compararet? Non utique. Sed ostendere illud volens quod supra dictum est, quia sine operibus bonis nihil sibi per fidei supercilium usurpare deberet, * idcirco ait & a P. 66. dæmonibus Deum credi: scilicet ut sicut dæmones, cum Deum credant, tamen in perversitate perdurant; ita & quosdam homines quasi credulitatem B dæmoniacam habere, qui cum se Deum credere asserant, tamen a malo opere non cessant. Subjungit autem ad pudorem & condemnationem hominum peccatorum, non credere solum dæmones Dei nomen, sed etiam timere & contremiscere: hoc est dicere: Quid tibi blandiris, o homo, quisquis es, credulitate, quæ sine timore atque obsequio Dei nulla est? aliquid plus dæmones habent. Tu enim unam rem habes tantummodo, illi duas. Tu credulitatem habes, non habes timorem; illi credulitatem habent pariter & timorem. Quid miraris ergo si cædimur? Quid miraris si castigamur, si in jus hostium tradimur, si infirmiores omnibus sumus? Sive miseriæ nostræ, sive infirmitates, sive C eversiones, sive captivitates & pæne improbæ servitutes, testimonia sunt mali servi & boni domini. Quomodo mali servi? quia patior scilicet vel ex parte, quod mereor. Quomodo boni domini? quia ostendit quid mereamur, etsi non inrogat quæ mereamur. Clementissima enim ac benignissima castigatione mavult nos corrigere quam perire. Nos siquidem, quantum ad crimina nostra pertinet, letalibus suppliciis digni sumus. Sed ille plus misericordiæ tribuens quam severitati, mavult nos clementis censuræ temperamento emendare, quam plaga justæ * coercitionis occidere. Ingratum nobis esse quod cædimur, satis certus sum: sed quid miramur si peccantes nos Deus verberat, cum ipsi D peccantes servulos verberemus? Injusti judices sumus: homunculos nos flagellari a Deo nolumus, P. 67. cum ipsi conditionis nostræ homines flagellemus. Sed nec miror quod tam iniqui in hac re sumus. Natura in nobis & nequitia servilis est. Volumus delinquere, & nolumus verberari. Ipsi in nobis mores sunt qui in servulis nostris: omnes volumus impune peccare. Denique, si mentior, cunctos consulo. Nego ullum esse, quamlibet magni criminis reum, qui se adquiescat debere torqueri. Hinc ergo cognosci potest quam inique ac pravissime aliis severissimi sumus, nobis indulgentissimi; aliis asperi, nobis remissi. In eodem crimine punimus alios, nos absolvimus. Intolerabilis prorsus & contumaciæ E & præsumtionis. Nec agnoscere volumus in nobis reatum, & audemus de aliis usurpare judicium. Quid esse injustius nobis aut quid perversius potest? Id ipsum scelus in nobis probabile esse ducimus, quod in aliis severissime vindicamus. Et ideo non sine caussa ad nos Apostolus clamat: [l] *Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis qui judicas. In quo enim alium judicas, te ipsum * condemnas: eadem enim agis quæ judicas.*

III. Sed non eadem, inquit aliquis ex divitibus, non eadem nos agimus quæ servi agunt. Ex

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 445.

a Prov. xi. 22. b Psalm. lxxx. 9. c Isa. I. 3. d Osee I. 9. Rom. ix. 25. e Jer. xvii. 13. f Jer. viii. 9. g Jac. II. 17. h Ibid. ℣. 26. i Ibid. ℣. 18. k Ibid. ℣. 19. l Rom. II. 1.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.



servis enim fures ac fugitivi sunt, ex servis gulæ ac ventri jugiter servientes. Verum est esse hæc vitia servorum. Sed plura tamen sunt ac majora dominorum, quamvis non omnium. Excipiendi enim quidam sunt, sed paucissimi: quos ideo non nomino, ne non tam eos nominando laudare quam alios non nominando videar publicare. Ac primum servi, si fures sunt, ad furandum forsitan egestate coguntur: quia etiamsi eis stipendia usitata præsten-
P. 68. tur, consuetudini hæc magis quam sufficientiæ satisfaciunt; & ita * implent canonem quod non explent satietatem: ac per hoc culpam ipsam inopia minus culpabilem facit; quia excusabilis furti reus est qui ad furtum cogi videtur invitus. Nam & scriptura ecclesiastica quasi subexcusare quodammodo miserorum omnium noxas videtur dicens: [a] *Non grandis est culpæ cum quis furatus fuerit: furatur enim ut esurientem impleat animam.* * In Salomone. Furatur ut expleat animam suam. ac per hoc non satis a nobis accusandi sunt qui divino sermone excusantur. Quod autem de furtis servorum dicimus, hoc etiam de fuga: immo hoc rectius de fuga, quia ad fugam servos non miseriæ tantum, sed etiam supplicia compellunt. Pavent quippe actores, pavent * silentiarios, pavent procuratores: prope ut inter istos omnes nullorum minus servi sint quam dominorum suorum: ab omnibus cæduntur, ab omnibus conteruntur. Quid amplius dici potest? Multi servorum * ad dominos suos confugiunt, dum conservos timent. Unde illorum fugam non tam ad eos debemus referre qui fugiunt, quam ad eos qui fugere compellunt. Vim patiuntur infelicissimi. Famulari optant, & fugere coguntur. Discedere a servitio dominorum suorum omnino nolunt, & conservorum suorum crudelitate non permittuntur ut serviant. Mendaces quoque esse dicuntur. Ad mendacium nihilominus atrocitate præsentis supplicii coarctantur. Siquidem dum tormentis se volunt eximere, mentiuntur. Quid autem mirum est si positus in metu servus mentiri mavult quam flagellari? Accusantur etiam gulæ & ventris avidi. Nec hoc novum est. Magis desiderat saturitatem, qui famem sæpe toleravit. Sed esto,
P. 69. non perferat famem panis, famem certe perfert deliciarum: & ideo ignoscendum est si avidius expetit quod ei jugiter deest. Tu vero nobilis, tu vero dives, qui * immanibus bonis affluis, qui hoc ipso Deum sanctis operibus honorare plus debes quod beneficiis illius sine cessatione perfrueris; videamus si actus, non dico sanctos, sed vel innoxios habes. Et quis, ut superius dixi, divitum, præter paucos, non cunctis criminibus infectus est? Et quod paucos excipio, utinam plures atque omnes excipi liceret. Salus erat omnium, innocentia plurimorum. Neque ego nunc de ullo dico, nisi de eo tantum qui in se id quod dico esse cognoscit. Si enim extra conscientiam suam sunt quæcumque dico, nequaquam ad injuriam ejus spectant cuncta quæ dico. Si autem in se esse novit quæ loquor, non a mea sibi hoc lingua dici æstimet, sed a conscientia sua. Ac primum ut de vitiis servilibus dicam; si fugitivus est servus, fugitivus es etiam tu dives ac nobilis. Omnes enim Dominum suum fugiunt, qui legem Domini derelinquunt. Quid ergo, dives, culpas in servo? hoc facis quod & ille. Ille fugitivus est domini sui, & tu tui. Sed hoc culpabilior tu quam ille, quia ille fugit forsitan malum dominum, & tu bonum. Incontinentiam quoque ventris in servo arguis. In illo rara est per indigentiam, in te quotidiana per copiam. Vides

A ergo apostolica sententia te potissimum verberari, immo te solum: quia in quo alium judicas, temet ipsum condemnas. Eadem enim agis quæ judicas: immo non eadem, sed majora multo ac nequiora. In illo quippe etiam infrequentem ventris intemperantiam punis, & tu assidua cruditate distenderis. Furtum quoque, ut putas, servile vitium est. Et tu furtum, dives, facis, quando a Deo vetita præsumis: omnes siquidem furta faciunt, qui inlicita committunt. P. 70.

IV. Sed quid ego tam minute & quasi allegorice de hoc loquor, cum facinoribus apertissimis non furta tantum divitum, sed latrocinia comprobentur?
B Quotus quisque enim juxta divitem non pauper * aut actu aut statu est? Siquidem pervasionibus præpotentum aut sua homines imbecilli, aut etiam se ipsos cum suis pariter amittunt. Ut non immerito de utriusque personis sacer sermo testatus sit dicens: [b] *Venatio leonis, onager in eremo: sic pascua sunt divitum pauperes.* Quamvis tyrannidem hanc non pauperes tantum, sed pæne universitas patiatur generis humani. Quid est enim aliud dignitas sublimium quam proscriptio civitatum, aut quid aliud quorumdam quos taceo, * præfectura quam præda? Nulla siquidem major pauperculorum est depopulatio, quam potestas. Ad hoc enim * honor a paucis emitur, ut cunctorum vastatione solvatur.
C Quo quid esse indignius, quid iniquius potest? Reddunt miseri dignitatum pretia quas non emunt. Commercium nesciunt, & solutionem sciunt. Ut pauci inlustrentur, mundus evertitur. Unius honor, orbis excidium est. Denique sciunt hoc Hispaniæ, quibus solum nomen relictum est. * Sciunt Africæ, quæ fuerunt. Sciunt Galliæ devastatæ, sed non ab omnibus, & ideo in paucissimis adhuc angulis vel tenuem spiritum agentes: quia eas interdum paucorum integritas aluit, quas multorum rapina vacuavit.

V. Sed evagati longius sumus, dolore compulsi. Ergo, ut ad superiora redeamus, quid est in quo
D non servilibus vitiis etiam nobiles polluantur; nisi forte ideo, quia illa quæ in servis peccata puniunt, P. 71.
ipsi quasi licita committunt? Denique ad has pervasiones, quas, ut supra dixi, nobiles agunt, servus nec aspirare permittitur. Quamvis mentiar. Quidam enim ex servis nobiles facti, aut paria aut majora fecerunt. Sed hoc tamen imputari servis nequaquam potest, quod quibusdam servilis conditio tam feliciter cessit. Homicidia quoque in servis rara sunt, terrore ac metu mortis; in divitibus assidua, spe ac fiducia impunitatis. Nisi forte iniqui sumus, hoc quod divites faciunt ad peccatum referendo: quia illi cum * occidunt servulos suos, jus putant esse, non crimen. Nec hoc solum; sed
E eodem privilegio etiam in exercendo impudicitiæ cœno abutuntur. Quotus enim quisque est divitum connubii sacramenta conservans, quem non libidinis furor rapiat in præceps, cui non domus ac familia sua scortum sit, & qui non, in quamcumque personam cupiditatis improbæ calor traxerit, mentis sequatur insaniam? secundum illud scilicet quod de talibus dicit sermo divinus: [c] *Equi insanientes in feminas facti sunt.* Quid enim aliud quam de se dictum hoc probat, qui totum pervadere vult concubitu quidquid concupierit aspectu? Nam de concubinis quippiam dici forsitan etiam injustum esse videatur: quia hoc in comparatione supra dictorum flagitiorum quasi genus est castitatis,

a Prov. VI. 30. *b* Eccli. XIII. 23. *c* Jer. V. 8.

uxoribus paucis esse contentum, & intra certum A nutione ditescerent, isti ut eorum quæ jam ferre
conjugum numerum frenos libidinum continere. non poterant multiplicatione morerentur: ac sic re- SÆCUL. V.
Conjugum dixi; quia ad tantam res impudentiam medium illud alios injustissime erigeret, alios in- CIRCA
venit, ut ancillas suas multi uxores putent. Atque justissime necaret; aliis esset sceleratissimum præ- ANN. CHR.
utinam sicut putantur esse quasi conjuges, ita solæ mium, aliis sceleratissimum venenum. Unde ad- 445.



haberentur uxores; Illud magis tetrum ac detestabile, quod quidam matrimonia honorata sortiti, P. 72. alias sibi rursum servilis status conjuges sumunt, deformantes sancti connubii honorem per degeneris contubernii vilitatem, non erubescentes maritos se fieri ancillarum suarum, præcipitantes fastigia nobilium matrimoniorum in cubilia obscena servarum: digni prorsus etiam illarum statu, quarum se putant dignos esse consortio.

VI. Non dubito ex iis plurimos, qui aut sunt nobiles, aut videri nobiles volunt, superbe & aspernanter accipere, quod dum consideramus hæc talia quæ locuti sumus, minus flagitiosos diximus servos quosdam esse quam dominos. Sed cum hoc ego non de omnibus, sed de his qui tales sunt prædicaverim, nullus irasci omnino debet qui nequaquam se talem esse cognoscit; * ne hoc ipso quod irascitur, de cœtu ipsorum esse videatur. Quin potius quicumque ex nobilibus hæc male horrent, irasci talibus debent, quod facinoribus sordidissimis nobilitatis nomen infament: quia licet hi qui tales sunt, omnem gravent populum Christianum, specialiter tamen illos sordibus suis pol- C luunt quorum pars esse dicuntur. Diximus itaque nobiles quosdam esse servis deteriores. Diximus utique; & improbabiliter diximus, nisi quod diximus comprobamus. Ecce enim ab hoc scelere vel maximo prope omnis servorum numerus immunis est. Numquid enim aliquid ex servis turbas concubinarum habet, numquid multarum uxorum labe polluitur, & canum vel suum more tantas putat conjuges suas esse, quantas potuerit libidini subjugare? * Sed responderi videlicet ad hæc potest, quod facere servis ista non liceat. Nam profecto facerent, si liceret. Credo. Sed quæ fieri non video, quasi facta habere non possum. * Quamlibet P. 73. enim in eis improbæ mentes, quamlibet malæ cu- D pidates sint, nullus pro eo quod non admittit scelere punitur. Malos esse servos ac detestabiles satis certum est. Sed hoc utique ingenui ac nobiles magis exsecrandi, si in statu honestiore pejores sunt. Quo fit ut ad illum perveniri exitum rei hujus necesse sit, non ut servi sint a reatu nequitiæ suæ absolvendi, sed ut plurimi divites magis sint servorum comparatione damnandi. Nam illud latrocinium ac scelus quis digne eloqui possit, quod cum Romana respublica vel jam mortua, vel certe extremum spiritum agens, in ea parte qua adhuc vivere videtur, tributorum vinculis quasi prædonum manibus strangulata moriatur, inveniuntur tamen plurimi divitum quorum tributa pauperes E ferunt? hoc est, inveniuntur plurimi divitum quorum tributa pauperes necant. Et quod inveniri dicimus plurimos, timeo ne verius diceremus omnes. Tam pauci enim mali hujus expertes sunt, si tamen ulli sunt, ut in ea parte qua multos diximus, omnes pæne divites reperire possimus. Ecce enim remedia pridem nonnullis urbibus data quid aliud egerunt quam ut divites cunctos immunes redderent, miserorum tributa cumularent; illis ut demererentur vectigalia vetera, istis ut adderentur nova; illos ut decessio etiam minimarum functionum locupletaret, istos ut accessio maximarum affligeret; illi ut eorum quæ leviter ferebant immi-

vertimus quod nihil esse & divitibus sceleratius potest, qui remediis suis pauperes perimunt; & nihil pauperibus infelicius, quos etiam illa quæ pro P. 74. remedio cunctis dantur occidunt.

VII. Jam vero illud quale, quam sanctum, quod si quis ex nobilibus converti ad Deum cœperit, statim honorem nobilitatis amittit? Aut quantus in Christiano populo honor Christi est, ubi religio B ignobilem facit? Statim enim ut quis melior esse tentaverit, deterioris abjectione calcatur: ac per hoc omnes quodammodo mali esse coguntur, ne viles habeantur. Et ideo non sine caussa Apostolus clamat: * *Sæculum totum in malo positum est*. Et verum est. Merito enim totum esse in malo dicitur, ubi boni locum habere non possunt. Siquidem ita totum iniquitatibus plenum est, ut aut mali sint qui sunt in illo, aut qui boni sunt, multorum persecutione crucientur. Itaque, ut diximus, si honoratior quispiam religioni se applicuerit, illico honoratus esse desistit. Ubi enim quis * mutaverit vestem, mutat protinus dignitatem; si fuerit sublimis, fit despicabilis; si fuerit splendidissimus, fit vilissimus; si fuerit totus honoris, fit totus injuriæ. Et mirantur mundani quidam & infideles, si offensam Dei aut iracundiam perferunt, qui Deum * in sanctis omnibus persequuntur? Perversa enim sunt & in diversum cuncta mutata. Si bonus est quispiam, quasi malus spernitur; si malus est, quasi bonus honoratur. Nihil itaque mirum est si deteriora quotidie patimur, qui deteriores quotidie sumus. Et nova enim quotidie homines mala faciunt, & vetera non relinquunt. Surgunt recentia crimina, nec repudiantur antiqua.

VIII. Quis ergo est caussationis locus? Quamlibet aspera & adversa patiamur, minora patimur quam meremur. Quid querimur quod dure agat nobiscum Deus? Multo nos cum Deo durius agimus. Exacerbamus quippe eum impuritatibus nostris, & ad puniendos nos trahimus invitum. Cumque ejus naturæ sit mens Dei atque majestas, ut nulla iracundiæ passione moveatur; tanta tamen in nobis peccatorum exacerbatio est, ut per nos cogatur irasci. Vim, ut ita dixerim, facimus pietati suæ, ac manus quodammodo adferimus misericordiæ suæ. Cumque ejus benignitatis sit ut velit nobis jugiter parcere, cogitur malis nostris scelera quæ admittimus vindicare. Ac sicut illi solent qui munitissimas urbes obsident, aut firmissimas arces urbium capere & subruere conantur, omnibus absque dubio eas & telorum & machinarum generibus oppugnant; ita nos ad expugnandam misericordiam Dei omni peccatorum immanium scelere, quasi omni telorum genere, pugnamus; & injuriosum nobis Deum existimamus, cum ipsi injuriosissimi Deo simus. Omnis siquidem Christianorum omnium culpa, divinitatis injuria est. Nam cum illa quæ facere a Deo vetamur admittimus, vetantis jussa calcamus: ac per hoc impie in calamitatibus nostris severitatem divinam accusamus. Nos quippe nobis accusandi sumus. Nam cum ea quibus torqueamur admittimus, ipsi tormentorum nostrorum auctores sumus. Quid ergo de pœnarum acerbitate querimur? Unusquisque nostrum ipse se punit. Et ideo

P. 75.

* I. Joan. V. 19.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

illud propheticum ad nos dicitur: [a] *Ecce omnes vos ignem accenditis, & vires præbetis flammæ: ingredimini in lucem ignis vestri & flammæ quam accendistis.* Totum namque humanum genus hoc ordine in pœnam æternam ruit, quo scriptura memoravit. Primum enim ignem accendit, postea vires ignibus præbet, postremo flammam ingreditur quam paravit. P. 76. Quando igitur primum sibi homo æternum accendit ignem? Scilicet cum primum peccare incipit. Quando autem vires ignibus præbet? Cum utique peccatis peccata cumularit. Quando vero ignem æternum introibit? Quando inremediabilem jam malorum omnium summam crescentium delictorum nimietate compleverit, sicut Salvator noster ad Judæorum principes ait: [b] *Implete mensuram patrum vestrorum, serpentes, progenies viperarum.* Non longe a plenitudine peccatorum erant, quibus ipse dicebat Dominus ut peccata complerent. Ideo absque dubio, ut quia digni jam salute non essent, implerent iniquitatum numerum quo perirent. Unde etiam cum lex vetus peccata Amorrhæorum completa esse memorasset, sic locutos esse ad sanctum Loth angelos refert: [c] *Omnes qui tui sunt, educ de urbe hac. Delebimus enim locum istum, eo quod increverit clamor eorum coram Domino, qui misit nos ut perdamus illos.* Diu profecto flagitiosissimus ille populus ignem illum accenderat quo peribat. Et ideo completis iniquitatibus suis, arsit flammis criminum suorum. Tam male enim de Deo meruit ut gehennam quæ in futuro judicio erit, etiam in hoc sæculo sustineret.

IX. Sed nulli sunt, inquit aliquis, illorum exitu digni, quia nulli illorum impuritatibus comparandi. Verum fortasse istud sit. Attamen quid facimus, quod Salvator ipse omnes qui evangelium suum spreverint, pejores esse memoravit? Denique ad Capharnaum sic ait: [d] *Si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, forsitan mansissent usque in hunc diem. Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii quam tibi.* P. 77. Si Sodomitas minus esse dicit damnabiles quam cunctos evangelia negligentes, certissima ergo ratio est qua & nos, qui in plurimis evangelia negligimus, pejus timere aliquid debeamus; præsertim cum usitatis jam & * quasi familiaribus malis contenti esse nolimus. Non sufficiunt enim multis consuetudinarii reatus, non sufficiunt lites, non calumniæ, non rapinæ, non sufficiunt vinolentiæ, non sufficiunt comessationes, non sufficiunt falsitates, non sufficiunt perjuria, non sufficiunt adulteria, non sufficiunt homicidia, non sufficiunt denique cuncta ista, etsi atrocitate inhumanissima, re tamen ipsa ad humanas injurias pertinentia, nisi blasphemas furiosarum mentium manus injiciant etiam in Deum. [e] *Posuerunt enim*, sicut de impiis scriptum est, *posuerunt in cælum os suum, & lingua eorum transiit super terram, & dixerunt: Quomodo scibit Deus, & si est scientia in excelso?* Et illud: [f] *Non videbit nec intelliget Deus Jacob.* Ad quos utique tales rectissime propheticum illud referri potest: [g] *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.* Nam qui nihil aspici a Deo affirmant, prope est ut cui aspectum adimunt, etiam * substantiam tollant; & quem dicunt omnino nil cernere, dicant etiam omnino non esse. Et quidem licet nullum admodum malum facinus ratione subsistat, quia rationi non possunt scelera conjungi; nullum

A tamen est, ut puto, vel inrationabilius vel insanius. Quid enim tam furiosum est quam ut aliquis, cum Deum creatorem rerum omnium non neget, gubernatorem neget; & cum factorem esse fateatur, dicat negligere quæ fecit? Quasi vero hæc ei faciendorum omnium cura fuerit, * ut negligeret quæ fecisset. Ego autem in tantum eum curam creaturarum suarum habere dico, ut probem prius quam etiam crearet habuisse. P. 78. Res quippe ipsa hoc evidenter ostendit. Nihil enim fecerat, nisi curam faciendi habuisset ante quam faceret; præsertim cum etiam in ipso humano genere nullus sit ferme hominum tam hebes qui ad hoc aliquid agat atque perficiat, ut perfecta non curet. B Nam & qui agrum excolit, ad hoc colit ut culta conservet. Et qui vineam plantat, ad hoc plantat ut plantata custodiat. Et qui initia gregum præparat, ad hoc parat ut curam multiplicandis gregibus impendat. Et qui domum ædificat vel fundamentum locat, etsi nec dum habitationem paratam habet, jam tamen ipsa quæ adhuc facere molitur, spe futuræ habitationis amplectitur. Et quid de homine hoc loquar, cum etiam minima animalium genera futurarum rerum affectu omnia agant? Formicæ in subterraneis latibulis varia frugum genera condentes, ad hoc cuncta contrahunt ac reponunt, quia affectu vitæ suæ diligunt quæ recondunt. Apes, cum fundamina * favis ponunt, vel C cum e floribus natos legunt, qua caussa vel thymum jam nisi studio & cupiditate mellis, vel flosculos quosdam nisi futuræ sobolis caritate sectantur? Deus ergo qui etiam minimis animantibus hunc affectum proprii operis inseruit, se tantummodo solum creaturarum suarum amore privavit; præsertim cum omnis in nos rerum bonarum amor ex illius bono amore descenderit? Ipse est enim fons & origo cunctorum; & quia in [h] *in ipso*, ut scriptum est, *& vivimus & movemur & sumus*; ab ipso utique affectum omnem quo * pignora nostra amamus, accepimus. Totus namque mundus & totum humanum genus pignus est creatoris sui. Et ideo ex hoc ipso affectu quo amare nos fecit P. 79. D pignora nostra, intelligere nos voluit quantum ipse amaret pignora sua. Sicut enim, ut legimus [i], *invisibilia ejus per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*; ita amorem erga nos suum per eum quem nobis erga nostros dedit amorem, voluit intelligi. Et sicut omnem, ut scriptum est [k], paternitatem in cælo & in terra a se ipso voluit nominari; sic a nobis patris in se affectum voluit agnosci. Et quid dicam patris? immo potius plus quam patris. Probat quippe hoc vox Salvatoris in evangelio dicentis: [l] *Sic enim dilexit Deus hunc mundum, ut filium suum unicum daret pro mundi vita.* Sed & Apostolus dicit: [m] *Deus, inquit, filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. E Quomodo non etiam cum illo nobis omnia donavit?*

X. Hoc est ergo illud quod supra dixi, quia plus nos amat Deus quam filium pater. Evidens quippe res est quod super affectum filiorum nos Deus diligit, qui propter nos filio suo non pepercit. Et quid plus? Addo, & hoc filio justo, & hoc filio unigenito, & hoc filio Deo. Et quid dici amplius potest? Et hoc pro nobis, id est, pro malis, pro iniquis, pro impiissimis. Quis æstimare hunc erga nos Dei amorem queat, nisi quod justitia Dei tanta est, ut in eum aliquid injustum cadere non pos-

a Isa. L. 11. *b* Matth. xxiii. 32. 33. *c* Gen. xix. 12. 13. *d* Matth. xi. 23. 24. *e* Psalm. lxxii. 9. 11. *f* Psalm. xciii. 7. *g* Psalm. lii. 1. *h* Act. xvii. 28. *i* Rom. I. 20. *k* Ephes. III. 15. *l* Joan. III. 16. *m* Rom. viii. 32.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

sit? Nam quantum ad rationem humanam pertinet, injustam rem homo quilibet fecerat, si pro pessimis servis filium bonum * fecisset occidi. Sed utique hoc magis inæstimabilis pietas & hoc magis mirabilis Dei virtus est, quod ita intelligi ab homine magnitudo justitiæ suæ non potest, ut quantum ad imbecillitatem humanam pertinet, pæne injustitiæ speciem magnitudo justitiæ habere videa- P. 80. tur. Et ideo Apostolus, ad indicandam nobis aliquatenus divinæ misericordiæ immensitatem, sic ait: [a] *Ut quid enim Christus, cum adhuc impii essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est? Vix enim pro justo quis moritur*. Ostendit profecto nobis una hac sententia pietatem Dei. Nam si vix ullus pro summa justitia mortem suscipit, probavit Christus quantum præstiterit pro nostra iniquitate moriendo. Sed cur hoc fecerit Dominus, statim in subditis docet dicens: [b] *Commendat autem suam caritatem Deus in nobis. Nam si cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est; multo magis igitur justificati nunc in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum*. Hoc ipso ergo commendat, * quia pro impiis mortuus est. Majoris enim pretii est beneficium, quod præstatur indignis. Idcirco itaque ait: *Commendat suam caritatem Deus in nobis*. Quomodo commendat? Scilicet quia non merentibus præstat. Si enim sanctis & bene meritis præstitisset, non videbatur quæ non debuerat præstitisse, sed quæ debuerat reddidisse. Quid ergo nos pro his omnibus retribuimus, vel potius quid retribuere debemus? Primum scilicet illud quod beatissimus Propheta ei debere se & redditurum esse testatur dicens: [c] *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo*. Prima ergo hæc retributio est, ut mortem morte reddamus, ac pro eo qui mortuus est pro nobis, nos moriamur omnes; tametsi minoris multo pretii mors nostra est quam sua. Quo fit ut etiam si mortem suscipiamus, debitum tamen non exsolvamus. Sed tamen quia majus referre non possumus, totum reddere videmur, P. 81. si totum quod possumus * reddere curamus. Itaque prima, ut dixi, hæc * retributio est. Secunda autem, ut si debitum morte non solvimus, vel amore solvamus. Nam ipse Salvator ideo, ut ait Apostolus, moriendo pro nobis commendare voluit omnibus caritatem suam, ut nos ad reddendam pietatem * tantæ vicissitudinis pietatis suæ traheret exemplo. Et sicut illas naturæ admirabiles gemmas ferunt, quæ ferro propius admotæ durissimum licet chalybem affectu quasi spirante suspendunt; ita etiam ille, id est, summa & clarissima regnorum cælestium gemma, hoc scilicet voluit ut dum se licet durissimis nobis descendens de cælo propius adjungeret, affectui suo nos quasi amoris sui manibus admoveret; ut agnoscentes utique dona sua ac beneficia, intelligeremus quid nos pro Domino tam bono facere conveniret, cum ille pro malis servis tanta fecisset; & compleretur hoc quod Apostolus dicit [d], ut mortificaremur caritate illius tota die, & neque tribulatio, neque angustia, neque persecutio, neque fames, neque nuditas, neque gladius posset nos separare a * caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

XI. Cum ergo hæc a nobis deberi Domino satis certum sit, videamus quid pro his cunctis reddimus; quæve demus. Quid scilicet nisi totum illud quod supra diximus, quidquid indecens, quidquid indignum, quidquid ad injuriam Dei pertinens, actus improbos, mores flagitiosos, ebrietates, comessationes, cruentas manus, fœditates libidinis, [1] rapidas cupiditates, & quidquid illud est quod plus potest conscientia habere quam sermo. [e] *Quæ enim*, inquit Apostolus, *in occulto fiunt ab eis, turpe est etiam dicere*. Nec solum hoc. Nam hoc vetus est, & tam præsentium temporum quam præteritorum. P. 82. Illud gravius & lugubrius, quod peccatis veteribus nova addimus, nec solum nova, sed quædam paganica ac prodigiosa & in ecclesiis Dei ante non visa; jactantes scilicet profanas in Deum voces, & contumeliose blasphemantes, dicentes Deum incuriosum, Deum non intendentem, Deum negligentem, Deum non gubernantem, ac per hoc & immisericordem & impræstabilem, inhumanum, asperum, durum. Nam qui non respiciens & incuriosus & negligens esse dicitur; quid superest nisi ut asper & durus & inhumanus esse dicatur? O cæcam impudentiam! o sacrilegam temeritatem! Non sufficit enim nobis quod peccatis innumerabilibus involuti, rei in omnibus Deo sumus; nisi etiam accusatores Dei simus. Et quæ, rogo, homini spes erit, qui ipsum accusat judicem judicandus?

XII. Si ergo, inquiunt, respicit res humanas Deus, si curat, si diligit, si gubernat; cur nos infirmiores omnibus gentibus & miseriores esse permittit? Cur vinci a barbaris patitur? Cur juri hostium subjugari? Brevissime, ut jam ante dixi, ideo nos perferre hæc mala patitur, quia meremur ut ista patiamur. Respiciamus enim ad turpitudines, ad flagitia, ad scelera illa * Romanæ plebis quæ supra diximus; & intelligemus si protectionem mereri possumus, cum in tanta impuritate vivamus. Itaque quia hoc argumento plurimi non respici res humanas a Deo dicunt, quod miseri quod imbecilles simus, quid meremur? Si enim in tantis vitiis, in tanta improbitate viventes, fortissimos, florentissimos beatissimosque esse pateretur; suspicio fortasse aliqua esse poterat quod non P. 83. respiceret scelera Romanorum Deus, qui tam malos, tam perditos, beatos esse pateretur. Cum vero tam vitiosos, tam improbos, infirmos & miserrimos esse jubeat; evidentissime patet, & aspici nos a Deo & judicari, quia hoc patimur quod meremur. Sed mereri nos absque dubio non putamus: & hinc est quod magis rei & criminosi sumus, quia non agnoscimus quod meremur. Maxima quippe accusatrix hominum noxiorum est usurpatrix innocentiæ adrogantia. Inter multos siquidem eorumdem criminum reos nullus est criminosior quam qui se putat non criminosum. Itaque & nos hoc solum malis nostris addere possumus, ut nos innoxios judicemus. Sed esto, (inquit aliquis peccator & * malignissimus) certe, quod negari non potest, meliores barbaris sumus; & hoc utique ipso manifestum est quod non respicit res humanas Deus, quia cum meliores simus, deterioribus subjugamur. An meliores simus barbaris, jam videbimus. Certe, quod non est dubium, meliores esse debemus. Et hoc ipso utique deteriores sumus, si meliores non sumus, qui meliores esse debemus. Criminosior enim culpa est, ubi honestior status. Si * honoratior est persona peccantis, peccati quoque major invidia. Furtum in omni quidem est homine malum facinus: sed damnabilius absque dubio senator furatur aliqua quam infima persona. Cunctis fornicatio interdicitur: sed gravius multo est, * si de clero aliquis quam si de

a Rom. V. 6. 7. b Ibid. ✱✱. 8. 9. c Psalm. CXV. 12. 13. d Rom. VIII. 36. e Ephes. V. 12.

1. *Rapidas cupid.*] Legendum forte, *rabidas cupid.*

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 445.

populo fornicetur. Ita & nos qui Christiani & A catholici esse dicimur, si simile aliquid barbarorum impuritatibus facimus, gravius erramus. Atrocius enim sub sancti nominis professione peccamus. Ubi sublimior est prærogativa, major est culpa. Ipsa enim errores nostros religio quam profitemur, accusat. Criminosior est ejus impudicitia, qui promiserit castitatem. * Fœdius inebriatur, sobrietatem fronte prætendens. Nihil est philosopho turpius vitia obscena sectanti: quia præter eam deformitatem quam vitia in se habent, sapientiæ * nomine plus notatur. Et nos igitur in omni humano genere philosophiam Christianam professi sumus: ac per hoc deteriores nos cunctis gentibus credi atque haberi necesse est, quia sub tam magnæ pro- B fessionis nomine vivimus, & positi in religione peccamus.

P. 84.

XIII. Sed scio plurimis intolerabile videri, si barbaris deteriores esse dicamur. Et quid facimus quod caussæ nostræ hoc nihil proficit, si intolerabile id nobis esse videatur? Immo caussam nostram hoc magis adgravat, si deteriores simus, & meliores nos esse credamus. [a] *Qui enim*, inquit Apostolus, *se existimat aliquid esse*, *cum nihil sit*, *se ipsum seducit*. *Opus autem suum probet homo*. Operi ergo nostro debemus credere, non opinioni: rationi, non libidini; veritati, non voluntati. Igitur quia non ferendum quidam existimant, ut dete- C riores aut non multo etiam meliores barbaris judicemur; videamus aut quomodo meliores simus, aut quibus barbaris. Duo enim genera in omni gente omnium barbarorum sunt, id est, aut * hæreticorum, aut paganorum. His ergo omnibus, quantum ad legem divinam pertinet, dico nos sine comparatione meliores: quantum autem ad vitam & vitæ acta, doleo ac plango esse pejores. Quamvis id ipsum tamen, ut ante jam diximus, non de omni penitus * Romani populi universitate dicamus. Excipio enim primum omnes * religiosos, deinde non-
P. 85. nullos etiam sæculares religiosis pares; aut si id nimis grande est, aliqua tamen religiosis honestorum actuum probitate consimiles: ceteros vero aut omnes, D aut pæne omnes, magis reos esse quam barbaros. Hoc est autem deteriorem esse, magis reum esse. Itaque quia nonnulli inrationabile atque absurdum arbitrantur, ut aut deteriores aut non multum etiam meliores barbaris judicemur; videamus, ut dixi, aut quomodo, aut quibus barbaris. Ego enim præter eos tantummodo Romanorum quos paullo ante nominavi, ceteros aut omnes, aut pæne omnes, majoris reatus dico & criminosioris vitæ esse quam barbaros. Irasceris forsitan qui hæc legis, & condemnas insuper quæ legis. Non refugio censuram tuam. Condemna, si mentior; condemna, si non probavero; condemna, si id quod adsero, non etiam scripturas sacras dixisse E monstravero. Igitur qui meliores nos multo cunctis quæ sunt in mundo gentibus judicamus, nec ipse, qui Romanos dico in plurimis deteriores, abnego in quibusdam esse meliores. Vita enim, ut dixi, & peccatis sumus deteriores; lege autem catholica sine comparatione meliores. Sed illud considerandum est, quia quod lex bona est, nostrum non est; quod autem male vivimus, nostrum est. Et nihil utique nobis prodest quod lex est bona, si vita nostra & conversatio non est bona. Lex enim bona, muneris est Christi; vita autem non bona, criminis nostri. Immo hoc magis culpabiles sumus, si legem bonam colimus, & mali cultores sumus. Quin potius nec cultores, si mali: quia cultor dici non potest malus cultor. Neque enim colit qui rem sanctam sancte non colit: ac per hoc accusatrix nostri est lex ipsa quam colimus.

XIV. Remota ergo legis prærogativa, quæ nos P. 86. aut nihil omnino adjuvat, aut etiam justa animaversione condemnat; vitam barbarorum atque nostrorum, studia, mores, vitia comparemus. Injusti sunt barbari, & nos hoc sumus; avari sunt barbari, & nos hoc sumus; infideles sunt barbari, & nos hoc sumus; cupidi sunt barbari, & hoc nos sumus; impudici sunt barbari, & nos hoc sumus; omnium denique improbitatum atque impuritatum pleni sunt barbari, & nos hoc sumus. * Sed responderi fortasse possit: Ergo si pares vitiositate barbaris sumus, cur non sumus etiam viribus pares? Cum enim similis sit improbitas atque idem reatus, aut tam fortes deberemus esse nos quam sunt illi, aut certe tam invalidi quam nos sumus, illi esse deberent. Verum est; ac per hoc superest ut illi nocentiores sint qui infirmiores. Quomodo hoc probamus? Scilicet quia, ut superius locuti sumus, omnia ex judicio Deum facere monstravimus. Si enim, ut scriptum est [b], *in omni loco oculi Domini speculantur bonos & malos*; & juxta Apostolum [c], *judicium Dei est secundum veritatem in omnes malos*; videmus nos qui non desinimus mala agere, ex judicio justi Dei pœnas malitiæ sustinere. Sed eadem, inquis, mala etiam barbari agunt, & tamen non sunt tam miseri quam nos sumus. Hoc ergo interest, quod etsi eadem agant barbari quæ nos agimus, nos tamen majore offensione peccamus. Possunt enim nostra & barbarorum vitia esse paria; sed in his tamen vitiis necesse est peccata nostra esse graviora. Nam cum omnes, ut ante jam diximus, barbari aut pagani sint aut hæretici; ut de paganis, quia prior illorum error est, prius dicam, gens Saxonum fera est, Francorum infidelis, Gepidarum P. 87. inhumana, * Chunorum impudica; omnium denique gentium barbarorum * vita, vitiositas. Sed numquid eumdem reatum habent illorum vitia quem nostra, numquid tam criminosa est Chunorum impudicitia quam nostra, numquid tam accusabilis Francorum perfidia quam nostra, aut tam reprehensibilis ebrietas Alani quam ebrietas Christiani, aut tam damnabilis rapacitas Albani quam rapacitas Christiani? Si fallat Chunus vel Gepida, quid mirum est, qui culpam penitus falsitatis ignorat? Si pejeret Francus, quid novi faciet, qui perjurium ipsum sermonis genus putat esse, non criminis? Et quid mirum si hoc barbari ita credunt, qui legem & Deum nesciunt, cum major fere Romani nominis portio ita existimet, quæ peccare se novit? Nam ut de alio hominum genere non dicam, consideremus solas negotiatorum & * siricorum omnium turbas, quæ majorem ferme civitatum universarum partem occupaverunt, si aliud est vita istorum omnium quam meditatio doli & tritura mendacii, aut si non perire admodum verba æstimant quæ nihil loquentibus prosunt. Tantus apud hos Dei honor est prohibens etiam jusjurandum, ut singularem existiment fructum omnium perjurium. Quid ergo mirum barbaros fallere, qui falsitatis crimen ignorant? Nihil enim contemtu agunt cælestium præceptorum, præcepta Domini nescientes; quia non facit aliquid contra legem legis ignarus. Noster ergo hic peculiariter reatus est qui legem divinam legimus, & legalia semper

a Gal. VI. 3. 4. *b* Prov. XV. 3. *c* Rom. II. 2.

ſcripta violamus ; qui Deum noſſe nos dicimus, & juſſa illius ac præcepta calcamus : ac per hoc cum eum ſpernamus quem coli a nobis credimus
P. 88. atque jactamus, id ipſum quod cultus Dei videtur, injuria eſt.

XV. Denique, ut de peccatis aliis nihil dicam, quis eſt omnino hominum ſæcularium, præter paucos, qui non ad hoc ſemper Chriſti nomen in ore habeat ut pejeret ? Unde etiam pervulgatum hoc fere & apud nobiles & apud ignobiles * ſacramentum eſt : Per Chriſtum quia hoc facio, Per Chriſtum quia hoc ago, Per Chriſtum quia nihil dicturus ſum, Per Chriſtum quia nil aliud acturus ſum. Et quid plura ? In id penitus deducta res eſt ut, ſicut de * paganis barbaris prius diximus, Chriſti nomen non videatur jam ſacramentum eſſe, ſed ſermo. Nam in tantum apud plurimos nomen hoc parvi penditur, ut * numquam minus cogitent quippiam facere quam cum ſe jurant per Chriſtum eſſe facturos. Et cum ſcriptum ſit : [a] *Non nominabis nomen Domini Dei tui in vanum* ; in id reverentia Chriſti decidit, ut inter ceteras ſeculi vanitates nihil jam pæne vanius quam Chriſti nomen eſſe videatur. Denique multi non otioſas tantummodo res & aniles, ſed etiam ſcelera quædam ſe jurant per Chriſti nomen eſſe facturos. Hic enim loquendi uſus eſt talibus : Per Chriſtum quia tollo illud, Per Chriſtum quia cædo illum, Per Chriſtum quia occido illum. Ad hoc res recidit, ut cum per Chriſti nomen juraverint, putent ſe ſcelera etiam religioſe eſſe facturos. Denique quid mihi ipſi evenerit dicam. Cum ante aliquantulum tempus, victus prece cujuſdam pauperis, præpotentiori cuidam ſupplicarem, obſecrans ne homini miſero & egeſtuoſo rem ac ſubſtantiam ſuam tolleret, ne ſubſidium & ſtipem quo paupertas illius nitebatur, auferret ; tum ille, qui ejus rebus ſiti rabida inhiaverat, ac prædam jam ſpe & cu-
P. 89. piditate * ardentiſſima devoraverat, reſpiciens ac vibrans in os meum truces oculos, utpote qui tolli ſibi a me putaret * quidquid ipſe alteri non tuliſſet, nequaquam hoc quod peterem facere ſe poſſe reſpondit : quaſi vero juſſu aut ſcripto id ſacro faceret quod penitus præterire non poſſet. Cumque ego cauſſam qua hoc fieri non valeret quærerem, dixit rem violentiſſimam, & cui contradici penitus non deberet. * Juravi, inquit, per Chriſtum res illius a me eſſe tollendas. Vide ergo an poſſim vel debeam non efficere, quod etiam interpoſito Chriſti nomine me dixi eſſe facturum. Tum ego (Quid enim amplius facerem, cui res tam juſta obtendebatur & ſancta ?) audita religioſiſſimi ſceleris ratione diſceſſi.

XVI. Heic nunc interrogo omnes qui ſanæ mentis ſunt : Quis umquam crederet uſque in hanc contumeliam Dei progreſſuram eſſe humanæ cupiditatis audaciam, ut id ipſum in quo Chriſto injuriam faciunt, dicant ſe ob Chriſti nomen eſſe facturos ? O inæſtimabile facinus & prodigioſum ! Quid non auſæ ſint improbæ mentes ! Armant ſe ad latrocinandum per Chriſti nomen, auctorem quodammodo ſui ſceleris Deum faciunt ! & cum interdictor ac vindex malorum omnium Chriſtus ſit, dicunt ſe ſcelus quod agunt agere pro Chriſto. Et de hoſtili iniquitate conquerimur, & pa- A ganicam barbariem pejerare cauſſamur ? Quanto minore peccato illi per dæmonia pejerant, quam nos per Chriſtum ! Quanto minoris criminis res eſt Jovis nomen ludificare, quam Chriſti ! Ibi homo eſt mortuus, per quem juratur : heic Deus vivus, qui pejeratur. Ibi nec homo ullus : heic Deus ſummus. Heic cum maximi ſacramenti ſit dejeratio, neceſſe eſt maximi ſit reatus & pejeratio : ibi cum prope nullum ſit * juramentum, nullum conſtat eſſe perjurium. P. 90. Nam cum Deus non ſit per quem juratur, non eſt perjurium cum pejeratur. Denique qui vult ſcire quam verum ſit, audiat beatum Apoſtolum Paullum ipſa hæc quæ nos dicimus prædicantem. Sic quippe ait ; [b] *Scimus autem quo-* B *niam quæcumque lex loquitur, his qui in lege ſunt loquitur.* Et iterum : [c] *Ubi*, inquit, *non eſt lex, nec prævaricatio*. Duabus his ſententiis duas evidenter expoſuit partes generis humani, extra legem poſitos, & in lege viventes. Qui ſunt igitur nunc in lege poſiti ? Qui ſcilicet niſi Chriſtiani, ſicut ipſe Apoſtolus fuit, qui de ſe ait : [d] *Sine lege Dei non ſum, ſed in lege ſum Chriſti*. Qui igitur ſine lege Chriſti ? Qui niſi pagani homines, legem dominicam neſcientes ? Et ideo de his dicit : *Ubi non eſt lex, nec prævaricatio*. * Quo uno utique oſtendit Chriſtianos tantum, cum peccaverint, legis prævaricatores eſſe ; paganos autem qui legem neſciant, ſine prævaricatione peccare : quia C nullus poteſt ejus rei prævaricator eſſe quam neſcit. Nos ergo tantum prævaricatores divinæ legis, qui, ut ſcriptum eſt [e], legem legimus, & non facimus eam ; ac per hoc nihil eſt aliud ſcientia noſtra quam culpa, qui ad hoc tantummodo legem novimus ut majore offenſione peccemus : quia quod lectione & corde novimus, libidine ac deſpectione calcamus. Et ideo rectiſſime apoſtolicum illud ad omnem dicitur Chriſtianum : [f] *Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras. Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter gentes*. Cujus ergo criminis rei ſint Chriſtiani, ex hoc uno intelligi poteſt quia Dei nomen infamant. Et cum ſcriptum ſit nobis [g], ut omnia faciamus D in gloriam Dei ; nos e diverſo cuncta in Dei facimus injuriam. P. 91. Cumque ipſe Salvator noſter ad nos quotidie clamet : [h] *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant filii hominum opera veſtra bona, & magnificent patrem veſtrum qui in cælis eſt* ; nos ita vivimus e contrario ut filii hominum videant opera noſtra mala & blaſphement patrem noſtrum qui eſt in cælis.

XVII. Quæ cum ita ſint, magna videlicet nobis prærogativa de nomine Chriſtianitatis blandiri poſſumus, qui ita agimus ac vivimus ut hoc ipſum quod Chriſtianus populus eſſe dicimur, opprobrium Chriſti eſſe videamur. At e diverſo in paganis E quid horum ſimile quæ dicimus ? Numquid dici de Chunis poteſt : Ecce quales ſunt qui Chriſtiani eſſe dicuntur ? Numquid de Saxonibus aut Francis : Ecce quæ faciunt qui ſe adſerunt Chriſti eſſe cultores ? Numquid propter Maurorum efferos mores lex ſacroſancta culpatur ? Numquid Scytharum aut Gepidarum inhumaniſſimi ritus in maledictum atque blaſphemiam nomen Domini Salvatoris inducunt ? Numquid dici de ullis iſtorum poteſt : Ubi eſt lex catholica quam credunt ? Ubi ſunt pietatis & caſtitatis præcepta quæ diſcunt ? Evangelia legunt, & impudici ſunt : Apoſtolos audiunt, & inebriantur :

a Exod. xx. 7. *b* Rom. III. 19. *c* Rom. iv. 15. *d* I. Cor. ix. 21. *e* Rom. III. 21. ſeqq.
f Ibid. ỳỳ. 23. 24. *g* I. Cor. X. 31. *h* Matth. V. 16.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

Christum sequuntur, & rapiunt: vitam improbam agunt, & probam legem habere se dicunt. Numquid hæc de ulla istarum gentium dici queunt? Non utique. De nobis quippe omnia ista dicuntur. In nobis Christus patitur opprobrium, in nobis patitur lex Christiana maledictum. De nobis enim dicitur illud quod supra diximus: Ecce quales sunt qui Christum colunt. Falsum plane illud est quod ajunt se bona discere, quod jactant se sanctæ legis præcepta retinere. Si enim bona discerent, boni essent. Talis profecto secta est, quales & sectatores. Hoc sunt absque dubio quod docentur. Apparet itaque & Prophetas quos habent impuritatem docere, & Apostolos quos legunt nefaria sanxisse, & evangelia quibus imbuuntur, hæc quæ ipsi faciunt prædicare. Postremo sancta a Christianis fierent, si Christus sancta docuisset. Æstimari itaque de cultoribus suis potest ille qui colitur. Quomodo enim bonus magister est, cujus tam malos videmus esse discipulos? * Ex ipso enim Christiani sunt, ipsum audiunt, * ipsum legunt. Promtum est omnibus Christi intelligere doctrinam. Vide Christianos quid agant, & evidenter potes * de Christo scire quid doceat. Denique quam prave ac nefarie pagani semper de sacris dominicis opinati sint, docent persecutorum immanium cruentissimæ quæstiones, qui in sacrificiis Christianis nihil aliud quam impura quædam fieri atque abominanda credebant. Siquidem etiam initia ipsa nostræ religionis non nisi a duobus maximis facinoribus oriri arbitrabantur; primum scilicet homicidio, deinde, quod homicidio est gravius, incestu; nec homicidio solum & incestu, sed, quod sceleratius quidem est, incestu ipso & homicidio; incestu matrum sacrosanctarum & homicidio innocentium parvulorum, quos non occidi tantum a Christianis, sed, quod magis abominandum est, etiam vorari existimabant; & hæc omnia ad placandum Deum, quasi ullo facinore magis possit offendi; ad purgandum piaculum, quasi ullum aliud majus esset; ad commendandum sacrificium, quasi ullam rem Dominus magis possit horrere; ad promerendam vitam æternam, quasi vero etiam si possit his rebus accipi, tanti esset ad eam per scelera tam immania perveniri.

XVIII. Intelligere ergo possumus aut quales esse pagani crediderint Christianos, qui talibus sacrificiis Deum colerent, aut qualem solicitent Deum ipsum, qui hæc sacra docuisset. Et hoc cur ita? Cur utique nisi ob eos qui Christiani esse dicuntur & non sunt, qui per flagitia ac turpitudines suas nomen religionis infamant, qui, ut scriptum est [a], *ore fatentur se nosse Deum, factis autem negant, cum sint abominabiles & increduli, ad omne autem opus bonum reprobi*, [b] *per quos*, ut legimus, *via veritatis blasphematur*, & sacrosanctum Domini Dei nomen sacrilegorum hominum maledictione violatur. Quam gravis autem ac singularis piaculi malum sit nomen divinitatis in blasphemiam gentium dare, etiam David beatissimi edocemur exemplo: qui cum suffragio justitiarum suarum æternam pro offensionibus suis pœnam per unam tantum confessionem meruerit evadere, hujus tamen criminis veniam nec per pœnitentiam patrocinantem potuit impetrare. Nam cum ei errores proprios confitenti Nathan propheta dixisset: [c] *Transtulit Deus peccatum tuum: non morieris*, subdidit statim: *Verumtamen quia blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc, filius qui ex te natus est, morietur*. Et quid post hæc? Deposito scilicet diademate, projectis gemmis, exutis purpuris, * remoto omni splendore regiæ dignitatis, cum pro his omnibus solitarius, gemens, clusus, sacco squalidus, fletu madidus, cinere sordidatus, vitam parvuli sui tot lamentationum suffragiis peteret, & piissimum Deum tanta precum ambitione pulsaret, sic rogans & obsecrans obtinere non potuit; cum tamen, quod fortissimum petentibus adjumentum est, impetraturum se quod sic a Deo peteret credidisset. Ex quo intelligi potest quod nullum penitus majoris piaculi crimen est, quam blasphemandi caussam gentibus dare. Quicumque enim sine blasphemia aliorum graviter erraverit, sibi tantum adfert damnationem. Qui autem alios blasphemare fecerit, multos secum præcipitat in mortem; & necesse erit, ut sit pro tantis reus quantos secum traxerit in reatum. Nec solum hoc; sed quicumque peccator ita peccat ut alios tamen peccato suo blasphemare non faciat, peccatum suum ipsi obest tantummodo quod peccaverit, sacrosanctum autem Dei nomen sacrilega blasphemantium maledictione non lædit. Qui vero blasphemare alios peccans fecerit, necesse est peccatum suum supra criminis humani esse mensuram; quia per convicia plurimorum inæstimabilem Deo facit injuriam.

XIX. Hoc autem, ut dixi, malum peculiariter tantum Christianorum est: quia per eos tantummodo blasphematur Deus, qui bona discunt & mala faciunt; qui, ut scriptum est [d], Deum verbis confitentur & factis negant; qui, ut idem Apostolus ait [e], adquiescunt legi & sciunt voluntatem ejus, & probant quæ potiora sunt; qui habent formam scientiæ & veritatis in lege; qui prædicant non furandum & furantur; qui legunt non mœchandum & mœchantur; qui in lege gloriantur, & per prævaricationem legis Deum inhonorant. Et ideo hoc ipso Christiani deteriores sunt, qui meliores esse deberent. Non enim probant quod profitentur, & impugnant professionem suam moribus suis: magis enim damnabilis est malitia quam titulus bonitatis accusat, & reatus impii est pium nomen. Unde etiam Salvator in Apocalypsi ad tepidum Christianum ait: [f] *Utinam aut calidus esses aut frigidus. Nunc autem, quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo*. Omnem Christianum Dominus fide ac spiritu jubet esse ferventem. Sic enim scriptum est: [g] *Ut simus spiritu ferventes, Domino servientes*. In hoc ergo fervore spiritus fidei religiosæ ardor ostenditur; de quo ardore qui plurimum habet, fervens esse agnoscitur fidelis: qui nihil omnino habet, frigidus esse intelligitur & paganus: qui vero inter utrumque vel neutrum est, tepidus atque exosus est Domino Christianus: & ideo ad eum dicitur: *Utinam aut calidus esses aut frigidus. Nunc autem, quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo*: hoc est dicere: Utinam aut calorem & fidem haberes bonorum Christianorum, aut certe frigus & ignorantiam paganorum. Aut enim fides te calida Deo insinuaret, aut certe ad præsens adhuc legis ignorantia aliquatenus excusaret. Nunc autem quia Christum jam agnovisti, & negligis quem agnovisti, qui susceptus es quasi intra os Dei per fidei agnitionem, projicieris per teporem: quod quidem etiam beatus Apostolus Petrus evidenter exposuit dicens de vitiosis ac tepidis, id est, male viventibus Christianis: [h] *Melius erat il-*

[a] Tit. I. 16. [b] II. Pet. II. 2. [c] II. Reg. XII. 13. 14. [d] Tit. I. 16. [e] Rom. II. 17. seqq. [f] Apoc. III. 15. 16. [g] Rom. XII. 11. [h] II. Pet. II. 21. 22.

*lis non cognoſcere veritatem, quam cognoſcentibus retrorſum reflecti a tradito ſibi mandato. Contigit illis res veri proverbii: Canis reverſus ad ſuum vomitum, & ſus lota * in volutabro luti.* Quod ut evidenter de his dictum intelligamus qui ſub Chriſtiano nomine in ſordibus mundi atque impuritatibus vivunt, audi quid de eiſdem in eodem loco
P. 96. dicat: [a] *Si enim*, inquit, *refugientes coinquinationes mundi in agnitionem Domini noſtri & conſervatoris Jeſu Chriſti, his rurſus impliciti ſuperantur, facta ſunt illis noviſſima pejora prioribus.* Quod quidem & beatus Apoſtolus Paullus in eumdem modum dicit: [b] *Circumciſio quidem prodeſt, ſi legem cuſtodias. Si autem prævaricator legis ſis, circumciſio tua præputium facta eſt.* Circumciſionem autem, Chriſtianitatem intelligendam ipſe evidentiſſime docet dicens: [c] *Nos enim ſumus circumciſio, qui ſpiritu Deo ſervimus, & non in carne confidimus.* Ac per hoc videmus quod malos Chriſtianos paganis comparat; nec comparat tantum, ſed pæne poſtponit, dicens: [d] *Si autem præputium juſtitias legis cuſtodiat, nonne præputium illius in circumciſionem reputabitur? Et judicabit id quod ex na-* A *tura eſt præputium, legem conſummans, te qui per litteram & circumciſionem prævaricator legis es.* Ac per hoc intelligimus, ut ſupra dixi, culpabiliores nos multo eſſe, qui legem Dei habemus & ſpernimus, quam illos qui nec habent omnino nec norunt. Nemo enim ignota contemnit. [e] *Concupiſcentiam quippe neſciebam*, Apoſtolus inquit, *niſi lex diceret: Non concupiſces.* Neque enim prævaricantur a lege quam non habent: quia, ut ſcriptum eſt [f], *Ubi non eſt lex, nec prævaricatio.* Ac per hoc ſi non prævaricantur a lege quam non habent, ergo nec contemnunt legis ſcita quæ non habent: quia nemo, ut dixi, poteſt deſpicere quod neſcit. Nos ergo & contemtores pariter & præva- B ricatores ſumus, ac per hoc paganis deteriores: quia illi non norunt Dei mandata, nos novimus: illi ea non habent, nos habemus: illi inaudita non faciunt, nos lecta calcamus. Et ideo apud illos P. 97. ignorantia eſt; apud nos prævaricatio: quia minoris criminis reatus eſt legem neſcire, quam ſpernere.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

Explicit liber quartus.

a II. Pet. II. 20. *b* Rom. II. 25. *c* Philipp. III. 3. *d* Rom. II. 26. 27. *e* Rom. VII. 7. *f* Rom. IV. 15.



INCIPIT

LIBER V.

I. Scio infideliſſimos quoſque & veritatis divinæ C incapaces dicere adverſum hæc poſſe quæ diximus: Si tantus ſit Chriſtianorum infidelium reatus ut plus peccent prætermittentes mandata Domini quæ ſciant, quam paganæ gentes quæ neſciant; ſalubriorem his fuiſſe ignorantiam quam agnitionem, & contra eos eſſe admodum quod agnoverint veritatem. Quibus hoc reſpondendum eſt, non veritatem his obeſſe, ſed vitia; nec legem nocere, ſed mores. * Denique da mores bonos, & legis ſcita pro nobis ſunt. Tolle vitia, lex prodeſt. [a] *Scimus enim*, inquit Apoſtolus, *quia lex bona eſt, ſi quis ea legitime utatur.* Legitime itaque lege utere, & legem tibi bonam ipſe feciſti. [b] *Scimus enim*, inquit, *quia lex bona eſt, ſi quis ea legiti-* D *me utatur: ſciens hoc, quod juſto lex non eſt poſita.* Ac per hoc juſtus eſſe incipe, & eris liber a lege: quia non poteſt lex venire contra mores, quæ jam habetur in moribus. [c] *Scimus enim*, inquit, *quia lex bona eſt, ſi quis ea legitime utatur: ſciens hoc, quod juſto lex non eſt poſita, ſed injuſtis, & non ſubditis, ſed ſceleratis & impiis & peccatori-*
P. 98. *bus; & ſi quod aliud ſanæ doctrinæ adverſatur.* Ac per hoc non tam lex tibi, o homo, quam tu legi adverſaris; nec lex contra te bene præcipiendo, ſed tu contra legem male vivendo agis. Immo illa pro te eſt, tu contra illam. Illa enim tibi conſulit ſancta dicendo, tu contra illam venis prava faciendo: nec contra illam tantum, ſed etiam E contra te: hoc ipſo enim quod contra illam, & contra te; quia in illa ſalus & vita tua eſt: ac per hoc dum legem divinam deſeris, ſalutem propriam derelinquis. Non aliter ergo nos de dominica lege querimur quam queri de optimo medico impatiens ægrotus ſolet: qui cum ingraveſcere ſibi morbos vitio ſuo fecerit, imperitiam medentis accuſat. Quaſi vero curare ullam infirmitatem præcepta poſſint, ſi ei non obedierit infirmus; aut ſanare quemquam obſervantia valeat quam medicus ei imperat, ſi eam ſibi ægrotus ipſe non præſtat. Quid juvant ſtomachum * abſinthia, ſi ſtatim dulcia ſubſequantur? Quid conferunt phrenetico ſilentia circumſtantium, quem ſuus clamor occidit? Aut quid prodeſſe poterit antidotum, cui ſuperfunditur venenum? Et nobis itaque lex eſt antidotum, ſed vitioſitas venenum. Sanare nos non poteſt legis antidotum, quos occidunt venena vitiorum. Sed jam de his & antea ſatis diximus; & ſi ita res poſtulaverit, etiam poſt hæc juvante Deo aliqua dicemus.

II. Interim quia * duo ſuperius barbarorum genera vel ſectas eſſe memoravimus, paganorum, atque hæreticorum; quia de paganis jam, ut arbitror, ſatisfecimus, de hæreticis quoque, ut cauſſa poſcit, ſubjiciamus. Poteſt enim quiſpiam dicere: Etiam ſi a paganis lex divina non exigat ut mandata faciant quæ non ſciunt, certe ab hæreticis exigit qui ſciunt: eadem enim etiam illos legere P. 99. quæ nos legimus, eoſdem apud illos Prophetas Dei, eoſdem Apoſtolos, eoſdem Evangeliſtas eſſe; ac per hoc aut non minus ab illis legem negligi quam a nobis, aut etiam multo magis: quia cum eadem legant ſcripta quæ noſtri, multa faciunt deteriora quam noſtri. Utrumque ergo videamus. Eadem, inquis, legunt illi quæ leguntur a nobis. Quomodo eadem, quæ * ab auctoribus quondam malis & male ſunt interpolata & male tradita? ac per hoc jam non eadem, quia non poſſunt penitus dici ipſa quæ ſunt in aliqua ſui parte vitiata. Incolumita-

a I. Tim. I. 8. *b* Ibid. ℣℣. 8. 9. *c* Ibid. ℣℣. 8-10.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

tem enim non habent quæ plenitudinem perdide- A runt, nec ftatum fuum omnino fervant quæ facramentorum virtute privata funt. Nos ergo tantum fcripturas facras plenas, inviolatas, integras habemus, qui eas vel in fonte fuo bibimus, vel certe de puriffimo fonte hauftas per minifterium * puræ translationis haurimus. Nos tantummodo bene legimus. Atque utinam quam bene legimus, tam bene adimpleremus. Sed vereor quod qui non bene obfervamus, nec bene lectitemus: quia minor reatus eft fancta non legere, quam lecta violare. Ceteræ quippe nationes aut non habent legem Dei, aut debilem & convulneratam habent: ac per hoc, ut diximus, non habent quæ fic habent. Nam etfi qui gentium barbararum funt qui in libris fui mi- B nus videantur fcripturam facram interpolatam habere vel laceram, habent tamen veterum magiftrorum * traditione corruptam; ac per hoc traditionem potius quam fcripturam habent, quia hoc non retinent quod veritas legis fuadet, fed quod pravitas malæ traditionis inferuit. Barbari quippe homines, Romanæ, immo potius humanæ eruditio-
P.100 nis expertes, qui * nihil omnino fciunt nifi quod a doctoribus fuis audiunt; quod audiunt, hoc fequuntur: ac fic neceffe eft eos, qui totius litteraturæ ac fcientiæ ignari, facramentum divinæ legis doctrina magis quam lectione cognofcunt, doctrinam potius retinere quam legem. Itaque eis traditio magiftrorum fuorum & doctrina inveterata C quafi lex eft; quia hoc fciunt tantummodo quod docentur. Hæretici ergo funt, fed non fcientes. Denique apud nos funt hæretici, apud fe non funt. Nam in tantum fe catholicos effe judicant, ut nos ipfos titulo hæreticæ appellationis infament. Quod ergo illi nobis funt, hoc nos illis. Nos eos injuriam divinæ generationi facere certi fumus quod minorem patre filium dicant. Illi nos injuriofos patri exiftimant, quia æquales effe credamus. Veritas apud nos eft; fed illi apud fe effe præfumunt. Honor Dei apud nos eft; fed illi hoc arbitrantur honorem divinitatis effe quod credunt. Inofficiofi funt; fed illis hoc eft fummum religionis officium. Impii funt; fed hoc putant veram effe pietatem. D Errant ergo; fed bono animo errant, non odio, fed affectu Dei, honorare fe Dominum atque amare credentes. Quamvis non habeant rectam fidem, illi tamen hoc perfectam Dei æftimant caritatem. [1] Qualiter pro hoc ipfo falfæ opinionis errore in die judicii puniendi fint, nullus poteft fcire nifi judex. Interim idcirco eis, ut reor, patientiam Deus commodat, quia videt eos, etfi non recte credere, affectu tamen piæ opinionis errare; maxime cum fciat eos ea facere quæ nefciunt, noftros autem negligere quod credunt: ac per hoc illos magiftrorum peccare vitio, noftros fuo; illos ignorantes, noftros fcientes; illos id facere quod putent rectum, noftros quod fciant effe perver- E
P.101. fum. Et ideo jufto judicio illos patientia Dei fuftinet, & nos animadverfione caftigat; quia ignofci aliquatenus ignorantiæ poteft, contemtus veniam non meretur. Sic enim fcriptum eft: [a] *Servus qui nefcit voluntatem domini fui, & non facit eam, vapulabit paucis. Qui autem fcit eam, & non facit eam, vapulabit multis.*

III. Non ergo miremur quod multis cædimur; quia non infcientia, fed rebellione peccamus. Scientes enim bona, non bene agimus; & difcretionem recti ac pravi intelligentes, prava fectamur: legem legimus, & legitima calcamus; & ad hoc tantum præceptorum facrorum fcita cognofcimus, ut gravius poft interdicta peccemus. Deum colere nos dicimus, & diabolo obtemperamus. Et poft hæc volumus ut bona a Deo accipiamus, cum malis mala femper addamus; fieri voluntatem noftram a Deo cupimus, cum Dei nos facere nolimus. Quafi fuperiores nos Deo agimus. Volumus ut voluntati noftræ Deus jugiter pareat, cum omnes nos voluntati ejus jugiter repugnemus. Sed ille juftus eft, licet nos fimus injufti. Caftigat enim quos caftigandos putat, patitur quos putat effe patiendos. Utrumque ad unam rem vult proficere; ut & caftigatio in catholicis peccandi refrenet libidinem, & quandoque hæreticos patientia Dei faciat plenam fidei nofcere veritatem; maxime cum fciat eos forfitan catholica non indignos fide, quos videat catholicis vitæ comparatione præftare. Omnes autem ifti de quibus loquimur, aut Wandali funt aut Gothi. Nam de Romanis hæreticis quorum innumera multitudo eft, nihil dicimus, neque aut Romanis eos aut barbaris comparamus: quia & infidelitate Romanis funt deteriores, & fœditate vitæ barbaris turpiores. Sed hoc nos non folum non juvat, fed etiam fupra id quod a nobis ipfis gravamur gravat: quia & ii quos tales cauffamur effe, Ro- P.102.
mani funt. Unde intelligere poffumus quid mereatur omnis Romana refpublica, cum pars Romanorum offendat Deum vita, pars & infidelitate pariter & vita. Salvo eo quod etiam ipfæ quondam hærefes barbarorum * de Romani magifterii pravitate fluxerunt; ac perinde etiam hoc noftrum crimen eft, quod populi barbarorum hæretici effe cœperunt.

IV. Porro autem quantum ad converfationem Gothorum aut Wandalorum pertinet, quid eft in quo eis aut præponere nos aut etiam comparare poffimus? Ac primum ut de affectu & caritate dicam, (quam præcipuam Dominus docet effe virtutem, & quam non folum per omnes fcripturas facras, fed etiam per fe ipfe commendat dicens: [b] *In hoc fcietur quod difcipuli mei eftis, fi vos invicem diligatis*) omnes fe fere barbari, qui modo funt unius gentis & regis, mutuo amant, omnes pæne Romani fe mutuo perfequuntur. Quis enim civis non invidet civi? Quis enim plenam vicino exhibet caritatem? Omnes quippe a fe, etfi loco non abfunt, affectu abfunt; etfi habitatione junguntur, mente disjuncti funt. Atque utinam hoc, licet fit peffimum malum, utinam cives tantum atque vicini. Illud eft gravius, quod nec propinqui quidem propinquitatis jura confervant. Quis enim fe proximis fuis proximum reddit? Quis folvit caritati, quod fe agnofcit debere vel nomini? Quis hoc eft animo, quod vocatur? Quis tam propinquus corde quam fanguine, in quo non luridus malevolentiæ zelus ardet, cujus non fenfum livor P.103.
invafit, cui non profperitas aliena fupplicium eft? Quis non bonum alterius, malum fuum credit? Cui ita fufficit felicitas fua, ut etiam alium velit effe felicem? Novum & inæftimabile nunc in plurimis malum eft. Parum alicui eft fi ipfe fit felix, nifi alter fuerit infelix. Jam vero illud quale, quam fævum, quam ex hac ipfa impietate defcendens, quam alienum a barbaris, quam familiare Romanis, quod fe invicem exactione profcribunt:

a Luc. XII. 47. 48. *b* Joan. XIII. 35.

1. Vide ad hunc locum Diarium Litterat. Ital. tom. XXIV. pagg. 17. & feqq.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 445.

immo non invicem: nam hoc tolerabilius ferme A esset si pateretur quisque quod fecerat: illud gravius est, quod plurimi proscribuntur a paucis, quibus exactio publica peculiaris est præda, qui fiscalis debiti titulos faciunt quæstus esse privatos: & hoc non summi tantum, sed pæne infimi; non judices solum, sed etiam judicibus obsequentes. Quæ enim sunt non modo urbes, sed etiam municipia atque vici; ubi non quot * curiales fuerint, tot tyranni sint? [1] Quamquam forte hoc nomine sibi gratulentur, quia potens & honoratus esse videatur. Nam & latrones ferme omnes gaudent & gloriantur, si atrociores admodum quam sunt esse dicantur. Quis ergo, ut dixi, locus est ubi non a principalibus civitatum viduarum & pupillorum vi- B scera devorentur, & cum his ferme sanctorum omnium? Nam & hos quasi viduas ac pupillos habent; quia tueri se aut pro studio professionis suæ nolunt, aut pro innocentia atque humilitate non possunt. Nemo itaque horum tutus est, neque ulli admodum præter summos a vastatione latrocinii populantis immunes, nisi qui fuerint ipsis latronibus pares in hac conditione: immo in hoc scelus res devoluta est, ut nisi quis malus fuerit, salvus esse non possit.

P.104. V. Sed videlicet cum tot sint qui bonos vastant, sunt fortasse aliqui qui in hac vastatione succurrant; qui, ut scriptum est [a], eripiant egenum & C pauperem de manu peccatoris. [b] *Non est qui faciat bonum, non est pæne usque ad unum.* Ideo dixit, *pæne usque ad unum*, quia tanta est raritas bonorum ut pæne unus esse videatur. Quis enim vexatis atque laborantibus opem tribuat, cum improborum hominum violentiæ etiam * sacerdotes Domini non resistant? Nam aut tacent plurimi eorum; aut similes sunt tacentibus, etiam si loquantur: & hoc multi non inconstantia, sed consilio, ut putant, atque ratione. Exsertam enim veritatem proferre nolunt, quia eam aures improborum homines sustinere non possunt; nec solum refugiunt, sed etiam * oderunt & exsecrantur; & non modo auditam non reverentur aut metuunt, sed majore D etiam superbientis pervicaciæ perduellione contemnunt. Et ideo tacent etiam qui loqui possunt, dum ipsis interdum * malis parcunt; nec volunt eis vim apertæ promere veritatis, ne faciant eos ingesta acrius veritate pejores. Inter hæc vastantur pauperes, viduæ gemunt, orphani proculcantur; in tantum ut multi eorum & non obscuris natalibus editi & liberaliter instituti ad hostes fugiant, ne persecutionis publicæ adflictione moriantur; quærentes scilicet apud barbaros Romanam humanitatem, quia apud Romanos barbaram inhumanitatem ferre non possunt. Et quamvis ab his ad quos confugiunt discrepent ritu, discrepent lingua, ipso etiam, ut ita dicam, corporum atque E induviarum barbaricarum fetore dissentiant; malunt tamen in barbaris pati cultum dissimilem quam in Romanis injustitiam sævientem. Itaque passim
P.105. vel ad Gothos, vel ad * Bacaudas, vel ad alios ubique dominantes barbaros migrant, & commigrasse non pœnitet. Malunt enim sub specie captivitatis vivere liberi, quam sub specie libertatis esse captivi. Itaque nomen civium Romanorum, aliquando non solum magno æstimatum, sed magno emtum, nunc ultro repudiatur ac fugitur; nec vile tantum, sed etiam abominabile pæne habetur. Et quod esse majus testimonium Romanæ iniquitatis potest, quam quod plerique & honesti & nobiles, & quibus Romanus status summo & splendori esse debuit & honori, ad hoc tamen Romanæ iniquitatis crudelitate compulsi sunt ut nolint esse Romani? Et hinc est quod etiam hi qui ad barbaros non confugiunt, barbari tamen esse coguntur: scilicet ut est pars magna Hispanorum, & non minima Gallorum, omnes denique quos per universum Romanum orbem fecit Romana iniquitas jam non esse Romanos.

VI. De Bacaudis nunc mihi sermo est: qui per malos judices & cruentos spoliati, afflicti, necati, postquam jus Romanæ libertatis amiserant, * etiam honorem Romani nominis perdiderunt. Et imputatur his infelicitas sua, imputamus his nomen calamitatis suæ, imputamus nomen quod ipsi fecimus. Et vocamus rebelles, vocamus perditos, quos esse compulimus criminosos. Quibus enim aliis rebus Bacaudæ facti sunt nisi iniquitatibus nostris, nisi improbitatibus judicum, nisi eorum proscriptionibus & rapinis qui exactionis publicæ nomen in quæstus proprii emolumenta verterunt, & indictiones tributarias prædas suas esse fecerunt? qui in similitudinem immanium bestiarum non rexerunt traditos sibi, sed devorarunt, nec spoliis tantum hominum, ut plerique latrones solent, sed lacera- P.106.
tione etiam &, ut ita dicam, sanguine pascebantur: ac sic actum est ut latrociniis judicum strangulati homines & necati inciperent esse quasi barbari, quia non permittebantur esse Romani: adquieverunt enim esse quod non erant, quia non permittebantur esse quod fuerant; coactique sunt vitam saltem defendere, quia se jam libertatem videbant penitus perdidisse. Aut quid aliud etiam nunc agitur quam tunc actum est, id est, ut qui adhuc Bacaudæ non sunt, esse cogantur? Quantum enim ad vim atque injurias pertinet, compelluntur ut velint esse, sed imbecillitate impediuntur ut non sint. Sic sunt ergo quasi captivi jugo hostium pressi. Tolerant supplicium necessitate, non voto. Animo desiderant libertatem, sed summam sustinent servitutem.

VII. Ita ergo & cum omnibus ferme humilioribus agitur. Una enim re ad duas diversissimas coartantur. Vis summa exigit ut * aspirare ad libertatem velint, sed eadem vis posse non finit quæ velle compellit. Sed imputari his potest forsitan quod hoc velint homines qui nihil magis cuperent quam ne cogerentur hoc velle. Summa enim infelicitas est quod volunt. Nam cum his multo melius agebatur si non compellerentur hoc velle. Sed quid possunt aliud velle miseri, qui assiduum immo continuum exactionis publicæ patiuntur excidium, quibus imminet semper gravis & indefessa proscriptio, qui domos suas deserunt ne in ipsis domibus torqueantur, exsilia petunt ne supplicia sustineant? Leniores his hostes quam exactores sunt. Et res ipsa hoc indicat. Ad hostes fugiunt ut vim exactionis evadant. Et quidem hoc ipsum, quamvis durum & inhumanum, minus tamen grave atque acerbum erat, si omnes æqualiter atque in commune tolerarent. Illud indignius ac pœnalius, quod P.107.
omnium onus non omnes sustinent; immo quod pauperculos homines tributa divitum premunt, & infirmiores ferunt sarcinas fortiorum. Nec alia caussa est, quod sustinere non possunt, nisi quia major est miserorum sarcina quam facultas. Res diversissimas dissimillimasque patiuntur, invidiam & egestatem. Invidia est enim in solutione, egestas

a Psalm. LXXXI. 4. b Psalm. XIII. 1.

1. *Quamquam — videatur*] Hunc locum haud sanum existimaverim equidem.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

in facultate. Si respicias quod dependunt, abundare arbitreris: si respicias quod habent, egere reperies. Quis æstimare rem hujus iniquitatis potest? Solutionem sustinent divitum & indigentiam mendicorum. Plus multo est quod dicturus sum. Adjectiones tributarias ipsi interdum divites faciunt, pro quibus pauperes solvunt. Sed dicis: Cum ipsorum maximus census sit, & ipsorum maximæ pensiones; quomodo id fieri potest ut ipsi sibi augere debitum velint? Neque ego id dico quod sibi augeant. Nam & ideo augent, quia non sibi augent. Dicam quomodo. Veniunt plerumque novi nuntii, novi epistolarii a summis sublimitatibus missi, qui commendantur inlustribus paucis ad exitia plurimorum. Decernuntur his nova munera, decernuntur novæ indictiones. Decernunt potentes quod solvant pauperes, decernit gratia divitum quod * perdat turba miserorum. Ipsi enim in nullo sentiunt quod decernunt. Sed non possunt, inquis, non honorari & liberalius accipi qui fuerint a majoribus missi. Estote ergo vos divites primi in conferendo, qui estis primi in decernendo. Estote primi in largitate rerum, qui primi estis in liberalitate verborum. Qui das de meo, da & de tuo. Tametsi rectissi-
P.108. me, quisquis ille es qui solus vis capere gratiam, solus patereris expensam. Sed acquiescimus pauperes vestræ, divites, voluntati. Quod paucis jubetis, solvamus omnes. Quid tam justum, quid tam humanum? Gravant nos novis debitis decreta vestra. Facite saltem debitum ipsum vobis nobiscum esse commune. Quid enim iniquius esse aut quid indignius potest quam ut soli sitis immunes a debito, qui cunctos facitis debitores? Et quidem miserrimi pauperes sic totum hoc quod diximus solvunt, quod qua re vel qua ratione solvant penitus ignorant. Cui enim licet discutere cur solvat, aut cui permittitur explorare qui debeat? Sed tunc id evidentissime proditur cum invicem sibi divites irascuntur, cum indignantur aliqui eorum quod sine consilio ac tractatu suo aliqua decreta sint. Tunc a quibusdam eorum audias dici: O facinus indignum! Duo aut tres statuunt quod multos * necet: a paucis potentibus decernitur quod a multis miseris dependatur. Honori enim suo unusquisque divitum præstat ut nolit aliquid se absente decerni, non justitiæ ut iniqua nolit se præsente constitui. Denique quod in aliis reprehenderant, ipsi postea aut pro contemtus præteriti ultione, aut pro potestatis præsumtione constituunt. Ac per hoc infelicissimi pauperes sic sunt quasi inter concertantes procellas in medio mari positi. Nunc istorum scilicet, nunc illorum fluctibus obruuntur.

VIII. Sed videlicet qui in hac parte iniqui sunt, in alia moderati inveniuntur & justi, ac pravitatem unius rei alterius probitate compensant. Nam sicut in onere novarum indictionum pauperes gravant, ita in novorum remediorum opitulatione su-
P.109. stentant: sicut tributis novis minores maxime deprimuntur, sic remediis novis maxime sublevantur. Immo par est iniquitas in utroque. Nam sicut sunt in adgravatione pauperes primi, ita in relevatione postremi. Si quando enim, ut nuper factum est, defectis urbibus minuendas in aliquo tributarias functiones potestates summæ existimaverint, illico remedium cunctis datum soli inter se divites partiuntur. Quis tunc pauperum meminit? Quis ad communionem beneficii humiles & egestuosos vocant? Quis eum qui primus est semper in sarcina, vel ultimo esse loco patitur in medela? Et quid plura? Tributarii omnino pauperes non putantur, nisi cum his tributi cumulus imponitur. Extra nume-
A rum autem tributariorum sunt, cum remedia dividuntur. Et putamus quod pœna divinæ severitatis indigni sumus, cum sic nos semper pauperes puniamus? aut credimus, cum iniqui nos jugiter simus, quod Deus justus in nos omnino esse non debeat? Ubi enim aut in quibus sunt, nisi in Romanis tantum, hæc mala? Quorum injustitia tanta, nisi nostra? Franci enim hoc scelus nesciunt. Chuni ab his sceleribus immunes sunt. Nihil horum est apud Wandalos, nihil horum apud Gothos. Tam longe enim est ut hæc inter Gothos barbari tolerent, ut ne Romani quidem qui inter eos vivunt ista patiantur. Itaque unum illic Romanorum omnium votum est, ne umquam eos necesse sit in jus tran-
B sire Romanorum. Una & consentiens illic Romanæ plebis oratio, ut liceat eis vitam quam agunt agere cum barbaris. Et miramur si non vincuntur a nostris partibus Gothi, cum malint apud eos esse quam * apud nos Romani? Itaque non solum transfugere ab eis ad nos fratres nostri omnino nolunt; P.110.
sed ut ad eos confugiant, nos relinquunt. Et quidem mirari possim quod hoc non omnes omnino facerent tributarii pauperes & egestuosi, nisi quod una tantum caussa est quare non faciunt, quia transferre illuc resculas atque habitatiunculas suas familiasque non possunt. Nam cum plerique eorum agellos ac tabernacula sua deserant ut vim exactionis evadant, quomodo non quæ compelluntur de-
C serere vellent, sed secum, si possibilitas pateretur, auferrent? Ergo quia hoc non valent quod forte mallent, faciunt quod unum valent. Tradunt se ad tuendum protegendumque majoribus, dedititios se divitum faciunt, & quasi in jus eorum ditionemque transscendunt. Nec tamen grave hoc aut indignum arbitrarer, immo potius gratularer hanc potentum magnitudinem quibus se pauperes dedunt, si patrocinia ista non venderent, si quod se dicunt humiles defensare, humanitati tribuerent, non cupiditati. Illud grave ac peracerbum est, quod hac lege tueri pauperes videntur ut spolient, hac lege defendunt miseros ut miseriores faciant defendendo. Omnes enim hi qui defendi videntur, defensoribus
D suis omnem fere substantiam suam prius quam defendantur addicunt; ac sic, ut patres habeant defensionem, perdunt filii hereditatem. Tuitio parentum mendicitate pignorum comparatur. Ecce quæ sunt auxilia ac patrocinia majorum. Nihil susceptis tribuunt, sed sibi. Hoc enim pacto aliquid parentibus temporarie attribuitur, ut in futuro totum filiis auferatur. Vendunt itaque, & quidem gravissimo pretio vendunt majores quidam cuncta quæ præstant. Et quod dixi vendunt, utinam venderent usitato more atque communi: aliquid forsitan re- P.111.
maneret emtoribus. Novum quippe hoc genus venditionis & emtionis est. Venditor nihil tradit, & totum accipit. Emtor nihil accipit, & totum pe-
E nitus amittit. Cumque omnis ferme contractus hoc in se habeat ut invidia penes emtorem, inopia penes venditorem esse videatur; quia emtor ad hoc emit ut substantiam suam augeat, venditor ad hoc vendit ut minuat: inauditum hoc commercii genus est; venditoribus crescit facultas, emtoribus nihil remanet nisi sola mendicitas. Nam illud quale, quam non ferendum, atque monstrigerum, & quod non dicam pati humanæ mentes, sed quod audire vix possunt; quod plerique pauperum atque miserorum spoliati resculis suis, & exterminati agellis suis, cum rem amiserint, amissarum tamen rerum tributa patiuntur, cum possessio ab his recesserit, capitatio non recedit? Proprietatibus carent, & vectigalibus obruuntur. Quis æstimare hoc malum possit? Rebus eorum incubant pervasores, &

tributa miseri pro pervasoribus solvunt. * Post mortem patris, nati obsequiis juris sui agellos non habent, & * agrorum munere enecantur. Ac per hoc nil aliud sceleribus tantis agitur, nisi ut qui privata pervasione nudati sunt, publica adflictione moriantur, & quibus rem deprædatio tulit, vitam tollat exactio. Itaque nonnulli eorum de quibus loquimur, qui aut consultiores sunt, aut quos consultos necessitas fecit, cum domicilia atque agellos suos aut pervasionibus perdunt aut fugati ab exactoribus deserunt, quia tenere non possunt, fundos majorum expetunt, & coloni divitum fiunt. Ac sicut solent aut hi qui hostium terrore compulsi ad castella se conferunt, aut hi qui perdito ingenuæ
P.112. incolumitatis statu ad asylum aliquod desperatione B confugiunt; ita & isti qui habere amplius vel sedem vel dignitatem suorum natalium non queunt, jugo se inquilinæ abjectionis addicunt, in hanc necessitatem redacti ut extorres non facultatis tantum, sed etiam conditionis suæ, atque exsulantes non a rebus tantum suis, sed etiam a se ipsis, ac perdentes secum omnia sua, & rerum proprietate careant, & jus libertatis amittant.

IX. Et quidem, quia ita infelix necessitas cogit, ferenda utcumque erat extrema hæc sors eorum, si non esset aliquid extremius. Illud gravius & acerbius, quod additur huic malo sævius malum. Nam suscipiuntur ut advenæ, fiunt præjudi- C cio habitationis indigenæ; & exemplo quodam illius maleficæ præpotentis quæ transferre homines in bestias dicebatur, ita & isti omnes qui intra fundos divitum recipiuntur, quasi Circei poculi transfiguratione mutantur. Nam quos suscipiunt ut extraneos & alienos, incipiunt habere quasi proprios; quos esse constat ingenuos, vertuntur in servos. Et miramur si nos barbari capiunt, cum fratres nostros nos faciamus esse captivos? Nil ergo mirum est quod vastationes sunt atque excidia civitatum. Diu id plurimorum oppressione elaboravimus ut captivando alios, etiam ipsi inciperemus esse captivi. Sentimus enim, etsi tardius multo quam merebamur, sentimus tandem illa quæ D fecimus, &, juxta sermonem sacrum [a], labores manuum nostrarum manducamus, ac justo judice Deo solvimus quæ debemus. Miserti quippe exsulum non sumus; ecce ipsi exsules sumus. Peregrinos fraude cepimus; ecce ipsi peregrinamur * atque fraudamur. Præjudiciis temporum ingenui sta-
P.113. tus homines circumvenimus; ecce ipsi nuper quidem in alieno solo vivere cœpimus, sed præjudicia jam timemus. Et o quanta est infidelis malarum mentium cæcitas! damnationem perferimus judicantis Dei, & necdum nos agnoscimus judicari. Et mirantur aliqui sanctorum, quod exemplo nostro ceteri non emendentur qui nihil adhuc tale tolerarunt, cum tormentis nostrarum iniquitatum E nec ipsi quidem qui jam a Deo plectimur, corrigamur. O superbiam non ferendam! Plurimi pœnas peccatorum suorum perferunt, & intelligere caussas pœnarum nemo dignatur. Sed est caussa evidens quæ hanc superbiam facit; scilicet, quia etsi aliqua jam patimur, nondum tamen patimur quæ meremur. Tanta est enim misericordia Dei ut etsi nos pati vult aliqua de piaculis nostris, nolit tamen cuncta tolerare: quia castigat malos, non reddit mala; & agnoscere nos peccata nostra mavult quam sustinere. Scilicet ut piis ac salubribus flagellis ostendat nobis quæ ferre mereamur, juxta illud scilicet beati Apostoli dictum quo ait: [b] *Ignoras* A *quoniam bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiem autem tuam & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ*. Et vere ita agimus, ut dicit Apostolus. Deus enim nos vocat ad pœnitentiam, sed nos thesaurizamus iram. Deus nos invitat ad veniam, sed nos quotidie cumulamus offensam. Vim Deo facimus iniquitatibus nostris, ipsi in nos iram divinitatis armamus. Cogimus ad ulciscendas criminum nostrorum immanitates nolentem Deum. Prope est ut eum non permittamus ut parcat. Nam cum in eum nullum umquam injustitiæ signum cadere aut apparere possit, sic agimus ut si enormitates nostrorum scelerum non P.114. ulciscitur, injustus esse videatur.

X. Sed videlicet peccator fuit aliquando aliquis, fortasse jam non est? An est ullus criminum modus, & non prius est ut de vita homines quam de iniquitate discedant? Quis enim non cum ipsis iniquitatibus suis moritur, & cum ipsis admodum atque in ipsis sceleribus sepelitur? Ut vere de his propheticum illud rectissime dici possit: [c] *Sepulcra eorum, domus eorum in æternum; & comparati sunt jumentis insipientibus, & similes facti sunt illis*. Atque utinam jumentis! Melius quippe fuerit beluina imprudentia deviasse. Illud pejus & criminosius, quia non ignorantia Dei sed despectione peccarunt. Atque hoc videlicet laici tantummodo, non quidam etiam clericorum? sæculares tantummodo, non multi etiam religiosi? immo sub specie religionis vitiis sæcularibus mancipati: qui scilicet post veterum flagitiorum probra & crimina titulo sibimet sanctitatis inscripto, non conversatione alii, sed professione nomen tantum demutavere, non vitam * & summam divini cultus habitum magis quam actum existimantes, vestem tantummodo exuere, non mentem. Unde illi se minore invidia criminosos putant; qui cum pœnitentiam quasi egisse dicantur, sicut mores pristinos, ita etiam habitum non relinquunt. Nam taliter ferme omnia agunt, ut eos non tam putes antea pœnitentiam criminum egisse quam postea ipsius pœnitentiæ pœnitere, nec tam prius pœnituisse quod male vixerint quam postea quod se promiserint bene esse victuros. Sciunt me verum loqui, & testimonium mihi etiam conscientia sua dicunt, cum multi alii, tum præcipue illi novorum honorum religiosi ambitores, & post acceptum pœ- P.115. nitentiæ nomen, amplissimæ ac prius non habitæ potestatis emtores. Adeo non sæculares tantum, sed plus etiam quam sæculares esse voluerunt; ut non sufficeret eis quod ante fuerant, nisi plus essent postea quam fuissent. Quomodo igitur tales isti pœnitentiam se egisse non pœnitent; sicut etiam illi de conversione ac Deo aliquid cogitasse, qui a conjugibus propriis abstinentes, a rerum alienarum pervasione non abstinent, & cum profiteantur continentiam corporum, * incontinentia debacchantur animorum. Novum prorsus conversionis genus. Licita non faciunt, & * inlicita committunt. Temperant a concubitu, & non temperant a rapina. Quid agis, stulta persuasio? Peccata interdixit Deus, * non matrimonia. Non conveniunt vestris studiis facta vestra. Non debetis esse amici criminum, qui dicitis vos * sectatores esse virtutum. Præposterum est quod agitis. Non est hoc conversio, sed aversio. Quia jam pridem, ut fama est, opus etiam honesti matrimonii reliquistis, tandem a scelere cessate. Et quidem justum est, ut ab omni scelere. Sed tamen si non

a Psalm. cxxvii. 2. b Rom. II. 4. 5. c Psalm. xlviii. 12. 13.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

ab omni, quia hoc fortaſſe durum & impoſſibile A eſſe creditis, certe vel a maximo & prodigioſo. Eſto, juxta te, quicumque ille es, vicini ſtare non valeant. Eſto, pauperes habitare non poſſint. Eſto, ſis perſecutor multorum inopum vaſtatorque miſerorum. Eſto afflictor omnium, dummodo extraneorum. Tandem, quæſo, vel tuis parce; & ſi non omnibus tuis, quia etiam hoc forſitan onerosum tibi & grave judicas ſi tuis omnibus parcas, parce ſaltem vel illis tuis qui te non affinibus tantum aliis aut propinquis, ſed perſonis
P.116. etiam devinctiſſimis & pignoribus cariſſimis prætulerunt. Et quid dicam de pignoribus ac filiis? Prætulerunt te etiam animabus pæne ac ſpebus ſuis, non quidem laudabiliter; & errorem ſuum B qui ita egit, ipſe cognoſcit. Sed quid ad te tamen, cui ipſum hoc præſtitit quod erravit? Hoc enim plus ei debes, quia dilectionis tuæ nimietate peccavit. Cæcus quidem factus eſt affectu tuo, & notatur a cunctis atque reprehenditur. Sed tu tamen hoc magis ei obnoxius factus es, quia ſe ab omnibus fecit pro tuo amore culpari.

XI. Quid ergo ſimile apud barbaros Gothos? Quis eorum amantibus nocet, quis diligentem inſequitur, quis cari ſui mucrone jugulatur? Tu amantes perſequeris, tu offerentibus munera manus amputas, tu diligentes proximos necas; & non metuis, non expaveſcis? Quid faceres, ſi judicium C Dei præſens non etiam proxima flagellatione ſenſiſſes? Addis inſuper & adjungis malis prioribus nova crimina. Conſidera quæ te maneant graviora facientem, cum minora ſoleant etiam per dæmones vindicari. Contentus eſto jam, quæſumus, amicorum tuorum & ſodalium latrociniis: ſufficiat vexatos fuiſſe pauperes, ſufficiat ſpoliatos a te fuiſſe mendicos: pæne nullus juxta te intrepidus, nullus poteſt eſſe ſecurus. Facilius præcipitati Alpina rupe torrentes aut incendia ventis exagitata tolerantur. Non ſic pereuntes, ut ita dixerim, nautæ Charybdis voracitate aut Scylleis, ut ajunt, canibus de- D vorantur. Exturbas poſſeſſiunculis ſuis vicinos tuos, habitatione ac facultate proximos tuos. Numquid, ut ſcriptum eſt [a] ſuper terram ſolus habitabis? Hoc unum quippe eſt quod obtinere non poteris. Quamlibet enim cuncta occupes, quamlibet cuncta pervadas, vicinum ſemper invenies. Reſpice P.117. quæſo alios, quos velis nolis & ipſe ſuſpicis. Reſpice alios, quos velis nolis etiam ipſe miraris. Altiores ſunt ceteris dignitate, & æquales dignatione; majores ſunt poteſtate, & minores humilitate. Scis profecto etiam ipſe ad quem nunc loquimur, de quo loquamur; & idem de quo nunc querimur, debes agnoſcere quem hac laude veneremur. Atque utinam multi eſsent qui laudarentur. Salubritas eſset omnium, generoſitas plurimorum. Sed eſto, tu nolis eſse laudabilis; cur velis, quæſo, eſse damnabilis? Cur tibi injuſtitia nil amicius, cur avaritia nil jucundius, cur rapacitate nil carius? cur nil judicas pretioſius quam nequitiam, cur nil præſtantius quam rapinam? Diſce vel a pagano homine verum bonum. *Caritate enim*, inquit, *& benevolentia ſeptum te oportet eſſe*, *non armis*. Fallunt te itaque opiniones tuæ, fallit pravæ & cæcæ mentis improbitas. Si vis probus, ſi vis potens, ſi vis magnus eſse; honeſtate debes ceteros, non malignitate ſuperare. Legi quondam in quodam loco: *Nemo malus*, *niſi ſtultus*. *Si enim ſaperet*, *bonus eſſe mallet*. Et tu ergo, ſi tamen redire adhuc ad ſanitatem potes, exue nequitiam, ſi vis habere ſapientiam. Si enim optas vel ſapiens omnino eſse vel ſanus, exuendus tibi omnino & commutandus es. Abdicare itaque a te ipſo, ne abdiceris a Chriſto. Repudia te, ut recipiaris a Chriſto. Perde te ipſe, ne pereas. [b] *Qui enim*, inquit Salvator, *perdiderit animam ſuam propter me*, *inveniet eam*. Dilige itaque hanc tam ſalubrem perditionem, ut aſsequaris veram ſalutem. Liberandus enim a Deo omnino non eris, niſi te ipſe damnaveris.

Explicit liber quintus.

a Iſa. V. 8. b Luc. IX. 24.



INCIPIT

LIBER VI.

P.118. I. PErſonaliter diu locuti ſumus, & exceſſiſse videmur regulam diſputandi. Cogitat enim abſque dubio is qui legit, (ſi fuerit tamen aliquis, qui hæc Chriſti amore conſcripta ob Chriſtum legat) cogitat de me forſitan vel dicit: Cum cauſſa generalis ſit quam exſequitur, quid negotio huic contulit quod in perſonam unius tanta congeſſit? Eſto. Putaverit enim ille de quo locutus eſt, talis ſit. Sed numquid officit bonitati unius crimen alterius, aut, quod fortius multo eſt, numquid læditur ſcelere perſonali cauſſa cunctorum? Poſsum quidem evidentibus teſtimoniis adprobare, quia læditur * [a] Achar enim quondam de anathemate quippiam furto abſtulit; & crimen unius hominis plaga omnium fuit. [b] David numerari plebem Iſraeliticam juſſit; & errorem illius Dominus clade totius populi vindicavit. [c] Rabſaces locutus quædam eſt in contumeliam Dei; & centum octoginta quinque millia hominum ſtrage perculit quod unius profani hominis procax lingua maledixit. E Et ideo non immerito etiam beatus Apoſtolus Paullus ejici de eccleſia peſtilentem jubet; & cur jubeat, oſtendit dicens: [d] *Quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit*. Unde evidenter agnoſcimus, etiam unum ſæpiſſime malum hominem perditionem eſſe multorum. Nec injuria intelligere is quicumque legerit debet, non ſuperflue me ſuperius de uno malo aliqua dixiſſe, cum ſcilicet frequentiſſime divinæ majeſtatis iracundia etiam per P.119. unum legatur accenſa. Sed ego non ago hac diſtrictione qua dico. Neque enim neceſſe eſt ut unum obeſſe omnibus putem, cum omnes mutuo ſibi obſunt. Non convenit ut per unum cunctos periclitari putem, cum per ſe cuncti periclitentur. Omnes enim admodum in perditione ruunt, aut certe, ut aliquid dicam lenius, pæne omnes. Unde

a Joſue VII. 1. b II. Reg. XXIV. 1. c Iſa. XXXVI. d I. Cor. V. 6.

enim hoc bonum populo Christiano, ut aut minor, aut certe vel idem esset malorum numerus qui bonorum? O miseriam lacrymabilem! o miseriam luctuosam! Quam dissimilis est nunc a se ipso populus Christianus, id est, ab eo qui fuit quondam! Tunc [a] princeps Apostolorum Petrus Ananiam & Sapphiram, quia mentiti essent, morte multavit. Beatissimus quoque Paullus [b] etiam unum de ecclesia malum expulit, ne contactu suo plurimos inquinaret. Nunc nos etiam pari utriusque partis numero contenti sumus. Et quid contenti dicam? Exsultare nos potius ac tripudiare gaudio conveniret, si parilitas ista nobis contingeret. Ecce in quid recidimus, ecce in quid post illam Christiani populi puritatem qua omnes quondam immaculati erant, ecce in quid redacti sumus, ut beatam fore ecclesiam judicemus, si vel tantum in se boni habeat quantum mali. Nam quomodo non beatam arbitremur, si mediam plebis partem haberet innoxiam, quam pæne totam nunc esse plangimus criminosam? Unde superflue, cum hoc ita sit, superflue dudum de uno malo locuti sumus, superflue unius scelera deflevimus. Aut omnes enim, aut pæne omnes flendi atque lugendi sunt. Nam aut plurimi tales sunt, aut certe, quod non minus criminosum est, cupiunt tales esse, & laborant
P.120. actu malorum operum non impares videri; ac per hoc etiam si minora mala faciunt, quia minus possunt, non minus tamen mali sunt, quia nolunt minus esse, si possint. Denique, quod unum possunt, vel voto tales sunt, ac voluntate non cedunt; & in quantum facultas suppetit, superare contendunt. Est enim, licet in dissimilibus rebus, hæc illorum æmulatio quæ bonorum; ut sicut boni optant cunctos honestate mentium vincere, sic mali cupiant pravitate superare. Nam sicut hæc bonorum gloria est ut quotidie meliores sint, sic malorum omnium ut deteriores; & sicut optimi cupiunt virtutum universarum culmen ascendere, sic pessimi optant palmas sibi universorum scelerum vindicare. Et hoc utique in malum nostrum maxime nostri, hoc est, Christiani, qui scilicet, ut jam diximus, malitiam sapientiam putant, & de quibus Deus specialiter dicit: [c] *Perdam sapientiam sapientum, & intellectum prudentium reprobabo*. Cumque Apostolus clamet: [d] *Si quis videtur sapiens, stultus fiat ut sit sapiens*; hoc est dicere, Si quis vult esse sapiens, sit bonus, quia nemo vere sapiens nisi vere bonus: nos e diverso, * malarum mentium vitio, &, ut divinitas ait [e], reprobo sensu, bonitatem pro stultitia repudiantes, & nequitiam pro sapientia diligentes, tanto quotidie prudentiores esse nos credimus quanto pejores sumus.

II. Et quæ tandem rogo spes emendationis in nobis est, qui non errore opinionis ad malum ducimur, sed studio malæ voluntatis adnitimur ut semper pejores esse videamur? Et hinc est quod dudum questus sum deteriores nos multo esse quam barbaros: quia illos ignorantia legis excusat, nos
P.121. scientia accusat. Illi per imperitiam veritatis, quia quæ sunt bona nesciunt, mala pro bonis diligunt; nos cum scientiam veritatis habeamus, quæ sint bona optime * novimus * modis. Primum, quod nihil ferme vel criminum vel flagitiorum est quod in spectaculis non sit; ubi summum deliciarum genus est mori homines, aut, quod est morte gravius acerbiusque, lacerari, expleri ferarum alvos humanis carnibus, comedi homines cum circumstantium lætitia, conspicientium voluptate; hoc est, non minus pene hominum aspectibus quam bestiarum dentibus devorari. Atque ut hoc fiat, orbis impendium est. Magna enim cura id agitur & elaboratur. Adeuntur etiam loca abdita, lustrantur invii saltus, peragrantur silvæ inexplicabiles, conscenduntur nubiferæ alpes, penetrantur niviferæ valles; & ut devorari possint a feris viscera hominum, non licet naturam rerum aliquid habere secretum. Sed hæc, inquis, non semper fiunt. Certum est. Et præclara erroris est excusatio, quia non semper fiunt. Quasi vero umquam fieri debeant quæ Deum lædant; aut ideo, quæ mala sunt, bene fiant, quia non jugiter fiant. Nam & homicidæ homines non semper occidunt; & homicidæ tamen sunt, etiam quando non occidunt, quia interdum polluuntur homicidio. Et latrones omnes non semper latrocinantur, sed latrones tamen esse non desinunt: quia etiam cum rebus ipsis latrocinia non agunt, animis tamen a latrocinio non recedunt. Sic utique omnes hi qui spectaculis istiusmodi delectantur, etiam quando non spectant, innoxii tamen a spectaculorum piaculis mente non sunt, quia semper vellent spectare, si possent. Nec solum hoc, sed sunt alia majora. Quid enim? Num- P.122.
quid non consulibus & pulli adhuc gentilium sacrilegiorum more pascuntur, & volantis pennæ auguria quæruntur, ac pæne omnia fiunt quæ etiam illi quondam pagani veteres frivola atque inridenda duxerunt? Et cum hæc omnia ipsi agant qui annis nomina tribuunt, & a quibus anni ipsi exordium sumunt, credimus nobis bene annos posse procedere qui a rebus talibus ordiuntur? Atque utinam sicut hæc propter consules tantum fiunt, ita illos tantum incestarent propter quos fiunt. Illud est feralissimum & gravissimum, quod dum consensu publico aguntur, honor paucissimorum fit crimen omnium; * ac sicut singulis annis bini inaugurentur, prope est ut in omni mundo nullus evadat.

III. Sed de his putemus hoc satis esse quod dictum est, quæ, ut ipsi excusatis, non semper fiunt. De quotidianis tamen obscenitatibus loquamur; quas tales ac tam innumeras legiones dæmonum excogitaverunt, ut etiam honestæ ac probæ mentes, etsi nonnullas earum spernere ac calcare possunt, omnes tamen penitus superare vix possint. Sicut enim exercitus pugnaturi ea loca per quæ venturas hostium turmas sciunt, aut foveis intercidere aut sudibus præfigere aut * tribulis infestare dicuntur; scilicet ut etiam si non in omnia ea quispiam incidat, nullus tamen penitus evadat: ita etiam dæmones tam multas in vita ista humano generi inlecebrarum insidias prætenderunt, ut etsi plurimas earum aliquis effugiat, tamen quacumque capiatur. Equidem quia longum est nunc dicere de omnibus, amphiteatris scilicet, odeis, lusoriis, pompis, athletis, petaminariis, pantomimis, ceterisque portentis, quæ piget dicere, quia piget malum tale vel nosse, de solis circorum ac theatrorum impuritati- P.123.
bus dico. Talia enim sunt quæ illic fiunt, ut ea non solum dicere sed etiam recordari aliquis sine pollutione non possit. Alia quippe crimina singulas sibi ferme in nobis vendicant portiones, ut cogitationes sordidæ animum, ut impudici aspectus oculos, ut auditus improbi aures; ita ut cum ex his unum aliquod erraverit, reliqua possint carere peccatis. In theatris vero nihil horum reatu vacat,

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.



a Act. V. b I. Cor. V. 5. c I. Cor. I. 19. d I. Cor. III. 18. e Rom. I. 28.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.



quia & concupiscentiis animus & auditu aures & aspectu oculi polluuntur: quæ quidem omnia tam flagitiosa sunt ut etiam explicare ea quispiam atque eloqui salvo pudore non valeat. Quis enim integro verecundiæ statu dicere queat, illas rerum turpium imitationes, illas vocum ac verborum obscenitates, illas motuum turpitudines, illas gestuum fœditates? quæ quanti sint criminis vel hinc intelligi potest quod & relationem sui interdicunt. Nonnulla quippe etiam maxima scelera incolumi honestate referentis & nominari & argui possunt, ut homicidium, latrocinium, adulterium, sacrilegium, ceteraque in hunc modum. Solæ theatrorum impuritates sunt quæ honeste non possunt vel accusari. Ita nova in coarguenda harum turpitudinum probrositate res evenit arguenti, ut cum absque dubio honestus sit qui accusare ea velit, honestate tamen integra ea loqui & accusare non possit. Alia quoque omnia mala agentes polluunt, non videntes vel audientes. Siquidem etsi blasphemum quempiam audias, sacrilegio non pollueris, quia mente dissentis; & si intervenias latrocinio, non inquinaris actu, quia abhorres animo. Solæ spectaculorum impuritates sunt quæ unum admodum faciunt & agentium & aspicientium crimen. Nam dum spectantes hæc comprobant ac libenter vident, omnes ea visu atque assensu agunt. Ut vere in eos apostolicum illud peculiariter cadat [a], *quia digni sunt morte non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus*. Itaque in illis imaginibus fornicationum omnis omnino plebs animo fornicatur; & qui forte ad spectaculum puri venerant, de theatro adulteri revertuntur. Non enim tunc tantummodo quando redeunt, sed etiam quando veniunt, fornicantur. Nam hoc ipso quod aliquis rem obscenam cupit, dum ad immunda properat, immundus est.

P.124.

IV. Quæ cum ita sint, ecce qualia aut omnes aut pæne omnes Romani agunt. Et cum hæc ita sint; qui talia agimus, negligi nos a divinitate caussamur; relinqui nos a Domino nostro dicimus, cum ipsi Dominum relinquamus? Fingamus enim quod respicere nos Dominus noster velit etiam non merentes; videamus si potest. Ecce innumera Christianorum millia in spectaculis quotidie rerum turpium commorantur. Potest ergo ad illos Deus respicere qui tales sunt? Potest ad eos respicere qui bacchantur in circis, qui mœchantur in theatris? An forte hoc volumus & hoc dignum putamus, ut cum in circis nos & in theatris Deus videat, ea quæ nos aspicimus aspiciat quoque ipse nobiscum, & turpitudines quas nos cernimus, cernat etiam ipse nobiscum? Alterutrum enim fieri necesse est. Quia si nos videre dignatur, consequens est ut etiam illa ubi nos sumus videat; aut si ab illis, quod non dubium est, avertit oculos, etiam a nobis, qui illic sumus, pariter avertat. Et cum hæc ita sint, facimus hæc tamen ac sine cessatione quæ dixi. An forte in morem veterum paganorum theatrorum & circorum nos deum habere arbitramur? Faciebant enim hæc illi quondam, quia has idolorum suorum delicias esse credebant. Nos quomodo hæc facimus, qui odisse Deum nostrum hæc certi sumus? Aut certe si placere has turpitudines Deo novimus, non prohibeo quin sine cessatione faciamus. Sin vero in conscientia nostra hoc est quod Deus horret, quod exsecratur, quod sicut in his sit pastus diaboli, ita offensio Dei, quomodo nos in ecclesia Dei colere Deum dicimus, qui in obscenitate ludorum semper diabolo deservimus, & hoc gnari ac scientes, de consilio & industria? Et quæ nobis, quæso, spes erit apud Deum, qui non casu aut imprudentia Deum lædimus, sed exemplo illorum quondam gigantum quos insanis conatibus superna tentasse & quasi in nubes gradum tulisse legimus? Sic nos per injurias quas in omni mundo Deo semper inferimus, quasi consensu publico cælum oppugnamus. Christo ergo (o amentia monstruosa!) Christo circenses offerimus & mimos, & tunc hoc maxime cum ab eo aliquid boni capimus, cum prosperitatis ab eo aliquid attribuitur, aut victoria de hostibus a divinitate præstatur? Et quid aliud hac re facere videmur quam si quis homini beneficium largienti injuriosus sit, aut blandientem conviciis cædat, aut osculantis vultum mucrone transfigat? Interrogo enim omnes potentes ac divites mundi hujus, cujus piaculi reus sit servus ille qui bono ac pio domino malum cogitet, qui bene merenti convicium faciat, & pro libertate quam accipit contumeliam reddat. Absque dubio maximi criminis reus creditur qui malum pro bono reddit, cui etiam malum pro malo reddere non liceret. Hoc ergo etiam nos qui Christiani dicimur, facimus. Irritamus in nos misericordem Deum impuritatibus nostris, propitiantem sordibus lædimus, blandientem injuriis verberamus. P.126.

P.125.

V. Christo ergo (o amentia monstruosa!) Christo circenses offerimus & mimos, Christo pro beneficiis suis theatrorum obscena reddimus, Christo ludicrorum turpissimorum hostias immolamus? Videlicet hoc nos pro nobis in carne natus Salvator noster edocuit. Hoc vel per se ipsum vel per Apostolos prædicavit. Propter hoc humanæ nativitatis verecundiam subiit, & * contumeliosa terreni ortus principia suscepit. Propter hoc in præsepio jacuit, cui servierunt angeli cum jaceret. Propter hoc involvi se pannorum crepundiis voluit, qui cælum regebat in pannis. Propter hoc in patibulo pependit, quem pendentem mundus expavit. [b] *Qui propter vos*, inquit Apostolus, *pauper factus est, cum dives esset, ut illius inopia vos honestaremini*. [c] *Et cum in forma*, inquit, *Dei esset, humiliavit semet ipsum usque ad mortem, mortem autem crucis*. Hoc nos videlicet Christus imbuit, cum pro nobis ista toleraret. Præclaram passioni ejus vicissitudinem reddimus, qui cum morte ipsius redemtionem acceperimus, vitam ei turpissimam repensamus. [d] *Apparuit enim*, inquit beatissimus Paullus, *gratia Domini nostri Jesu Christi, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobrie & pie & juste vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem & adventum Domini gloriæ magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi: qui dedit semet ipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum*. Ubi sunt qui hæc faciant propter quæ venisse Christum Apostolus dicit? Ubi sunt qui desideria sæculi fugiant, ubi qui vitam pie ac juste agant, ubi qui sperare se spem beatam bonis operibus ostendant, & immaculatam vitam agentes, hoc ipso se perhibent regnum Dei exspectare quia merentur accipere? Venit, inquit, Dominus Jesus Christus, *ut mandaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum*. Ubi est populus ille mundus, ubi populus acceptabilis, ubi populus boni operis, ubi populus sanctitatis? [e] *Christus*, inquit scriptura, *pro nobis passus est, nobis exemplum relinquens ut sequamur vestigia ejus*. Videlicet vestigia Salvatoris sequimur in circis, vestigia Salva- P.127.

a Rom. I. 32. *b* II. Cor. VIII. 9. *c* Philipp. II. 6. 8. *d* Tit. I. 11-14. *e* I. Pet. II. 21.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
445.

toris ſequimur in theatris. Tale nobis ſcilicet Chriſtus reliquit exemplum; quem * fleviſſe legimus, riſiſſe non legimus. Et hoc utrumque pro nobis: quia fletus compunctio eſt animæ, riſus corruptio diſciplinæ. Et ideo dicebat. [a] *Væ vobis qui ridetis, quoniam flebitis*. Et: [b] *Beati qui fletis, quoniam ridebitis*. Nobis autem ridere & gaudere non ſufficit, niſi cum peccato atque inſania gaudeamus, niſi riſus noſter impuritatibus, niſi flagitiis miſceatur.

VI. Quis rogo hic error eſt, quæ ſtultitia? Numquid lætari aſſidue & ridere non poſſumus, niſi riſum noſtrum atque lætitiam ſcelus eſſe faciamus? An forte infructuoſum putamus gaudium ſimplex, nec delectat ridere ſine crimine? Quod rogo hoc malum eſt, aut quis furor? Rideamus, quæſo, quamlibet immenſuratim, lætemur quamlibet jugiter, dummodo innocenter. Quæ vecordia eſt & amentia, ut non putemus riſum & gaudium tanti P.128. eſſe, niſi in ſe Dei habuerit injuriam? injuriam utique, & quidem maximam. In ſpectaculis enim quædam apoſtaſia fidei eſt & a ſymbolis ipſius & cæleſtibus ſacramentis letalis prævaricatio. Quæ eſt enim in baptiſmo ſalutari * Chriſtianorum prima confeſſio? Quæ ſcilicet niſi ut renuntiare ſe diabolo ac pompis ejus atque ſpectaculis & operibus proteſtentur? Ergo ſpectacula & pompæ, etiam juxta noſtram profeſſionem, opera ſunt diaboli. Quomodo, o Chriſtiane, ſpectacula poſt baptiſmum ſequeris, quæ opus eſſe diaboli confiteris? Renuntiaſti ſemel diabolo & ſpectaculis ejus; ac per hoc neceſſe eſt ut prudens & ſciens, dum ad ſpectacula remeas, ad diabolum te redire cognoſcas. Utrique enim rei ſimul renuntiaſti, & unum utrumque eſſe dixiſti. Si ad unum reverteris, ad utrumque remeaſti. *Abrenuntio enim*, inquis, *diabolo, pompis, ſpectaculis & operibus ejus*. Et quid poſtea? *Credo*, inquis, *in Deum patrem omnipotentem & in Jeſum Chriſtum filium ejus*. Ergo primum renuntiatur diabolo, ut credatur Deo: quia qui non renuntiat diabolo, non credit Deo: & ideo qui revertitur ad diabolum, relinquit Deum. Diabolus autem in ſpectaculis eſt & pompis ſuis; ac per hoc cum redimus ad ſpectacula, relinquimus fidem Chriſti. Hoc itaque modo omnia ſymboli ſacramenta ſolvuntur; & totum quod in ſymbolo ſequitur, labefactatur & nutat. Nihil enim ſequens ſtat, ſi principale non ſteterit. Dic igitur tu, Chriſtiane, quomodo tenere te ſequentia ſymboli putas, cujus principia perdidiſti? Membra ſine capite nihil proſunt, & ad exordium ſui cuncta reſpiciunt: quæ utique ſi perierint, omnia peſſum trahunt. Siquidem ſtirpe ſublata, aut non P.129. ſunt reliqua; aut ſi ſunt, ſine emolumento ſunt, quia ſine capite nihil conſtat. Si cui itaque leve ſpectaculorum crimen videtur, reſpiciat cuncta iſta quæ diximus; & videbit in ſpectaculis non voluptatem eſſe, ſed mortem. Quid eſt autem aliud quam mortem incurrere, vitæ originem perdidiſſe? Ubi enim * fundamentum ſymboli evertitur, vita ipſa jugulatur.

VII. Rurſum ergo neceſſe eſt redeamus ad illud quod ſæpe diximus: Quid ſimile apud barbaros? ubi apud illos circenſes, ubi theatra, ubi ſcelus diverſarum impuritatum, hoc eſt, ſpei noſtræ ac ſalutis excidium? quibus illi etſi, utpote pagani, uterentur, minore tamen culpa ſacræ offenſionis er- A rabant: quia etſi eſſet impuritas viſionis, prævaricatio tamen non erat ſacramenti. Nos vero quid reſpondere pro nobis poſſumus? Tenemus ſymbolum & evertimus, & confitemur munus ſalutis pariter & negamus. Ac per hoc ubi eſt Chriſtianitas noſtra, qui ad hoc tantummodo * ſacramentum ſalutis accipimus ut majore poſtea prævaricationis ſcelere peccemus? Nos eccleſiis Dei ludicra anteponimus, nos altaria ſpernimus & theatra honoramus. Omnia denique amamus, omnia colimus. Solus nobis in comparatione omnium Deus vilis eſt. Denique, præter alia quæ id probant, indicat hoc etiam hæc res ipſa quam dico. Si quando enim evenerit, quod ſcilicet ſæpe evenit, ut eodem die B & * feſtivitas eccleſiaſtica & ludi publici agantur; quæro ab omnium conſcientia, quis locus majores Chriſtianorum virorum copias habeat, cavea ludi publici, an atrium Dei? & templum omnes magis ſectentur, an theatrum? dicta evangeliorum magis diligant, an thymelicorum? verba vitæ, an verba mortis? verba Chriſti, an verba mimi? Non P.130. eſt dubium quin illud magis amemus quod anteponimus. Omni enim feralium ludicrorum die, ſi quælibet eccleſiæ feſta fuerint, non ſolum ad eccleſiam non veniunt qui Chriſtianos ſe eſſe dicunt, ſed ſi qui inſcii forte venerint, dum in ipſa eccleſia ſunt, ſi ludos agi audiunt, * eccleſiam derelinquunt. Spernitur Dei templum, ut curratur ad C theatrum. Eccleſia vacuatur, circus impletur. Chriſtum in altario dimittimus, ut adulterantes viſu impuriſſimo oculos ludicrorum turpium fornicatione paſcamus. * Poſtea ſed videlicet qui corrumpimur rebus proſperis, faciendum aliquid in principio. Et ideo rectiſſime ad nos Dominus Deus dicit: *Propter ſpurcitiam exterminati eſtis exterminio*. Et rurſum: *Exterminabuntur*, inquit, *aræ hujus riſus*.

VIII. Sed videlicet reſponderi hoc poteſt, non in omnibus hæc Romanorum urbibus agi. Verum eſt. Etiam plus ego addo, ne illic quidem nunc agi, ubi ſemper acta ſunt antea. Non enim hoc agitur jam in * Mogontiacenſium civitate; ſed quia D exciſa atque deleta eſt. Non agitur Agrippinæ; ſed quia hoſtibus plena. Non agitur in Treverorum urbe excellentiſſima; ſed quia quadruplici eſt everſione proſtrata. Non agitur denique in plurimis Galliarum urbibus & Hiſpaniarum. Et ideo væ nobis atque impuritatibus noſtris, væ nobis atque iniquitatibus noſtris. Quæ ſpes Chriſtianis plebibus ante Deum eſt, quandoquidem ex illo tempore in urbibus Romanis hæc mala non ſunt, ex quo in barbarorum jure eſſe cœperunt? Ac per hoc vitioſitas & * impuritas quaſi germanitas quædam eſt Romanorum hominum & quaſi mens atque natura, quia ibi præcipue vitia ubicumque Romani. Sed gravis eſt forſitan hæc atque iniqua con- P.131. E queſtio. Gravis profecto, ſi falſa. At quomodo, inquis, quomodo non falſa, cum in paucis nunc ferme Romanis urbibus fiant iſta quæ diximus, plurimas autem jam harum impuritatum labe non pollui; ubi licet ſint loca ipſa ac domicilia erroris antiqui, nequaquam tamen aguntur illa quæ prius acta ſunt. Conſiderandum ergo utrumque eſt, id eſt, quid ſit quod adhuc loca ipſa ac diverſoria ludicrorum ſint, ludicra autem eſſe ceſſaverint. Loca enim & habitacula turpitudinum idcirco adhuc ſunt, quia illic impura omnis prius acta ſunt. Nunc autem ludrica ipſa ideo non aguntur, quia agi jam præ miſeria temporis atque egeſtate non poſſunt.

a Luc. vi. 25. b Ibid. ỷ. 21.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 445.



Et ideo quod prius actum est, vitiositatis fuit; A quod nunc non agitur, necessitatis. Calamitas enim fisci & mendicitas jam Romani ærarii non sinit, ut ubique in res nugatorias perditæ profundantur expensæ. Pereant adhuc quamlibet multa, & quasi in cœnum projiciantur; sed modo tamen perire jam tanta non queunt, quia non sunt tanta quæ pereant. Nam quantum ad votum nostræ libidinis atque impurissimæ voluptatis, optaremus profecto vel ad hoc tantummodo plus habere, ut possemus in hoc turpitudinis lutum plura convertere. Et res probat quanta prodigere vellemus, si opulenti essemus ac splendidi, cum prodigamus tanta mendici. Ea est enim labes præsentium morum atque perditio, ut cum jam non habeat paupertas quod possit B perdere, adhuc tamen velit vitiositas plus perire. Non est ergo quod blandiri nobis aliquid in hac parte possimus, ut dicamus non in omnibus nunc urbibus agi illa quæ prius acta sunt. Ideo enim
P.132. non in omnibus jam aguntur, quia urbes ubi agebantur illa, jam non sunt; & ubi quidem diu acta sunt, id effecerunt ut ubi illa agebantur, esse non possint; sicut ipse Deus ad peccatores locutus est per Prophetam, quia [a] *horum recordatus est Dominus, & ascendit*, inquit, *super cor ejus, & non poterat Dominus ultra portare propter malitiam studiorum vestrorum, & propter abominationes quas fecistis: & facta est terra vestra in desolationem & stuporem & in maledictum.* Per hæc ergo jam fa- C ctum est, ut major pars Romani orbis in desolationem esset & in stuporem & in maledictum.

IX. Atque utinam acta tantummodo prius essent, & agere hæc Romana vitiositas aliquando cessaret. Forsitan, ut scriptum est, propitiaretur Deus peccatis nostris. Sed nequaquam ita agimus, ut propitietur. Mala enim incessabiliter malis addimus, & peccatis peccata cumulamus; & cum maxima nostri pars jam perierit, id agimus ut pereamus omnes. Quis rogo interfici alterum juxta se videt, & ipse non metuit? Quis domum vicini sui ardere cernit, & non efficere omnibus modis nititur ne ipse incendio concremetur? Nos non * vicinos D nostros tantum ardere vidimus, sed ipsi jam ex maxima nostrorum corporum parte arsimus. Et quid hoc, proh nefas, mali est? Arsimus, arsimus; & tamen flammas quibus jam arsimus, non timemus. Nam quod non ubique, ut dixi, agantur quæ prius acta sunt, miseriæ est beneficium, non disciplinæ. Denique facile hoc probo. Da enim prioris temporis statum, & statim ubique sunt quæ fuerunt. Plus addo; quantum ad vota hominum pertinet, etsi jam non ubique sunt, ubique adhuc sunt, quia
P.133. ubique ea populus vellet esse Romanus. Cum enim ab homine mala res sola necessitate non agitur, ipsa rei turpis cupiditas pro actione damnatur. Nam, sicut dixi, juxta Domini nostri dictum: [b] *Qui mulierem viderit ad concupiscendum, reus est adulterii* E *corde concepti*, intelligere possumus quid etiam si res turpes atque damnabiles necessitate non agimus, pro ipsa tamen rerum turpium voluntate damnamur. Et quid dicam de voluntate? omnes hæc ferme, cum possunt, agunt. Denique cujuslibet civitatis incolæ Ravennam aut Romam venerint, pars sunt Romanæ plebis in circo, pars sunt populi Ravennatis in theatro. Ac per hoc nemo se loco aut absentia excusatum putet. Omnes turpitudine rerum unum sunt, qui sibi rerum turpium voluntate sociantur. Et blandimur nobis insuper de probitate morum, blandimur nobis de turpitudinum raritate?

Ego amplius dico, non solum agi nunc illas ludicrorum infamium labes quæ prius actæ sunt, sed criminosius multo agi quam prius actæ sunt. Tunc enim integra Romani orbis membra florebant, angusta esse horrea publicæ opes fecerant, cunctarum urbium cives divitiis ac deliciis affluebant; vix poterat religionis auctoritas, inter tantam rerum exuberantiam, morum tenere censuram. Pascebantur quidem tunc passim in locis plurimis auctores turpium voluptatum, sed plena ac referta erant omnia. Nemo sumtus rei publicæ cogitabat, nemo dispendia, quia non sentiebatur expensa. Quærebat quodammodo ipsa res publica, ubi perderet quod penus posset jam vix recipere. Et ideo cumulus divitiarum qui jam fere modum excesserat, etiam in res nugatorias redundabat. Nunc autem quid dici potest? Recesserunt a nobis copiæ veteres, re- P.134.
cesserunt priorum temporum facultates; miseri jam sumus, & necdum nugaces esse cessamus. Cumque etiam pupillis, prodigis * vel prodigiosis soleat subvenire paupertas, simulque ut destiterint esse divites, desinunt quoque esse vitiosi; nos tantum novum genus pupillorum ac perditorum sumus, in quibus opulentia esse desiit, sed nequitia perdurat. Adeo nos non, ut alii homines, caussas corruptelarum in inlecebris sed in cordibus habemus, & vitiositas nostra mens nostra est; ut ad emendandos nos non facultatum ablatione, sed malarum rerum amore peccemus.

X. Quanta autem vitia Romanorum sint quibus barbaræ gentes non coinquinantur, licet hactenus satis dixerim, addam tamen multa quæ desunt. Sed illud admoneo tamen ante quam dicam, ne ullum penitus culpæ genus quod ad contumeliam Dei pertinet, cuiquam leve esse videatur. * Si enim inlustrem ac præpotentem virum nequaquam exhonorari a quoquam licet, & si quisquam exhonoraverit, decretis legalibus reus sistitur, & injuriarum actor jure damnatur; quanto utique majoris piaculi crimen est, injuriosum quempiam Deo esse? Semper enim per dignitatem injuriam perferentis crescit culpa facientis: quia necesse est quanto major est persona ejus qui contumeliam patitur, tanto major sit noxa ejus qui facit. Et hinc est quod legimus in lege [c], etiam eos qui videntur contra mandatum sacrum levia fecisse, severissime tamen esse punitos. Ut intelligeremus scilicet nil ad Deum pertinens leve esse ducendum; quia etiam quod videbatur exiguum esse culpa, grande hoc faciebat divinitatis injuria. Denique [d] Oza ille Levites Dei quid contra mandatum cæleste fecit, quod vacillan- P.135.
tem arcam Domini sustinere tentavit? Nihil enim hinc erat lege præceptum. Et statim dum sustinebat, * exstinctus est; non quia, ut videtur, ad speciem contumaci aliquid aut inofficiosa saltem mente commiserit, sed ipso officio inofficiosus fuit qui injussa præsumsit. [e] Homo Israeliticæ plebis cum ligna sabbatis collegisset, occisus est; & hoc, judicio ac jussu Dei, piissimi scilicet ac misericordissimi judicis, & qui parcere absque dubio quam occidere maluisset, nisi rationem misericordiæ severitatis ratio vicisset. Unus enim incautus periit, ne multi per incautelam postea deperirent. Et quid de singulis dicam? [f] Universa gens Hebræorum, cum per eremum iter ageret, quia consuetudinarias carnes desideravit, partem suæ plebis amisit. Et quidem interdictum necdum fuerat ne desideraret; sed legali, ut reor, observantiæ proficere Deus voluit, ut rebellem concupiscentiam coerceret: quo

a Jer. XLIV. 21. 22. *b* Matth. V. 28. *c* Exod. XXI. *d* II. Reg. VI. *e* Num. XV. 32. seqq. *f* Num. XI. 4. seqq.

facilius scilicet cunctis populus agnosceret quantum evitare deberet quæ Deus scriptis cælestibus interdiceret, quando etiam illa eum admissa læderent quæ necdum lege vetuisset. Laborem quoque se sustinere idem populus ingemuit [a], & propter hoc plagis cælestibus verberabatur; non quia laboranti gemere non liceat, sed ingratus scilicet fuit gemitus Deum quasi auctorem immoderati laboris accusans. Ex quo intelligi convenit quantum placere Deo debeat qui rerum jucundarum beatitudine fruitur, quando etiam de his queri non licet quæ ingrata videantur.

XI. Quæritur forsitan quorsum ista pertineant? Quorsum absque dubio nisi ut nihil leve æstimetur quo Deus læditur? De ludis enim publicis dicimus, ludibriis scilicet spei nostræ, ludibriis vitæ nostræ. P.136. Nam dum in theatris & circis ludimus, deperimus, secundum illud utique dictum sermonis sacri: [b] *Stultus per risum operatur scelus*. Et nos itaque dum inter turpia ac dedecorosa ridemus, scelera committimus; & quidem scelera non minima, sed in hoc ipso pœnaliora; quia cum videantur specie esse proba, rebus sunt exitiosis pestilentissima. Nam cum duo sint maxima mala, id est, si homo aut se ipsum perimat, aut Deum lædat; hoc utrumque in ludis publicis agitur. Nam per turpitudines criminosas æterna illic salus Christianæ plebis exstinguitur, & per sacrilegas superstitiones majestas divina violatur. Dubium enim non est quod lædunt Deum, utpote idolis consecratæ. Colitur namque & honoratur Minerva in gymnasiis, Venus in theatris, Neptunus in circis, Mars in arenis, Mercurius in palæstris; & ideo pro qualitate auctorum cultus est superstitionum. Quidquid immunditiarum est, hoc exercetur in theatris; quidquid luxuriarum, in palæstris; quidquid immoderationis, in circis; quidquid furoris, in caveis. Alibi est impudicitia, alibi lascivia, alibi intemperantia, alibi insania: ubique dæmon, immo per singula ludicrorum loca, universa dæmonum monstra. Præsident enim sedibus suo cultui dedicatis. Ac per hoc in spectaculis istiusmodi non sola est inlecebra nec sola vitiositas. Admisceri enim huic Christianum hominem superstitioni, genus est sacrilegii; quia eorum cultibus communicat, quorum festivitatibus delectatur. Quod quidem licet semper admodum grave sit, tunc tamen magis intolerabile, cum præter consuetudinarium vitæ usum hoc vel adversa nostra faciunt criminosius vel secunda: P.137. quia & magis placandus est in adversis Deus, & minus lædendus in prosperis. Placari quippe debet cum irascitur, lædi non debet cum propitiatur. Adversa enim nobis per iracundiam Dei veniunt, secunda per gratiam. Nos autem e diverso omnia agimus. Dicis, Quomodo? Accipe. Ac primum si quando exoratus sua ipsa misericordia Deus; (neque enim umquam nos ita vivimus ut exorari mereamur) sed si quando, ut dixi, a se ipso exoratus pacificos nobis dies, proventus uberes, & divitem bonis omnibus tranquillitatem & abundantiam dederit super vota crescentem; tanta secundarum rerum prosperitate corrumpimur, tanta morum insolescentium pravitate vitiamur, ut & Dei penitus obliviscamur & nostri. Et cum omnem fructum datæ a Deo pacis in hoc consistere Apostolus dicat: [c] *Ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate*; ad hoc tantum data a Deo quiete utimur, ut in ebrietate, ut in luxuria, ut in flagitiis, ut in rapinis, ut in

A omni scelere atque improbitate vivamus. Quasi vero beneficium datæ pacis vacatio sit probrositatis, & ad hoc inducias tranquillitatis Deo donante capiamus ut licentius securiusque peccemus. Indigni itaque cælestibus donis sumus, qui beneficiis Dei non bene utimur, & facimus rem bonorum operum materiam tantum esse vitiorum: quo fit ut ipsa pax contra nos sit quæ sic agitur a nobis, nec expediat rem accipere qua deteriores sumus. Quis hoc credere queat? Mutamus naturam rerum iniquitatibus nostris; & quæ Deus bona fecit munere pietatis suæ, ea nos nobis facimus mala esse moribus malis.

B XII. Sed videlicet qui corrumpimur rebus prosperis, corrigimur adversis; & quos intemperantes * pax longa fecit, turbatio facit esse moderatos. P.138. Numquid populi civitatum qui impudici rebus prosperis fuerant, asperis casti esse cœperunt? Numquid ebrietas quæ tranquillitate & abundantia creverat, hostili saltem depopulatione cessavit? Vastata est Italia tot jam cladibus. Ergo Italorum vitia destiterunt? * Obsessa est urbs Roma & expugnata. Ergo desierunt blasphemi ac furiosi esse Romani? Inundarunt Gallias * gentes barbaræ. Ergo, quantum ad mores perditos spectat, non eadem sunt Gallorum crimina quæ fuerunt? Transcenderunt in * Hispaniæ terras populi Wandalorum. C Mutata quidem est sors Hispanorum, sed non mutata vitiositas. Postremo, ne qua pars mundi exitialibus malis esset immunis, navigare per fluctus bella cœperunt: quæ vastatis urbibus mari clausis, & eversis * Sardinia ac Sicilia, id est, fiscalibus horreis, atque abscissis velut vitalibus venis, Africam ipsam, id est, quasi animam captivavere rei publicæ. Ecquid? ingressis terram illam gentibus barbaris, forsitan vel metu vitia cessarunt? aut sicut corrigi ad præsens etiam nequissimi quique servorum solent, modestiam saltem ac disciplinam terror extorsit? Quis æstimare hoc malum possit? Circumsonabant armis muros * Cirtæ atque * Carthaginis populi barbarorum; & ecclesia Carthaginiensis D insaniebat in circis, luxuriabat in theatris. Alii foris jugulabantur, alii intus fornicabantur. Pars plebis erat foris captiva hostium, pars intus captiva vitiorum. Cujus sors pejor fuerit, incertum est. Illi quidem erant extrinsecus carne, sed isti intus mente captivi; & ex duobus letalibus malis levius, ut reor, est captivitatem corporis Christianum quam captivitatem animæ sustinere, P.139. secundum illud quod docet Salvator ipse in evangelio [d], graviorem multo animarum mortem esse quam corporum. An credimus forte quod captivus animis populus ille non fuerit, qui lætus tunc in suorum captivitatibus fuit? Captivus corde & sensu non erat, qui inter suorum supplicia E ridebat, qui jugulari se in suorum jugulis non intelligebat, qui mori se in suorum mortibus non putabat? Fragor, ut ita dixerim, extra muros & intra muros præliorum & ludicrorum; confundebatur vox morientium voxque bacchantium; ac vix discerni forsitan poterat plebis ejulatio quæ cadebat in bello, & sonus populi qui clamabat in circo. Et cum hæc omnia fierent; quid aliud talis populus agebat nisi ut cum eum Deus perdere adhuc fortasse nollet, tamen ipse exigeret ut periret?

XIII. Sed quid ego loquor de longe positis & quasi in alio orbe submotis, cum sciam etiam * in

a Num. XXI. 4. seqq. b Prov. X. 23. c I. Tim. II. 2. d Luc. IX. 24. 25.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.



solo patrio atque in civitatibus Gallicanis omnes ferme * præcelsiores viros calamitatibus suis factos fuisse pejores? Vidi siquidem ego ipse Treveros domi nobiles, dignitate sublimes, licet jam spoliatos atque vastatos, minus tamen eversos rebus fuisse quam moribus. Quamvis enim depopulatis jam atque nudatis aliquid supererat de substantia, nihil tamen de disciplina. Adeo graviores in semet hostes externis hostibus erant, ut licet a barbaris jam eversi essent, a se tamen magis everterentur. Lugubre est referre quæ vidimus, senes honoratos, decrepitos Christianos, imminente jam admodum excidio civitatis, gulæ ac lasciviæ servientes. Quid primum heic accusandum est? quod honorati, an quod senes, P.140. an quod Christiani, an quod periclitantes? Quis enim hoc fieri posse credat, vel in securitate a senibus, vel in discrimine a pueris, vel umquam a Christianis? Jacebant in conviviis obliti honoris, obliti ætatis, obliti professionis, obliti nominis sui, principes civitatis cibo conferti, vinolentia dissoluti, clamoribus rabidi, bacchatione furiosi, nihil minus quam sensus sui; immo quia prope jugiter tales, nihil magis quam sensus sui. Sed cum hæc ita essent, plus multo est quod dicturus sum: finem perditioni huic nec civitatum excidia fecerunt. Denique expugnata est quater * urbs Gallorum opulentissima. Promtum est de qua dicam. Sufficere utique debuerat emendationi prima captivitas, ut instauratio peccatorum non instaurasset excidium. Sed quid plura? Incredibile est quod loquor. Adsiduitas illic calamitatum, augmentum illic criminum fuit. Sicut enim anguinum illud monstrum, ut fabulæ ferunt, multiplicabat occisio; ita etiam in Gallorum excellentissima urbe iis ipsis quibus coercebantur plagis scelera crescebant: ut putares pœnam ipsorum criminum quasi matrem esse vitiorum. Et quid plura? Ad hoc malorum quotidie pullulantium multiplicatione perventum est, ut facilius esset urbem illam sine habitatore quam ullum pæne habitatorem esse sine crimine. Igitur hoc in illa. Quid * in alia non longe, sed prope ejusdem magnificentiæ civitate? Nonne eadem & rerum ruina pariter & morum? Nam præter cetera, cum duobus illic præcipuis & generalibus malis, avaritia & ebrietate, omnia concidissent; ad hoc postremo rabida vini aviditate perventum est, ut principes urbis ipsius ne tunc quidem de conviviis surgerent, cum jam urbem hostis intraret. Adeo P.141. etiam Deus ipsis evidenter, ut credo, manifestare voluit cur perirent; cum per quam rem ad perditionem ultimam venerant, eam ipsam agerent cum perirent. Vidi ego illic res lacrymabiles, nihil scilicet inter pueros differre & senes. Una erat scurrilitas, una levitas: simul omnia, luxus, potationes, perditiones: cuncta omnes pariter agebant, ludebant, ebriebantur, enecabantur; lasciviebant in conviviis, vetuli & honorati, ad vivendum prope jam imbecilles, ad vinum prævalidissimi; infirmi ad ambulandum, robusti ad bibendum; ad gressum nutabundi, ad saltandum expediti. Et quid plura? In hoc per cuncta illa quæ diximus, devoluti sunt ut compleretur in eis dictum illud sermonis sacri: [a] *Vinum & mulieres apostatare faciunt a Deo*. Nam dum bibunt, ludunt, mœchantur, insaniunt, Christum negare cœperunt. Et miramur post ista omnia si ruinam rerum suarum passi sunt, qui tanto ante mentibus corruerunt? Nemo itaque urbem illam excidio suo tantum periisse credat. Ubi enim talia acta sunt, prius jam perierant quam perirent.

XIV. Dixi de urbibus præclarissimis. Quid reliquæ in diversis Galliarum partibus civitates? Numquid non consimilibus habitatorum suorum vitiis conciderunt? Nam ita cunctos crimina sua presserant, ut nec metuerent periculum suum. Prænoscebatur captivitas, nec formidabatur. Ablatus quippe erat a peccatoribus timor, ne posset esse cautela. Itaque barbaris pæne in conspectu omnium sitis, nullus erat metus hominum, non custodia civitatum. Tanta animarum vel potius peccatorum cæcitas fuit; ut cum absque dubio nullus perire vellet, nullus tamen id ageret ne periret. Totum incuria & segnities, totum negligentia & gula, totum ebrietas & somnolentia possidebant; secundum illud scilicet quod de talibus scriptum est: [b] *Quia sopor Domini irruerat super eos*. Sopor quippe infunditur, ut perditio subsequatur. Cum enim, ut scriptum est [c], completis iniquitatibus suis peccator quis meretur ut pereat, providentia ab eo tollitur, ne periturus evadat. Sed hæc hactenus. Satis enim, ut arbitror, quod proposui evidenter ostendi, ne in summo quidem rerum discrimine cessasse umquam vitia civium usque ad excidia civitatum. P.142.

XV. Atque hæc fuerunt fortasse, jam non sunt, aut umquam esse cessabunt. Videlicet, si qua adhuc hodie aut civitas aut provincia vel plagis cælestibus cæditur, vel hostili populatione vastatur; humiliatur, convertitur, emendatur, & non cunctos ferme Romani nominis populus prius est interire quam corrigi, non prius ipsos quam in ipsis vitia non esse. Denique id breviter probari potest excisa ter continuatis eversionibus * summa urbe Gallorum, cum omnis civitas bustum esset, malis & post excidia crescentibus. Nam quos hostis in excidio non occiderat, post excidium calamitas obruebat; cum id quod in excidio evaserat morti, post excidium non superesset calamitati. Alios enim impressa altius vulnera longis mortibus necabant, alios ambustos hostium flammis etiam post flammas pœna torquebat. Alii interibant fame, alii nuditate, alii tabescentes, alii rigentes: ac sic in unum exitum mortis per diversa moriendi genera conruebant. Et quid plura? Excidio unius urbis affligebantur quoque aliæ civitates. Jacebant siquidem passim, quod ipse vidi atque sustinui, utriusque sexus cadavera nuda, lacera, urbis oculos incestantia, avibus canibusque laniata. Lues erat viventium, fœtor funereus mortuorum. Mors de morte exhalabatur. Ac sic, etiam qui excidiis supra dictæ urbis non interfuerant, mala alieni excidii perferebant. Et quid post hæc inquam, quid post hæc omnia? Quis æstimare hoc amentiæ genus possit? Pauci nobiles qui excidio superfuerant, quasi pro summo deletæ urbis remedio * circenses ab imperatoribus postulabant. Vellem mihi hoc loco ad exsequendam rerum indignitatem parem negotio eloquentiam dari; scilicet ut tantum virtutis esset in querimonia, quantum doloris in caussa. Quis enim æstimare possit quid primum in his de quibus diximus, accusandum sit, irreligiositas, an stultitia, an luxuria, an amentia? Totum quippe in illis est. Quid enim irreligiosius quam petere aliquid in injuriam Dei? aut quid stultius quam quid petas non considerare? aut quid tam perditi luxus quam in luctu res desiderare luxuriæ? aut quid amentius P.143.

a Eccli. XIX. 2. *b* II. Reg. XXVI. 12. *c* Gen. XVIII. 20.

quam in malis esse & malorum intelligentiam non A habere? Quamquam in his omnibus nulla res minus culpanda est quam amentia: quia voluntas crimen non habet, ubi furore peccatur. Quo magis his de quibus loquimur accusandi sunt, quia sani insaniebant. Circenses ergo Treveri desideratis, & hoc vastati, hoc expugnati, post cladem, post sanguinem, post supplicia, post captivitatem, post tot eversæ urbis excidia? Quid lacrymabilius hac stultitia, quid luctuosius hac amentia? Fateor, miserrimos esse vos credidi cum excidia passi estis; sed miseriores vos video cum spectacula postulatis. Putabam enim vos in excidiis rem tantum atque substantiam; nesciebam etiam sensum atque intelligen-
P.144. tiam perdidisse. Theatra igitur quæritis, circum a B principibus postulatis? Cui quæso statui, cui populo, cui civitati? Urbi exustæ ac perditæ, plebi captivæ & interemtæ, quæ aut periit aut luget; de qua etiam si quid superest, totum calamitatis est; quæ cuncta aut mæstitudine est anxia, aut lacrymis exhausta, aut orbitate prostrata; in qua nescias pæne cujus sit sors pejor ac durior, interfectorum, an viventium? Tantæ enim sunt miseriæ superstitum, ut infelicitatem vicerint mortuorum. Ludrica ergo publica Trever petis? Ubi quæso exercenda? an super busta & cineres, super ossa & sanguinem peremtorum? Quæ enim urbis pars his malis omnibus vacat? Ubi non cruor fusus, ubi non strata corpora, ubi non concisorum mem- C bra lacerata? Ubique facies captæ urbis, ubique horror captivitatis, ubique imago mortis. Jacent reliquiæ infelicissimæ plebis super tumulos * defunctorum suorum, & tu circenses rogas? Nigra est incendio civitas, & tu vultum festivitatis usurpas? Lugent cuncta, tu lætus es. Insuper etiam inlecebris flagitiosissimis Deum provocas, & superstitionibus pessimis iram divinitatis irritas. Non miror plane, non miror tibi evenisse mala quæ consecuta sunt. Nam quia te tria excidia non correxerant, quarto perire meruisti.

XVI. Hæc autem omnia ideo copiosius paullo prolata sunt, ut probaremus scilicet omnia quæ per- D tulimus, non improvidentia nos Dei atque neglectu, sed justitia, sed judicio, sed æquissima dispensatione & dignissima retributione tolerasse, neque ullam penitus Romani orbis aut Romani nominis portionem, quamlibet graviter plagis cælestibus cæsam, umquam fuisse correctam. Et ideo nequaquam
P.145. uti meremur prosperis, quia non corrigimur adversis. Quamvis nobis etiam indignis interdum tribuantur bona: quia bonus Dominus, quasi indulgentissimus pater, etsi nos nonnumquam sinit pro peccatis nostris humiliari, non diu tamen patitur adfligi; & ideo nunc asperis rebus castigat suos pro disciplina, nunc tranquillis fovet pro indulgentia. Sicut enim optimi ac peritissimi medici dissimili- E bus morbis curas dispares præstant, atque aliis per dulcia medicamina, aliis * per amara succurrunt, & quosdam curant cauteriorum adustione, quosdam malagmatum placabilitate, aliis adhibent duram ferri * profectionem, aliis blandam infundunt olei lenitatem; & tamen diversissimis licet curis eadem salus quæritur: ita etiam Deus noster, si quando nos plagis austerioribus coercet, quasi cauteriis ac sectionibus curat; quando autem rebus prosperis refovet, quasi oleo ac malagmatibus consolatur. Per diversam enim medicaminum opem ad unam nos vult perducere sanitatem. Solent quippe etiam nequissimos servos quos supplicia non correxerint, blandimenta corrigere; & quos dominis suis verbera non summiserant, beneficia summittunt. Infantes quoque & omnes fere parvulos contumaces, quos morigeros minæ ac ferulæ non efficiunt, interdum panchresta atque blanditiæ ad obedientiam trahunt. Unde intelligere debemus, nos & servis nequissimis nequiores & insipientibus parvulis stultiores esse, quos nec quasi malos servos tormenta corrigunt, nec quasi infantulos blandimenta convertunt.

XVII. Et quidem quemadmodum nullam Romani nominis partem pœna correxerit, satis, ut arbitror, jam probavimus. Superest ut, quemadmodum nec munera nec blandimenta nos Dei corri- P.146. gant, comprobemus. Munera autem Dei & blandimenta quænam sunt? Quæ scilicet, nisi pax nostra, & quies nostra, & famulantes votis ac voluptatibus nostris rerum secundarum tranquillitates? Aliquid ergo, quia res exigit, etiam speciale dicamus. Igitur quotiens in metu, in angustiis, in periculis sumus; cum aut civitates ab hostibus obsidentur, aut provinciæ populatione vastantur, aut quibuscumque rerum adversitatibus rei publicæ membra cæduntur, & opem cælestis manus votis precamur: si quo sacræ miserationis auxilio aut salvatæ urbes fuerint, aut finita populatio, aut hostiles exercitus fusi, & metus omnis dono divinitatis ablatus, quid statim post hæc omnia facimus? Compensare, credo, Domino Deo nostro, cultu, honore, reverentia, beneficia quæ ab eo accepimus adnitimur. Hoc enim est consequens; atque id etiam usus vitæ humanæ habet, ut referatur gratia feneratoribus gratiarum, & recipiant vicem munerum munerantes. Ita ergo nos forsitan facimus, atque humanis saltem cum Deo nostro retributionibus agentes, cum ab eo bona accepimus, bona reddimus. Ad domos videlicet dominicas statim currimus, corpora humi sternimus, mixtis cum fletu gaudiis supplicamus, * inlustramus donariis sacris limina, aras muneribus implemus; & quia ipsi dono illius festi sumus, templis quoque ipsius vultum nostræ festivitatis induimus; aut certe, quod ei non minus cordi est, prioribus vitæ vitiis renuntiamus, operum bonorum victimas cædimus, & pro gaudiis novis novæ conversationis hostias immolamus, omnibus denique immunditiis bellum sanctum indicimus, circorum insanias fugimus, fœditates theatralium ludorum exsecramur, P.147. vovemus Domino novam vitam, & ad obtinendam ejus perpetuo protectionem, nosmet ipsos Deo sacrificamus.

XVIII. Cum hæc ergo quæ diximus, pro recentibus beneficiis Dei debeant fieri, videamus quæ fiant. Ad ludos protinus curritur, ad insanias convolatur, in theatris populus diffunditur, in circis plebs tota bacchatur. Ille nobis ad hoc bona præstat, ut boni simus. Nos e diverso, quotiens bona accipimus, mala nostra cumulamus. Ille nos beneficiis suis vocat ad probitatem, nos ruimus in improbitatem. Ille beneficiis suis provocat ad compunctionem, nos ruimus in dissolutionem. Vocat ille ad castitatem, nos ruimus in impuritatem. Præclare videlicet sacris muneribus respondemus. Præclare dona ejus vel agnoscimus, vel honoramus; qui quantum ab eo beneficii accipimus, tantum ei injuriarum repensamus. Aut injuria Dei hoc forte non est, aut esse indignior potest, aut multis ac magnis opus sit? Sed * quia inveterata in nobis malorum omnium labe aliter jam non vitiosi esse non possumus nisi ut omnino non simus; quæ in nobis rogo spes bonæ frugis est? Qui ignorantia peccant, errore agnito corriguntur. Qui re-

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

ligionis expertes sunt, cum mutaverunt sectam, A mutare incipiunt disciplinam. Postremo, ut dixi, qui aut abundantia nimia aut securitate vitiantur, desinunt esse perditi cum destiterint esse securi. Nos nec ignorantia labimur, nec religionis expertes sumus, nec prosperitate rerum ac securitate corrumpimur. Omnia siquidem e diverso sunt. Religionem novimus, ignorantia non excusamur, pacem & divitias priorum temporum non habemus; omnia quæ fuerunt, aut ablata aut immutata sunt; sola tantum vitia creverunt. Nihil nobis P.148. de pace & prosperitate pristina reliquum est, nisi sola omnino crimina quæ prosperitatem non esse fecerunt. Ubi namque sunt antiquæ Romanorum opes ac dignitates? Fortissimi quondam Romani B erant, nunc sine viribus. Timebantur Romani veteres, nos timemus. Vectigalia illis solvebant populi barbarorum, nos vectigales barbaris sumus. Vendunt nobis hostes lucis usuram. Tota admodum salus nostra commercium est. O infelicitates nostras! ad quid devenimus! Et pro hoc gratias barbaris agimus, a quibus nos ipsos pretio comparamus? Quid potest esse nobis vel abjectius vel miserius? Et vivere nos post ista credimus, quibus vita sic constat! Insuper etiam ridiculos ipsi nos facimus: aurum quod pendimus, * munera vocamus. Dicimus donum esse quod pretium est, & quidem pretium conditionis durissimæ ac miserrimæ. Omnes quippe captivi, cum semel redemti fuerint, libertate potiuntur. Nos semper redimimur, & numquam liberi sumus. Illorum more dominorum nobiscum barbari agunt qui mancipia obsequiis suis non necessaria mercedibus dependendis locant. Similiter enim nos numquam ab hac sumus liberi functione quam pendimus. Ad hoc quippe mercedes jugiter solvimus, ut sine cessatione solvamus.

Explicit liber sextus.

INCIPIT

LIBER VII.

P.149. I. CUM in conclusione libelli hujus, qui nunc finitus est, de infirmitate ac miseria Romanorum nonnulla dixerim; contraria forsitan negotio quod nunc agimus, dixisse videamur. Scio enim posse hoc loco subjici, hinc maxime probari quod non respiciat res humanas Deus; quia cum Romani quondam pagani & vicerint & regnaverint, nunc Christiani & vincantur & serviant. Sufficere quidem ad confutationem objectionis istius poterant illa quæ dudum de cunctis fere paganis gentibus dicta sunt: id est, magis peccare eos qui scientes negligant legem Dei, quam qui non faciant nescientes. Sed tamen, si Deus annuerit, cum ad eam negotii partem accesserimus ut de veteribus Romanis aliqua dicantur, evidenter divino munere adprobabimus tam justum tunc erga illos fuisse Domini favorem, quam nunc erga nos justam severitatem; tam dignum illud fuisse quod Romanos tunc Deus auxilio suo extulit, quam nunc dignum esse quod punimur. Atque utinam pœna ipsa prodesset. Illud gravius multo ac luctuosius, quod post pœnam nulla correctio est. Curare nos vult castigationibus suis Dominus, sed curam remedia non sequuntur. Quid hoc mali est? Jumenta ac pecudes sectione curantur; & putrefacta mulorum, asinorum, porcorum viscera, cum adusta cauteriis fuerint, munus medicæ adustionis agnoscunt; statimque ubi aut cremata aut defecta fuerit vitiatorum corporum P.150. labes, in locum demortuæ carnis viva succedit. Nos & urimur, & secamur; sed nec ferri defectione nec cauteriorum adustione sanamur: immo, quod est gravius, cura ipsa deteriores sumus. Et ideo non frustra nobis evenit quod evenire pecudibus & jumentis solet, quæ inremediabiles morbos ferunt. Nam in omnibus partibus mundi quia curis medicantibus non corrigimur, morte atque occisione finimur. Ecce enim, ut non repetam quæ multo ante jam dixi, hoc ipsum quale est quod paullo ante memoravi, scilicet quia & miseri pariter & luxuriosi sumus? Esto enim, sint vitia ista felicium, (quamvis nemo idem & probrosus esse possit & felix: quia ubi non est vera honestas, non est vera felicitas) sed tamen, ut supra dixi, esto, sint vitia ista & longæ pacis & opulentæ se- C curitatis. Cur, quæso, illic sunt, ubi jam nulla pax, ubi nulla securitas? In omni enim ferme * orbe Romano pax & securitas non sunt. Cur sola tantum vitia perdurant? Quis rogo ferre possit in homine egestuoso esse lasciviam? a Criminosior quippe est luxuriosa paupertas; & majoris invidiæ, miser nugax. Totus Romanus orbis & miser est & luxuriosus. Quis, quæso, pauper & nugax, qui captivitatem exspectans de circo cogitat? quis metuit mortem, & ridet? Nos & in metu captivitatis ludimus, & positi in mortis timore ridemus. Sardonicis quodammodo herbis omnem Romanum populum putes esse saturatum. Moritur, & ridet. Et ideo in omnibus fere partibus mundi risus nostros lacrymæ consequuntur; ac venit etiam in D præsenti super nos illud Domini nostri dictum: b *Væ vobis qui ridetis, quoniam flebitis.*

II. Sed forsitan, cum de ludicris ac fœditatibus publicis diutissime dixerimus; in hoc tantum quis P.151. deteriores esse nos putat barbaris, quia illi hæc non agunt, nos agimus, ceterum ipso carnalis libidinis scelere & fornicationis funestæ cœno non ita polllui. Comparemus, si placet, ceteris nationibus etiam in hac parte Romanos. Et quidem nescio an ullis rectius comparentur quam his quos Deus in medio rei publicæ sinu positos, possessores fecit ac dominos soli esse Romani. Unde quamvis nihil disputari de judicio Dei possit, tamen cum ablatam E nobis juris nostri optimam partem barbaris dederit, videamus an id quod nobis tulit & illis tradidit, justo judicio tradidisse videatur. Nemini dubium est Aquitanos ac Novempopulos medullam fere omnium Galliarum & uber totius fecunditatis habuisse; nec solum fecunditatis, sed, quæ præponi interdum fecunditati solent, jucunditatis, voluptatis, pulcritudinis. Adeo illic omnis admodum regio aut intertexta vineis, aut florulenta pratis, aut distincta culturis, aut consita pomis, aut amœnata lucis, aut inrigua fontibus, aut interfusa flu-

a Eccli. xxv. 4. b Luc. vi. 25.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.



minibus, aut crinita messibus fuit; ut vere posses-
sores ac domini terræ illius non tam soli istius
portionem quam paradisi imaginem possedisse vi-
deantur. Quid ergo post ista omnia? Officiosiores
absque dubio Deo esse debuerant, quos peculiari-
ter Deus abundantissima beneficiorum suorum dote
ditaverat. Quid enim rectius aut quid dignius,
quam ut quibus per munera sua Dominus quasi
specialiter videbatur placere voluisse, iidem quo-
que specialius Domino cultu ac religione placuis-
sent; præsertim cum a nobis Deus nil onerosum,
nil grave exigat? Non enim nos ad aratra aut ad
P.152. ligones vocat, non ad scindendas terras neque ad
vineas pastinandas, non denique illa exigit a ser-
vis suis quæ nos exigimus a nostris. Quid nam-
que ait? [a] *Venite ad me omnes qui laboratis &
onerati estis, & ego vos reficiam. Tollite jugum
meum super vos, & discite a me, quia mitis sum
& humilis corde: & invenietis requiem animabus
vestris. Jugum enim meum suave est, & onus
meum leve*. Non ergo nos ad laborem vocat Do-
minus, sed ad refectionem. Quid namque a nobis
exigit, quid præstari sibi a nobis jubet nisi solam
tantummodo fidem, castitatem, humilitatem, so-
brietatem, misericordiam, sanctitatem; quæ uti-
que omnia non onerant nos, sed ornant? Nec so-
lum hoc; sed ideo vitam præsentem ornant ut fu-
turam ornare plus possint. O bonum, o pium,
o inæstimabilis misericordiæ Dominum, qui ad hoc
nobis in præsenti religionis munera tribuit, ut ipsa
in nobis postea quæ nunc dat munera muneretur.
Tales igitur etiam omnes absque dubio Aquitani
esse debuerant. Et quidem, ut diximus, specia-
lius tales, quia specialia Dei munera possidebant.
Et quid post hæc omnia? quid secutum est? quid,
nisi cuncta quæ e diverso sunt? In omnibus quip-
pe Galliis, sicut divitiis primi fuere, sic vitiis.
Nusquam enim improbior voluptas, nusquam in-
quinatior vita, nusquam corruptior disciplina.
Hanc pro muneribus sacris dederunt Domino re-
tributionem, ut in quantum eos beneficiis suis ille
ad se inlexerat ad propitiandum, in tantum illi
flagitiis suis laboraverint ad exacerbandum.

III. An forte falsum est, & invidiose potius
quam vere ista dicuntur? * Non oratoria probatio-
ne, qua uti alii in caussis solent, utar ut produ-
cam quoscumque ad probandum aut paucos aut ex-
P.153. traneos aut minus idoneos testes. Ipsos interroge-
mus a quibus acta sunt. Falsum diximus, si ne-
gaverint. Fatentur enim; & quidem, quod est
gravius, sic fatentur ut in ipsa confessione non do-
leant. Idem enim nunc est animus in fatentibus,
qui in agentibus fuit. Sicut tunc non puduit flagi-
tia committere, sic nunc omnino non pœnitet fla-
gitiosa fecisse. Exceptis tamen perpaucis ferme
sanctis atque insignibus viris, qui, ut quidam de
numero ipsorum ait, *sparsis redemerunt crimina num-
mis*; exceptis, inquam, his quos loquor, quos
utique etiam in illa tunc generali admodum collu-
vione vitiorum recte minorum criminum reos fuis-
se credimus qui corrigi a divinitate meruerunt.
Non penitus enim dominum suum lædit, cui pro-
pitiatio reservatur. Et quid plura? Puto quod
semper Deum & in ipso errore respexerit, a quo
hoc obtinere potuit ne diutius erraret. Ceteri au-
tem & plurimi ferme ac nobilissimi, prope idem
omnes; pæne unus gurges, omnium gula; pæne
unum lupanar, omnium vita. Et quid dicam de

A lupanaribus? Minoris quippe esse criminis etiam lu-
panar puto. Meretrices enim quæ illic sunt, fœ-
dus connubiale non norunt, ac per hoc non ma-
culant quod ignorant. Impudicitiæ quidem piaculo
sunt obnoxiæ, sed reatu tamen adulterii non te-
nentur. Adde huc, quod & pauca ferme sunt lu-
panaria, & paucæ quæ in his vitam infelicissi-
mam * damnavere meretrices. Apud Aquitanicos
vero, quæ civitas in locupletissima ac nobilissima
sui parte non quasi lupanar fuit? Quis potentum
ac divitum non in luto libidinis vixit? Quis non
se barathro sordidissime colluvionis immersit? Quis
conjugi fidem reddidit? immo, quantum ad passi-
vitatem libidinis pertinet, quis non conjugem in P.154.
B numerum ancillarum redegit, & ad hoc venerabi-
lis connubii sacramenta dejecit ut nulla in domo
ejus vilior videretur in maritali despectione, quam
quæ erat princeps * matrimonii dignitate?

IV. Cogitat forte aliquis non ita ad plenum es-
se ut loquor: habuisse enim illic matresfamilias
jus suum, & dominarum honorem potestatemque
tenuisse. Verum est. Habuerunt quidem multæ
integrum jus dominii, sed nulla ferme impollutum
jus matrimonii. Et nos modo non quærimus quæ
mulierum potestas, sed quam corrupta virorum
fuerit disciplina. Quamvis nec potestatem quidem
illic matresfamilias integram habuisse dicam: quia
C quæcumque jus connubii inviolatum ac salvum
non habet, nec dominii salvum habet. Haud mul-
tum enim matrona abest a vilitate servarum, ubi
paterfamilias ancillarum maritus est. Quis autem
Aquitanorum divitum non hoc fuit? Quem non
sibi ancillæ impudicissimæ aut adulterum aut ma-
ritum jure dixerunt? [b] *Equi enim emissarii*, ut
Propheta ait, *in feminas facti sunt. Unusquisque
enim ad uxorem proximi sui hinniebat*. Atque illi
de quibus hæc scripta legimus, & minore fortasse
crimine & minore, ut reor, numero criminum ac
passivitate peccabant. Hi autem vere ut emissarii
equi, non ad paucas tantum, sed pæne ad omnes
vernulas suas, id est, quasi ad greges proprios
D hinniebant; & in morem eorum pecudum qui ma-
riti gregum appellantur, fervidæ libidinis debac-
chatione grassantes, in quamcunque eos primum
feminam ardens impudicitiæ furor traxerat inrue-
bant. Heic jam quæro a sapientibus, cum hæc ita
essent, quales putent fuisse illic familias, ubi tales
erant patresfamilias? quanta servorum illic corru- P.155.
ptela, ubi dominorum tanta corruptio? Morbido
enim capite, nil sanum est; neque ullum omnino
membrum officio suo fungitur ubi quod est princi-
pale non constat. In domo autem sua dominus
quasi corporis sui caput est; & vita ejus, cunctis
norma vivendi. Pessimumque hoc est in hoc ne-
gotio, quod libentius omnes deteriora sectantur;
E & facilius mala institutio depravat bonos, quam
bona emendat malos. Porro autem cum etiam bo-
ni atque honesti patresfamilias famulos bonos face-
re non possint; quantam illic putamus fuisse labem
familiarum, ubi domini erant impuritatis exem-
plum? quamvis non exemplum illic tantummodo
malum fuerit, sed vis ac necessitas quædam: quia
parere impudicissimis dominis famulæ cogebantur
invitæ, & libido dominantium necessitas subjecta-
rum erat. Ex quo intelligi potest quantum cœ-
num impudicarum sordium fuerit, ubi sub impuris-
simis dominis castas esse, etiamsi voluissent, femi-
nas non licebat.

a Matth. XI. 28-30. b Jer. V. 8.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

V. Sed videlicet difficile hoc probari poteſt, & nulla omnino exſtant præteritarum turpitudinum flagitiorumque veſtigia. Ecce etiam nunc multi ex eis, licet patria careant, & in comparatione præteritarum opum pauperes vivant, pejores ferme ſunt quam fuerunt. Pejores autem, non uno modo: quia etſi eadem faciunt quæ ante faciebant, hoc ipſo tamen deteriores ſunt quia a ſcelere non ceſſant. Siquidem facinora eorum, etſi genere ipſo majora non ſint, attamen plura ſunt; ac per hoc etſi criminum novitate non creſcunt, pluralitate cumulantur. Adde autem quod hæc, ut dixi, faciunt jam ſenes, adde quod pauperes. Utrumque P.156. enim ſceleris augmentum eſt. Minus ſiquidem prodigioſum eſt peccare juvenes, peccare locupletes. Quæ autem in iis ſpes aut remedium eſt, qui ab uſitata impuritate nec miſeriarum egeſtate nec vitæ extremitate revocantur? Eſto enim quoſdam aut ſtulta * præſumtio longæ vitæ aut ſpes quandoque agendæ pœnitentiæ conſoletur; nonne novum hoc monſtri genus eſt, eſſe aliquos etiam in morte vitioſos? Quæ cum ita ſint, numquid eſt aliquid quod dici amplius poſſit? Sed adhuc tamen addimus: ſcilicet quod multi hæc agunt hodie etiam inter hoſtes ſiti, & quotidiano diſcrimine ac timore captivi; cumque ob impuriſſimam vitam traditi a Deo barbaris fuerint, impuritates tamen ipſas etiam inter barbaros non relinquunt.

VI. Sed tales forte hoſtes ſunt inter quos agunt, ut eos iſta delectent & offendantur graviſſime ſi, cum ipſi impudici ſint, videant caſtos eſſe Romanos. Quod ſi ita eſſet, nequaquam tamen facere nos improbos improbitas deberet aliena: quia quemlibet hominum magis ſibi præſtare convenit ut ſit bonus, quam alteri ut ſit malus; & plus id laborandum eſt ut placeamus Deo per honeſtatem, quam ut hominibus per impuritatem: ac perinde etiam ſi inter impudicos quis barbaros vivat, magis tamen pudicitiam ſequi debet quæ ſibi expedit, quam impudicitiam quæ impuris hoſtibus placet. Sed quid accedit inſuper ad mala noſtra? Inter pudicos barbaros impudici ſumus. Plus adhuc dico: offenduntur barbari ipſi impuritatibus noſtris. Eſſe inter Gothos non licet ſcortatorem Gothum: ſoli inter eos præjudicio nationis ac nominis permittuntur impuri eſſe Romani. Et quæ nobis rogo ſpes ante Deum eſt? Impudicitiam nos P.157. diligimus, Gothi exſecrantur; puritatem nos fugimus, illi amant; fornicatio apud illos crimen atque diſcrimen eſt, apud nos decus. Et putamus nos ante Deum poſſe conſiſtere; putamus poſſe nos ſalvos eſſe, quando omne impuritatis ſcelus, omnis impudicitiæ turpitudo a Romanis admittitur & a barbaris vindicatur? Heic nunc illos requiro qui meliores nos putant eſse quam barbaros: dicant quid horum vel pauciſſimi Gothi faciant, vel quid non horum Romani omnes vel pæne omnes? Et miramur ſi terræ vel Aquitanorum vel noſtrorum omnium a Deo barbaris datæ ſunt, cum eas quas Romani polluerant fornicatione, nunc mundent barbari caſtitate?

VII. Sed forte hoc in Aquitanicis tantum? Tranſeamus etiam ad alias mundi partes, ne de ſolis tantummodo Gallis dixiſse videamur. Quid? Hiſpanias nonne vel eadem vel majora forſitan vitia perdiderunt? quas quidem cæleſtis ira etiam ſi aliis quibuslibet barbaris tradidiſset, digna flagitiorum tormenta toleraverunt puritatis inimici. Sed acceſſit hoc ad manifeſtandum illic impudicitiæ damnationem ut Wandalis potiſſimum, id eſt, pudicis barbaris traderentur. Dupliciter in illa Hiſpanorum captivitate oſtendere Deus voluit, quantum & odiſſet carnis libidinem & diligeret caſtitatem, cum & Wandalos ob ſolam maxime pudicitiam ſuperponeret, & Hiſpanos ob ſolam vel maxime impudicitiam ſubjugaret. Quid enim? Numquid non erant in omni orbe terrarum barbari fortiores, quibus Hiſpaniæ traderentur? Multi abſque dubio, immo ni fallor, omnes. Sed ideo ille infirmiſſimis hoſtibus cuncta tradidit, ut oſtenderet, ſcilicet non vires valere, ſed cauſſam; neque nos tunc ignaviſſi- P.158. morum quondam hoſtium fortitudine obrui, ſed ſola vitiorum noſtrorum impuritate ſuperari. Ut vere in nos venerit dictum illud, quo ait Dominus ad Judæos: [a] *Secundum immunditias ſuas & ſecundum iniquitates ſuas feci illis, & averti faciem meam ab eis*. Et alibi ad gentem ipſam: [b] *Adducet Dominus ſuper te gentem de longinquo*: [c] *& ungulis*, inquit, *equorum ſuorum omnes plateas tuas conculcabunt, & populum tuum gladio interficient*. Completa ergo in nos ſunt omnia quæ dixit ſermo divinus, & vim verborum cæleſtium luit pœna cunctorum.

VIII. Sed tamen cum omnes fere barbaræ gentes Romanorum ſanguinem biberint, omnes viſcera noſtra laceraverint; quid eſt quod Deus noſter maximas rei publicæ opes & locupletiſſimos Romani nominis populos in jus potiſſimum ignaviſſimorum quondam hoſtium dedit? Quid? niſi ut agnoſceremus ſcilicet quod ſupra dixi, meritorum hoc fuiſſe, non virium, utque ipſum hoc nobis in confuſionem caderet ac pœnam quod ignaviſſimis traderemur, & vel ſic plagam cæleſtis manus agnoſceremus; quia nos non fortiſſimi hoſtium, ſed ignaviſſimi, ſubjugarent. Sic enim legimus, quod ſi quando evidenter intelligi Deus voluit magna opera a ſe patrari, aut per paucos aut per infirmos acta res eſt; ne opus cæleſtis dexteræ virtuti aſſignaretur humanæ. Ideo ſiquidem & [d] dux Siſara quem Hebræus tremebat exercitus, a muliere proſtratus eſt: [e] & Abimelech civitatum expugnatorem feminea manus perculit: [f] & ferratæ Aſſyriorum acies vidua opitulante ceciderunt. Et ne de ſolis tantum feminis loquar, Benadab regem Syriæ [g], cui præter innumera populi ſui millia, triginta & duo reges exercituſque ejuſdem numeri ſerviebant; nonne ideo a P.159. paucis principum pediſſequis Dominus vinci voluit, ut qui eſſet auctor talis victoriæ noſceretur? Contra Madianitas quoque, qui, ut liber Judicum refert [h], inſtar locuſtarum cuncta compleverant, Gedeon jubetur pugnare cum paucis; non quia plures in exercitu non haberet, ſed vetatur multos ad bellum ducere, ne multitudo ſibi poſſet aliquid de victoria vindicare. Unde cum triginta armatorum millia congregaſſet, ſic ad eum Dominus locutus eſt: *Multus eſt tecum populus, nec tradetur Madian in manus ejus*. Et quid poſtea? Homini adverſum innumera barbarorum millia pugnaturo trecentos tantum viros reliquit. In eam quippe exiguitatem redigi agmen militum juſſit, ut ſibi de patrato divinitus belli opere paucitas uſurpare nihil poſſet. Denique cur hoc Dominus ita faceret, ipſe evidentiſſime declaravit dicens: *Ne glorietur contra me Iſrael, & dicat, Meis viribus liberatus ſum*. Audiant inquam hoc omnes improbi, audiant omnes præſumtuoſi, audiant præpotentes, audiant

a Ezech. XXXIX. 24. *b* Deut. XXVIII. 49. *c* Ezech. XXVI. 11. *d* Jud. IV. 21. *e* Jud. IX. *f* Judith XIII. 10. *g* III. Reg. XX. 1 - 20. *h* Jud. VII. 12. ſeqq.



cuncti quid Deus dicit: *Ne glorietur*, inquit, *contra me Israel*, *& dicat*, *Meis viribus liberatus sum*.

IX. Audiant hoc inquam omnes contraria & blasphema jactantes; audiant hæc spem suam in homine ponentes. Loqui universos adversum se Deus dicit, qui liberari se viribus suis posse præsumunt. Quis autem est Romanorum non ita dicens, quis est non ita sentiens? Quis nostræ partis non prope jugiter in hac parte blasphemat? Nullas esse jam rei publicæ vires omnium conscientiæ est: & nec sic quidem agnoscimus cujus hoc beneficiis, quod adhuc vivimus, debeamus. Si quando enim nobis prosperi aliquid præter spem nostram & meritum
P.160. Deus tribuit, alius hoc adscribit fortunæ, alius eventui, alius ordinationi ducum, alius consilio, alius magistro, alius patrocinio, nullus Deo. Et miramur si nobis cælestis manus aliqua non præstet, cui quidquid præstiterit derogamus? Quid enim aliud facimus cum bona quæ præstat, nos vel eventibus casuum, vel virtutibus ducum, vel quibuscumque aliis rebus frivolis deputamus? Hoc enim modo & terris nos oporteret gratias agere quod fruges annuas metimus, & vineis quod vindemiamus, & mari quod pisces capimus, & silvis quod ligna cædimus, & ovibus quod veste tegimur, & pecudibus ceteris quod carne saturamur. Nam quæ ratio est ut ei pro muneribus aliis grati esse velimus, cui maximorum beneficiorum suorum gratiam derogamus? Aut quis contentus est homo nostræ conditionis, ut ei quis acceptum quippiam referat, cui de donis suis summa detraxerit? Ita & nos, licet Deo in nullo digne gratias agamus, parum tamen erat si pro his tantummodo grati esse vellemus quæ nobis ad usum vivendi dedit. Cur hanc gratiam tollimus quod nos & in angustiis juvat, & in periculis liberat, & in medio barbararum gentium sitos jugi protectione conservat? At non ita Gothi, non ita Wandali, malis licet doctoribus instituti, meliores tamen etiam in hac parte quam nostri. Offendi quamvis quosdam suspicer his quæ dicimus: sed quia veritas magis quam offensio cogitanda est, dicam, & sæpe dicam: Non ita Gothi, non ita Wandali; qui & in discrimine positi, opem a Deo postulant, & prosperitates suas munus divinitatis appellant. Denique probavit hoc, illo proximo, infelicitas nostra. Cum enim * Go-
P.161. thi metuerent, præsumebamus nos in Chunis spem ponere, illi in Deo: cum pax ab illis postularetur, a nobis negaretur; illi episcopos mitterent, nos repelleremus; illi etiam * in alienis sacerdotibus Deum honorarent, nos etiam in nostris contemneremus. Prout actus utriusque partis, ita & rerum terminus fuit. Illis data est in summo timore palma, nobis in summa elatione confusio. Ut vere & in nobis tunc & in illis evidenter probatum sit illud Domini nostri dictum: [a] *Quoniam qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur*. Illis enim exaltatio data est pro humilitate, nobis pro elatione dejectio.

X. Itaque agnovit hoc ille * dux nostræ partis, qui eamdem urbem hostium quam eodem die victorem se intraturum esse præsumsit, captivus intravit. Probavit scilicet quod Propheta dixit: [b] *Quia non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet & dirigat gressus suos*. Nam quia viam suam juris sui existimavit, nec gressum directionis habuit, nec viam salutis invenit: [c] *Effusa est*, ut legimus, *abjectio super principem*, *seductus est in invio*, *& non in via*; [d] *& ad nihilum deductus est*, *velut aqua decurrens*. In quo quidem, præter ipsam rerum infelicitatem, præsens judicium Dei patuit; ut quidquid facturum se usurparat, ipse pateretur. Nam quia sine divinitatis auxilio ac Dei nutu capiendum a se hostem credidit, ipse captus est: consilii ac sapientiæ summam usurpavit, ignominiam temeritatis incurrit: vincla quæ aliis paravit, ipse sustinuit. Et quod, rogo, evidentius Dei judicium esse potuit quam ut habens prædatoris fiduciam, præda fieret, triumphum præsumens, triumphus esset, circumdaretur, corriperetur, alligaretur, retorta tergo brachia gereret, manus quas bellicosas putabat, vinctas videret, puerorum ac P.162. mulierum spectaculum fieret, inludentes sibi barbaros cerneret, inrisionem sexus promiscui sustineret, & qui maximum habuerat supercilium fortis viri, mortem subiret ignavi? Atque utinam hoc ipsum breve remedium malorum esset, non diurna toleratio. Ille autem, quantum ad * pœnarum magnitudinem pertinet, * longo tempore & diuturna in ergastulo barbarorum tabe consumtus, in hanc miseriam redactus est ut, quod plerumque homines etiam pœnis ipsis gravius atque acerbius putant, in miserationem hostium deveniret. Et hoc cur? Cur absque dubio, nisi quia, ut jam dixi, illi Deo humiles, nos rebelles; illi crediderunt in manu Dei esse victoriam, nos in manu nostra, immo in sacrilega atque impia: quod est pejus nocentiusque quam nostra? Denique ipse * rex hostium, quantum res prodidit ac probavit, usque ad ad diem pugnæ stratus cilicio preces fudit, ante bellum in oratione jacuit, ad bellum de oratione surrexit. Prius quam pugnam manu capesseret, supplicatione pugnavit; & ideo fidens processit ad pugnam, quia jam meruerat in oratione victoriam.

XI. Non dissimiliter autem illud etiam apud * Wandalos: ad quos cum in Hispania sitos nostra pars pergeret, tantamque ad debellandos eos præsumtionis fiduciam ferret quantam etiam proxime ad Gothos, pari superbiæ fastu, pari exitu corruerunt. Venitque super exercitum nostrum illud Prophetæ dictum: [e] *Obruet Dominus confidentiam tuam*, *& nihil habebis prosperum*. Confidebamus enim in sapientia nostra & fortitudine contra Dei mandata dicentis: [f] *Non glorietur sapiens in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua; sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego sum Dominus*. Non immerito itaque victi P.163. sumus: ad meliora enim se illi subsidia contulere, quam nostri. Nam cum armis nos atque auxiliis superbiremus, a parte hostium nobis liber divinæ legis occurrit. Ad hanc enim præcipue opem timor & perturbatio tunc Wandalica confugit, ut seriem nobis cælestis eloquii opponeret & adversum venientes æmulos suos sacri voluminis scripta quasi ipsa quodammodo divinitatis ora reseraret. Heic nunc requiro, quis hoc umquam a nostris partibus fecerit, aut quis non irrisus [1] fuerat si putasset esse faciendum? inrisus, utique, sicut a nostris omnia ferme religiosa ridentur. Et ideo quid prodesse nobis prærogativa illa religiosi nominis potest, quod nos catholicos esse dicimus, quod fideles esse jactamus, quod Gothos ac Wandalos hæretici nominis exprobratione despicimus, cum ipsi hæretica pravi-

a Luc. XIV. 11. *b* Prov. XVI. 9. & XX. 24. *c* Psalm. CVI. 40. *d* Psalm. LVII. 8. *e* Jer. II. 37. *f* Jer. IX. 23. 24.

1. *Fuerat*] Forte *fuerit*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

tate vivamus? Itaque rectissime nobis dicitur illud quod Judæis in lege fidentibus dixit sermo divinus: [a] *Quomodo dicitis: sapientes sumus, & lex Domini nobiscum est?* [b] *Nolite*, inquit, *confidere in verbis mendacii dicentes, Templum Domini, templum Domini, templum Domini est. Quoniam si bene direxeritis vias vestras & studia vestra, & advenæ & pupillo & viduæ non feceritis calumniam, nec sanguinem innocentem effuderitis in loco hoc; habitabo vobiscum in loco isto a sæculo usque in sæculum.* Quo utique ostenditur quod si ista non facimus, superflue nobis catholici nominis præsumtione plaudamus. Sed hinc jam & superius satis dictum est, & adhuc fortasse dicetur; nec opus est ut de hoc amplius differamus, ubi Dei juge judi- P.164. cium est. Quid enim vel de nobis vel de Gothis ac Wandalis Deus judicet, res probat. Illi crescunt quotidie, nos decrescimus; illi proficiunt, nos humiliamur; illi florent, & nos arescimus. Ut vere in nos veniat dictum illud, quod de Saul & David ait sermo divinus: [c] *Quia David erat proficiens, & semper se ipso robustior: domus autem Saul decrescens quotidie.* Justus enim, ut Propheta ait [d], justus est Dominus, & rectum judicium suum.

XII. Judicamur itaque etiam præsente judicio a Deo; ideo excitata est in perniciem ac dedecus nostrum gens quæ de loco in locum pergens, * de urbe in urbem transiens, universa vastaret. Ac primum a solo patrio effusa est in Germaniam primam, nomine barbaram, ditione Romanam; post cujus exitium primum arsit regio Belgarum, deinde opes Aquitanorum luxuriantium, & post hæc, corpus omnium Galliarum: sed paullatim id ipsum tamen; ut dum pars clade cæditur, pars exemplo emendaretur. Sed ubi apud nos emendatio, aut quæ pars Romani orbis, quamvis afflicta, corrigitur? [e] *Omnes enim*, ut legimus, *declinaverunt, simul inutiles facti sunt.* Et ideo Propheta ad Dominum clamat & dicit: [f] *Percussisti eos, & non doluerunt; attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam. * Induraverunt facies suas super petram, & noluerunt reverti.* Quam vere autem etiam hoc in nos cadat, res ipsa indicat. Vastata est diu Gallia. Ergo emendata est, cum in vicino esset, Hispania. Nec immerito, quia nullus erat omnino timor: nulla correctio, flammis quibus arserant Galli, Hispani ardere cœperunt. In quo illud est, ut supra dixi, sceleratissimum & gravissimum, quod cum arserint, ut ita dicam, membra hominum pec- P.165. catorum, curata non sunt vitia peccantium. Et ideo compulsus est criminibus nostris Deus, ut hostiles plagas de loco in locum, de urbe in urbem spargeret, & excitatas pæne ab ultimis terræ finibus gentes etiam trans mare mitteret quæ Afrorum scelera punirent. Quid enim? Numquid abductæ a solo patrio degere intra Gallias non poterant? aut ut non degerent quem timebant, quæ inlæsæ a nobis usque ad tempus illud cuncta vastaverant? Sed esto, intra Gallias formidabant. Quid in Hispania, ubi etiam exercitus nostros bellando contriverant? Numquid consistere aut permanere metuebant jam victores, jam triumphantes, quibus usque ad hunc fortitudinis fastum contigerat ascendere, ut post experimenta belli diu parati intelligerent sibi Romanæ rei publicæ vires etiam cum barbarorum auxiliis pares esse non posse?

XIII. Potuerant ergo illic degere, nec timebant. Sed illa utique cælestis manus quæ eos ad puniendа Hispanorum flagitia illuc traxerat, etiam * ad vastandam Africam transire cogebat. Ipsi denique fatebantur non suum esse quod facerent, agi enim se divino jussu ac perurgeri. Ex quo intelligi potest quanta sint mala nostra, ad quos vastandos atque cruciandos ire barbari compelluntur inviti, secundum illud scilicet quod vastator terræ Israeliticæ rex Assyriorum ait: [g] *Numquid sine Domini voluntate ascendi ad locum istum? Dominus dixit mihi: Ascende ad terram hanc, & demolire eam.* Et alibi sacer sermo: [h] *Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Ecce ego mittam & assumam Nabuchodonosor regem Babylonis servum meum,* [i] *veniensque percutiet terram Ægypti.* Unde agnoscere possumus cuncta quidem quæ adfliguntur, judicio Dei percuti; sed tamen, ut sæpe memoravi, P.166 propter peccata subverti. Ac per hoc quidquid actum est, peccatis, non Deo adscribendum; quia recte illi rei factum adscribitur, quæ * ut quid fieret exegit. Nam & homicida, cum a judice occiditur, suo scelere punitur; & latro aut sacrilegus, cum flammis exuritur, suis criminibus concrematur. Unde & quod Wandali ad Africam transierunt, non est divinæ severitati, sed Afrorum sceleri deputandum. Gravi enim eos, ante quam illuc pergerent, ac longa iniquitate traxerunt. Et ideo intelligere debemus quia pietatis divinæ fuit, quod * pœnam diu debitam distulit; piaculorum autem & criminum, quod aliquando peccator populus quæ merebatur excepit. Nisi forte Afros hoc non meruisse credimus, cum utique nulli magis, utpote in quos omnia simul improbitatum atque impuritatum genera confluxerint. Ceteri enim homines, etsi nonnullis vitiorum flagitiis obligati sunt, quibusdam tamen non implicantur; etsi violentia non carent, malevolentia carent; etsi libidine æstuant, rapacitate non sæviunt; multos denique etsi accusat incontinentia corporum, simplicitas commendat animorum. In Afris vero pæne omnibus nihil horum est quod ad utrumque pertineat, id est, bonum æque ac malum, quia totum admodum malum. Adeo exclusa naturæ originalis sinceritate, aliam quodam modo in his naturam vitia fecerunt.

XIV. Exceptis enim paucissimis Dei servis, quid fuit totum Africæ territorium quam domus una vitiorum, æneo illi similis de quo propheta dicit: [k] *O civitas sanguinum!* [1] *Æneum in quo est ærugo, non exiet de eo, quia sanguis non exiet de eo.* Civitatem, ut videmus, æneo & iniquitatem sanguini comparavit: ut intelligamus scilicet sic esse P.167. in civitate populi iniquitatem sicut in æneo sanguinem bullientem. Non dissimile autem est huic illud sermonis sacri: [l] *Factæ sunt mihi domus Israel commixtæ omnes æramento & ferro & stagno & plumbo, & in medio argentum permixtum est. Propterea dic hæc: Sic dicit Dominus Deus: Pro eo quod facti estis omnes in permixtionem unam, conflabo vos & insufflabo in vos in igne iræ.* Dissimillima inter se genera metallorum sacer sermo memoravit. Et quomodo in eodem conflatorio res diversæ conflantur? Scilicet quia in diversitatibus metallorum dissimilitudo hominum designatur. Et ideo etiam argentum, id est, nobilioris materiæ metallum, iisdem ignibus datur, quia naturæ no-

a Jer. VIII. 7. *b* Jer. VII. 4-7. *c* II. Reg. III. 1. *d* Psalm. CXVIII. 137. *e* Psalm. XIII. 3. *f* Jer. V. 3. *g* Isa. XXXVI. 10. *h* Jer. XXV. 9. *i* Jer. XLIII. 11. *k* Ezech. XXIV. 6. *l* Ezech. XXII. 18-21.

1. *Æneum*] Forte scripserit Salvianus *ahenum*. Vulg. *Ezech.* XXVI. 6. *Væ civitati sanguinum*, OLLÆ *cujus rubigo in ea est.*

hilioris ingenium vita degenerante damnatur. Sicut etiam de principe Tyri dixisse legimus Dominum per prophetam : [a] *Fili hominis, accipe lamentum super principem Tyri, & dic illi : Hæc dicit Dominus Deus : Tu consignatio similitudinis & corona decoris in deliciis paradisi fuisti : omnem lapidem optimum indutus es, sardium, & topazium, & smaragdum*. Et iterum : [b] *Argento*, inquit, *& auro implesti thesauros tuos : a multitudine negotiationis implesti promtuaria tua*. Quæ omnia numquid non talia sunt, ut specialiter de Afris dicta videantur ? Ubi enim majores thesauri, ubi major negotiatio, ubi promtuaria pleniora? *Auro*, inquit, *implesti thesauros tuos a multitudine negotiationis tuæ*. Ego plus addo, tam divitem quondam Africam fuisse, ut mihi copia negotiationis suæ non suos tantum, sed etiam mundi thesauros videatur
P.168. implesse. Et quid post hæc? [c] *Exaltatum est*, inquit, *cor tuum in decore tuo : propter multitudinem peccatorum tuorum in terram te projeci*. Quomodo Africanæ potentiæ & hoc competit, aut quomodo projecta esse videtur in terram? Quomodo, nisi quia quando amisit potentiæ veteris altitudinem, quasi cælestem perdidit dignitatem? [d] *Et ducam*, inquit, *ignem de medio tui : hic te devorabit*. Quid hac re verius? De media quippe eorum iniquitate ignis peccati exiit, qui felicitatem prioris temporis devoravit. [e] *Et omnes*, inquit, *qui te noverunt inter nationes, contristabuntur super te*. Convenire illis hoc non putemus, si non eversio Africani soli luctus est generis humani. [f] *Perditio*, inquit, *factus es, & non eris amplius in æternum*. In perditionem illic jam deducta omnia satis constat. Superest ne malorum præsentium pœnas etiam æternorum continuatio consequatur.

XV. Non patiatur hoc autem pro affectu suæ misericordiæ Deus. Nam quantum ad meritum nostrorum criminum pertinet, ita se res habet, ut pati posse videatur. Quid enim piaculorum est non illic semper admissum? Nec de omnibus dico; quia & enormia fere sunt, & sciri ac dici tanta non possunt. De sola vel maxime obscenitate impuritatum loquor, & quod est gravius, sacrilegiorum. Prætermitto in aliquo rabiem cupiditatis, vitium totius generis humani. Prætereo avaritiæ inhumanitatem, quod proprium est Romanorum pæne omnium malum. Relinquatur ebrietas, nobilibus ignobilibusque communis. Taceatur superbia & tumor. Tam peculiare hoc divitum regnum est, ut aliquid forsitan de jure suo se putent perdere, si hinc sibi alius quidquam voluerit vindicare. Trans-
P.169. eatur denique prope omne fraudum, falsitatum, perjuriorum nefas. Nulla umquam his malis Romana civitas caruit. Etsi specialius hoc scelus Afrorum omnium fuit. Nam sicut in sentinam profundæ navis colluviones omnium sordium, sic in mores eorum quasi ex omni mundo vitia fluxerunt. Nullam enim improbitatem scio quæ illic non redundaverit; cum utique etiam paganæ ac feræ gentes etsi habeant specialiter mala propria, non sint tamen in his omnia exsecratione digna. Gothorum gens perfida, sed pudica est; Alanorum impudica, sed minus perfida; Franci mendaces, sed hospitales; Saxones crudelitate efferi, sed castitate mirandi. Omnes denique gentes habent, sicut peculiaria mala, ita etiam quædam bona. In Afris pæne omnibus nescio quid non malum. Si accusanda est inhumanitas, inhumani sunt; si ebrietas, ebriosi; si falsitas, fallacissimi; si dolus, fraudulentissi-

A mi; si cupiditas, cupidissimi; si perfidia, perfidissimi. Impuritas eorum atque blasphemia his omnibus admiscenda non sunt: quia illis quæ supra diximus malis, aliorum gentium vitia; his autem etiam sua ipsa vicerunt.

XVI. Ac primum ut de impuritate dicamus, quis nescit Africam totam obscenis libidinum tædis semper arsisse, non ut terram ac sedem hominum, sed ut Æthnam putes impudicarum fuisse flammarum? Nam sicut Æthna intestinis quibusdam naturæ ferventis ardoribus, sic illa abominandis jugiter fornicationum ignibus æstuavit. Nec volo in hac re adsertionibus meis credi : testimo-
B nium requiratur generis humani. Quis non omnes omnino Afros generaliter sciat impudicos, nisi ad Deum forte conversos, id est, fide ac religione mutatos? Sed hoc tam rarum est ac novum, quam ratum videri potest quemlibet * Gajum non esse P.170.
Gajum, aut quemcumque Sejum non esse Sejum. Tam infrequens enim est hoc & inusitatum, impudicum non esse Afrum, quam novum & inauditum, Afrum non esse Afrum. Ita enim generale in eis malum impuritatis est, ut quicumque ex eis impudicus esse desierit, Afer non esse videatur. Nec discurram per loca singula, aut cunctas discutiam civitates ; ne studiose videar quærere atque investigare quæ dicam. Una tantum univer-
C sarum illic urbium principe & quasi matre contentus sum, illa scilicet Romanis arcibus semper æmula, armis quondam & fortitudine, post splendore & dignitate. Carthaginem dico, & urbi Romæ maxime adversariam, & in Africano orbe quasi Romam : quæ mihi ideo in exemplum ac testimonia sola sufficit, quia universa penitus quibus in toto mundo disciplina rei publicæ vel procuratur vel regitur, in se habuit. Illic enim omnia officiorum publicorum instrumenta, illic artium liberalium scholæ, illic philosophorum officinæ, cuncta denique vel linguarum gymnasia vel morum : illic quoque etiam copiæ militares, & regentes militiam potestates : illic honor proconsularis : illic
D quotidianus judex & rector ; quantum ad nomen quidem proconsul, sed quantum ad potentiam consul : illic denique omnes rerum dispensatores, & differentes inter se tam gradu quam vocabulo dignitates ; omnium, ut ita dicam, platearum & compitorum procuratores, cuncta ferme & loca urbis & membra populi gubernantes. Hac ergo tantum contenti sumus ad exemplum ac testimonium ceterarum ; ut intelligamus scilicet quales illæ fuerint civitates quæ minores habuerunt probi officii procurationes, cum viderimus qualis exstiterit ubi summi semper fuere rectores. Quo loco prope est P.171.
ut pœniteat me promissionis meæ, id est, quod superius spopondi, cunctis prope Afrorum crimini-
E bus prætermissis, de impuritatibus præcipue ac blasphemiis eorum esse dicturum. Video enim quasi scaturientem vitiis civitatem, video urbem omnium iniquitatum genere ferventem, plenam quidem turbis, sed magis turpitudinibus, plenam divitiis, sed magis vitiis, vincentes se invicem homines nequitia flagitiorum suorum, alios rapacitate, alios impuritate certantes, alios vino languidos, alios cruditate distentos, hos sertis redimitos, illos unguentis oblitos, cunctos vario luxus marcore perditos, sed pæne omnes una errorum morte prostratos, non omnes quidem vinolentia temulentos, sed omnes tamen peccatis ebrios. Populos putares non sani status, non sui sensus, non

a Ezech. xviii. 11-13. b Ibid. ℣℣. 4. 5. c Ibid. ℣. 17. d Ibid. ℣. 18. e Ibid. ℣. 19. f Ibid.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

animo incolumes; non gradu, quasi in morem * baccharum crapulæ catervatim inservientes. Jam vero illud cujusmodi aut quam grave, genere quidem dispar, sed iniquitate non dispar, nisi hoc dispar forte quia majus? Proscriptiones dico orphanorum, viduarum adflictiones, pauperum cruces: qui ingemiscentes quotidie ad Deum, ac finem malorum imprecantes, & quod gravissimum est, interdum vi nimiæ amaritudinis etiam adventum hostium postulantes, aliquando a Deo impetraverunt, ut eversionem tandem a barbaris in commune tolerarent, quam soli a Romanis ante toleraverant.

XVII. Sed esto: hæc omnia prætermittantur, quia & in omni ferme aguntur orbe Romano, & spopondi me de his malis hoc loco pauca dicturum. Quid ergo impudicitia atque impuritas de qua loquor, numquid non ad eversionem Afrorum sola suffecerat? Quæ enim fuit pars civitatis non plena sordibus, quæ intra urbem platea aut semita non lupanar? Adeo omnia pæne compita, omnes vias aut quasi foveæ libidinum interciderant, aut quasi retia prætexebant; ut etiam qui ab hac re penitus abhorrerent, tamen vitare vix possent. Latronum quodammodo excubias videres commeantium viatorum spolia captantes, qui insidiarum frequentium densitate ita omnes admodum calles, omnes anfractus ac diverticula sepsissent, ut nullus ferme tam cautus esset qui non in aliquos insidiarum laqueos incurreret, etiam qui se de plurimis expedisset. Fœtebant, ut ita dixerim, cuncti urbis illius cives cœno libidinis, spurcum sibimet ipsis mutuo impudicitiæ nidorem inhalantes. Sed horrori eis tamen horrida ista non erant, quia idem omnes horror infecerat. Unam illic putes fuisse libidinum fornicationumque sentinam, cœnum quasi ex omni platearum & cloacarum labe collectum. Et quæ illic spes esse poterat ubi, præter id quod in Domini templo erat, nihil videri penitus nisi sordidum licebat? Quamquam quid dicam in Dei templo? Hoc quippe totum ad sacerdotes tantum & clerum pertinet: quos * non discutio, quia Domini mei ministerio reverentiam servo; & quos ita solos puros fuisse arbitror in altario, sicut pereuntibus Sodomis solum Loth fuisse legimus in [a] in monte. Ceterum quantum ad plebem pertinet, quis in illo numero tam innumero castus fuit? castum dico. Quis non fornicarius, non adulter, & hoc sine cessatione, sine termino? Rursum clamitem itaque necesse est. Quæ spes in illo populo esse poterat, ubi cum unus interdum adulter * plebem ecclesiasticam polluat, ibi inter tot millia si diligentissime quæreres, castum vel in ecclesia invenire vix posses. Plus multo dicam. Utinam hæc essent sola quæ diximus, & contenta illic virorum impuritas fuisset solis sordidarum mulierum fornicationibus inquinari. Illud gravius & sceleстius, quod illa de quibus beatus Apostolus Paullus, cum summa animi lamentatione conqueritur [b], in Afris pæne omnia fuerunt; scilicet quia masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem exercentes, & mercedem quam oportuit erroris sui in semet ipsis recipientes. Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non convenit. Numquid hoc beatus Apostolus de barbaris ac feris gentibus dixit? non utique, sed de nobis, id est, specialiter de Romanis: quos quidem Afri, quia nequaquam olim vincere imperio ac sublimitate valuerunt, quod potuerunt unum, impuritate vicerunt. Quicumque ergo jure se mihi irasci putat, magis Apostolo irascatur: scilicet quia quod dicimus nos fuisse Afros, hoc ille dixit dominos eorum esse Romanos.

XVIII. Sed forte vel id occultum quod loquimur erat, aut saltem hoc providebant procuratores ne publicæ passim disciplinæ oculos civitatis scelera propalata polluerent. Quod si factum utique fuisset; quamvis multi exstitissent opere ipso sordidi, non omnes tamen fuerant visu atque animo sordidati; & solet satis res flagitiosa, quando agitur occulte, fidem facinoris non mereri. Supra omnem autem monstruosi piaculi exsecrationem est, scelus summum admittere & pudorem sceleris non habere. Quid rogo fieri illic prodigiosius potuit? In urbe Christiana, in urbe ecclesiastica, quam quondam doctrinis suis * Apostoli instituerant, quam passionibus suis martyres coronarant, viri in semet ipsis feminas profitebantur, & hoc sine pudoris umbraculo, sine ullo verecundiæ amictu: ac sic, quasi parum piaculi esset si malo illo malorum tantum inquinarentur auctores, per publicam sceleris professionem fiebat etiam scelus integræ civitatis. Videbat quippe hoc universa urbs, & patiebatur: videbant judices, & adquiescebant: populus videbat, & adplaudebat: ac sic diffuso per totam urbem dedecoris scelerisque consortio, etsi hoc commune omnibus non faciebat actus, commune omnibus faciebat adsensus. Sed finis aliquando forsitan mali aut emendatio aliqua labis istius fuit? Quis credere aut etiam audire possit convertisse in * muliebrem tolerantiam viros non usum tantum atque naturam, sed etiam vultum, incessum, habitum, & totum penitus quidquid aut in sexu est aut in usu viri: adeo versa in diversum omnia erant, ut cum viris nihil magis pudori esse oporteat quam si muliebre aliquid in se habere videantur; illic nihil viris quibusdam turpius videretur quam si in aliquo viri viderentur.

XIX. Sed paucorum hoc, inquis, dedecus fuit; & quod non a pluribus perpetratum est, cunctis nocere non potuit. Jam quidem supra dixi sæpissime, in Dei populo etiam unius facinus pestem fuisse multorum; sicut [c] ex furto Achar populus ruit, sicut [d] ex zelo Saulis orta est pestilentia, sicut [e] ex sancti David dinumeratione mortalitas. Ita est enim Dei ecclesia quasi oculus. Nam ut in oculum etiam si parva sordes incidat, totum lumen obcæcat, sic in * ecclesiastico corpore etiam si pauci sordida faciant, prope totum ecclesiastici splendoris lumen obfuscant. Et ideo Salvator ipse principalem ecclesiæ partem oculum nominavit dicens: [f] *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit*. Unde & Apostolus: [g] *Nescitis*, inquit, *quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* Quamvis ego illic non modicum de hoc malo sed nimis fuisse dicam; non quia molles plurimi fuerint, sed quia mollities paucorum, labes est plurimorum. Nam etsi pauci sunt qui dedecorosa sustineant, multi sunt qui paucorum sordibus polluantur. Sicut enim una meretrix multos fornicatores facit, sic plurimam populi partem inquinat paucorum effeminatorum abominanda permixtio. Et nescio qui eorum ante Deum deteriores sint, cum æquali in scriptis sacris sorte

a Gen. XIX. 30. *b* Rom. I. 23. seqq. *c* Josue VII. *d* I. Reg. XIX. *e* II. Reg. XXIV. *f* Matth. VI. 22. 23. *g* I. Cor. V. 6.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 445.



damnentur. [a] *Neque enim molles*, inquit; *neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt*. Illud ergo magis ingemiscendum atque lugendum est, quod tale hoc scelus crimen etiam totius rei publicæ videbatur, & universa Romani nominis dignitas facinoris prodigiosi inurebatur infamia. Cum enim muliebrem habitum viri sumerent, & magis quam mulieres gradum frangerent, cum indicia sibi quædam monstruosæ impuritatis innecterent, & femineis tegminum inligamentis capita velarent, atque hoc publice in * civitate Romana, urbe illic summa & celeberrima; quid aliud quam Romani imperii dedecus erat ut in medio rei publicæ sinu exse-
P.176. crandissimum nefas palam liceret admitti? Potestas quippe magna & potentissima, quæ inhibere scelus maximum potest, quasi probat debere fieri, si sciens patitur perpetrari. In cujus enim manu est ut prohibeat, jubet agi, si non prohibet admitti.

XX. Iterum, quia dolor exigit, ab his qui irascuntur requiro; in quibus hæc barbaris gentibus aut facta sunt umquam, aut fieri publica impunitate licuerit? Denique, ne longius de hac re ambigi aut investigari necesse sit, ipsos illos Africæ vastatores Afrorum populis comparemus. Videamus quid simile a Wandalis factum sit. Et certe barbari elatione tumidi, victoria superbi, divitiarum ac deliciarum affluentia dissoluti, qui profecto etiam si continentissimi & castissimi semper fuissent, mutari tamen tanta rerum obsecundantium felicitate potuerunt, ingressi scilicet, ut in divinis litteris scriptum est [b], terram lacte & melle manentem, fecundam, opulentissimam, omnium deliciarum copiis quasi ebriam; in qua utique minime mirum fuerat si luxuriasset gens barbara, ubi similis quodammodo luxurianti erat ipsa natura. Ingressos hæc loca Wandalos quis non putet omni se vitiorum atque impuritatum cœno immersisse, aut, ut levissime dicam, saltem illa fecisse quæ ab Afris jugiter facta fuerant, in quorum jura migrarant? Et certe si ea tantum, continentissimi ac modestissimi judicandi erant, quos non fecisset corruptiores ipsa felicitas. Quotus enim quisque sapientum est, quem secunda non mutent, cui non crescat cum prosperitate vitiositas? Ac per hoc temperatissimos fuisse Wandalos certum est, si quales illi fuerunt qui capti ac subjugati sunt, tales illi fuissent victores. Igitur in tanta affluentia rerum atque luxuria nul-
P.177. lus eorum mollis effectus est? Numquid parum videtur? Certe familiariter etiam nobiles hoc fuere Romani. Sed quid adhuc addo? Nullus vel qui Romanorum illic mollium pollueretur incestu? Certe hoc apud Romanos jam pridem tale existimatum est, ut virtus potius putaretur esse quam vitium, & illi se magis virilis fortitudinis esse crederent qui maxime viros feminei usus probrositate fregissent. Unde etiam illud fuit, quod lixis puerorum quondam exercitus prosequentibus, hæc quasi bene meritis expeditionibus stipendia laboris decernebantur ut quia viri fortes essent, viros in mulieres demutarent. Pro nefas! & hoc Romani. Plus addo, & hoc Romani non hujus temporis; attamen, ne veteres accusemus, Romani, sed non antiqui, jam scilicet corrupti, jam dissoluti, jam sibi & suis dispares, & Græcis quam Romanis similiores. Ut (quod sæpe jam diximus) minime mirum sit, si Romana res publica aliquando patitur quod jam dudum meretur.

XXI. Hæc ergo impuritas in Romanis & ante
A Christi evangelium esse cœpit &, quod est gravius, nec post evangelia cessavit. Et quis post hæc non admiretur populos Wandalorum? qui ingressi urbem opulentissimam, ubi hæc omnia passim agebantur, ita delicias corruptorum hominum indepti sunt, quod corruptelas morum repudiarunt, & usum bonarum rerum possident, malarum inquinamenta vitantes. Sufficere igitur ad laudem eorum hæc possunt, etiam si alia non dicam: abominati enim sunt virorum impuritates. Plus adhuc addo: abominati etiam feminarum, horruerunt lustra ac lupanaria, horruerunt concubitus contactusque meretricum. Numquid hoc credibile ullis videri potest, Romanos hæc admisisse, barbaros horruisse? aut numquid P.178.
B est, post ista quæ diximus, quod dici posse videatur? Sed est tamen, & multo plus est. Nam quod vitasse eos res fœdas diximus, minus est. Potest enim quis inhonesta horrere, non tollere. Illud magni ac singularis est meriti, non solum ipsum labe non pollui, sed providere etiam ne umquam alii polluantur. Procurator enim est quodammodo salutis humanæ, qui non tantum id agit ut ipse bonus sit, sed efficere & hoc nititur ut alii mali esse desistant. Grande est profecto quod dicimus, grande ac supereminens. Quis credat Wandalos in civitatibus Romanis ista fecisse? Remota quippe est ab illis omnis carnis impuritas. At quomodo remota? Non sicut removeri aliqua a Romanis solent, qui
C statuunt non adulterandum, & primi adulterant; statuunt non furandum, & furantur. Quamvis pæne non possim dicere quod furentur. Non enim sunt quæ agunt furta, sed latrocinia. Punit enim judex in alio * peculatum, cum sit ipse peculator; punit rapinam, cum ipse sit raptor; punit sicarium, cum ipse sit gladiator; punit effractores claustrorum & ostiorum, cum ipse sit eversor urbium; punit exspoliatores domorum, cum ipse sit exspoliator civitatum atque provinciarum. Atque hoc utinam illi tantum qui in potestate sunt positi, & quibus jus exercendorum latrociniorum honor ipse largitur. Illud gravius ac magis intolerabile, quod hoc faciunt & privati hisdem ante honoribus functi. Tan-
D tum eis indeptus semel honor dat beneficii, ut semper habeant jus latrocinandi. Adeo etiam, cum destiterint ad administrandum potestatem habere publicam, non desinunt tamen ad latrocinandum potestatem habere privatam: ac sic levior est potestas P.179.
illa quam habuerunt judices, quam hæc quam privati habent. In illa enim eis sæpe succeditur, in hac numquam. Ecce quid valeant statuta legum, ecce quid proficit definitio sanctionum, quæ illi spernunt maxime qui ministrant. Sane ad parendum humiles abjectique coguntur, compelluntur jussis obtemperare pauperculi; & nisi obtemperaverint, puniuntur. Eamdem enim rationem in hac re habent quam in tributis. Soli jussis publicis serviunt, sicut
E soli tributa solvunt. Ac sic in ipsis legibus & in ipsa justa rerum præceptione maximum injustitiæ scelus agitur, cum ea minores quasi sacra observare coguntur quæ majores jugiter quasi nulla conculcant.

XXII. Excessi paullisper cœptum sermonis ordinem, rerum indignitate compulsus. Nunc ad superiora redeamus. Diximus quippe plenas fuisse impuritatibus monstruosis Africæ civitates, & præcipue illic reginam & quasi dominam, Wandalos autem iis omnibus non fuisse pollutos. Non tales ergo isti de quibus loquimur, barbari ad emendandam nostrarum turpitudinum labem exstiterunt. Abs-

[a] I. Cor. vi. 10. [b] Deut. vi. 3.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.



tulerunt enim de omni Africa sordes virorum mollium, contagiones etiam horruere meretricum; nec horruerunt tantum aut temporarie summoverunt, sed penitus jam non esse fecerunt. O pie Domine, o Salvator bone, quantum efficiunt per te studia disciplinæ, per quæ mutari possunt vitia naturæ, sicut ab illis scilicet immutata sunt. At quomodo immutata? Interest enim non solum effectus rerum, sed etiam effectuum causas dicere. * Difficile est quippe impudicitiam verbo aut jussione tolli, nisi fuerit ablata; & difficile est pudicitiam verbo exigi, nisi fuerit exacta. Quod isti utique scientes, sic impudicitiam summoverunt quod impudicas conservaverunt, non interficientes mulierculas infelices, ne vitiorum curam crudelitate respergerent, & dum peccata auferre cuperent, ipsi in peccatorum resecatione peccarent. Sed ita errantes emendaverunt ut factum eorum medicina esset, pœna non esset. Jusserunt siquidem & compulerunt omnes ad maritalem torum transire meretrices, scorta in connubia verterunt; implentes scilicet Apostoli dictum atque mandatum [a], ut & unaquæque mulier virum haberet suum, & unusquisque vir conjugem suam; ut quia cohiberi incontinentia sine hac carnalis usus permixtione non posset, ita legitimum usum calor corporalis acciperet ut peccatum incontinentia non haberet. In quo quidem non id tantummodo provisum est ut viros feminæ haberent quæ sine viris esse non possent, sed etiam ut per conservatores domesticos salvæ essent quæ se ipsas servare nescirent; & adhærentes jugiter gubernaculo maritali, etiam si ad improbum eas facinus consuetudo anteactæ impuritatis inliceret, conjugalis tamen custodia ab improbitate prohiberet. Addiderunt quoque hoc ad libidinem comprimendam, severas pudicitiæ sanctiones decretorum gladio impudicitiam coercentes; ut puritatem scilicet utriusque sexus & domi connubii reservaret affectus, & in publico metus legum; ac sic duplici præsidio castimonia niteretur, cum & intus esset quod amaretur, & foris quod timeretur. Leges autem ipsæ nequaquam illis sunt legibus consentaneæ quæ ita partem improbitatis removent ut partem obscenitatis admittant; aut ut Romana illa decreta, quæ scortatores quidem ab alienis uxoribus removerunt, ad omnes autem solitarias passim admiserunt, adulteria vetantes, lupanaria ædificantes. Timuerunt videlicet ne nimis casti homines ac puri essent, si ab omni eos penitus impuritate prohiberent. At non ita isti de quibus loquimur, qui sic inhibuerunt scorta ut adulteria, qui & feminas nullis volunt esse feminas nisi maritis suis, & viros nullis volunt mulieribus esse masculos nisi uxoribus suis; qui evagari obscenas libidines extra legitimum torum non sinunt, leges suas scilicet ad divinæ legis regulam dirigentes, ut nihil sibi in hac re crederent licere quod Deus voluit non licere. Et ideo non putaverunt a se ulli homini permittendum, nisi quod fuisset omnibus a divinitate permissum.

XXIII. Scio quia intolerabilia quibusdam videantur ista quæ diximus. Sed ratione rerum agendum est, non libidine voluptatum. Dicat mihi quisquis ille est qui indignatur me ista dicere, numquid non sapientissimus omnium Socrates semper existimatus est, testimonio scilicet etiam Delphici dæmonis, qui quasi princeps philosophorum sic, ut dæmoniorum erat. Videamur ergo quas Socrates de pudicitia leges sanxerit, & quas illi de quibus loquimur. *Uxorem*, inquit Socrates, *propriam nullus habeat: matrimonia enim cunctis debent esse communia: sic namque major erit concordia civitatum, si omnes viri feminis sine discretione omnibus misceantur, omnes se feminæ omnibus viris sine distinctione substernant; ac sic fiant omnes viri omnium mulierum mariti, omnes feminæ omnium virorum uxores*. Numquid ullum umquam aut phreneticum aut dæmoniacum, varia insaniarum labe furiosum, tale aliquid locutum esse cognovimus? Tu dicis, maxime philosophorum, hac ratione omnes viros esse feminarum omnium maritos, & omnes feminas virorum omnium uxores, & parvulos omnes omnium filios. At ego hac ratione dico, neque ullum virum ullius feminæ maritum, neque ullam mulierem ullius masculi uxorem, neque * ullum pignus ullius parentis filium. Ubi enim promiscua omnia & confusa sunt, nemo est qui suum possit aliquid vindicare. Nec sufficit sapientissimo, ut quidam ajunt, philosopho docere hoc, nisi ipse fecisset: uxorem enim suam alteri viro tradidit: scilicet sicut etiam Romanus Cato, id est, alius Italiæ Socrates. Ecce quæ sunt Romanæ & Atticæ sapientiæ exempla: omnes penitus maritos, quantum in ipsis fuit, lenones uxorum suarum esse fecerunt. Sed vicit tamen Socrates, qui de hac re & libros condidit, & memoriæ hæc pudenda mandavit. Plus habet unde gloriari sibi præceptis suis possit. Quantum ad doctrinam suam pertinet, lupanar fecit e mundo. Injuste damnatus dicitur a judicibus. Et verum est. Rectius enim eum hæc talia prædicantem genus damnaret humanum, sicut absque dubio damnavit. Nam cum in hac re doctrinam ejus omnes repudiaverint, omnes eum non solum sententiæ auctoritate, sed, quod multo magis est, vitæ electione damnaverunt: & recte. Conferantur enim cum his quæ ille constituit, illa quæ statuerunt ii quos dominari Africæ Deus jussit. Statuit ille ut nullus penitus suam haberet uxorem, isti ut nullus penitus non suam; ille ut omnis femina viris omnibus subjaceret, isti ut nulla femina alium quam virum suum nosceret; ille generationem mixtam atque confusam, isti puram & ordinatam; ille omnes domos scortari voluit, isti nullam; ille in cunctis habitaculis lupanaria ædificare conatus est, isti etiam e civitatibus sustulerunt; ille prostare voluit omnes virgines, isti castas fecere meretrices. Atque utinam hic Socratis tantum error fuisset, non & complurium Romanorum, ac pæne omnium; qui etsi nequaquam Socratis vitam in ceteris, in hac re tamen Socratica instituta sectantur: quia & complures viri uxores plurimas singuli, & innumeræ mulieres viros complures singulæ habent. Omnes denique civitates numquid non lustris plenæ sunt ac lupanaribus fœtent? Et quid dico omnes? certe nobilissimæ quæque, ac sublimissimæ adeo dignitatis: quæ etiam & prærogativa est hæc honorum in magnis urbibus, ut quantum præcellunt ceteris magnitudine, tantum præstent impuritate. Et quæ esse, rogo, Romano statui spes potest, quando castiores ac puriores barbari quam Romani sunt? Parum est quod dicimus. Quæ nobis, rogo, ante Deum aut vitæ esse aut veniæ spes potest, quando castitatem in barbaris cernimus, & nec sic casti sumus? Erubescamus, quæso, & confundamur. Jam apud Gothos impudici non sunt nisi Romani, jam apud Wandalos nec Romani. Tantum apud illos profecit studium castimoniæ, tantum severitas disciplinæ, non solum quod ipsi casti sint, sed, ut rem dicamus novam, rem incredibilem, rem pæne et-

[a] I. Cor. VII. 2.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

iam inauditam, castos etiam Romanos esse fecerunt. Si infirmitas id humana pateretur, exclamare super vires meas cuperem, ut toto orbe resonarem: Pudeat vos, Romani ubique populi, pudeat vitæ vestræ. Nullæ pæne urbes lustris, nullæ omnino impuritatibus vacant, nisi illæ tantum in qui- P.184. bus barbari esse cœperunt. Et miramur si miseri, qui tam impuri sumus; miramur si ab hoste viri- A bus vincimur, qui honestate superamur; miramur si bona nostra possident, qui mala nostra exsecrantur? Nec illos naturale robur corporum facit vincere, nec nos naturæ infirmitas vinci. Nemo sibi aliud persuadeat, nemo aliud arbitretur: sola nos morum nostrorum vitia vicerunt.

Explicit liber septimus.

INCIPIT

LIBER VIII.

I. ARbitror, immo certus sum fastidiosam plurimis stili hujus prolixitatem fore, maxime quia morum nostrorum vitia castigat. Omnes enim admodum se laudari volunt: nulli grata reprehensio est. Immo, quod pejus multo est, quamlibet malus, quamlibet perditus, mavult mendaciter prædicari quam jure reprehendi, & falsarum laudum inrisionibus decipi quam saluberrima admonitione servari. Et cum hæc ita sint, quid agendum est? Numquid voluntati improborum hominum serviendum? aut si sibi etiam illi frivolas laudes deferri volunt, decet nos frivola atque inridenda deferre? maxime cum a fidelibus viris ne illi quidem inrideri debeant qui se inrideri volunt, sicut ne illi quidem mendaciter prædicari qui se cupiunt titulo etiam * falsæ laudis ornari: quia non tam illud quod unusquisque illorum cupiat audire, quam quid nos dicere deceat considerandum est; P.185. præcipue cum Propheta dicat: [a] *Væ his qui dicunt dulce amarum & amarum dulce.* Ac per hoc modis omnibus tenenda veritas, ut quod in re est, hoc & in verbis sit: quæ in se dulcedinem habent, dulcia; quæ amaritudinem, amara dicantur; præsertim nunc in negotio sacro, ubi a plurimis nostræ iniquitates * Deo adcensentur, & ne accusabiles ipsi esse videantur, Deum accusare præsumunt. Cum enim eum incuriosum & negligentem, resque humanas aut non ex judicio gubernare aut etiam nec gubernare blasphement; quid aliud utique Deum quam inertiæ & abusionis & iniquitatis accusant? O humanæ insipientiæ cæcitatem! O insanæ temeritatis furorem! Deum ergo, o homo, incuriosum ac negligentem vocas? Si quemlibet ingenuorum hominum hac contumelia læderes, injuriarum insolentium reus esses; * certe si inlustriorem quempiam ac sublimiorem, etiam censuram juris publici sustineres. Pupillis enim vel maxime prodigis hæc objiciuntur opprobria, perditorum hoc adolescentium speciale convicium est, ut abusores scilicet & incuriosi ac negligentes rerum suarum esse dicantur. O sacrilegæ voces, o profanæ procacitates! Deum ergo hoc esse dicimus quod etiam inter homines non nisi perditissimos nuncupamus? Quamvis non sola ista dicantur. Nota quippe ei, ut ante jam dixi, etiam iniquitatis impingitur. Si enim nos quæ patimur non meremur, & indigni miseriarum præsentium tolerantia sumus; injustum utique Deum dicimus, qui nos jubeat mala indigna tolerare. Sed non tam, inquis, jubet quam permittit. Adquiescamus hoc ita esse. Sed quam longe, quæso, est a jubente per- B mittens? Qui enim scit nos ista perferre, & prohibere potest ne perferamus, probat absque dubio P.186. debere perferre quæcumque patitur sustinere. Unde videmus quia judicii est sui justa permissio & sententia superna, quod patimur. Cum enim sint omnia ditionis sacræ, & nutus Dei cuncta moderetur; quidquid malorum quotidie pœnarumque perferimus, censura est divinæ manus: quam utique censuram nos inardescere facimus & peccatis nostris jugiter commovemus: nos cælestis iræ ignem accendimus, & excitamus incendia quibus ardeamus. Ut recte utique, quoties mala ista perferimus, etiam ad nos dici illud propheticum possit: [b] *Ite in flammam ignis quam accendistis.* Ac per C hoc, juxta sententiam sacram [c], ipse sibi parat peccator quisque quod patitur. Nihil est itaque quod calamitatibus nostris Deo imputare possimus. Nos calamitatum nostrarum auctores sumus. Deus enim pius est ac misericors, & qui, ut scriptum est [d], neminem velit perire vel lædere. Nos ergo adversum nos omnia facimus. Nihil itaque, nihil est in nos crudelius nobis: nos, inquam, nos etiam Deo nolente cruciamus. Sed videlicet adversum me ipsum dicere videor, qui cum superius dixerim ob peccata nostra nos puniri a Deo, nunc dicam nos puniri a nobis ipsis. Utrumque verum est. A Deo quippe punimur; sed ipsi facimus ut puniamur. Cum autem punire nos ipsi facimus, D cui dubium est quin ipsi nos nostris criminibus puniamus? Quia quicumque dat caussam qua puniatur, ipse se punit, secundum illud: [e] *Funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur.* Ergo si funibus peccatorum suorum perversi homines alligantur, ipse se absque dubio alligat peccator quisque, cum peccat.

II. Sed quia de impuritate Afrorum jam mul- P.187. ta diximus, nunc de blasphemiis saltem pauca dicamus. Professa enim illic jugiter plurimorum paganitas fuit. Habebant quippe intra muros patrios intestinum scelus, * cælestem illam scilicet, Afrorum dæmonem dico: cui ideo, ut reor, ve- E teres pagani tam speciosæ appellationis titulum dederunt; ut quia in eo non erat numen, vel nomen esset; & quia non habebat aliquam ex potestate virtutem, haberet saltem ex vocabulo dignitatem. Quis ergo illi idolo non initiatus, quis non a stirpe ipsa forsitan ac nativitate devotus? Nec loquor de hominibus sicut vita ita etiam professione ac vocabulo paganis, & qui sicut profani erant errore, sic nomine. Tolerabilior quip-

a Isa. V. 16. b Isa. L. 11. c Psalm. VII. d I. Tim. II. 4. e Prov. V. 22.

SAECUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

pe est & minus nefaria gentilitas in hominibus pro- A fessionis suæ. Illud perniciosius ac sceleſtius, quod multi eorum qui professionem Christo dicaverant, mente idolis serviebant. Quis enim non eorum qui Christiani appellabantur, cæleſtem illam aut post Christum adorabit aut, quod est pejus multo, ante quam Christum? Quis non dæmoniacorum sacrificiorum nidore plenus divinæ domus limen introiit, & cum fœtore ipsorum dæmonum, Christi altare conscendit, ut non tam immanis criminis fuisset ad templum Domini non venire quam sic venire? Quia Christianus qui ad ecclesiam non venit, negligentiæ reus est; qui autem sic venit, sacrilegii. Minoris enim piaculi res est, si honor Deo non deferatur, quam si inrogetur injuria. Ac B per hoc quicumque ista fecerunt, non dederunt honorem Deo, sed derogaverunt. Nam etiam ipsam quodammodo ecclesiæ salutationem idolo præstiterunt: quia secundi loci officiositas honori illius proficit cui principalia deferuntur. Ecce quæ P.188. Afrorum & maxime nobilissimorum fides, quæ religio, quæ Christianitas fuit. Dicebantur Christiani ad contumeliam Christi. Cum Apostolus declamet: [a] *Non potestis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participare & * mensæ dæmoniorum*; illis hoc satis non erat ut cum calice Dei calicem biberent dæmoniorum, nisi illum etiam prætulissent; nec sufficiebat ut mensam dæmonum mensæ dominicæ C compararent, nisi post superstitionum infamium cultus ad Dei templa venientes, sacrosanctis Christi altaribus ductu ipsius diabolici spiritus spurcissimum nidorem inhalassent.

III. At, inquis, non omnes ista faciebant, sed potentissimi quique ac sublimissimi. Adquiescamus hoc ita esse. Sed cum ditissimæ quæque ac potentissimæ domus turbam faciant civitatis, vides per paucorum potentium sacrilegam superstitionem urbem cunctam fuisse pollutam. Nemini autem dubium est omnes dominorum familias aut similes esse dominis aut deteriores; quamvis hoc usitatius ut deteriores: ac per hoc cum etiam boni domini D servos vel maxime malos habeant; promtum est intelligere quales illic familiæ omnes fuerint, cum serviles animos jam per se malos etiam dominorum faceret nequitia pejores. Esto ergo, illa quæ diximus ad potentissimos quosque ac nobilissimos pertinuerunt. Numquid illa leviora quæ nobilibus ignobilibusque communia? odia scilicet atque exsecrationes sanctorum omnium dico. Sacrilegii quippe genus est, Dei odisse cultores. Sicut enim si servos nostros quispiam cædat, nos in servorum nostrorum cædit injuriam; & si a quoquam filius ver- P.189. beretur alienus, in supplicio filii pietas paterna torquetur: ita & cum servus Dei a quoquam læditur, majestas divina violatur, dicente id ipsum E ad Apostolos suos Domino: [b] *Qui vos recipit, me recipit*; [c] *& qui vos spernit, me spernit*. Benignissimus scilicet ac pissimus Dominus communem sibi cum servis suis & honorem simul & contumeliam facit; ne quis, cum læderet Dei servum, hominem tantum a se lædi arbitraretur, cum absque dubio injuriis servorum dominicorum Dei admisceretur injuria, testante id suis Deo affectu indulgentissimo in hunc modum: [d] *Quoniam qui vos tangit, quasi qui tangit pupillam oculi mei*. Ad exprimendam teneritudinem pietatis suæ, tenerrimam partem humani corporis nominavit; ut apertissime intelligeremus Deum tam parva sanctorum suorum contumelia lædi quam parvi verberis tactu humani visus acies læderetur. Infectabantur itaque Afri atque oderant servos Dei, & in iis Deum.

IV. Sed quæritur forsitan, quibus modis probetur odium illorum. Illis scilicet quibus etiam Judæorum odia comprobantur in Christum, cum dicebant ad eum, [e] *Samaritanus es tu, & dæmonium habes*; cum irridebant, cum maledicebant, cum insufflabant in faciem ejus, & frendebant dentibus super caput ejus. Unde etiam in psalmis dicit Salvator ipse qui pertulit: [f] *Omnes qui conspiciebant, aspernabantur me, & locuti sunt labiis, & moverunt caput*. Et alibi: [g] *Tentaverunt*, inquit, *me, & deriserunt derisu, frenduerunt in me dentibus suis*. Ita igitur & in * monachis, id est, sanctis Dei, Afrorum probatur odium; quia irridebant scilicet, quia maledicebant, quia insectabantur, quia detestabantur, quia omnia in illos pæne fecerunt quæ in Salvatorem nostrum Judæo- P.190. rum impietas ante fecit quam ad effusionem ipsam divini sanguinis perveniret. Sed isti, inquis, sanctos non occiderunt, sicut Judæos fecisse legimus. An occiderint, nescio, non affirmo. Sed tamen magna defensio, si hoc tantum in eis de paganorum non fuit persecutione, quod habet persecutio ipsa postremum. Putemus ergo occisos illic non esse sanctos. Sed quid faciemus quod non sunt longe ab occidentibus qui animo occisionis oderunt, præsertim cum Dominus ipse dicat: [h] *Qui odit fratrem suum sine caussa, homicida est*. Quamvis non sine caussa persecuti sunt * servos Dei. Nam quis dicere possit quod sine caussa, homines scilicet omnibus a se vitæ ac morum studiis discrepantes, in quibus nihil videbant suum, quoniam Dei totum. Maxima enim caussa est discordiarum, diversitas voluntatum: quia fieri aut omnino non potest aut vix potest, ut eam rem in alio quisquam diligat a qua ipse dissentit. Itaque eos non sine caussa, ut dixi, oderunt, in quibus omnia sibi æmula atque inimica cernebant. Illi enim vivebant jugiter in nequitia, isti in innocentia; illi in libidine, isti in castitate; illi in lustris, isti in monasteriis; illi prope jugiter cum diabolo, isti sine cessatione cum Christo. Non sine caussa itaque istud fuit quod intra Africæ civitates, & maxime intra Carthaginis muros, * palliatum & pallidum & recisis comarum fluentium jubis usque ad cutem tonsum videre tam infelix ille populus quam infidelis sine convicio atque exsecratione vix poterat. Et si quando aliquis Dei servus, aut de * Ægyptiorum cœnobiis, aut de * sacris Hierusalem locis, aut de sanctis eremi venerandisque secretis ad urbem illam officio divini operis accessit; simul ac populo ap- P.191. paruit, contumelias, sacrilegia & maledictiones excepit. Nec solum hoc: sed improbissimis flagitiosorum hominum cachinnis & detestantibus ridentium sibilis quasi taureis cædebatur. Vere ut si quis ea, inscius rerum, fieri videret; non aliquem hominem ludificari, sed novum inauditumque monstrum abigi atque exterminari arbitraretur.

V. Ecce Afrorum & præcipue Carthaginiensium fidem. Tutius quondam Apostolis paganas urbes licuit intrare, & minus primum eorum adventum atque conspectum feri illi ac barbari sacrilegorum cætus detestabantur. Sanctum electionis vas Paul-

a I. Cor. X. 20. 21. b Matth. X. 40. c Luc. X. 16. d Zach. II, 8. e Joan. VIII. 48. f Psalm. XXI. 8. g Psalm. XXXIV. 16. h I. Joan. III. 15.

lum Apostolum de unius Dei cultu ac majestate A dicentem [a] superstitiosissimus licet Atheniensium populus patienter audivit. Lycaonii autem in tantum etiam admirati sunt [b], ut cum in Apostolis divinas virtutes inesse cernerent, esse eos homines non putarent. Intra Carthaginem vero apparere in plateis & compitis Dei servos sine contumelia atque exsecratione vix licuit. Persecutionem hoc quidem fuisse non putant, quia non & occisi sunt. * Latrones quidem hoc proverbio uti solent, ut quibus non auferant vitam, dedisse se dicant. Sed in urbe illa non tam hominum fuerunt hæc beneficia quam legum. Interfici enim indemnatum quemcumque hominem, etiam duodecim tabularum decreta vetuerunt. Ex quo agnoscitur quod magna B illic prærogativa dominicæ religionis fuit, ubi ideo tantum Dei servis licuit evadere, quia a pagano jure defensi sunt ne Christianorum manibus trucidarentur. Et miramur si nunc barbaros illi persecunt, cum videamus quod sancti viri in illis barbaros pertulerunt? [c] Justus ergo est Dominus, & justum judicium suum. Quæ enim, ut scriptum est [d], seminarunt, hæc & metunt. Ut vere videatur de improbitate illius gentis dixisse Dominus: [e] *Reddite ei secundum opus suum: juxta omnia quæ fecit, facite illi; quia contra Dominum erecta est*. Miremur itaque aut indignemur quod aliqua nunc illi ab hominibus mala perferant? Multo illa majora sunt quæ in Deum ante fecerunt, si juxta personarum diversitatem æstimentur quæ patiantur & quæ fecerunt.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

P.192.

Explicit liber octavus.

a Act. XVII. 22. b Act. XIV. 10-12. c Psalm. CXVIII. 137. d Gal. VI. 8. e Jer. L. 29.

SALVIANI
MASSILIENSIS
ECCLESIÆ PRESBYTERI
EPISTOLÆ.

EPISTOLA I.

P.193. O Amor, quid te appellem nescio, bonum an malum, dulcem an asperum, suavem an injucundum. Ita enim utroque plenus es, ut utrumque esse videaris. Amari a nobis nostros, honestum est; lædi, acerbum. Et tamen hoc ejusdem est interdum animi, ejusdemque pietatis: cum specie dissentiat, ratione concordat. Amor quippe nos facit nostros amare: amor interdum cogit offendere. Utrumque unum est; cum tamen aliud amoris habeat gratiam, aliud odii patiatur offensam. Quam grave hoc, quæso, [1] mi dilectissimi aut quam acerbum est, ut caussa odii amor esse cogatur? Quod quidem cum sæpe aliis, tum etiam mihi accidisse nunc satis vereor; ut dum adulescentem hunc quem ad vos misi, tradere individuis meis cupio, uni studens, multis molestus sim, & amor ejus offensa sit ceterorum: quamquam hi qui satis diligunt, non cito offendantur. Sed ego insinuationem
P.194. meam minus gratam fore quibusdam timens, etiam imminutionem gratiæ offensam puto. Placere enim dilectis meis plurimum cupiens, molestiam illorum reatum meum credo; & nisi eis satis placuero, supplicium displicentis fero. Quamquam hoc metuendum in vobis omnino non sit; qui totum me in vos recipientes, etiam apud alios pro me timetis. Tantum enim abest ut displicere ego caritati ac sensui vestro possim, ut etiam illud mecum reformidetis ne ego quibusdam forte displiceam, mi dulcissimi ac dilectissimi mei. Adolescens quem ad vos misi, Agrippinæ cum suis captus est, quondam inter suos non parvi nominis familia non obscurus, domo non despicabilis, & de quo aliquid fortasse amplius dicerem nisi * propinquus meus esset. Hoc enim fit ut minus dicam, ne de me ipso dicere C videar, de illo plura dicendo. Matrem ergo is de quo dico Agrippinæ viduam reliquit, probam, honestam, & de qua forsitan audacter dicere valeam, [a] vere viduam. Nam præter ceteras castimoniæ sapientiæque virtutes, est etiam fide nobilis, quæ omnibus semper ornatibus ornamento est: quia sine hac nihil tam ornatum est quod ornare possit. Hæc ergo, ut audio, tantæ illic inopiæ atque egestatis est, ut ei nec residendi nec abeundi facultas suppetat, quia nihil est quod vel ad victum vel ad fugam opituletur. Solum est, quod mercenario opere victum quæritans, uxoribus barbarorum locatitias manus subdit. Ita, licet per Dei misericordiam vinculis captivitatis exemta sit, cum jam D non serviat conditione, servit paupertate. Hæc igitur habere me heic nonnullorum sanctorum gratiam non falso suspicans, (Nec enim nego, ne negator gratiæ ingratus fiam. Sed plane sicut habere me eam non nego, ita non mereri me certo scio; in P.195. tantum ut etiam si est aliqua in me illa, ego tamen illius caussa non sim: quia si qua est in me gratia, ob eos, ni fallor, maxime data est quorum intererat ut gratus essem. Ut verendum forsitan mihi sit ne negans his quod propter eos cœpi, non tam meam rem his negare videar quam ipsorum:) hæc igitur aut id quod est aut plus quam est in me esse existimans, misit ad me hunc quem ad vos * ego * fore ut agente me & adnitente amiE corum meorum gratia, propinquorum meorum esset auxilium. Feci ergo id quod rogatus sum, sed tamen parce, & apud paucos, ne gratia ipsa ingrate uterer. Commendavi hunc aliis, commendo vobis, licet non æque aliis ut vobis. Primum, quia commendari satis vobis eum qui est meus, ita ut ipsum me, non necesse est. Deinde quia cum me portionem vestri existimetis, necesse est eum qui

a I. Tim. V. 3.

1. *Mi dilect.*] Dixerit Salvianus *mi* pro *mihi*, heic & paullo post. Lucretius lib. III. ℣. 106. *In quo mi diversi errare videntur*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.



mei portio est, vestri quoque aliquatenus portionem esse ducatis. Postremo, quod commendatio ipsa sicut diversi generis, ita etiam excellentioris est caritatis. Aliis enim commendavi hunc corpore, vobis spiritu; aliis in emolumenta præsentium, vobis in spem futurorum; aliis ob brevia atque terrena, vobis ob sempiterna atque divina: & recte: ut quia carnalia vobis minus quam spiritalia bona suppetunt, illa ego magis a vobis peterem quibus vos magis abundatis. [a] Suscipite ergo, quæso, hunc ut mea viscera, & quantum in vobis est vestra; facite, inlicite & adhortamini, docete, instruite, formate, gignite. Christi Domini nostri misericordia tribuat, ut quia ei id magis expedit, qui nunc propinquus meus est & ceterorum, vester esse incipiat potius quam suorum. Admittite, quæso, hunc in illas beatas ac sempiternas domus, recipite in sacra horrea, aperite cælestes thesauros; & ita agite ac peragite, ut dum hunc in thesaurum vestrum conditis, partem thesaurorum ipsorum esse faciatis. Potens est illa ineffabilis Dei pietas ut dum eum in consortium spiritualium bonorum adoptatis, divitias quas in ipsum effunditis, per ipsum augeatis. Et sane si quid in ipso est bonæ indolis, non magnæ vobis difficultatis spes ejus ac salus esse debebit: etiam si nihil ex vobis audiat, sufficere ei hoc ipsum convenit quod vos videt. Valete.

P.196.

AD EUCHERIUM.

EPIST. II.

* Eucherio episcopo Salvianus. Ursicinus alumnus tuus salutationem tuam proxime ad me detulit: si non jussus, laudo sapientiam, licet non probem falsitatem: si jussus, miror quod mandare amoris officium quam scribere maluisti, hoc est, per servum potius quam per te dare. Arguo itaque hoc, & emendari volo; si tamen negligentiæ est, non superbiæ. * Pedissequa enim plerumque novi honoris est adrogantia: licet in te nec generalis vitii opinio admittenda sit, quia prope singularis est mens ac benignitas tua. Unde responderi a te antiquæ existimationi meæ etiam nunc jugiter cupio, ne si in quibusdam officiorum tuorum mos discrepavit, aliquid in te novis honoribus licuisse videatur.

AD AGRICIUM.

EPIST. III.

* Agricio episcopo Salvianus. Si excusare inofficiositatem meam apud sanctimoniam tuam cupiam, magis accusandus sim, qui inexcusabilem me esse vel non agnoscam præ stoliditate, vel nolim præ superbia confiteri. Non excuso ergo: augmentum enim reatus est, innocentiam jactare post culpam. Quid igitur faciam, cui nec negandi delicti facultas suppetit, nec tuendi? Negare enim manifesta non audeo, & excusare immodica non possum. Confugiendum mihi itaque ad divinarum est remedia litterarum, quæ maximorum criminum ***

P.197.

AD SOCERUM ET SOCRUM.

EPIST. IV.

* Hypatio & Quietæ parentibus Salvianus, Palladia & Auspiciola, salutem. Paullus Apo-
A stolus, electionis vas, magister fidei & receptaculum Dei, cum omnes epistolas, utpote eloquentissimus vir, dictaverit, quibusdam tamen non suum tantum nomen inscripsit: siquidem in aliis Silvani, in nonnullis Timothei, in quibusdam vero utriusque nomini suum nomen adjunxit. Cur id? Primum, credo, ut simul esse agnoscerentur qui simul scriberent. Deinde ut ii qui separatim ab unoquoque eorum edocti fuerant, scirent omnium non discrepare sententiam. Postremo ut quos singulorum non movebat auctoritas, omnium saltem moveret assensus. Ita ergo & nos exemplorum ingentium parvi imitatores, ad vos, quos natura parentes, fide fratres, honore dominos habemus, non,
B ut Apostoli illi, auctoritate docentium scribimus, sed humilitate famulorum; ut qui hactenus singulorum nostrorum epistolis moti non estis, vel nunc omnium obsecratione moveamini, nosque filios vestros, * neque ex superfluo metus sit; * & simul sciatis esse unum sentire pariter & metuere & æqualiter supplicare: non quia sciamus an vos omnibus irascamini, sed quia nos non possumus P.198.
caussa esse divisi. Idem enim nobis admodum metus est, etiam si non eadem videtur offensa. Caritas quippe mutua facit ut licet vos non utrique forsan succenseatis, uno tamen ex nobis reo, alter sine tristitia reatus esse non possit. Illud sane est quod nos contendere in aliquo & certare mutuo
C faciat, quod cum ambo filii vestri æqualiter rei simus, plus tamen unusquisque nostrum pro altero quam pro se timet. Parentes carissimi, parentes reverentissimi, interrogari vos quæsumus liceat. Ita possunt * pignora sic amantia non amari? Quid tantum mali commeruimus, vel affectus dilectissimi, vel domini reverentissimi, ut nobis nec tamquam filiis reddatur gratia, nec tamquam famulis remittatur offensa? Septimus jam ferme annus est ex quo nulla ad nos tam longe a vobis sitos scripta misistis. Nullis pæne in Deum delinquentibus tam longum lugendi tempus imponitur, nullos admodum maximorum criminum * ut plus amet, scilicet ut patris motus non detrimenta amoris
D sint, sed profectus; cum quantum coercitio attulerit unius correctioni, tantum correctio reddat mutuæ caritati. Quamquam hoc illos magis parentes facere conveniat, qui de nonnullis negotiis veras irascendi filiis caussas habent. Tu autem quid succenses, qui ex quo Christianus factus es, etiam falsas habere desisti? Esto enim, conversiunculam nostram paganus quondam non æquanimiter acceperis. Ferenda tunc fuit, ex dissimilitudine studiorum, etiam discrepantia voluntatum; quando etsi amor non succensebat, superstitio tamen adversabatur. Nam licet pater non odisset filium, error tamen oderat veritatem. Nunc longe aliud est. Ex quo Dei cultum professus es, pro me pronuntia-
E sti. Si præteritas irarum caussas exsequeris, impu- P.199
ta tibi, qui Christiano filiam tuam dedisti. Si id non est, quid mihi irasceris, quia eam nunc in me religionem augere cupio quam tu in te probare cœpisti? Cur rogo in me non diligas quod es, qui in te quod eras ipse damnasti? Sed parcendum paullulum verbis est: quia etiam in bona caussa humilis esse, in quantum res sinit, filii apud parentes debet oratio. Indulgete, affectus carissimi: liberiorem me esse paullulo in negotio suo Dei affectus facit. Si quæ sunt vobis aliæ succensendi caussæ, peccare me potuisse non abnego. In hoc vero quia ideo succensetis quia Christum amare videor, ignoscite quod dicturus sum. Peto quidem veniam, quia irascimini; sed non possum dicere

a Philem. ℣. 12.

malum esse quod feci. Hæc igitur apud vos meo nomine, & quasi peculiari prece. Nunc tu, o dilectissima ac venerabilissima * soror, (quæ mihi tanto carior es quam prius, quanto plus a suis affectus convenit diligi in quibus se ipsum Christus fecerit amari) fungere partibus tuis simul meisque. Ora tu, ut ego impetrem; tu postula, ut uterque vincamus. Osculare, quia absens labiis non vales, saltem obsecratione pedes parentum tuorum quasi ancilla, manus quasi alumna, ora quasi filia. Ne trepidaveris, ne timueris: bonos judices habemus: affectus ipse pro te orat, natura ipsa tibi postulat, suffragia caussæ tuæ in tuorum mentibus habes: cito adnuunt qui suo ipsi amore superantur. Obsecra ergo, & supplex dicito: Quid feci, quid commerui? ignoscite quidquid illud est: veniam peto, etsi delictum nescio: numquam vos, ut ipsi scitis, inofficiositate aut contumacia offendi, numquam verbo asperiore læsi, numquam vultu proterviore violavi: a vobis sum viro tradita, a vobis conjugi mancipata. Teneo, ni fallor, mandata vestra: hæret sensibus meis sanctum piæ præceptionis arcanum: morigeram me, ut puto, ante omnia viro esse jussistis: vestræ voluntati obsecuta sum, vestræ jussioni obtemperavi: illi in omnibus
P.200. parui cui me parere voluistis. Invitavit me ad religionem, invitavit ad castitatem. Date veniam: turpe credidi reluctari: res mihi verecunda, res pudens, res sancta visa est: fateor, cum de tali negotio mecum ageret, erubui quod non ante cœpissem. Huc accessit etiam reverentia Christi & affectus: honeste me facere credidi, quidquid Dei amore fecissem. Advolvor vestris, o parentes carissimi, pedibus: illa ego vestra Palladia, vestra gracula, vestra domnula; cum qua his tot vocabulis quondam indulgentissima pietate lusistis; quæ vobis per varia nomina nunc fui mater, nunc avicula, nunc domina; cum esset scilicet unum vocabulum generis, aliud infantiæ, tertium dignitatis. En ego illa sum per quam vobis illa primum & parentum nomina & avorum gaudia contigerunt; &, quod utroque præstat, utrumque feliciter, cum fructu adipiscendi & beatitudine perfruendi: non quia hinc ego aliquid mihi deputem; sed tamen ingrata apud vos esse non debet per quam vos voluit Deus esse felices. Ne, quæso, ergo molestum vobis sit quod referre aliquid Deo cupio, cui omnia repensare non possum. Pleni estis solatiis jucundissimis, pleni pignoribus carissimis, pleni benedictione divina: præter peculiarem mei caussam, vestrum negotium referre Deo gratiam jubet: debere me ei arbitror quod vobis tanta concessit. Sed hæc hactenus. Sufficienter enim jam per nos, o carissima soror, precati sumus: reliqua sunt agenda per filiam. Uta-
P.201. mur ergo, (honeste enim pro reconciliando parentum affectu cuncta tentantur) utamur illorum more & exemplo qui ultimo caussarum loco aliqua nonnumquam ad commovendam judicum misericordiam proferebant laturis sententiam disceptatoribus, aut lamentantes matresfamilias, aut sordidatos senes, aut plorantes parvulos ingerentes; scilicet ut qui superiora caussæ verbis jam exoraverant, posteriora rebus ipsis perorarent. Offerimus ergo & nos vobis, o carissimi parentes, pignus pari quidem illorum sed tamen gratiore suffragio. Offerimus enim pignus non incognitum, sed domesticum, non alienum, sed proprium, nec, ut illi oratores, & sibi & judicibus extraneum, sed nobis simul vobisque commune; quæ vos utique vestri sanguinis indoles non ad incognitorum hominum cogit dile-

A ctionem, sed ad vestrorum revocat caritatem: nec alienos vobis aliena, sed vestros vestra commendat: neque id orat ut eos ametis quos numquam ante vidistis, sed ut eos non oderitis quos puto non diligere non potestis. Vestrum ideo, parentes carissimi, negotium, vestra res est; vester id a vobis animus, vestra caritas deprecatur: ne, quæso, tantum nobis irascamini ut nec vobis consulatis, supplicante vobis ***** commune pignus per nos simul atque nobiscum, & primam pæne ad vos vocem pro nostri emittit offensa. Infelix prorsus ejus & miseranda conditio, quæ avos suos ex parentum primum reatu cœpit agnoscere. Misere mini, quæsumus, innocentiæ ejus, miseremini neces-
B sitatis: cogitur quodammodo pro offensa suorum jam supplicare, quæ adhuc nescit quid sit offendere. Læsus quondam Ninivitarum peccatis Deus, vagitu infantium & ploratione molitus est. Nam licet totum legamus luxisse populum, præcipuam P.202. tamen misericordiam meruit sors & innocentia parvulorum, dicentem ad Jonam Deo: [a] *Si valde contristatus es super cucurbitam*. Et paullo post: [b] *Ego non parcam super Ninive civitatem magnam, in qua commorantur plus quam centum viginti millia, qui non cognoverunt sinistram suam aut dexteram?* declarans scilicet propter sinceritatem innocentium se etiam culpis nocentium pepercisse. Sed quid ego de Dei misericordia loquor, qui non tan-
C tum postulata tribuit, sed interdum etiam non sperata largitur; tantoque, si dici licet, major est hominibus humanitate & benevolentia, quanto potestate atque natura? Paratum, ut ait Livius, inter Romanos Sabinosque bellum &, quod difficilius sedari potest, cœptum preces quondam & interventus carorum pignorum sustulerunt; cumque una eorum gens esset natura ferox, alia dolore fervens; tantum tamen visio affectus mutui valuit, ut nec Romanus memor esse belli, nec Sabinus posset injuriæ; & illi paullo ante feri ac semibarbari, cognati sanguinis cupidi, sui prodigi, amplecti se mutuo inciperent; quia pignus mutuum jam habere cœpissent, fieretque unus uterque populus, quia
D unus utriusque esset affectus. Nos non in acie stamus, non arma sumimus, non vim inferimus, nec propulsare tentamus; impium fore arbitrantes si vel in hoc filii parentibus obvient, ne puniantur injusti. Cur rogo quod illi quondam affectus pro suis obtinuerunt, nostri non queant impetrare pro nobis? An ideo infelicissimi pæne omnium, ideo minus meremur veniam, quia repugnare nescimus? Quod vultis nos pati, patimur. Si irascimini, deprecamur; si puniendos creditis, adquiescimus. Quid rogo ultioni post ista superest? Certe etiam si justas P.203. succensendi caussas parentes habeant, nihil contingere eis felicius, nihil optatius potest quam ut sic eis pro reatu filii satisfaciant, ne necesse habeant
E vindicare. Quid autem est in quo magis possimus vobis nos satisfacere? Filii vestri sumus, qui vos rogamus; neptis, per quam rogamus. Parcite, indulgete illi. Eorum parentes carissimi pro se rogant, ob quorum soletis nomina etiam extraneis nil negare. Longum est de innumeris pietatis atque humanitatis exemplis dicere, & præposterum ut de majoribus ad minora veniamus. Sed tamen id quod dicturus sum, specie quidem minus est, sed tamen re minus non est. Perorans quondam pro periculo existimationis atque incolumitatis suæ in Romano foro * Servius Galba, cum ob difficultatem negotii & invidiam facti sui parum non modo in caussa, sed etiam in eloquentia spei poneret, arte

[a] Jon. IV. 9. [b] Ibid. ℣. 11.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.



usus est ut judicum animos quos inflectere precum ambitione non poterat, rerum tentaret affectu. Itaque consumtis jam admodum cunctis oratoriæ artis ingeniique subsidiis, cum parum se promovisse intellexisset, parvulum quem secum habebat, Galli, ut illis temporibus videbatur, clarissimi & nuper mortui viri filium, & parvas ante subsellia auditorum indoles suas in consessu judicum conspectuque produxit: quos cum laturis sententiam disceptatoribus oratione flebili commendaret, fractæ affectu omnium mentes & inclinatæ sunt. Quid plura? Factum est ut inflexis cunctorum sensibus, daret misericordia humanitati quidquid ambitioni veritas denegaret. O affectus humani quanti estis, quantum valetis, qui etiam in judicio jus habere potuistis! Discite, o parentes carissimi, venia vestri dictum sit, discite vel hoc saltem exemplo
P.204. frangi atque molliri. Certe etiam illic misericordia valuit, ubi locum esse misericordiæ non licebat. Laturi sententiam judices, qui nihil se nisi ex veritatis officio pronuntiaturos esse juraverant, excludere tamen misericordiam nec post sacramenta potuerunt; in tantum humanitate moti ut dum alieno negotio consulunt, suum pæne oblivifcerentur. Nihil vos durum, nihil insolens deprecamur. Vestris vos præstate pro vobis, quod præstiterunt illi extraneis contra se. Certe nec caussa illic justior, nec persona carior, nec audientia humanior, nec orator gratior fuit. Illic agebatur pro crimine, heic pro affectu; illic pro extraneis, heic pro filiis; illic apud juratos judices, heic apud injuratos parentes; illic per oratorem qui circumscribere nitebantur, heic per neptem, quæ quo vos ipsa infantiæ suæ simplicitate plus moveat, adhuc rogare non novit. Quid est quod caussæ desit? quod novum inquirendum est inauditumque suffragium? Num extraneorum apud vos precibus utendum est? Semper in amore cautela est. Nemo enim melius diligit, quam qui maxime veretur offendere. Unde ego nunc veniam peto; non quia offendisse me noverim, sed ut locum offensæ penitus non relinquam; nec conscientia culpæ, sed ratione & officio caritatis; ut majorem apud te affectus gratiam obsecratio mereatur innoxii, & amori proficiat supplicatio reatu carens; habeasque plus in filii tui deprecatione quod diligas, si non habes quod remittas. Quamquam temere fortasse nobis de innocentia blandiamur, quid tu de nobis sentias nescientes. Tui enim nobis sensus magis quam nostræ opinionis ratio habenda est. Superest ergo ut si quid aliud & quidquid illud commissum a nobis est, tu
P.205. qui id offensa dignum putas, venia quoque non indignum arbitreris. Pulcre tibi ipse in tuorum reatu satisfacies. Nihil de ultione perdit, filio ignoscens pater: quia felicius multo est & laudabilius suis aliquem etiam immerito ignoscere, quam in suos etiam merito vindicare. Vale.

AC CATTURAM.

EPIST. V.

Catturæ sorori Salvianus. Etsi docente Paullo Apostolo [a] quid conveniat nos orare nescimus; quo fit ut interdum quid velle aut gaudere oporteat nesciamus: tamen ego pro communi humani generis affectu (quo omnes admodum homines, pie magis quam sapienter, eos qui nobis cu-
A ræ sunt cupimus quam diutissime esse nobiscum) gaudeo quod post gravem diuturnumque morbum, spem etiam præsentis vitæ indepta es, quæ futuræ semper habuisti. Benedictus itaque Dominus Deus noster, qui semper spiritus tui custos, nunc præcipue etiam carnis fuit; & in te manens teque custodiens, manum suam ex interioribus tuis usque ad exteriora porrexit; nec solum sancta sanctorum, sed etiam vestibula templi sui & circumsepta servavit; protectionemque suam latius fundens, fecit salutem animæ tuæ usque ad salutem corporis pervenire. Quamvis ego ne hanc quidem tibi quam pertulisti, terrestris vasculi infirmitatem obfuisse existimem, cujus fortitudo, ut scis, menti semper inimica
B est. Ut te jure nunc tanto fortiorem spiritu putem, quanto imbecillior carne esse cœpisti. [b] *Caro enim*, inquit Apostolus, *concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem. Hæc enim invicem sibi adversantur: ut non quæ vultis, illa faciatis.* P.206. Ergo si repugnante corpore quæ volumus facere non possumus, infirmandum carne est ut optata faciamus. Et verum est. [1] Imbecillitas enim carnis, mentis vigorem exacuit; & affectis artubus, vires corporum in virtutes transferuntur animorum: ut mihi genus quoddam sanitatis esse videatur, hominem interdum non esse sanum. Nulla enim admodum tum spiritui cum corpore, id est, nulla divinæ indoli cum terreno hoste lucta-
C tio est. Non turpibus flammis medullæ æstuant, non malesanam mentem latentia incentiva succendunt, non vagi sensus per varia oblectamenta lasciviunt; sed sola exsultat anima, læta corpore affecto quasi adversario subjugato. Gaude ergo, alumna Christi; semper quidem simplicis & quietæ, sed nunc magis defæcatæ tuæ mentis & liberæ ostium aperi, & detrahe, ut legis [c], Spiritum sanctum. Numquam, ut puto, habitatore Deo dignior extitisti: quanto imbecillior corpore, tanto purior sensu. Vincentibus carnem tuam morbis mente vicisti. Felix, si hanc semper corporis mortem in vitam spiritus conservaris. Exstinctis in te forsitan cunctis humanarum tentationum incentivis, habere
D quodammodo naturam animæ etiam in carne cœpisti. Ut mihi non solum magna Dei dispensatione, sed etiam magno munere, & ante ægrotasse & nunc convaluisse videaris. Ægrotasti enim hactenus ad virtutem spiritus confirmandam, secura forsitan sanitatem nunc adipiscens jam carne superata; ut post hac redditam corpori incolumitatem sine ulla animæ infirmitate possideas, & ita caro valere incipiat ut jam tentatio non resurgat. Vale.

AD LIMENIUM.

EPIST. VI.

E Limenio Salvianus in Domino salutem. Etsi P.207. scio honestas mentes probi affectus non oblivisci, ideo quia boni in bonis studiis quasi naturam quodammodo suam diligunt; tamen quia, quantum in nobis est, augere nos amorem bonorum amicorum officio nostro convenit, admonendum te caritatis olim a me cœptæ, nuper a te auctæ existimavi, ut legens epistolas meas, dum in me studium tui amoris videris, in te mei accenderes. Dabit autem, non ambigo, Deus noster ut affectum Christianorum intercipiens, Christi ipse affectus fias. Vale in Domino.

a Rom. VIII. 26. b Gal. V. 17. c Psalm. CXVIII. 131.

1. Vide supra lib. I. de Gubernatione, pag. 10.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 445.

AD APRUM ET VERUM.

Epist. VII.

APro & Vero Salvianus. Officii sit, an impudentiæ, quod prius ad vos scripsi quam a vobis jus scribendi acciperem, malo vestri esse judicii quam adsertionis meæ; quia res dubia ac latens melius semper bonis interpretatoribus quam malis defensoribus creditur. Sed licet hæc vere se ita habeant & a me ita esse ducantur; tamen si quid in veri opinione secundum intelligentiam meam sit, audiendum a me putatis, ego sic arbitror, si quando de officio deferendo parvis, ut ego sum, apud superiores, ut vos estis, sancta contentio est, melius eos facere si præoccupent scripto patronos suos quam si ab iis præoccupentur. Nam cum ipsa scribendi rescribendique adsiduitas dandis vel maxime & reddendis obsequiis deferatur; multo necesse
P.208. est humilius sit & obsequentius, dare quempiam operam ut officium prius deferat quam exspectare ut prius capiat: quia, juxta id quod supra diximus, delatio officii fugere honorem, dissimulatio affectare videatur. Congrue ergo & multis modis rationabiliter actum est, ut ego ad vos prius scriberem. Primum, quia turpiter ad honorem ambisse viderer inferior. Deinde, quod vos ab omni hujuscemodi opinionis nota ita morum vestrorum dignitas vindicat, ut pæne quidquid a vobis fit, nihil non recte factum esse credatur. Postremo, quod etiam si hoc consilio vos ad me non scripsissetis, ut ego peccator & imbecillus prius deferrem officia quam sumerem; pio magis id vos consilio fecisse existimandum erat quam adroganti. Cum enim totius ferme humilitatis & prope omnium officiorum palmam indepti sitis, non tam credi poterat vos amico voluisse honorem negare quam onus noluisse imponere. Quamvis enim honestum & religiosum studium sit præoccupare humilitate & vincere; tamen quando inter tales ut nos sumus, id est, inter summos atque infimum, hujuscemodi negotium est; abundantioris caritatis rem major facit si minori cedat officio. Hæc, mi domini venerabiles, juxta opiniunculam meam non tam præsumtione scientiæ quam honore reverentiæ vestræ scribenda ad vos putavi. Si aliud vos sentire ostenderitis, ego manum ad os meum ponam; & juxta exemplum sancti Job, qui post divinam vocem in comparationem loquentis Dei parvum se & imbecillum esse cognovit, terram me, ut sum, squalidam & insincerum cinerem judicabo, dicamque illud: Semel locutus sum: non adjiciam: nec immerito: incidere enim in falsæ opinionis errorem prius quam
P.209. vera cognoscas, imperiti animi est & simplicis; perseverare vero in eo, postquam agnoveris, contumaciæ. Valete.

AD EUCHERIUM.

Epist. VIII.

* DOmino & dulcissimo Eucherio episcopo, Salvianus presbyter. Legi Libros quos transmisisti, stilo breves, doctrina uberes, lectione expeditos, instructione perfectos, menti tuæ ac pietati pares. Nec miror quod tam utile ac pulcrum opus ad institutionem potissimum sanctorum ac * beatorum pignorum condidisti. Cum enim eximium in eis templum Deo ædificaveris, doctrina novæ A eruditionis quasi summum ædificii tui culmen ornasti; & ut indoles sanctæ æque doctrina ac vita inlustrarentur, quos morali institutione formaveras, spiritali instructione decorasti. Superest ut Dominus Deus noster cujus dono admirandissimi juvenes tales sunt, pares eos faciat libris tuis, id est, ut quidquid illi continent in mysterio, hoc uterque illorum habeat in sensu. Et quia jam dispensatione divina atque judicio etiam * magistri ecclesiarum esse cœperunt; donet hoc benignissimi Dei pietas ut doctrina illorum fructus sit ecclesiarum & tuus, profectuque excellentissimo tam illum ornent a quo sunt geniti, quam eos quos ipsi sua institutione generaverint. Mihique hoc, etsi non B inter omnia, certe vel post omnia misericors Deus tribuat, ut qui fuerunt * discipuli quondam mei, sint nunc quotidie oratores mei. Vale mi dominus & dulcis meus.

AD SALONIUM.

Epist. IX.

* DOmino ac beatissimo discipulo, filio & patri, per institutionem discipulo, per amorem filio, * per honorem patri, * Salonio episcopo, Salvianus. Quæris a me, o mi Saloni, caritas mea, cur libellis nuper a quodam hujus temporis homine ad ecclesiam factis Timothei nomen inscriptum sit. Addis præterea quod nisi rationem vocabuli evidenter expressero, dum nominantur Timothei, inter apocrypha sint fortasse reputandi. Ago gratias atque habeo quod de me ita judicas, ut pertinere hoc æstimes ad fidei meæ curam ne quid ecclesiastici operis vacillare permittam; scilicet ut res summæ salubritatis non sit minoris pretii per opinionis incertum. Sufficere itaque ad excludendam penitus apocryphi stili suspicionem etiam hoc solum poterat, quod superius indicavi libros neotericæ disputationis esse, & a præsentis temporis homine divinarum rerum studio atque amore conscriptos. Carent enim apocryphi suspicione, qui D agnoscuntur Timothei Apostoli non fuisse. Sed requirit forsitan aliquis, quis ille auctor sit, si Apostolus non est, & utrum suum libellis ipsis an alienum nomen inscripserit. Verum est. Potest hoc quidem quæri. Et recte quæritur, si inquisitio valet ad fructum aliquem pervenire. Ceterum si infructuosa est, quid necesse est ut laboret curiositas, cum profectum curiositatis non sit habitura cognitio? In omni enim volumine profectus magis quæritur lectionis, quam * nomen auctoris. Et ideo si profectus est in lectione, & habet quisquis ille est quod potest instruere lecturos; quid ei cum P.210. vocabulo quod juvare non potest curiosos? ita ut dignissime huic inquisitori angelicum illud respon-
E deatur: ª *Patriam quæris, an mercenarium?* Cum enim nullus profectus sit in nomine; qui profectum in scriptis invenit, superflue nomen scriptoris inquirit. Caussæ ergo, ut dixi, ista sufficiunt. Sed quia tibi, o mi Saloni, decus nostrum atque subsidium, negare nihil possumus, evidentia dicemus. Tria sunt quæ in libellis istis de quibus loquimur, quæri possunt. Cur is qui scripsit, ad ecclesiam scripserit, & utrum alieno nomine, & an suo: si non suo, cur alieno: & si alieno, cur Timothei potissimum nomen quod scriberetur elegerit. Igitur ut libelli ad ecclesiam scriberentur, hæc caussa est. Scriptor ille, ut etiam scripta ipsa testantur, habet hunc in se cultum atque affectum

ª Tob. V. 17.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

Dei ut Deo nihil præponendum putat, secundum illud scilicet Domini nostri dictum, quo ait: [a] *Qui amat filium aut filiam plus quam me, non est me dignus*. Quamvis dictum hoc tepidissimi ac neglegentissimi quique homines solo tantum persecutionis tempore putent esse servandum. Quasi vero ullum omnino tempus sit quo præferri aliquid Deo debeat; aut qui persecutionis tempore pretiosiorem omnibus rebus Christum habere debet, reliquo omni tempore habere debeat viliorem. Quod si ita est, amorem Dei persecutioni debebimus, non fidei; & tunc tantum poterimus quando nos impii persequentur: cum utique aut majorem aut certe non minorem tranquillis quam asperis rebus affectum Domino debeamus. Quia & hoc ipso a nobis plus debet diligi, quia nos a malis non patitur adfligi; indulgentia scilicet piissimi & mollissimi P.212. patris nobiscum agens, qui magis vult nos in pace & quiete fidem nostram religiosis operibus ostendere, quam in persecutione pœnis nostrorum corporum comprobare. Et ideo si tunc ei nil præferendum est quando nobiscum aspere agitur, ne tunc quidem præferri debet quando per indulgentiam plus meretur. Sed hæc alii tempori magis congruunt. Nunc quod cœpimus exsequamur. Videns igitur scriptor ille quem diximus graves atque multiplices Christianorum pæne omnium morbos, atque a cunctis in ecclesia positis non solum non postponi omnia Deo, sed prope cuncta præponi: (Nam & ebriosi in ebrietatibus Deum spernere videntur, & cupidi in cupiditate, & impudici in libidine, & cruenti in crudelitate, & in his omnibus pæne omnes: atque hoc eo gravius, quod non solum hæc per scelus atrocissimum diu admittuntur, sed ne postea quidem per pœnitentiam corriguntur; maxime cum etiam in his qui pœnitentes esse dicuntur, * nomen sit magis pœnitentia ipsa quam fructus: quia parum sunt rerum vocabula ipsas res non habentia, & nihil virtutum verba sine viribus. Plurimi namque ac pæne cuncti, & rerum abundantes, & conscii criminum ac flagitiorum suorum, non modo ea quæ admiserunt, * exomologesi ac satisfactione, sed ne hoc quidem quod facillimum est, donis saltem ac misericordiis redimere dignantur: atque non solum id in prosperis negligunt, sed quod multum irreligiosius, in adversis; non solum incolumes, sed etiam deficientes. Tanta incredulitas est hominum & tam gravis infidelium languor animarum, ut cum multi maximas opes heredibus, interdum etiam extraneis P.213. derelinquant; hoc solum se putant perdere quod pro spe sua dederint ac salute. Et quidem istud licet in omnibus fere grave sit, præcipue in his tamen quos in consimili crimine infidelitatis etiam * professio sanctitatis accusat. Sed idem morbus hic non sæcularium tantum est, sed eorum etiam qui sibi nomen religionis usurpant.) Et ideo videns ille qui scripsit, commune esse hoc malum prope universorum, labemque hanc non ad mundiales tantum homines, sed etiam ad pœnitentes atque conversos, ad viduas quoque jam continentiam professas atque ad puellas in sacris altaribus consecratas; quodque, ut ita dixerim, prope inter monstra reputandum est, ad Levitas etiam atque presbyteros; & quod his feralius multo est, etiam ad episcopos pervenisse, ex quibus [1] multi quos supra dixi, sine affectibus, sine pignore, non familias, non filios habentes, opes & substantias suas non pauperibus, non ecclesiis, non sibi ipsis, non denique, quod his omnibus majus est ac præstantius, Deo, sed sæcularibus vel maxime & divitibus & extraneis deputarent; *factus est in corde* ipsius, sicut scriptum est [b], zelus Domini *quasi ignis ardens*. Et quia, æstuantibus sacro affectu medullis suis, aliud in tali æstu facere non potuit, in vocem doloris erupit. Vox autem ipsa cui impenderetur, nullus magis idoneus visus est quam ecclesia, cujus utique pars ipsi erant qui ista faciebant. Superflue enim uni aut paucis scribitur, ubi est caussa cunctorum. Hæc ergo ratio & persuasit & compulit, ut libelli de quibus loquimur ad ecclesiam mitterentur. Nunc illud dicimus quod secundum est, scilicet, cur in titulo libellorum non sit nomen auctoris. Cujus rei licet una sit caussa maxima; multæ tamen, ut reor, esse potuerunt. Ac prima P.214. illa veniens a mandato Dei, quo præcipimur vitare omnibus modis terrestris gloriæ vanitatem; ne dum humanæ laudis inanem aurulam quærimus, præmium cæleste perdamus. Ex quo etiam illud est quod & orari Deus & donari occulte jubens, vult nos fructum boni operis commendare secreto; quia nulla sit major fidei devotio quam quæ conscientiam vitat hominum, Deo teste contenta. [c] *Nesciat enim*, inquit Salvator, *manus tua sinistra quid faciat dextera tua: & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi*. Et ideo scriptori illi ad subtrahendum e titulo nomen suum atque celandum sufficere hæc tantummodo caussa potuit; ut quod in honorem Domini sui fecerat, divinæ tantum conscientiæ reservaret, & res commendabilior Deo fieret quæ famam publicam devitasset. Sed tamen, quod confitendum est, præcipuum illud fuit, quia scriptor ille, ut legimus, humilis est in oculis suis ac vilis sibi, exiguum se penitus atque ultimum putans; & hoc, quod majus est, mira fide: non officio humilitatis adsumtæ, sed judicii simplicis veritate. Unde est quod jure se etiam ab aliis talem habendum putans qualis a semet ipso haberetur, recte libellis suis alienum nomen inseruit; scilicet ne auctoritatem salubribus scriptis personæ suæ parvitas derogaret: omnia enim amodo dicta tanti existimantur, quantus est ipse qui dixit. Si quidem tam imbecilla sunt judicia hujus temporis ac pæne tam nulla, ut qui legunt, non tam considerent quid legant quam cujus legant, nec tam dictionis vim atque virtutem quam dictatoris cogitent dignitatem. Idcirco igitur scriptor ille abscondi & latitare omnibus modis voluit: ne scripta quæ in se habent plurimum salubritatis, minora forsitan fierent per nomen auctoris. Habet P.215. itaque quisquis ille est qui requirit, cur alienum nomen adsumtum sit. Restat dicere cur Timothei. Quod ut dicamus, ad auctorem denuo reversuri sumus. Is enim caussarum omnium caussa est: qui sicut humilitati præstitit ut alienum, sic timori atque cautelæ ut Timothei nomen scriberet. Pavidus quippe est & formidolosus, ac nonnumquam etiam levium mendaciorum fugax, atque in tantum peccare metuens ut interdum & non timenda formidet. Cum ergo subtrahere e titulo nomen suum & inserere vellet alienum, * timuit in hac nominum commutatione mendacium, nequaquam scilicet admittendam putans etiam in officio sancti operis maculam falsitatis. Positus itaque in hoc ambiguæ opinionis incerto, optimum fore credidit ut beati Evangelistæ sacratissimum sequeretur

a Matth. X. 37. *b* Jer. xx. 9. Matth. VI. 3. 4.

1. Vide infra pag. 265.

exemplum; qui in utroque divini operis exordio A Theophili nomen inscribens, cum ad hominem scripsisse videatur, ad amorem Dei scripsit; hoc scilicet dignissimum esse judicans, ut ad ipsum affectum Dei scripta dirigeret, a quo ad scribendum impulsus esset. Hoc ergo etiam scriptor hic de quo loquimur, usus est argumento atque consilio. Conscius enim sibi sic se omnia in scriptis suis pro Dei honore, sicut illum pro Dei amore, fecisse, qua ratione ille Theophili, hac etiam hic Timothei nomine scripsit. Nam sicut Theophili vocabulo amor, sic Timothei honor divinitatis exprimitur. Itaque cum legis Timotheum ad ecclesiam scripsisse, hoc intelligere debes, pro honore Dei ad ecclesiam scriptum esse, immo potius ipsum honorem Dei scripta misisse; quia recte ipse scripsis- B se dicitur per quem factum est ut scriberetur. Hac caussa igitur in titulo libellorum Timothei nomen inscriptum est. Congruum siquidem scriptor ille existimavit ut cum in honorem Dei libellos scriberet, ipsi divinitatis honori titulum consecraret. Habes, o mi Saloni, caritas mea, habes quod exegisti: implevi opus muneris imperati. Superest ut P.216. quia ego functus sum partibus meis, & tu fungaris tuis; id est, ores Dominum Deum nostrum, & orando impetres ut libelli ad ecclesiam Christi honore conscripti tantum apud Deum scriptori suo prosint, quantum eos prodesse ipse omnibus cupit. Nec injustum, puto, est desiderium quo tantum sibi aliquis præstari postulat pro salute, quantum ipse optat cunctis pro caritate. * Vale mi Saloni, decus nostrum atque subsidium.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

SALVIANI

MASSILIENSIS PRESBYTERI

LIBERI I.

Adversus Avaritiam.

P.217. I. TImotheus minimus servorum Dei, Ecclesiæ catholicæ toto orbe diffusæ, gratia tibi & pax a Deo patre nostro & Christo Jesu Domino nostro cum Spiritu sancto. Amen. Inter ceteros graves atque mortiferos exitialis pestilentiæ morbos, quos tibi antiquissimus ille ac fœtidissimus serpens gravissima letiferæ æmulationis invidia & teterrimo illo virosi oris spiritu inhalat, nescio an ulla te * acerbior animarum infidelium pestis & tetrior filiorum tuorum labes conficiat quam quod plerique ex tuis * parum existimant, si in hac vita rebus sibi ad opus sanctum a Deo traditis sine fructu misericordiæ atque humanitatis incumbant, nisi [a] avaritiam, id est, [1] idolatriæ servitutem, etiam in futura post mortem tempora D extendant. Circumspicis fortasse & circumspectas qui isti ex tuis sint quos appellem. Non longa tibi inquisitione opus est ad inveniendum. Omnes,
P.218. inquam, omnes pæne hoc sunt quod loquor. Abiit quippe illa egregia ac supereminens dudum primitivæ * plebis tuæ beatitudo, qua omnes Christum agnoscentes caducas rerum mundialium facultates in sempiternas cælestium possessionum opes conferebant, mutantes sensum præsentium in præclaram spem futurorum, immortales divitias præsenti paupertatis ambitu ementes. * At nunc pro his omnibus avaritia, cupiditas, rapina, quæque his sociæ & quasi germana unitate conjunctæ sunt, invidiæ, inimicitiæ, crudelitates, luxuriæ, impudicitiæ, E proditiones, quia superiora illa istorum usibus militant, successerunt: ac sic nescio quomodo pugnante contra temet ipsam tua felicitate, quantum tibi auctum est populorum, tantum pæne vitiorum; quantum tibi copiæ accessit, tantum disciplinæ recessit; & prosperitas venit quæstuum cum C magno fenore detrimentorum. Multiplicatis enim fidei populis, fides imminuta est; & crescentibus filiis suis, mater ægrotat; factaque es, ecclesia, profectu tuæ fecunditatis infirmior atque accessu relabens & quasi * viribus minus valida. Diffudisti si quidem per omnem mundum religiosi nominis membra religionis vim non habentia: ac sic esse cœpisti * turbis opulens, fide pauper; quanto ditior multitudine, tanto egentior devotione; largior corpore, angustior mente; eademque, ut ita dixerim, & in te major & in te minor, novo pæne & inaudito genere processus & recessus crescens simul & decrescens. Ubi enim est illa nunc eximia forma tua & totius corporis pulcritudo? Ubi illud de vivis virtutibus tuis divinorum apicum testimonium dicens: [b] *Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una; & nemo quisquam ex eo quod possidebat, suum esse dicebat?* P.219.
cujus tu nunc, o dolor ac lamentatio, lectionem tantum habes, virtutem non habes, * cuique scientia tantum interes, conscientia abes. Maxima quippe nunc filiorum tuorum portio mortiferarum rerum negotiatrix est, propolisque & cauponibus similis terrenis, immo tartareis, perituris simul atque perdentibus studet nundinis. Lucro enim pecuniæ damnum vitæ ementes, ut acquirant quæ non sunt sua, prodigunt quæ sunt sua, mandantes terræ thesauros luctuosos, heredibus breve gaudium, auctoribus longum mærorem adlaturos, fraudantes usu rerum præsentium tam alios quam se ipsos, condentes profundis specubus infernas opes, simul pecuniam suam ac spem suam infodientes, secundum illud scilicet Domini nostri dictum quo ait: [c] *Ubi fuerit thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum.* Invident itaque saluti suæ, animasque proprias

a Coloss. III. 5. b Act. IV. 32. c Matth. VI. 21.

1. Vide infra notam ad pag. 237. ubi editor observat omnes libros veteres ferre *id est*, non *idololatria*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

quæ vocantur ad cælum, terrenis ponderibus in terram premunt. Mens enim thesaurizantis thesaurum suum sequitur, & quasi in naturam terrestris substantiæ demutatur: nec solum nunc, sed etiam in futuro atque perpetuo. Nam cum, ut scriptum est [a], ante hominem vita pariter ac mors sint, & ad quod vult manum porrigat; necesse est ea unusquisque hominum in æternitate possideat quæ heic quasi manu sua ipse pervaserit, voluntatique ac sententiæ suæ deditus, his in futuro adhæreat conditione quibus heic adhæsit affectu.

II. Sed videlicet immunes se ab hoc piaculo quidam putant, qui fortasse aurum ac facultates suas in terra non habent, & tamen ubicumque abstrusas habent. Nemo se ridiculis opinionibus fallat. Quicumque augendis opibus terrena cupiditate famulantur, aurum terræ semper infodiunt. Hoc est enim illud quod Salvator in evangelio docet dicens: [b] *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*. Et iterum: [c] *Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo*. Intelligi juxta carnalem auditum ista non possunt. Numquid enim aut omnes mali in terra corporales thesauros suos, aut omnes boni in cælo locant? Non utique. Et ideo effectus spiritalium rerum atque virtutes vis sacræ locutionis expressit. Scilicet ut quia cupiditati & avaritiæ terrena atque tartarea, misericordiæ autem ac largitati cælestia ac sempiterna debentur; idcirco diversitas terreni & cælestis thesauri posita est: ut qui cupiditati & avaritiæ thesaurizarent, in inferno se opes locare cognoscerent; qui vero misericordiæ & humanitati, cælestes se thesauros præparare gauderent. Loca itaque thesaurorum de meritis thezaurizantium nominavit. Ibi enim dicuntur esse jam thesauri, ubi sunt thesaurizantes futuri.

III. Sed austera forsitan videatur esse sententia cunctos æqualiter ad perfectionem vocans & una omnes lege compellans, cum utique non sit universorum una conditio. Rectissime quidem dici ad ista poterat, quod cum omnes perpetuo velint vivere, omnes id agere deberent ut vitam * participare possint: quia inconsultissimum ac stultissimum est id, quosdam agere ut quod affectu ac voto volunt, id ipsum re atque actu nolle videantur. Sed tamen videamus eam maxime Christianorum, id est, filiorum tuorum partem quæ certis rerum impedimentis & inexpugnabilibus, ut putat, necessitudinum vinculis a perfectione revocatur. Ac primum in hac parte, illi, opinor, sunt qui ad quærendas pecunias & ampliandas latissime opes compelli se pignorum cura & quasi violento filiorum amore caussantur. Quasi vero quicumque patres sunt, nequaquam aut possint aut debeant omnino esse nisi divites, & amare filios suos sine opum multiplicatione non valeant; aut vero virtus ac medullæ affectuum avaritia & cupiditates sint: quia scilicet, ut illi putant, sicut corpus sine medulla, sic amor sine cupiditate esse non possit. Quod si ita est, omnis absque dubio pietas, mali caussa est; neque in ea sensus sunt bonorum affectuum, sed incentiva vitiorum. Et ubi illud erit sacrum divinæ auctoritatis oraculum: [d] *Pietas ad omnia utilis est*? Hoc enim modo non solum non ad omnia utilis, sed pæne in omnibus insalubris. Si enim generatrix cupiditatum est, plus in se multo malorum continet quam bonorum, secundum illud scripturæ sacræ: [e] *Radix omnium malorum est cupiditas*. Itaque si radix malorum omnium est cupiditas, atque hæc pietatis matrice gignitur & quasi viroso ejusdem lacte nutritur, non tam cupiditas reprehendenda quæ ex pietate parente nascitur, quam ipsa pietas ex qua talis filia procreatur. Quo fit ut si tam pestilens est pietas ac tam nocens, nec amare expediat nec amari: quia nec parentes amorem debent adpetere sibi noxium, nec desiderare filii parentibus obfuturum. Quamvis ille non parentibus tantum, sed etiam filiis morbum ferat: quia & illis gravis est qui perniciosas pariunt hereditates, & illis qui inter improbissimum quæstum improbi educantur heredes. Et hinc est quod pæne omnes parentibus suis filii non magis in patrimonia quam in vitia succedunt, nec magis facultates paternas sumunt quam pravitates: ac sic transeuntes semper in mores patrum, ante eorum incipiunt nequitiam quam substantiam possidere. Bona enim parentum nonnisi mortuis eis possident; viventibus autem adhuc & valentibus, mores: ac sic prius quam in dominio suo habere incipiant res paternas, habent in animis ipsos patres; & ante quam habeant illa quæ falso dicuntur bona, habent illa quæ vere probantur mala.

IV. Quid ergo? cum hæc ita sint, interdicere forsan parentibus filiorum videor affectum? Minime. Quid enim tam ferum, tam inhumanum, tam legi æmulum, quam si non amandos dicamus filios, qui amandos fatemur inimicos? aut si affectum quem natura præstat prohibeamus, qui etiam eum quem natura prohibet impendimus? aut si caritatem mentis extorqueamus quam habet, qui etiam illam ei conamur inserere quam non habet? Non ita est. Non solum enim amandos dicimus filios, sed præcipue ac super omnia amandos, nec quidquam his omnino anteponendum, nisi Deum solum. Nam & hoc est præcipue amare, illum filiis anteponere quem non expediat omnino postponere. Quid est ergo, aut quomodo amandos dicimus filios? Quo absque dubio, nisi quo Deus ipse constituit? Neque enim est ullus melior filiorum amor, quam quem ille docuit qui ipsos filios dedit. Neque possunt pignora melius amari, quam si in eo ipso a quo data sunt amentur. Quomodo igitur Deus amari filios jusserit, non dico ego. Dicat sermo ipse divinus, qui ad patres omnes generaliter ita loquitur: Ut tradat mandata Dei filiis suis, [f] *ut ponant in Deo spem suam, & non obliviscantur operum Dei sui, & mandata ejus exquirant*. Alibi quoque: [g] *Et vos*, inquit, *patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina & correptione Domini*. Videtis quas parari opes a parentibus filiis Deus jubeat, non pecuniarios thesauros nec graves metallo aureo saccos, habentes quidem multum ponderis, sed plus tamen iniquitatis; non superbas ac præeminentes excelsis urbibus domos; non supra humanos visus elata culmina, nec inserta nubibus aerio habitatore fastigia; non denique fundos interminabiles & notitiam sui possessoris excedentes, qui consortes pati indignum æstiment, & vicinitatem injuriam putent. Non ergo hæc Deus præcipit, nec in servilia terrenæ procurationis officia curam patriæ pietatis extendit. Pauca sunt quæ mandat, sed salutaria; expedita, sed sancta; præcepto parva, sed fructu grandia; scripto brevia, sed beatitudine sempiterna. [h] *Parentes* enim, inquit, *nolite * ad Indignationem provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina & correptione*

a Eccli. xv. 18. *b* Matth. vi. 19. *c* Ibid. ℣. 20. *d* I. Tim. iv. 8. *e* I. Tim. vi. 10. *f* Psalm. lxxvii. 7. *g* Ephes. vi. 4. *h* Ibid.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.



Domini: ut ponant scilicet, sicut Propheta dixit [a], *ut ponant in Deo spem suam, & non obliviscantur operum Dei sui, & mandata ejus exquirant*. En quales divitias Deus diligit, en quas parari imperat facultates, fidem scilicet ac timorem Dei, modestiam, sanctimoniam, disciplinam, non caduca. Præclara utique. Cum enim * Deus vivorum sit [b], non mortuorum, recte illa parari filiis jussit per quæ in æternum viverent, non per quæ in æternitate morerentur. Nemo enim dubitat omnibus ferme malis & infidelibus divitias mundiales caussam mortis magis esse quam vitæ, secundum illud quod Deus dicit: [c] *Quam difficile hi qui pecunias* P.224. *habent, introibunt in regna cælorum*! Et iterum: [d] *Facilius est*, inquit, *camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cælorum*. Unde & illud est quod specialiter jubet dicens: [e] *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: thesaurizate autem vobis thesauros in cælo*. [1] Superioribus ac sequentibus dictis duo thesaurorum genera monstrantur; unum scilicet quo filiis thesaurizent patres, aliud quo sibi. Filiis quomodo? Ut erudiant illos officio ac timore divino. Sibi quomodo? Ut thesaurizent sibi thesauros in cælo. Mirifice scilicet: ut quia pecunia caduca est, disciplina immortalis, & omnes fere parentes plus amant filios quam se ipsos, sibi conferant bona caduca, filiis sempiterna; ac sic & pietati suæ consulant & saluti, cum duplici atque immortali bono & per ea quæ æterna sunt æternos esse filios suos faciant, & ad conquirendam sibi beatitudinem ea quæ naturaliter caduca sunt bonis operibus in æterna convertant. Quid ergo æstuas, paterna pietas? Quid ad conquirenda terrena & peritura distenderis? Nihil majus præstare filiis potes, quam si hoc bonum per te habeant quod numquam penitus amittant. Non necesse est ergo ut filio tuo terrenos thesauros recondas. Nulla re eum facies ditiorem, quam si ipsum filium tuum thesaurum Dei feceris.

V. Quamquam hæc licet se ita habeant & sint vera ac saluberrima, tamen non ita dicam quasi filios bonis & facultatibus paternis penitus excludam. Sed de hoc postea disputabimus. Interim quia reos se quidam futuros non putant, si substantias suas non ad evangelii honorem, non ad salutem suam, non ad ullum officium Dei conferant, sed pro libidine & infidelitate quibuscumque here- P.225. dibus passim vel inreligiosis vel locupletibus impia & paganica solicitudine transscribant; videamus breviter vel a quo sint datæ facultates ipsæ, vel ob quid datæ; ut cum & auctorem & caussam datæ rei ostenderimus, facilius & ad quem referenda & in quem usum conferenda sit approbare possimus. Omnem substantiam mundialem divino cunctis munere dari nullus homo, ut reor, ambigit, qui modo in hominum numerum referri potest. Nisi forte quis tantæ sit insipientiæ, ut cum humano generi mundus ipse a Deo datus sit, ea quæ in mundo sunt non a Deo hominibus data arbitretur. Igitur si omnia omnibus Deus tribuit, nemini dubium est quod ea quæ Dei dono accepimus, ad Dei cultum referre debeamus & in ejus opere consumere quæ ejusdem sumsimus largitate. Hoc est enim agnoscere munus Dei & divinis beneficiis bene uti, ut datis suis illum honores a quo data ipsa acceperis: quod quidem etiam humanarum re-

A rum exempla docent. Si enim usus rerum aliquarum cuipiam homini alterius hominis beneficio ac largitate tribuatur, isque immemor illius a quo fructum rerum indeptus est, avertere ab eo ipso proprietatem præstitæ rei atque alienare conetur; nonne ingratissimus omnium atque infidelissimus judicetur, qui oblitus scilicet hominis benefici ac liberalissimi, spoliare illum jure dominii sui velit qui eum ipsum usus possessione ditaverit? Et nos itaque usum tantum earum rerum accepimus quas tenemus: commodatis enim a Deo facultatibus utimur, & quasi precarii possessores sumus. Denique egredientes e mundo isto velimus nolimus heic cuncta relinquimus. Cur ergo cum possessores tantum B usufructuarii simus, quod nobiscum auferre non pos- P.226. sumus, avertere a proprietate Domini atque alienare tentamus? Cur non bona fide datis a Deo resculis utimur? Tenuimus quoad licuit, tenuimus quoad permisit ille qui præstitit. Quid rectius, quid honestius, quam ut ubi res ab eo discedit qui usum habuit, revertatur ad eum possessio qui utendam concessit? Denique etiam ipsæ hoc Dei voces per linguas litterarum sacrarum jubent, dicentes quotidie ad unumquemque nostrum: [f] *Honora Dominum de tua substantia*. Et alibi: [g] *Redde*, inquit, *debitum tuum*. Quam pius est & indulgens Dominus Deus noster, invitans nos ad erogandam terrenæ substantiæ facultatem! *Honora*, inquit, *Do-* C *minum de tua substantia*. Cum totum suum sit quod ab eo accepimus, nostrum esse dicit ut demus; ideo scilicet nostram appellans proprietatem possessionis, ut major sit merces operantis: quia plus fructuum necesse est largitor habeat, ubi de suo videtur esse largitio.

VI. Sed tamen ne hoc ipso humana mens insolesceret quod substantiam hanc Dominus nostram esse dixisset, adjecit: *Redde debitum tuum*: hoc est, ut quem devotio non inliceret ad largiendum, necessitas cogeret ad exsolvendum; & quem ad opus sanctum fides sua ipsa non retraheret, saltem necessitas coarctaret. Prius ergo ait: *Honora Dominum* D *de tua substantia*. Deinde: *Redde*, inquit, *debitum tuum*. Hoc est dicere: Si devotus es, da quasi tuum; si indevotus, redde quasi non tuum. Bene itaque posuit & dandi voluntatem & solvendi necessitatem. Hoc est utique dicere omni homini: Ad opus sanctum & hortatione invitaris & exactione constringeris. Da, si vis; redde, si non vis. Apostolus quoque id ipsum monens, divitibus præcipit [h] *ne superbe sapiant, neque sperent in in-* P.227. *certo divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis*, inquit, *omnia ad fruendum in voluntate operum bonorum*. Uno dicto utrumque docuit, hoc est, & qui daret divitias, & cur daret. Dicens enim sperandum a Deo qui præstat omnia, ostendit a E Deo divites fieri. Addens autem *in voluntate operum bonorum*, docet id ipsum quod dixit a Deo tribui, propter bona tantum opera præstari. *Præstat enim*, inquit, *omnia in voluntate operum bonorum*; hoc est, ad hoc facit homines substantia esse locupletes ut bona operatione sint divites; id est, ut commutent divitias quas acceperunt, & facultates ipsas in bonis operibus conlocantes, Dei opes quas habent in hoc sæculo temporarias, bene utendo faciant sempiternas, ac sic agnoscentes munera Dei, duplici bono gaudeant; cum qui sunt

a Psalm. LXXVII. 7. *b* Matth. XXII. 32. *c* Luc. XVIII. 24. *d* Ibid. ŷ. 25. *e* Matth. VI. 19. 20. *f* Prov. III. 9. *g* Eccli. IV. 8. *h* I. Tim. VI. 17.

1. Vide infra pag. 282.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

divites in hoc sæculo, esse quoque divites mereantur in cælo.

VII. Sic ergo habendæ sunt divitiæ, sic petendæ, sic tenendæ, sic propagandæ. Alioqui inæstimabile malum est bonis a Deo datis non bene uti. [a] *Avaro enim*, inquit scriptura sacra, *nihil est scelestius*: & pessimum ac feralissimum morbi genus, [b] *divitiæ conservatæ in malum domini sui*. Verum est. Quid enim pejus, aut quid miserius, quam si quis præsentia bona in mala futura convertat, & quæ ad hoc a Deo data sunt ut pararetur ex eis vitæ beatitudo perpetua, per hæc ipsa quæratur mors ac damnatio sempiterna? In quo & illud considerandum est, quod si servatæ divitiæ ad malum hominis conservantur, quanto utique ad majus malum coacervantur? Quotus enim quisque nunc divitum tantæ est continentiæ qui opes custodire con-
P.228. tentus, adcumulare jam nolit? O miseria temporis & ecclesiasticæ plebis, ad quid redacta est! ubi cum scriptum sit quod servare opes genus sit magni criminis, non augere jam genus putatur esse virtutis. Ergo, ut supra diximus, quomodo se quidam reos omnino non putant, si nec in morte sibimet per dispensationem substantiæ consuluerint, cum etiam ex hoc rei sint quod usque ad mortem cuncta servaverint? Aut quomodo rei non erunt qui facultates suas ad quoscumque homines infidelissima vanitate transmiserint, cum etiam illi rei futuri sint qui non se ipsos in vita ista aliqua ob honorem Dei rerum suarum parte privaverint? ostendente id ipsum etiam per Apostolum suum Domino nostro atque dicente: [c] *Agite nunc, divites, plorate in miseriis quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum & argentum vestrum æruginavit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis.* [1] *Thesaurizatis in novissimis diebus*. Præter illam quæ in mysterio latens major est multo ac terribilior divinorum verborum severitatem, sufficere ad metum ac tremorem omnibus puto illa quæ promta sunt. Ad divites enim peculiariter loquitur. Plangere eos præcipit, mala futura nuntiat, ignem perpetuum comminatur. Et hoc, quo minæ ipsæ magis timendæ sint, non propter homicidia, non propter fornicationes, non ob sacrilegas impietates, aut alia postremo vitia letali gladio animas & perenni occasione jugulantia, sed propter solas tantummodo opes, propter insanam cupiditatem, propter auri atque argenti famem; ut ostenderet
P.229. scilicet sufficere hæc homini ad æternam damnationem, etiam si reatus alii non fuissent. Quid dici simplicius, quid evidentius potest? Non dicit diviti: Torquendus es, quia homicida es; torquendus es, quia fornicator; sed torquendus tantummodo quia dives, hoc est, quia divitiis male uteris, quia datas tibi ad opus sanctum divitias non intelligis. Non enim ipsæ divitiæ per se noxiæ, sed mentes male utentium criminosæ; nec ipsæ opes homini pœnæ caussa sunt, sed de opibus sibi pœnas divites faciunt: quia dum uti divitiis bene nolunt, ipsas sibi divitias in tormenta convertunt. *Thesaurizatis*, inquit, *in novissimis diebus*. Bene, cum dixisset *thesaurizatis*, addidit *in novissimis diebus*; hoc est, ut major thesaurizantium reatus esset, cum thesaurorum invidiam etiam sæculi extrema cumularent. *Thesaurizatis*, inquit, *in novissimis diebus*. Per thesauros cupiditas, per novissimos dies infidelitas accusatur. Ac per hoc * duplex & cupiditatis noxa est & infidelitatis: quia thesauros quos (juxta id quod Deus dicit: [d] *Non concupisces*) crimen utique fuit & alio tempore concupiscere, majus absque dubio per infidelitatem ipsam crimen est etiam in mundi fine cumulare.

VIII. Durum fortasse aliquis sermonem meum hactenus judicavit. Et vere durus est, si aliquid non ex testimoniorum sacrorum auctoritate commonuit. Durus existimetur, si aliquid tale habuit quale heic Apostolus prædicavit. Ut non addamus illud Domini nostri dictum, quo omnes penitus indignos se esse dixit [e] qui non renuntiassent omnibus quæ possederint. Quæ cum ita sint, nonne, quæso, indulgentissimum, modestissimum ac mollissimum existimari convenit quod locuti sumus; scilicet qui hominibus quibus perfectam in- P.230. columitatem tribuere non possumus, opem saltem desperatæ salutis inquirimus, & quorum vitam sanare non possumus, mortem levare tentamus. Quid est enim perfecta sanitas? Quid, nisi in vita hac bene agere? Quid postrema curatio? Quid, nisi vel in extremis bonum viaticum comparare? Quid est enim perfecta sanitas? Quid, nisi rebus a Deo traditis bene uti? Quod ultimum remedium? Quod, nisi saltem postea facere quod pœniteat te non ante fecisse? Dura fortasse aliquis putat esse quæ dico. Dura, plane dura existimentur, nisi talia sint ut in comparatione apostolicæ severitatis mollia ac remissa videantur. Apostolus enim ad planctum divites vocat, nos ad remedium. Apostolus divitias ignem nominat, nos facere ex divitiis aquas cupimus ignem exstinguentes, secundum illud: [f] *Sicut aqua exstinguit ignem, sic eleemosyna exstinguit peccatum*. Apostolus in divitiis male conservatis damnationem esse testatur; ego ex his quæ dicit ille mortem æternam omnibus facere, vitam opto perpetuam comparare. Non quidem quod ulli vitiis carnalibus implicato sufficere ad vitam æternam putem si, cum usque ad mortem in flagitiis consenuerit, in obitu bene cuncta dispenset, nisi antea & peccatis renuntiaverit, & sordidam illam criminum tunicam lutulentamque projecerit, & novam * conversionis ac sanctimoniæ vestem de manu Apostoli prædicantis acceperit. * Alioqui peccare non desinit quem in extremis situm recedere a criminibus sola tantum facit impossibilitas, non voluntas. Qui enim a malis actibus tantum morte discedit, non relinquit scelera, sed relinquitur a sceleribus, ac per hoc necessitate exclusus a vitiis; & tunc, puto, peccat quando cessaverit: quia quantum ad animum, nec- P.231. dum desiit qui adhuc velit peccare, si possit. Non bonis itaque spebus innititur qui ad hoc tantum peccat in vita ut peccatorum molem redimat in morte; & ideo se evasurum putat, non quia bonus, sed quia dives sit. Quasi vero Deus non vitam quærat hominum, sed pecuniam, atque a cunctis malorum redimendorum spe male agentibus accipere solos pro criminibus nummos velit, & corruptorum judicum more argentum exigat ut peccata vendat. Non ita est. Prodesse enim largitionem plurimum certum est, sed non illis qui ultima futuræ largitionis spe male vivunt, qui fiducia redimendæ immunitatis scelera committunt; sed illis qui decepti aut lubrico ætatis, aut nubilo er-

a Eccli. X. 9. *b* Eccle. V. 12. *c* Jac. V. 1-3. *d* Exod. xx, 17. Deut. V. 21. Rom. vii. 7. *e* Luc. xiv. 33. *f* Eccli. III. 33.

1. Gr. & Vulg. *Thesaurizastis*.

roris, aut vitio ignorantiæ, aut postremo lapsu fragilitatis humanæ, resipiscere tandem quasi * post mortem gravissimæ infirmitatis, aut quasi post luctum turbatæ mentis incipiunt, & sicut ad sensum suum insani homines post furorem, sic isti redeunt post errorem; in uno tantummodo a se dispares, quod illi gaudent postquam evaserint ægritudinem, isti plangunt postquam acceperint sanitatem. Nec immerito. Illi enim tanto plus gratulantur, quanto plus incolumitatis indeptos esse se sentiunt; isti tanto plus confunduntur, quanto evidentius morbum sui erroris agnoscunt. Quo fiat necesse est ut illi exsultent & isti lugeant: quia illi quod ægrotarunt, imputant valetudini; isti, quod erraverunt, sibi: ac illi læti sunt de remedio; & isti anxii de reatu.

IX. Unde admoneo cum omnes, tum præcipue eos quos gravium delictorum terror exagitat, & in quibus infelicior conscientia peccatorum pœnalium recordatione suspirat, primum ut licet lapsi P.232. sint, non commorentur in lapsu, nec in volutabris suis sordentium suum more versentur; qui cum æstuantes alvos cœno immerserint, nequaquam sordidis voluptatibus satisfaciunt nisi tota penitus luto membra convolvant. Non ergo horum naturalem sequantur inluviem, nec male blandis lapsibus adquiescant, aut in barathro libidinum commorantes, in ipsis se sepeliant ruinis suis; sed illico ubi concidere consurgant, & elevationem protinus meditentur in lapsu; ac, si fieri ullo modo pernicitate pœnitudinis potest, tam velox sit remedium resurgentis, ut vix possit vestigium apparere conlapsi. Ergo in hujusmodi caussis hoc primum medelæ opus est, ut morbos suos languentes horreant, curare plagas festinent saucii, & illico e corporibus sagittas rapiant vulnerati. Optime enim malagma vel fibula calidis adhuc vulneribus * imponitur, & citius sibi plagarum caro sociatur quæ non diu hiare permittitur. Ulcus quippe in corpore si computruerit, dilatatur; & si plagas cancroma sequitur, cancrum necesse est consequatur occasus. Fugienda itaque primum hæc peccatoribus mala sunt; nec dandus diabolo locus, ut qui stantes impulit in ruinam, lapsos præcipitet in mortem. Quod si aut tanta vis morbi aut tanta ægrotorum fuerit incuria, ut valetudinis labem usque ad dies ultimos trahat; quid dicam nescio, quid promittam penitus ignoro. Revocare ab inquisitione ultimi remedii periclitantes, durum & impium; spondere autem aliquid in tam sera curatione, temerarium. Sed melius tamen est absque dubio quamvis diuturna paralysi aridas manus aliquo tandem nisu ad cælum erigi, quam letali penitus desperatione dissolvi. Melius est nihil inexpertum re- P.233. linquere quam morientem * nulla curare; maxime quia nescio an in extremis aliquid tentare medicina sit; certe nihil tentare, perditio. Et unum scio, quod quicumque in hanc miseriam longi languoris extrema perduxerit, ineffabile dictu est quantum lamentationis erroribus suis debeat, quia numquam errata cognovit.

X. Et quid inter hæc fiet? Quando lugebit qui dies lugendi perdidit? Quando satisfaciet qui tempus satisfactionis amisit? Ad jejunia videlicet longa confugiet? Est quidem hoc aliquid, si eleemosynis misceatur, secundum illud: [a] ***Bonum est jejunium cum eleemosyna.*** Sed quomodo ei exomologesis diuturna opitulabitur in extremis sito? Sed A cilicio carnes conteret ac favilla & cinere sordidabit? ut mollitiem videlicet præteritæ voluptatis præsentium asperitatum dura compensent, & reatum longarum deliciarum officio patrocinantis solvat * incuriæ. Sed quando hæc tam grandia faciet, vicino jam exitu etiam a mediocrium actione disclusus? Crucibus denique diversarum ærumnarum reum in suo corpore hominem judex fidei severitas subjugabit, ut indulgentiam scilicet absolutionis æternæ præsentis pœnæ ambitione mereatur. Sed fatiscente jam corpore, ubi exercebit districtionis officium censor animus? Uti enim severitatis arbitrio judex non potest, quando reus jam non sustinet judicari. Unum ergo est quod amissis omnibus adB jumentis atque subsidiis nutanti ac destituto opitulari queat, ut confugiat scilicet ad illud beatissimi Danielis sacrum ac salubre consilium: qui Babylonio regi mederi volens, ulceribus de offensione contractis malagma de miseratione composuit dicens: [b] *Propter quod, rex, consilium meum placeat tibi, & peccata tua in misericordiis redime, & injustitias tuas in miserationes pauperum. Fortasse erit patiens Deus delictis tuis.* P.234. Ita ergo & iste faciat, ut ille dixit. Utatur medicamento alii oblato ad sua vulnera; vereatur contumaciæ inobedientis exemplum; cogitet quid ipse sit passurus in morte, cum videat quid rex Assyrius pertulerit in vita. Evidens est de superbia ac rebellione documentum. C Consideret an ipse, si non audierit, mortuus evasurus sit; cum videat quod rex ille qui non audivit, se ipsum vivus amisit. Offerat ergo vel moriens ad liberandam de perennibus pœnis animam suam, quia aliud jam non potest, saltem substantiam suam; sed offerat tamen cum compunctione, cum lacrymis; offerat cum dolore, cum luctu. Aliter quippe oblata non prosunt: quia non pretio, sed affectu, placent. Nec enim animus dantis datis, sed animo commendantur data; nec pecunia fidem insinuat, sed pecuniam fides. Ac per hoc qui prodesse sibi vult quæ Deo offert, hoc modo offerat. Neque enim homo Deo præstat beneficium in his quæ dederit, sed Deus in his homini quæ D acceperit: quia etiam quod homo habet, Dei ac Domini sui munus est. Ac per hoc in his quæ offeruntur ab homine, homo non suum reddit, Dominus suum recipit. Itaque cum offert Deo quispiam facultates suas, non offerat quasi præsumtione donantis, sed quasi humilitate solventis; nec absolvere se peccata sua credat, sed allevare; nec offerat cum redemtionis fiducia, sed cum * placationis officio; nec quasi totum debitum reddens, sed quasi vel parvum de magno reddere cupiens: quia etiam si tradat quod habet pro modo rerum, non reddit quod debet pro magnitudine peccatorum. Et ideo, licet offerat, oret Deum ut sua P.235. placeat oblatio, plangens id ipsum quod tarde ofE fert, plangens ac pœnitens quod non prius; sicque erit ut juxta prophetam propitietur forsitan Deus * delictis suis.

XI. Sed dicit aliquis: Totum ergo Deo oblaturus est quod habet? Non offerat totum quod habet, si non putat se debere totum quod habet. Non quæro cujus sit quod offertur, vel a quo sit acceptum ante quod redditur. Hoc dico solum, non offerat totum pro debito, si debere se totum non putat pro reatu. Totum ergo, * inquit aliquis, peccator oblaturus est? Immo nihil, si non cum fide; immo nihil, si non cum ambitu; immo nihil, si non cum prece; immo nihil, si non hoc

[a] Tob. xii. 8. [b] Dan. iv. 24

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.



animo ut hoc ipsum inter præcipua Dei beneficia reputet quod animum offerendi dedit, & plus sibi in his quæ Deo relinquit præstari æstimet, quam in illis quæ prius habuit. Quia hoc quod habetur ab homine, temporarium est; quod autem Deo relinquitur, sempiternum. Totum, inquit aliquis, oblaturus est? At ego dico esse hoc totum parum. Quid enim jam scit aliquis an peccatorum mensuram oblata compensent? jam scit aliquis an tantum sit in officio placationis quantum est in offensione discriminis? Si novit quisquam hominum peccatorum quanto redimere delicta possit, utatur scientia ad redemtionem. Si vero nescit, cur non tantum offerat quantum potest? ut si compensare peccata non valet pretii magnitudine, saltem mentis devotione compenset. Perfectum enim conscientiæ fructum exhibet, qui intra conscientiam nil relinquit. Dura nonnulli hæc absque dubio & immensurata caussantur; maximè quia Propheta is de quo
P.236. diximus, Babylonium regem hoc tantum admonuisse videatur ut multa donaret, non ut universa distraheret. Non profero interim testimonia evangelii, nec confugio ad vocem loquentis Dei in sacris voluminibus. Non dico aliud vetere, aliud nova lege præceptum. Unde etiam Apostolus: [a] *Ecce*, inquit, *vetera transierunt: facta sunt omnia nova.* * *Omnia autem ex Deo*. Quibus utique dictis docet non vetera secundum litteram, sed nova secundum Deum esse facienda. Hoc solo interim contentus sum quod Propheta dixit. Sermo enim ei cum rege erat, & quidem cum rege non unius urbis, sed ut tunc videbatur, totius orbis; * qui utique non poterat populos quos regebat per testamentum egenis tradere, & nationes barbaras indigentibus quasi nummos dare, aut in pauperum stipes diffusa longe ac late regna convertere: & ideo Propheta, [b] *Peccata*, inquit, *tua in misericordiis redime*: hoc est: aurum da indigentibus, quia non potes regnum dare: * facultatem distribue, quia potestatem non vales * prorogare: ac per hoc videtur jussisse ut totum daret, quem hoc solum non jussit distribuere quod non poterat erogare.

XII. Exaggeramus forte rem verbis, & alte nimis attollimus. Videamus ergo id ipsum quale sit. *Peccata*, inquit, *tua in misericordiis redime*. Quid est aliqua redimere? Opinor, pretium rerum quæ rediműtur dare. Non quæro quæ illius regis peccata fuerint. Ipse sciat quanti debuerit redimere quæ fecit. Te adloquor cujus caussa est; te adpello cujus discrimen agitur. Hoc facito quod Propheta dixit: *Peccata tua in misericordiis redime*. Noli tantum Deo relinquere quantum habes, si
P.237. pro peccatis tuis necessarium non putas quantum

A habes. Æstima diligentissime culpas quas admisisti, æstima peccatorum diversitates. Vide quid pro mendaciis debeas, quid pro maledictis atque perjuriis, quid pro * negligentiis cogitationum, quid pro impuritate sermonum, quid pro omni denique malæ voluntatis affectu. Adde postremo etiam si aliqua de his intra conscientiam tuam sunt de quibus Apostolus dicit [c], adulteria, fornicationes, impudicitiæ, ebrietates, immunditia Deo exosa, avaritia * idolatriæ famula, & post hæc aliqua forte crimina etiam de humani sanguinis effusione contracta. Cumque omnium supputaveris numerum, expende pretia singulorum. Et post hæc non quæro ut pro peccatis tuis totum Deo tradas quod
B habes; hoc solum redde quod debes, * si potes æstimare quod debeas. Addo autem post ista omnia, quod cum tractaveris delicta tua atque taxaveris, tanto plus pro malis tuis debebis quanto peccata tua vilius æstimaris. * Quomodo; Quoniam [d] *qui se*, inquit Apostolus, *existimat esse aliquid cum nihil sit, se ipsum seducit*. Ut non dicam tibi quod regi illi victuro adhuc, & forte juveni, ut festinaret tamen peccata sua redimere præceptum est. Tu autem tanto plus pro te debes, quod hæc vel moriens facis vel jam jamque moriturus. Grandis enim munificentia ac devotio futura est, quæ possit id compensare, quod hæc tum demum Domino tuo reddis quando habere ipse jam non potes;
C præsertim cum addatur ad ista omnia quod Propheta ipse qui regem illum ad redemtionem criminum vocat, per hæc ipsa quæ dicit debere fieri, non tam ei veniæ securitatem quam viam inquirendæ salutis ostendit. Dicens enim: *Peccata tua in misericordiis redime, & forsitan propitiabitur Deus delictis tuis*; hoc ipsum quod dicit *forsitan*, P.238. spem indicat, non fiduciam pollicetur. Ex quo intelligi potest quam difficile jam in supremis positi peccatores qualibet munificentia ad perfectam indulgentiam pervenire possint, quando Propheta ipse qui suadet propitiationem Dei inquirendam, promittere tamen non ausus est promerendam. Dat consilium de actu, & tamen dubitat de effectu.
D Hortatorem se agendi, non impetrandi auctorem facit. Quare ita? Quia omnes scilicet peccatores debent pro se vel in supremis cuncta tentare, etsi non possunt ulla præsumere. Si enim regi Propheta ille per solam bonorum operum largitatem absolutam indulgentiam non promittit, intelligere peccator non acta errorum pœnitentia potest, quanta ei & quam larga in supremis munificentia opus est qui vult obtinere a Domino per seram devotionem quod non potest usurpare per legem.

Finit liber primus.

a II. Cor. V. 17. 18. *b* Dan. IV. 24. *c* Gal. V. 19. 20. *d* Gal. VI. 3.



I N C I P I T

L I B E R II.

I. Diximus de remediis peccatorum, immo potius de spebus remediorum atque solatiis: scilicet hoc primum inquirendæ salutis esse suffragium ut peccatorem pœniteat erroris; tum ut juxta sermonem sacrum statim peccata sua misericordiis redimat; postremo, si id non fecerit, ne quid saltem moriens inexpertum relinquat, vel ultima

E sibi rerum suarum oblatione succurrat. Sed respondeatur fortasse hoc loco illud, si peccatores homines hac redimendorum criminum necessitate teneantur, sanctos absque dubio qui sint expertes criminum, non teneri, ac per hoc non habere eos caussam substantiæ largiendæ qui non habeant quod redimere eos necesse sit largitate. Audio. Sed id P.239.

quale sit, jam videbimus. Interim, etiam si præterita mala non sint quæ sanctum hominem oporteat rebus cunctis redimere, sunt tamen perennia bona quæ magno debeat comparare. Sed de hoc plenius postea. Nunc autem hoc dico libere & constanter adfirmo, neminem esse omnino sanctorum qui non in multis sit Deo debitor, ac per hoc eum quæcumque Domino suo dederit, non tam donare quam solvere. Ac primum ut de beneficiis generalibus dicam, id est, quo quisquis vel sanctorum es ille vel divitum, primum benevolentia ac dono Dei & natus & altus & educatus es, quod rebus ad vitam necessariis communitus, quod etiam non necessariis locupletatus, quod plus ad usum tibi Dominus tuus tribuit quam modus usuum postulavit, B quod extendit denique super spes tuas munera sua, &, quod est maximum ac rarissimum, dona illius etiam tua vota vicerunt. Addo autem post ista omnia, quod idem Dominus qui te primum munere suo genuit, postea etiam passione salvavit, quod propter te, o homo, terram ac lutum immo exiguam terræ ac luti * partem rerum universarum Dominus * terras adiit, ex carne pariter & in carne processit, humiliatus usque ad * humani exordii pudorem & pannorum inluviem & præsepii vilitatem, tolerans indignas se vitæ istius passiones, edendi,
P.240. bibendi, somni, vigiliarum ægras vicissitudines, & caducæ istius conversationis contumeliosas necessitates, ipsam denique hominum circa se conversantium C fœtidam commorationem, populos peccatorum sordentium luto oblitos, semper malæ conscientiæ admissu reos, turpium ex se actuum nidorem exhalantes, & ideo cælestium præceptorum incapaces, nec sustinentes sacri fulgoris jubar, quia caligantes peccatis oculos splendor divini luminis obruebat. Nec solum hoc. Sed post hæc omnia, adde protervas superbientis populi contradictiones, adde convicia, adde maledicta, impiam insectationem, testimonium falsum, judicium cruentum, irrisiones populi, sputa, verbera, acerbissimas quidem pœnas, sed indignitates pœnis acerbiores, coronam spineam, aceti poculum, cibum fellis, damnatum ab hominibus Dominum universorum, pendentem D in patibulo salutem humani generis, Deum terrenæ conditionis lege morientem.

II. Quæ cum ita sint, quicumque ille aut sanctus es, aut sanctum te esse credis, dic mihi, quæso; numquid solvi hæc sola possunt, etiam si nulla alia debeantur? Quidquid libet enim homo pro Deo perferat, solvi omnino non potest quod Deus pro homine perpessus est: quia etiam si passio ipsa non differat genere pœnarum, multum tamen distet necesse est diversitate patientum. Sed forsitan dicis generale in his quæ diximus omnium hominum esse debitum, & in hoc universorum hominum genus indiscrete obnoxium. Verum est. Sed E numquid aliquis ideo minus debet, si & alius idem debeat? Aut si centum hominum cautiones de centenis sestertiis scriptæ sint, num idcirco adlevatur unius debitum, si omnes sint ejusdem numeri debitores? [a] *Unusquisque* enim, inquit Apostolus, *suum onus*
P.241. *portabit*, & unusquisque pro se rationem reddet. Nequaquam ergo unius pondus pondere adlevatur alterius, nec absolvitur reus societate multorum. Neque ideo minus est cuilibet tetra damnatio, si multos complices pœnæ videatur habere damnatus. Ita hoc quod supra dixi, licet generale sit debitum, speciale tamen esse non dubium est; licet sit commune omnium, est tamen peculiariter singulorum; ita ad omnes æqualiter pervenit quod tamen de summa unicuique nil recedit. Christus enim sicut pro omnibus passus est, sic pro singulis, & cunctis se impendit pariter & singulis, & totum se dedit universis, & totum singulis: ac per hoc quidquid passione sua Salvator præstitit, sicut totum ei debent universi, sic totum singuli; nisi quod prope hoc plus singuli quam universi, quod tantum acceperunt singuli quantum universi. Ubi enim hoc unus accipit quod universi, etsi par est mensura, major est invidia. Quo fit ut licet ipsum accipiat, plus debere videatur: quia magis fit unus obnoxius, qui videtur omnibus comparatus. Hæc ergo hactenus, quia debitores Deo quidam sanctorum esse se non putant, cum debitum æstimare non possint.

III. Sed dicit fortasse aliquis: Non quidem debitores non esse sanctos, sed multo tamen majora hominum sæcularium esse debita, quorum sunt plura peccata. Quod tale est ac si quispiam dicat: Ideo ego sum innocens, quia alius magis est nocens; ideo ego justus, quia alter injustus; ideo ego adprime bonus, quia alius singulariter malus. Jam primum enim indecorum hoc sanctæ menti est, ut bona sua crescere malis arbitretur alienis, & meliorem se esse æstimet * comparatione pejorum. Infelicissimum enim consolationis genus est de mise- P.242.
riis hominum peccatorum capere solatia, cum Apostolus [b] *gaudere nos cum gaudentibus* jubeat *&* *flere cum flentibus*, & [c] non quæ sua sunt singulos cogitare, sed ea quæ aliorum. Sed esto: istiusmodi comparatio justa atque honesta videatur: numquid etiam fida existimari potest? Quis enim de illo tanto ac tam terribili futuro Dei judicio satis certus est? Aut quis dicere potest: Ego minus debeo, ille plus debet. Quis postremo de se præsumere aut de alio desperare? [d] *Omnes* enim, inquit Apostolus, *stabimus ante tribunal Christi*, & [e] *Unusquisque suum onus portabit*. Nihil ergo, inquit aliquis, inter sanctos & peccatores est? Multum plane, & pæne immensurabile. Sed quia scriptura dicit: [f] *Beatus homo qui semper est pavidus*, & numquam est de salute propria mens secura sapientis; licet multum inter sanctos & peccatores sit, quæro tamen ab omnibus religionem professis, quis sibi juxta suam conscientiam satis sanctus sit, quis de illa futuri examinis tremenda severitate non trepidus, quis de perpetua incolumitate securus? Quod si utique non est, sicuti neque esse debet, dicat mihi, obsecro, quilibet hominum cur non totis substantiæ suæ viribus ad id nititur ut vel mortis devotione redimat quidquid vitæ offensione contraxit? Quamquam hæc quæ loquor scire omnes legentes volo, non me de omnibus sanctis, sed de his tantum loqui qui licet religionem non professi sint, tamen divitias non relinquunt. De illis enim qui * expediti omnibus sarcinis, Salvatoris viam sequuntur, & Dominum Jesum Christum non sanctitate tantum sed etiam paupertate * imitantur, nihil est quod dici possit, nisi illud tantum quod etiam Propheta dixit: [g] *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus*. [1] Hos enim ego omnes P.243.
non aliter quam imitatores Christi honoro, non aliter quam Christi imagines colo, non aliter quam Christi membra suspicio, & ad hoc tantum illorum memini ut eorum memoria dignus fiam.

a Gal. VI. 5. b Rom. XII. 15. c Philipp. II. 4. d Rom. XIV. 10. e Gal. VI. 5. f Prov. XXVIII. 14. g Psalm. CXXXVIII. 17.

1. Vide infra pag. 276.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

IV. Sed injuriosa illa quæ supra diximus, religiosæ professioni esse videantur. Quid enim, inquit aliquis, si vidua sit dives, & viduitatem tamen in magna opum copia non relinquens? Quid si virgo integritatem professa, & impolluti corporis sanctitate devota? Quid si conjugium sine opere conjugali, negans se ipsum sibi, & habens se quasi non habens? Quid si * monachus ab incunabulis Deo militans? Quid si clericus sacri ministerii servitutem fideli servitute consummans? Numquid etiam hi æternæ salutis fructu periclitantur, si aut viventes opes integras habeant, aut morientes indigentibus non relinquant? Parva est ad promulgandam de hujuscemodi quæstione sententiam sermo atque auctoritas mea. Videamus ergo quid de his omnibus sacrorum voluminum linguæ ac præceptorum cælestium voces sonent; & tunc rectissime secundum datam a Deo normam opinionis nostræ regulam dirigemus. Ac primum: non est quod confugiendum sibi nunc quisquam putet ad veterum exemplorum esse solatia, ut dicat aliquos fortasse sanctos aut in lege aut ante legem divites fuisse. Abiit quippe illud tempus, mutata ratio est. Ante legem enim liberum omnibus erat vel habendæ vel etiam consectandæ facultatis arbitrium: quia scilicet adhuc tunc virga interdictorum cælestium non castigabatur. [a] *Ubi enim*, inquit Apostolus, *non est lex, nec prævaricatio*. Lex ergo fecit aliquid non licere, * secundum illud: [b] *Nam concupiscentiam*, inquit Apostolus, *nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces*. Et ideo opes quas ante legem Deus non reprehenderat, homo libere possidebat. In lege quoque nihilominus prope idem juris omnibus suppetebat: quia lex hominem, dummodo juste, habere quod vellet penitus non vetabat. Itaque tunc omnes omnino sancti cunctis facultatibus suis juxta præscriptos legis terminos utebantur, [c] *ambulantes*, ut legimus, *in omnibus mandatis & justificationibus Dei sine querela*. Sicut utique illi ipsi ambulaverunt de quibus ista memorantur, sicut prophetes Anna in jejuniis atque orationibus vivens, sicut Nathanael ille quem legimus, veri Israelitæ laude sublimis, & ipso Domino ac Deo teste mirabilis; sicut * Tobias, magnanimitate devotionis præcepta legis excedens, sepulturis hominum mortuorum etiam cum mortis periculo serviebat, & indigentibus usque ad indigentiam suam consulens, in tantum largitatis affectum venerat ut mercenario suo partem bonorum omnium deputaret; & hoc, quo magis possit mirum esse, jam dives; &, quo mirabilius, dives ex paupere; quia majorem ferme excitant habendi cupiditatem opes post indigentiam.

P.244.

V. Tales ergo tunc sancti erant, secundum legem omnia habentes, * secundum legem omnia relinquentes. Ac sic perfectus fuit omnis qui legi paruit, & tam devotus qui sub lege tunc minus fecit, quam nunc in evangelio qui plus facit. Tunc enim quasi evangelium lex fuit. Quo fit quod qui se obtemperantem tunc legi præbuit, quasi * evangelium complevit. Non est ergo quod confugiendum sibi nunc quisquam ad legem putet. [d] *Vetera* enim, ut ait Apostolus, *transierunt: facta sunt omnia nova*. Plus tunc indulgentiæ erat & plus licentiæ. Tunc esus carnium prædicabatur, nunc abstinentia. Tunc in omni vita jejuniorum paucissimi dies, nunc quasi unum jejunium vita omnis. Tunc læsis ultio suppetebat, nunc patientia. Tunc

P.245.

A irascentibus lex ministra erat, nunc adversaria. Tunc accusatori gladium porrigebat, nunc caritatem. Tunc etiam carnali inlecebræ lex indulgebat, nunc evangelium nec aspectui. Tunc corporeæ voluptates habebant quamdam licentiam, nunc jubentur etiam oculi custodire censuram. Tunc ad multas uxores recipiendas unius mariti torum lex dilatabat, nunc etiam ad unam excludendam casti affectus devotione constringit. [e] *Superest* enim, inquit Apostolus, *ut & qui habent uxores, ita sint ac si non habeant: & qui flent tamquam non flentes: & qui gaudent tamquam non gaudentes: & qui emunt tamquam non possidentes: & qui utuntur hoc mundo tamquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi*. Videte quam breviter missus a Deo doctor cuncta moderatus sit & intra quam perfectionem universa concluserit, non inlicita solum intercidendo, sed etiam licita coartando, circumcidens scilicet & usum conjugiorum & infidelitatem fletuum & intemperantiam gaudiorum & habendi libidinem & emendi cupiditatem & ipsam denique mundi hujus brevem atque umbratilem voluptatem. Et hæc omnia cur? Cur utique nisi, ut ipse dixit, quia præterit figura hujus mundi? Quam longe sunt ergo a mandato Dei quos cum ipsos jusserit Deus viventes opibus renuntiare, illi eas cupiunt etiam in cognatis suis mortui possidere. Aut quam longe ab ea devotione sunt ut exheredent se ipsos propter Deum, qui exheredare nolunt saltem extraneos propter se? Quibus libenter libere dicerem: Quæ insania est, o miserrimi! Ut heredes alios quoscumque faciatis, vos ipsos vero exheredatis; ut alios relinquatis vel brevi divites, vos ipsos æterna mendicitate damnatis?

P.246.

VI. Sed quærit fortasse aliquis, quid sit istud quod nunc plus exigat Deus a Christianis per evangelium quam a Judæis ante per legem? * Certa istius rei ratio est. Ideo enim majora nunc Domino nostro solvimus, quia majora debemus. Judæi quippe habebant quondam umbram rerum, nos veritatem: Judæi fuerunt servi, nos adoptivi: Judæi acceperunt jugum, nos libertatem: Judæi maledicta, nos gratiam: Judæi litteram interficientem, nos spiritum vivificantem: Judæis servus magister missus est, nobis filius: Judæi per mare transierunt ad eremum, nos per baptisma introimus in regnum: Judæi manna manducaverunt, nos Christum: Judæi carnes avium, nos corpus Dei: Judæi pruinam cæli, nos Deum cæli: [f] *qui cum*, ut Apostolus ait, *in forma Dei esset, humiliavit semet ipsum usque ad mortem, mortem autem crucis*; non contentus scilicet simplicem pro nobis subire mortem, nisi ipsam voluntariæ necis susceptionem summorum suppliciorum perpessione cumulasset. Pro hoc ergo solo quid solvere homo poterit, cui se per ultimam pœnarum acerbitatem Christus impendit? Aut quid pro se dignum Domino repensabit, qui ipsum a quo redemtus est Deum debet? Hæc ergo caussa est qua devotiores esse nos Dominus sibi velit, quia tam magno devotionem nostram pretio comparavit. Et ideo beatissimus Paullus: [g] *Quis ergo*, inquit, *nos separabit a caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?* Non Apostolus solam pecuniam nec solas deberi a nobis divitias Deo dicit, sed tribulationem, angustiam, famem, gladium, passionem, effusionem sanguinis, animæ exhalationem, mortem denique omni pœnarum ge-

P.247.

a Rom. IV. 15. *b* Rom. VII. 7. *c* Luc. I. 6. *d* II. Cor. V. 17. *e* I. Cor. VII. 29-31. *f* Philipp. II, 6. 8. *g* Rom. VIII. 35.

nere conditam. Unde intelligant omnes religiosi non satis se Deo reddere, etiam si universas dederint facultates: quia licet sua cuncta dispensent, ipsos se tamen debent. Et ideo, sicut supra dicere cœperamus, si vidua est quæpiam, nequaquam sibi sufficere ad æternam salutem nomen viduitatis putet, sed videat qualem esse in Apostolo viduam Deus jubeat dicens: *Quæ vere vidua est, desolata sperat in Domino, instat orationibus nocte ac die. Nam quæ in deliciis agit, vivens mortua est.* Uno eodemque præcepto duas Apostolus formas viduitatis expressit, unam vitæ, alteram mortis, cum in deliciis mortem posuit. Ergo absque dubio divitem esse non vult quam deliciosam esse non patitur; quia omnis fructus divitiarum in usu est positus deliciarum: alioqui remoto usu deliciarum, caussæ opum non relinquuntur.

VII. Cum itaque Apostolus in deliciis viduæ mortem esse memoraverit, promtum est quod ad vitæ æternæ fructum vult universa distribui, qui non vult ad mortis usum aliqua reservari. Et ideo dicit: [a] *Quæ vere vidua est, desolata sperat in Domino*: docens scilicet parum esse si non sit vidua deliciosa, non dives, nisi fuerit Deo adhærens, nisi orationi dedita, nisi a cunctis mundi inlecebris desolata, & per hæc omnia vere vidua. Quod si ita est, quæcumque se vitæ cupit esse, non mor-
P.248. tis, nequaquam sufficere sibi æstimet si & delicias sibi ob Deum & divitias abnegarit, nisi & oratione & labore id promeruerit ut vere vidua Dei esse videatur: quia non est dubium quod quemadmodum quis in hoc sæculo Christo adhæserit, ita in Christi corpore permanebit, secundum illud: [b] *Adhæsit anima mea post te, me autem suscepit dextera tua.* Quo declaratur quod eam tantum animam quæ Deo adhæserit in hoc sæculo, dextera Dei suscipiet in futuro. Hæc ergo viduitatis est regula. Nam de conjugibus continentiam professis & spiritu Dei plenis dubitare quis debeat quin sua heredibus mundanis servire nolint qui se ipsos mundo eliminaverint? Quomodo enim ad se pertinentia aliis addicant, qui ipsos se sibi denegant? Tam nova enim virtute præditi, concessasque &, quod majus est, expertas corporum voluptates admirabilis continentiæ austeritate calcantes, quemadmodum aliquid rerum suarum non Deo voveant, qui ipsum intra se Deum esse fecerunt? ut meo quidem judicio etiam de tali conjugio rectissime dici possit: [c] *Lætare sterilis quod non paris, erumpe & exclama quod non parturis: quia multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum.* Et sterile namque est quod non parit, & desertum quod ab omnibus se mundi inlecebris separavit, & sine viro quod sine viri usu ita virum habet ut non habere videatur. Hos ergo conjuges tales quis dubitet, & dum vivunt, sicut in se, ita etiam in suis substantiis Deo vivere, cum e vita exeunt, cum sua ad Deum cui vixerint, facultate migrare? Aliter enim quilibet horum, si res suas sæculo dederit atque ipsi sæculo derelinquit, frustra sibi nomen religionis inscripsit, eique videtur semper
P.249. vixisse cui moritur. De conjugibus itaque ista sufficiunt.

VIII. Transeamus ad sacras virgines, quibus legem devotionis Salvator ipse præscripsit [d]; exemplo scilicet decem virginum, ex quibus fatuarum numerum puellarum ideo tantummodo dicit pœnis
A perennibus dandum, quia * scit ei opus misericordiæ defuturum. Quo dicto evidentissime docuit quanti pretii judicarit largam misericordiam, sine qua dixit nec integritatem quidem ipsam virgini profuturam. Sed blandiuntur sibi fortasse quædam, & sufficere sibi æstimant si, cum multa * ac magna in facultatibus habeant, saltem exigua largiantur. Nec ego abnuo ut si ita ratio est, ita esse credatur. Parum detur, si parum dedisse sufficit. Sed ego sufficere parum nescio: immo parum non sufficere certo scio. * Si aliud ipsæ sciunt, apud se ipsas sciant. Ego unum scio, quod Deus dicit exstinctas fatuarum virginum lampadas operum bonorum oleum non habentes. Sed tu, quæcumque es,
B habere te oleum abunde putas? Et illæ profecto de quibus dixi, stultæ virgines sic putabant. Nisi enim habere se credidissent, * providerant ut haberent. Nam cum postea, ut ait Dominus, mutuari velint & omni studio atque ambitione perquirant, absque dubio etiam ante quæsissent, nisi eas habendi fiducia decepisset. Et tu itaque, quæcumque virgo es, vide ne sic non habeas, licet habere te credas. Ejusdem enim nominis cujus illæ, ejusdem professionis es. Tu virgo es, & illæ virgines erant: tu præsumis te esse sapientem, & illæ se esse fatuas non putabant: tu lumen habere lampadem tuam judicas, & illæ profecto lumen præsumtione futuri luminis perdiderunt. Nam &
C ideo scribuntur aptasse lampadas suas, quia illuminandas esse credebant. Et quid plura? Etiam emi- P.250.
cuisse in eis quiddam luminis puto. Cum enim ipsæ, ut legimus, exstinguendas forte lampadas suas reformidarent, habebant profecto aliquid quod verebantur exstingui. Nec falsa opinio metuentium fuit. Exstinctæ siquidem, & obcæcatæ sunt. Nihil enim profuit illi integritati quod in ea lumen virginitatis apparuit, * quia substantia olei non suppeditante defecit. Ex quo intelligimus id quod parum est quasi nihil esse: quia non satis prodest illico exstinguendum lumen accendi, nec juvat aliquid inlucescere quod in ipso ortu habeat occasum, & ad hoc tantummodo habere initium viventis ut
D * possit initium habere morientis. * Plane itaque lucerna opus est ut lumen possit esse diuturnum. Nam si in lychnis ipsis quibus ad breve tempus utuntur homines, languescit lumen ac deficit nisi oleum large fuerit infusum; quanta tibi, quæcumque illa es, quanta tibi olei abundantia opus est ut lucerna tua luceat in æternum? Nemini itaque ad vitam perennem sat est, si putet se habere quod non habet. Stultæ enim præsumtiones, perditionis caussæ sunt, non salutis. [e] *Nam qui se*, inquit Apostolus, *existimat esse aliquid, cum nihil sit, se ipsum seducit.* Nisi forte tibi, quæcumque illa es, revelatus a Deo modus sit largitatis, & præscriptos a Spiritu sancto donandi terminos habeas, quos ex-
E cedi piaculum putes, ac transgressionis quodammodo genus judices si religiosior fueris quam a Deo esse jubearis. Si ita est, non prohibeo quin utaris scientia a divinitate concessa. Quod si tam falsum est hoc quam frivolum, quæ insania est ut non quanta potes omnino facias per cautam & timidam provisionem, cum ignores penitus quid tibi P.251.
competat ad salutem?

IX. Superest de ministris & * sacerdotibus quiddam dicere, licet superflue forte aliqua dicantur. Quidquid enim de aliis omnibus dictum est, magis absque dubio ad eos pertinet qui * exemplo esse

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

a I. Tim. V. 5. b Psalm. LXII. 9. c Isa. LIV. 1. d Matth. XXV. 1. seqq. e Gal. VI. 3.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.



omnibus debent, & quos utique tanto antistare ceteris oportet devotione quanto antistant omnibus dignitate[1]. * Nihil est enim turpius quam excellentem esse quemlibet culmine & despicabilem vilitate. [1] Quid est enim aliud principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine homine? aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? Et ideo cunctos qui sacri altaris suggestu eminent, tantum excellere oportet merito quantum gradu. Si enim viris in plebe positis & mulierculis * ipsa fæce * infirmioribus talem ac tam perfectam Deus vivendi regulam dedit; quanto utique esse illos perfectiores jubet a quibus omnes docendi sunt ut possint esse perfecti, & quos tam magni esse exempli in omnibus Deus voluit ut eos ad singularem vivendi normam non novæ tantum, sed etiam antiquæ legis severitate constringeret? Nam licet decretum vetus largam cunctis ampliandarum opum dederit facultatem, omnes tamen levitas & sacerdotes intra certum habendi limitem coartavit, quos scilicet neque segetem, neque vineam, neque ullum omnino fundum habere permisit. Ex quo intelligi potest an ea nunc * Deus noster velit in evangelio viventes * clericos suos mundanis post se heredibus derelinquere, quæ adhuc in lege positos ne ipsos quidem voluit possidere. Unde est quod eis Salvator ipse in evangelio non ut ceteris voluntarium, sed imperativum officium perfectionis indicit. Quid enim eum laico illi adolescenti dixisse legimus? * [a] *Si vis esse perfectus vende quæ habes, & da pauperibus*. Quid autem ministris suis? [b] *Nolite*, inquit, *possidere aurum neque argentum neque pecuniam in zonis vestris. Non peram in via, neque duas tunicas habeatis, neque calciamenta, neque virgam*. Videte quanta sit in utroque hoc Dei sermone diversitas. Laico dixit: *Si vis, vende quæ possides*: Ministro autem: *Nolo possideas*. Sed & hoc parum existimavit si possessionem ei substantiæ amplioris auferret, nisi etiam peram ipsam acturo iter longum Apostolo sustulisset, & unius eum tunicæ singularitate multasset. Et quid postea? Nec hoc satis est. Nudis quoque insuper servos suos lustrare pedibus orbem terrarum jubet, & calciamenta plantis gelu rigentibus tulit. Quid dici amplius potest? * Peram de Apostoli manu rapuit, & peragrantibus universum mundum ministris suis usum unius virgulæ non reliquit. Et post hæc parum est successoribus eorum, id est, levitis ac * sacerdotibus, tanta divinarum rerum administratione fungentibus, si ipsi tantum divites fuerint, nisi etiam heredes divites relinquant. Erubescamus, quæso, hanc infidelitatem. Sufficiat nobis quod videmur usque ad vitæ terminos Deum spernere. Cur id agimus ut contemtum ipsius etiam post mortem extendamus? Diximus de personis atque officiis singulorum. Et hæc omnia ideo quia, ut supra diximus, quidam religionem professi aut non debere se sicut ceteros mundiales substantiam suam Domino, aut certe minus debere arbitrantur; cum utique hoc magis debeant, quia servus qui scit voluntatem domini sui, & non [c] facit eam, vapulet multis; qui autem nescit, vapulet paucis. Religio autem, scientia est Dei: ac per hoc omnis religiosus, hoc ipso quod religionem sequitur, Dei se voluntatem nosse testatur. Professio itaque religionis non aufert debitum, sed auget: quia adsumtio religiosi nominis, sponsio est devotionis: ac per hoc, tanto plus quispiam debet opere, quanto plus promiserit professione, secundum illud: [d] *Melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere*.

X. Sed forsitan dicit aliquis: Si hæc ita sunt, tutior ergo est inreligiositas quam religio. Minime. Religiosus enim per hoc est debitor quod profitetur religiosum; inreligiosus autem per id quod neglexerit religionem: ac per hoc ambo habent pro diversitate conditionis debitum suum. Religiosus debet quidquid se professus est agnovisse; inreligiosus vero etiam quod non dignatur agnoscere, secundum illud quod specialiter sermo divinus de eo dicit: [e] *Noluit intelligere ut bene ageret*. Sed tamen qui onerasse religiosos hac re videmur, quia professionem nominis sponsionem esse diximus religionis; removeamus hanc sarcinam, putemus non ita esse quæ dixi. Consideremus denique, non quid professione, sed quid ratione; non quid voto, sed quid salubritate ipsa facere debeamus. Dicite mihi, quæso, omnes religiosi, numquid est ullus hominum qui non omnia quæ facit, vel salutis suæ vel certe utilitatis gratia faciat? Nemo, opinor. Omnes enim ad affectum atque appetitum utilitatis suæ naturæ ipsius magisterio atque impulsione ducuntur. Ideoque & qui militant, id sibi pulcrum, & qui negotiantur, id sibi utile, & qui agricolantur, id sibi fructuosum esse existimant. Et quid plura? Fures quoque ipsi & latrones & venefici & sicarii & omne improbæ conversationis genus, id sibi quod agit congruum putat, non quod ulli prava conveniant, sed quod ille qui pravis utitur, hoc sibi credat congruum esse quod pravum. Ergo & nos non alia opinor caussa religionis philosophiam adpetivimus quam quod nobis id conveniens arbitrati sumus, cogitantes scilicet & præsentium rerum brevitatem, & futurarum æternitatem, quam parvum istud, quam grande illud; cogitantes quoque futurum judicem & tremendi judicii graves exitus, ardentem in medio populorum circumstantium vallem perennium lacrymarum; quam non solum introiri atque tolerari inæstimabile ac summum malum, sed etiam videri ac timeri pars mali summi sit; cogitantes quoque, inter hæc horrenda & pœnalissima, alia hæc præclara ac beatissima, novos scilicet cælos & novam terram, vultum rerum omnium pulcriorem, æternum justitiæ habitaculum, recens ædificium creaturarum, aureas super rudes cælos sanctorum omnium domos, aulas gemmis intermicantibus expolitas, & immortalium metallorum fulgore pretiosas; lucem illic septuplo illustriorem, puniceo semper splendore radiantem, beatitudinem ineffabilibus bonis divitem, lætam cum incolis suis perennitatem, Patriarcharum consortium, Prophetarum societatem, Apostolorum germanitatem, Martyrum dignitatem, & in omnibus sanctis angelorum similitudinem, opum cælestium copiam, deliciarum immortalium affluentiam, communem cum Deo vitam. Hæc itaque cogitantes, hæc contemplantes, ad cultum religionis sacræ officiumque confugimus, eamque nobis ad obtinenda hæc bona suffragatorem quodammodo & advocatum efficacissimæ intercessionis assumsimus, atque in eis nos protectionem ac patrocinium ambitiosa humilitate contulimus.

XI. Unde cum hæc tanta & cogitaverimus pariter & petierimus, videamus nunc & expendamus

a Matth. XIX. 21. *b* Matth. X. *c* Luc. XII. 47. 48. *d* Eccle. V. 4. *e* Psalm. XXXV. 4.

1. Hic locus refertur supra in initio libri IV. de Gubernatione, pag. 63.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

diligentissime, si est vel in actibus nostris vel in A substantiis unde talia ac tanta a Deo emere possimus. Quod si non est, cur, rogo, non unusquisque nostrum totum pro se offerat, quod habet, quia non potest totum offerre quod debet? maxime cum Salvator ipse ac Deus noster nihil tutius ac salubrius omni homini esse dixerit quam rem suam atque substantiam in usu misericordiæ conlocare; idque præcipue & in vetere, & in nova lege mandaverit dicens quod qui dividant propria, ditiores fiant, & quod [a] misericordia a morte liberet. Et alibi de sancto viro: [b] *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in æternum*. In evangelio quoque: [c] *Nolite*, inquit, *thesaurizare vobis thesauros in terra*. Et iterum: [d] *Non potestis Deo B servire & mammonæ*. Et iterum: [e] *Væ vobis, divites, qui habetis consolationes vestras*. Avaris quoque & inhumanitatis crimine reis: [f] *Ite*, inquit, *in ignem æternum, quem paravit pater meus diabolo & angelis ejus*. Quorum quæ pœna semper futura sit, facile intelligitur, quibus sors cum diabolo deputatur: per quæ tamen tormenta maxima, non atrocissima illa in eis fornicationum aut homicidiorum aut sacrilegiorum crimina puniuntur, sed sola tantummodo avaritia, & abdicatrix misericordiæ inhumanitas. Unde intelligere nos convenit quid passuri sint quos, præter alia peccata, etiam avaritia reos fecerit; cum summo supplicio afficiendi sint quos, expertes omnium peccatorum, solum C

P.256. avaritiæ crimen morte damnarit. Quæ utique si futura omnia credimus, absque dubio evitare debemus. Si autem non devitamus, profecto non credimus. Si autem non credimus, Christiani nequaquam sumus. Neque enim possumus quemquam dicere Christianum, qui non putat Christo esse credendum.

XII. Sed esto, illas quas supra diximus pœnas non timeamus rei; numquid etiam præmium sperare possumus non merentes? Et ideo si opes non damus ob peccatorum redemtionem, demus saltem ad emendam beatitudinem; si non damus ne damnemus, demus saltem ut muneremur: quia etiam D si præterita mala non sint quæ oporteat sanctos redimere, sunt tamen perennia bona quæ magno debeant comparare; etiam si pœna non sit quæ timeatur, est tamen regnum quod ambiatur; ac per hoc, etiam si non habent sancti quæ redimant, habent tamen quæ emant. Nisi forte aliquis damnum in emtione vereatur, videlicet ne plus commodet quam recipiat, ne grandia feneranti parva reddantur, ne largitionem redhibitio non repenset, & data semel pretii magnitudine pecunia periclitetur emtoris; ac si magnum quid Domino commendarit in terra, non habeat Christus forsitan unde ei solvat in cœlo. Plane si ista dubitatio est, fieri nihil suadeo: quia nec prosunt omnino ulla dubitanti. Cassa quip- E pe est operatio, si fides certa non fuerit; & frustra fenerat qui de receptione desperat. Christus enim, ut credimus, factorum omnium retributor est. Si ergo aut inopem eum qui retribuere non possit, aut infidelem putas esse qui nolit; quomodo ab eo retributionem sperare poteris, quem & impossibilitatis & infidelitatis ipse damnaveris? Quod si non ita est, nec ambigis eum facturum esse quæ

P.257. dixit; quæ insipientia aut qui error est ut non ei tantum des quantum potes, cum utique non dubites multo te plus recepturum esse quam dederis?

A Quæ denique miseria ut malis nihil ex eis recipere quæ relinquis, cum totum possis penitus possidere quod credis? Sed (miserum me!) puto, non creditur Deo. Et quod dico puto, utinam ambigue putarem, & non evidenter agnoscerem. * Laborarem fortasse intra me vincere opiniones meas, & cogerem sensum dubia non credere, ut mentem melioribus applicarem. Sed quid agimus? Non dubiis rebus vincimur, & evidentibus coartamur. Quis enim Domino mente credit, & facultate non credit? quis Deo animam suam mancipat, & pecuniam negat? quis promissis cælestibus fidem commodat, & non agit ut esse possit particeps promissionum? Et ideo cum videamus homines hæc B non agere, cogimur non credentes palam & evidenter agnoscere. Non licet ut eos nos Deo fidem putemus adhibere, cum illi se rebus clament negare. In quo necesse est infidelitatem pæne omnium hominum plangi atque lugeri. O miseria! o perversitas! Homini ab homine creditur, & non creditur Deo. Humanis promissionibus spes commodatur, Deo negatur. Omnia denique in rebus humanis spes futurorum agunt. Vita quoque ipsa hæc temporaria non nisi spe alitur ac sustinetur. Ideo enim terris frumenta credimus, ut cum usuris credita recipiamus. Ideo in vineis labor maximus ponitur, quia homines spes vindemiæ consolatur. Ideo negotiatores thesauros suos emtionibus vacuant, C dum venditionibus sperant esse cumulandos. Ideo navigantes vitam ventis ac tempestatibus credunt, ut spebus votisque potiantur. Et quid plura? Pax P.258. quoque inter feras ac barbaras gentes spe innititur, & fide adstipulante firmatur. Latrones quoque ipsi & sanguinarii fidem sibi invicem non negant, & quæ promiserint, mutuo servaturos esse confidunt. Totum denique, ut dixi, inter homines spebus agitur. Solus Deus est de quo desperatur. Cumque * elementa ipsa & naturam mundi Dominus noster fidelem fecerit; illi tantum prope ab omnibus non creditur, qui solus fecit ut rebus omnibus crederetur.

D XIII. Sed dici forte hoc loco possit, quod rebus suis utantur homines non esse infidelitatis interdum, sed necessitatis, neque Deo non credere religiosos, sed vitæ atque usui necessaria reservare: multos enim sanctorum hominum a summa dispensandarum opum perfectione aut sexu nonnumquam aut ætate aut ipsa infirmioris corpusculi imbecillitate prohiberi. Esto, hoc ferri possit; sed tamen etiam si feratur, ita ferendum est ut pro qualitate necessitatum atque caussarum sufficientia retineantur, immoderata resecentur. [g] *Habentes enim*, inquit Apostolus, *victum & vestitum, his contenti sumus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem * & laqueum diaboli*. Ergo, ut videmus, in E rebus tantum necessariis salus est, in superfluis laqueus; in mediocritate Dei gratia, in divitiis diaboli * catena. Denique quid statim Apostolus subdit? *Quæ demergunt*, inquit, *hominem in interitum & perditionem*. Ergo si divitiæ interitum in se habent, evitemus opulentiam, ne in interitum corruamus. Ampla ac locuples facultas perditionem inferre dicitur. Refugienda est ampla possessio, ne consequatur profunda perditio. Ac per hoc, sive sexus, sive ætas, sive infirmitas necessaria victui P.259. requirant, sufficientibus debent esse contenta; ita ut quidquid temporarium excedit usum, religiosum

a Tob. XII. 9. b Psalm. CXI. 9. c Matth. VI. 19. d Ibid. ℣. 24. e Luc. VI. 24. f Matth. XXV. 41. g I. Tim. VI. 8. 9.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

absumat officium. Ceterum si tu, quicumque aut A quæcumque illa es sanctæ professionis, aut conservandis opibus aut cumulandis facultatibus inhies, superflue de infirmitate caussaris. Numquid enim infirmior sexus ducere aliter vitam non potest, nisi animi sui curas multa ingentis patrimonii administratione distenderit? Numquid puella sacra aut vidua castitate devota servare inlæsam sanctæ professionis perseverantiam non valent, nisi argenti & auri ponderibus incubaverint, ac tantas intra conscientiam opes possidere se noverint quantas usus possidentium non requirit? Aut quia huic & sexui pariter & pudori quies maxime necessaria est, numquid impossibile sibi quæpiam forte æstimat inter pauca famulantium ministeria inviolatam quietem B posse servare, nisi aures ejus familiæ ingentis strepitus verberarit & turbarum circumsonantium tumultuosus clamor obtuderit? Quæ utique sanctæ animæ & quietem veram desideranti non pati tantum nimis magna inquietudo, sed etiam videre quodammodo pars est inquietudinis, quasque etiam si subdere aliquis disciplinæ ac silentio velit, comprimere tamen earum inquietudinem cum sua quiete non possit: adeo etiam * ipsa emendatio alienæ inquietudinis, perturbatio est nostræ quietis. Hæc autem quæ de hoc sexu locuti sumus, ad omnes pertinent, omnique pariter ætati, sexui, infirmitatique conveniunt. Non est itaque quod competere quisquam aut non obesse divitias religioni pu- C tet: impedimenta hæc sunt, non adjumenta; one-
P.260. ra, non subsidia. Possessione enim & usu opum non suffulcitur religio, sed subvertitur, secundum illud quod Dominus ipse dicit: [a] *Solicitudo sæculi istius & fallacia divitiarum suffocant Dei verbum, & sine fructu efficitur.* Proprie utique ac satis pulcre fallaces dixit esse divitias. Bona enim & putantur & appellantur; ac per hoc fallunt homines nomine præsentium bonorum, cum sint caussæ malorum æternorum.

XIV. Sed licet hæc ita sint ut Deus ipse prædixit, adquiescamus tamen miseriis quorumdam atque languoribus, qui putant se sine magnis omni- D no opibus vitam agere non posse. Esto tu, quicumque aut quæcumque illa es sancti nominis ac professionis, esto divitias, esto copias tuas usque ad finem vitæ istius habeas, dummodo saltem in fine tibi conferas. Esto, rebus ac facultatibus tuis in vita hac uti velis, dummodo tui vel moriens non obliviscaris, & ad ejus cultum atque honorem referendam tibi substantiam tuam memineris cujus te munere accepisse cognoscis. Humanum est quod ab omnibus vobis, o divites mundi hujus, petitur ac deliciosum. Si impetrari ab unoquoque vestrum non potest ut esse in hoc sæculo pauper velit, præstet sibi saltem ne in æternitate mendicet. Qui præsentem inopiam tantum fugitis, cur in perpe- E tuum non reformidatis? In brevibus meticulosi, longa & interminabilia vitate. Quid tantopere in vita ista paupertatem horretis, quid expavescitis? Minus multo est quod heic timetis. Si tenuitatem temporariam gravem ducitis, qualis, quæso, erit illa quæ nûmquam definet? Quasi vestri apud vos animi rem agimus vestrique voti. Si usu vestrarum rerum penitus carere non vultis, id agite ne ali-
P.261. quando careatis. Deliciosam a vobis rem & voluptariam poscimus. Qui sine divitiis omnino esse non adquiescitis, id agite ut divites semper esse possitis, secundum illud: [b] *Si ergo delectamini sedibus & stemmatibus, reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis.* Alioqui qui error aut quæ insania est, quemquam hominum esse posse qui acta in amplis opibus, quod solum sufficit ad reatum, usque ad diem ultimum vita, nec in supremo quidem exitu large ac salubriter sui memor sit, nec in ipsa jam de suo sibimet ægra extremitate succurrat, (præsertim cum in divitiis, per se Dominum accusantibus, secundum illud, [c] *Væ vobis divites*, etiam alia * ipsi diviti peccatorum genera non desint, quæ in ipso divitiarum sinu atque matrice quasi in naturali quodam fomite pullularint) & non vel in ultimis suis id agat, id elaboret, id omni rerum suarum ambitu promereatur, ne reus exeat, ne reus vadat, ne cruciandum postea corpus, crucianda etiam ad præsens anima derelinquat? Quis ergo est aut tam infidelis aut insanus qui hæc non timeat, qui hæc non cogitet, qui de substantia sua aliis magis quam sibi consulat, & cuncta penitus spe vitæ hujus, cunctis subsidiis destitutus, unam tantummodo tabulam, cui inhærere adhuc quasi in medio mari naufragus possit, amittat, nec amittat tantummodo, sed abjiciat atque a se penitus expellat, omnibus modis id elaborans ne quid sibi omnino reliquum esse faciat quo periturus evadat?

XV. Quæ cum ita sint; dicite mihi, quæso, omnes Christum amantes, si esse ulli omnino homines tam sævi ac tam crudeles adversum inimicos suos possunt quam sunt isti adversum se? Nulli quippe sunt tam feri, tam inhumani, qui non vel desperatos jam atque morientes adversarios suos per- P.262. sequi desinant; isti se ipsos etiam in morte positi persequuntur. Annon est hoc persecutio, aut esse alia major potest, exheredari hominem a se ipso, * extorrem bonorum omnium fieri, & quasi in exsilium a se ipso agi? atque hoc non communi more aut usitato, sed novo & crudelissimo. * Omnes enim exsules, etsi corporibus ablegantur, animis non eliminantur; etsi carne captivi sunt, cordibus tamen, si volunt, liberi perseverant. Hoc autem unde nunc loquimur, novum exsilii genus atque tormentum est, scilicet ubi in exsilium anima ipsa mittitur, ubi e facultatibus suis spiritus abdicatur. O quanto leviores sunt extranei & carnales inimici! Illi enim corporum tantum * hostes sunt, vos & animarum. Leve est itaque, in comparatione facinorum vestrorum, illorum odium. Facile est enim quidquid in præsenti sæculo nocet. Illud grave, illud perniciosum est quod in æternitate jugulabit. Et ideo Salvator ipse, [d] *Nolite eos*, inquit, *timere qui possunt corpus occidere, animam autem non possunt.* Facile est ergo odium quod corpus lædit, non lædit animam: quia læso corpore, anima extra damnum est, & passionibus carnium beatitudo spirituum non interpolatur. Illud itaque, illud inexpiabile malum est, illud æstimari omnino non potest quod totum omnino hominem sine fine damnabit. Et ideo leviores vobis inimici vestri sunt quam vos ipsi. Omnis siquidem inimicitia morte dissolvitur. Vos contra vos ita agitis, ut inimicitias vestras nec post mortem evadatis.

Explicit liber secundus.

a Matth. XIII. 22. *b* Sap. VI. 22. *c* Luc. VI. 24. *d* Matth. X. 28.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

INCIPIT

LIBER III.

P.263. I. DUobus superioribus libris cum duabus filiorum tuorum partibus, id est, una mundi amatrice, alia religionis imaginem præferente, o domina mi ecclesia Dei, quasi separatim locuti sumus. In hoc autem, si Deus annuerit, ad utramque, prout caussa ac ratio postulaverint, loqui cupimus, nunc divisim ulterutram, nunc ambas pariter adloquentes. Superest ut ab utraque earum agnoscente in lectionis ferie partes suas, quidquid pro affectu Dei a nobis dicitur, cum affectu Dei recipiatur. Igitur quia in cunctis quæ jam locuti sumus, speciale Christianorum omnium bonum misericordiam ac largitatem esse memoravimus, præcipuaque in eis & merita sanctorum & peccatorum remedia contineri idoneis, ut reor, ac multis B testibus adprobavimus, non opinor a quoquam plura exspectari; maxime cum si quis cupidus est plurium, ipsos adire debeat libros Dei, qui tam multis ac magnis testibus pleni sunt, ut universarum cælestium litterarum pæne unum sit testimonium. Superest adversum eas responsionum infidelium caussas, quæ a quibusdam mortiferæ excusationis gratia opponi solent, quippiam dicere. Loquens Salvator in evangelio, propterea commodari hominibus opes a Domino ac pecuniam dicit, ut cum usuris multiplicibus commodata reddantur, dicens avarissimo debitori: [a] *Serve male ac piger, sciebas quod ego meto ubi non semino, & congrego*
P.264. *ubi non sparsi: oportuit ergo te pecuniam meam da-* C *re nummulariis, & ego veniens cum usuris recepissem quod meum est. Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta.* Ac paullo post: *Et servum*, inquit, *nequam projicite in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium.* Quod tamen etsi etiam ad aliud referri potest, tamen loco quoque & caussæ huic non insalubriter coaptatur. Cum enim nummularii Salvatoris pauperes & egeni recte intelligantur, quia pecunia quæ talibus dispensatur augetur; cum usuris absque dubio Deo redditur quidquid egentibus erogatur. Unde & alibi apertius ipse Dominus [b] distribuere divites opes mundi & facere sibi sacculos qui non veterascant jubet. Sed & in vase electionis suæ [c] idcirco lo- D cupletibus divitias a Domino dari indicat, ut bono opere ditescant. Et ideo etiam ego minimus & indignissimus famulorum Dei primum ac saluberrimum religionis officium esse dico ut Christianus dives, dum in hac vita est, divitias mundi hujus pro Dei nomine atque honore consumat; secundum autem, ut si id vel metu, vel infirmitate, vel necessitate aliqua præpeditus forte non fecerit, saltem moriens universa dispenset.

II. Sed dicit fortasse: Filios habeo. Jam de hoc quidem principalis libelli pagina & convenientia, ut arbitror, & non pauca memoravit, satisque ad hanc rem Domini sermo sufficit dicens: [d] *Qui amat* E *filium aut filiam super me, non est me dignus.* Sed & propheticum illud quod ait [e] neque patres pro filiis, neque filios pro parentibus judicandos, sed unumquemque hominum aut sua justificatione salvandum aut sua iniquitate periturum: ac per hoc quaslibet divitias homo filiis suis congerat, nequaquam hoc ei proderit in judicio quod divitem re- P.265. liquit heredem. Sed esto, ignosci parentibus possit si ex parte aliqua hereditarias facultates filiis derelinquant, si tamen idipsum bonis, si tamen sanctis. Esto quoque, ignosci possit si etiam malis quiddam atque vitiosis. Habere aliquam excusationis speciem videntur dicentes: Pietas vicit, vis sanguinis compulit, natura ipsa quasi amoris manu in jus suum traxit: scivimus quid justitia Dei posceret, quid sacra veritas postularet; sed subacti, fatemur, sumus jugo incarnatæ necessitudinis, & dedimus captivas manus vinculis caritatis: cessit sanguini fides, & vicerunt devotionem religionis jura pietatis. Dici aliquid potest, tametsi salubriter dici non potest: est umbra excusatiunculæ non excusans, dans reo deprecatiunculæ speciem, non reatus securitatem. Nequaquam enim id ulli spondeo quod possit cujuslibet rei firmum habere subsidium, si aliquid plus amaverit quam Deum, secundum illud quod scriptum est [f], in hoc futurum esse judicium quod venerit lux in hunc mundum, & dilexerint homines magis tenebras quam lucem. Nemini enim dubium est totum id tenebras futurum homini quidquid divinæ prætulerit caritati. Hæc ergo ita sunt. Sed esto, ut dixi, indulgeri parentibus possit naturæ insalubriter indulgentibus. Quid quod [1] nonnulli filios non habentes, a respectu se tamen salutis suæ & remedio peccatorum penitus avertunt, ac licet semine sanguinis sui careant, quærunt tamen quoscumque alios quibus substantiam propriæ facultatis addicant, id est, quibus umbratile aliquod propinquitatis nomen inscribant, quos sibi quasi adoptivos imaginarii parentes filios faciant, & in locum eorum quæ non sunt pignorum perfidia generante succedant? ac sic mi- P.266. serrimi quique & impiissimi, cum vinculis filiorum non constringantur, ipsi tamen sibi vincula parant quibus infelicia animarum suarum colla constringant; cum vis domesticorum discriminum nulla sit, foris discrimen arcessunt; & licet caussæ desint periculorum, ruunt tamen quasi in interitum voluntarium: quorum errores infelicissimi quo affectu animi accipiendi sint ac ferendi, prope incertum apud quosdam videri potest irascendum ne iis an dolendum sit. Error enim dolore dignus est, impietas exsecratione. Ad fletum trahimur infelicitate, ad iracundiam infidelitate. In una re est quod pro hominum insipientia lugeamus, in alia quod pro Dei amore moveamur, ullum omnino hominum inveniri aut esse posse qui decurso infelicis vitæ istius brevi spatio, in ipsa extremitate jam pendens, iturus illico ad tribunal Dei, quidquam aliud cogitet præter finem suum, quidquam aliud præter exitum suum, quidquam aliud præter periculum suum; & neglecta spe sua atque anima, cui opitulari aliquatenus vel in ultimis suis omni studio, omni nisu, omni re ac substantia sua debeat, hoc solum cogitet, hoc solum animo suo volvat, quam laute heres suus res suas comedat!

a Matth. xxv. 26. 27. b Luc. xii. 33. c I. Tim. vi. 18. 19. d Matth. X. 37. e Ezech. xviii. 20. f Joan. III. 19.

1. Vide supra pag. 213.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.



III. Miserrime omnium, quid solicitus es, quid A æstuas, quid auctorem rerum periturarum ipse te facis? An times forte ne desint qui, te mortuo, quod dereliqueris vorent? Nolo metuas, nolo verearis. Utinam tam facile tu salvus esses quam tua omnia deperibunt! O infidelitas, o perversitas! Etiam vulgo dictum est, omnes sibi melius velle quam alteri. Novum hoc monstri genus est, cuilibet quemquam velle consulere, tantum ne sibi. P.267. Ecce iturus es, infelicissime omnium, ad examen sacrum, ad tremendum illud intolerandumque judicium, ubi peregrinanti animæ atque anxiæ nullum potest omnino esse solatium nisi sola tantummodo bona conscientia, nisi sola tantum innocens vita, aut, quod proximum est bonæ vitæ, mise- B ricordia; ubi reo homini nullum est adjutorium nisi sola mens larga, nisi pœnitentia fructuosa, & eleemosynæ copiosæ quasi manus validæ, ubi denique pro diversitate meritorum aut summum bonum invenies aut summum malum, aut immortale præmium aut sine fine tormentum. Et tu de locupletandis quibuscumque heredibus tuis cogitas, de opibus agnatorum tuorum cognatorumque suspiras, quem potissimum ditiorem patrimonio tuo facias, cui supellectilis variæ ornamenta transscribas, cujus apothecas copiis tuis repleas, cui majorem servorum numerum derelinquas? Infelicissime omnium, cogitas quam bene alii post te vivant, non cogitas quam male ipse moriaris? Dic mihi, quæso, C o miser, o infidelis, cum multis patrimonium tuum dividas, cum multos facultatibus tuis dites; numquid de solo te es tam male meritus ut tibi nec inter extraneos locum facias heredis? Ecce exspectat te jam egressurum de vita ista officium tribunalis sacri, exspectant tortores angeli & immortalium tormentorum terribiles ministri; & tu futuras post te heredum mundialium voluptates animo volutas, tu delicias aliorum mente pertractas, quam bene scilicet post te heres tuus de tuo prandeat, quibus copiis ventrem expleat, quomodo usque ad nauseam redundantem viscera exsaturata distendat? Infelicissime omnium, quid tibi est cum his næniis, quid tibi cum his deliramentis, quid D P.268. cum stultitia hujus erroris, quid cum perditione istius vanitatis? Numquid succurrere hoc tibi inter supplicia summa poterit, si is qui res tuas prodige comedit, lautus & pransus bene eructarit, * aut etiam ut tibi, qui devoranda tua omnia tradidisti, redundanti cruditate plus præstet, si bene vomuerit?

IV. Sed de his unde nunc loquimur, si res ac ratio postulaverint, etiam post hæc aliqua subdemus. Interim hoc specialiter dico & peculiari admonitione commoneo, ne ullum omnino aliquis quamvis carissimum pignus animæ suæ præferat. Neque enim iniquum est ut quilibet Christianorum E etiam legitimis heredibus in sæculo minus * congerat, dummodo sibimet in æternitate succurrat multis modis; quia & facilius est heic deesse filiis quippiam quam parentibus in futuro, & multo levior præsens tenuitas quam æterna paupertas; maxime quia cum illic non paupertas tantum, sed etiam mors ac pœna timeantur, facilius est utique heic heredibus deesse quiddam de patrimonio quam illic testatoribus de salute; idque & ipsi quibus hereditas derelinquitur, si modo pietatis aliquid in se habent, specialiter velle debeant ne illi pereant qui relinquunt. Quod utique si nolunt, multo minus digni sunt quibus aliquid relinquatur; quia non injuste testator sapiens non relinquit quod heres impius non meretur. Itaque optimum est ut unusquisque sibi consulat, & animæ ac saluti suæ omnia derelinquat. Sint quamvis interdum non filii tantum, quibus videtur naturaliter plus deberi, sed etiam * pignora alia ejus vel meriti vel conditionis, ut eis ad impertiendum quiddam ac largiendum justitia ipsa ac Dei cultus patrocinetur, & quibus non solum pie aliquid relinquatur, sed et- P.269. iam inreligiose non relinquatur. Scilicet si aut parentes sint calamitosi, aut germani fideles, aut sanctæ conjuges, aut, ut longius denique munus pietatis extendam, si aut propinqui inopes, aut adfines egestuosi, aut denique cujuslibet necessitudinis indigentes, vel certe, quod super omnia est, Deo dediti. Hoc enim est præcipuum ac supereminens, si id ipsum quod agit aliquis pietatis officio, religionis faciat affectu. Beatus enim ille * qui suos ipsos divini amoris spiritu amat, cujus caritas Christi cultus est, qui in naturæ vinculo Deum cogitat naturarum patrem, & amoris munera in sacrificia convertens, tantum sibi immortalis lucri & beatorum fructuum parat, ut dum id quod pignoribus suis præstans Domino suo fenerat, hoc ipso quod suis liberalitatem tribuit temporariam, sibi mercedem pariat sempiternam. At vero nunc diversissime & impiissime nullis omnino a suis minus relinquitur quam quibus ob Dei reverentiam plus debetur, nullos pietas minus respicit quam quos præcipue religio commendat. Denique si qui a parentibus * filii offeruntur Deo, * omnibus filiis postponuntur oblati; indigni judicantur hereditate, quia digni fuerint consecratione: ac per hoc una tantum re parentibus viles fiunt, quia cœperint Deo esse pretiosi. Ex quo intelligi potest quod nullus pæne apud homines vilior est quam Deus; cujus utique fit despectione, ut eos præcipue parentes filios spernant qui ad Deum cœperint pertinere.

V. Sed præclaram videlicet, qui hæc faciunt, rationem consilii sui reddunt dicentes: Quid opus est ut * filiis jam religiosis æqua hereditatis portio relinquatur? Nihil ergo justius, nihil dignius, quam ut quia cœperunt religiosi esse, mendicent: non P.270. quidem quod eos hæc res mendicitate oppressura sit quod a terrenis facultatibus abdicantur cælum spe possidentes, cito etiam re possessuros, regente illos Deo suo ac protegente, qui eos cum immortali spe æternorum etiam sufficientia temporalium muneratur: sed tamen, quantum ad inhumanitatem parentum pertinet, egent, a quibus sic relicti sunt ut egerent. Certe etiam si qui non penitus domo eliminantur, & quibus non omnino extorribus quasi aqua & igni interdicitur, * cum aut tenues aut certe usufructuarii relinquuntur; tamen tanto inferiores fratribus relinquuntur ut etiam si paupertate non egeant, comparatione tamen egere videantur. Dicitis: Quid opus est religiosis æquam accipere cum fratribus patrimonii portionem? Respondeo: ut religionis fungantur officio, ut religiosorum rebus religio ditetur, ut donent, ut largiantur, ut illis habentibus cuncti habeant non habentes; immo, si tanta eorum fides atque perfectio, ut habeant cito non habituri, beatius utique, postquam habuerint, non habentes. Cur eis, quæso, o inhumanissimi parentes, necessitatem indignissimæ paupertatis imponitis? Permittite hoc religioni ipsi, cui filios tradidistis: rectius * pauperes a se fiunt. Si tantum eos inopes esse cupitis, concedite id ipsorum devotioni. Liceat eis, quæsumus, ut velint pauperes fieri: eligere inopiam

debent, non sustinere. Postremo, etiam si sustineant, devotione eam tolerent, non damnatione patiantur. Cur eos velut a natura expellitis & quasi a jure sanguinis abdicatis? Et ego esse eos pauperes volo; sed ut habeat tamen præmium suum ipsa paupertas, ac præclara demutatione eligant P.271. inopiam ex copia, ut ex inopiæ electione copiam consequantur. Quamquam quid ego vos per ipsum sanctissimæ rationis officium trahere ad humanitatem pietatemque contendo, cum id maxime obsistat, & hæc res parentes impios faciat quæ * magis pios facere deberet? Nam cum vos ideo plus relinquere ex patrimonio vestro religiosis filiis deberetis, ut aliquid ad Deum ex facultatibus vestris saltem per filios perveniret; ideo filiis non relinquitis, ne illi habeant quod Deo relinquant. Præclara videlicet ratione atque cautela contenti estis vos filios non agnoscere, ne illi se filios Dei esse cognoscant; magnificam repensantes beneficiis sacris vicissitudinem, dum id studiosissime procuratis, ne vel per vestros aliquid honor Dei habere possit, cum omnia vos per Dei munus habeatis. Cur rogo tam infideliter, cur tam impie agitis? Non exigimus ut vestra Domino largiamini: aliquid Deo de suo reddite. Cur tam avare, cur tam impie agitis? Non est vestrum quod denegatis. Iniquum igitur arbitramini, ut sæcularibus filiis religiosos substantia pares esse faciatis? Id ergo agitis ut pœniteat eos cœptæ religionis, quos religio apud vos fecerit viles? Plus itaque ac bonus Dominus, qui servet in eis propositum ac professionem suam. Ceterum, quantum in vobis est, id agitis ut sæculi eos cultores esse faciatis, quibus sæculares filios antefertis. Quid est enim aliud quam religionem interdicere, ob religionem despectui habere?

VI. Sed injusti fortasse videamur cunctos parentes in hoc negotio æqualiter accusando, cum scilicet non omnes pari agant iniquitate cum filiis. Sunt enim, inquit aliquis, sunt ex parentibus multi qui æquales filiis suis faciant portiones; nisi quod P.272. una tantum eos conditione discernunt, quod in his partibus quæ religiosis videntur adscribi, usum jubent ad eos, proprietatem ad alios pertinere. At vero hoc multo est pejus & infidelius. Tolerabilioris quippe impietatis esse videtur cum proprietate aliquem filiis suis minus relinquere, quam proprietatem iis rerum penitus auferre. Potest enim aliquatenus ferri ista conditio, si aut amicis aut adfinibus aut propinquis hac lege aliquid relinquatur. Filiis vero qui proprietatem rerum non tribuit, nil relinquit. Sed invenit iniquissima infidelitas parentum quomodo a patrimonio suo Deum penitus excluderet, proprietatem rerum religiosis filiis auferendo. Usum enim his dedit, ut esset quo ipsi viverent; proprietatem his tulit, ut quod Deo relinquerent non haberent. O novum inreligiosæ mentis ingenium! invenit quo videretur filiis suis majore erga Deum sua impietate consulere. Fecit enim ut sancta soboles usum rerum habens, jus rerum non habens, quasi locuples quidem viveret, sed quasi mendica moreretur; ac sic testator infidelissimus plena de hoc mundo possit securitate discedere, cum sciret de suo ad Deum penitus pervenire nil posse. Quamvis in hoc ipso quod supra dixi, per usum rerum aliquam filios religiosos opum imaginem possidere, ne hoc sit quidem: quia etsi usus videtur aliquid habere, conscientia tamen non habet. Nemo enim potest se vel brevi divitem credere, qui scit se proprium nil habere.

VII. Quid agis miserrima infidelitas & paganicæ, ut ita dixerim, inreligiositatis error? Ita ne tantum odisti Deum, ut possis etiam filios tuos ob hoc tantum quia ad Deum pertinent, non amare? Meliore enim conditione quidam relinquunt libertos suos, quam tu relinquis filios tuos. In usu siquidem quotidiano est ut servi, etsi non optimæ, certe non improbæ servitutis, Romana a dominis P.273. libertate donentur; in qua scilicet & proprietatem peculii capiunt, & jus testamentarium consequuntur: ita ut & viventes cui volunt res suas tradant, & morientes donatione transscribant. Nec solum hoc; sed & illa quæ in servitute positi conquisierant, ex dominorum domo tollere non vetantur. Tantum eis interdum gratia * patronæ liberalitatis impertit, ut etiam juri suo detrahat quod libertorum dominio largiatur. Quanto, o quisquis ille es infidelissime pater, quanto domini illi melius cum libertis agunt quam tu cum liberis? Illi quæ donant, perpetuo jure donant, tu temporario; illi testamenti faciendi arbitrium dant libertis, tu tollis liberis; illi postremo servos suos dant libertati, tu quasi addicis filios servituti. Nam quid est aliud quam servituti addicere, quos non vis aliquid quasi ingenuos possidere? More ergo illorum uteris qui servos suos non bene de se meritos, quia civitate Romana indignos judicant, jugo Latinæ libertatis addicunt: quos scilicet jubent quidem sub libertorum titulo agere viventes, sed nolunt quidquam habere morientes. Negato enim his ultimæ voluntatis arbitrio, etiam quæ superstites habent, morientes donare non possunt. Ita ergo & tu religiosos filios tuos quasi Latinos jubes esse libertos; ut vivant scilicet quasi ingenui, & moriantur ut servi, & juri fratrum suorum quasi per vinculum Latinæ libertatis adstricti, etiam si videntur arbitrii sui esse dum vivunt, quasi sub illorum tamen positi potestate moriantur. Quid tantum, quæso, sceleris in titulo esse religionis putas, P.274. ut ideo eos qui religiosi sunt filios tuos esse non credas, quia filii Dei esse cœperunt? In quo tibi bonæ voluntatis quasi piaculo rei facti sunt, ut idcirco eos putes habendos esse pejores quia optant esse meliores?

VIII. Sed dicitis, non eo a vobis animo hoc agi: quod unum est ac si quispiam dicat malas res bono animo a se fieri & impietatis facinus pia mente committi. Quid prodest, o inhumanissimi parentes, quod filios religiosos bono a vobis dehonorari animo adseveratis? Res ipsa hoc respuit, res refellit. Parum est quod nudis adsertionibus dicitis: ipsi actibus vestris contra vos testes estis. Indignum ergo arbitramini ut sancta ac placita Deo pignora filiis mundo servientibus comparentur? Verum est, & bene arbitramini: si tamen arbitrio isto juste & in diversum uteremini; id est, ut comparandos bonis filiis malos, & peccatores sanctis non putaretis, & qui apud Deum vita ac meritis antecellerent, iidem apud vos gratia atque honore superarent. Quid enim rectius, quid magis justum quam ut qui meliores sunt, iidem etiam honoratiores essent; qui vincunt judicio, iidem vincerent præmio; & qui antistant in evangelio sacro, iidem quoque in testamento humano antistarent, & hac saltem re concordaret cum voluntate Christi parentum pietas ac voluntas, ut quos Deus præposuisset electione, eosdem etiam parentes anteponerent dignitate? Sed non solum hoc non agitur, sed in diversum omnia aguntur. Puris enim commaculati præponuntur, fidelibus

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.



impii, præponuntur lumini tenebræ, præponitur A terra cælo, præponitur mundus Deo: & evasuros se hujusmodi parentes vel in hoc solo judicium Dei æstimant, qui cultum Dei & dignitatem judicii sui indignitate conculcant?

P.275. IX. Sed videlicet non contemtu Dei dicunt parentes hæc a se fieri, sed caussa atque ratione. Quibus enim, inquiunt, relictam substantiam relicturi sunt * filios non habentes? Dicam quibus. Nec nominabo eos quos supra dixi, pauperes Dei, non alienos, aut longe positos, ne durum aut inhumanum forte videatur. Illos dico caros & individuos, & quos recte etiam vos qui multas soboles habetis, filiis antefertis. Ipsos se, inquam, B homines, o infidelissimi parentes, ipsos se, inquam, dicimus. Numquid potest cuilibet quidquam se ipso propius, numquid carius inveniri? Suam unicuique vestrum animam, suam salutem, suam spem commendamus. Et pios vos esse dicitis, * quia filios diligitis? Nihil plane durius vobis, nihil inhumanius, nihil tam ferum, nihil tam impium dici potest, a quibus impetrari omnino non potest ut vos ipsos ametis. [a] *Pellem*, inquit diabolus in scripturis sacris, *pellem pro pelle & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua*. Dilectissimam esse animam suam homini etiam diabolus non negavit; & qui avertere omnino cunctos ab affectu animarum suarum nititur, idem C tamen carissimas esse debere * cunctis animas confitetur. Quis ergo furor est, viles a vobis animas vestras haberi, quas etiam diabolus putat esse pretiosas? Quis furor est, viles a vobis haberi quas etiam ille caras vobis debere esse dicit qui viles facere conatur? Ac per hoc quicumque animas suas negligunt, etiam infra judicium diaboli se amant. Quæ cum ita sint, videte vos, qui putatis religiosos homines non habere quibus relinquant

P.276. substantiam suam, videte vel juxta diaboli opinionem, videte si non habent, qui se ipsos habent.

X. Sufficere quidem ad hanc negotii portionem de qua nunc agitur, hæc quæ jam diximus satis D arbitror; * id est, quod præponere vitam, spem, salutemque vestram cunctis omnino rebus atque affectibus debeatis. Sed ostendi id vobis forsitan non solis virtutibus rerum, sed etiam auctoritatibus exemplorum desideratis. Possim quidem dicere majora exemplis omnibus Dei * esse mandata, clamantia quotidie in omni mundo: [b] *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: thesaurizate autem vobis thesauros in cælo*. Et alibi: [c] *Quæcumque homo seminaverit, hæc & metet*. Quæ utique tam ad mundi homines quam ad Dei, tam ad eos qui filios habent quam ad eos qui non habent, æque pertinent: quia cum vitam æternam cuncti desiderent possidere, non est dubium quod ubi par universorum votum est ad habendum, parem esse curam omnibus ad promerendum; * nec interesse ad augendam divinorum verborum auctoritatem, impleant ea homines, an non impleant; quia virtutem eorum ex Domini certum est constare persona, non ex servorum obedientia: nec addi eis nec decedere aliquid per nos potest, quorum honor per auctorem Deum semper æqualis est. Sed tamen si adjuvari se etiam exemplis hominum humana optat infirmitas, scilicet quo facilius etiam ipsa nunc faciat quæ alios fecisse ante cognoscat; ostendimus primo libro [1] hæc quæ etiam nunc ab aliquantis Christi imitatoribus fiunt, non mediocriter, sed abundanter, nec a paucissimis, sed a populis, nec ab antiquissimis, sed pæne a recentissimis nuper esse completa. Quid enim novi & adhuc prope in oculis constituti Apostolorum actus P.277. loquuntur? [d] *Omnes* inquam *qui credebant, habebant in unum omnia communia*. Et iterum: [e] *Gratia quoque magna erat in illis omnibus: nec enim quisquam egens erat inter illos. Quicumque enim possessores prædiorum ac domorum erant, vendentes adferebant pretia venditorum, & ponebant ante pedes Apostolorum*. Alibi quoque: [f] *Et nemo ex eo quod possidebat, suum proprium esse dicebat*. Atque hoc non parvus credentium numerus; ne quem forsitan minus scriptorum auctoritas moveat, dum putant exempla esse paucorum. Quæ fuerit quippe tunc multitudo ecclesiæ principalis, vel ex hoc solo agnosci potest, quod in principiis statim ipsis octo hominum millia biduo [g] ecclesiæ accessisse referuntur; pateatque æstimationi quæ ceteris diebus universi generis multitudo concreverit, ubi duo tantummodo dies, præter disparem ætatem pariter ac sexum, tantam virorum copiam procrearunt. Unde cum & tam innumerabilis jam tunc & tam perfecta plebs fuerit, quæro a vobis cum quibus loquor, cuncti parentes, in illis tot ac tantis tunc credentium millibus, tanta fidei perfectione viventibus, omnes ne cum filiis an omnes sine filiis fuerint? Neutrum, opinor. Nulla enim ecclesiæ plebs est non de utroque permixta. Intelligere ergo possunt quicumque ex Christianis filios non habent cui relinquere substantias suas debeant, cum videant cui reliquerint tunc illi filios non habentes. Sin autem habent; discant quid etiam ipsos oporteat facere, cum videant tunc parentes amorem filiorum Dei filiis prætulisse. Habet igitur omnis ætas, habet omnis conditio quod sequatur. Quicumque est particeps fidei, participem se beati faciat exempli. Si illi tunc ob Deum donantes P.278. omnia sua, etiam se ipsos exhereditavere viventes; discite vos, quæsumus, bona vestra vel ipsi * hereditare morientes. Quæ quidem, ut dixi, etiam vos, o infidelissimi parentes, curiosius attentiusque pro vobis convenit cogitare. Oportet quippe vos, mihi credite, etiam inter filios vestros salutis animarumque vestrarum non oblivisci. Propinqua enim vestra pignora esse vobis & conjunctissima satis certum est. Sed, mihi credite, nemo vobis propinquior, nemo conjunctior quam vos ipsi. Amate itaque, non obsistimus, amate filios vestros; sed tamen secundo a vobis gradu: ita illos diligite, ne vos odisse videamini. Inconsultus namque & stultus amor est, alterius memor & sui immemor. [h] *Non accipiet*, inquit scriptura sacra, *iniquitatem* E *filii sui*. Et Apostolus, *Unusquisque*, inquit, *proprium onus suum portabit*.

XI. Relictæ itaque filiis divitiæ parentes non liberant de mendicitate: immo relicta immoderate filiis facultas, parentum est sempiterna mendicitas: ac per hoc nulli parentibus magis noxii, quam filii nimis amati. Dum enim illi patriis bonis affluunt, parentes in sempiternitate cruciantur. Etiam si tam pius sit filius ut refrigerandi supplicii paterni gratia communicare cum patre postea bona

a Job. II. 4. *b* Matth. VI. 19. 20. *c* Gal. VI. 7. *d* Act. II. 44. *e* Act. IV. 33-35. *f* Ibid. ✝. 32. *g* Act. II. 41. & IV. 4. *h* Ezech. XVIII. 20.

1. Vide supra pag. 243.



relicta cupiat, non valebit. * Reddere siquidem A post mortem patri pietas filii non poterit, quod unicuique indevotio sua & infidelitas denegarit. Ideoque, juxta Apostolum, unusquisque sarcinas suas cogitet, quia unusquisque hominum sua onera portabit. Flammæ infelicium mortuorum divitiis non refrigerantur heredum. [a] Dives ille in evan- P.279. gelio qui purpura induebatur & bysso, absque dubio qui locuples in hoc sæculo ipse fuerat, etiam heredes suos morte ditarat. Sed nequaquam hoc ei proderat, quod opibus ac talentis ejus germani divites incubabant; & ille guttam refrigerii impetrare non poterat. Illi erant in abundantia, sed ille in egestate; illi in gratulatione, sed ille in dolore; illi in divitiis, sed ille in tormentis; illi fortasse B jugiter in luxuria, sed ille semper in flamma. O infelix ac miseranda conditio! Bonis suis aliis præparavit beatitudinem, sibi afflictionem; aliis gaudia, sibi lacrymas; aliis voluptatem brevem, sibi ignem perennem. Ubi erant tunc adfines, ubi propinqui, ubi vel filii, si quos habuerat, vel germani quorum meminerat, & quos certe tanto amore dilexerat ut eorum ne in supplicio quidem positus oblivisceretur? Quid ei proderant, quid suffragabantur? Torquebatur infelix; & opes suas aliis devorantibus, ille refrigerii guttam ardens petebat, & impetrare non poterat. Et hoc, si quid addi ad pœnam potest, per illum sibi tribui postulabat quem aliquando contemserat, per illum qui in pu- C re ac sanie computruerat, per illum cujus fœtorem ac squalorem longe refugerat, qui membrorum suorum ulceribus canes paverat, quem scatentes vermium globi etiam intra recessus peresi corporis exararant. O gravis nimium & lugenda conditio! Pauper beatitudinem emit mendicitate, dives supplicium facultate. Pauper, cum penitus nil haberet, emit æternas divitias egestate. O quanto has facilius tam multa rerum possessione dives potuerat comparare, qui inter tormenta æstuans, & inter supplicia proclamans: [b] *Pater*, inquit, *Abraham* P.280. *miserere mei, & mitte Lazarum, ut intinguat extremum digiti sui in aqua, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Non horrebat D tunc scilicet dives ille Lazari quondam pauperis manum, nec dedignabatur auxilium. Inferi ejus digitos ori suo & mitigari intolerandas faucium flammas illius pridem fœtidæ ac squalentis manus munere postulabat. O quanta rerum mutatio facta fuerat! Tangi tunc ab eo desiderabat, quem etiam videre ante despexerat.

XII. Hæc ergo divites cogitent, qui redimere facultatibus suis nolunt ne ista patiantur. Dives fuit ille de quo nunc loquimur: divites sunt & isti ad quos nunc loquimur. * Unius sunt nominis. Caveant ne sint etiam conditionis unius. Non liberabunt enim filii divites parentes reos, nec re- E stinguet flammas miseri testatoris deliciis affluentibus opulentus heres. Durum est ab aliquo filiis ac propinquis parum relinqui. Multo est durius in æternitate torqueri. Opinor enim divitem illum, cum torqueretur, non tantum delectabant opes heredis sui, quantum angebant tormenta corporis sui; non tantum delectabat quod heres suus bene epulabatur, quam angebat quod ipse male cruciabatur; non tantum delectabat quod heres suus in exquisitis deliciis affluebat, quantum angebat quod ipse intolerandis ignibus diffluebat; non tantum delectabat quod heres suus pascebat parasitos & helluones copiis suis, quantum angebat quod ipse pascebat flammas medullis suis. Et puto si quis ei tunc optionis copiam præstitisset, utrum ne mallet divites heredes suos esse, an se in miseriis tormentisque non esse; voluerat profecto illos omnibus bonis alienari, dummodo ille posset malis omnibus liberari; voluerat offerre omnia quæ possederat, dummodo P.281. evaderet quæ perferebat; voluerat cunctam illam substantiam quam habuerat & temporales argenti & auri thesauros pro se dare, ut juges suppliciorum immortalium cruces & perenne illud incendium superjacta: si quo modo posset, divitiarum suarum mole restingueret, & exundantes ignium globos opposita ingentium facultatum immensitate prohiberet. Et quid dicam voluisse eum, ut interminabile illud malum redimeret facultatibus suis? Plus dico aliquid. Voluerat omnem substantiam suam tradere, ut posset sibi, in flammis situs, unius saltem horæ requiem comparare. Desiderans enim ad mitigandas faucium flammas vel tinctum aqua pauperis digitum; quomodo non quantolibet pretio mercari requiem præoptaverat, qui parvam refrigerii guttam tam magno ambitu postulabat? Sed jam ista quid proderant aut quid juvabat miserum, quod tunc pro se offerre omnia volebat qui male ante noluerat? Vel quid tunc proderat quod dare cuncta cupiebat quæ jam amiserat, qui nihil tunc pro se dederat quando omnia possidebat? Sera quippe, ut ait in scripturis Spiritus sanctus, sera est pœnitentia mortuorum. Quomodo? [c] *Non est* enim, inquit ad Deum patrem sermo divinus, *non est in morte qui memor sit tui; in inferno autem quis confitebitur tibi?* Excludi penitus a confessione peccati peccatorem mortuum protestatur, nec posse esse quemquam postea Dei memorem, qui in hac vita sui fuerit oblitus. Adeo omnis ei spes penitus abscinditur & omnis vitæ aditus obseratur; ut cum una sit reo salutis via preces ad Deum fundere & cælestem misericordiam incessabiliter orare, etiam hac peccator letiferæ oblivionis animadversione da- P.282. mnetur; ut ei nec memoria quidem Dei a quo sperare debeat, relinquatur. Hæc ergo cogitent qui dum filios habere post mortem divites cupiunt, futurorum suppliciorum nec in morte meminerunt. Hæc cogitent qui ut in hac caduca & brevi vita heredes divites habeant, æterna se ipsos morte condemnant. In quo quidem * non tam heredibus consulunt quam sibi obsunt, non tam illos amant quam se oderunt: quia non tam salubris amor est qui brevi consulit, quam grave odium quod in æternitate cruciabit. Et ideo Deus noster, [1] ut primo dudum libello diximus, disciplinam parentes thesaurizare jubet filiis, non pecuniam; perennia præcipit, non peritura, conferre: scilicet quia res istiusmodi atque opus sanctum & filiis pariter & parentibus prosunt; filiis utique per disciplinæ institutionem, parentibus per munificentiæ largitatem. Et filiis enim hoc disciplina præstat ut salutem capiant perpetuam, & parentibus largitas ut mortem effugiant sempiternam.

XIII. Sed cui hæc dicimus, aut cur dicimus? Ubi apertas aures aut videntes oculos invenire poterimus? [d] *Omnes* enim, ut de impiis legimus, *pæne omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt:*

a Luc. xvi. 19. seqq. b Ibid. ✝. 24. c Psalm. vi. 6. d Psalm. xiii. 3.

1. Vide supra pag. 124.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

non est qui faciat bonum, non est pæne usque ad unum. Nova quippe amentia tam sæculares quam etiam quosdam religionem professos incessit homines. Siquidem, ut dudum dicere cœperamus, jam non tantum filiis aut nepotibus, quod ob naturæ necessitudinem ferri potest, sed etiam agnatis atque cognatis; neque solum, ut ajunt, ex directo, sed etiam ex obliquo & ex transverso, immo potius ex P.283. adverso perversoque venientibus, res propriæ facultatis, id est, pretium suæ redemtionis addicunt, * sicut scriptum est: [a] *Non dedit Deo propitiationem suam, & pretium redemtionis animæ suæ*. Et paullo post: [b] *Simul*, inquit, *insipiens & stultus peribunt: & relinquent alienis divitias suas: & sepulcra eorum domus eorum in æternum*. Quid inter stultum sit & insipientem, non est nunc disserendi locus; nec sane interest quæ inter eos meritorum sit differentia, quorum est una perditio. Quod caussæ itaque sufficit, cum dixisset simul insipientem & stultum esse perituros; videamus quid vel ad caussam vel ad cumulum perditionis adjecerit. *Relinquent*, inquit, *alienis divitias suas*. Verum est. Quid enim sive tam stultum sive tam perditum, quam ut aliquis de suo non sibi consulat, præsertim cum Deus dicat [c] nihil prodesse homini si totum mundum lucrifaciat, animæ autem suæ detrimentum patiatur? *Aut quam dabit*, inquit, *homo commutationem pro anima sua*? Si ergo homines totum mundum spernere oportet ne animarum damna patientur, & propter suam salutem debet quispiam etiam sua lucra contemnere; quam infidelis est, quam insipiens est qui, ut alium divitem faciat, animam suam ipse condemnat? maxime cum & ille non multum adipiscatur qui usum temporalium rerum accipit, & ille inæstimabilia damna perferat qui fructum beatæ æternitatis amittit. Nam & ideo sequitur in psalmo: *Sepulcra eorum, domus eorum in æternum*. Quam misera ergo erit perdita sors eorum qui quasi sepulcris perennibus deputati, quam conditionem post mortem preferunt corporum, eamdem quodammodo patiantur anima-P.284. rum; & quidem minus miseram si eamdem, aut si ad eos ad * jumenta insipientia nec bonorum sensus nec malorum * passio pertineret. Sed illud acerbum atque intolerabile quod similiter pereunt, sed non similiter puniuntur: illorum enim mors sempiterna fine sensu est, istorum omnium cum dolore: ac sic conditionem hominum peccatorum perditio quidem facit pecudibus esse similem, sed tamen pœnam graviorem. Cogitent igitur cuncta ista quæ dicimus, immo cogitent cuncta illa quæ Deus dicit, qui sibi nec ante mortem omnino consulunt, nec in morte succurrunt, apud quos oblivio est penitus suarum animarum. Nec interest pæne jam apud homines quibus consulant, dummodo sibi omnino non consulant. Si qui enim ex istis de quibus loquimur, morte appropinquante filios non habent, quærunt infidelissime quos aut propinquos aut adfines suos dicant; aut si id forte deest, quærunt saltem aliqua novarum necessitudinum ficta nomina. Nec interest, ut dixi, apud eos quorum meminerint, dummodo sui obliviscantur; non interest quos amare se dicant, dummodo animas suas oderint; non interest quos divites faciant, dummodo se æterna mendicitate consumant.

XIV. O infelicitas, o insania! Quid tantum, quæso, de se miserrimi omnium male promeruerunt, ut dum aliorum voluptatibus serviunt, se perpetuo persequantur! Videas enim a quibusdam infelicissima vanitate investigari quosdam novos ac nobiles propinquos, videas incognitarum agnationum pudenda nomina & recentium ac præpotentium adfinitatum ridicula commenta, cum dicat quis de aliquo adoptivo ac subitaneo propinquo: Illum heredem facio * parentem meum. Aut quæ- P.285. cumque sanctæ professionis vidua vel puella: Illum heredem scribo proximum meum. Ac sic quidam quos in omni vita quasi extraneos alienosque habuerant, subito in extremis propinquos habent; & qui extranei semper fuere viventium, parentes esse incipiunt mortuorum. Introducunt enim repente in testamentum quos numquam introduxere in affectum; & hoc maxime, ut dixi, aut locupletes, aut nobiles, aut honoratos, & qui nisi potentes essent, parentes forsitan non fuissent. Ridicula miseri testatoris ambitio, dans censum propriæ facultatis ad comparandum mendacium propinquitatis, emens pretio hereditatis nomen heredis, & totis patrimonii sui viribus hoc elaborans ne se ille qui heres scribitur parentem neget, & ut testator infelicissimus stultissima ac miserrima vanitate, facto herede nobili, quia in vita sua humilior esse visus est, * honoratior in morte esse videatur. O cæcitas, o insania! quanto studio, infelicissimi homines, id efficitis ut miseri in æternitate sitis? Quanto minore cura, minore ambitu id vobis præstare potuistis ut semper beati esse possitis? Cujus quidem rei caussam aliam omnino invenire non possum, nisi solam tantummodo incredulitatem atque perfidiam, id est, quod aut judicandos se a Deo homines esse non putant, aut resurrecturos omnino esse non credunt. Nemo est enim qui resurrecturum se & judicandum a Deo de operibus bonis ac malis certus sit, qui non vel spei ac beatitudini suæ præstet ut pro bonis operibus perennia bona capiat, vel timori atque discrimini ne pro malis mala æterna patiatur.

XV. Sed abhorrere hoc videlicet a Christiano nomine videtur, ut * dicatur futura non credere. P.286. Quid ergo caussæ est, ut si credit quæ dixit Deus, non timeat quæ minatur Deus? si non credit verbis quæ dixit Deus, non credat præmiis quæ promittit Deus? Neque enim se probat promissionibus Dei credere, qui non sic agit ut possit ad promissa a Deo præmia pervenire. In ipsa quippe hac vita hominum, si judicandum se aliquis ab humana hac potestate & rapiendum se ad tribunal terrenum esse cognoverit, advocatos requirit, patronos adhibet, * officialium gratiam favoremque mercatur; & hæc omnia metu judicii futuri agit, cum tamen eventum judicii comparare non possit: adeo etsi victoriam emere ipsam non valet, spem tamen victoriæ magno emit. Dic mihi quisquis ille es qui credere te judicium Dei dicis, tu si vel supradictorum exemplo hominum judicandum te esse a Deo crederes, nonne spem ac salutem tuam quolibet pretio comparares? Sed non credis utique, non credis; & licet credulitatem tuam verbis tuis velis adseverare, non credis. Verbis enim, ut ait Apostolus [d], confiteris, sed factis negas. Denique ut infidelitatem tuam tibimet ex te ipso probem; dic mihi, obsecro, quisquis ille es qui substantiam tuam vel propinquo cuipiam diviti, vel adfini, vel si hi forte desunt, etiam extraneo derelinquis; cur eam non sanus a te atque incolumis abdicasti? cur non sospes ac vegetus heredibus tradidisti? sed in testamento ipso providentissime caves & solicite ac diligenter inscribis: *Quando ego ex rebus*

a Psalm. XLVIII. 8. 9. b Ibid. ℣℣. 11. 12. c Matth. XVI, 26. d Tit. I. 16.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

humanis excessero, *tunc mihi tu ille carissime heres esto*. Dic mihi, quæso, cur huic carissimo, ut ipse ais, ac devinctissimo tuo tam diu nihil de tuo tribuis, tam diu nihil de tuo tradis, quam diu te putas esse victurum, sed tum cum te vides esse moriturum? Et quid dico cum esse te moriturum vides? Immo id caves providentissime ne vel spirante, vel moriente te quidquam de tuo habeat, sed jam defuncto omnino, jam mortuo. Et mirum est quod hoc ipsum finis ut * funestato te tua habeat, nisi etiam jam exportato atque tumulato. Quamvis etiam in hoc quod ais, *Quando ego ex rebus humanis excessero*, id ipsum cavisse videaris. Hoc est enim ex rebus humanis penitus excedere, totum omnino cum suo corpore hominem in præsentia humanarum rerum esse desisse. Dic mihi itaque cur hæc tam provide in testamento caves, cur tam solicite ac prudenter interseris? Absque dubio quia necessariam tibi, dum vivis, rem tuam judicas, quia alienare te facultatibus tuis non vis; & iniquissimum putas vivo te & incolumi alium tuo divitem fieri, te autem mendicitate consumi. * Verum est, nec inrationabilem curam abnuo, & quidquid a te in hunc modum dicitur probo. Sed in uno tamen mihi satis a te fieri cupio. Quid est quod tu, * qui tibi usum rerum tuarum tantopere necessarium putas, fructus ac reditus facultatis tuæ post mortem necessarios esse non putas? Dicis absque dubio, quia mortuo nihil opus est, nec reservandum mihi quidquam in tempus illud est; quia defunctus ac nihil sentiens, nec delectari possum possessione rerum mearum, neque amissione cruciari. Evidens caussa est. Ergo idcirco moriens substantiam tuam alteri deputas, quia capere ex ea fructus post mortem ipse non possis. Sed quid quod electissimum vas Dei Apostolus Paullus testificatur & clamat quod [a] *quæcumque homo in vita hac seminaverit*, *hæc* post mortem *metet*. [b] Et *qui parce seminat*, *parce & metet*; *& qui seminat in benedictione*, *ex benedictione & metet?* Ex quo aperte intelligi voluit eos qui seminant in parcitate, benedictionem metere non posse. Dum enim dicens, *Qui parce seminat*, *parce & metet*; *& qui seminat in benedictione*, *ex benedictione & metet*, evidenter utique benedictionem in sola posuerit largitate, ostendit parcos seminatores mendicitatem, largos benedictionem esse messuros.

P.287. P.288.

XVI. Sed fortasse hæc tibi, quicumque es, o infidelis, aut parum valida aut parum aperta esse videantur. Quid quod Dominus ipse in evangelio nihil quemquam de operibus bonis perdere Christianum manifestissime docet dicens? [c] *Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ*, *tantum in nomine discipuli*; *amen dico vobis*, *non perdet mercedem suam*. Quid dici evidentius potuit? Etiam eam rem in futuro habituram præmium esse dixit, quæ in præsenti pretium non haberet, tantumque honoris cultui suo tribuit ut aliquid esset illic per fidem quod heic omnino nihil esset per vilitatem. Sed tamen ne hoc sibi quidam forsitan blandirentur, si multa habentes exiguis possent magna mercari; subtiliter posuit etiam pro calice aquæ frigidæ non perituram esse mercedem: hoc utique evidenter ostendens non pro parvo aliquid magnum esse reddendum, sed tamen qualecumque fidei opus non esse periturum. Habes itaque indubitabilem futuræ retributionis securitatem, habes recipiendorum bonorum operum satis idoneum vadem: qui quidem tantæ non solum fidei, sed etiam misericordiæ atque pietatis est, ut non solvat tantum quod promiserit quasi debitum, sed etiam ostendat aliquid quo se faciat debitorem. Nam qui pro calice aquæ frigidæ redditurum se dixit esse mercedem, non solum vult solvere quæ acceperit, sed etiam demonstrat aliqua quæ solvat. Pius scilicet ac misericordia plenus, & consulere volens non solum diviti largitati, sed etiam pauperculæ officiositati, ostendit quod obnoxium sibi in aliquo Deum faceret, etiam qui quod feneraret penitus non haberet.

P.289.

XVII. Sed forsitan tibi, quicumque dives es, indignum hoc facultatibus tuis opus pauperculorum esse videatur, & velis aliquam ad te peculiariter pertinentem sponsionem * sacræ repromissionis audire. Habes primum illud quod ad divitem illum Deus in evangelio loquitur: [d] *Vade*, *vende omnia bona tua*, *& habebis thesaurum in cælo*. Deinde illud quod præcepto interdictorio generaliter jubet: [e] *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*: *thesaurizate autem vobis thesauros in cælo*. Postremo illa quibus omnes rerum mundialium possessores ad opus * profluæ largitatis spe infinitæ remunerationis invitat, dicens quod omnis qui propter honorem atque amorem suum aut domum aut agrum aut quamcumque aliam facultatem in usus misericordiæ prorogarit, centuplum accipiat in futuro. [f] *Insuper autem*, inquit, *& vitam æternam possidebit*. Quid spondere majus credentibus sibi potuit, qui * magnis feneratoribus suis centuplum se redditurum esse promisit? nec solum hoc; sed *vitam*, inquit, *æternam possidebit*. Hoc multo plus est quam ipsa centupli retributio: quia id ipsum quod quis in centuplo acceperit, in perpetuo possidebit. Non erit ergo tunc fragilis & caduca possessio, nec in similitudinem terrenarum divitiarum, umbræ prætereuntis aut somnii vanescentis more peritura. Quidquid datum a Deo fuerit, immortale erit: quidquid acceptum fuerit, sine termino permanebit. Ac per hoc, ut dixi, plus quam centuplum accipit qui sic accipit: quia vincit centupli pretium, id ipsum esse centuplum sempiternum. P.290.

XVIII. Quæ cum ita sint, & cum tanta absque dubio recepturus sit qui Deo credit; quomodo tu his rebus quas Deo dederis, usurum te esse post mortem non putas, quarum tibi non usum tantummodo Dominus, sed augmentum etiam & superexcellentem cumulum pollicetur? Aut forte accipere hæc tanta non vis? Sed hoc ratio non patitur ut nolis. Nemo enim est inter homines qui cum beatus esse valeat, miser esse malit; nemo est qui cum habere possit delicias summi boni, pati velit supplicium summi mali: nullus profecto, nullus; & ideo nec tu quidem: nisi forte monstruosa sit in te aliqua & discrepans ab humano genere natura, ut solus tibi penitus bene esse nolis, solus beatitudinem fugias, solus suppliciis delecteris. Quod si utique non est, quid ergo caussæ est ut non vel moriens & in ultimis situs, id saltem supremæ oblationis officio & omni rerum tuarum ambitu agas ut, si mereri a Deo potes, locuples ac beatus sis; sin autem id non potes, certe * vel pro hoc merearis ut miser non sis, certe non uraris, certe non torquearis, certe tenebris exterioribus non * injiciaris, & ardentibus sine fine flammis non decoquaris? Quæ cum ita sint, quid ergo, ut dixi,

a Gal. vi. 8. *b* II. Cor. ix. 6. *c* Matth. X. 42. *d* Matth. xix. 21. *e* Matth. vi 19. 20. *f* Matth. xix. 29.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
445.

caussæ est * ut non omnibus modis vel mala fugias, vel bona adsequi velis? quid caussæ est quod hæc non agis? quid caussæ est ut bona æterna non emas? quid caussæ est ut mala æterna non timeas? Quid utique nisi illud quod prælocutus sum, quod aut judicandum a Deo te esse non putas, aut resurrecturum omnino te esse non credis? P.291. Si enim crederes, quomodo non futuri judicii inæstimabile malum fugeres & immortalium suppliciorum tormenta vitares? Sed non credis utique, non credis; ac licet aliud & sermone adferas, & professione, non credis: sermo enim & professio tua jactitant fidem, sed vita atque obitus publicant infidelitatem. Alioquin vince me; vinci volo. Non quæro ut mihi credulitatem tuam superioris vitæ actibus probes; uno contentus sum testimonio supremorum tuorum. Ecce jam, ecce morieris, egressurus de domo corporis tui, nesciens quo iturus, quo abducendus, ad quam pœnalia & quam tetra rapiendus, cui unum tantummodo superest inter suprema perfugium, una effugiendi æterni ignis speicula datur, ut pro te offeras saltem quod in substantia habes, quia aliud quod possis Deo offerre jam non habes; & tu immemor tui, oblitus salutis tuæ, de legatariis novis cogitas, de locupletando herede suspiras? Et hæc faciens, credere te judicium Dei dicis, qui tibi, cum judicandus sis, vel inter suprema non consulis? & credere te aliquid de salute animæ tuæ loqueris, cui nullus est anima tua vilior, apud quem prope non interest cui prosis, dummodo ut tibi noceas? & credere te futurum judicem dicis, apud quem nullus est minor atque despectior quam ipse judex? Nam in tantum eum spernis, in tantum despicis, ut nec tibimet ipsi consulas, dummodo ejus jussa contemnas. Aut refelle me, & convince, si mentior. Clamat tibi ecce morienti ipse qui te judicaturus est judex tuus, ne ullum omnino hominum in prorogandis rebus ac P.292. facultatibus tuis plus quam te ames, ne ulli de substantia tua moriens magis quam tibi consulas, nullum tibi anima tua propinquiorem, nullum judices cariorem. [a] *Quid enim proderit*, inquit Salvator, *homini si lucretur mundum totum, & detrimentum faciat animæ suæ? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Hoc est dicere: Quid tibi, o infelicissime homo, proderit si omnem mundum aut ipse habeas aut tuis proximis relinquas, si salutis atque animæ detrimenta patiaris? Damna enim animæ totum penitus secum auferunt; nec quidquam homo omnino habere poterit qui se ipsum damno animæ pereuntis amittat. *Aut quam*, inquit, *homo commutationem dabit pro anima sua?* Hoc est dicere: Non respicias, o homo, pecuniam, non possessionem; nec dubites, saltem moriens, pro spe tua quantum potes rei tuæ ac facultatis offerre. Quidquidlibet enim dederis pro te, vile est; quidquid pro te obtuleris, parvi pretii est: quia anima tua in omnium rerum comparatione pretiosior. Et ideo nihil dubites pro te dare: quia si te amiseris, omnia in te perdis: si autem te lucrifeceris, tecum & in te omnia possidebis.

XIX. Cum hæc ergo tibi jam morienti, o homo quisquis es, Dominus tuus clamet; tu mentem obduras, tu aurem obstruis; & nudis sermonibus fidem adferens, sufficere tibi putas verba pro rebus, ac satis te firmum æstimas credulitatis habere subsidium, si Deum quem rebus atque operibus tuis despicis, verbis mendacibus honorare videaris. [b] *Fili*, inquit scriptura sancta, *si habes, benefac tecum, & Deo bonas oblationes offer*. Et alibi: [c] *Miserere*, inquit, *animæ tuæ*. * Vide pietatem erga te Domini nostri, vide quam misericors sit P.293. Dominus Deus noster, qui nos ipsos pro nobis misericordiam rogat. *Miserere*, inquit, *animæ tuæ*. Hoc est dicere: Miserere etiam tu illius cujus vides miseratione me frangi; miserere illius tandem cujus misereor ego semper; miserere tu animæ saltem tuæ, cum misereri me cernas alienæ. Et quid post hæc, o miserrime homo? cum Deus sic tecum agat, non adquiescis? rogat te ut tui miserearis, & non vis? caussam tuam apud te agit, & * a te non admittitur? dignatur te pro te petere, * & a te non potest impetrare? Et quomodo, quisquis es, o miserrime homo, quomodo te postea supplicantem ille in judicio suo audiet, cum tu heic eum pro te rogantem audire ipse nolueris? Sed videlicet caussa grandis est, qua Deum audire non possis. Circumstant enim te ægrotantem cognati atque agnati tui, circumstant locupletes matresfamiliæ, circumstant nobiles viri, obsidet lectum infirmitatis tuæ sericis atque auratis vestibus circumfusa numerositas. O quantus fructus æternitatis est, talibus bona propria erogare mendicis! Digna videlicet caussa & satis justa est, ut tu animæ tuæ auferas quod egenis talibus derelinquas. Sed nimirum misericordia frangeris, & lamentantium propinquorum pietate superaris. Est certa ratio. Vides quippe opulentissimi ac splendidissimi cultus homines, * tibi anxios, tibi flentes, tristi vultu & festo habitu, compositas ad mæstitudinem facies tibi ostentantes, per imaginariam solicitudinem suam ementes hereditatem tuam. Quem non moveat tanta pietas, quem non moveat talis dolor; aut quomodo, cum hæc talia videas, non obliviscaris tui? Vides enim extortas lacrymas, simulata suspiria, fictam anxietatem, non optantem ut convalescas, sed exspectantem quando moriaris. Vides defixos in te, quasi accusantes tui P.294. obitus tarditatem, omnium vultus. O infelicem te ac miserrimum, cujus supremum exitum tantus desiderat * ac precatur numerus propinquorum! nisi quod scio ac satis certus sum, nihil omnino apud Deum vota talium prævalere. Nam mirari possem forte quod viveres, quem mori tam multi velint. Et propter hos, quisquis ille es, propter hos tales animam tuam deseris, & credere te judicium Dei dicis, cum ad hoc ejus jussa despicias ut patrimonium tuum talibus derelinquas? [d] *Dispersit*, inquit Propheta de eo qui Deum credit, *dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in æternum*. Sed & Salvator ipse ad omnes divites: [e] *Vendite*, inquit, *quæ possidetis, & date eleemosynam*. Et alibi: [f] *Vende quæ habes, & da pauperibus*. Numquid dicit, agnatis da, numquid adfinibus? Non utique; sed pauperibus, sed egenis. Numquid propinquo diviti, numquid ulli omnino homini præpotenti? Non utique; sed egenti, sed inopi, sed egestuoso. * Et recte. Numquid enim cum locupletibus cognatis tuis substantiam tuam dederis, justitia tua manet in æternum? aut cum divitias eorum divitiis tuis auxeris, thesaurum habebis in cælo? [g] *Væ*, inquit Propheta, *his qui dicunt dulce amarum, & amarum dulce*. Etiam laudari a te tales hos Deus prohibet, & tu ditare non metuis? dari his prædicatoria verba non vult, & tu etiam talenta largiris? honorari vitam eorum fictis ser-

a Matth. XVI. 26. *b* Eccli. XIV. 11. *c* Eccli. XXX. 24. *d* Psalm. CXI. 9. *e* Luc. XII. 33. *f* Matth. XIX. 21. *g* Isa. V. 20.

monibus vetat, & a te thesauri eorum divitiæque cumulantur?

XX. Sed vereris videlicet vultus circumsidentium
P.295. propinquorum, & præsentes atque obsidentes lectulum tuum metuis offendere. [a] *Ne metueris eos*, inquit Dominus per Prophetam, *neque paveas a facie eorum, quoniam domus exasperans est*. Et ideo tu etiam esto intrepidus & constans. Non formides vultus eorum, neque frangaris ambitu eorum. Despice concupiscentes hereditatem tuam & dividentes jam inter se substantiam tuam; qui non te, sed patrimonium tuum diligunt, immo qui cupiditate rerum tuarum te exsecrantur. Nam dum tua impatienter sitiunt, te oderunt; præsentiamque tuam quasi æmulam sibi & adversariam judicantes, obicem atque obstaculum putant cupiditatis suæ esse quod vivis. Despice ergo hos tales ac nihili facito. Non te moveant * blandimenta eorum: venena tibi sunt. Non respicias adulationes eorum: gladii sunt jugulatores tui, & quidem ferreis atque hostilibus gladiis tetriores. Illos enim homines cuncti vident; istos incauti non vident. Illi, quia aperte sæviunt, evitantur; isti, quia occulte insidiantur, occidunt: & hoc periculosiores sunt ac novo nocendi genere pejores, quod illis ferreis gla-
A diis nemo est penitus qui se lædi velit, istis multi se etiam occidi volunt. Nova atque inæstimabilis mali letalis inlecebra. Illis gladiis quicumque percutitur, & timore pariter & dolore torquetur; istis quicumque occiditur, delectatur. Fuge ergo hoc malum, fuge assentationes insidiantes tibi, fuge * obsequelas noxias tibi, fuge ambitus deceptores tuos: ista sunt officia quæ te jugulant, ista sunt quæ in mortem trahunt. Fuge ergo talium blandimenta, fuge eorum sedulitatem: isti sunt carnifices ac tortores tui, qui te in præsenti quidem ambiunt, sed in futuro necant, & consertis quodammodo manibus ac velut conjurata mutuo P.296.
factione in sempiternos tartari ignes cogere ac præ-
B cipitare conantur. Et ideo non timeas eos, non expavescas; erige animum, & vim sanctæ auctoritatis adsume. Si enim illi tantopere adnituntur ut pereas, cur non majore tu animo adnitaris ut vivas? Confortare ergo, & constanti animo tibi consule. Satis infidelis ac satis stultus est qui mavult præstare aliis ut sit miser, quam sibi ut sit beatus, & ut alios affluere faciat deliciis temporariis, se tradit urendum ignibus sempiternis.

Explicit liber tertius.

a Ezech. II. 6.

INCIPIT

LIBER IV.

I. NON me præterit, domina mi ecclesia, nutrix beatæ spei, hæc quæ libellis superioribus diximus, nonnullis filiis tuis Christum parum amantibus displicere. Sed nos voluntates eorum non magni pendimus: quia * nec mirum est ut eis loquentia de Deo verba non placeant, quibus ipse forsitan Deus non placet; * nec exspectandum ut insinuatorem salutis atque animarum sermonem ament, qui salutem ipsam atque animas suas non amant. Sufficiunt itaque, sicut in aliis, ita etiam in hac parte nobis sensus tantum & judicia sanctorum; quibus idem æque apud nos sentientibus, certi profecto sumus etiam Deum ipsum
P.297. sentire nobiscum: quia cum in sanctis suis spiritus Dei maneat, absque dubio Deus illic est ubi illa pars fuerit a qua Dei spiritus non recedit. Pravorum ergo hominum, id est, paganorum vel mundialium, sensus aut parvi æstimandi sunt, aut nihili omnino faciendi. [a] *Quia si hominibus*, inquit Apostolus, *placere vellem, Christi servus non essem*. Illud durius ac molestius, quod quidam, ut arbitror, filiorum tuorum sub religionis titulo a religione dissentiunt, & * habitu magis sæculum reliquere quam sensu: quorum, ni fallor, sententia hoc habet atque adserit, omni omnino homini Christiano propinquitatem in exitu magis considerandam esse quam Christum. Et quia profana penitus per se erat exsecrabilisque sententia, velare, ut puto, infidelissimam prædicationem quasi umbratili quadam adjectione conantur, dicentes cunctos qui credunt Deum, sanos tantum atque incolumes officiosos Christo esse debere; ceterum jam exeuntes a sæculo, carnalis magis propinquitatis
C quam divini officii oportere meminisse. Quasi vero homines Christianos alios esse oporteat incolumes, alios de hoc sæculo recedentes; & alios secuncti exhibere Christo debeant in sospitate, alios in morte; alios in superiore vita, alios in posteriore. Quod si ita est, ergo alterum quis habiturus est Christum juvenis, alterum senex; & totiens debent homines demutari fide, quotiens demutantur ætate. Si enim erga Dei cultum alter quispiam futurus est vigens, alter infirmus, alter sanus, alter ægrotans; ergo prout status fuerit humani corporis inæqualis, ita erit homini etiam Deus ipse mutabilis; & quotiens fuerit in homine valetudo contraria, totiens erit etiam religio di-
D versa. Quasi vero qui incolumes Christi esse debent, morientes Christi esse non debeant. Et ubi P.298.
illud est: [b] *Qui perseveravit in finem, hic salvus erit*? Aut illud in Proverbiis sacris divini sermonis oraculum. [c] *Sapientia in exitu canitur*? Quo utique ostenditur, licet salubris sit in omni ætate sapientia, præcipue tamen omnes in exitu suo debere esse sapientes: quia laudari penitus anteactæ ætatis prudentia non merebitur, nisi bono fine claudatur. *Sapientia* enim *in exitu canitur*. * Sufficit, inquit pestilens prædicatio, sufficit præteritum opus homini, etiam si in fine nihil faciat. Ego multo plus addo, aut non minus eis; si potest, morte vicina aut certe plus multo esse faciendum. Primum,
E quia de bono opere nihil nimis est. Deinde, quod ad tribunal Dei pergens, magis placare judicem debet, quasi jam in judicio constitutus. Postremo, quod si aliqua ante exitum bona fecit, multo magis facere jam in exitu suo debet, ne deterior sci-

a Gal. I. 10. b Matth. X. 22. & XXIV. 13. c Prov. I. 20. sec. LXX.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 445.



A licet superioribus vitæ actibus finis esse videatur. Si autem bonis operibus parum studuit, multo utique magis facere eum vel in exitu suo convenit; ut quod vita anteriore non reddidit, saltem in extremitate persolvat; & qui ex hoc reus est quod ante neglexit, vel per hoc excusari aliquatenus Domino suo possit quod præteritam inhumanitatem ultima saltem devotione compenset. Sed ad superiora redeamus. *Sapientia*, inquit sermo divinus, *in exitu canitur*. Cur eam non dixit cani in pueritia, non in juventute, non in statu rerum incolumium, non in prosperitatibus secundorum? Scilicet quia in his omnibus quidquid laudatur, incertum est. Quam diu enim quis subjacet mutationi, non potest P.299. cum securitate laudari; & ideo, ut ait, *sapientia in exitu canitur*. B Exiens enim quis de incertis periculorum, certum merebitur evasa omnium rerum varietate suffragium: quia tum stabilis & firma laus est, quando meritum jam non potest perire laudati. *Sapientia*, inquit, *in exitu canitur*. Quid est, quæso, sapientia Christiani? Quid, nisi timor & amor Christi? [a] *Initium* enim, inquit, *sapientiæ timor Domini*: & alibi: [b] *Perfecta*, inquit, *dilectio foras mittit timorem*. Ergo, ut videmus, initium sapientiæ est in timore Christi, perfectio in amore. Itaque si sapientia Christiani timor est atque amor Domini, ita demum vere sapientes sumus si Deum semper ac super omnia diligamus; & hoc cum omni tempore, tum præcipue in exitu C nostro, quia *Sapientia in exitu canitur*.

II. Si ergo *sapientia* per hoc maxime *in exitu canitur*, si Deus super omnia diligatur; quæ igitur insania est, ut dicat aliquis Christum carnali propinquitati præponi ab incolumibus oportere, a morientibus non debere? Cur enim eum præferant incolumes, si non debent præferre morientes? Aut si potest quispiam religiose agnatos atque adfines suos Christo in morte præponere, cur non religiose etiam ante præponebat? Aut si est ulla hora in vita ultima qua quis plus alios diligere debeat quam se ipsum & Deum, cur non & in vita anteriore plus diligat? Ac sic fit ut solvantur omnia & evanescant D & intereant, neque ullum quis viliorem habeat quam se ipsum, neque ullum inferiorem quam Deum. Si enim ullum est tempus quo ab aliquo possit Deus adfinibus aut propinquis jure postponi, nullum est quo possit jure præponi. Sin P.300. autem, quod verum est, nullum est omnino tempus quo non debeat anteponi; nullum est omnino tempus quo possit jure postponi. Nullum utique. Et ideo ne in extremis quidem: quia etiam justum hominem Propheta [c], in die qua erraverit, dicit esse periturum. Itaque si omnis error errantis perditione multatur, & his quoque erroribus vita hominum periclitatur quibus usitate atque communiter innocentia humana polluitur; quid futurum E existimamus ubi in Deum ipsum detestabili infidelitate peccatur? Si enim, inquit Apostolus [d], omnis inobedientia justam accipit mercedis retributionem; quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? Nullus autem salutem veram plus negligit, quam qui Deo aliquid anteponit. Cum enim salus nostra munus ac misericordia Dei sit; quæ ei ratio consequendæ salutis est qui Deum ipsum despicit, in cujus misericordia salus nostra consistit? Aut cum judex & vivorum sit Deus & mortuorum; quæ ei spes in Dei judicio esse poterit qui eum etiam moriens judicio suo spreverit a quo est statim mortuus judicandus? Et ideo, ut scriptura divina ait [e], in quo judicio judicat, in eo judicabitur de eo: hoc est: quo judicio judicat de Deo, eo ipse judicabitur a Deo; neque iniquum putare poterit si eum cunctis in futuro Dominus postposuerit, qui in præsenti Deum cunctis ipse postponit; nec queri potest si eum omnibus Deus æstimet damnabiliorem, cum ipse omnibus Deum æstimet viliorem.

III. Sed dicit aliquis non se hoc animo ista facere quo aut contemnat Deum aut vilem putet, sed quo vel amet eos quos heredes instituit, vel honoret. Adquiescamus hoc ita esse: omnibus ferme etiam aliis flagitiosissimis & criminosissimis reis excusatio ista suppetit. Nam dicere & fornicatoribus P.301. licet non se hoc animo fornicari quod Deum spernant, sed quia calore corporis atque infirmitate vincantur. Et homicidæ id affirmare possunt, non se contemtu Dei humanum sanguinem fundere vel odio, sed cupiditate tantum scelera præstare. Sed quid prodest malis hæc excusatio, cum scilicet nihil intersit qua se quispiam dicat peccare caussa, cum sit omne peccatum divinitatis injuria? Adquiescamus tamen, ut supra dixi, hoc ita esse, nec ex contemtu Dei res suas quempiam alii magis quam Deo tradere, sed vel honore heredis sui se ad hoc trahi, vel certe amore compelli. Sed quid facimus quod hoc ipso magis incuria Dei probatur atque contemtus? Si enim, o quisquis es, per id quod heredibus tuis vel quibuscumque res proprias derelinquis, & honorare te eos indicas & amare; Deum utique cui non relinquis, nec honorare te indicas nec amare. Ac per hoc quidquid pro te dixeris, contra te est, & ad contemtum atque ad contumeliam Dei pertinet amor & honorificentia ceterorum. Cum enim aliis ideo relinquas quia eos honoras, Deum cui non relinquis, utique non honoras; cum aliis ideo relinquas multa quoniam amas, Deo ideo non relinquis profecto quia non amas. Ecce enim adsistit tibi morienti atque testanti homo pariter ac Deus. Res aperta est & non dubia: quem elegeris, prætulisti. Si in uno est honor solo, necesse est in alio inveniatur esse despectio. Si homo qui præfertur, gaudet se a te diligi, necesse est ut se doleat Deus qui prætermittitur, non amari. Sed putas Deum videlicet munificentia hominis non egere; & ideo quid necesse est, inquit, ab homine ei quippiam tribui, qui ipse cuncta omnibus dedit? Utrum P.302. egeat munificentia nostra Dominus an non egeat, aut quomodo vel egeat vel non egeat, jam videbimus. Interim, quia ab eo cunctis cuncta præstari etiam tu negare non ausus es; hoc dignior est absque dubio largitate nostra quia nobis ipse ante largitus est; hoc justius ei officiis respondere tentamus, quo beneficiis illius magis impares sumus. Nam & natura ipsa hominum consuetudoque communis hac quasi generali cunctos lege constringit, ut a quibus aliquid liberalitatis accepimus, plus eis gratiæ debeamus: artat quippe nos ad retributionem dati accepta largitio. Ante usum enim ac munificentiam liberalitatis alienæ liber est quispiam, beneficiorum fenore non gravatus. Coguntur autem omnes ipsa conscientia sua ad repensationem vicissitudinis, postquam esse cœperint debitores. Ita ergo & Deo hoc majora debemus, quod ab eo cuncta percepimus; & hoc respondere beneficiis illius minus possumus, quod ei etiam si quod debemus redhibere cupiamus, tamen de suo reddimus. Ac per hoc non est quod placere sibi quisquam largi-

a Psal. cx, 10. Prov. I. 7. & ix. 10. Eccli. I. 16. b I. Joan. iv. 18. c Ezech. III. 20. d Heb. II. 2. e Matth. vii. 2.

tione sua debeat. Sicut sua non sunt cuncta quæ a Domino suo accipit, sic sua non sunt cuncta quæ reddit. Et ideo perfidiæ quidem pœna debetur ei qui negaverit Deo quæ sunt sibi ab eodem commodata; imputare autem largitionem non potest qui reddiderit accepta.

IV. Sed Deus, inquis, non eget retributione. Nihil minus quam ut non egeat. Non eget enim juxta potentiam suam, sed eget juxta præceptionem suam: non eget secundum majestatem suam, sed eget secundum legem suam; & in se ipso quidem non eget, sed in multis eget; non quærit in P.303. se munificentiam, sed in suis quærit; & ideo non eget quidem juxta omnipotentiam, sed eget juxta misericordiam; non eget deitate pro semet ipso, sed eget pietate pro nobis. Quid enim dicit ad pios ac largos dispensatores Deus? [a] *Venite benedicti patris mei, possidete regnum quod vobis paratum est a constitutione mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere:* & alia in hunc modum. Et ne hoc caussæ de qua nunc loquimur, parum forsitan videretur, adjecit rerum diversitatem, avaris & infidelibus dicens: [b] *Ite maledicti in ignem æternum quem paravit pater meus diabolo & angelis ejus. Esurivi enim, & non dedistis mihi bibere* *: *nudus fui, & non operuistis me.* * Ubi ergo sunt qui dicunt Dominum Jesum Christum officio nostrorum munerum non egere? Ecce & esurire se pariter & sitire & algere commemorat. Respondeat quilibet horum, si non eget qui esurire se queritur, si non eget qui se sitire testatur? Ego plus addo aliquid, Christum non solum egere cum ceteris, sed plus multo egere quam ceteros: in omni enim pauperum numero non est universorum una paupertas. Sunt enim quidam quibus etiam si vestimenta desunt, alimenta non desunt; multi sunt hospitio egentes, vestibus non egentes; multi domo carentes, sed non substantia; sunt denique quibus etsi desint multa, non desunt omnia. Christus tantummodo solus est, cui nihil est quod in omni humano genere non desit. Nullus suorum exsulat, nullus frigore ac nuditate torquetur, cum quo ille non algeat. Solus cum esurientibus esurit, solus cum sitientibus sitit. Et ideo, quantum ad pietatem illius pertinet, plus quam ceteri eget: omnis enim P.304. egestuosus pro se tantum & in se eget: solus tantummodo Christus est qui in omnium pauperum universitate mendicet. Et cum hæc ita sint; quid ais, o homo, qui Christianum te esse dicis, cum Christum egere videas, tu facultates tuas quibuscumque non indigentibus derelinquis? Christus pauper est, & tu opes divitum cumulas? Christus esurit, & tu delicias affluentibus paras? Christus etiam aquam sibi deesse queritur, & a te apothecæ ebriosorum vino replentur? Christus rerum omnium egestate conficitur, & a te luxuriosis copiæ coagregantur? Christus tibi pro muneribus a te datis præmia sempiterna promittit, & tu nil præstaturis cuncta largiris? Christus tibi & pro bonis bona immortalia & pro malis mala æterna proponit; & tu nec bonis cælestibus flecteris, nec malis perennibus commoveris? & credere te Domino tuo dicis, cujus nec remunerationem desideras, nec iracundiam contremiscis?

V. Non credis igitur, sicut jam diximus libro superiore, non credis; ac * licet de conversorum venerabili choro esse videaris, licet religionem ve- A stibus simules, licet fidem cingulo adferas, licet sanctitatem pallio mentiaris, non credis omnino, non credis. Et hoc tam viris istiusmodi quam feminis dixi: non credunt. Induat sibi quamvis quilibet * habitum sancti nominis & titulum sacræ religionis inscribat; si de substantia sua aliis magis quam sibi consulit, profecto non credit. Nemo est enim credens qui facultates suas aliis prodesse malit quam sibi; nemo est qui beatitudinem aliis miseria sua emere contentus sit; nemo est qui ut aliis paret delicias temporarias, subire egestates cupiat sempiternas. Et ideo qui patrimonio suo aliis magis quam sibi consulit, profutura sibi quæ P.305. Deo dederit omnino esse non credit. Dicat enim B mihi quilibet horum, cur facultates suas aliis derelinquit. Numquid non ideo quia profuturas cui reliquerit esse non ambigit? Ideo absque dubio. Igitur, quicumque ille es, si ea quæ alii relinquis, ideo relinquis quia profutura ei cui reliqueris certus es; sic profecto si quæcumque religiosis muneribus prorogasses profutura esse tibi crederes, tibi absque dubio peculiariter deputares: quia quanto te plus amas quam eos quibus relinquis, tanto magis tibi relinqueres si profutura ea tibimet vel tenui opiniuncula judicares. Non enim te odisti, ut prodesse tibi nolis; sed quæ pauperibus dereliqueris, profutura tibi esse non credis; & inde est quod aliis magis quam tibi consulis, quia profuturum C tibi opus religiosum esse non credis. Sicut credis itaque, sic recipies. Tu Salvatorem perparvipendis, & te Salvator nihili. Tu Christum postponis aliis, & te omnibus Christus. Tibi in comparatione etiam hominum perditorum vilis est Dominus, & tu eris inter periturorum ultimos deputandus.

VI. Sed blandiris tibi forsitan, ut jam ante dixi, aliquo religiosæ professionis intuitu. Magis es debitor, quia proposito sanctitatis majora promittis; & ideo plus tolerabis supplicii, quia minus solveris sponsionis. [c] *Servus enim*, inquit sermo divinus, *qui nescit voluntatem domini sui, & non* D *facit eam, vapulabit paucis: qui autem scit, & non facit eam, vapulabit multis*. Et tu specie professionis, grandia specie polliceris, & rebus nulla restituis. Falsarii criminis reus es, Deo cuncta mentiris. Nec immerito sacer sermo judicium de templo Dei incipiendum esse testatur. [d] *Judicium* enim, P.306. inquit, *de domo Domini*. Alibi quoque: [e] *A sanctis*, inquit, *meis incipite*. Sed ad superiora redeamus. *Ite*, inquit avaris atque incredulis Deus, *ite in ignem æternum, quem paravit pater meus diabolo & angelis ejus*. At liberandum te ab hoc malo quibusdam forsitan bonis corporalibus putas? Pudicitiam quippe amasse te jactas. Sed memento, quia & illos quos in evangelio immortalibus pœnis Sal- E vator tradidit, impudicitiæ non notavit. Sobrietatem tibimet placuisse commemoras? Nec illi de quibus scriptura loquitur, ebrietatis crimine puniuntur. Jejunasse te dicis? Nec illos prandia reos esse fecerunt. Sed videlicet magna caussa est qua tibi abstinentia ac jejunio tuo placeas; qui ad hoc jejunasti, ad hoc parce exiliterque vixisti, non ut post mortem tuam egenos facultatibus tuis pasceres, sed ut censum cujuscumque heredis divitiis ampliares. Magnos videlicet abstinentiæ fructus capis. Minus enim panis tu manducasti, ut auri alius plus haberet. Tibi venter frugalitate decrevit, ut cujuscumque hominis fortasse vitiosi thesaurus cresceret. Cum ergo ad judicium Dei veneris, jure

a Matth. xxv. 34. 35. b Ibid. ꝟꝟ. 41-43. c Luc. xii. 47. 48. d I. Pet. iv. 17. e Ezech. ix. 6.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

imputare ei jejunium tuum poteris dicens: Jejunavi, Domine, & abstinui, ac diu me ab omnium deliciarum fruge suspendi. Et res hoc probat. Ecce enim nunc heredes mei de meo affluunt, immensarum divitiarum copiis exabundant. Et ut aliquid etiam de evangelica lectione præsumas, hoc quod Salvator dixit de perditissimo illo divite, potes & tu de heredibus tuis dicere: Induuntur purpura & bysso, & epulantur quotidie splendide, incubant defossis a me talentis, premunt argenti & auri congestas strues, materiam quoque
P.307. his voluptatum omnium præparavi: distenduntur deliciis a me relictis. Ego diu abstinui ut nunc illi ebriarentur. Crapula est illorum frugalitas mea. Natant tricliniorum redundantium pavimenta vino; B falerno nobili lutum faciunt; mensæ eorum ac toreumata mero jugiter madent, semper uda sunt. Luxuriant in peristromatis quæ ego feci, fornicantur in sericis quæ reliqui. Et cum hæc omnia pro te dixeris, quomodo non æternam a Christo remunerationem mereri poteris, cui in talibus sanctis tantarum deliciarum copiam præpararis?

VII. O quanto melius, quæcumque illa es, quanto melius & salubrius pauper fueras & egestuosa quam dives. Paupertas enim te Deo insinuare potuisset: divitiæ ream esse fecerunt. Rectius ergo per indigentiam salva fueras, quam per opes tuas & te & alios prægravasses; te scilicet, C dum male aliis relinquis; alios dum a te relicta & ipsi usu inhumanissimo male possident, & post se male aliis derelinquunt. Si vis ergo, quæcumque illa es, si vis tibi esse consultum, si vis æternam habere vitam, & cupis videre dies bonos, relinque substantiam tuam indigentibus sanctis, relinque claudis, relinque cæcis, relinque languentibus; sint facultates tuæ alimenta miserorum, sit opulentia tua pauperum vita; ut illorum refrigeria præmia tua sint, ut illorum refectio te reficiat. Si enim illi de tuo edent, tu saturaberis: si illi de tuo biberint, tu sitis tuæ æstum ardoremque restingues: te illorum vestitus vestiet, te illorum apricitas delectabit. Non ergo vile ac despicabile D putes, si substantiam tuam miseris atque egentibus derelinquas: Christum in illis facies heredem. Et
P.308. quid dicam de Christi nomine? Christum quidem heredem facies, sed tu hereditatis emolumenta percipies. Quæcumque enim Christo reliqueris, per Christum omnia possidebis. Sed hæc tu, ut reor, frivola esse judicas, & quasi somnia quædam ac deliramenta contemnis. Non enim credis Christum vera dixisse. Et res probat, nequaquam te ei credere. Nam qui mandata ejus nec in postremis facis, aut nulla esse omnino æstimas, aut falsa esse condemnas. In quo quidem lugere omnes sanctos ac flere convenit, nulli te & alios tui similes, nulli minus quam Christo credere. Si tibi quicum- E que ex cauponibus quid promitteret, fidem promittenti non abnegares: si mutuum a te quippiam propola aut * salgamentarius postularet, redditurum eum non diffideres quæ dedisses. Mendacibus denique interdum atque perjuris, cautione facta & dato fidejussore, res creditur. Christus tibi & fidelissimam cautionem & fidejussores optimos dedit, cautionem scilicet in evangelio, fidejussores Apostolos suos, & si id parum est, Patriarchas, Prophetas, Martyres suos, totam denique divinarum seriem litterarum; & non credis ei, nec fidem commodas? Quem rogo tam prodigum inter homines ac tam miserum invenire possis cui fidem

A sub tot fidejussoribus denegares? Das itaque res tuas divitibus, & egenis negas; das luxuriosis, & negas sanctis; das cuicumque fortasse perdito, & negas Christo. Prout ergo judicasti, sic judicaberis: sicut elegeris, sic recipies. Non habebis cum Christo partem quem despexisti: cum his habebis quos ei prætulisti.

VIII. Sed dicit fortasse aliquis ex infidelium numero non dignam esse caussam quæ vel Deum moveat, vel homines in æternum periculum trahat. P.309.
Scio quidem quod * omnes rei veniabiles putant semper reatus suos. Nam & furta furibus leves culpæ sunt, & innocua ebriosis videtur ebrietas, & apud impudicos fornicatio scelus non est: quia nullum omnino tam grande crimen est quod non cujus facinore committitur, ejus sententia sublevetur. Sed si quis vult ex peccatoribus scire, quam graviter censenda a Deo sint magna crimina, discat qualiter in semet ipsis puniant sancti etiam levia peccata, conscii scilicet jam ex ipsius Dei dictis futuri examinis, ac per Domini sui verba etiam judicia rimantes; & ideo semper in Dei opere, semper in compunctione, semper in cruce positi. Beati, qui cum omnium misereantur, sibi numquam penitus ignoscunt, in nullo sibi parcentes, sed totos se admodum Deo impendentes, & ideo in futuro judicio digni præmio, quia heic apud se jugiter in reatu. Nam de misericordia eorum ac largitate quid dicam, quæ virtus apud eos quasi virtutum omnium initiatrix est? Plerique enim eorum hæc habent quasi exordia, & quasi incunabula * conversionis suæ, ut prius quam limen sanctæ professionis introeant, de propriis sibi facultatibus nil relinquant, secundum illud scilicet Domini nostri dictum quo ait: [a] *Vende omnia bona tua, & da pauperibus, & veni sequere me*. Et illi itaque secuturi vocantem Deum, prius vendunt omnia quam sequantur. Divitias enim onerum atque impedimentorum loco esse ducentes, expeditos se non putant ad sequendum Deum, nisi omnia prius carnalium sarcinarum impedimenta projecerint, simul ut more hominum commigrantium, prius ad locum habitaculi destinati res suas transferant quam se ipsos; scilicet ut cum ea P.310.
quæ ad se pertinent universa transtulerint, tunc ipsi in plenam ac refertam bonis immortalibus domum, præmissa rerum facultate, commigrent; securi absque dubio nihil sibi postea defuturum, qui exituri de habitaculo vili & contemtibili ac jam jamque ruituro, nihil illic de suo penitus reliquerint quod periret. Hæc ergo sanctorum spes, hæc fiducia est. Sic sibi opulenta rerum transmissione prospiciunt, ut æternis immortalium facultatum copiis perfruantur. Ceterum tu, quicumque ille es aut quæcumque, quæ animæ tuæ ac salutis oblita, ipsa te resculis tuis spolias, quomodo in futuro quasi condita ac parata reperies quæ heic aut non indigentibus aut etiam abundantibus deputaris? Quomodo reddenda tibi a Deo credis quæ Deo ipse non credis? * Postremo, quomodo reddi vis quæ credere non vis? Nemo enim sibi solvi vult quæ non commodat; nec tam stultus est ut quæ non feneraverit, putet esse reddenda. Et ideo tu nequaquam a Deo quasi reddendum sperare poteris quod Deo utique non credens, reddere tibi Deum ipse nolueris. Unde compleatur dictum in te divinum [b] * illud necesse est, quia reliquisti aliis vel alienis divitias tuas, sepulcrum tuum erit domus tua in æternum. Et illud quod Salva-

a Matth. XIX. 21. b Psalm. XLVIII. 11. 12.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

tor ad similem tui loquitur : [a] *Quia tepidus es*, A *& neque fervens neque frigidus, incipiam te evomere ex ore meo*. Et illud dicis : *Dives sum; & divitias habeo, & nullius egeo; & nescis quia tu es miser, & pauper, & cæcus, & nudus*. Nemo itaque sibi * in vita, in morte, in actu, in dono, in testamento suo hominem Deo præferens, de vitæ ac professionis prærogativa aliquid blan-
P.311. diatur. Pœnalis est hominis ac perniciosa ista securitas : præsumtæ spes, sarcinæ sunt reatus: usurpata absolutio damnationem parit. Quicumque sibi se excusat, accusat Deo, secundum illud : [b] *Nam qui se existimat esse aliquid, cum nihil sit, se ipsum seducit*. Nemini itaque facilis sua caussa sit. Nullus difficilius evadit, quam qui se evasurum esse B præsumserit.

IX. Dura hæc forsitan atque austera videantur. Quidni? [c] *Omnis enim disciplina*, ut ait sermo divinus, *non est gaudii, sed mæroris*. Dura hæc & austera sunt. Sed quid facimus? Non licet rerum mutare naturas; & enuntiari aliter veritas non potest, quam vis ipsa exigit veritatis. Dura hæc quidam putant, scio, & satis certus sum. Sed quid facimus? Nisi duris non itur ad regnum. [d] *Arta enim*, inquit Dominus, *& angusta via est quæ ducit ad vitam*. Et Apostolus : [e] *Existimo*, inquit, *quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*. Indignum C esse ad futuræ gloriæ comparationem omne opus dicit humanum. Et ideo nihil durum aut austerum Christianis videri debet: quia quantalibet pro sempiterna beatitudine Christo offerant, vile est quod datur, ubi tam grande est quod accipitur. Nihil magnum in terris ab homine Deo solvitur, ubi quod est in cælo maximum comparatur. Durum est avaris ut largiantur sua. Quid mirum? [1] Totum durum est quidquid imperatur invitis. Quot genera præceptorum sunt, tot adversariorum. Si largitatem esse in hominibus jubet Dominus, avarus irascitur : si parsimoniam exigit, prodigus exsecratur: sermones sacros improbi hostes suos ducunt : horrent raptores quidquid de justitia scribitur, horrent superbi quidquid de humilitate mandatur, adversantur ebriosi ubi sobrietas indicitur, detestantur impudici ubi castitas imperatur. Aut nihil ergo dicendum est, aut quidquid dictum fuerit, cuicumque supra dictorum hominum * displicebit. Mavult quilibet improbus exsecrari legem quam emendare mentem; mavult præcepta odisse quam vitia. Inter hæc, quid agant quibus loquendi a Christo officia mandantur? Deo displicent, si tacent; * hominibus, si loquuntur. Sed, ut Judæis Apostoli responderunt [f], *Expedit magis Deo obedire quam hominibus*. Do tamen consilium omnibus quibus gravis & onerosa est lex Dei, si accipere non recusant, quemadmodum placere eis possint quæ Deus præcipit. Cuncti enim qui oderunt mandatum sacrum, caussam odii in se ipsis habent. Omne fastidium non in præceptis est legis, sed in moribus suis. Lex quippe bona est, sed mores mali. Ac per hoc mutent homines propositum & affectum suum. Si mores suos probabiles esse fecerint, nihil eis ex eo quod lex bona præcipit, displicebit. Quando enim bonus quis esse cœperit, non potest non diligere legem Dei : quia hoc intra se habet lex Dei sancta, quod sancti homines in moribus. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu tuo. Amen.

P.312.

Explicit liber quartus.

[a] Apoc. III. 16. 17. [b] Gal. VI. 3. [c] Hebr. XII. 11. [d] Matth. VII. 14. [e] Rom. VIII. 18. [f] Act. V. 29.

1. Vide supra lib. I. de Gubernat. pag. 7.

STEPHANI BALUZII NOTÆ AD SALVIANUM.

AD LIBROS DE GUBERNATIONE.

AD PRÆFATIONEM.

*Inventa pagina margini adscripta, * hic asteriscus notatum locum indicabit.*

Pag. I. S*Tilo texerent*] Hunc locum ita ediderunt Alexander Brassicanus & Petrus Galesinius: *id speciali cura elaborarunt ut sive utiles ac probas, sive inutiles atque improbas materias sibi delegissent* cet.

Ibid. *Mundialium*] Recte heic adnotatum est a Brassicano Salvianum usum esse dictione suo sæculo familiari. Nam ipse ea frequenter utitur, & ceteri etiam ætatis illius scriptores.

Pag. 2. *Scholastici*] Scholasticum sermonem dicit, pro more illius sæculi, comtam & politam orationem &, ut Cicero diceret, incitatam, volubilem, redundantem & circumfluentem. Sanctus Paullinus in epist. x. ad Severum laudat Rufinum, quod *scholasticis & salutaribus* (legendum *sæcularibus*) *litteris Græce juxta ac Latine dives* esset. Commigravit autem hæc vox ex Græcia in Italiam, ut docet etiam Seneca in præfatione controversiarum: *Hoc vero alterum nomen Græcum quidem est, sed in Latinum ita translatum ut pro Latino sit scholastica controversia: multo recentius est sicut ipsa declamatio*. Sed de variis istius vocis significationibus vide Baronium ad diem sextam Februarii, Meursium in Glossario, Rosweydum in Onomastico ad vitas patrum, & Henricum Valesium ad Socratem pag. 77. Ne tamen putes Salvianum damnare totum hoc scribendi genus. Nam & ipse scholastico admodum sermone scripsit; ut patet ex his libris, & Gennadius docet. Damnat ergo tantum eos qui eloquentiam suam vertunt ad pravos usus. Veluti si quis Petronium reprehenderet, quod purissimam illam suam Latinitatem impurissimo opere fœdaverit. Aut cum Quintilianus Afranium Togatarum scriptorem, qui in eo genere comœdiarum excelluit, dolet argumenta sua inquinasse puerorum fœdis amoribus. Vide etiam Brassicanum ad hunc Salviani locum.

Ibid. *Vanitate sunt tumida*] Brassicanus edidit *Latinitate*, admonens ita scriptum fuisse in exemplari descripto quo is utebatur: quam lectionem retinuit Galesinius. Pithœus vero reposuit *vanitate*. Quam vocem cum exstaret etiam in codice Corbejensi, nos quoque putavimus esse retinendam.

Ibid. *Rer. magis quam verbor.*] Infra lib. IV. de Gubernat. pag. *64. dicet vocabula nihil esse sine rebus.

Ibid. *Sin autem*] Ab his verbis incipit codex Corb.

Ibid. *Infruct. sal.*] Ita editio Petri Pithœi. Bona etiam haud dubie est lectio codicis Corbejensis, quæ sic habet: *& hoc ipsum infructuosum sortita non erit*; si tamen ita legatur: *& hoc ipsum non infructuosum sortita erit*.

AD LIBRUM PRIMUM.

Liber iste in codice Corbejensi sic inscriptus erat: *De justo Dei præsentique judicio*. Cetera aberant. Sane Salvianus non disputat in hoc primo libro de Gubernatione, quamquam hanc quoque partem leviter attingit, sed de judicio Dei. In secundo demum aggreditur scribere de Gubernatione Dei, ut illic adnotabitur.

Pag. 3. *Suspexit*] In prima editione scripseramus *suscepit*, secuti editionem Pithœi. Nunc vero quia & Brassicani & Galesinii editiones habent *suspexit*, hanc postremam lectionem quam confirmat codicis Corbejensis auctoritas, placuit retinere.

Pag. 4. *Animus*] Adnotatum est ab eruditissimo viro Cunrado Rittershusio qui commentarium scripsit ad opera Salvianica, auctorem nostrum imitatum esse in hoc loco verba Minucii Felicis in Octavio. Nam hæc sunt ejus verba: *Et Pythagoræ Deus est animus, per universam rerum naturam commeans & intentus, ex quo etiam animalium omnium vita capiatur*. Verum non puto Salvianum ista sumsisse ex Minucio, sed ex Cicerone, quem ad verbum describit. Locus est ex libro primo de natura deorum, ut ibi adnotavimus.

Ibid. *Stoici eum*] Lactantius lib. I. divinar. institut. cap. II. annotat Stoicos acerrime retudisse eorum dementiam qui deos putaverunt non esse, ac docuisse *nec fieri mundum sine divina ratione potuisse, nec constare nisi summa ratione regeretur*. Et lib. VII. cap. III. scribit Platonem docuisse mundum a Deo factum esse & ejusdem providentia gubernari.

Pag. 5. *Epicureorum*] Qui, ut lib. I. cap. VIII. ait idem Lactantius, nolentes mundum a Deo esse factum, quærere solebant *quibus manibus, quibus machinis, quibus vocibus, qua molitione hoc tantum opus fecerit*.

Pag. 6. *Quæstionibus*] Rittershusius ex ingenio emendavit *questibus*, suamque conjecturam probare conatus est auctoritate Cypriani in libro de lapsis. Et tamen codex Corbejensis & editio Pithœi habent *quæstionibus*.

Ibid. *Titulum sanctitatis*] Infra extremo lib. III. pag. 62. *Nihil enim omnino prodest nomen sanctum habere sine moribus: quia vita a professione discordans*

abrogat inlustris tituli honorem per indignorum actuum vilitatem. Sic lib. V. pag. 114. in illos invehitur qui religionem simulantes, adeoque *titulo sibimet sanctitatis inscripto*, professione illa nomen quidem mutaverant, ceterum pristinos mores non abjecerant. Ex his itaque locis colligitur eos qui severiori se vitæ applicabant, sanctos tum fuisse dictos. Hos autem paullo post religiosos vocat; & pag. 9. hoc ipsum argumentum tractans, ait: *religiosi ac sancti viri miseri non putandi sunt*. Religiosorum autem nomine, ut ad paginam 84. dicetur, intellexit Salvianus clericos, monachos, & omnino eos qui a vita sæculari convertebantur ad professionem vitæ severioris.

Ibid. *Pauperes*] Sive de monachis loquatur Salvianus, sive de clericis, certum est non posse hinc colligi necessariam tum fuisse religioso publicam paupertatis professionem, sive votum paupertatis, ut hodie loquimur. Nam Salvianus ipse docebit infra in libro III. adversus avaritiam pag. 270. proprietatem bonorum ac possessionum illis interdictam nondum fuisse per illas tempestates. Hujus ergo loci sensus est, religiosos qui pauperes erant sive nativitate sive voluntate, paupertatem æquo animo ac gaudenti tolerasse, non ut plerique solent, per questus & deplorationem sortis suæ. Sequentibus deinde sæculis expedire visum est bono disciplinæ, uti religiosis non liceret aliquid proprium habere; ita ut ne Romano quidem pontifici licere voluerint cum monacho dispensare circa proprietatem, quemadmodum nuper observatum est in notis ad Concilia Galliæ Narbonensis pag. 28.

Ibid. *Honorem fugiunt*] Editio Pithœi *respuunt*, quo modo etiam editum est a Brassicano & Galesinio. Emendatum est ex codice Corbejensi. Cur enim bis eadem voce intra una lineam uteretur Salvianus non coactus? Librarii haud dubie mendum fuit.

Ibid. *Sive e. gravia*] Tacitus lib. VI. annalium: *Neque mala vel bona quæ vulgus putet: multos qui conflictari adversis videantur, beatos ac plerosque, quamquam magnas per opes, miserrimos, si illi gravem fortunam constanter tolerent, hi prospera inconsulte utantur*. Vide notas ad epistolam secundam Lupi Ferrariensis.

Ibid. *Qui invitus facit*] Infra extremo libro IV. adversus avaritiam pag. 311. *Totum durum est quidquid imperatur invitis*.

Ibid. *Rusticos cibos*] Id est, rapa, ut constat ex Aurelio Victore cap. XXXIII. de viris illustribus. Respicit enim Salvianus ad historiam Curii Dentati civis Romani, quem legati Samnitium repererunt rapa torrentem, atque ligneo catillo (ut Valerius Maximus ait lib. III. c. IV.) cænantem. Is ergo fictilia sua Samnitico prætulit auro, ut Florus scribit. Vide Ciceronem in libro de senectute.

Ibid. *Avara ac div. consc.*] Optime codex Corbejensis pro eo quod editio Pithœi habet *avaram ac divitem conscientiam*. Emendationem porro istam esse legitimam probant etiam editiones Brassicani & Galesinii, qui locum hunc sic ediderunt: *Numquid ægre ferebant quod avara illos a divite conscientia auri talenta non premerent?*

Pag. 8. *Patricium hominem*] Cornelium Rufinum, ut docet Valerius Maximus lib. II. cap. IV. Meminit & Tertullianus in apologetico cap. VI. *quæ patricium, quod decem pondo argenti habuisset, pro magno titulo ambitionis senatu summovebant*.

Ibid. *Dives Potestas*] Assentior Rittershusio, qui potestatis vocabulum apud Salvianum & alibi intelligi debere existimat ipsum magistratus nomen. Quo sensu fortassis accipienda est hæc vox in veteri inscriptione quæ primum hoc loco edita est ex lapide antiquo qui Narbone exstat in æde Prioris B. Mariæ majoris. Lapis est prægrandis, in summo sectus in arcum, in imo planus, quem in limine cujusdam templi positum fuisse gravis est conjectura. In antica parte hæc leguntur.

I M P.
CAESARI. DIVI. NERVAE. F.
NERVAE. TRAIANO. GERM. PONT. MAX.
TRIB. POT. COS. II.
Q. S..... ILIUS........ ANUS. IIIIII. VIR.
AUGUSTAL. DE. SUA. MEDIOCRITA.
.... MENTO FIERI.
PONIQUE. IUSSIT.

In postica vero parte, majoribus characteribus, sic:

AD VRNAM POTESTATIS.

Ceterum Sevir ille augustalis, cujus nomen dimidia sui parte periit, fortasse est Servilius Marcianus sacerdos ad templum Romæ & Augustorum Arelate, cujus mentio exstat in veteri inscriptione Lugdunensi apud Saxium in Pontificio Arelatensi pag. 53. Quæ dein ex inscriptione desunt, ita haud dubie supplenda sunt: *de sua mediocritate a fundamento fieri ponique jussit*.

Pag. 9. *Pro hum. genere*] Non male fortassis Rittershusius, qui totum hunc locum sic legendum & interpungendum putat: *ac prout humano generi necessarium nosset, moderationem suam & gubernaculum temperaret*. Quamquam repugnant omnes editiones & libri; nisi quod pro *necessariam*, quæ lectio est tum Pithœanæ editionis tum aliarum, codex Corbejensis habet *necessarium*: quod adjuvat conjecturam Rittershusii. Brassicanus & Galesinius, detracta voce *nosset* ut superflua, sic legerunt hunc locum: *ac pro humano genere necessariam moderationem suam & gubernaculum temperaret*.

Pag. 10. *Timotheum Apost.*] Infra epist. IX. pag. 210. *Timothei Apostoli*. Hieronymus in Chronico: *Reliquiæ Apostoli Timothei Constantinopolim invectæ*. Certum est Timotheum non fuisse ex numero eorum quos vulgo vocamus Apostolos. Et Primasius in caput primum epistolæ Paulli ad Philippenses, quæ sic incipit, *Paullus & Timotheus servi Jesu Christi*, apostolatum denegat Timotheo, cum dicit: *Omnis Apostolus servus, non omnis servus Apostolus*. Sed sciendum est Apostoli nomen generale esse & ad omnes pertinere qui ad gentem aliquam fide Christiana imbuendam missi sunt; quemadmodum dictum est olim in Concilio Lemovicensi, & legitur in epistola Joannis XX. de apostolatu sancti Martialis. Sic Epaphroditus a Paullo dicitur Apostolus Philippensium.

Ibid. *Quidam h. l. dixit*] Verba sunt Salviani ex epistola quinta, ut notat etiam Rittershusius, qui locum hunc mire facere putat adversus Pithœi suspiciones de auctore librorum adversus avaritiam.

Ibid. *Et aff. artubus*] Frigidior erat sententia hujus loci in aliis editionibus, quæ ita habebant: *ut affectis artubus, vires corporum in virtutes transferantur animorum*. Sed excelsa est ac Salviano digna in codice Corbejensi, quem bona fide expressimus. Quin & Salvianus ipse hanc emendationem confirmat in epistola quinta, unde hæc sumta sunt.

Pag. 12. *Et ablegavit*] Ita videtur legi & interpungi debere hic locus, ut heic editus est. Nam & editiones ita habent, & sensus postulat uti hanc lectionem retineamus. Attamen codex Corbejensis habebat: *& ablegavit laborem, videlicet* cet. Ceterum ante quam ab hoc loco discedam, admonendum putavi lectorem, heic in eodem codice pro

amandavit ſcriptum eſſe *commendavit* : quo etiam A modo alibi legi adnotatum eſt in margine editionis Pithœanæ.

Pag. 15. *Scire reſponderit*] Dubitandum non eſt quin hæc lectio præferenda ſit ei quæ exſtat in editione Pithœi, ubi ſic habetur : *nihil ſe de cæde fratris conſcium reſponderit*. Præter auctoritatem porro codicis Corb. quo uſi ſumus in emendatione loci iſtius, lectio illa confirmatur etiam auctoritate editionum Braſſicani & Galeſinii.

Ibid. *Verum ne miremur*] Aſſentior Rittershuſio, qui ſubeſſe heic mendum exiſtimat.

Ibid. *Primum Sanctor.*] Id eſt, Abelem.

Pag. 16. *Judicavit*] Codex Colbert. *vindicavit*.

Pag. 17. *Paſſioni*] Sic infra lib. IV. pag. 75. B *Cumque ejus naturæ ſit mens Dei atque majeſtas, ut nulla iracundiæ paſſione moveatur*. Utrobique vocabulum illud barbare poſitum eſt pro eo quod Latini dicunt affectum animi vel affectionem. Invaluerat nimirum ævo Salviani corruptio illa linguæ Romanæ, quando eadem voce, ut affectionem animi ſignificent, utuntur etiam Bachiarius in epiſtola ad Januarium, ſanctus Ambroſius, Caſſianus, Fauſtus Rejenſis, Cæſarius Arelatenſis, Ruricius Lemovicenſis, Julianus Pomerius, ac multi alii.

Ibid. *Vim dem. irati*] Imitatus eſt Salvianum Fauſtus Rejenſis in epiſtola ad anonymum, in qua hæc leguntur : *Ceterum Dei ira, juſtitia eſt ; Dei furor, ſeveritatis vigor eſt ; Dei juraſſe, definiſſe* C *eſt ; Dei pœnituiſſe *** ſententia tamen ſæpe mutata. Et cum ſe perſequente aliquo lædi dicit, crimen lædentis oſtendit*. Ceterum Salvianus lib. II. pag. 31. ait aſpectum divinitatis propitiæ eſſe munus conſervationis humanæ.

Pag. 18. *Data a Deo*] Colbert. *data a Domino*.

Ibid. *Defunctionem*] In ora Pithœanæ editionis adnotatum eſt, alibi legi *definitionem*. Quo etiam modo legitur in codice Corbejenſi.

Pag. 19. *Loth cum affectibus*] Id eſt, cum uxore & liberis. Recepta erat ſæculo illo vocis iſtius uſurpatio ut propinqui ſignificarentur : de quo nos fortaſſis amplius differemus in notis ad epiſtolas Ruricii epiſcopi Lemovicenſis. Vide Roſweydi Ono- D maſticon ad vitas patrum.

Ibid. *Judicavit utique*] In aliis editionibus legitur : *Si autem cum judicio malos perdidit, judicavit utique*. Codex Corbej. eleganter repetit vocem *judicavit*. Sic etiam Colb.

Pag. 20. *Rem pr. nitimur*] Editio Braſſicani : *vereor ne dum ſatis rem probare renitimur*. Galeſinius : *vereor ne dum ſatis rem probare nitimur*. Pithœus : *vereor ne dum ſatis reprobare rem nitimur*. Nos ſecuti ſumus auctoritatem codicis Corbejenſis. Pro eo autem quod editio Pithœi omnino male habeat *texiſſe*, nos ſecuti codicem Corbejenſem & ſuperiores editiones repoſuimus *texuiſſe* : atque ita in ſua editione emendavit Rittershuſius. Similis error ac- E ciderat in commonitorio Vincentii Lirinenſis.

Ibid. *Ut plus ſacrilegus*] Colbert. *ut unus ſacrilegus*.

Ibid. *Et quid poſtremo?*] Editio Pithœi : *Et quid? poſtremo decies rebellat* cet. Reddidimus heic bona fide codicem Corbejenſem. Unde confirmatur conjectura Rittershuſii, qui ita legendum eſſe monuerat.

Ibid. *In Ægypto*] Cum hic locus varie legatur, admonuiſſetque Rittershuſius legendum videri, *In Ægypto quippe tunc non ſimplex*; nos ejus conjecturam ſecuti ſumus in hac editione, ut ſenſum aliquem faceremus huic loco.

Ibid. *Celebrat*] Colbert. *celebratur*, Corb. *celebrato*.

Pag. 21. *Volvitur*] Corb. *ſuper volvitur*. Hinc *volumina* pro fluctibus in epiſtolis Meletii epiſcopi Mopſueſteni & Theodoreti Cyrenſis editis in ſynodico adverſus Tragœdiam Irenæi capp. 119. 129. 139. 151. Plinius lib. VII. cap. XLV. *magna ſortis humanæ reperiantur volumina*.

Ibid. *Ægyptii rebel.*] Colbert. *Ægyptios rebellantes ſæpe percuſſit*.

Ibid. *Contumaciæ pertinaces*] Id eſt, in contumacia durantes : quod alii, ut diverſa ſunt hominum ingenia, ajunt eſſe animi parum liberalis, alii vero generoſæ & excelſæ mentis.

Ibid. *Lucem*] Colb. *lumen*.

Ibid. *Immutatas*] Idem codex, *invitatos*.

Ibid. *Servientes*] Hic locus ſic antea legebatur in editione Pithœi & in codice Corbejenſi, *Deum pietate indulgentiſſima* cet. Admonuerat autem Rittershuſius legendum eſſe *Dei pietate*. Cum itaque lectionem illam præferrent editiones Braſſicani & Galeſinii, dubitandum non erat quin Rittershuſii conjectura foret retinenda.

Ibid. *Sciſſas veſtes*] Heic tantummodo admonuerim in codice Corbejenſi legi *adciſſas veſtes*, in Colbertino *ciſas*.

Pag. 22. *Deum filium*] Ita codex Corbejenſis, Colbertinus tamen & omnes editiones habent *Dei filium*. Rurſum Rittershuſio diſplicet quod heic legitur *viſibus*, mavultque legi *uſibus*. Et tamen heic eſt mira editionum ac codicum concordia.

Ibid. *Rupices paginas*] Sic eleganter, inquit Rittershuſius, vocat lapideas tabulas quibus digito Dei erant inſcripta decem verba legis. Et nota *rupices* adjective & rarenter poſitum nomen pro *ſaxeis*, cum alias rupices ſubſtantive ſoleant dici homines ſtupidi & bardi.

Pag. 23. *Excipimus*] Colbert. *accipimus*.

Pag. 24. *Illa magis*] In editione Braſſicani & Pithœi ſic legitur hic locus : *uſitatum eſt hoc humanæ menti, cum intueatur illa magis ſemper quæ deſunt*. Galeſinius : *uſitatum hoc humanæ mentis eſt vitium, illa magis velle quæ deſunt*. Itaque expungit voces illas, *cum intueatur*. Offenderunt porro illæ aures Rittershuſii, qui illas ſine detrimento ſententiæ rectius abeſſe poſſe putat. Gaudeo conjecturam ejus firmari auctoritate codicum Corbejenſis & Colbertini, qui duabus illis vocibus carent.

Ibid. *Accidit quoque illud*] In aliis editionibus, quin etiam in Pithœana, ſic legitur : *Et quia, ut ille ait, aliena nobis, noſtra plus aliis placent. Accedit quoque illud* cet. Opinor autem neminem ambigere quin emendatior habeatur hic locus in codice Corbejenſi, quem bona fide expreſſimus.

Ibid. *Conſequeretur pœna*] Infra pag. 26. *Nec pæne prius peractum eſt facinus peccantium, quam ulciſceretur pœna peccatum*. Vide notas ad Lupum Ferrar. pag. 473.

Pag. 25. *Ad cunctorum emendat.*] Infra pag. 29. *ut proficeret cunctorum emendationi pœna omnium noxiorum*. Et lib. VII. pag. 164. *ut dum pars clade cæditur, pars exemplo emendaretur*. Tacitus lib. XIV. annalium : *Magnum exemplum quod contra ſingulos utilitate publica rependitur* : quando ſcilicet decimus quiſque fuſti feritur in exercitu. Vide Rittershuſium ad iſtum Salviani locum.

Pag. 29. *Juſtitiæ & miſ.*] Colbert. *juſtitia & miſericordia*.

Ibid. *Sever. p. p. diſcipl.*] Editiones : *& ſeveritati per diſciplinam*. Haud dubie lectio illa optima eſt. Sed ego præfero lectionem codicis Corbejenſis. Auguſtinus in pſalmum centeſimum : *Deus autem nec in bonitate miſericordiæ perdit judicii ſeverita-*

tem, nec in judicando cum severitate amittis misericordiæ bonitatem.

Ibid. *Vis videre severum*] Corb. & Colbert. *vis videre justum & pium & severum judicem?*

Pag. 30. *Explicit lib. I.*] Ita editio Pithœi. Codex Corb. habet: *Explicit liber I. cum felicitate.* Titulus vero sequentis libri is est: *Incipit liber secundus in virtute Dei.* Hæc admonere fortassis nullius erat momenti. Verum ex antiquitate amamus etiam quisquilias & semesos lapides. Solebant veteres, ut adnotatum est a viris eruditissimis, in fine librorum scribere *Explicit*; significare volentes perventum esse ad finem voluminis, quod plane explicatum esset & evolutum. Hieronymus in epistola ad Marcellam: *Solemus completis opusculis ad B distinctionem rei alterius sequentis medium interponere* EXPLICIT *aut* FELICITER *aut aliquid ejusmodi.*

AD LIBRUM SECUNDUM.

Pag. 30. *Quia qui v. recturus*] Editiones: *quia vel recturus est vel judicaturus. Præsens igitur* cet. Ecce iterum Rittershusii conjecturam vetusti codicis auctoritate firmatam. Nam ille post *quia* addi volebat *qui*.

Pag. 31. *Aspectus e. divinit.*] Contra lib. I. p. 17. iram divinitatis ait pœnam esse peccantis.

Pag. 32. *Memoriam eor.*] Brassicanus & Galesinius sic ediderunt hunc locum: *Nam cum ad hoc C sit vultus Dei super facientes mala ut perdat de terra memoriam eorum de generatione omni, necesse est* cet. Verba illa, *de generatione omni*, sunt prorsus superflua, & adjecta sunt ab eo qui non intelligeret ad quem locum referri deberent ista *de Gubernatione Dei*, quæ facile video fuisse in omnibus codicibus manuscriptis. Restituit veram lectionem, sed non suo loco, Petrus Pithœus, qui sic repræsentat hunc locum: *Nam cum ad hoc sit vultus Dei super facientes mala ut perdat de terra memoriam eorum: de gubernatione Dei necesse est* cet. Admonuit tamen idem has voces esse delendas, epigraphen enim esse libri, quæ in textum irrepsit. Hæc sunt ejus verba: *Hæc est veteris codicis lectio: nihil D enim in his libris conjecturis datum: totum ex fide vetustissimi & emendatissimi codicis transsumtum: ex qua cum non satis constare videretur* mem. eorum de generatione omni, *concinnata est vulgata lectio. Utramque fortasse rectius deleremus. Nam hæc verba*, de gubernatione Dei, *epigraphe est libri quæ in textum irrepsit.* Verum extremo digito attigit vir eruditissimus, neque tamen prorsus deprehendit. Verba enim illa *de gubernatione Dei*, ex eo loco expungenda sunt quem occupant in editione Pithœi; & in media pagina reponi debent, ut a nobis factum est, ante illas voces *Videamus nunc an* cet. Sic enim legitur in codice Corbejensi, & præterea Salvianus heic demum aggreditur dispu- E tationem de gubernatione Dei.

Pag. 36. *Judicarit*] Ita codex Corbejensis. Colbertinus & editiones habent *vindicarit.*

Ibid. *Barbari*] Id est, qui Judæus non erat, adeoque extra populum Dei & numerum sanctorum.

Pag. 37. *Magnor. oper.*] Codex Colbert. & editiones, *majorum.*

Pag. 38. *Exhonoratur*] Idem codex & edit. *exoneratur.* Et hanc lectionem posse tolerari censuit Rittershusius.

Ibid. *Ab uno fratre*] In omnibus editionibus, præter quam in ea quam Galesinius Romæ adornavit, legitur *a bono fratre*: quo etiam modo habent codices Corbejensis & Colbertinus. Galesinius igitur recte emendavit *ab uno fratre*. Error hinc A ortus quod veteribus illis librariis solemne fuerit invicem commutare litteras *o* & *u*, quemadmodum multoties jam observatum est.

Pag. 39. *Superstes prioris status*] Ita recte codex Corbejensis pro eo quod Colbertinus & editiones habent: *super istis, prioris status* cet.

Ibid. *Timuerat totus orbis*] Editiones Galesinii & Pithœi, quibus consentit codex Corbejensis, sic legunt: *quem timuerat forsitan totus orbis.* Sed editio Brassicani non habet vocem *forsitan*, quæ videtur superflua. Nos itaque eam ab hoc loco sustulimus.

Ibid. *Totus orbis*] Ut tum videbatur, quemadmodum dicet infra Salvianus lib. I. adversus avaritiam pag. 236.

AD LIBRUM TERTIUM.

Pag. 41. *Bene se res habet*] Imitatum ex Cicerone adnotat Rittershusius.

Pag. 42. *Ædificium it. hoc*] In aliis editionibus legitur: *quam illa sunt quæ fecerunt ædificium. Itaque hoc* cet. omnino male. Itaque secuti sumus codicem Corbejensem.

Ibid. *Barbarorum*] Id est, Wandalorum, Hunnorum, Francorum, Gothorum, ceterarumque gentium quæ Romano tum imperio insultabant.

Ibid. *Sors bonor. durior*] Vide Cassianum collat. VI. cap. II.

Ibid. *Nescio. Secretum*] Ita prorsus codex Corbejensis. Quæ lectio sane optima est, & sola vera. Rejicienda igitur lectio quam habent aliæ editiones hoc modo: *Nescio secretum, & consilium divinitatis ignoro.* Rursum paullo infra legitur in omnibus editionibus: *Homo sum, non intelligo secreta Dei, investigare non audeo.* Melius codex Corbejensis, qui sic distinguit: *Homo sum, non intelligo, secreta Dei investigare non audeo.*

Pag. 44. *Hominem Christo credere*] Vide infra pag. 63. in initio libri IV. Ajunt autem Centuriatores Magdeburgenses centur. V. cap. IV. Salvianum non recte hoc loco definiisse fidem.

Pag. 46. *Excalcios*] Admonuit Pithœus in veteri suo codice scriptum fuisse *excalcios*, & quidem fortasse rectius. Itaque cum magna sit in hoc loco consensio codicis Corbejensis & Pithœani, lectionem illam retinuimus, repudiata editione cum Pithœi tum aliorum, quorum ille scripsit *excalciatos*, isti *excalceatos.*

Pag. 47. *Racha*] Hieronymus in caput V. Matthæi ait vocem illam lingua Hebræorum significare inanem aut vacuum, *quem non possumus*, inquit, *vulgata injuria absque cerebro nuncupare.* Sanctus Gregorius lib. XXI. Moralium cap. V. *Racha quippe in Hebræo eloquio vox indignantis est; quæ quidem animum irascentis ostendit, nec tamen plenum verbum iracundiæ exprimit.* Vide sanctum Hilarium in caput IV. Matthæi, Regulam sancti Basilii cap. CXLV. & Avitum Viennensem in epistola I.

Ibid. *Sæculares amores*] Ita codex Corbejensis. Pro quo Colbertinus & omnes editiones habent *sæcularis amoris jus.*

Pag. 48. *In crucis nomine dignitatis*] Opinor Salvianum heic loqui de iis qui relictis sæculi pompis & oblectamentis, tum abdicatis facultatibus suis, profitebantur palam contemtum rerum humanarum. Hi ergo cum renuntiassent omnibus his quæ possidebant, crucem aut vere gestabant aut gestare se intelligi volebant, ut ita ostenderent discipulos se esse Jesu Christi. Quod si faciebant ex intimo cordis sensu, laudanda fuit tantorum virorum

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.



virtus ac fortitudo. At si fastuose potius quam vere ista fiebant, erant traducendi omnium linguis & sermonibus. Elegans est locus Cassiani ex collatione octava cap. III. dignusque qui heic a nobis describatur. Sic ergo habet: *Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus. Quod quidam districtissimi monachorum, habentes quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam, simpliciter intelligentes, fecerunt sibi cruces ligneas, easque jugiter humeris circumferentes, non ædificationem sed risum cunctis videntibus intulerunt.* Vide Innocentium III. lib. X. epist. CXXI.

Ibid. *Populos ecclesiasticos*] In codice Colbertino & in antiquis editionibus, pro *populos*, legitur *apostolos*, prorsus male. Sensit vitium Rittershusius. Itaque scribendum existimavit *populos ecclesiasticos*. Quæ emendatio ex ingenio tentata prorsus confirmatur auctoritate codicis Corbejensis. Similem errorem nos olim emendavimus apud Agobardum in libro apologetico cap. VI. *& dicat omnis populus*, cum antea legeretur *& dicat omnis apostolus*. Vide notas ad Capitularia pag. 1173.

Pag. 56. *Æterni ignis tormenta*] Ea fuit veterum, (nec alia nostrum sententia) esse æternum ignem apud inferos, quo damnati exurerentur. Elegans est locus Fausti episcopi Rejensis in epistola VI. ad Ruricium episcopum Lemovicensem: *Unde ipse*, inquit, *facile terrena despicis, vel senerantis more dispensas, dum illud cogitas tempus quo exurentur peccatores sicut fœnum, quo æstuantis gehennæ furore perpetuo, cujus fumus ascendit in sæcula sæculorum, hi qui neglexerunt oblata, tali morte punientur ut eis mori in dolore non liceat, morituri vitæ, & morti sine fine victuri*. Item in epistola I. *Homo ergo pro mortalibus malis moriturus est Deo, & victurus inferno. Hæc erit illius mors ut mori ei in dolore non liceat.* Neque aliter sensit Pacianus Barcinonensis episcopus, apud quem sic legimus in parænesi ad pœnitentiam: *Ipse sibi materiam recrescentium corporum reparat ignis æternus*. Et Prosper, sive Julianus Pomerius, libro III. de vita contemplativa cap. XII. inter infelicitates damnatorum numerat *mori vitæ beatæ & morti vivere sempiternæ*. Atrox supplicium quod semper cruciat miseros, nec tamen perimit. Et misericordiæ genus est, ut Seneca ait, cito occidere; crudelitatis, longo cruciatu vexare. Sed heic meminisse oportet Origenis.

Ibid. *Inimicos diligant*] Præceptum Christi est, quo jubemur inimicos diligere. Atque hoc argumentum valde urget Cæsarius Arelatensis in homiliis de dilectione inimicorum. Hodie tamen multum receditur ab hoc mandato, opinor, quia senescente ecclesia, semper recedimus ab origine pietatis. Videant quibus moris est Christi & ecclesiæ leges naso suspendere vel ridicula interpretatione mollire, cujusmodi nimium multi sunt, utrum magna virtus sit inimicos diligere, qui nec fortassis amicos suos amant, ut dixit Salvianus in pag. 54.

Ibid. *Apud quem delectationi*] Ita omnes editiones: quibus consentit codex Corbejensis. Ego tamen lubenter legerem *detrectationi*; tamen etsi vox *delectationi* sensum quoque bonum reddat.

Ibid. *Despici a Domino*] Colb. *despici a Deo*.

Pag. 57. *Domini carnales*] Editiones: *contemni a servis suis curiales solent*. In ora Pithœanæ editionis scriptum est *carnales*. Sed codex Corbejensis habet *domini carnales*. Recte. Nam paullo ante dixerat Salvianus: *Quis, rogo, ex carnalibus dominis hac cum suis lege* cet. Agobardus in libro de baptismo Judaicorum mancipiorum: *Repudiamus propter carnales dominos*.

Pag. 58. *Minus esse vitiosum*] Videndus omnino Cæsarius in homilia adversus eos qui putant quod illis ad vitam æternam sufficiat si male non fecerint, etiam si bona adimplere noluerint.

Ibid. *Inlustrium potestatum*] Id est, virorum illustrissimorum, qui provincias regebant vice principis. Vide supra ad pag. 8.

Pag. 59. *Plangunt*] Id est, dolent. Infra lib. I. adversus avaritiam pag. 228. *Plangere eos præcipis*, id est, lugere ac plorare. Ibidem pag. 231. *Isti plangunt postquam acceperint sanitatem*. Et pag. 235. *Plangens id ipsum quod tarde offert, plangens ac pœnitens quod non prius*. Cyprianus in libro de lapsis: *Cum plangentibus plango, cum dolentibus doleo*. Sic Eligius Noviomensis episcopus homilia XI. *Pœnitentiam quippe agere est, perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare*. Plangere autem est pulsare seu collidere quolibet modo. Luctatius in sextum Thebaidos: *Planctus enim dicitur omnis collisio, Varronis opinione*. Statius in lacrymis Hetrusci: *Heu quantis lassantem brachia vidi planctibus!* Et apud Catullum, de bacchantibus: *Plangebant alii proceris tympana palmis*. Quod enim heic planctum dicit Catullus, alii pulsum dixerunt. Ovidius lib. IV. Metam. fab. I. *Femineæ voces, impulsaque tympana palmis*. Auctor carminis XXVI. catalectorum: *Et adducta tympana pulsa manu*. Statius lib. I. Achilleidos: *Paullumque exercita pulsu æra tacent*. Valerius Flaccus lib. VI. Argonauticon: *Illis omnis adhuc veterum tenor & sacer æris pulsus*. Unde apud Petronium: *Nudatum pectus in conspectu frequentiæ plangere*. Christiani autem vocis istius significationem transtulerunt ad dolorem ex pœnitentia descendentem.

Ibid. *Exeunt*] Deest heic aliquid quod supplendum est ex sequentibus.

Ibid. *Auctrix*] Ita codex Corbejensis: pro quo editiones & codex Colbertinus habent *rixa*, nullo sensu. Ceterum vocem *auctrix* non esse puræ Latinitatis adnotat Casaubonus in notis ad Trebellium Pollionem.

Ibid. *Militantium*] Antea legebatur *omnium militantium*; sed nos hanc vocem quæ non exstat in codice Colbertino, sustulimus ut inutilem.

Pag. 61. *Privilegii vindicare*] Antea edideramus *privilegium*, secuti editionem Pithœanam. Nunc vero sequi placuit scripturam libri Corbejensis, in quo habetur uti nos reposuimus. Sic etiam scriptum fuisse in archetypo ex quo expressus est codex quo Brassicanus utebatur, hinc colligi potest quod ille edidit *privilegium dicare*. Quo etiam modo habet editio Romana Galesinii. At in codice Colbertino legitur *privilegium ditare*.

Ibid. *Proderat*] Idem codex, *prodesset*.

Pag. 62. *Suffragio paucor. bonor.*] Non existimabat ergo Salvianus innumeram perditorum hominum multitudinem suffragio paucorum bonorum a præsentibus malis posse defendi.

Ibid. *Christiani esse dicimur*] Editiones Brassicani & Galesinii: *qui nos Christianos esse diximus*. Pithœus ex suo codice: *qui nos Christianos esse dicimus*.

Ibid. *Nomen sanctum*] Hinc colligitur adhuc sæculo illo sanctum fuisse visum Christiani nomen. Vide infra pagg. 63. 83.



AD LIBRUM QUARTUM.

Pag. *63. Christum credere*] In editione Pithœana legitur : *Nam cum , ut diximus , hoc sit hominis Christiani fides , fideliter Christi mandata servare* cet. Sed codex Corbejensis habet : *Nam cum , ut diximus , h. s. c. fides , fideliter Christum credere , & hoc sit Christum fideliter credere , Christi mandata servare* cet. Recte . Dixerat enim supra pag. 44. *Opinor fideliter hominem Christo credere , id est , fidelem Deo esse , hoc est , fideliter Dei mandata servare* . Etherius & Beatus lib. I. adversus Elipandum : *Non est Christianus qui recte non credit Christum* . Athanasius in epistola ad Epictetum relata in antiqua versione concilii Ephesini pag. 466. *Aut quomodo esse Christiani possunt qui dicunt alium esse Filium & alium Dei Verbum* . Augustinus sermone IX. de decem chordis cap. IV. in nova editione : *Qui enim non de futuro sæculo cogitat , nec propterea Christianus est , ut id quod in fine Deus promittit accipiat : nondum Christianus est* .

Ibid. *Sicut ait quidam*] Locus est Salviani ex lib. II. adversus avaritiam . Quod autem hunc locum laudet Salvianus iis verbis quæ indicare videantur alterius illum scriptoris esse quam Salviani, hinc factum ut pronuntiaverit Pithœus dubitari non immerito posse an Salviani sint libri IV. ad ecclesiam catholicam scripti sub nomine Timothei. Qua de re vide quæ dicentur in præfatione nostra ad libros illos.

Pag. *66. Idcirco ait*] Hæc est lectio codicis Corbejensis . Nam Pithœanus habebat : *Usurpare deberet . Idcirco autem a dæmon* . Nemo non videt , opinor , saniorem esse lectionem codicis Corbejensis.

Ibid. *Coercitionis*] Codex Colbert. *coertionis incidere* .

Pag. *67. Condemnas*] Ita prorsus codex Corbejensis & Colbert. cum editio Pithœi haberet *judicas* . Existimabat autem Rittershusius heic legendum esse *condemnas* . Repetit infra Salvianus pag. *69*.

Pag. *68. Implent canonem*] Id est , stipendium quod servis dari consuevit .

Ibid. *In Salomone*] Verba hæc videntur esse superflua , & sapiunt glossema . Verum exstant in omnibus antiquis codicibus & editionibus.

Ibid. *Silentiarios*] Admonet Rittershusius hoc loco Salvianum innuere quoddam servorum genus qui compescendæ conservorum suorum garrulitati præpositi erant, silentiarii videlicet ob hoc dicti quod silentium ceteris imperarent.

Ibid. *Ad domines suos*] Juretus in miscellaneis ad Symmachum lib. X. epist. X. contendit legendum esse *a dominis suis* .

Pag. *69. Immanibus*] Hæc est lectio libri Corbejensis. Colbertinus & editiones , *omnibus* .

Pag. *70. Aut actu*] Hæc lectio visa est sanior quam Pithœana , quæ sic habet : *Quotus quisque enim juxta divitem pauper aut intactus aut tutus est* ? Nostram adjuvat quod in ora Pithœanæ editionis adnotatum est alibi legi , *auctus aut statutus* : quæ est lectio codicis Colbertini.

Ibid. *Præfectura quam præda*] Sidonius lib. I. epist. VII. de Arvando loquens : *Præfecturam primam gubernavit cum magna popularitate , consequentemque cum maxima populatione* . Vide rursum eumdem Sidonium lib. I. epist. I.

Ibid. *Honor a paucis emitur*] Sic Innocentius IV. in epistola scripta ad archiepiscopum Narbonensem & ad episcopum Helenensem , quæ edita est in additione ad cap. XVII. lib. VIII. de concordia sacer-

A dotii & imperii : *Feruntur etiam quidam esse Ballivi , Præpositi , & officiales eorum qui multo carius solito sua emunt officia , spem damnabilis lucri ponentes in servitiis seu exactionibus quæ ab ecclesiis , hominibus earum & personis ecclesiasticis extorquent quodammodo violenter* . Vide hoc loco Rittershusium .

Ibid. *Sciunt Africæ*] Haud scio an uspiam alibi Africa dicatur in numero plurali . Sed Salvianus qui sciebat sex in Africa provincias esse , plurali sibi numero utendum putavit ut omnes significaret.

Pag. *71. Fiducia impunitatis*] Lupus Ferrariensis in libro de tribus quæstionibus pag. 210. *Spes impunitatis magna est peccandi illecebra* . Vide quæ nos

B illic adnotavimus .

Ibid. *Occidunt servulos*] Sibi enim id licere domini putabant propter vim potestatis herilis , ut pluribus docet Rittershusius. Aliter Germani , apud quos, ut Tacitus scribit , *verberare servum ac vinculis & opere coercere , ratum : occidere solent , non disciplina & severitate , sed impetu & ira , ut inimicum , nisi quod impune* .

Pag. *72. Ne h. i. q. irascitur*] Tacitus : *Nam quæ spreta exolescunt , si irascare , agnita videntur* .

Ibid. *Sed responderi*] Codex Colbertinus : *Sed ad hoc responderi potest* .

Ibid. *Quamlibet*] Idem codex & heic & paullo post habet *quantumlibet* .

C Pag. *74. Mutaverit vestem*] Hinc illa adversus Tertullianum querela , qui a toga ad pallium & (ut Salvianus ait pag. 254.) ad philosophiam religionis transierat . Sed quid sibi vult illud quod Salvianus ait, eos qui se religioni applicabant , vestem mutare consuevisse? An monachi illorum temporum aliqua peculiari veste discernebantur a ceteris hominibus ? Vide quæ adnotantur infra ad pag. *296*.

Ibid. *In Sanctis omnibus*] Id est , in iis qui convertuntur ad Deum , ut dixit paullo ante . Vide infra pag. 114.

Pag. *77. Quam familiaribus*] Codex Colbertinus : *quando facilioribus* .

D Ibid. *Substantiam*] Legerem lubenter *subsistentiam* . Verum hæc duo vocabula facile permutantur in veteribus libris.

Ibid. *Ut negligeret quæ fecisset*] Sic Rabanus redarguens episcopos qui chorepiscopos deprimebant quos ipsi ordinaverant , ait in libro de chorepiscopis : *Ad quid ergo invocatur Spiritus sanctus ab episcopo ordinatore ut sanctificationem personæ ordinandæ tribuat , si ipse invocator & ordinator post consecrationem quam rite peregit , mox reprehenderit ? Numquid Deum irridet cujus donum poscit , cum postea ipsum donum spreverit ?*

Pag. *78. Favis*] Codex Colbert. *mellis* .

Ibid. *Pignora nostra*] Pignorum vocabulo Salvia-

E nus liberos ut plurimum intelligit , veluti pagg. *116. 182. 198. 209. 221. 223. 266. 268. 274. 277.* Interdum tamen accipit pro illis qui cari nobis sunt, pro parentibus, fratribus ac similibus , ut in pag. *268*.

Pag. *79. Fecisset occidi*] Codex Colbert. *occidisset* tantum .

Pag. 80. *Quia pro impiis*] Codex Colbert. *ab impiis* . Editiones Brassicani & Galesinii , *ob impios* .

Pag. 81. *Reddere curamus*] Hæc est editio Brassicani & Galesinii. Codex Corbejensis habet *reddere reddamus* , Colbert. *redibere reddamus* .

Ibid. *Retributio*] Codex Colbert. *redibitio* .

Ibid. *Tantæ vicissitud.*] Codex Colbert. *tanta vicissitudine pietatis suæ traheret* . Vox *exemplo* illic

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

deest. Codicem suum & veteres editiones secutus est Pithœus. Nos codicem Corbejensem.

Ibid. *Caritate Dei*] Ita codex Corbejensis. Colbertinus & editiones habent *Christi*.

Pag. 82. *Romanæ plebis*] Id est, Romani populi, ut dicet infra pag. 84. & Romani nominis pag. 87.

Pag. 83. *Malignissimus*] Corb. *malissimus*.

Ibid. *Honoratior persona*] Juvenalis:

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto major qui peccat habetur.

Ibid. *Si de clero*] Hermannus archiepiscopus Coloniensis in Enchiridio vitæ Christianæ, (quod edi solet cum canonibus concilii provincialis quod anno MDXXXVI. habuit idem archiepiscopus) titulo *De sacramento pœnitentiæ*, hæc inter cetera scribit: *Ex persona delictum fit capitalius. Gravius peccat sacerdos aut princeps, quam laicus aut privatus. Nugæ in ore laici, ut inquit Hieronymus, nugæ sunt; in ore sacerdotis, blasphemia*. Addi heic potest insignis locus ex epist. LXXXIV. S. Leonis: *Sacerdotum enim tam excellens est electio, ut hæc quæ in aliis membris ecclesiæ non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita*. Vide sanctum Gregorium lib. VII. Indict. II. epist. CXVII.

Pag. 84. *Fœdius inebriatur*] Codex Colbert. & veteres editiones, *fœdior inebriator*.

Ibid. *Nomine*] Idem codex & veteres edit. *nomen*.

Ibid. *Hæreticor. aut paganorum*] Ad hunc locum respexit Salvianus infra in initio libri V. pag. 98. *Quia duo superius barbarorum genera vel sectas esse memoravimus, paganorum atque hæreticorum*, cet. Barbarorum qui tunc in orbe Romano imperium agitabant, hæc erant vocabula: Franci, Saxones, Mauri, Scythæ, Alanni, Hunni, Gothi, Wandali. Franci, Saxones, Mauri, Scythæ, Alani & Hunni, pagani erant, ut in pag. 91. dicet Salvianus; ceteri, Christiani quidem, sed hæretici, Ariana perfidia imbuti. Hos enim de paganorum numero excipit Salvianus ipse pag. 101. ubi enumerans barbaros qui Christiani erant, sed hæretici, ait: *Omnes autem isti de quibus loquimur, aut Wandali sunt, aut Gothi. Nam de Romanis hæreticis quorum innumera multitudo est, nihil dicimus*.

Romani populi] Id est, earum gentium quæ Romano tum imperio parebant, sive intra Italiam, sive intra Galliam, Hispanias, Africam, aut ceteras Romani imperii provincias. Neque enim Romani populi appellatio apud Salvianum coercenda est ad urbem quam dicunt Romam, postquam universus orbis jure Romanæ civitatis donatus est. Tum enim (ut Plinius ait lib. III. cap. V.) una in toto orbe cunctarum gentium patria facta est. Eleganter itaque Rutilius Numatianus:

Fecisti patriam diversis gentibus unam.
Profuit invictis te dominante capi.

Neque audiendus Lacerda, qui libro I. adversariorum sacrorum cap. I. existimat Romanum nomen esse religionis, non gentis, ac catholicos olim vocatos fuisse Romanos, ut ea nota distinguerentur ab hæreticis. Nam & ipse Salvianus ait in pag. 101. innumeram fuisse multitudinem Romanorum hæreticorum, uti mox dicebamus; & res ipsa clamat Salvianum, cum Romanos dicit, intelligere eos qui nondum excusserant jugum imperii Romani.

Ibid. *Religiosos*] Id est, clericos, monachos, & omnino eos qui severius vitæ institutum profitebantur, quos statim opponit sæcularibus, tamquam genus hominum a stultitia sæculi remotum. Eadem distinctione utitur etiam infra pag. 114. *Atque hoc videlicet laici tantummodo, non quidam etiam clericorum, sæculares tantummodo, non multi etiam religiosi*. Et pag. 282. *Nova quippe amentia tam sæculares quam etiam quosdam religionis professos incessit homines*. Item pag. 296. *Illud durius atque molestius, quod quidam, ut arbitror, filiorum tuorum sub religionis titulo a religione dissentiunt, & habitu magis sæculum reliquere quam sensu*. Hieronymus in epistola ad Nepotianum de vita clericorum: *Nonnulli enim sunt ditiores monachi quam fuerant sæculares*. Et in Epitaphio Nepotiani ad Heliodorum: *Sint ditiores monachi quam fuerant sæculares*. Iidem qui heic sub religiosorum nomine opponuntur sæcularibus, sancti a Salviano dicuntur pag. 241. *Sed dicit fortasse aliquis, non quidem debitores non esse sanctos, sed multo tamen majora hominum sæcularium esse debita, quorum sunt plura peccata*. Sanctorum porro appellatione Salvianum comprehendere monachos ipse nos docet pag. 189. *Ita igitur & in monachis, id est, sanctis Dei, Afrorum probatur odium*.

Pag. 86. *Sed resp. f. possit*] Reposuimus veterem lectionem, quam vetustæ editiones habent & codex Colbertinus. In Corbejensi scriptum est: *Sed respondere fortasse aliquis potest*.

Ibid. *Francor. infidelis*] Infra pag. 87. *Numquid tam accusabilis Francorum perfidia quam nostra?* Et mox: *Si pejeret Francus, quid novi faciet, quid perjurium ipsum sermonis genus putat esse, non criminis?* Flavius Vopiscus in Proculo: *Ipsis prodentibus Francis, quibus familiares est ridendo fidem frangere*. Vide Rittershusium.

Pag. 87. *Chunorum*] Ita constanter codex Corbejensis. Quo etiam modo legitur apud alios auctores. Detracta est dein littera *C*, non secus ac in Ludovico, Lothario, Hilderico & aliis. Editio Pithœi semper habet *Hunni*.

Ibid. *Vita vitiositas*] Codex Colbert. & veteres edit. *una vitiositas*.

Ibid. *Siricorum*] Rittershusius monet legendum esse *sericorum*. Institores sericarum vestium nominat Hieronymus lib. I. adversus Jovinianum. Vide Sidonium lib. I. epist. VIII. & ibi Savaronem & Sirmondum.

Pag. 88. *Sacr. e. p. Christum*] Reddidimus heic bona fide lectionem codicis Corbejensis. In aliis quippe editionibus ista non bene disposita sunt.

Ibid. *Paganis barbaris*] Id est, Francis, ut docuit in proxima pagina.

Ibid. *Numq. minus cogitent*] Mirabile fallendi artificium. Sic apud Tacitum in secundo annalium libro Domitius Celer ajebat: *Periisse Germanicum nulli jactantius mærent quam qui maxime lætantur*. Quod imitatus est Famianus Strada in libro I. de bello Belgico: *Nulli jactantius fidem suam obligant quam qui maxime violant*.

Ibid. *Ardentissima*] Codex Colbert. *acutissima*.

Pag. 89. *Quidquid ipse alteri*] Idem codex & editio Galesinii: *Quod ipse aliquando non tulisset*.

Ibid. *Juravi, inquit, p. Christum*] Hæ voces, *per Christum*, quæ desunt in aliis editionibus, additæ sunt ex codice Corbejensi: prorsus bene. Vide, lector: probabis.

Pag. 90. *Juramentum*] Codex Colbert. & veteres edit. *sacramentum*. Sed Corbejensis & editio Pithœana habent uti nos edidimus.

Ibid. *Quo uno*] Ita codex Corbejensis. Colbertinus & editiones: *Quo dicto*.

Pag. 92. *Ex ipso Christiani*] Tacitus loquens de Christianis: *Auctor nominis ejus Christus, qui Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat*.

Ibid. *Ipsum legunt*] Hæc desunt in codice Colbertino & in editionibus Brassicani & Galesinii.

Ibid. *De Christo*] Codex Corbej. & editio Pithœi, *de ipso Christo*. Male, ut opinor. Sufficit enim alterutrum horum vocabulorum. Codex Colbertinus habet *Christo*, non habet *ipso*. Contra, editiones Brassicani & Galesinii habent *ipso*, sed non habent *Christo*.

Pag. 93. *Remoto omni*] Editiones Brassicani & Galesinii, *remota omnis splendoris regiæ dignitate*. Pithœus, *remota omni splendoris regii dignitate*.

Pag. 95. *Volutabro luti*] Codex Colbert. *cœni*.

AD LIBRUM QUINTUM.

Pag. 97. *Denique da mo. bonos*] Idem codex & veteres editiones: *Denique mores boni*.

Pag. 98. *Absinthia*] Hunc locum ita correximus propria auctoritate, tametsi & editiones & manuscripti libri repugnarent. Utrobique enim constanter legitur: *Quid juvat stomachum abstinentia, si* cet. Sed vitio librariorum irrepsit hic error. Nam Salvianus absinthia opponere voluit dulcibus, ut silentia clamori, & antidotum veneno. Nostram conjecturam confirmat ipse Salvianus etiam in pag. 145. *Sicut enim*, inquit, *optimi ac peritissimi medici dissimilibus morbis curas dispares præstant, atque aliis per dulcia medicamina, aliis per amara succurrunt*. Unde interim colligitur verissimam esse Nicolai Rigaltii observationem, qui in præfatione ad Tertullianum adnotavit etiam veterum librorum fide falsissimas lectiones adferi. *Nam & sunt libri veteres*, inquit, *depravatissime correcti; neque ulla spes reducendæ umquam veritatis, nisi tam veteres nanciscamur ut sint omni correctorum antiquitate vetustiores*.

Ibid. *Duo barbaror. genera*] Vide supra pag. 84.

Pag. 99. *Ab auctoribus*] In editione Pithœana scriptum est *auditoribus*. Quod Rittershusio displicuit, qui censuit legi debere *auctoribus*. Cum itaque lectionem quam Rittershusius prætulit, habeant editiones Brassicani & Galesinii, tum etiam codex Corbejensis, eam in hac editione retineri debere visum est.

Ibid. *Puræ translationis*] Loquitur de variis sacrorum bibliorum editionibus quæ tum in usu erant. Catholicos scripturas sacras, plenas, inviolatas, integras habere ait; hæreticos vero interpolatas, male traditas, laceratas, debiles, convulneratas, ac veterum magistrorum traditione corruptas.

Ibid. *Traditione*] Existimabat Rittershusius corruptam esse editionem Pithœi, quæ *traditionem* habet. Visum itaque illi legendum esse *traditione*. Editiones tamen Brassicani & Galesinii præferunt etiam *traditionem*. Nos secuti auctoritatem codicis Corbejensis & conjecturam Rittershusii scripsimus *traditione*. Paullo post legebatur apud Pithœum, *aut per hoc*; cum & sensus postulet legi, *ac per hoc*, & in hac lectione consentiant ceteræ editiones & codex Corbejensis.

Pag. 100. *Nihil sciunt nisi*] Existimare videtur Salvianus necesse esse ut unusquisque Christianus apprime imbutus sit arcanis fidei suæ, neque in sacerdotis sui fide conquiescat. Antiqui enim etiam feminas excitabant ad studium sacrarum litterarum. Testis Hieronymus, qui in epistola ad Gaudentium vult puellam scire memoriter psalmos, libros Salomonis, Evangelia, Apostolos & Prophetas. Idem Marcellam laudat in ejus epitaphio, quod divinarum scripturarum ardor in ea esset incredibilis; & ad Demetriadem scribens, eam hortatur ut statuat quot horis sanctam scripturam ediscere debeat, quanto tempore legere, non ad laborem, sed ad delectationem & instructionem animæ. Et Victor Vitensis in initio libri V. de persecutione Vandalica Dionysiam quamdam commemorat, quæ scripturarum divinarum scientia plena erat. Leodegarius denique Augustodunensium episcopus ad matrem suam Sigradam scribens quæ in monasterium se abdiderat, eo inter alia argumento eam solatur quod pro amissione rerum haberet scripturam sanctam divinam. Ea fuit priscorum temporum simplicitas & confidentia.

Pag. 102. *Romani magisterii*] De Gothis testatur Isidorus in Chronico, eos Arrianos factos esse in gratiam Valentis imperatoris: *Gothi ad Istrum bifarie in duobus Fridigerno & Athalarico divisi sunt regibus. Sed Fridigernus Athalaricum Valentis Arriani imperatoris auxilio superans, suadente eodem in hujus beneficii gratiam ex catholico Arrianus cum omni gente Gothorum effectus, errorem sequutus est ipsius*.

Pag. 103. *Curiales*] Paullo post vocat *principales*. In antiqua versione concilii Ephesini pag. 535. & apud Marium Mercatorem pag. 621. *curialis* dicitur qui in antiqua versione concilii Chalcedonensis pag. 1137. vocatur *principalis*.

Pag. 104. *Sacerdotes d. n. resistant*] Infra extremo lib. IV. adversus avaritiam cap. IX. pag. 312. *Inter hæc quid agant quibus loquendi a Christo officia mandantur? Deo displicent, si tacent; hominibus, si loquuntur*. Ea ergo fuit istius sæculi infelicitas ut sacerdotibus non liceret eloqui quod vellent, sed palpanda essent vitia subjectorum. Vide quæ de hoc argumento adnotata a nobis sunt ad cap. XIII. libri Agobardi de privilegio & jure sacerdotii.

Ibid. *Oderunt*] Codex Colbert. & veteres edit. *odiunt*.

Ibid. *Malis parcunt*] Idem liber & veteres edit. *male parcunt*.

Pag. 105. *Bacaudas*] Alii *Bagaudas*. Brassicanus & Galesinius; *Baogaudas*. Codex Corbejensis constanter habet *Bacaudas*. Quo etiam modo scriptum est apud Hieronymum, Idacium, & alibi. Nomen partium fuit, non gentis; ut vel ex ipso Salviano probari potest. Adnotat Josephus Scaliger in animadversionibus ad Chronicon Eusebii latrones tum lingua Gallorum vocatos fuisse Bacaudas, & Bacaudæ etiam vocabulo significari apud auctores illius ætatis latrocinium, tumultum popularem, motum agrestium ac seditionem: quod probat multis testimoniis. Vide etiam Justum Lipsium ad lib. III. annalium Taciti, Lindenbrogii observationes in Ammianum Marcellinum pag. 181. & Rittershusium ad hunc Salviani locum.

Ibid. *Etiam honorem*] Codex Colb. *etiam nomen*.

Pag. 106. *Aspir. ad libert.*] Ita omnes editiones. Sed omnes libri veteres præferunt *aspirare in libertatem*.

Pag. 107. *Perdat turba*] Ita omnes editiones: quibus consentit codex Corbejensis. Ego tamen mallem *pendat*, apertiori ac nobiliori sensu. Verum quia ferri potest & vox *perdat*, nihil mutare voluimus.

Pag. 108. *Necet*] Codex Colbert. *nocet*. Atque hæc lectio potest esse bona.

Pag. 109. *Apud nos Romani*] Hæc est lectio omnium editionum. Codex vero Corbejensis habet *quam apud Romanos*. Quæ lectio sane bona est. Sed alia mihi videtur esse melior, quod manifestius exprimat mentem auctoris.

Pag. 111. *Post mortem patris*] Editiones Brassica-

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

cani & Galesinii : *Post mortem patris nati, obsequiis juris posthumi, juris sui agellos non habent, & ad agrorum munus enecantur*. Editio Pithœi : *Post mortem patris postumi nati obsequiis juris sui agellos non habent, & agrorum munere enecantur*. Codex Corbejensis : *Post mortem patris nati obsequiis juris sui agellos non habent, & agrorum munus enecantur*. Colbert. *Post mortem patris nati obsequiis viris postumi juris sui agellos* cet. *munus onerantur*. Itaque codex Corbejensis non habet vocem *postumi*: quam glossema esse, & ab eo introductam qui putaret heic agi de filiis natis post mortem patris, qui vulgo postumi vocantur, mihi dubium non est. Et haud dubie in ora libri reposita primum fuit, deinde irrepsit in textum. Verum quisquis ille fuit qui hanc vocem adjecit, non cepit sensum Salviani. Illud enim tantum vult Salvianus, filios patribus superstites, cum ad illos possessio paternorum bonorum non perveniret, sed ad potentes quorum se deditítios ante fecerant patres, agrorum tamen conditionibus obnoxios fuisse, proque iis tributa pendere coactos, tamquam sui essent.

Ibid. *Agrorum munere*] Ita editio Pithœi. Editiones Brassicani & Galesinii habent *ad agrorum munus*. Codex Corbejensis *agrorum munus*. Atque ea veterum editionum lectio mihi plurimum placet. Ait quippe Salvianus, filios illos, cum agrorum paternorum possessores non essent, per summam tamen injuriam ad pensionem tributorum ac vectigalium quæ tum munera vocabant, coactos fuisse, adeoque propterea enecatos quodam modo acerbissima & iniquissima tributorum intolerabilium exactione, quo modo si vita ab eis posceretur. Infra extremo lib. VI. pag. 148. *Aurum quod pendimus, munera vocamus*. Lectio tamen editionis Pithœanæ quam retinuimus, bona est, & sensum bonum facit, tamen etsi non ita nobilem ac alia.

Pag. 112. *Atque fraudamur*] Hæc desunt in codice Colbertino & in editionibus Brassicani & Galesinii.

Pag. 114. *Et summam divini cultus*] Secuti sumus hoc loco auctoritatem editionum. Codex Corbejensis sic habet : *& sumant divini cultus habitum magis quam actum, existimantes vestem tantummodo exuere, non mentem*. Sic ergo nos scripseramus in prima editione. Sed nunc visum est retinere veterem lectionem.

Pag. 115. *Incontinentia*] Ita codex Corbejensis. Et ita legendum esse monuerat Rittershusius, pro eo quod editiones habent *in incontinentiam*.

Ibid. *Inlicita committunt*] Sanctus Gregorius lib. IX. epist. XXXIX. *Quia illicita se fecisse meminerat, laudabiliter a licitis abstinebat*. Vide lib. VII. Capitular. cap. LXI. & Capitula Caroli Calvi tit. XXVIII. cap. XII.

Ibid. *Non matrimonia*] Damnat eos qui continentiam professi, interim a rerum alienarum pervasione non abhorrebant, abstinentes a licitis, & illicita committentes. Deinde addit peccata interdixisse Deum, non matrimonia, id est, castos viri & uxoris amplexus. Attamen non ait licitum cuilibet esse quovis tempore uxorem ducere. Quod ideo visum est adnotare, ne quis hinc cum Baleo *contra papistici cælibatus assertores* colligat licere sacerdotibus uxorem ducere. Nam Salvianus heic non loquitur de sacerdotibus, sed de illis qui cum in conjugio constituti essent, continentiam profitebantur. Quod ætate illa vulgatissimum fuisse multis testimoniis confici posset. Videndus tantum Salvianus, cum in hoc loco, tum etiam infra pagg. 200. 243. 248. Ceterum ex ipso Salviano probatur fuisse illa ætate aliquod genus hominum qui cælibem vitam ducerent, nimirum religiosos. Nam in libro III. adversus avaritiam redarguens eos qui opes ac facultates suas ita inter liberos suos dividebant, ut iis qui sæculum reliquerant usum fructum tantum portionis suæ permitterent, proprietatem denegarent; ait demum in pag. 275. parentes illos hac ratione factum suum defendere solitos ut dicerent, non debere his quidquam mansurum relinqui qui filios non haberent quibus facultates suas relinquerent. *Quibus enim*, inquiunt, *relictam substantiam relicturi sunt filios non habentes?* Quibus verbis manifeste indicat Salvianus fuisse tum aliquod vitæ institutum cui annexa erat perpetuæ professio continentiæ.

Ibid. *Sectatores*] Codex Corb. *adsectatores*. Colbert. & editiones Brassicani & Galesinii, *effectores*.

AD LIBRUM SEXTUM.

Pag. 118. *Achar*] Colbert. *Achor*, Corb. *Acham*.

Pag. 120. *Malar. men. vitio*] Petronius in historia matronæ Ephesinæ : *Vitio gentis humanæ concupiit scire quis aut quid faceret*. Tacitus in libro de vita Agricolæ : *Proprium humani ingenii est odisse quem læseris*.

Pag. 121. *Novimus * modis*] In ora Pithœanæ editionis hæc scripta sunt : *In veteri exemplari adnotatum est deesse hic aliquid. Et vere multa deesse quis non videat?* In codicibus nostris nihil adnotatum est istiusmodi, neque locus vacuus relictus. Verumtamen quia constabat ista non esse sana, nos in hac editione asterisco notandam labem esse censuimus.

Pag. 122. *Ac sicut sing.*] In aliis editionibus legitur : *Ac sic ex singulis annis bini* cet. Codex Corbejensis : *Ac sicut singulis annis* cet. Ego lubenter legerem : *Ac si, sicut singulis annis, bini* cet. Solebant enim veteres librarii, uti jam observatum est a viris eruditissimis, non geminare easdem syllabas; & ideo frequenter vocabula monosyllaba omittebant propter hunc morem. Simile autem huic rei exemplum exstat in capite ultimo evangelii secundum Joannem; ubi cum & sensus ipse & editio Græca vetustissimorumque præterea codicum latinorum auctoritas postulent legi, *Si sic eum volo manere donec veniam, quid ad te*; hodie tamen constantissima in vulgatis editionibus lectio est, *Sic eum volo manere* cet. omissa voce *Si*. Sic apud Cassianum lib. VII. de incarnatione Domini cap. XIV. scriptum est : *Necesse est ut sine matre ibi intelligi potest*, cum tamen legendum esse, *ut si sine matre*, & sensus ostendat & vetus codex ms. bibliothecæ regiæ. Itaque simile quippiam potuit accidisse huic Salviani loco.

Ibid. *Tribulis*] Tribulos ait Rittershusius machinulas esse ferreas, dolosas, tetragona forma, quæ in quamcumque partem incubuerint, unum aut plures aculeos infestos protendunt. Latinis autem alio vocabulo murices dici scribit. Vide porro Vossium in Etymologico linguæ Latinæ.

Pag. 126. *Contumeliosa t. o. principia*] Infra lib. II. adversus avaritiam pag. 239. de Christo : *Humiliatus usque ad humani exordii pudorem & pannorum inluviem & præsepii vilitatem*. Hieronymus in epistola de filio prodigo ad papam Damasum : *Quæ autem potest major esse clementia quam ut filius Dei, hominis filius nasceretur, decem mensium fastidia sustineret, partus exspectaret adventum, involveretur pannis, subjiceretur parentibus, per sin-*

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 445.



gulas adoleret ætates, *& post contumelias vocum*, A *alapas & flagella*, *crucis quoque pro nobis fieret maledictum*, *ut nos a maledicto legis absolveret*, *patri factus obediens usque ad mortem?* Ita legendus est hic Hieronymi locus apud Agobardum in libro adversus Felicem cap. xx.

Pag. 127. *Flevisse legimus*] Nimirum ob mortem Lazari. Unde collegerunt Judæi illum valde amatum fuisse a Christo. Nam supremæ illæ lacrymæ amantium magis sunt quam mærentium; quamvis etiam mærentium sint & amicos desiderantium. Eant nunc qui nos omnem humanitatem exuere jubent in dolore ac Stoicos agere, muliebriaque corda habere dicunt illos viros qui flent in funeribus suorum amicorum. Vide notas nostras ad epist. I. B Leidradi archiepiscopi Lugdunensis pag. 147.

Pag. 128. *Christianor. pr. confessio*] Sive pactio, ut vocat Isidorus in libro II. de ecclesiasticis officiis cap. xxiv. *Prima pactio est qua renuntiatur diabolo & pompis ejus & universæ conversationi illius.* Cæsarius in expositione fidei: *Interrogamur enim in baptismo utrum abrenuntiemus diabolo, pompis & operibus ejus; & abrenuntiaturos nos voce libera respondemus.* Tum in hac seu confessione seu pactione constituit fundamentum fidei nostræ dicens: *Si ergo hoc quod primum est, & in quo fundamentum Christianæ religionis consistit, fideliter conservamus* cet. Et paullo post: *Consideret unusquisque conscientiam suam; & si se implesse viderit quod promisit,* C *abrenuntiasse diabolo & pompis illius, non solum verbis, sed etiam operibus recognoscat, fidem integram se servasse congaudeat.* Per pompas autem diaboli intelligebant tum spectacula & stultitias gentium, ut docet vel unicus Salvianus. Sequioribus sæculis diaboli pompis renuntiare dicebantur qui vitam monasticam amplectebantur, cujus rei innumera proferri possent exempla.

Pag. 129. *Fundamentum symboli*] Id est, promissionem quam fecimus renuntiare nos diabolo & pompis ejus. Istud ipsum fidei fundamentum vocat Cæsarius Arelatensis, uti modo dicebamus.

Ibid. *Sacramentum salutis*] Id est, baptismum. Cassianus lib. vi. de incarnatione Domini cap. xviii. D *Agnosce sacramenta salutis tuæ, per quæ innovatus, per quæ renatus es.* Cuncta autem peccata in baptismo aboleri persuasum fuit Christianis. Ea de caussa nonnulli baptismum suum differebant usque ad finem vitæ suæ. Quod etiam ævo Ludovici Pii observatum fuisse a Danis testatur Rempertus in vita sancti Anscharii cap. li. *Baptismi tamen susceptione differebant, hoc sibi bonum dijudicantes, ut in fine vitæ suæ baptizarentur; quatenus purificati lavacro salutari, puri & immaculati vitæ æternæ januas absque aliqua retardatione intrarent.*

Ibid. *Festivitas ecclesiastica*] Ex hoc etiam loco patet veteres Christianos, cum festivitas ecclesiastica agebatur, debuisse per totum diem interesse my- E steriis. Vide notas ad librum Agobardi de insolentia Judæorum pag. 20.

Pag. 130. *Ecclesiam derelinquunt*] Proprium humani ingenii est potissimum delectari vetitis ac nocituris, salubria contemnere & aspernari. Clamabat ecclesia adversus ludos sæculares ac publicos, impios esse illos, ludibria spei nostræ, adeoque non decere Christianos iis interesse. Et tamen cum contingebant eodem tempore ludos sæculares & conventus divinos agi, templa summi Dei solitudine deserta videri poterant præ multitudine Christianorum qui ad circos & theatra confluebant; adeo ut etiam si quippiam ludricum eveniret quando populus erat intra ecclesiam, certatim omnes divina deferent ut ludrica sectarentur. Ea de caussa visum est Africanis episcopis petendum esse ab imperatoribus, *ut spectacula theatrorum ceterorumque ludorum die dominica vel ceteris religionis Christianæ diebus celeberrimis amoveantur; maxime quia sancti Paschæ octavarum die populi ad circum magis quam ad ecclesiam conveniunt.* In capite lxi. collectionis Africanæ. Immo cum id malum nimis grande videretur sanctis viris, pœnam excommunicationis in concilio Carthaginiensi iv. intentarunt iis *qui die solemni, prætermisso solemni ecclesiæ conventu, ad spectacula convenirent.* Sapuerint ne post ista Afri, non constat; nisi quod cum heic Salvianus invehatur adversus publicam in hoc capite omnium ferme Christianorum insaniam, probabile est de Afris quoque loquutum esse, quos perditissimos tum fuisse graviter conqueritur in multis istorum librorum locis. Vide Sirmondi notas ad sermonem iv. sermonum S. Augustini.

Ibid. *Postea sed vid.*] Locum hunc esse luxatum censet Rittershusius, neque id injuria. Sane animus erat ista omittere usque ad hæc verba *in principio*, nisi magna codicum & editionum consensio heic esset. Hæc enim ptofecto non sunt hujus loci. Sic itaque omnino legendum: *fornicatione pascamus. Et ideo* cet.

Ibid. *Mogontiac.*] Editio Brassicani: *Non enim hoc agitur jam in Massiliensium civitate; sed quia excisa & deleta est.* Quo etiam modo in multis libris legisse se testatur Nicolaus Serarius lib. I. rerum Moguntiac. cap. vii. Editio Galesinii: *Non enim hoc agitur jam in Moguntiacensium atque Massiliensium civitate.* Codices Corbejensis & Colbert. non habent voces illas *atque Massiliensium*. Sane mendum heic subesse suspicati sunt viri docti, quod huic lectioni repugnet Salvianus, qui eo loco loquitur in singulari. Præterea locus non erat agendi de Massilia, quam nemo prodidit barbarorum incursione tum fuisse vastatam. Et licet vastata fuisset, cur eam inter urbes Germaniæ & Belgicæ nominaret, tam procul a Narbonensi? Vir clarissimus Hadrianus Valesius ista intelligens admonet pro *Massiliensium* legendum esse *Basiliensium*. Quæ civitas est in Rauracis, Moguntiæ paullo vicinior. Probabilis conjectura, nisi veterum codicum auctoritas heic de sola Moguntia agi doceret.

Ibid. *Impuritas*] Codex Colbert. *iniquitas*.

Pag. 132. *Vicinos nostros*] Id est, Treveros. Hinc ergo colligitur Salvianum non fuisse patria Treverensem.

Pag. 134. *Vel prodigiosis*] Redundare arbitror voces illas & admonitionem esse librarii; qui cum ambigeret quidnam potius legendum esset in exemplari quo is utebatur, *prodigis*, an *prodigiosis*, utrumque posuit, lectori judicium integrum relinquens. Idem enim accidit in lib. iv. adversus avaritiam pag. 279. ad illum locum, *quadam adjectione conantur*, cum in recentiori codice regio legatur *quadam allectione vel allegatione conantur*. Ita pariter in Vincentio Lirinensi pag. 366. pro *sanctus Gregorius episcopus & confessor de Nazianzo* legitur in codicibus manuscriptis *confessor de Nanzando vel Nazabos*. Vide notas ad epist. III. & cxxii. Lupi Ferrariensis.

Ibid. *Si enim inlustrem*] Vide infra pag. 186.

Pag. 135. *Exstinctus est*] Brassicanus ita legit hunc locum: *& statim dum tenebat percussus est*. Utraque lectio bona est. Nam sic legitur in lib. II. Regum cap. vi. *Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi juxta arcam Dei.*



Pag. 138. *Pax longa*] Infra pag. 150. *Sint vitia ista & longæ pacis & opulentæ securitatis*. Cyprianus in libro de lapsis: *Et quia traditam nobis disciplinam pax longa corruperat, jacentem fidem & pæne dixerim dormientem censura cælestis erexit*. Cassianus lib. V. de institutis renunt. cap. XIX. *Ne pacis otio miles Christi lentescens incipiat oblivisci colluctationum suarum gloriosa certamina, ac securitatis inertia dissolutus, præmiorum stipendiis ac triumphorum meritis defraudetur*. Idem collat. XXI. cap. XXXIV. *præsumtivæ libertatis securitate solvuntur*: Cæsarius homil. XXXII. *Sunt enim nonnulli qui post religionis professionem, quia videntur exisse de sæculo, nimia securitate solvuntur*. Tacitus in lib. XIII. annalium: *Legiones pace longa segnes*; & in lib. I. hist. *Primores senatus ætate invalidi & longa pace desides*; & in vita Agricolæ: *Plus tamen ferociæ Britanni præferunt, ut quos nondum longa pax emollierit*. Cassiodor. lib. III. Var. epist. I. *Populorum ferocium corda longa pace mollescunt*.

Ibid. *Obsessa est Roma*] Dubium est de qua Romana obsidione heic loquatur Salvianus, ea ne quæ sub Alarico rege Gothorum contigit, an ea quæ sub Genserico rege Vandalorum, an de utraque. Nam varias barbarorum irruptiones in hoc loco commemorat jam inde a temporibus Honorii imperatoris. Rittershusius interpretatus est de obsidione Genserici, quæ facta fuisse videtur circa tempora quibus hos libros scribebat Salvianus. Nam ille paullo post scribit eversas fuisse Sardiniam ac Siciliam, quas a Vandalis invasas fuisse post mortem Valentiniani August. id est anno CCCCLV. testatur Victor Vitensis in initio librorum quos scripsit de persecutione Vandalica.

Ibid. *Gentes barbaræ*] Franci nimirum, Gothi, Burgundiones, Alani, Alemanni, & si qui præterea.

Ibid. *Hispaniæ terras*] Contigisse ista sub imperio Honorii Aug. tradunt scriptores historiarum. Vide Marianam lib. V. rer. Hispan. cap. II.

Ibid. *Sardinia ac Sicilia*] Victor Vitensis in libro I. de persecutione Vandalica scribit Gensericum regem Vandalorum totius Africæ ambitum obtinuisse post mortem Valentiniani III. imp. *nec non & insulas maximas Sardiniam, Siciliam, Corsicam, Ebusum, Majoricam, Minoricam & alias multas*. Verum Gensericum deprædatum fuisse Siciliam anno CCCCXL. docet Idatius in Chronico: *Gaisericus*, inquit, *Siciliam deprædatus Panormum diu obsedit*.

Ibid. *Cirtæ*] In Numidia, quæ postea dicta est Constantina. Hinc episcopi Constantinienses Fortunatus & Petilianus in collatione Carthaginiensi. Notum est omnibus Cirtense concilium habitum anno CCCV. sub Secundo episcopo Tigisitano: cujus mentio tum alibi, tum apud Augustinum in breviculo collationis diei tertiæ cap. XV. & seqq.

Ibid. *Carthaginis*] Anno CCCCXXXIX. ut docet Marcellinus Comes: *Hoc tempore Gensericus rex Wandalorum Africæ civitates Carthaginiemque metropolim cum suis satellitibus occupavit X. Kal. Novembris*. Idatius in Chronico: *Carthagine fraude decepta XIV. Kal. Novemb. omnem Africam rex Gaisericus invadit*.

Ibid. *Ecclesia Carthagin.*] Id est, populus Carthaginiensis.

Pag. 139. *In solo patrio*] Ex hoc loco recte collegerunt Centuriatores Salvianum patria Gallum fuisse.

Ibid. *Præcelsiores*] Codex Colbert. & veteres edit. *præcellentiores*.

A Pag. 140. *Urbs Gallor. opulent.*] Antea legebatur *urbs Gallorum Trever opulentissima*. Sed quia constitit vocem *Trever* esse glossema, quod ex ora libri irrepsit in textum, eam merito censuimus esse tollendam. Argumento sunt sequentia legitimam esse hanc emendationem. Addit enim: *Promtum est de qua dicam*. Sic enim legitur in codice Corbejensi, cum Colbert. & editiones habent, *de quo*. Itaque sic primitus scriptum fuit in Salviano: *Denique expugnata est quater urbs Gallorum opulentissima. Promtum est de qua dicam*. Quasi diceret: Neque vero necesse est a me illam nominari, cum eo ipso intelligatis quam urbem dicere velim, cum dixi Galliarum opulentissimam, & res sit adeo recens ut clades ejus nemini possint esse ignotæ. B Unde factum est ut in ora libri a studioso quodam additum sit *Trever*. Quæ vox deinde ab imperito librario in contextu posita est. Nam de Augustæ Trevirorum eversione quadruplici fidem facit supra Salvianus pag. 130. ubi eam vocat urbem excellentissimam. Et pag. 144. de eadem loquens ait: *Nam quia te tria excidia non correxerant, quarto perire meruisti*. Vir clarissimus Hadrianus Valesius in libro III. rerum Francicarum pag. 123. existimat coloniam augustam Trevirorum a Francis quartum expugnatam circa XVII. imperii Valentiniani annum, Clodione regnante.

Ibid. *In alia*] Id est, Colonia Agrippina, ut arbitratur Hadrianus Valesius. C

Pag. 142. *Summa urbe Gallor.*] Id est, Trevorensi, ut recte explicat idem Valesius. Sic eadem tempestate Cassianus in lib. I. de incarnatione Domini cap. II. mentionem faciens ejusdem urbis Treverensis, sufficere putavit si eam nominaret maximam Belgarum urbem.

Pag. 143. *Circ. ab imperat.*] Id est, ab Honorio & Constantio, ut explicat idem Valesius.

Pag. 144. *Defunctorum*] Codex Colbert. & veteres edit. *mortuorum*.

Pag. 145. *Per amara*] Plinius lib. I. epist. VIII. *Medici salubres sed voluptate carentes cibos blandioribus alloquiis prosequuntur*.

D Ibid. *Profectionem*] Editiones Brassicani & Galesinii *sectionem*, Pithœana *præfectionem*, codex Colbertinus *profectionem*. Male utrobique. Recte Corbejensis, qui *profectionem* scriptum habet. Sic apud Tacitum in lib. XVI. annalium, ubi de Thrasea loquitur, legendum admonet Freinshemius, *profectisque utriusque brachii venis*, cum vulgo legatur *porrectisque*.

Pag. 146. *Inlustramus donariis*] Vel unicus hic locus facit adversus eos qui negant opes conferendas esse ad ornanda templa, docentque erogandas in pauperes, qui sunt viva Christi templa. Subveniendum est necessitati pauperum: quis negat? Sed tamen negligenda non est domus Dei. Vide notas E ad Agobardum pag. 77.

Pag. 147. *Sed quia inveterata*] Hunc locum sic ediderunt Brassicanus & Galesinius: *Aut injuria Dei hoc forte non est, aut esse indignior possit, aut multis & magnis opus sit; sed inveterata in nobis malorum omnium labe aliter jam non vitiosi esse non possumus, nisi ut omnino non simus*.

Pag. 148. *Munera vocamus*] Hunc locum illustrat Isaacus Casaubonus in notis ad Spartianum, ad illum locum e vita Hadriani, *qui de imminutis stipendiis querebatur*.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 445.

AD LIBRUM SEPTIMUM.

Sequentes duo libri omnino perturbati sunt in editione Brassicani, ita ut quæ ad septimum pertinent, leguntur interdum in octavo: cui similem querelam protulit Balduinus ad lib. III. Optati Milevitani. Galesinius itaque cuncta in ordinem reduxit apud Salvianum.

Pag. 150. *Orbe Romano*] Ita codex Corbejensis, cum Colbert. & editiones Galesinii & Pithœi haberent *urbe Romana*: prorsus male. Nam & ipse Pithœus recte admonuit reponendum esse *orbe Romano*. Diversus error exstat in pagg. 164. & 165. ubi pro *de urbe in urbem* legebatur *de orbe in orbem*. Natus hic error ex eo quod antiqui librarii sæpenumero confundebant litteras *o* & *u*, ut iis notum est qui libros manu exaratos tractant. Sed ne id in sequioris tantum ætatis scriptoribus notetur, exstant apud Gruterum & alibi veteres inscriptiones in quibus quoque hæc litterarum permutatio contigit. Sic in veteri lapide Narbonensi Rusticus urbis illius episcopus dicitur *episcopi Aratoris de sorore nepus*. Quintilianus autem in lib. I. institut. cap. IV. sic scribit: *Quid o atque u permutata invicem, ut Hecoba & notrix, Chulcides & Pulixena scriberentur? Ac ne in Græcis id tantum notetur, dederont ac probaveront*. Vide notas ad epist. CXV. Lupi Ferrariensis.

Pag. 152. *Non oratoria probat.*] Secuti sumus editionem Galesinii. Brassicanus habebat: *Non oratoria probatione qua uti alii in caussis solent, ut producam quoscumque* cet. Pithœus: *Non utor rei approbatione qua uti alii in caussis solent: ut* cet. Codex Corbejensis: *Non ut scire a probatione qua* cet.

Pag. 153. *Damnavere meretrices*] Brassicanus: *& paucæ quæ in his vitam infelicissimam vivunt. Damnavere meretrices apud Aquitanos: at ubi ea civitas in loc.* cet. Galesinius: *& paucæ quæ in his vitam infelicissimam damnavere meretrices. Apud Aquitanos vero quæ civitas in locuplet.* cet. Hæc est etiam lectio Pithœanæ editionis & codicis Corbejensis.

Pag. 154. *Matrimonii dignitate*] Recurrit hoc loco celebris illa Ælii Veri sententia apud Spartianum: *Uxor nomen est dignitatis, non voluptatis*.

Pag. 156. *Præsumtio longæ vitæ*] Ea ut plurimum cogitatio intrat animos juvenum. Utamur, inquiunt, dum fata sinunt, melioribus annis. Superest longa series annorum. In extrema ætate emendabimus quidquid offensæ contractum fuerit. Impia sane cogitatio; attamen aliquo modo tolerabilis, si cui certa spes esset longæ vitæ. Sed verissimum est id quod Tullius observavit, mortem propter incertos casus quotidie imminere, & propter vitæ brevitatem numquam longe posse abesse. Iraque multos adhuc admodum juvenes, plurimos in medio spatio integræ ætatis mors intercipit. Quare sequenda est omnino Cæsarii Arelatensis episcopi sententia, cujus hæc sunt verba: *Nam si nos in extremo vitæ nostræ tempore ad agendam pœnitentiam vel ad redimenda peccata vel crimina reservamus, timere debemus ne forte nos mors inopinata præveniat, & ad illud subitaneum tempus pœnitentiæ non sinat pervenire ad quod nos mortifera securitate volumus reservare. Et ideo timeamus illud quod scriptum est: Nolite tardare converti ad Dominum* cet. Præclare Augustinus in hom. XLI. *Si quis autem positus in ultima necessitate ægritudinis suæ voluerit accipere pœnitentiam & accipit, & mox reconciliabitur, & hinc vadit; fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non præsumimus quia bene hinc exit.*

Pag. 160. *Gothi metuerent*] Proprium id gentis fuisse adnotat Hadrianus Valesius in libro III. rerum Francic. pag. 142.

Pag. 161. *In alienis sacerdotibus*] Id est, catholicis. Nam Gothi erant Arriani. Et constat Gothos, si regem Evarigem excipias, nemini intra Gallias vim intulisse in caussa fidei. Vide Cassiodorum lib. VIII. Var. epistol. XXIV.

Ibid. *Dux nostræ partis*] Litorius: qui potestate secundus ab Aetio, Hunnis auxiliaribus præerat; confidensque fallacibus & vanis haruspicum responsis, Tolosam regni Gothici caput obsederat anno CCCCXXXIX. Vide Rittershusium ad hunc locum, Sirmondum in notis ad Panegyricum Aviti, & Hadrianum Valesium in eodem libro III. pag. 141.

Ibid. 162. *Pœnar. magnitud.*] Brassicanus & Galesinius legunt *longitudinem*.

Ibid. *Longo tempore*] Contra Idatius in Chronico ait Litorium occisum fuisse post dies paucos quam captus est.

Ibid. *Rex hostium*] Theodoricus, qui Gothis Romanorum hostibus imperitabat: ne quis heic agi putet de Hunnis.

Ibid. *Wandalos*] Hoc loco intelligendum est bellum a Castino duce Romano gestum anno CCCCXXII. adversus Wandalos. Idatius in Chronico: *Castinus magister militum cum magna manu & auxiliis Gothorum bellum in Bætica Wandalis infert: quos cum ad inopiam vi obsidionis arctaret adeo ut se tradere jam pararent, inconsulte publico certamine confligens, auxiliorum fraude deceptus, ad Tarraconam victus effugit*. Vide Hadr. Valesium pag. 121.

Pag. 164. *De urbe in urbem*] Ita codex Corbejensis, pro quo editiones omnes habent *de orbe in orbem*. Eadem porro emendatio adhibita est alteri loco in pagina sequenti. Vide quæ supra adnotata sunt ad pag. 150.

Ibid. *Induraverunt*] Codex Colbert. *inclinaverunt*. Sed hæc lectio non est bona.

Pag. 165. *Vastandam Africam*] De Wandalis intelligendum id est. Vide eumdem Valesium pag. 100.

Pag. 166. *Ut quid fieret exegit*] Infra epist. IX. pag. 215. *quia recte ipse scripsisse dicitur per quem factum est ut scriberetur*.

Ibid. *Pœnam diu debitam*] Seneca in præfatione lib. X. controversiarum: *Sunt dii immortales lenti quidem, sed certi vindices generis humani*. Vide notas ad Lupum Ferrar. pag. 473.

Pag. 170. *Gajum non esse Gajum*] Hæc est omnino scriptura codicis Corbejensis. Tertullianus in apologetico cap. XLVIII. *At enim Christianus, si de homine hominem ipsumque de Cajo Cajum reducem repromittat, lapidibus magis, nec saltem cæstibus, a populo exigetur*. Et in lib. I. ad nationes cap. IV. *Ego miror Gajum Sejum gravem virum factum Christianum*. Inepta autem est loci istius Salviani lectio quam exhibent editiones Brassicani & Galesinii, ubi sic legitur: *Sed hoc tam rarum est ac novum, quam rarum videri potest quemlibet ganeonem non esse ganeonem, aut quemcumque sævum non esse sævum*. Codex Colbertinus: *ganeum non esse ganeum, aut quemcumque sevum non est sevum*. Mirum est quantum in his nominibus sibi permiserint veteres librarii. Apud Optatum in lib. III. legitur: *Cai Sei aut Caja Seja, adhuc paganus es aut pagana?* Et in lib. VI. *Cai Sei, Caja Seja, quamdiu te tenes?* Utrobique scriptum fuisse *Gajasei* in editione Germanica admonet Balduinus, qui statim adnotat Cajum aut Sejum aut

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 445.

Titium appellari a jurisconsultis solere quemvis hominem.

Pag. 171. *Bacch. crapulæ*] In codice Colbertino scriptum est *crapulatarum turbarum*. Quo etiam modo habet codex Corbejensis.

Pag. 172. *Non discutio*] Loquitur de sacerdotibus, id est, episcopis & reliquis e clero. Horum actus discutere se nolle ait ob reverentiam quæ ministris Dei debetur. Hieronymus in epistola ad Rusticum: *Non est humilitatis meæ neque mensuræ, judicare de clericis, & de ministris ecclesiarum sinistrum quippiam dicere.* Idem in cap. VIII. Ecclesiastis ait difficilem esse accusationem in episcopum. *Nemo quippe*, inquit, *audet accusare majorem. Propterea quasi sancti & beati & in præceptis Domini ambulantes, augent peccata peccatis. Difficilis est accusatio in episcopum. Si enim peccaverit, non creditur; & si convictus fuerit, non punitur.* Sanctus Gregorius in lib. I. de cura pastorali cap. II. *Nemo quippe amplius in ecclesia nocet quam qui perverse agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc nemo redarguere præsumit; & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur.* Vide libellum precum Marcellini & Faustini pag. 37.

Pag. 173. *Plebem ecclesiast.*] Id est, populum ecclesiæ sive urbis Carthaginiensis. Supra pag. 48. *populos ecclesiasticos*. Infra pag. 175. *in ecclesiastico corpore*. Et pag. 228. *ecclesiasticæ plebis*.

Pag. 174. *Apostoli instituerant*] Putabat Salvianus ecclesiam Carthaginiensem esse unam ex apostolicis. In quo falsum illum fuisse manifestum est. Nam Tertullianus, homo Afer, dum apostolicas ecclesias recenset, Carthaginiensem omittit, non omissurus haud dubie si qua antiquitus fama fuisset Apostolos penetrasse usque ad Carthaginem. Verum quia Salviani ætate catholici intra Africam contendebant Africanos ab Apostolis evangelium accepisse, quod a Donatistis præfracte negabatur, Salvianus odio haud dubie adversus Donatistas & amore catholicorum facile amplexus est opinionem eorum qui dicebant Afros Christiana fide imbutos fuisse ab Apostolis. Videbat præterea Carthaginiensem episcopum æqualibus privilegiis frui cum antistitibus ecclesiarum apostolicarum; ideoque facile illi fuit transire in eam sententiam quæ volebat Africanam ecclesiam ab Apostolis fuisse fundatam: quod a Numidis quoque creditum fuisse docet Gregorius Magnus lib. I. epist. LXXIV. quæ ad eos scripta est. Vulgata itaque ambitione antiquitatis, dum quælibet ecclesia antiquissimam originem sibi asserere conatur, inventi sunt qui suos Africæ Apostolos vindicarent, Petrum nimirum Apostolorum principem & Laudatum quemdam primum Carthaginis episcopum ab Apostolis ordinatum. Sed has nugas merito explodit illustrissimus cardinalis Baronius.

Ibid. *Muliebrem tolerantiam*] Sic apud Sallustium in Catilina: *viri pati muliebria*. Et apud Tacitum, de Cesonino: *in illo fœdissimo cœtu passus muliebria.* Muretus vero noster in commentario ad secundam Catilinariam adnotat Massilienses, qui essent alioqui optimis sanctissimisque legibus instructi, non ob hoc traduci debuisse ab Athenæo quod masculæ veneri dediti essent, cum apud Cretenses quoque & Lacedæmonios, quorum utrique sanctissimis ac severissimis legibus usi putantur, puerorum tamen amores probro non ducerentur.

Pag. 175. *Ecclesiastico corpore*] Quod constat ex clericis & laicis. Vide notas ad pag. 172.

Ibid. *Civitate Romana*] Id est, in urbe Carthaginiensi. Hanc enim vocat urbem Romanam, quia Romano tum imperio ea subjecta erat.

Pag. 178. *Peculatum*] Codices Corbejensis & Colbertinus habent *peculationem*: quo etiam modo adnotatum est in margine editionis Pithœanæ.

Pag. 179. *Difficile est quippe*] Sensus istius loci non satis mihi videtur constare. Mallem itaque sic legere: *Inutile est quippe impudicitiam verbo aut jussione tolli, nisi fuerit ablata; & inutile est pudicitiam verbo exigi, nisi fuerit exacta.* Mallem, ut dixi, ita legere hunc locum. Sed repugnant editiones & scripti libri.

Pag. 182. *Ullum pignus*] Id est, ullum liberorum, ut paullo ante dixit.

AD LIBRUM OCTAVUM.

Pag. 184. *Falsæ laudis*] Qui se falso laudari volunt, utinam bene intelligerent quanti momenti sint laudes in immerentem conjectæ. Sidonius lib. VIII. epist. X. *Symmachianum illud te cogitare par fuerat: Ut vera laus ornat, ita falsa castigat.* Vide notas viri clarissimi Jacobi Sirmondi ad hunc Sidonii locum.

Pag. 185. *Deo accensentur*] Editio Brassicani: *tamquam Deo dulces existimantur; & ne accusabiles* cet.

Ibid. *Certe si inlustrem*] Supra pag. 134. *Si enim inlustrem ac præpotentem virum* cet.

Pag. 187. *Cælestem illam*] Ita editio Pithœi & codex Corbejensis: prorsus bene. Tertullianus in cap. XXIII. apologetici: *Ista ipsa virgo cælestis pluviarum pollicitatrix.* Julius Capitolinus in vita Pertinacis, loquens de proconsulatu quem Pertinax gessit in Africa: *In quo proconsulatu multas seditiones perpessus dicitur, vaticinationibus earum quæ de templo Cælestis emergunt.* Ammianus Marcellinus lib. XXII. *Asclepiades philosophus, cum visendi gratia Juliani peregre ad id suburbanum venisset, deæ Cælestis argenteum breve figmentum quocumque ibat secum solitus efferre, ante pedes statuit simulacri sublimes.* Trebellius Pollio in Celso: *Afri Celsum imperatorem appellaverunt, peplo deæ Cælestis ornatum.* Pleraque alia testimonia congessit illustrissimus cardinalis Baronius ad annum CCCXCIX. ut ostenderet deum Cælestem qui Carthagine colebatur, deam fuisse. Casaubonus tamen in notis ad vitam Antonini Caracallæ, laudans hunc Salviani locum, legit *Cælestem illum*, deceptus auctoritate editionum, tamen etsi fateatur pro dea a plerisque omnibus fuisse habitam. Ex templo porro deæ Cælestis apud Carthaginem via Cælestis, cujus meminerunt Victor Vitensis in initio librorum de persecutione Wandalica & Prosper in lib. III. de prædictionibus cap. XXXVIII. De dea Cælesti vide Lipsium lib. V. epistolicar. quæst. epist. XXII. Casaubonum in notis ad vitam Antonini Caracallæ, Rittershusium ad hunc locum, & Henr. Valesium in annotationibus ad Ammianum Marcellinum p. 232.

Pag. 188. *Mensæ dæmonior.*] Huc usque auctoritas codicis Corbejensis. Cetera præ vetustate obliterata sunt partim, partim vero deperdita.

Pag. 189. *Monachis, id est, sanctis*] Vide supra in notis ad pagg. 6. & 84. Theodorus Studita lib. II. epist. XXXII. apud Baronium ad an. 809. §. IV. *multoque magis sancti, monachum ordinem loquor, cum exsultatione exsultabunt.*

Pag. 190. *Servos Dei*] Id est, monachos. Infra: *Et si quando aliquis Dei servus de Ægyptiorum cœnobiis.* Et pag. 191. *apparere in plateis & compitis Dei servos sine contumelia atque exsecratione vix licuit.*

Ibid. *Palliatum & pall.*] Hæc ergo tum erant insignia monachorum.

Ibid. *Ægyptior. cœnobiis*] Cœnobiorum Ægypti meminit & Castor episcopus Aptensis in epistola ad Joannem Cassianum : *Te quidem potissimum orientalium cœnobiorum doctrina expertum tenemus, maximeque Ægyptiorum*. Vide Cassianum ipsum.

Ibid. *Sacris Hierus. locis*] Sic vocabatur territorium illius urbis, ob memoriam conversationis & passionum Christi. Hieronymus in epistola ad Paulinum de institutione monachi: *Beatus Hilarion cum Palæstinus esset & in Palæstina viveret, uno tantum die vidit Hierosolymam, ut nec contemnere loca sancta propter viciniam, nec rursus Dominum loco claudere videretur*.

Pag. 191. *Latrones quidem*] Imitatum ex M. Tullio in secunda Antonianarum : *Quod est aliud beneficium latronum P. C. nisi ut eis se vitam dedisse dicant quibus non ademerint?*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

AD EPISTOLAS.

EPIST. I.

Pag. 134. PRopinquus meus] Hinc colligi potest Salvianum patria Agrippinensem fuisse.

Pag. 195. *Ego * fore*] Deest hoc loco quippiam. Reponendum autem videtur: *quem ad vos ego mitto, sperans fore* cet.

EPIST. II.

Pag. 196. *Eucherio episcopo*] Lugdunensi, viro per eas tempestates clarissimo; cujus filios Salonium & Veranum Salvianus in disciplina habuerat, uti dictum est supra. Ad eum rursum scribit Salvianus epistolam VIII.

Ibid. *Pedis. n. hom. adrog.*] Stephanus Tornacensis epist. LXI. *Vivat in aliis illud vulgare proverbium: Honores mutant mores*. Jordanus in epistola ad G. Priorem apud Duchesnium tom. IV. pag. 755. *Nunc autem rogo ne sit veridicum de vobis illud vulgare proverbium: Honores mutant mores*. Arnulphus Lexoviensis epist. II. *Creat enim cor novum & novos affectus novæ conscientia dignitatis*. Vide notas ad epist. CIX. Lupi Ferrariensis.

EPIST. III.

Ibid. *Agricio episcopo*] Antipolitano in secunda Narbonensi, haud procul Massilia, qui concilio Agathensi subscripsit anno quingentesimo sexto. Neque enim assentior Rittershusio, qui epistolam illam putat scriptam fuisse ad Agrœcium episcopum Senonensem, ad quem circa annum CDLXXIII. scripsit Sidonius de electione episcopi Bituricensis. Et is ipse fortassis est Agrœcius qui circa annum CDLVIII. nondum episcopus mille solidos ecclesiæ Narbonensi obtulit, ut de pecunia sua juvaret Rusticum sedis illius episcopum, qui ecclesiam suam dudum exustam reædificabat, ut constat ex veteri inscriptione Narbonensi quam alibi edidimus.

EPIST. IV.

Pag. 197. *Hypatio & Quietæ*] Erant hi parentes Palladiæ, quæ Salviani uxor erat.

Ibid. *Neque ex sup. metus sit*] Hæc verba parenthesi includenda esse censebat Rittershusius. Ego vero arbitror ea non esse hujus loci, adeoque jugulanda.

Pag. 198. *Pignora*] Id est, proles. Vide supra pag. 78.

Pag. 199. *Soror*] Sic vocat Palladiam uxorem suam, ex canonum præscripto & perpetua consuetudine priscæ ecclesiæ, in qua, qui ex conjugio ad sacerdotium adsciscebantur, ab uxorum toro separati, non aliter deinceps cum illis quam cum sororibus versabantur. Vide Sirmondum in notis ad Sidon. lib. V. epist. XVI. & Rosweydi onomasticon ad vitas patrum.

EPIST. V.

Pag. 203. *Servius Galba*] Vide Ciceronem in Bruto cap. XXIII. & Quintilianum lib. II. Institut. cap. XV.

EPIST. VIII.

Pag. 209. *Domino & Dulcis.*] Ita vetus codex monasterii Corbejensis, in quo continentur opera Eucherii Lugdunensis episcopi. Pithœus edidit: *Domino & dulci suo Eucherio episcopo Salvianus*. Reliqua istius epistolæ emendata sunt ad fidem ejusdem codicis Corbejensis, qui nunc exstat Parisiis in bibliotheca sancti Germani de Pratis.

Ibid. *Beator. pignor.*] Salonii videlicet & Verani.

Ibid. *Magistri ecclesiarum*] Non puto eos tum fuisse episcopos. Non diceret enim Salvianus eos cœpisse esse magistros ecclesiarum, sed dixisset jam esse magistros. Nam magistrorum ecclesiæ appellatio primum pertinet ad episcopos; sed tamen etiam ad alios, ut colligitur ex commonitorio Vincentii Lirinensis. Unde Julianus Pomerius in lib. II. de vita contempl. cap. II. *Ea vera esse divinis testimoniis conabor ostendere; si prius pauca de laude verorum sacerdotum qui sunt ecclesiarum magistri, protulero*. Primus igitur magisterii gradus, ut ego quidem arbitror, fuit in diaconis. Auctor enim est Philostorgius lib. III. hist. eccles. cap. XVII. Leontium Antiochiæ episcopum factum, discipulum suum Aetium designasse ad ordinem diaconi, eique ut ecclesiæ dogmata in ecclesia doceret mandasse: hunc vero diaconatum quidem suscipere noluisse, docendi tamen munus admisisse. Idem lib. IV. cap. III. ait Eudoxium qui Leontio successerat in episcopatu Antiocheno, Eunomium designasse ad diaconatum, ipsum vero non suscepisse ministerium prius quam accurate ad doctrinam pervenisset. Ex his duobus locis confici posse puto docendi munus, contra quam placuit viro docto, affixum fuisse officio diaconi, saltem in ecclesia orientali. Nam quod ad occidentalem pertinet, nihil adhuc certi compertum habeo. Sed cum antiquitas diaconos etiam constituerit in sacerdotio, colligi hinc non absurde potest majus aliquid fuisse illorum officium quam simplex ministerium, adeoque etiam docen-

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

di auctoritatem illis fuisse commissam non secus ac episcopo & presbytero, non tamen sine jussu episcopi.

Ibid. *Discipuli quondam mei*] Fuerat enim Salvianus, uti jam non semel observavimus, magister Salonii & Verani; ut docet ipse Salvianus, cum in hoc loco, tum etiam in epistola sequenti: quod etiam testatur Eucherius in epistola ad Salonium quæ præfigi solet quæstionibus veteris & novi testamenti. Item Gennadius de Salviano loquens: *Magister episcoporum sanctorum Salonii & Verani*.

EPIST. IX.

Pag. 210. *Domino ac beatiss.*] Hæc inscriptio quæ deest in aliis editionibus, sumta est ex pervetusto codice ms. bibliothecæ regiæ, in quo continentur lib. IV. adversus avaritiam. Similem Strabi Fuldensis epigraphen ex epistola ad Gerungum nos olim attulimus in notis ad epist. X. Lupi Ferrariensis. Non exstare autem istam Salviani epistolam in vetustissimo exemplari suo admonuit Pithœus. Porro cum ea hactenus edita fuerit in fronte librorum adversus avaritiam, vice præfationis; nos eam ad librum epistolarum censentes pertinere debere, ab eo loco illam amovimus, & inter epistolas reposuimus.

Ibid. *Per honorem patris*] Ideo Salonius Salviani pater erat per honorem, quia episcopus erat: episcopi enim per illas tempestates inferioris ordinis clericos, atque adeo presbyteros, ut plurimum filios appellabant. Hieronymus Augustino: *Vale mi amice carissime, ætate fili, dignitate parens*. Sidonius Arvernorum episcopus lib. VII. epist. XVII. loquens de Victorio comite: *quem jure sæculari patronum, jure ecclesiastico filium, excolo ut cliens, ut pater diligo*. Cassiodorus in psalm. CIX. *Quod etiam in hac nostra conversatione hodieque contigit, ut filius episcopus factus, patris sui pater vocetur, non nascendi ordine, sed honore*. Hinc illa vox Hieronymi de episcopis: *Meminerint se patres esse, non dominos*. Augustinus tamen episcopus Hieronymum presbyterum appellat fratrem. Jam tum enim receptum erat discrimen episcoporum & presbyterorum. *Quamquam enim*, inquit Augustinus ad Hieronymum scribens, *secundum honorum vocabula quæ jam ecclesiæ usus obtinuit, episcopatus presbyterio major sit; tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est*.

Ibid. *Salonio episcopo*] Vide notas ad præfationem librorum de gubernatione Dei, & Sirmondum in notis ad Sidon. lib. VII. epist. XV.

Ibid. *Nomen auctoris*] Cassianus collat. XXVIII. cap. I. ait omnem dictorum vacillare auctoritatem, si dicentis meritum subtrahatur.

Pag. 212. *Nomen sit magis pœn.*] Ita omnino codex regius. Pro quo Pithœi editio habuit: *nomen sit magis pœnitentiæ quam fructus*. Sic Ruricius Lemovicum meorum episcopus ait in lib. II. epist. XII. *Pœnitentia, frater carissime, non nomine est suscipienda, sed opere*. Sic enim legendum est pro eo quod Canisius edidit *Patientia, frater* cet. Eadem medicina adhibenda est hom. XXXV. Cæsarii episcopi Arelatensis; in qua hodie legitur, *ut cum in eis oculus patientiæ clauserit*, cum legendum sit *pœnitentiæ*. Item homiliæ Paulli diaconi: *Omnis peccator, si vult ad veniam attingere, abjecto universo cordis tumore debet omnimodis se terram & cinerem existimare; ut a vera humilitate incipiens, valeat sibi a Domino patientiam impetrare*. Legendum est itaque *pœnitentiam*.

Ibid. *Exomologesi*] Infra lib. I. adversus avaritiam pag. 233. *Sed quomodo ei exomologesis diuturna opitulabitur in extremis sito?* Tertullianus in libro de pœnitentia cap. IX. *Is actus qui magis Græco vocabulo exprimitur & frequentatur, exomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque exomologesis prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mæroribus dejicere, illi quæ peccavit tristi tractatione* cet. Vide Cyprianum in libro de lapsis, ubi de Anania, Azaria, Misahele & Daniele loquitur.

Pag. 213. *Professio sanctitatis*] Vide supra pag. 6.

Pag. 215. *Timuit*] Antea legebatur *Timothei*, non solum in editis, sed etiam in codice regio. Itaque quia constabat mendum heic esse, & substituendam esse aliquam vocem quæ conveniret homini pavido & formidoloso, secuti sumus vestigia sinceræ lectionis quæ latebant in voce *Timothei*.

Pag. 216. *Vale mi Saloni*] In editione Pithœana legebatur: *Vale decus nostrum atque subsidium*. In codice vero regio sic: *Vale mi decus nostrum atque subsidium*. Vocula *mi* addita in codice regio indicavit addendum hoc loco esse nomen *Salonii*. Supra pag. 211. *Sed quia, o mi Saloni, decus nostrum atque subsidium*. Is enim erat illius sæculi mos ut eadem honoris epitheta repeterent in fine epistolarum, quemadmodum observavit Sirmondus ad Ennodium, & patet ex Sidonio, Fausto, Ruricio & aliis.



AD LIBROS
ADVERSUS AVARITIAM.

AD LIBRUM PRIMUM.

Pag. 217. *Acerbior animarum*] Codex Colbert. *acerbiore animarum inf. peste & tetriore fil. tuor. labe conficiat*.

Ibid. *Parum existimant*] Antea legebatur *existimantes*: prorsus male. Nos itaque correximus.

Pag. 218. *Plebis tuæ*] Id est, plebis ecclesiasticæ, seu populi Christiani. Vide supra pag. 172.

Ibid. *At nunc pro his*] Imitatum fortassis ex Sallustio in præfatione belli Catilinarii: *Verum ubi pro labore desidia, pro continentia & æquitate libido atque superbia invasere; fortuna simul cum moribus immutatur*. Et infra: *Nam pro pudore, pro abstinentia, pro virtute, audacia, largitio, avaritia vigebant*.

Ibid. *Virib. min. valida*] Hieronymus in prologo vitæ Malchi monachi, loquens de ecclesia:

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.



Scribere enim dispoſui quomodo & per quos Chriſti ecclesia nota ſit & adulta, perſecutionibus creverit, martyriis coronata ſit, & poſtquam ad Chriſtianos principes venerit, potentia quidem & divitiis major, ſed virtutibus minor facta ſit. Agobardus in libro de privilegio & jure ſacerdotii cap. XIII. *Quod nos abſque ambiguo de eccleſia dicere poſſumus; quæ in annis prioribus ad tolerantiam paſſionum robuſta, in perfectione veritatis erecta, ad oſtenſionem ſignorum valida, ſtudio mirandæ continentiæ & abſtinentiæ accincta, contra rabiem luporum ſolicita, ad reſiſtendum improbis libera: at nunc omnibus infirmitatibus mentis ita eſt languida, ut ad dicendum quidem nec tutum ſit nec poſſibile.* Sic Jacobus de Vitriaco cap. VIII. hiſt. occid. pag. 288. ait magiſtrum Fulconem amiſiſſe bonam famam, poſtquam cœpit congregare pecunias.

Ibid. *Turbis opulens*] Hoc loco fuit magna codicum regiorum conſenſio cum editione Pithœana. Itaque vocem *turbis* heic retinuimus, cum antea legeretur *turpis*.

Pag. 219. *Cuique ſcientia*] Secuti ſumus conſenſum veterum librorum. Nam editiones habent: *cui quantum ſcientia, tantum interim conſcientia abes.*

Pag. 220. *Participare*] Ita editio Pithœi & libri manuſcripti. Macherentinus tamen legit *perpetuare*. Quæ lectio mala non eſt.

Pag. 223. *Ad indign. provoc.*] Locus eſt ex capite epiſtolæ beati Paulli ad Epheſios, interdum laudatus a veteribus. Cyprianus in libro III. ad Quirinum c. LXXI. *Patres quoque aſperos circa filios eſſe non oportere. Et vos, parentes, nolite in iracundiam mittere filios veſtros.* Hieronymus in epiſtola ad Theophilum Alexandrinum adverſus errores Joannis Hieroſolymitani: *Et ſi ille*, inquit, *perire cupit ne perditi pereant; quanto magis bonis parentibus providendum eſt ne ad iracundiam provocent filios ſuos?* Theophylactus in hunc Paulli locum: *Non dixit, Diligite: hoc enim natura ab ipſis vel invitis poſtulat: ſed, ne ad iracundiam provocetis: hoc eſt, non exheredes eos faciatis, neque abdicetis eos, neque onerosos vos illis ac ſævos exhibeatis, ceu non ſint liberi, ſed mancipia, ſemperque erga ipſos ægro ſitis animo.* Egregiam porro regulam quoad hoc proponit Muretus conterraneus meus in libro VII. variarum lectionum cap. IV. quod eſt de officiis parentum in liberos. *Quare*, inquit, *neque exſultanti juvenum libidini frena laxanda ſunt, neque ferox ætas duriore quam par eſt imperio magis etiam exaſperanda; ſed ea utendum dexteritate ut ii qui reprehenduntur, ipſi non odio ſui, ſed amore potius & beneficentia id fieri ſentiant; omninoque ita temperanda omnia ut ab odio ſeveritatem comitas vindicet, & a contemtu ſeveritas comitatem.*

Ibid. *Deus vivorum*] Id eſt, eorum qui credunt futuram reſurrectionem mortuorum. Nam priſci Chriſtiani eos vocabant mortuos qui negabant reſurrectionem; uti dictum eſt ad epiſtolam II. Leidradi epiſcopi Lugdunenſis, quæ edita eſt cum operibus Agobardi. Alias Deus, Deus eſt mortuorum & vivorum. Omnes enim vivunt ei, ut ait ſanctus Lucas.

Pag. 228. *Eccleſ. plebis*] Id eſt, populi Chriſtiani. Vide ſupra pag. 172.

Pag. 229. *Dupl. & cupid.*] Codices regii: *Ac per hoc duplex noxa eſt & cupiditatis & infidelitatis.* Vetus tamen poſt vocem *cupiditatis* addit vocem *nox*.

Pag. 230. *Converſionis*] Uterque codex regius habet *converſationis*.

A Ibid. *Alioqui peccare*] Imitatus eſt hoc loco Salvianus ſanctum Ambroſium epiſcopum Mediolanenſem; qui in exhortatione ad pœnitentiam totus in hoc eſt ut oſtendat ſe plurimum dubitare de eorum ſalute qui poſiti in ultima neceſſitate ægritudinis ſuæ accipiunt pœnitentiam. De his ergo ait: *Si autem tunc agere vis ipſam pœnitentiam quando peccare jam non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa.* De iiſdem hæc ſunt Auguſtini verba in homilia XLI. *Age pœnitentiam dum ſanus es. Si ſic agis, ſecurus es. Quare ſecurus es? Quia pænitentiam egiſti eo tempore quo & peccare potuiſti. Si autem vis agere pœnitentiam nunc quando peccare non potes, peccata dimiſerunt te, non tu* B *illa.*

Pag. 231. *Poſt mortem*] Macherentinus legit *morbum*.

Pag. 233. *Nulla curare*] Vetus codex regius ſic olim habebat. Verum id emendatum eſt, & pro *nulla* repoſitum eſt *nullo*:

Ibid. *Incuriæ*] Ita correximus ex ingenio, cum antea legeretur *injuriæ*. Sicut enim mollitiem voluptatis opponit aſperitatibus, ſic longas delicias incuriæ. Alioqui enim vox *injuriæ* nullum heic bonum ſenſum facit. Sic Tertullianus in libro de pœnitentia cap. IX. docet moris fuiſſe olim in eccleſia, ut is qui exomologeſim faciebat, ſacco & cineri incubaret, corpuſque ſordibus obſcuraret. C Et in pagina ſuperiore Salvianus damnavit ægrotorum incuriam: *Quod ſi aut tanta vis morbi, aut tanta ægrotorum fuerit incuria.*

Pag. 234. *Placationis*] Ita codices regii. Colbertinus & prima editio habent *ſupplicationis*.

Pag. 235. *Delictis ſuis*] In codice Colbertino ſcriptum primo fuit *tuis*; ſed iſtud expunctum eſt & ſupra lineam ſcriptum *ejus*: quod obſcure annotavit Pithœus in margine editionis ſuæ.

Ibid. *Inquit aliquis*] Codex Colbert. *inquit quamvis peccator aliquis oblaturus eſt.* Vetus editio: *inquit aliquis, quamvis magnorum criminum reus, oblaturus eſt totum Domino: Immo nihil* cet.

Pag. 236. *Omnia au. ex Deo*] Codex Colbert. D *Omnia enim ex Deo.*

Ibid. *Qui utique*] Hanc lectionem præfert idem codex. Regii, *qui itaque*. Editiones: *Quia itaque.*

Ibid. *Facultatem*] Ita omnes libri veteres. Sed editiones habent *facultates*.

Ibid. *Prorogare*] Ita primo ſcriptum fuit in veteri exemplari bibliothecæ Colbertinæ; ſed poſtea expuncta eſt littera *o* & ſupra lineam appoſita littera *e*. Ex quo Pithœus effecit *prærogare*.

Pag. 237. *Negligentis cogitat.*] Negligentiarum vocabulo ſignificari minuta & levia peccata, quæ nos hodie dicimus venialia, ſatis, ut reor, manifeſtum eſt, & patet etiam ex homilia XXXII. E ſancti Cæſarii epiſcopi Arelatenſis & ex regula S. Columbani. Quænam vero tum putarentur eſſe levia peccata, aperit ex parte idem Cæſarius in homilia XXXI.

Ibid. *Idolatriæ*] Ita omnes libri veteres & heic & ſupra. Quo loco obſervandum eſt Latinos codices fere ſemper habere *idolatria*, raro *idololatria*. Inde *idolatrie* Francis.

Ibid. *Si potes æſt. q. debeas*] Hæc deſunt in omnibus antiquis exemplaribus. Habentur tamen in prima editione & in aliis.

Ibid. *Quomodo*) Iſtud deeſt in recentiori codice regio & in Colbertino.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 445.

AD LIBRUM SECUNDUM.

Pag. 239. *Partem rerum univers.*] Antea edideramus *partem suscepit rerum universarum*, quia ita inveneramus scriptum in veteri codice regio. Verum cum vocem *suscepit* non habeant reliqua exemplaria neque editiones, & superflua sit, eam delere placuit.

Ibid. *Terras adiit*] Ita editiones. Verum hoc membrum in nullo veterum librorum reperitur quibus nos utimur.

Ibid. *Humani exordii pudorem*] Vide supra in notis ad pag. 126.

Pag. 241. *Comparatione pejor.*] Sic Tacitus in primo annalium libro ait Augustum non caritate aut reip. cura successorem sibi adscivisse Tiberium, *sed quoniam adrogantiam sævitiamque ejus introspexerit, comparatione deterrima sibi gloriam quæsivisse*. Vide hoc loco Rittershusium.

Pag. 242. *Expediti omn. sarcinis*] Admonuit Pithœus in veteri suo codice scriptum fuisse *expediti omnibus sarcinis*, cum editiones haberent *expediti aut omnibus aut pæne omnibus sarcinis*. Nos secuti auctoritatem Pithœani codicis, tum etiam regiorum, constituimus veram lectionem.

Ibid. *Imitantur*] Omnes libri veteres habent *mercantur*. Verum paullo post scriptum est *imitatores*: quod confirmat lectionem librorum editorum. Vide infra p. 276.

Pag. 243. *Monachus ab incunabulis*] Ea olim erat parentum auctoritas ut liceret illis filios suos etiam in pueritia vovere Deo, sic ut non liceret illis abjicere institutum quod patrum imperio susceperant. Concilium IV. Toletanum can. XLVIII. *Monachum aut paterna devotio aut propria professio facit. Quidquid horum fuerit alligatum, tenebit. Proinde his ad mundum revertendi intercludimus aditum, & omnes ad sæculum interdicimus regressus*. Gregorius III. in epistola IV. ad Bonifacium: *Addidisti adhuc quod si pater vel mater filium vel filiam intra septa monasterii in infantiæ annis sub regulari tradiderint disciplina, utrum liceat eis, postquam pubertatis annos impleverint, egredi & matrimonio copulari: hoc omnino devitamus; quia nefas est ut oblatis a parentibus Deo filiis voluptatis frena laxentur*. Pervulgatum porro fuisse hoc jus etiam ævo Hieronymi patet ex epistola ejus ad Demetriadem, in qua hæc leguntur: *Solent miseri parentes & non plenæ fidei Christiani deformes & aliquo membro debiles filias, quia dignos generos non inveniunt, virginati tradere*. Exstat in veteri chartulario ecclesiæ Cadurcensis formula istius paternæ oblationis, quam edemus post notas in appendice actorum veterum. In chartulario vero ecclesiæ Tutelensis exstat vetus charta ex qua colligitur in filios quandoque derivatam quoad hoc fuisse potestatem patriam erga fratres in tenera ætate constitutos. Nam Gualterius de Navis fratrem suum Eliam monachum fecit anno MXCIX. in monasterio Tutelensi. At non solum filios jam natos vovebant patres, sed etiam eos qui nondum nati, in utero matris positi erant. Exstant istius moris aliquot illustria exempla, quorum antiquius est illud quod Ekkehardus junior refert in capite X. de casibus monasterii S. Galli. Anno MLXXXIII. Petrus Bernardi de Corneliano supremis testamenti tabulis cavit, uti si uxor sua quæ prægnans erat, masculum pareret, is canonicus fieret in ecclesia cathedrali Helenensi. Chartularium Helenense lib. VI. cap. III. *Et si uxor mea de ipsum prægnatum* A *quem habet, Deus donavit filium, dimitto ad sancta Eulalia, cum ipso allodio quem habeo in Chexans post obitum mater sua* cet. *Factum istum testamentum* VII. *Idus Decembris anno* XXVIII. *regnâ Philippi regis*. Post viginti circiter exinde annos Petrus de Tornamira de Spaniaco jussit, ut si uxor sua pareret post mortem suam masculum, filius ille monachus fieret in monasterio Tutelensi. Chartularium Tutelense folio 209. *Si vero uxor mea, quæ nunc prægnans esse cernitur, filium pepererit, dimitto eum ut fiat monachus in supra dicto loco cum villa quæ dicitur Pomairol.* Testamentum Ludovici VIII. Francorum regis apud Andream Duchesnium tom. V. pag. 325. *Item volumus & præcipimus quod* B *quintus filius noster sit clericus & omnes alii qui post eum nascentur.*

Pag. 244. *Secundum illud*] Ista non exstant in recentiori codice regio, neque in Colbertino.

Ibid. *Tobias*] Adnotat Pithœus in vetusto codice suo scriptum fuisse *Tobis*, & editionem Septuaginta habere Τωβίτ. Porro uterque codex regius habet *Tobis*.

Ibid. *Sec. leg. omn. reliq.*] Primo edideramus *secundum evangelium* cet. secuti vetus exemplar bibliothecæ regiæ. Sed cum reliqua & veteres editiones præferant *legem*, eaque lectio videatur esse melior, eam revocavimus. Isthic enim non agitur de tempore evangelii, sed de tempore legis.

C Ibid. *Evangelium complevit*] Recentior codex regius & Colbert. *evangelia*.

Pag. 246. *Certa istius*] Ita omnes libri veteres legunt. Al. *Aperta istius*.

Pag. 249. *Scit opus*] Antea legebatur *sit*. In hac ergo editione sequi placuit auctoritatem librorum manuscriptorum.

Ibid. *Ac magna*] Hæc desunt in omnibus antiquis codicibus.

Ibid. *Si aliud*] Secuti sumus consensum veterum librorum. Nam editiones habent, *Si aliter*.

Ibid. *Providerant*] Ita etiam veteres libri. Edit. *providissent*.

Pag. 250. *Quod substantia*] In utroque codice D regio sic scriptum est: *quia substantiæ olei non suppeditante defecit*.

Ibid. *Ut possit initium*] Antea legebatur *ut possit finem*. Verum omnia vetera exemplaria habent uti nos reposuimus.

Ibid. Plane itaque] Pithœus admonuit in codice suo scriptum fuisse, *Plena itaque*. Sic etiam habent codices regii. Error ex metathesi litterarum profectus.

Pag. 251. *Et sacerdotibus*] Hæ voces desunt in omnibus antiquis exemplaribus. Et sane superfluas esse indicare videntur sequentia, si quis ea accurate expendat.

Ibid. *Exempl. e. o. debent*] Athalaricus rex clero E ecclesiæ Romanæ apud Cassiodorum lib. VIII. Var. epist. XXIV. *Sed interim vos quos judicia nostra venerantur, ecclesiasticis vivite institutis. Magnum scelus est crimen admittere, quos nec conversationem decet habere sæculorum. Professio vestra, vita cælestis.*

Ibid. *Nihil est enim* cet. *vilitate*] Integra hæc periodus desideratur in omnibus antiquis exemplaribus.

Ibid. *Ipsa fæce*] Antea legebatur *ipso sexu*, nullo admodum sensu. Codex regius suppeditavit justam lectionem. Ait enim Salvianus Deum perfectissimam vivendi regulam dedisse, non solum episcopis & clericis, sed etiam plebeiis hominibus, qui fæx populi dici solent; & non solum plebeiis

hominibus, sed, quæ ipsa populi fæce infirmiores sunt, mulieribus.

Ibid. *Infirmioribus*] Macherentinus legit *inferioribus*: prorsus male.

Ibid. *Deus noster velit*] Vetus codex regius & Colbert. *Deus non velit*. Recentior regius neque *noster* habet, neque *non*.

Clericos suos] Id est, in universum eos qui in clero constituti sunt, episcopos nimirum, presbyteros, diaconos & ceteros. Utrique enim clericorum appellatione intelliguntur, ut dictum est ad caput XXIX. Agobardi de dispensatione ecclesiasticarum rerum. Istud ipsum nos docet Martinus papa & martyr in epistola ad Theodorum: in qua narrans quomodo a Calliopa exarcho Roma adductus sit, ait inter cetera: *Sinite mecum venire ex clero qui necessarii mihi sunt, episcopus videlicet, presbyter & diaconus, & absolute qui mihi videntur*. Apud Sirmondum in collectaneis Anastasii p. 78.

Pag. 252. *Si vis esse perfectus*] Hunc locum Macherentinus omisit in sua editione.

Ibid. *Peram de Apostoli*] Sic edere visum est pro eo quod editiones habent *Pecuniam*. Prima tamen habet *Pedum*. Primus Pithœus reposuit *Pecuniam*: quæ lectio in codice ejus posita est supra lineam. Valde autem puto antiquitus illic scriptum fuisse *Peram*. In constituenda autem vera lectione secuti sumus auctoritatem veteris codicis regii. Tum necessariam esse illam emendationem colligitur ex his quæ præcesserunt.

Ibid. *Sacerdotibus*] Indignatur Salvianus esse episcopos quosdam qui res ac facultates suas aliis donabant quam ecclesiæ, id summopere curantes ut heredes relinquerent divites. Rursum in libro sequenti pag. 282. & sequentibus invehitur in religiosos, in quorum numerum veniunt & episcopi, quod cum illi filios aut cognatos non haberent quibus facultates suas tribuerent, malebant eas relinquere extraneis heredibus quam ecclesiis. Codex canonum ecclesiæ Africanæ cap. LXXXI. *Item constitutum est ut si quis episcopus heredes extraneos a consanguinitate sua, vel hæreticos etiam consanguineos, aut paganos, ecclesiæ prætulerit, saltem post mortem anathema ei dicatur, atque ejus nomen inter Dei sacerdotes nullo modo recitetur*. Hujus canonis mentionem injecit in collatione V. Concilii V. Sextilianus episcopus Tuniensis, vicem agens Primosi episcopi Carthaginiensis: *Doceo sanctum vestrum concilium quod anterioribus temporibus in nostra provincia multi episcopi congregati, & quædam de diversis caussis ad ecclesiasticum statum pertinentibus disponentes, statuerunt de episcopis defunctis qui hæreticis suas facultates relinquunt, ita ut post mortem anathemati subjiciantur*. Respexit nihilominus etiam ad canonem XXII. ejusdem collectionis Africanæ, qui sic habet: *Et ut in eos qui catholici Christiani non sunt, etiam si consanguinei fuerint, per donationes rerum suarum episcopi vel clerici nihil conferant*. Vide rursum canonem XXXII. ejusdem collectionis.

Pag. 257. *Laborarem fortasse*] Sic habent duo codices regii & editio Pithœi: prorsus bene. Antea legebatur: *Laborarem fortasse intra me, vincerem opiniones meas cet.*

Pag. 258. *Elementa ipsa*] In vetusto codice regio sic scriptum est: *Cumque natura ipsa & elementa mundi*. In recentiori vero: *Cumque elementa mundi & ipsam naturam Dominus cet.*

Ibid. *Et laqueum*] Hæc addita sunt ex veteri exemplari regio & ex Colbertino. Exstant autem apud D. Paullum.

Ibid. *Catena*] Ita veteres libri & editiones, uno excepto recentiore regio, in quo scriptum est *laqueus*.

Pag. 259. *Ipsa emendatio*] Antea legebatur *ipsum commercium*. Sed ista lectio quam & editio Pithœi & regii codices exhibent, nunc demum visa est melior propter præcedentia.

Pag. 261. *Ipsi diviti*] Veteres libri, *ipsi domino*.

Pag. 262. *Extorrem*] In recentiori codice regio scriptum est *exsortem*.

Ibid. *Omnes enim*] Hæc quæ sequuntur, usque ad vocem *scilicet*, desunt in utroque codice regio & in Colbertino, ubi sic legitur: *sed novo & crudelissimo, scilicet ubi in exsilium* cet.

Ibid. *Hostes sunt*] Alias, secuti auctoritatem editionum, scripseramus: *Illi enim corporum tantum hostes sunt, vos spirituum: illi tantum artuum, vos & animarum*. Nunc vero, sequentes consensum veterum codicum, qui voces illa *vos spirituum illi tantum artuum* expungunt, nos quoque illas expunximus, quod aperte videantur non esse Salviani.

AD LIBRUM TERTIUM.

Pag. 266. *Ac ferendi*] Desunt ista in recentiore codice regio & in Colbertino.

Pag. 268. *Aut etiam ut tibi*] In utroque codice regio desunt ea quæ sequuntur usque ad voces illas, *Sed de iis* cet. Desunt etiam in Colbertino.

Ibid. *Congerat*] Antea legebatur *consulat*, ut in antiquis editionibus. Consensus veterum librorum effecit, ut aliam lectionem præferremus.

Ibid. *Pignora alia*] Ergo pignorum vocabulo alii intelliguntur præter liberos. Quod constat etiam ex pagina sequenti; ubi in pignorum numero ponuntur parentes, fratres, conjuges, propinqui & affines.

Pag. 269. *Qui suos ipsos*] Antea legebatur *ipse*. Emendatum est ex codice regio.

Ibid. *Filii offeruntur Deo*] Vide supra in notis ad pag. 243.

Ibid. *Omn. fil. postponuntur*] Hieronymus in epistola ad Demetriadem de virginitate servanda: *Qui religiosiores sibi videntur, parvo sumtu & qui vix ad alimenta sufficiat, virginibus dato, omnem censum in utroque sexu sæcularibus liberis largiuntur. Quod nuper in hac urbe dives quidam fecit presbyter, ut duas filias in proposito virginali inopes relinqueret, & aliorum ad omnem copiam filiorum luxuriæ atque deliciis provideret*.

Ibid. *Filiis religiosis*] Id est, qui sæculum reliquerunt, sive monachi facti sint, sive in clero constituti. Nam utrosque tum religiosorum vocabulo intelligebant, uti observatum est ad librum I. de gubernatione Dei. Porro sequenti etiam sæculo religiosos in Gallia nostra dictos fuisse illos qui in clero erant, patet ex canone II. concilii Lugdunensis II. & ex canone X. concilii V. Parisiensis.

Pag. 270. *Cum aut tenues*] Hæc, usque ad *tanto inferiores*, desunt in codicibus regiis & in Colbertino.

Ibid. *Pauperes a se fiunt*] Julianus Pomerius lib. II. de vita contemplativa cap. XI. *Clerici quoque quos pauperes aut voluntas aut nativitas fecit, cum perfectione virtutis vitæ necessaria, sive in domibus suis sive in congregatione viventes, accipiunt*. Ex hoc loco patet clericorum alios voluntate pauperes fuisse, alios nativitate. Quod etiam colligitur ex cap. XXXII. collectionis Africanæ: *Item placuit ut episcopi, presbyteri, diaconi, vel quicumque clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore episcopatus vel clericatus sui agros vel quæcumque prædia*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.



nomine suo comparant, tamquam verum dominicarum A *invasionis crimine teneantur.* Vetus itaque ecclesia in clerum cooptabat eos qui omnibus facultatibus destituti erant: nimirum juxta legem Constantini imperatoris, qui eos tantum in clericorum loca subrogari sancivit qui fortuna tenues neque muneribus civilibus tenentur obstricti, id est, quibus non sit ea opulentia facultatum quæ publicas functiones facillime queat tolerare. *L. 3. & 6. cod. Theodos. de episc. & clericis.* Rationem autem istius constitutionis in fine aperit his verbis: *Opulentos enim sæculi subire necessitates oportet, pauperes ecclesiarum divitiis sustentari.* Disciplinæ istius memoria exstat etiam in capitulis Jesse episcopi Ambian. cap. VI. *Sexto ut diligenter resciatis post ordinatio-* B *nem uniuscujusque presbyteri quantum quisque profecerit in suo ministerio: quia qui ante ordinationem pauperes fuerunt, post ordinationem vero de rebus, cum debuerant ecclesiis servire, emunt sibi alodium cet.* Hodie ea disciplina immutata est, nemoque ad sacerdotium promovetur quin prius episcopo constet eum non indigere rebus ad vitam commode transigendam necessariis, & pauperes vulgo non admittuntur in clero.

Pag. 271. *Magis pios*] Vox *magis* deest in recentiori codice regio & in Colbertino.

Pag. 273. *Patronæ liberalitatis*] Antea legebatur: *Tantum eis interdum gratiæ patroni liberalitas impertit.* Sed hanc lectionem respuendam nunc esse C censuimus, quia codices regii & Colbertinus summo consensu habent *patronæ liberalitatis*.

Pag. 275. *Filios non habentes*] Hinc ergo patet fuisse tum genus hominum in ecclesia qui liberis non dabant operam, & quos prolem non habituros constabat statim ac certum vitæ genus profitebantur quod tum in usu erat. In hoc numero erant clerici, monachi & sanctimoniales. Unde rursum colligitur vehementer errare Baleum, qui cælibi vitæ intonavit auctoritate ex Salviano sumta, uti dictum est supra in notis ad p. 155. Hieronymus in libro adversus Vigilantium: *Quid facient orientis ecclesiæ, quid Ægypti & sedis apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt aut continentes; aut* D *si uxores habuerint, mariti esse desistunt?*

Ibid. *Quia fil. diligitis*] Hæc est lectio codicis Colbertini. In regiis autem legitur: *quia filios diligatis*: nisi quod pro *quia* recentior regius habet *qui*.

Ibid. *Cunctis animas*] Editiones, *cunctis suas animas*. Verum vox *suas* deest in omnibus antiquis exemplaribus.

Pag. 276. *Id est, quod præp.*] Hæc verba usque ad *Sed ostendi* desunt in codicibus regiis & Colbertino.

Ibid. *Esse mandata * nec interesse*] Quæ hoc loco interjacent, ea in nullo veterum exemplarium exstant quibus nos utimur. Quo factum est ut ea sustulerimus in secunda editione. Nunc vero cum E ea reperiamus in ea quam Joannes Sichardus publicavit, quæ est omnium prima, & non sint indigna Salviano; placuit illa revocare in textum. Duplex haud dubie fuit editio horum librorum etiam ævo Salviani: prior in qua segmentum illud & alia nonnulla de quibus infra non exstabant, ex qua derivata sunt exemplaria nostra; alia in quibus exstabant. Sic apud Lactantium, exempli caussa, nonnulla desunt in quibusdam codicibus quæ propterea nonnulli censuerunt non esse Lactantii, quamvis illius esse & stilus & alii codices ostendere satis abunde videantur.

Pag. 278. *Hereditare morientes*] In codicibus regiis & in Colbertino sic omnino habet hic locus: *hereditare morientes. Oportet quippe cet.* Reliqua quæ interjacent, non exstant in codicibus regiis, neque in Colbertino.

Ibid. *Reddere siquidem*] Hunc locum avide, ut solent adversarii nostri, arripuit Rittershusius ut ostenderet Salvianum sensisse quod defunctis non possint superstitum bona opera prodesse ad resarcienda illa in quibus ipsi sibi defuerint. Quam autem falsus in hoc loco sit, patet vel ex sequentibus Salviani verbis: *Flammæ infelicium mortuorum divitiis non refrigerantur heredum.* Loquitur enim heic de his qui æternis suppliciis addicti sunt, quibus preces orationesque superstitum inutiles esse etiam nos fatemur.

Pag. 280. *Unius sunt nominis*] In recentiori codice regio scriptum est: *Unius sunt omnes facultatis. Caveant* cet.

Pag. 282. *Non tam heredibus*] Verba hæc, *non tam heredibus consulunt quam sibi obsunt*, desunt in codicibus regiis & in Colbertino.

Pag. 283. *Sicut scriptum est*] Hæc & sequentia usque ad *Nec interest* in pagina sequenti, desunt in codicibus regiis & in Colbertino, nec minus tamen absque iis constare lectionem monuit Pithœus. Quia tamen hæc sensum bonum reddunt, noluimus expungere. Illud admonuisse sufficiat sic utrobique scriptum esse: *pretium suæ redemtionis addicunt; nec interest pæne jam apud homines cet.*

Pag. 284. *Ad jumenta*] Recte monuit Pithœus fortasse rectius ita legendum hoc loco esse, *si ad eos ut jumenta*, vel *ut adjumenta*.

Ibid. *Passio pertineret*] Heic describenda sunt ea quæ Petrus Pithœus adnotavit ad hunc locum; quæ sic habent: *Corruptus est hic locus in ceteris aliis editionibus, Basiliensi prima excepta, ex qua ita restituendus est*, nec malorum passio perveniret. *At* illud acerbum atque intolerabile, *eodem plane sensu. Nos vero cum destitueremur hoc loco veteris codicis auxilio, nec illius primæ editionis Basiliensis copia suppeteret, ita supplendum non omnino ἀπροσδιονύσως conjeceramus.* Huc usque Pithœus. In codicibus regiis legitur ut in Pithœana editione.

Pag. 285. *Parentem meum*] Id est, propinquum, non parent. Proprie parentum vocabulo intelligimus patrem ac matrem. Hieronymus in libro II. adversus Rufinum: *Illud vero ridiculum quod post triginta annos ad parentes se reversum esse jactat, homo qui nec patrem habet nec matrem; & quos viventes juvenis dereliquit, mortuos desiderat. Nisi forte parentes militari vulgarique sermone cognatos & affines nominat.* Ætate Salviani certum est parentum vocabulo comprehensos fuisse etiam cognatos & affines.

Ibid. *Honoratior in morte*] Erasmus in exsequiis Seraphicis: *Non sentiunt exanimes. Sed tamen viventes imaginatione quadam futuræ pompæ voluptatem aliquam ac fructum percipiunt.*

Pag. 286. *Dicatur futura*] In aliis editionibus legitur *dicatur bona æterna futura*. Sed *bona æterna* non exstant in antiquis exemplaribus calamo exaratis, & supervacanea esse docent sequentia.

Ibid. *Officialium*] Editiones habent *officialium atque apparitorum*. Verum codices antiqui non habent voces *atque apparitorum*, quæ certe sunt superfluæ.

Pag. 287. *Funestato te*] In editione Pithœi sic habet hic locus: *Et mirum est quod hoc ipsum finis ut te non jam funestato aliquid de tuo habeat: jam exportato atque tumulato.* In vetusto autem codice regio sic: *Et mirum est q. h. i. finis, & jam non funestato te tua habeat: jam exportato at-*

que tumulato. Rectius ergo fortassis codex regius A recentior, qui sic habet: *Et mirum e. q. h. i. f. ut funestato te tua habeat, nisi etiam jam exportato atque tumulato*. Rittershusius existimaverat inutilem hoc loco esse particulam negativam.

Ibid. *Verum est*] In editionibus sequitur, *ac rectum putas*. Verum cum his careant omnes libri veteres, & necessaria non sint, hinc sustulimus. Ajebat autem Ritterhusius legendum postea esse, ut sensus constet, *nec rationabilem curam abnuo*, pro eo quod editiones habent *nec inrationabilem*. Itaque visum est admoneri debere conjecturam ejus confirmari auctoritate recentioris codicis regii.

Ibid. *Qui tibi usum rer.*] Antea legebatur, *qui tibi in vita ista usum rerum*. Nos secuti veteres li- B bros, in quibus desiderantur voces *in vita ista*, illas delevimus.

Pag. 289. *Sacræ repromiss*] Ita libri veteres. In editionibus vero scriptum est *dominicæ*.

Ibid. *Profluæ largit.*] Admonet Pithœus legendum esse *superfluæ largitatis*.

Ibid. *Magnis fenerat.*] Antea legebatur *magis*, ut in veteri codice regio. Sed quia in reliquis scriptum est *magnis*, & Pithœus admonuit isthic ita reponendum esse, sequi placuit judicium viri doctissimi.

Pag. 290. *Vel p. b. merearis*] Hæc desunt in antiquis codicibus.

Ibid. *Injiciaris*] Veteres libri, *eneceris*.

Ibid. *Ut non omn. modis*] Hæc verba, usque ad illa *quæ hæc non agis*, desunt in antiquis codicibus, qui sic omnino habent: *Quid ergo, ut dixi, caussæ est quod hæc non agis?*

Pag. 292. *Vide f. e. t. d. nostri*] Hæc absunt a vetustis codicibus.

Pag. 293. *Et a t.... i.... petere*] Et hæc quoque absunt a vetustis codicibus.

Ibid. *Tibi anxios*] Rursum hæc non exstant in codicibus manuscriptis.

Pag. 294. *Ac precatur*] Desunt quoque ista in eisdem codicibus.

Ibid. *Et recte*] Et hæc quoque absunt ab eisdem codicibus.

Pag. 295. *Blandimenta eorum*] Tacitus in libro I. historiarum: *Blanditiæ, pessimum veri affectus venenum*. Arnulphus episcopus Lexoviensis in epistola ad Henricum II. regem edita in tomo II. Spicilegii Dacheriani pag. 497. *Meliora sunt vere diligentis severa consilia, quam fallax assentatio blandientis*.

Ibid. *Obsequelas*] Verbum ab obsequendo deductum, quod a Plauto usurpatum est alicubi, & a Marcello memoriali in epistola ad Severianum & Julianum, quæ præfigi solet gestis collationis Carthaginiensis: *Ad omnem quippe delegati muneris obsequelam* cet. Simile huic vocabulum exstat apud Ruricium episcopum Lemovicensem in epistola XIII. E libri II. ubi vulgo legitur *vestra in Domino custodiat insequilla*, cum legendum sit *insequela*. Fuere enim ea tempora quibus librarii in se trahebant auctoritatem orthographiæ; & cum hujusmodi vocabula incidebant, ea declinare paullulum faciebant a sua origine. Exemplo sint voces *querela* & *parentela*; quarum illa in veteri collectione canonum & in vetustissimis membranis codicis Theodosiani quæ exstant Parisiis in bibliotheca monasterii sancti Germani de Pratis, scripta est *quærilla*, altera vero in libro legis Salicæ tit. LXIII. c. I. *parentilla*. Sic etiam in monastico Anglicano to. I. p. CXXII. *sub dominio ac potestate parentillæ meæ*. Sunt etiam multa alia exempla.

AD LIBRUM QUARTUM.

Pag. 296. *Neque mirum e. ut eis*] Ita omnes libri veteres. At editiones habent, *neque mirum est si eis*.

Pag. 297. *Habitu magis*] Hinc patet eos qui sæculum relinquebant, clericos videlicet, monachos & sanctimoniales, habuisse vestes diversas a vestitu ceterorum hominum, ut etiam hoc agendi modo probarent renuntiasse se pompis & oblectamentis sæculi. Supra lib. IV. de gubernatione pag. 74. *Ubi enim quis mutaverit vestem, mutat protinus dignitatem*. Lib. VIII. pag. 190. *Non sine caussa itaque istud fuit quod inter Africæ civitates, & maxime intra Carthaginis muros, palliatum & pallidum & recisis comarum fluentium jubis usque ad cutem tonsum videre tam infelix ille populus quam infidelis sine convicio atque exsecratione vix poterat*. Infra hoc lib. VI. pag. 304. *Induat sibi quamvis quilibet habitum sancti nominis*. Hieronymus in epistola ad Demetriadem de virginitate servanda, eam laudat quod pro gemmis & serico & exquisitis epulis appetierit *jejuniorum laborem, asperitatem vestium, victus continentiam*, & quod *omnem corporis cultum & habitum sæcularem quasi propositi sui impedimenta* projecerit, ut *vili tunica* indueretur & *viliori pallio* tegeretur.

C Pag. 298. *Sufficit, inquit p.*] Hæc omnia usque ad hæc verba, *Cur eam non dixit cani in pueritia*, desunt in antiquis codicibus.

Pap. 303. *Nudus f. e. n. op. me*] Hæc non exstant in antiquis codicibus.

Ibid. *Ubi ergo sunt*] Editio Pithœi: *Ubi sunt ergo illi qui*. Veteres libri: *Ubi sunt qui dicunt* cet.

Pag. 304. *Licet de c..... esse videaris*] Absunt hæc a codicibus antiquis.

Ibid. *Habitum sancti nominis*] Vide nota ad pagg. 74. & 297.

Pag. 305. *Servus enim*] Hæc verba, usque ad *grandia specie*, desunt in omnibus antiquis codicibus, qui sic legunt: *sponsionis: grandia specie* cet.

D Pag. 308. *Salgamentarius*] Codex regius recentior & Colbert. *salgamarius*.

Pag. 309. *Omnes rei veniabiles*] Titus Livius lib. XXVIII. *Ingenia humana sunt ad suam cuique levandam culpam nimio plus facunda*. Vellejus Paterculus libro II. *Adeo familiare est hominibus omnia sibi ignoscere*.

Ibid. *Conversionis*] In recentiori codice regio scriptum est *conversationis*.

Pag. 310. *Postremo quom. rer.* cet. *non vis*] Hæc addita sunt ex libris nostris.

Ibid. *Illud necesse est*] Hæc desunt in omnibus antiquis exemplaribus.

Ibid. *In vita.... dono*] Hæc quoque desunt in antiquis codicibus.

Pag. 312. *Displicebit*] *Reperias enim*, ut Tacitus ait in IV. annalium libro, *qui ob similitudinem morum aliena malefacta sibi objectari putent. Etiam gloria ac virtus infensos habet, ut nimis ex propinquo diversa arguens*. Hieronymus in epistola ad Rusticum: *Scio me offensurum esse quam plurimos qui generalem de vitiis disputationem in suam referunt contumeliam*. Sulpicius Severus in libro II. sacræ historiæ, loquens de Nerone: *Quippe semper inimica virtutibus vitia sunt, & optimi quique ab improbis quasi exprobrantes aspiciuntur*.

Ibid. *Hominibus, si loquuntur*] Vide supra in notis ad pag. 104.

Sæcul. V.
circa
Ann. Chr.
445.



APPENDIX

ACTORUM VETERUM QUORUM IN NOTIS AD SALVIANUM PAG. 243. FACTA MENTIO EST.

Traditio Petri de sancto Claro ad Canonicam Cadurcensem.

Ex veteri chartulario ecclesiæ Cadurcensis.

EGo Geraldus Ugo de sancto Claro & uxor mea Arsennis damus hunc filium nostrum Petrum Deo & protomartyri Stephano Caturcensis ecclesiæ, ut regulariter sub canonica norma serviat ibi omni tempore vitæ suæ. Et damus pro eo matri ecclesiæ Caturcis unum mansum optimum qui est in parrochia de Linars, & dicitur Murat. Et proveniet ex illo manso ad usum canonicorum omnis A omnino census qui inde egreditur, id est, duo porci optimi, & unus aries, & unus agnus, & duo [1] convia per singulos annos, unum quoque cum quinque militibus & famulo uno post natale Domini, & alterum mense Augusto. Et omnis justitia & omnis vestitio & omnis mutatio sit illis in dominio omni tempore. Et Geraldus, qui istud fieri præcepit, & Ugo filius ejus, & W. filius ejus.

Traditio Guillelmi de Carbonarias ad monasterium Tutelense.

Ex chartulario ecclesiæ Tutelensis.

DOnum pro domno Guillelmo Abbate. Notum sit omnibus præsentibus & futuris quod Unia uxor Rigaldi de Carbonarias dedit Deo & sancto Martino & nobis monachis Tutelensibus cum filio suo Willelmo, in die quo fecit eum monachum, tres mansos a Montusclant cet. Hæc oblatio de puero simul & de rebus quæ sunt v. mansi, factum est in dominica passionis Christi, & in die B solemnitatis beati Benedicti. S. Fratribus suis Arcambaldo vicecomiti, Ebali, & Bernardi. S. Rotberganæ matris suæ coram astante. S. filiis suis Girberto de Carbonarias & Bernardo fratre ejus.

Traditio Eliæ de Navis ad monasterium Tutelense.

Ex chartulario ecclesiæ Tutelensis.

EGo frater Galterius de Navis offero hunc puerum fratrem meum nomine Eliam cum oblatione in manu atque petitione altaris palla manum ejus involutam ad nomina sanctorum quorum heic reliquiæ continentur, & Abbatis præsentis, trado coram testibus regulariter permansurum; ita ut ab hac die non liceat illi collum excutere de sub jugo regulæ, sed magis eidem regulæ fideliter se cognoscat instituta servare, & Domino cum ceteris gratanti animo militare. Et ut hæc petitio firma permaneat, manu propria firmavi, testibusque tradidi roborandam. Dono quoque cum ipso medietatem mansi de Marceil, quem habebam de sancto Martino, & omnia quæ ad medietatem ipsius mansi pertinent, annuente matre mea Beatrice & fratribus meis, videlicet Bernardo, Willelmo & Petro. Donamus etiam similiter denarium servitutis quem habebamus in Stephano Bernardo de Fraissengas. Hoc autem factum est anno ab Incarnatione Domini MXCVIIII. Indictione VII. regnante Philippo rege.

1. *Convia*] Id est, convivia. Sic lib. VII. Capitular. cap. CCLXXX. pro eo quod alii codices habent *conviviis utuntur*, regius legit *conviis*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

VINCENTII LIRINENSIS COMMONITORIUM.

P.315.

INCIPIT * TRACTATUS PEREGRINI

pro catholicæ fidei antiquitate & universitate, adversus profanas omnium hæreticorum novitates.

I. DIcente scriptura & monente, *[a] *Interroga patres tuos, & dicent tibi; seniores tuos, & adnuntiabunt tibi*; & item, [b] *Verbis sapientium adcommoda aurem tuam*; & item, *[c] *Fili mi, hos sermones ne oblivifcaris, mea autem verba custodiat cor tuum*; videtur mihi minimo omnium servorum Dei Peregrino, quod res non minimæ utilitatis Domino adjuvante futura sit, si ea quæ fideliter a sanctis patribus accepi litteris comprehendam, infirmitati certe propriæ pernecessaria; quippe cum adsit in promtu unde imbecillitas memoriæ meæ adsidua lectione reparetur. Ad quod me negotium non solum fructus operis, sed etiam consideratio temporis & opportunitas loci adhortatur. * Tempus; propterea quod cum ab eo omnia humana rapiantur, & nos ex eo aliquid * invicem rapere debemus quod in vitam proficiat æternam; præsertim cum & appropinquantis divini judicii terribilis quædam exspectatio augeri efflagitet studia religionis, & novorum hæreticorum fraudulentia multum curæ & attentionis indicat. Locus autem; quod * urbium frequentiam turbasque vitantes, * remotioris villulæ, & in ea secretum monasterii incolamus habitaculum, ubi absque magna distractione fieri possit illud quod canitur in psalmo: [d] *Vacate*, inquit, *& videte quoniam * ego sum Dominus*. Sed & propositi nostri ratio in id convenit, quippe qui cum aliquamdiu variis ac tristibus * sæcularis militiæ turbinibus volveremur, tandem nos in * portum religionis, cunctis semper fidissimum, Christo adspirante condidimus; ut ibi depositis * vanitatis ac superbiæ flatibus, Christianæ humilitatis sacrificio placantes Deum, non solum præsentis vitæ naufragia, sed etiam * futuri sæculi incendia vitare possimus. Sed jam in nomine Domini quod instat adgrediar, ut scilicet a majoribus tradita & apud nos deposita describam relatoris fide potius quam auctoris præsumtione; hac tamen scribendi lege servata, ut nequaquam omnia, sed tantum necessaria quæque perstringuam, neque id ornato & exacto, sed facili communique sermone, ut pleraque significata potius quam explicata videantur. Scribant ii laute & accurate, qui ad hoc munus vel ingenii fiducia vel officii ratione ducuntur. Me vero sublevandæ recordationis vel potius oblivionis meæ gratia * Commonitorium mihimet parasse suffecerit: quod tamen paullatim, recolendo quæ didici, emendare & implere quotidie, Domino præstante, conabor. Atque hoc ipsum idcirco præmonui, ut si forte elapsum nobis, in manus * sanctorum devenerit, nihil in eo temere reprehendant, quod adhuc videant promissa emendatione limandum.

(Margin: A; P.316. beside "tem; quod * urbium"; B beside "* Tempus"; C beside "tristibus"; D beside "plicata videantur")

II. Sæpe igitur magno studio & summa adtentione perquirens a quam plurimis sanctitate & doctrina præstantibus viris, quonam modo possim certa quadam & quasi generali ac regulari via catholicæ fidei veritatem ab hæreticæ pravitatis falsitate discernere; hujusmodi semper responsum ab omnibus fere retuli: quod sive ego sive quis alius vellet exsurgentium hæreticorum fraudes deprehendere, laqueosque vitare & in fide sana sanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem suam, Domino adjuvante, deberet; primum scilicet divinæ legis auctoritate, tum deinde ecclesiæ catholicæ traditione. Heic forsitan requirat aliquis: Cum sit perfectus scripturarum canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat; quid opus est ut ei ecclesiasticæ intelligentiæ jungatur auctoritas? Quia videlicet scripturam sacram pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur; ut pæne quot homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse videantur. Aliter namque illam * Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arrius, Eunomius, Macedonius; aliter Photinus, Apollinaris, Priscillianus; aliter Jovinianus, * Pelagius, Cælestius; aliter postremo Nestorius. Atque idcirco multum necesse est, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticæ & apostolicæ interpretationis linea secundum ecclesiastici & catholici sensus normam dirigatur. In ipsa item catholica ecclesia magnopere curandum est ut id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est etenim vere proprieque catholicum: quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia fere universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur quam tota per orbem terrarum confitetur ecclesia: antiquitatem vero ita, si ab his sensibus nullatenus recedamus quos sanctos majores ac patres nostros celebrasse manifestum est: consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium vel certe pæne omnium * sacerdotum pariter & magistrorum definitiones sententiasque sectemur.

(Margin: P.317. beside "ctrina præstantibus viris"; P.318. beside "sequamur universitatem")

III. Quid igitur tunc faciet Christianus catholicus, si se aliqua ecclesiæ particula ab universalis fidei communione præciderit? Quid utique, nisi ut pestifero corruptoque membro sanitatem universi corporis anteponat? Quid, si novella aliqua contagio non jam portiunculam tantum, sed totam pariteecclesiam commaculare conetur? Tunc item provi

a Deut. XXXII. 7. b Eccli. VI. 33. c Prov. III. 1. d Psalm. XLV. 11.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

debit ut antiquitate inhæreat, quæ prorſum jam non poteſt ab ulla novitatis fraude ſeduci. Quid ſi in ipſa vetuſtate, duorum aut trium hominum, vel certe civitatis unius, aut etiam provinciæ alicujus error deprehendatur? Tunc omnino curabit ut paucorum temeritati vel inſcitiæ ſi qua ſunt univerſaliter antiquitus * univerſalis concilii decreta præponat. Quid ſi tale aliquid emergat ubi nihil hujuſmodi reperiatur? Tunc operam dabit ut conlatas inter ſe majorum conſulat interrogetque ſententias, eorum dumtaxat qui diverſis licet temporibus & locis, in unius tamen eccleſiæ catholicæ communione & fide permanentes, magiſtri probabiles exſtiterunt; & quidquid non unus aut duo tantum, ſed omnes pariter uno eodemque conſenſu aperte, frequenter, perſeveranter tenuiſſe,
P.319. ſcripſiſſe, docuiſſe cognoverit, id ſibi quoque intelligat abſque ulla dubitatione credendum.

IV. Sed ut planiora fiant quæ dicimus, exemplis ſingillatim inluſtranda ſunt & paullo uberius exaggeranda; ne immodicæ brevitatis ſtudio rapiantur rerum pondera orationis celeritate. Tempore Donati a quo Donatiſtæ, cum ſe ſe multa pars Africæ in erroris ſui furias præcipitaret, cumque immemor nominis, religionis, profeſſionis, unius hominis ſacrilegam temeritatem eccleſiæ Chriſti præponeret; tunc quicumque per Africam conſtituti, profano ſchiſmate deteſtato, univerſis mundi eccleſiis adſociati ſunt, ſoli ex illis omnibus intra ſacraria catholicæ fidei ſalvi eſſe potuerunt; egregiam profecto relinquentes poſteris formam quemadmodum ſcilicet deinceps, bono more, unius aut certe paucorum veſaniæ univerſorum ſanitas anteferretur. Item quando * Arrianorum venenum non jam portiunculam quamdam, ſed pæne orbem totum contaminaverat, adeo ut prope cunctis Latini ſermonis epiſcopis partim vi partim fraude deceptis, caligo quædam mentibus offunderetur, quidnam potiſſimum in tanta rerum confuſione ſequendum foret; tunc quiſquis verus Chriſti amator & cultor exſtitit, antiquam fidem novellæ perfidiæ præferendo, nulla contagii ipſius peſte maculatus eſt. Cujus quidem temporis periculo ſatis ſuperque monſtratum eſt, quantum invehatur calamitatis novelli dogmatis inductione. Tunc ſiquidem non ſolum parvæ res, ſed etiam maximæ labefactatæ ſunt. Nec enim tantum adfinitates, cognationes, amicitiæ, domus, verum etiam urbes, populi, provinciæ, nationes, univerſum poſtremo Romanum imperium funditus concuſſum
P.320. & emotum eſt. Namque cum profana ipſa Arrianorum novitas, velut quædam Bellona aut furia, capto primo omnium imperatore, cuncta deinde palatii culmina legibus novis ſubjugaſſet; nequaquam deinceps deſtitit univerſa miſcere atque vexare, privata ac publica, ſacra profanaque omnia, nullum boni & veri gerere diſcrimen, ſed quoſcumque conlibuiſſet, tamquam de loco ſuperiore percutere. Tunc temeratæ conjuges, * depullatæ viduæ, profanatæ virgines, * monaſteria demolita, diſturbati clerici, verberati levitæ, acti in exſilium ſacerdotes, oppleta ſanctis ergaſtula, carceres, metalla: quorum pars maxima, interdictis urbibus, protruſi atque extorres, inter deſerta, ſpeluncas, feras, ſaxa, nuditate, fame, ſiti affecti, contriti & tabefacti ſunt. Atque hæc omnia numquid ullam aliam ob cauſſam, niſi utique dum pro cæleſti dogmate humanæ ſuperſtitiones introducuntur, dum bene fundata antiquitas A ſceleſta novitate ſubruitur, dum ſuperiorum inſtituta violantur, dum reſcinduntur ſcita patrum, dum convelluntur definita majorum, dum ſe ſe intra ſacratæ atque incorruptæ vetuſtatis caſtiſſimos limites profanæ ac novellæ curioſitatis libido non continet?

V. Sed forſitan odio novitatis, & amore vetuſtatis hæc fingimus. Quiſquis hoc æſtimat, beato ſaltem credat Ambroſio, qui in ſecundo ad imperatorem Gratianum libro acerbitatem temporis ipſe deplorans ait [1]: *Sed jam ſatis*, inquit, *omnipotens Deus noſtro exitio noſtroque ſanguine confeſſorum neces, exſilia ſacerdotum, & nefas tantæ impietatis* B *eluimus. Satis claruit eos qui violaverint fidem, tutos eſſe non poſſe*. Item in tertio ejuſdem operis
P.321. libro [2]: *Servemus igitur*, inquit, *præcepta majorum, nec hereditaria ſignacula auſi rudis temeritate violemus. Librum ſignatum illum propheticum non ſeniores, non poteſtates, non angeli, non archangeli aperire auſi ſunt: ſoli Chriſto explanandi ejus prærogativa ſervata eſt. Librum ſacerdotalem quis noſtrum * diſſignare audeat, ſignatum a confeſſoribus, & multorum jam martyrio conſecratum? quem qui diſſignare coacti ſunt, poſtea tamen damnata fraude ſignarunt; qui violare non auſi ſunt, confeſſores & martyres exſtiterunt. Quomodo fidem eorum poſſumus denegare quorum victoriam prædicamus?* * Prædicamus C plane, inquam, o venerande Ambroſi, prædicamus plane, laudanteſque miramur. Nam quis ille tam demens eſt qui eos, * etſi adſequi non evaleat, non exoptet ſequi, quos a defenſione fidei majorum nulla vis depulit, non minæ, non blandimenta, non vita, non mors, non palatium, non ſatellites, non imperator, non imperium, non homines, non dæmones; quos inquam pro religioſæ vetuſtatis tenacitate tanto munere Dominus dignos judicavit, ut per eos proſtratas reſtauraret eccleſias, exſtinctos * ſpiritales populos vivificaret, dejectas ſacerdotum coronas reponeret, nefarias illas novellæ impietatis non litteras, ſed lituras, infuſo cælitus epiſcopis fidelium lacrymarum fonte deleret, D univerſum poſtremo jam pæne mundum ſæva repentinæ hæreſeos tempeſtate perculſum ad antiquam fidem a novella perfidia, ad antiquam ſanitatem a novitatis veſania, ad antiquam lucem a novitatis cæcitate revocaret? Sed in hac divina quadam * confeſſorum virtute illud eſt etiam nobis vel maxime conſiderandum, quod tunc apud ipſam eccleſiæ vetuſtatem non partis alicujus, ſed univerſitatis ab iis eſt ſuſcepta defenſio. Neque enim fas P.322. erat ut tanti ac tales viri unius aut duorum hominum errabundas, ſibique ipſis contrarias ſuſpiciones tam magno molimine adſererent, aut vero pro alicujus provinciolæ temeraria quadam conſpiratione certarent; ſed omnium ſanctæ eccleſiæ ſacerdotum apoſtolicæ & catholicæ veritatis heredum de- E creta & definita ſectantes, maluerunt ſemet ipſos quam vetuſtæ univerſitatis fidem prodere. Unde & ad tantam gloriam pervenire meruerunt, ut non ſolum confeſſores, verum etiam confeſſorum principes jure meritoque habeantur.

VI. Magnum hoc igitur eorumdem beatorum exemplum planeque divinum, & veris quibuſque catholicis indefeſſa meditatione recolendum, qui in modum ſeptemplicis candelabri ſeptena ſancti Spiritus luce * radiantes, clariſſimam poſteris * formulam præmonſtrarunt, quonam modo deinceps per ſingula quæque errorum vaniloquia ſacratæ vetuſta-

1. Ambr. lib. II. de fide cap. iv. (nunc xvi. n. 141.)

2. Ibid. lib. III. cap. vii. (nunc xv. n. 128.)

tis auctoritate profanæ novitatis conteratur auda- A cia. Neque hoc sane novum. Siquidem mos iste semper in ecclesia viguit ut quo quisque foret religiosior, eo promtius novellis adinventionibus contrairet. * Exemplis talibus plena sunt omnia. Sed ne longum fiat, unum aliquod, & hoc ab * apostolica potissimum sede, sumemus, ut omnes luce clarius videant beatorum * Apostolorum beata successio quanta vi semper, quanto studio, quanta contentione defenderit susceptæ semel religionis integritatem. Quondam igitur venerabilis memoriæ * Agrippinus Carthaginiensis episcopus, primus omnium mortalium * contra divinum canonem, contra universalis ecclesiæ regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem atque in- B
P.323. stituta majorum, rebaptizandum esse censebat. Quæ præsumtio tantum mali invexit, ut non solum hæreticis omnibus formam sacrilegii, sed etiam quibusdam catholicis occasionem præbuerit erroris. Cum ergo undique ad novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquaversum sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur, tunc beatæ memoriæ papa Stephanus apostolicæ sedis antistes, cum ceteris quidem collegis suis, sed tamen * præ ceteris restitit, dignum, ut opinor, existimans si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum * loci auctoritate superabat. Denique * in epistola quæ tunc ad Africam missa est, his verbis sanxit: NIHIL NOVANDUM NISI QUOD TRADI- C TUM EST. Intelligebat etenim vir sanctus & prudens nihil aliud rationem pietatis admittere nisi ut omnia, qua fide a patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur, nosque religionem, non qua vellemus ducere, sed potius qua illa duceret sequi oportere; idque esse proprium Christianæ modestiæ & gravitatis, non sua posteris tradere, sed a majoribus accepta servare. Quis ergo tunc universi negotii exitus? Quis utique nisi usitatus & solitus? Retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas. Sed forte tunc ipsi novitiæ adinventioni patrocinia defuerunt? Immo vero tanta vis ingenii adfuit, tanta eloquentiæ flumina, tantus adsertorum numerus, tanta veri similitudo, tanta divinæ legis D oracula, sed plane novo ac malo more intellecta, ut mihi omnis illa conspiratio nullo modo destrui potuisse videatur nisi sola tanti moliminis caussa ipsa illa suscepta, ipsa defensa, ipsa laudata novitatis professio destituisset. Quid postremo ipsius
P.324. * Africani concilii sive decreti quæ vires? Donante Deo, nullæ; sed universa, tamquam somnia, tamquam fabulæ, tamquam superflua, * abolita, antiquata, calcata sunt. Et, o rerum mira conversio! Auctores ejusdem opinionis catholici, consectatores vero hæretici judicantur: * absolvuntur magistri, condemnantur discipuli conscriptores librorum filii regni erunt, adsertores vero gehenna suscipiet. Nam quis ille tam demens est qui illud E sanctorum omnium & episcoporum & martyrum lumen beatissimum Cyprianum cum ceteris collegis suis in æternum dubitet regnaturum esse cum Christo? Aut quis tam contra sacrilegus qui Donatistas & ceteras pestes, quæ illos auctoritate concilii * rebaptizare se jactitant, in sempiternum neget arsuros esse cum diabolo?

VII. Quod quidem mihi divinitus videtur promulgatum esse judicium propter eorum maxime fraudulentiam qui cum sub alieno nomine hæresim concinnare machinentur, captant plerumque veteris cujuspiam viri scripta paullo involutius edita, quæ pro ipsa sui obscuritate dogmati suo quasi congruant; ut illud nescio quid quodcumque proferunt, neque primi neque soli sentire videantur. Quorum ego nequitiam duplici odio dignam judico, vel eo quod hæreseos venenum propinare aliis non * pertimescunt, vel eo etiam quod sancti cujusque viri memoriam tamquam sopitos jam cineres profana manu ventilant, & quæ silentio sepeliri oportebat, rediviva opinione diffamant, sequentes omnino vestigia auctoris sui Cham, qui nuditatem venerandi Noe non modo operire neglexit, verum quoque inridendam ceteris enuntiavit. Unde tantam læsæ pietatis meruit offensam ut etiam posteri ipsius peccati sui maledictis obligarentur, beatis illis fratribus multum longeque dissimilis qui nuditatem ipsam reverendi patris neque suis temerare oculis neque alienis patere voluerunt, sed aversi, ut scribitur, texerunt eum: quod est erratum sancti viri nec adprobrasse nec prodidisse: atque idcirco beata in posteros benedictione donati sunt. Sed ad propositum redeamus. Magno igitur metu nobis immutatæ fidei ac temeratæ religionis piaculum pertimescendum est; a quo nos non solum constitutionis ecclesiasticæ disciplina, sed etiam censura apostolicæ deterret auctoritatis. Scitum enim cunctis est quam graviter, quam severe, quam vehementer invehatur in quosdam beatus Apostolus Paullus [a] qui mira levitate nimium cito translati fuerant ab eo qui eos vocaverat in gratiam Christi in aliud evangelium, quod non est aliud; qui [b] coacervarant sibi magistros ad sua desideria, a veritate quidem auditum avertentes, conversi vero ad fabulas; [c] habentes damnationem quod primam fidem irritam fecissent; quos deceperant ii de quibus ad Romanos fratres scribit idem Apostolus: [d] *Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos qui dissensiones & offendicula præter doctrinam quam ipsi didicistis, faciunt, & declinate ab illis. Hujusmodi enim Christo Domino non serviunt, sed suo ventri, & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.* [e] *Qui intrant per domos, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis quæ ducuntur variis desideriis; semper discentes, & ad scientiam veritatis numquam pervenientes.* [f] *Vaniloqui & seductores, qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia.* [g] *Homines corrupti mente, reprobi circa fidem:* [h] superbi, & nihil scientes, sed languentes circa quæstiones & pugnas verborum; [i] *qui veritate privati sunt, existimantes quæstum esse pietatem:* [k] simul autem & otiosi discunt circumire domos; non solum autem otiosi, sed & verbosi, & curiosi, loquentes quæ non oportet: [l] qui bonam conscientiam repellentes, circa fidem naufragaverunt: [m] quorum *profana vaniloquia multum proficiunt ad impietatem, & sermo eorum ut cancer serpit.* Bene autem quod de iis item scribitur: [n] *Sed ultra non proficient. Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit.*

P.325. (margin)

P.326. (margin)

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

VIII. Cum ergo tales quidam circumeuntes provincias & civitates, atque errores venalitios circumferendo, etiam ad Galatas devenissent, cumque his auditis Galatæ nausea quadam veritatis ad-

a Gal. I. 6. seqq. & III. 1. *b* II. Tim. IV. 3. 4. *c* I. Tim. V. 12. *d* Rom. XVI. 17. 18. *e* II. Tim. III. 6. 7. *f* Tit. I. 10. 11. *g* II. Tim. III. 8. *h* I. Tim. VI. 4. *i* Ibid. ℣. 5. *k* I. Tim. V. 13. *l* I. Tim. I. 19. *m* II. Tim. II. 17. *n* II. Tim. III. 9.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.



fecti, apostolicæ catholicæque doctrinæ manna removentes, hæreticæ novitatis sordibus oblectarentur, ita se se apostolicæ potestatis exseruit auctoritas, ut summa cum severitate decerneret: [a] *Sed licet nos, inquit, aut angelus de cælo evangelizet vobis, præter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*. Quid est quod ait: *Sed licet nos?* Cur non potius, *Sed licet ego?* Hoc est. Etiam si Petrus, etiam si Andreas, etiam si Joannes, etiam si postremo omnis Apostolorum chorus evangelizet vobis præter quam quod evangelizavimus, anathema sit. Tremenda districtio, propter adserendam primæ fidei tenacitatem nec sibi nec ceteris coapostolis pepercisse: Parum est. *Etiam si angelus*, inquit, *de cælo evangelizet vobis, præter quam quod evangelizavimus, anathema sit*. Non suffecerat ad custodiam traditæ semel fidei humanæ conditionis commemorasse naturam, nisi angelicam quoque excellentiam comprehendisset. *Licet nos*, P.327. inquit, *aut angelus de cælo*. Non quia sancti cælestesque angeli peccare jam possint; sed hoc est quod dicit: Si etiam, inquit, fiat quod non potest fieri, quisquis ille traditam semel fidem mutare tentaverit, anathema sit. Sed hæc forsitan perfunctorie prælocutus est, & humano potius effudit impetu quam divina ratione decrevit. Absit. Sequitur enim, & hoc ipsum ingenti molimine iteratæ insinuationis inculcat: *Si quis vobis evangelizaverit præter quam quod accepistis, anathema sit*. Non dixit: Si quis vobis adnuntiaverit præter quam quod accepistis, benedictus sit, laudetur, recipiatur; sed *anathema sit*, inquit, id est, separatus, segregatus, exclusus, ne unius ovis dirum contagium innoxium gregem Christi venenata permixtione contaminet.

IX. Sed forsitan Galatis ista tantum præcepta sunt. Ergo & illa solis Galatis imperata sunt quæ in ejusdem epistolæ sequentibus commemorantur: qualia sunt hæc: [b] *Si vivimus spiritu, spiritu & ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes*: & reliqua. Quod si absurdum est, & omnibus ex æquo imperata sunt; restat ut sicut hæc morum mandata, ita etiam illa quæ de fide cauta sunt omnes pari modo comprehendant; & sicut nemini licet invicem provocare aut invidere invicem, ita nemini liceat præter id quod ecclesia catholica usquequaque evangelizat accipere. Aut forsitan tunc jubebatur, si quis adnuntiasset præter quam quod adnuntiatum fuerat, anathematizari, nunc vero jam non jubetur. Ergo & illud quod item ibi ait, *Dico autem, spiritu ambulate, & desiderium carnis non perficietis*, tunc tantum jubebatur, modo vero jam non jubetur. P.328. Quod si impium pariter & perniciosum est ita credere, necessario sequitur ut sicut hæc cunctis ætatibus observanda sunt, ita illa quoque quæ de non mutanda fide sancita sunt cunctis ætatibus imperata sint. Adnuntiare ergo aliquid Christianis catholicis, præter id quod acceperunt, numquam licuit, nusquam licet, numquam licebit; & anathematizare eos qui adnuntiant aliquid præter quam quod semel acceptum est, numquam non oportuit, nusquam non oportet, numquam non oportebit. Quæ cum ita sint, est ne aliquis vel tantæ audaciæ qui præter id quod apud ecclesiam adnuntiatum est adnuntiet, vel tantæ levitatis qui præter id quod ab Ecclesia accepit accipiat? * Clamat, & repetendo clamat, & omnibus, & semper, & ubique per litteras suas clamat ille, ille vas electionis, ille magister gentium, ille Apostolorum tuba, ille terrarum præco, ille cælorum conscius, ut si quis novum dogma adnuntiaverit, anathematizetur. Et contra reclamant ranæ quædam & cyniphes & [c] muscæ morituræ, quales sunt Pelagiani. & hoc catholicis. Nobis, inquiunt, auctoribus, nobis principibus, nobis expositoribus, damnate quæ tenebatis, tenete quæ damnabatis, rejicite antiquam fidem, paterna instituta, majorum deposita; & recipite, Quænam illa tandem? Horreo dicere. Sunt enim tam superba ut mihi non modo adfirmari, sed ne refelli quidem sine aliquo piaculo posse videantur.

X. Sed dicet aliquis: Cur ergo persæpe divinitus sinuntur excellentes quædam personæ in ecclesia constitutæ res novas catholicis adnuntiare? Recta interrogatio & digna quæ diligentius atque uberius pertractetur: cui tamen non ingenio proprio, sed P.329. divinæ legis auctoritate, ecclesiastici magisterii documento satisfaciendum est. Audiamus ergo sanctum Moysen; & ipse nos doceat cur docti viri, & qui propter scientiæ gratiam ab Apostolo etiam prophetæ nuncupantur, proferre interdum permittantur nova dogmata, quæ vetus testamentum allegorico sermone deos alienos appellare consuevit, eo quod scilicet ita ab hæreticis ipsorum opiniones sicut a gentibus dii sui observentur. Scribit ergo in Deuteronomio beatus Moyses: [d] *Si surrexerit*, inquit, *in medio tui propheta, aut qui somnium vidisse se dicat*, id est, magister in ecclesia constitutus, quem discipuli vel auditores sui ex aliqua revelatione docere arbitrentur. Quid deinde? *& prædixerit*, inquit *signum atque portentum, & evenerit quod locutus est*. Magnus profecto nescio quis signatur magister, & tantæ scientiæ qui sectatoribus propriis non solum quæ humana sunt nosse, verum etiam quæ supra hominem sunt prænoscere posse videatur; quales fere discipuli sui jactitant fuisse Valentinum, Donatum, Photinum, Apollinarem, ceterosque ejusmodi. Quid postea? *& dixerit*, inquit, *tibi, Eamus, & sequamur deos alienos quos ignoras, & serviamus eis*. Qui sunt dii alieni nisi errores extranei quos ignorabas, id est, novi & inauditi? *& serviamus eis*, id est, credamus eis, sequamur eos. Quid ad extremum? *non audies*, inquit, *verba prophetæ illius aut somniatoris*. Et quare, oro te, a Deo non prohibetur doceri quod a Deo prohibetur audiri? *Quia*, inquit, *tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum, an non, in toto corde & in tota anima vestra*. Luce clarius aperta caussa est, cur interdum divina providentia quosdam P.330. ecclesiarum magistros nova quædam dogmata prædicare patiatur. *Ut tentet vos*, inquit, *Dominus Deus vester*. Et profecto magna tentatio est cum ille quem tu prophetam, quem prophetarum discipulum, quem doctorem & adsertorem veritatis putes, quem summa veneratione & amore complexus sis, * is subito latenter noxios subinducat errores, quos nec cito deprehendere valeas, dum antiqui magisterii duceris præjudicio, nec facile damnare fas ducas, dum magistri veteris præpediris affectu.

XI. Heic forsitan efflagitet aliquis ut ea quæ sancti Moysi verbis adserta sunt, ecclesiasticis aliquibus demonstrentur exemplis. Æqua expostulatio, nec diu differenda. Nam ut a proximis & manifestis incipiam, qualem fuisse nuper tentationem

a Gal. I. 8. *b* Gal. V. 25. 26. *c* Eccle. X. 1. *d* Deut. XIII. 1.

putamus, cum infelix ille Nestorius, subito ex ove A conversus in lupum, * gregem Christi lacerare cœpisset; cum eum hi ipsi qui rodebantur, ex magna adhuc parte ovem crederent, ideoque * morsibus suis magis paterent? Nam quis eum facile errare arbitrabatur quem tanto * imperii judicio electum, * tanto sacerdotum studio prosecutum videret; qui cum magno sanctorum amore, summo populi favore celebraretur, quotidie palam divina tractabat eloquia, & noxios quosque Judæorum & gentilium * confutabat errores? Quo tandem iste modo non cuivis fidem faceret se recta docere, recta prædicare, recta sentire, qui ut uni hæresi suæ aditum patefaceret, cunctarum hæreseon blasphemias insectabatur? Sed hoc erat illud quod Moyses ait: B *Tentat vos Dominus Deus vester, si diligatis eum, an non*. Et ut Nestorium prætereamus, in quo plus semper admirationis quam utilitatis,
P.331. plus famæ quam experientiæ fuit, quem opinione vulgi aliquamdiu magnum humana magis fecerat gratia quam divina; eos potius commemoremus qui multis profectibus multaque industria præditi non parvæ tentationi catholicis hominibus exstiterunt. Velut apud Pannonias majorum memoria Photinus ecclesiam Sirmitanam tentasse memoratur: ubi cum magno omnium favore in sacerdotium fuisset adscitus, & aliquandiu tamquam catholicus administraret, subito, sicut malus ille propheta aut somniator quem Moyses significat, creditam sibi plebem C Dei persuadere cœpit ut sequeretur deos alienos, id est, errores extraneos quos antea nesciebat. Sed hoc usitatum. Illud vero perniciosum, quod ad tantum nefas non mediocribus adminiculis utebatur. Nam erat & ingenii viribus valens & doctrinæ opibus excellens, & eloquio præpotens, quippe qui utroque sermone copiose & graviter disputaret & scriberet: quod monumentis librorum suorum manifestatur, quos idem partim græco, partim latino sermone composuit. Sed bene quod commissæ ipsi oves Christi multum pro catholica fide vigilantes & cautæ, cito ad præmonentis Moysi eloquia respexerunt, & prophetæ atque pastoris sui licet admirarentur eloquentiam, tentationem tamen D non ignorarunt. Nam quem antea quasi arietem gregis sequebantur, eumdem deinceps veluti lupum fugere cœperunt. Neque solum Photini, sed etiam Apollinaris exemplo istius ecclesiasticæ tentationis periculum discimus, & simul ad observandæ diligentius fidei custodiam commonemur. Etenim ipse auditoribus suis * magnos æstus & magnas generavit angustias; quippe cum eos huc ecclesiæ trahe-
P.332. ret auctoritas, huc magistri retraheret consuetudo, cumque inter utraque nutabundi & fluctuantes, quid potius sibi seligendum foret non expedirent. Sed forsitan ejusmodi ille vir erat, qui dignus esset facile contemni. Immo vero tantus ac talis, cui nimium cito in plurimis crederetur. Nam quid illo E præstantius, acumine, exercitatione, doctrina? Quam multas ille hæreses multis voluminibus oppresserit, quot inimicos fidei confutaverit errores, indicio est opus illud triginta non minus librorum, nobilissimum ac maximum, quos insanas Porphyrii calumnias magna probationum mole confudit. Longum est universa ipsius opera commemorare; quibus profecto summis ædificatoribus ecclesiæ par esse potuisset, nisi profana illa hæreticæ curiositatis libidine novum nescio quid adinvenisset, quo & cunctos labores suos velut cujusdam lepræ admixtione fœdaret, & committeret ut doctrina ejus non tam ædificatio quam tentatio potius ecclesiastica diceretur.

XII. Heic a me forsitan deposcatur, ut horum quos supra commemoravi hæreses exponam, Nestorii scilicet, Apollinaris & Photini. Hoc quidem ad rem de qua nunc agimus non attinet. Propositum etenim nobis est, non singulorum errores persequi, sed paucorum exempla proferre, quibus evidenter ac perspicue demonstretur illud quod Moyses ait: quia scilicet si quando ecclesiasticus aliquis magister, & ipse interpretandis prophetarum mysteriis propheta, novi quiddam in ecclesiam Dei tentet inducere, ad tentationem id nostram fieri providentia divina patiatur. Utile igitur fuerit, in excursu, quid supra memorati hæretici sentiant breviter exponere, id est, Photinus, Apollinaris, Nestorius. Photini ergo secta hæc est. Dicit Deum P.333. singulum esse & solitarium & more Judaico confitendum. Trinitatis plenitudinem negat, neque ullam Dei Verbi aut ullam Spiritus sancti putat esse personam. Christum vero hominem tantummodo solitarium adserit, cui principium adscribit ex Maria: & hoc omnimodis dogmatizat, solam nos personam Dei patris, & solum Christum hominem colere debere. Hæc ergo Photinus. Apollinaris vero in unitate quidem Trinitatis quasi consentire se jactitat, & hoc ipsum non plena fidei sanitate, sed in Domini incarnatione aperta professione blasphemat. Dicit enim in ipsa Salvatoris nostri carne aut animam humanam penitus non fuisse, aut certe talem fuisse cui mens & ratio non esset. Sed & ipsam Domini carnem non de sanctæ virginis Mariæ carne susceptam, sed de cælo in virginem descendisse dicebat; eamque nutabundus semper & dubius modo coæternam Deo Verbo, modo de Verbi divinitate factam prædicabat. Nolebat enim in Christo esse duas substantias, unam divinam, alteram humanam, unam ex patre, alteram ex matre; sed ipsam Verbi naturam putabat esse discissam, quasi aliud ejus permaneret in Deo, aliud vero versum fuisset in carnem; ut cum veritas dicat ex duabus substantiis unum esse Christum, ille contrarius veritati ex una Christi divinitate duas adserat factas esse substantias. Hæc itaque Apollinaris. Nestorius autem contrario Apollinari morbo, dum se se duas in Christo substantias distinguere simulat, duas introducit repente personas, & inaudito scelere duos esse vult filios Dei, duos Christos, unum Deum, alterum hominem, unum qui ex patre, alterum qui sit generatus ex P.334. matre. Atque ideo asserit sanctam Mariam non theotocon, sed christotocon esse dicendam: quia scilicet ex ea non ille Christus qui Deus, sed ille qui erat homo, natus sit. Quod si quis eum putat in litteris suis unum Christum dicere & unam Christi prædicare personam, non temere credat. Aut enim istud fallendi arte machinatus est ut per bona facilius suaderet & mala, sicut ait Apostolus: [a] *Per bonum mihi operatus est mortem*. Aut ergo, ut diximus, fraudulentiæ caussa quibusdam in locis scriptorum suorum unum Christum & unam Christi personam credere se jactitat, aut certe post partum jam virginis ita in unum Christum duas perhibet convenisse personas, ut tamen conceptus seu partus virginei tempore & aliquanto postea duos Christos fuisse contendat; ut cum scilicet Christus homo communis primum & solitarius natus sit, & necdum Dei Verbo personæ unitate sociatus, postea in

a Rom. VII. 13.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 445.

eum adsumentis Verbi persona descenderit; & licet A nunc in Dei gloria maneat adsumtus, aliquamdiu tamen nihil inter illum & ceteros homines interfuisse videatur.

XIII. Hæc ergo Nestorius, Apollinaris, Photinus adversus catholicam fidem rabidi canes latrant; Photinus, Trinitatem non confitendo; Apollinaris, convertibilem Verbi dicendo naturam, & duas in Christo substantias non confitendo, & aut totam Christi animam aut certe mentem atque rationem in anima denegando, & adserendo pro sensu mentis fuisse Dei Verbum; Nestorius duos Christos aut semper esse aut aliquamdiu fuisse adseverando. Ecclesia vero catholica & de Deo & de Salvatore B nostro recta sentiens, nec in Trinitatis mysterio nec P.335. in Christi incarnatione blasphemat. Nam & unam divinitatem in Trinitatis plenitudine & Trinitatis æqualitatem in una atque eadem majestate veneratur; & unum Christum Jesum, non duos, eumdemque Deum pariter atque hominem confitetur. Unam quidem in eo personam, sed duas substantias; duas substantias, sed unam credit esse personam: duas substantias, quia mutabile non est Verbum Dei, ut ipsum verteretur in carnem: unam personam, ne duos profitendo filios, quaternitatem videatur colere, non Trinitatem. Sed operæ pretium est, ut id ipsum etiam atque etiam distinctius & expressius enucleemus. In Deo una substantia, C sed tres personæ; in Christo duæ substantiæ, sed una persona. In Trinitate alius atque alius, non aliud atque aliud; in Salvatore aliud atque aliud, non alius atque alius. Quomodo in Trinitate alius atque alius, non aliud atque aliud? Quia scilicet alia est persona patris, alia filii, alia Spiritus sancti; sed tamen patris & filii & Spiritus sancti non alia & alia, sed una eademque natura. Quomodo in Salvatore aliud atque aliud, non alius atque alius? Quia videlicet altera substantia divinitatis, altera humanitatis; sed tamen deitas & humanitas non alter & alter, sed unus idemque Christus, unus idemque filius Dei, & unius ejusdemque Christi & filii Dei una eademque persona; sicut in homine D aliud caro, & aliud anima, sed unus idemque homo anima & caro. In Petro & Paullo aliud anima, aliud caro; nec tamen duo, Petri caro & anima; aut alter Paullus anima, & alter caro; sed unus idemque Petrus, unus idemque Paullus, ex duplici diversaque subsistens animi corporisque natura. Ita igitur in uno eodemque Christo duæ sub- P.336. stantiæ sunt; sed una divina, altera humana; una ex patre Deo, altera ex matre virgine; una coæterna & æqualis patri, altera ex tempore & minor patre; una consubstantialis patri, altera consubstantialis matri; unus tamen idemque Christus in utraque substantia. Non ergo alter Christus Deus, alter homo; non alter increatus, alter creatus; E non alter impassibilis, alter passibilis; non alter æqualis patri, alter minor patre; non alter ex patre, alter ex matre; sed unus idemque Christus Deus & homo, idem non creatus & creatus, idem incommutabilis & impassibilis, idem commutatus & passus, idem patri & æqualis & minor, idem ex patre ante sæcula genitus, idem in sæculo ex matre generatus, perfectus Deus, perfectus homo. In Deo summa divinitas, in homine plena humanitas. Plena, inquam, humanitas: quippe quæ animam simul habeat & carnem, sed carnem veram, nostram, maternam; animam vero intellectu præditam, mente ac ratione pollentem. Est ergo in Christo Verbum, anima, caro; sed hoc totum unus est Christus, unus filius Dei, & unus Salvator ac redemtor noster. Unus autem, non corruptibili nescio qua divinitatis & humanitatis confusione, sed integra & singulari quadam unitate personæ. Neque enim illa conjunctio alterum in alterum convertit atque mutavit, (qui est error proprius Arrianorum) sed ita in unum potius utrumque compegit, ut manente semper in Christo singularitate unius ejusdemque personæ, in æternum quoque permaneat proprietas uniuscujusque naturæ; quo scilicet nec umquam Deus corpus esse incipiat, nec aliquando corpus, corpus esse desistat. Quod etiam humanæ conditionis demonstratur exemplo. Neque P.337. enim in præsenti tantum, sed in futuro quoque, unusquisque hominum ex anima constabit & corpore, nec tamen umquam aut corpus in animam aut anima vertetur in corpus; sed unoquoque hominum sine fine victuro, in unoquoque hominum sine fine necessario utriusque substantiæ differentia permanebit. Ita in Christo quoque utriusque substantiæ sua cuique in æternum proprietas, salva tamen personæ unitate, retinenda est.

XIV. Sed cum personam sæpius nominamus, & dicimus quod Deus per personam homo factus sit, vehementer verendum est ne hoc dicere videamur quod Deus Verbum sola imitatione actionis quæ sunt nostra susceperit, & quidquid illud est conversationis humanæ, quasi adumbratus, non quasi verus homo fecerit; sicut in theatris fieri solet, ubi unus plures effingit repente personas, quarum ipse nulla est. Quotiescumque etenim aliqua suscipitur imitatio actionis alienæ, ita aliorum officia aut opera patrantur, ut tamen hi qui agunt, non sint ipsi quos agunt. Neque enim (ut, verbi gratia, sæcularium * & Manichæorum utamur exemplis) cum auctor tragicus * sacerdotem effingit aut regem, sacerdos aut rex est. Nam desinente actu, simul & ea quam susceperat persona desistit. Absit hoc a nobis nefarium scelestumque ludibrium. Manichæorum sit ista dementia; qui phantasiæ prædicatores, ajunt filium Dei Deum, personam hominis non substantiæ exstitisse, sed actu putativo quodam & conversatione simulasse. Catholica vero fides ita Verbum Dei hominem factum esse dicit ut quæ nostra sunt, non fallaciter & adumbrate, sed vere expresseque susciperet, & quæ erant humana, non quasi aliena imitaretur, sed potius ut sua gereret, P.338. & prorsus quod agebat, hoc etiam esset, [1] quod agebat, is esset. Sicut ipsi nos quoque in eo quod loquimur, sapimus, vivimus, subsistimus, non imitamur homines, sed sumus. Neque enim Petrus & Joannes, ut eos potissimum nominem, imitando erant homines, sed subsistendo. Neque item Paullus simulabat Apostolum, aut fingebat Paullum; sed erat Apostolus, & subsistebat Paullus. Ita etiam Deus Verbum adsumendo & habendo carnem, loquendo, faciendo, patiendo per carnem, sine ulla tamen suæ corruptione naturæ, hoc omnino præstare dignatus est ut hominem perfectum non imitaretur aut fingeret, sed exhiberet; ut homo verus non videretur aut putaretur, sed esset atque subsisteret. Igitur sicut anima connexa carni, nec in carnem tamen versa, non imitatur hominem, sed est homo, & homo non per simulationem, sed per substantiam; ita etiam Verbum Deus, absque ulla sui conversione, uniendo se homini, non confundendo, non imitando factus est homo, sed subsistendo. Abjiciatur ergo tota penitus personæ illius

1. Leg. *quem*. Vid. Cotel. Mon. Eccl. Gr. tom. III. pag. 555. c.

intelligentia quæ fingendo imitatione suscipitur, ubi A semper aliud est & aliud simulatur, ubi ille qui agit, numquam is est quem agit. Absit etenim ut hoc fallaci modo Deus Verbum personam hominis suscepisse credatur; sed ita potius ut incommutabili sua manente substantia, & in se perfecti hominis suscipiendo naturam, ipse caro, ipse homo, ipse persona hominis exsisteret, non simulatoria, sed vera, non imitativa, sed substantiva, non denique quæ cum actione desisteret, sed quæ prorsus in substantia permaneret.

XV. Hæc igitur in Christo personæ unitas nequaquam post virginis partum, sed in ipso virginis utero compacta atque perfecta est. Vehementer enim præcavere debemus, ut Christum non mo- B do unum sed etiam semper unum confiteamur: quia intoleranda blasphemia est ut etiamsi nunc eum unum esse concedas, aliquando tamen non unum sed duos fuisse contendas, unum scilicet post tempus baptismatis, duos vero sub tempore nativitatis. Quod immensum sacrilegium non aliter profecto vitare poterimus nisi unitum hominem Deo, sed unitate personæ, non ab ascensu vel resurrectione vel baptismo, sed jam in matre, jam in utero, jam denique in ipsa virginali conceptione fateamur: propter quam personæ unitatem indifferenter atque promiscue & quæ Dei sunt propria tribuuntur homini, & quæ carnis propria, adscribuntur Deo. Inde est enim quod divinitus scriptum C est [a], * & filium hominis descendisse de cælo [b] & Dominum majestatis crucifixum in terra. Inde etiam est ut carne Domini facta, carne Domini creata, ipsum Verbum Dei factum, ipsa Sapientia Dei impleta, scientia creata dicatur; sicut in præscientia manus ipsius & pedes ejus fossi esse referuntur. Per hanc inquam personæ unitatem illud quoque similis mysterii ratione perfectum est, ut carne Verbi ex integra matre nascente, ipse Deus Verbum natus ex virgine catholicissime credatur, impiissime denegetur. Quæ cum ita sint, absit ut quisquam sanctam Mariam divinæ gratiæ privilegiis & speciali gloria fraudare conetur. Est enim singulari quodam Domini ac Dei nostri, filii autem sui mu- D nere verissime ac beatissime theotocos confitenda; sed non eo modo theotocos quo impia quædam hæresis suspicatur, quæ adserit eam Dei matrem sola appellatione dicendam, quod eum scilicet pepererit hominem qui postea factus est Deus; sicut dicimus presbyteri matrem, aut episcopi matrem, non jam presbyterum aut episcopum pariendo, sed eum generando hominem qui postea presbyter vel episcopus factus est. Non ita inquam sancta Maria theotocos, sed ideo potius quoniam, ut supra dictum est, jam in ejus sacrato utero sacrosanctum illud mysterium perpetratum est quod propter singularem quamdam atque unicam personæ unitatem, sicut Verbum in carne caro, ita homo in Deo, E Deus est.

P.339.

P.340.

XVI. Sed jam ea quæ supra de memoratis hæresibus vel de catholica fide breviter dicta sunt renovandæ caussa memoriæ brevius strictiusque repetamus; quo scilicet & intelligantur iterata plenius, & firmius inculcata teneantur. Anathema igitur Photino non recipienti plenitudinem Trinitatis & Christum hominem tantummodo solitarium prædicanti. Anathema Apollinari adserenti in Christo conversæ divinitatis corruptionem, & auferenti perfectæ humanitatis proprietatem. Anathema Nestorio neganti ex Virgine Deum natum, adserenti duos Christos, & explosa Trinitatis fide, quaternitatem nobis introducenti. Beata vero catholica ecclesia, quæ unum Deum in Trinitatis plenitudine & item Trinitatis æqualitatem in una divinitate veneratur; ut neque singularitas substantiæ personarum confundat proprietatem, neque item Trinitatis distinctio unitatem separet deitatis. Beata inquam ecclesia, quæ in Christo duas veras perfectasque substantias, sed unam Christi credit esse personam; ut neque naturarum distinctio unitatem personæ dividat, neque item personæ unitas differentiam confundat substantiarum. Beata inquam ecclesia, quæ ut unum semper Christum & esse & fuisse fateatur, unitum hominem Deo, non post partum, sed jam in ipso matris utero confitetur. Beata inquam ecclesia, quæ Deum factum hominem non conversione naturæ, sed personæ ratione intelligit, personæ autem non simulatoriæ & transeuntis, sed substantivæ ac permanentis. Beata inquam ecclesia, quæ hanc personæ unitatem tantam vim habere prædicat ut propter eam miro ineffabilique mysterio & divina homini & Deo adscribat humana. Nam propter eam & hominem de cælo secundum Deum descendisse non abnegat, & Deum secundum hominem credit in terra factum, passum, & crucifixum. Propter eam denique & hominem Dei filium & Deum filium Virginis confitetur. Beata igitur ac veneranda, benedicta, & sacrosancta, & omnino supernæ illi Angelorum laudationi comparanda confessio, quæ unum Dominum Deum trina sanctificatione glorificat. Idcirco etenim vel maxime unitatem Christi prædicat, ne mysterium Trinitatis excedat. Hæc in excursu dicta sint; alias, si Deo placuerit, uberius tractanda & explicanda. Nunc ad propositum redeamus.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

P.341.

XVII. Dicebamus ergo in superioribus quod in ecclesia Dei tentatio esset populi, error magistri, & tanto major tentatio quanto ipse esset doctior qui erraret. Quod primum scripturæ auctoritate, deinde ecclesiasticis docebamus exemplis, eorum scilicet commemoratione qui cum aliquamdiu sanæ fidei forent habiti, ad extremum tamen aut in alienam decidissent sectam, aut ipsi suam hæresim condidissent. Magna profecto res, & ad discendum utilis, & ad recolendum necessaria; quam etiam P.342. atque etiam exemplorum molibus inlustrare atque inculcare debemus, ut omnes * vere catholici noverint se cum ecclesia doctores recipere, non cum doctoribus ecclesiæ fidem deserere debere. Sed ego ita arbitror, quod cum multos in hoc tentandi genere proferre valeamus, nemo pæne sit qui Origenis tentationi valeat comparari: in quo plura adeo præclara, adeo singularia, adeo mira exstiterant ut inter initia habendam cunctis adsertionibus ejus fidem quivis ille facile judicaret. Nam si vita facit auctoritatem, magna illi industria, magna pudicitia, patientia, tolerantia. Si genus vel eruditio, quid eo nobilius, qui primum in ea domo natus est quæ est * inlustrata martyrio, deinde pro Christo non solum patre, sed omni quoque facultate privatus, tantum inter sanctæ paupertatis profecit angustias ut pro nomine dominicæ confessionis sæpius, ut ferunt, adfligeretur. Neque vero hæc in illo sola erant quæ cuncta postea tentationi forent, sed tanta etiam vis ingenii, tam profundi, tam acris, tam elegantis ut omnes pæne multum longeque superaret; tanta doctrinæ ac totius eruditionis magnificentia ut pauca forent divinæ, pæne fortasse nulla humanæ philosophiæ

a Joan. III. 13. b I. Cor. II. 8.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

quæ non penitus adsequeretur: cujus scientiæ cum A Græca concederent, Hebræa quoque elaborata sunt. Eloquentiam vero quid memorem, cujus fuit tam amœna, tam lactea, tam dulcis oratio ut mihi ex ore ipsius non tam verba quam mella quædam fluxisse videantur? Quæ non ille persuasu difficilia disputandi viribus elimpidavit, quæ factu ardua non ut facillima viderentur effecit? Sed forsitan argumentorum tantummodo nexibus adsertiones suas
P.343. texuit? Immo plane nemo umquam magistrorum fuit qui pluribus divinæ legis uteretur exemplis. Sed, credo, pauca conscripsit? * Nemo mortalium plura; ut mihi sua omnia non solum non perlegi, sed ne inveniri quidem posse videantur: cui ne quidquam ad scientiæ instrumenta deesset, etiam ple- B nitudo exabundavit ætatis. Sed forsitan discipulis parum felix? Quis umquam felicior? Nempe innumeri ex sinu suo doctores, innumeri sacerdotes, confessores & martyres exstiterunt. Jam vero quanta apud omnes illius admiratio, quanta gloria, quanta gratia fuerit, quis exsequi valeat? Quis non ad eum paullo religiosior ex ultimis mundi partibus advolavit? Quis Christianorum non pæne ut prophetam, quis philosophorum non ut magistrum veneratus est? Quam autem non solum privatæ conditioni, sed ipsi quoque fuerit reverendus imperio declarant historiæ, quæ eum a matre Alexandri imperatoris accitum ferunt, cælestis utique sapientiæ merito, cujus & ille gratia, & amore illa flagra- C bat. Sed & ejusdem epistolæ testimonium perhibent quas ad * Philippum imperatorem, qui primus Romanorum principum Christianus fuit, Christiani magisterii auctoritate conscripsit. De cujus incredibili quadam scientia si quis referentibus nobis Christianum non accipit testimonium, saltem testificantibus philosophis gentilem recipiat confessionem. Ait namque impius ille Porphyrius excitum se fama ipsius Alexandriam puerum fere perrexisse, ibique eum vidisse jam senem, sed plane talem tantumque qui arcem totius scientiæ condidisset. Dies me citius defecerit quam ea quæ in illo viro præclara exstiterunt vel ex minima saltem
P.344. parte perstringam: quæ tamen omnia non solum D ad religionis gloriam, sed etiam ad tentationis magnitudinem pertinebant. Quotus enim quisque tanti ingenii, tantæ doctrinæ, tantæ gratiæ virum aut facile deponeret, ac non illa potius uteretur sententia, se * cum Origene errare malle quam cum aliis vera sentire? Et quid plura? Eo res decidit ut tantæ personæ, tanti doctoris, tanti prophetæ, non humana aliqua, sed, ut exitus docuit, nimium periculosa tentatio plurimos a fidei integritate deduceret. Quamobrem hic Origenes tantus ac talis, dum gratia Dei insolentius abutitur, dum ingenio suo nimium indulget, sibique satis credit, cum parvi pendit antiquam Christianæ religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere præsumit, dum E ecclesiasticas traditiones & veterum magisteria contemnens, quædam scripturarum capitula novo more interpretatur, meruit ut de se quoque ecclesiæ Dei diceretur: *Si surrexerit in medio tui propheta*. Et paullo post: *non audies*, inquit, *verba prophetæ illius*. Et item: *Quia tentat vos*, inquit, *Dominus Deus vester, utrum diligatis eum, an non*. Vere non solum tentatio, sed etiam magna tentatio, deditam sibi atque in se pendentem ecclesiam admiratione ingenii, scientiæ, eloquentiæ, conversationis & gratiæ, nihil de se suspicantem, nihil verentem, subito a veteri religione in novam profanitatem sensim paullatimque traducere. Sed dicet aliquis * corruptos esse Origenis libros. Non resisto: quin potius & malo. Nam id a quibusdam & traditum & scriptum est, non catholicis tantum, verum etiam hæreticis. Sed illud est quod nunc debemus advertere, etsi non ipsum, libros tamen sub nomine suo editos, magnæ esse tentationi: qui multis blasphemiarum vulneribus scatentes, non ut alieni, sed P.345. quasi sui & leguntur & amantur; ut etsi in errore concipiendo Origenis non fuit sensus, ad errorem tamen persuadendum Origenis auctoritas valere videatur.

XVIII. Sed & Tertulliani quoque eadem ratio est. Nam sicut ille apud græcos, ita hic apud latinos nostrorum omnium facile princeps judicandus est. Quid enim hoc viro doctius, quid in divinis atque humanis rebus exercitatius? Nempe omnem philosophiam & cunctas philosophorum sectas, auctores adsertoresque sectarum, omnesque eorum disciplinas, omnem historiarum ac studiorum varietatem mira quadam mentis capacitate complexus est. Ingenio vero nonne tam gravi ac vehementi excelluit, ut sibi nihil pæne ad expugnandum proposuerit quod non aut acumine irruperit aut pondere eliserit? Jam porro orationis suæ laudes quis exsequi valeat, quæ tanta nescio qua rationum necessitate conserta est, ut ad consensum sui quos suadere non potuerit impellat; cujus quot pæne verba, tot sententiæ sunt; quot sensus, tot victoriæ. Sciunt hoc Marciones, Apelles, Praxeæ, Hermogenes, Judæi, Gentiles, Gnostici ceterique, quorum ille blasphemias multis ac magnis voluminum suorum molibus, velut quibusdam fulminibus, evertit. Et tamen hic quoque post hæc omnia, hic inquam Tertullianus, catholici dogmatis, id est, universalis ac vetustæ fidei parum tenax, ac disertior multo quam felicior, mutata deinceps sententia fecit ad extremum quod de eo beatus confessor Hilarius quodam loco scribit [1]: *Sequenti*, inquit, *errore detraxit scriptis probabilibus auctoritatem*. Et fuit ipse quoque in ecclesia magna tentatio. Sed de hoc nolo plura dicere. Hoc tantum commemo- P.346. rabo, quod contra Moysi præceptum exsurgentes in ecclesia novellas Montani furias & insana illa insanarum mulierum novitii dogmatis somnia veras prophetias adseverando, meruit ut de se quoque & scripturis suis diceretur: *Si surrexerit in medio tui propheta*. Et mox: *non audies verba prophetæ illius*. Quare? *Quia*, inquit, *tentat vos Dominus Deus vester, utrum diligatis eum, an non.*

XIX. His igitur tot ac tantis ceterisque ejusmodi ecclesiasticorum exemplorum molibus evidenter advertere, & secundum Deuteronomii leges luce clarius intelligere debemus, quod si quando aliquis ecclesiasticus magister a fide aberraverit, ad tentationem id nostram fieri providentia divina patiatur, utrum diligamus Deum, an non, in toto corde & in tota anima nostra.

XX. Quæ cum ita sint, ille est verus & germanus catholicus qui veritatem Dei, qui Ecclesiam, qui Christi corpus diligit, qui divinæ religioni, qui catholicæ fidei nihil præponit, non hominis cujuspiam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non philosophiam; sed hæc cuncta despiciens, & in fide fixus, stabilis permanens, quidquid universaliter antiquitus ecclesiam catholicam tenuisse cognoverit, id solum sibi tenendum credendumque decernit; quidquid vero ab

[1] Hilarius in Matth. cap. V.

aliquo deinceps uno præter omnes vel contra omnes sanctos novum & inauditum subinduci senserit, id non ad religionem sed ad tentationem potius intelligit pertinere, tum præcipue beati Apostoli Paulli eruditus eloquiis: hoc est enim quod in prima ad Corinthios epistola scribit: [a] *Oportet*, inquit, *hæreses esse, ut probati manifesti fiant in vobis*: ac si
P.347. diceret: Ob hoc hæreseon non statim divinitus eradicantur auctores, ut probati manifesti fiant, id est, ut unusquisque quam tenax & fidelis & fixus catholicæ fidei sit amator appareat. Et re vera cum quæque novitas ebullit, statim cernitur frumentorum gravitas, & levitas palearum; tunc sine magno molimine excutitur ab area quod nullo pondere intra aream tenebatur. Namque alii illico prorsus avolant; alii vero tantummodo excussi, & perire metuunt, & redire erubescunt saucii, semineces ac semivivi; quippe qui tantam veneni hauserint quantitatem quæ nec occidat nec digeratur, nec mori cogat nec vivere sinat. Heu miseranda conditio! quantis illi curarum æstibus, quantis turbinibus exagitantur? Nunc etenim, qua ventus impulerit, incitato errore rapiuntur; nunc in semet ipsos reversi, tamquam contrarii fluctus, relidun- tur; nunc temeraria præsumtione & ea quæ incerta videntur adprobant; nunc inrationali metu, etiam quæ certa sunt expavescunt; incerti qua eant, qua redeant, quid adpetant, quid fugiant, quid teneant, quid dimittant. Quæ quidem dubii & male penduli cordis afflictio divinæ erga se miserationis est medicina, si sapiant. Idcirco etenim extra tutissimum catholicæ fidei portum diversis cogitationum quatiuntur, verberantur ac pæne enecantur procellis ut excussa in altum elatæ mentis vela deponant, quæ male novitatum ventis expanderant, se seque intra fidissimam stationem placidæ ac bonæ matris reducant & teneant, atque amaros illos turbulentosque errorum fluctus primitus revomant, ut possint deinceps vivæ & salientis aquæ fluenta potare. Dediscant bene quod didicerant non bene;
148. & ex toto ecclesiæ dogmate quod intellectu capi potest capiant, quod non potest credant.

XXI. Quæ cum ita sint, iterum atque iterum eadem mecum revolvens & reputans, mirari satis nequeo tantam quorumdam hominum vesaniam, tantam excæcatæ mentis impietatem, tantam postremo errandi libidinem ut contenti non sint tradita semel & accepta antiquitus credendi regula, sed nova ac nova * in diem quærant, semperque aliquid gestiant religioni addere, mutare, detrahere; quasi non cæleste dogma sit quod semel revelatum esse sufficiat, sed terrena institutio, quæ aliter perfici nisi assidua emendatione immo potius reprehensione non possit, cum divina clament oracula: [b] *Ne transferas terminos quos posuerunt patres tui*; &: [c] *Super judicantem ne judices*; &: [d] *Scindentem sepem mordebit eum serpens*: & illud apostolicum, quo omnes omnium hæreseon sceleratæ novitates velut quodam spiritali gladio sæpe truncatæ semperque truncandæ sunt: [e] *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates & oppositiones falsi nominis scientiæ; quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt*. Et post hæc inveniuntur aliqui tanta inveteratæ frontis duritia, tanta impudentiæ incude, tanto adamante pertinaciæ, qui tantis eloquiorum cælestium molibus non succumbant, tantis ponderibus non fatiscant, tantis malleis non conquassentur, tantis

A postremo fulminibus non conterantur? *Devita*, inquit, *profanas vocum novitates*. Non dixit *antiquitates*, non dixit *vetustates*: immo plane quid e contrario sequeretur ostendit. Nam si vitanda est novitas, tenenda est antiquitas; & si profana est novitas, sacrata est vetustas: *& oppositiones*, inquit, *falsi nominis scientiæ*. Vere falsum nomen apud doctrinas hæreticorum; ut ignorantia scientiæ, & caligo serenitatis, & tenebræ luminis appellatione P.349.
fucentur: *quam quidam*, inquit, *promittentes circa fidem exciderunt*. Quid promittentes exciderunt, nisi novam nescio quam ignoratamque doctrinam? Audias etenim quosdam ipsorum dicere: Venite, o insipientes & miseri, qui vulgo catholici vocitamini, & discite fidem veram, quam præter nos nullus intelligit, quæ multis ante sæculis latuit, nuper vero revelata & ostensa est: sed discite furtim atque secretim: delectabit enim vos. Et item: Cum didiceritis, latenter docete; ne mundus audiat, nec ecclesia sciat. Paucis namque concessum est tanti mysterii capere secretum. Nonne hæc verba sunt illius meretricis quæ apud Salomonis proverbia vocat ad se prætereuntes viam qui dirigunt iter suum? [f] *Quid est*, inquit, *vestrum insipientissimus, divertat ad me*. Inopes autem sensu exhortatur dicens: [g] *Panes occultos libenter attingite, & aquam dulcem furtim bibite*. Quid deinde? [h] *At ille*, inquit, *nescit, quoniam terrigenæ apud eam pereunt*. Qui sunt isti terrigenæ? Exponat Apostolus: *Qui circa fidem*, inquit, *exciderunt*.

XXII. Sed operæ pretium est totum ipsum Apostoli capitulum diligentius pertractare. *O Timothee*, inquit, *depositum custodi, devitans profanas vocum novitates*. O! Exclamatio ista, & præscientiæ est pariter & caritatis. Prævidebat enim futuros, quos etiam prædolebat, errores. Quis est hodie Timotheus nisi vel generaliter universa ecclesia, vel specialiter totum * corpus præpositorum, qui integram divini cultus scientiam vel habere ipsi debent vel aliis infundere? Quid est, *depositum custodi*?
D Custodi, inquit, propter fures, propter inimicos, P.350.
ne, dormientibus hominibus, superseminent zizania super illud tritici bonum semen quod seminaverat filius hominis in agro suo. *Depositum*, inquit, *custodi*. Quid est *depositum?* id est, quod tibi creditum est, non quod a te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti; rem non ingenii, sed doctrinæ; non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis; rem ad te perductam, non a te prolatam; in qua non auctor debes esse, sed custos; non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens. *Depositum*, inquit, *custodi*; catholicæ fidei talentum inviolatum inlibatumque conserva. Quod tibi creditum, hoc penes te maneat, hoc a te trada-
E tur. Aurum accepisti, aurum redde: nolo mihi pro aliis alia subjicias: nolo pro auro aut imprudenter plumbum aut fraudulenter æramenta supponas: nolo auri speciem, sed naturam plane. O Timothee, o sacerdos, o tractator, o doctor, si te divinum munus idoneum fecerit, ingenio, exercitatione, doctrina, esto spiritalis tabernaculi * Beseleel, pretiosas divini dogmatis gemmas exsculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adjice splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur te exponente inlustrius quod ante obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur, quod ante vetustas non intellectum venerabatur. Eadem tamen

[a] I. Cor. xi. 19. [b] Prov. xxii. 18. [c] Eccli. viii. 17. [d] Eccle. X. 8. [e] I. Tim. vi. 20. 21.*
[f] Prov. ix. 4. sec. LXX. [g] Ibid. ✝. 17. [h] Ibid. ✝. 18.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

quæ didicisti doce; ut cum dicas nove, non dicas nova.

XXIII. Sed forsitan dicit aliquis: Nullus ne ergo in ecclesia Christi profectus habebitur religionis? Habeatur plane, & maximus: Nam quis ille est tam invidus hominibus, tam exosus Deo, qui istud prohibere conetur? Sed ita tamen ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem P.351. ad profectum pertinet ut in semet ipsum unaquæque res amplificetur; ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur oportet & multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius ecclesiæ, ætatum ac sæculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu eademque sententia. Imitetur animarum religio rationem corporum: quæ licet annorum processu numeros suos evolvant & explicent, eadem tamen quæ erant permanent. Multum interest inter pueritiæ florem & senectutis maturitatem; sed iidem tamen ipsi fiunt senes qui fuerant adolescentes; ut quamvis unius ejusdemque hominis status habitusque mutetur, una tamen nihilominus eademque natura, una eademque persona sit. Parva lactentium membra, magna juvenum; eadem ipsa sunt tamen. Quot parvulorum artus, tot virorum; & si qua illa sunt quæ ævi maturioris ætate pariuntur, jam in seminis ratione proferta sunt; ut nihil novum postea proferatur in senibus, quod non in pueris jam ante latitaverit. Unde non dubium est hanc esse legitimam & rectam proficiendi regulam, hunc ratum atque pulcherrimum crescendi ordinem, si eas semper in grandioribus partes ac formas numerus detexat ætatis quas in parvulis creatoris sapientia * præformaverat. Quod si humana species in aliquam deinceps non sui generis vertatur effigiem, aut certe addatur quippiam membrorum numero vel detrahatur; necesse est ut totum corpus vel intercidat, vel prodigiosum fiat, vel certe debilitetur: ita etiam Christianæ religionis dogma sequa- P.352. tur has decet profectuum leges, ut annis scilicet consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur ætate, incorruptum tamen inlibatumque permaneat, & universis partium suarum mensuris cunctisque quasi membris ac sensibus propriis plenum atque perfectum sit, quod nihil præterea permutationis admittat, nulla proprietatis dispendia, nullam definitionis sustineat varietatem. Exempli gratia. Severunt majores nostri antiquitus in hac ecclesiastica segete triticeæ fidei semina. Iniquum valde & incongruum est ut nos eorum posteri pro germana veritate frumenti * subdititium zizaniæ legamus errorem. Quin potius hoc rectum & consequens est ut primis atque extremis sibimet non discrepantibus, de incrementis triticeæ institutionis triticei quoque dogmatis frugem demetamus; ut cum aliquid ex illis seminum primordiis accessu temporis evolvatur, & tunc lætetur & excolatur, nihil tamen de germinis proprietate mutetur: addatur licet species, forma, distinctio, eadem tamen cujusque generis natura permaneat. Absit etenim ut rosea illa catholici sensus plantaria in carduos spinasque vertantur. Absit inquam ut in isto spiritali paradiso de cinnamomi & balsami surculis lolium repente atque aconita proveniant. Quodcumque igitur in hac ecclesiæ Dei agricultura fide patrum satum est, hoc idem filiorum industria decet excolatur & observetur, hoc idem floreat & maturescat, hoc idem proficiat & perficiatur. Fas est etenim ut prisca illa cælestis philosophiæ dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur; sed nefas est ut commutentur, nefas ut detruncentur, ut mutilentur. Accipiant licet evidentiam, lucem, distinctionem; sed retineant necesse est plenitudi- P.353. nem, integritatem, proprietatem. Nam si semel admissa fuerit hæc impiæ fraudis licentia, horreo dicere quantum exscindendæ atque abolendæ religionis periculum consequatur. Abdicata etenim qualibet parte catholici dogmatis, alia quoque atque item alia, ac deinceps * alia & alia, jam quasi ex more & licito, abdicabuntur. Porro autem singillatim partibus * repudiatis, quid aliud ad extremum sequetur nisi ut totum pariter repudietur? Sed e contra, si novitia veteribus, extranea domesticis, & profana sacratis admisceri cœperint; proserpat hic mos in universum necesse est ut nihil posthac apud ecclesiam relinquatur intactum, nihil inlibatum, nihil integrum, nihil immaculatum, sed sit ibidem deinceps impiorum ac turpium errorum lupanar ubi erant antea castæ & incorruptæ sacrarium veritatis. Sed avertat hoc a suorum mentibus nefas divina pietas; sitque hic potius impiorum furor. Christi vero ecclesia, sedula & cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his umquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat necessaria, non apponit superflua, non amittit sua, non usurpat aliena, sed omni industria hoc unum studet ut vetera fideliter sapienterque tractando, si qua sunt illa antiquitus informata & inchoata, accuret & poliat; si qua jam expressa & enucleata, consolidet, firmet; si qua jam confirmata & definita, custodiat. Denique quid umquam aliud conciliorum decretis enisa est nisi ut quod antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentius crederetur, quod antea lentius prædicabatur, hoc idem postea instantius prædicaretur, quod antea securius colebatur, hoc idem postea solicitius excoleretur? Hoc inquam semper, neque quidquam præterea, hære- P.354. ticorum novitatibus excitata, conciliorum suorum decretis catholica perfecit ecclesia, nisi ut quod prius a majoribus sola traditione susceperat, hoc deinde posteris etiam per scripturæ chirographum consignaret, magnam rerum summam paucis litteris comprehendendo, & plerumque, propter intelligentiæ lucem, non novum fidei sensum * novæ appellationis proprietate signando.

XXIV. Sed ad Apostolum redeamus. [a] *O Timothee*, inquit, *depositum custodi, devitans profanas vocum novitates*. Devita, inquit, quasi viperam, quasi scorpionem, quasi basiliscum; ne te non solum tactu, sed etiam visu afflatuque percutiant. Quid est devitare? [b] *cum hujusmodi nec cibum sumere*. Quid est *Devita*? [c] *Si quis*, inquit, *venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert*: Quam doctrinam, nisi catholicam & universalem, & unam eamdemque per singulas ætatum successiones incorrupta veritatis traditione manentem, & usque in sæcula sine fine mansuram? Quid tum? *nolite*, inquit, *recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis*. *Profanas*, inquit, *vocum novitates*. Quid est *profanas*? Quæ nihil habent sacri, nihil religiosi, ab ecclesiæ penetralibus quæ est templum Dei, penitus extraneas. *Profanas*, inquit, *vocum novitates*: Vocum, id est, dogmatum, rerum, sententiarum novitates, quæ sunt vetustati atque an-

a I. Tim. VI. 20. *b* I. Cor. V. 11. *c* II. Joan ℣℣. 10. 11.

tiquitati contrariæ: quæ si recipiantur, necesse est A ut fides beatorum patrum aut tota aut certe magna ex parte violetur; necesse est ut omnes omnium ætatum fideles, omnes sancti, omnes casti, continentes, virgines, omnes clerici, levitæ & sacerdo-
P.355. tes, tanta confessorum millia, tanti martyrum exercitus, tanta urbium, tanta populorum celebritas & multitudo, tot insulæ, provinciæ, reges, gentes, regna, nationes, totus postremo jam pæne terrarum orbis per catholicam fidem Christo capiti incorporatus, tanto sæculorum tractu ignorasse, errasse, blasphemasse, nescisse quid crederet, pronuntietur. *Profanas*, inquit, *vocum novitates devita*: quas recipere atque sectari numquam catholicorum, semper vero hæreticorum fuit. Et re ve- B ra, quæ umquam hæresis nisi sub certo nomine, certo loco, certo tempore ebullivit? Quis umquam hæreses instituit, nisi qui se prius ab ecclesiæ catholicæ universitatis & antiquitatis consensione discreverit? Quod ita esse luce clarius exempla demonstrant. Quis enim umquam ante profanum illum Pelagium tantam virtutem liberi præsumsit arbitrii, ut ad hoc in bonis rebus per actus singulos adjuvandum necessariam Dei gratiam non putaret? Quis ante prodigiosum * discipulum ejus Cælestium reatu prævaricationis Adæ omne humanum genus denegavit adstrictum? Quis ante sacrilegum Arrium Trinitatis unitatem discindere; quis ante sceleratum Sabellium unitatis Trinitatem confunde- C re ausus est? Quis ante crudelissimum Novatianum crudelem Deum dixit, eo quod mallet mortem morientis quam ut revertatur & vivat? Quis ante magum Simonem, apostolica districtione percussum, (a quo vetus ille turpitudinum gurges usque in novissimum Priscillianum continua & occulta successione manavit) auctorem malorum, id est, scelerum, impietatum, flagitiorumque nostrorum ausus est dicere creatorem Deum? Quippe quem ad-
P.356. ferit talem hominum manibus ipsam suis creare naturam quæ proprio quodam motu & necessariæ cujusdam voluntatis impulsu nihil aliud possit, nihil aliud velit nisi peccare, eo quod furiis vitiorum omnium exagitata & inflammata in omnia turpi- D tudinum barathra inexhausta cupiditate rapiatur. Innumera sunt talia, quæ brevitatis studio prætermittimus: quibus tamen cunctis satis evidenter perspicueque monstratur hoc apud omnes fere hæreses quasi solemne esse ac legitimum, ut semper profanis novitatibus gaudeant, antiquitatis scita fastidiant: & per oppositiones falsi nominis scientiæ a fide naufragent. Contra vero catholicorum hoc vere proprium, deposita sanctorum patrum & commissa servare, damnare profanas novitates; & sicut dixit atque iterum prædixit Apostolus: [a] *Si quis annuntiaverit, præter quam quod acceptum est, anathema sit.*

XXV. Heic fortasse aliquis interroget, an & hæ- E retici divinæ scripturæ testimoniis utantur. Utuntur plane, & vehementer quidem. Nam videas eos volare per singula quæque sanctæ legis volumina, per Moysi, per * Regum libros, per psalmos, per Apostolos, per evangelia, per prophetas. Sive enim apud suos, sive alienos, sive privatim, sive publice, sive in sermonibus, sive in libris, sive in conviviis, sive in plateis, nihil umquam pæne de suo proferunt quod non etiam scripturæ verbis adumbrare conentur. Lege Paulli Samosateni opuscula, Priscilliani, Eunomii, Joviniani, reliquarumque pestium; cernas infinitam exemplorum congeriem, prope nullam omitti paginam quæ non novi aut veteris testamenti sententiis fucata & colorata sit. Sed tanto magis cavendi & pertimescendi sunt, quanto occultius sub divinæ legis umbraculis latitant. Sciunt enim fœtores suos nulli fere cito esse placituros, si nudi & simplices exhalentur; atque idcirco eos cælestis eloquii velut quodam aromate aspergunt, ut ille qui humanum facile despiceret P.357. errorem, divina non facile contemnat oracula. Itaque faciunt quod hi solent qui parvulis austera quædam temperaturi pocula, prius oras melle circumlinunt, ut incauta ætas cum dulcedinem præsenserit, amaritudinem non reformidet. Quod etiam iis curæ est qui mala gramina & noxios succos medicaminum vocabulis præcolorant; ut nemo fere ubi supra scriptum legerit remedium, suspicetur venenum. Inde denique & Salvator clamabat: [b] *Adtendite vobis a pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ovium, ab intus autem sunt lupi rapaces.* Quid est vestitus ovium nisi Prophetarum & Apostolorum proloquia; quæ iidem, ovili quadam sinceritate, agno illi immaculato qui tollit peccatum mundi, tamquam vellera quædam texuerunt? Qui sunt lupi rapaces nisi sensus hæreticorum feri & rabidi, qui caulas ecclesiæ semper infestant & gregem Christi quaqua possunt dilacerant? Sed ut fallacius incautis ovibus obrepant, manente luporum ferocia, deponunt lupinam speciem, & se se divinæ legis sententiis velut quibusdam velleribus obvolvunt; ut cum quisque lanarum mollitiem præsenserint, nequaquam aculeos dentium pertimescat. Sed quid ait Salvator? *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*: id est: Cum cœperint divinas illas voces non jam proferre tantum, sed etiam interpretari, tunc amaritudo illa, tunc acerbitas; tunc rabies intelligetur, tunc novitium virus exhalabitur, tunc P.358. profanæ novitates aperientur; tunc primum scindi sepem videas, tunc transferri patrum terminos; tunc catholicam fidem cædi, tunc ecclesiasticum dogma lacerari. Tales erant ii quos percutit Apostolus Paullus in secunda ad Corinthios epistola dicens: [c] *Nam ejusmodi*, inquit, *pseudoapostoli sunt operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi.* Quid est *transfigurantes se in Apostolos Christi*? Proferebant Apostoli divinæ legis exempla; proferebant & illi. Proferebant Apostoli psalmorum auctoritates; proferebant & illi. Proferebant Apostoli sententias prophetarum; & illi nihilominus proferebant. Sed cum ea quæ similiter protulerant, interpretari non similiter cœpissent; tunc simplices a subdolis, tunc infucati a fucatis, tunc recti a perversis, tunc postremo veri Apostoli a falsis Apostolis discernebantur: [d] *Et non mirum*, inquit: *ipse enim satanas transfigurat se in angelum lucis.* Non est ergo magnum si ministri ejus transfigurantur sicut ministri justitiæ. Ergo, secundum Apostoli Paulli magisterium, quotiescumque vel pseudoapostoli vel pseudoprophetæ vel pseudodoctores divinæ legis sententias proferunt, quibus male interpretatis errores suos adstruere conentur; non dubium est quin auctoris sui callida machinamenta sectentur, quæ ille numquam profecto comminisceretur, nisi sciret omnino nullam esse ad fallendum faciliorem viam, quam ut ubi nefarii erroris subinducitur fraudulentia, ibi divinorum verborum prætendatur auctoritas.

XXVI. Sed dicet aliquis: Unde probatur quia sacræ legis exemplis diabolus uti soleat? Legat evan-

a Gal. I. 8. *b* Matth. VII. 15. *c* II. Cor. XI. 13. *d* Ibid. ℣. 14.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

gelia, in quibus scribitur: [a] *Tunc assumsit illum diabolus*, id est, Dominum salvatorem, *& statuit illum super pinnam templi, & dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim, quod angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis: in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*. Quid hic faciet misellis hominibus qui ipsum Dominum majestatis scripturarum testimoniis appetivit? *Si*, inquit, *filius Dei es, mitte te deorsum*. Quare? *Scriptum est enim*, inquit. Magnopere nobis doctrina loci istius attendenda atque retinenda est; ut tanto evangelicæ auctoritatis exemplo, quando aliquos apostolica seu prophetica verba proferre contra catholicam fidem viderimus, diabolum per eos loqui minime dubitemus. Nam sicut tunc caput capiti, ita nunc quoque membra membris loquuntur, membra scilicet diaboli membris Christi, perfidi fidelibus, sacrilegi religiosis, hæretici postremo catholicis. Sed quid tandem dicunt? *Si*, inquit, *filius Dei es, mitte te deorsum*: hoc est: Si filius esse vis Dei & hereditatem regni cælestis accipere, mitte te deorsum; id est, ex istius te sublimis ecclesiæ quæ etiam templum Dei putatur, doctrina & traditione demitte. Ac si quis interroget quempiam hæreticorum sibi talia persuadentem: Unde probas, unde doces quod ecclesiæ catholicæ universalem & antiquam fidem dimittere debeam, statim ille: *Scriptum est enim*. Et continuo mille testimonia, mille exempla, mille auctoritates parat de lege, de psalmis, de Apostolis, de Prophetis, quibus novo & malo more interpretatis, ex arce catholica in hæreseos barathrum infelix anima præcipitetur. Jam vero illis quæ sequuntur promissionibus miro modo incautos homines hæretici decipere consueverunt. Audent etenim polliceri & docere quod in ecclesia sua, id est, in communionis suæ conventiculo, magna & specialis ac plane personalis quædam sit Dei gratia; adeo ut sine ullo labore, sine ullo studio, sine ulla industria, etiam si nec petant nec quærant nec pulsent, quicumque illi ad numerum suum pertinent, tamen ita divinitus dispensentur ut angelicis evecti manibus, id est, angelica protectione servati, numquam possint offendere ad lapidem pedem suum, id est, numquam scandalizari.

XXVII. Sed dicet aliquis: Si divinis eloquiis, sententiis, promissionibus & diabolus & discipuli ejus utuntur, quorum alii sunt pseudoapostoli, alii pseudoprophetæ & pseudomagistri, & omnes ex toto hæretici; quid facient catholici homines & matris ecclesiæ filii? Quonam modo in scripturis sanctis veritatem a falsitate discernent? Hoc scilicet facere magnopere curabunt, quod in principio Commonitorii istius sanctos, & doctos viros nobis tradidisse scripsimus, ut divinum canonem secundum universalis ecclesiæ traditiones & juxta catholici dogmatis regulas interpretentur; in qua item catholica & apostolica ecclesia sequantur necesse est universitatem, antiquitatem, consensionem. Et si quando pars contra universitatem, novitas contra vetustatem, unius vel paucorum errantium dissensio contra omnium vel certe multo plurium catholicorum consensionem rebellaverit; præferant partis corruptioni universitatis integritatem: in qua eadem universitate, novitatis profanitati antiquitatis religionem, itemque in ipsa vetustate, unius sive paucissimorum temeritati primum omnium generalia, si qua sunt, universalis concilii decreta præponant; tunc deinde, si id minus est; sequantur quod proximum est, multorum atque magnorum consentientes sibi sententias magistrorum. Quibus adjuvante Domino fideliter, sobrie, sollicite observatis, non magna difficultate noxios quosque exsurgentium hæreticorum deprehendemus errores.

XXVIII. Heic jam consequens esse video ut exemplis demonstrem, quonam modo profanæ hæreticorum novitates prolatis atque conlatis veterum magistrorum concordantibus sibimet sententiis, & deprehendantur & condemnentur. Quæ tamen antiqua sanctorum patrum consensio non in omnibus divinæ legis quæstiunculis, sed solum certe præcipue in fidei regula magno nobis studio & investiganda est & sequenda. Sed neque semper neque omnes hæreses hoc modo impugnandæ sunt, sed novitiæ recentesque tantummodo, cum primum scilicet exoriuntur, ante quam infalsare vetustæ fidei regulas ipsius temporis vetantur angustiis, ac prius quam manante latius veneno, majorum volumina vitiare conentur. Ceterum dilatatæ & inveteratæ hæreses nequaquam hac via adgrediendæ sunt, eo quod prolixo temporum tractu longa iis fruendæ veritatis patuerit occasio. Atque ideo quascumque illas antiquiores vel schismatum vel hæreseon profanitates nullo modo nos oportet nisi aut sola, si opus est, scripturarum auctoritate convincere, aut certe jam antiquitus universalibus sacerdotum catholicorum conciliis convictas damnatasque vitare. Itaque cum primum mali cujusque erroris putredo erumpere cœperit, & ad defensionem sui quædam sacræ legis verba furari, eaque fallaciter & fraudulenter exponere, statim interpretando canoni majorum sententiæ congregandæ sunt; quibus illud quodcumque exsurget novitium, ideoque profanum, & absque ulla ambage prodatur, & sine ulla retractatione damnetur. Sed eorum dumtaxat patrum sententiæ conferendæ sunt qui in fide & communione catholica sancte, sapienter, constanter viventes, docentes & permanentes, vel mori in Christo fideliter vel occidi pro Christo feliciter meruerunt. Quibus tamen hac lege credendum est, ut quidquid vel omnes vel plures uno eodemque sensu manifeste, frequenter, perseveranter, velut quodam consentiente sibi magistrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, certo, ratoque habeatur: quidquid vero, quamvis ille sanctus & doctus, quamvis episcopus, quamvis confessor & martyr, præter omnes aut etiam contra omnes senserit; id inter proprias & occultas & privatas opiniunculas a communis & publicæ generalis sententiæ auctoritate secretum sit; ne cum summo æternæ salutis periculo, juxta sacrilegam hæreticorum & schismaticorum consuetudinem, universalis dogmatis antiqua veritate dimissa, unius hominis novitium sectemur errorem. Quorum beatorum patrum sanctum catholicumque consensum ne quis sibi temere contemnendum forte arbitretur, ait in prima ad Corinthios Apostolus: [b] *Et quosdam posuit Deus in ecclesia, primum Apostolos*, (quorum ipse unus erat) *secundo Prophetas*, (qualem in actibus Apostolorum [c] legimus Agabum) *tertio* * *Doctores*, qui tractatores nunc appellantur; quos hic idem Apostolus etiam prophetas interdum nuncupat, eo quod per eos prophetarum mysteria populis aperiantur. Hos ergo in ecclesia Dei divinitus per tempora & loca dispensatos quisquis in sensu ca-

a Matth. IV. 5. 6. b I. Cor. XII. 28. c Act. XI. 28, & XXI. 10.

tholici dogmatis unum aliquid in Christo sentientes contemserit, non hominem contemnit, sed Deum: a quorum veridica unitate ne quis discreper, impensius obtestatur idem Apostolus dicens: [a] *Obsecro autem vos, fratres, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu & in eadem sententia.* Quod si quis ab eorum sententiæ communione descivérit, audiet illud ejusdem Apostoli: [b] *Non est Deus dissensionis, sed pacis*, (id est, non ejus qui a consentiendi unitate defecerit, sed eorum qui in consentiendi pace permanserint) *sicut in omnibus*, inquit, *ecclesiis sanctorum doceo*, id est, catholicorum: quæ ideo sanctæ sunt, quia in fidei communione persistunt. Et ne quis forsitan, prætermissis ceteris, se solum audiri, sibi soli credi adrogaret, paullo post ait: [c] *An a vobis*, inquit, *verbum Dei processit, aut in vos solos devenit?* Et ne hoc quasi perfunctorie acciperetur, adjecit: [d] *Si quis*, inquit, *videtur propheta esse aut spiritalis, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata.* Quæ utique mandata, nisi ut si quis est propheta aut spiritalis, id est, spiritalium rerum magister, summo studio æqualitatis & unitatis cultor exsistat; ut scilicet neque opiniones suas ceteris præferat, & ab universorum sensibus non recedat? Cujus rei mandata [e] *qui ignorat*, inquit, *ignorabitur*; id est, qui aut nescita non discit, aut scita contemnit, ignorabitur; hoc est, indignus habebitur qui inter unitos fide & exæquatos humilitate divinitus respiciatur: quo malo nescio an quidquam acerbius
P.364. cogitari queat. Quod tamen juxta apostolicam comminationem Pelagiano illi provenisse cernimus * Juliano, qui se collegarum sensui aut incorporare neglexit aut excorporare præsumsit. Sed jam tempus est ut pollicitum proferamus exemplum, ubi & quomodo sanctorum patrum sententiæ congregatæ sint ut secundum eas ex decreto atque auctoritate concilii ecclesiasticæ fidei regula figeretur. Quod quo commodius fiat, heic sit jam hujus Commonitorii modus; ut cetera quæ sequuntur, ab alio sumamus exordio.

[1] *Secundum Commonitorium interlapsum est; neque ex eo amplius quidquam quam postrema particula remansit, id est, sola recapitulatio, quæ & subjecta est.*

XXIX. Quæ cum ita sint, jam tempus est ut ea quæ duobus his Commonitoriis dicta sunt, in hujus secundi fine recapitulemus. Diximus in superioribus hanc fuisse semper & esse hodieque catholicorum consuetudinem, ut fidem veram duobus his modis adprobent: primum * divini canonis auctoritate, deinde ecclesiæ catholicæ * traditione; non quia canon solus non sibi ad universa sufficiat, sed quia verba divina pro suo plerique arbitratu interpretantes, varias opiniones erroresque concipiant; atque ideo necesse sit ut ad unam ecclesiastici sensus regulam scripturæ cælestis intelligentia dirigatur, in his dumtaxat præcipue quæstionibus quibus totius catholici dogmatis fundamenta nituntur. Item diximus in ipsa rursus ecclesia universitatis pariter & antiquitatis consensionem spectari oportere; ne aut ab unitatis integritate * in partem schismatis abrumpamur, aut
P.365. a vetustatis religione in hæreseon novitates præcipitemur. Item diximus in ipsa ecclesiæ vetustate duo quædam vehementer studioseque observanda, quibus penitus inhærere deberent quicumque hæretici esse nollent: primum, si quid esset antiquitus ab omnibus ecclesiæ catholicæ sacerdotibus universalis concilii auctoritate decretum: deinde si qua nova exsurgeret quæstio ubi id minime reperiretur, recurrendum ad sanctorum patrum sententias, eorum dumtaxat qui suis quisque temporibus & locis in unitate communionis & fidei permanentes magistri probabiles exstitissent; & quidquid uno sensu atque consensu tenuisse invenirentur, id ecclesiæ verum & catholicum absque ullo scrupulo judicaretur. Quod ne præsumtione magis nostra quam auctoritate ecclesiastica promere videremur, exemplum adhibuimus sancti concilii quod ante triennium ferme in Asia apud Ephesum celebratum est VV. CC. Basso Antiochoque consulibus: ubi cum de sanciendis fidei regulis disceptaretur, ne qua illic forsitan profana novitas in modum perfidiæ Ariminensis * obreperet, universis sacerdotibus qui illo * ducenti fere numero convenerant, hoc catholicissimum, fidelissimum atque optimum factu visum est, ut in medium sanctorum patrum sententiæ proferrentur, quorum alios martyres, alios confessores, omnes vero catholicos sacerdotes fuisse & permansisse constaret; ut scilicet rite atque solemniter ex eorum consensu atque decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur & profanæ novitatis blasphemia condemnaretur. Quod cum ita factum foret, jure meritoque impius ille Nestorius catholicæ vetustati contrarius, beatus vero Cyrillus sacrosanctæ antiquitati consentaneus judicatus est. Et ut ad fidem rerum nihil deesset, tam nomina & numerum (licet ordinem fuissemus obliti) edidimus eorum patrum juxta quorum ibidem concinentem sibi concordemque sententiam & legis sacræ proloquia exposita sunt & divini dogmatis regula constabilita est: quos, ad confirmandam memoriam, heic quoque recensere nequaquam superfluum est. P.365.

XXX. Sunt ergo hi viri quorum in illo concilio vel tamquam judicum vel tamquam testium scripta recitata sunt. Sanctus Petrus Alexandrinus episcopus, doctor præstantissimus & martyr beatissimus. Sanctus Athanasius, ejusdem civitatis antistes, magister fidelissimus & confessor eminentissimus. Sanctus Theophilus, ejusdem item urbis episcopus, vir fide, vita, scientia satis clarus: cui successit venerandus Cyrillus, qui nunc Alexandrinam inlustrat ecclesiam. Et ne forsitan unius civitatis ac provinciæ doctrina hæc putaretur, adhibita sunt etiam illa Cappadociæ lumina, sanctus Gregorius episcopus & confessor de Nazianzo, sanctus Basilius Cæsareæ Cappadociæ episcopus & confessor, sanctus item alter * Gregorius Nyssenus episcopus, fidei, conversationis, integritatis & sapientiæ merito, fratre Basilio dignissimus. Sed ne sola Græcia aut oriens tantum, verum etiam occidentalis & Latinus orbis ita semper sensisse adprobaretur, lectæ sunt quoque ibi quædam ad quosdam epistolæ sancti Felicis martyris & sancti Julii urbis Romæ episcoporum. Et ut non solum * caput orbis, verum etiam latera illi judicio testimonium perhiberent, adhibitus est a meridie beatissimus Cyprianus episcopus Carthaginiensis & martyr, a se-

a I. Cor. I. 10. b I. Cor. XIV. 33. c Ibid. ✝. 36. d Ibid. ✝. 37. e Ibid. ✝. 38.

1. Ita editiones & manuscripti libri.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

ptemtrione S. Ambrosius Mediolanensis episcopus. Hi sunt igitur omnes apud Ephesum sacrato decalogi numero magistri, consiliarii, testes, judicesque producti: quorum beata illa synodus doctrinam tenens, consilium sequens, credens testimonio, obediens judicio, absque tædio, præsumtione, & gratia de fidei regulis pronuntiavit. P.367. Quamquam multo amplior majorum numerus adhiberi potuerit, sed necesse non fuit; quia neque multitudine testium negotii tempora occupari oportebat, & decem illos non aliud vere sensisse quam ceteros omnes collegas suos nemo dubitabat.

XXXI. Post quæ omnia, adjecimus etiam beati Cyrilli sententiam, quæ gestis ipsis ecclesiasticis continetur. Namque cum lecta esset S. * Capreoli episcopi Carthaginiensis epistola, qui nihil aliud intendebat & precabatur nisi ut, expugnata novitate, antiquitas defenderetur, ita episcopus Cyrillus proloquutus est & definivit: quod heic quoque interponere non abs re videtur. Ait enim in fine gestorum. *Et hæc*, inquit, *quæ lecta est epistola venerandi & multum religiosi episcopi Carthaginiensis Capreoli fidei gestorum* [1] *inferetur; cujus aperta sententia est. Vult etenim antiquæ fidei dogmata confirmari, novitia vero & superflue adinventa & impie * promulgata reprobari atque damnari. Omnes episcopi adclamaverunt: Hæ omnium voces sunt, hæc omnes dicimus, hoc omnium votum est.* Quæ tandem omnium voces, aut quæ omnium vota, nisi ut quod erat antiquitus traditum teneretur, quod adinventum nuper, exploderetur? Post quæ admirati sumus & prædicavimus quanta concilii illius fuerit humilitas & sanctitas, ut tot numero sacerdotes, pæne ex majori parte * metropolitani, tantæ eru- P.368. ditionis, tantæque doctrinæ ut prope omnes possent de dogmatibus disputare, quibus propterea ipsa in unum congregatio audendi ab se aliquid & statuendi addere videretur fiduciam; nihil tamen novarent, nihil præsumerent, nihil sibi penitus adrogarent, sed omnimodis præcaverent ne aliquid posteris traderent quod ipsi a patribus non accepissent; & non solum in præsenti rem bene disponerent, verum etiam post futuris * exempla præberent, ut & ipsi scilicet sacratæ vetustatis dogmata colerent, profanæ vero novitatis adinventa damnarent. Invecti etiam sumus in Nestorii sceleratam præsumtionem, quod sacram scripturam se primum & solum intelligere, & omnes eos ignorasse jactaret quicumque ante se magisterii munere præditi, divina eloquia tractavissent; universos scilicet sacerdotes, universos confessores & martyres, quorum alii explanassent Dei legem, alii vero explanantibus consensissent vel credidissent, totam postremo etiam nunc errare & semper errasse adseveraret ecclesiam, quæ, ut ipsi videbatur, ignaros erroneosque doctores & sequuta esset & sequeretur.

XXXII. Quæ omnia licet cumulate abundeque sufficerent ad profanas quasque novitates obruendas & exstinguendas; tamen ne quid deesse tantæ plenitudini videretur, ad extremum adjecimus geminam apostolicæ sedis auctoritatem, unam scilicet sancti papæ Sixti qui nunc Romanam ecclesiam venerandus inlustrat, alteram decessoris sui beatæ memoriæ papæ Cælestini, quam heic quoque interponere necessarium judicavimus. Ait ita sanctus papa * Sixtus in epistola quam de caussa Nestorii Antiocheno misit episcopo: *Ergo*, inquit, *quia, sicut ait Apostolus, fides una est quæ evidenter obtinuit, dicenda credamus & tenenda dicamus.* P.369. Quæ sunt tandem illa credenda & dicenda? Sequitur, & ait: *Nil ultra*, inquit, *liceat novitati, quia nihil addi convenit vetustati. Perspicua majorum fides & credulitas nulla cœni permixtione turbetur.* Omnino apostolice; ut majorum credulitatem perspicuitatis lumine ornaret, novitias vero profanitates cœni permixtione describeret. Sed & sanctus papa Cælestinus pari modo eademque sententia. Ait enim in epistola quam Gallorum sacerdotibus misit, arguens eorum conniventiam quod antiquam fidem silentio destituentes, profanas novitates exsurgere paterentur. *Merito*, inquit, *caussa nos respicit, si * silentio foveamus errorem. Ergo corripiantur hujusmodi; non sit his liberum habere pro voluntate sermonem.* Heic aliquis fortasse addubitet, quinam sint illi quos habere prohibeat liberum pro voluntate sermonem, vetustatis prædicatores, an novitatis adinventores. Ipse dicat, dubitationem legentium ipse dissolvat. Sequitur enim: *Desinat*, inquit, *si ita res est*, (id est, si ita est ut apud me quidam urbes & provincias vestras criminantur, quod eas quibusdam novitatibus consentire noxia dissimulatione faciatis) *desinat itaque*, inquit, *si ita res est, incessere novitas vetustatem.* Ergo hæc fuit beati Cælestini beata sententia, ut non vetustas cessaret obruere novitatem, sed potius novitas desineret incessere vetustatem.

XXXIII. Quibus apostolicis catholicisque decretis quisquis refragatur, insultet primum omnium necesse est memoriæ sancti Cælestini, qui statuit ut desineret incessere novitas vetustatem, deinde inrideat definita sancti Sixti, qui censuit ne ultra quidquam liceat novitati, quia nihil addi convenit vetustati: P.370. sed & beati Cyrilli statuta contemnat, qui venerandi Capreoli zelum magna prædicatione laudavit, quod antiqua fidei dogmata confirmari cuperet, novitia vero adinventa damnari; Ephesinam quoque synodum, id est, totius pæne orientis sanctorum episcoporum judicata proculcet, quibus divinitus placuit, nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacrata sibique in Christo consentiens sanctorum patrum tenuisset antiquitas, quique etiam vociferantes & adclamantes, uno ore testificati sunt has esse omnium voces, hoc omnes optare, hoc omnes censere; ut sicut universi fere ante Nestorium hæretici, contemnentes vetustatem & adserentes novitatem, damnati forent, ita ipse quoque Nestorius, auctor novitatis & impugnator vetustatis, condemnaretur. Quorum sacrosanctæ & cælestis gratiæ munere inspirata consensio si cui displicet, quid aliud sequitur nisi ut profanitatem Nestorii adserat non jure damnatam? Ad extremum quoque universam Christi ecclesiam & magistros ejus Apostolos & Prophetas, præcipueque tamen beatum Apostolum Paullum, velut quædam purgamenta contemnat; illam, quod a religione colendæ & excolendæ semel sibi traditæ fidei numquam recesserit; illum vero, qui scripserit: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates*; & item: *Si quis vobis annuntiaverit, præter quam quod accepistis, anathema sit.* Quod si neque apostolica definita neque ecclesiastica decreta temeranda sunt, quibus secundum sacrosanctam universitatis & antiquitatis consensionem P.371. cuncti semper hæretici, & ad extremum Pelagius, Cælestius, Nestorius, jure meritoque da-

1. Leg. *inferatur*. Gr. ἐμφερέσθω, ut legitur tom. III. Conc. pag. 1077. a.

mnati sunt, necesse est profecto omnibus deinceps catholicis qui se se ecclesiæ matris legitimos filios probare student, ut sanctæ sanctorum patrum fidei inhæreant, adglutinentur, * immoriantur, profanas vero profanorum novitates detestentur, horrescant, insectentur, persequantur.

A Hæc sunt fere quæ duobus Commonitoriis latius disserta, aliquanto nunc brevius recapitulandi lege constricta sunt; ut memoria mea cui adminiculandæ ista confecimus, & commonendi assiduitate reparetur, & prolixitatis fastidio non obruatur.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

Explicit tractatus PEREGRINI *contra hæreticos.*

STEPHANI BALUZII
NOTÆ
AD VINCENTIUM
LIRINENSEM.

Pag. 315. I*Ncipit tractatus*] Heic reddidimus bona fide ipsa verba veterum exemplarium, cum quibus conlatum est hoc Commonitorium. Nam editiones ita vulgo habent: *Vincentii Lirinensis, natione Galli, pro catholicæ* cet. Nemo autem opinor, dubitabit quin germana sit inscriptio codicum veterum, qui apud Gennadium viderit Vincentium scripsisse adversus hæreticos *validissimam disputationem, quam absconso nomine suo intitulavit* PEREGRINI *adversum hæreticos*. Optaverat sane Bartholomæus Petrus, ut titulus iste restitueretur huic Commonitorio.

Ibid. *Fili mi, hos*] In vetusto codice regio scriptum est: *Fili meus serm.* in recentiori vero, *Fili meos serm.*

Ibid. *Tempus, propterea*] Omnes libri: *Sed tempus*. Corbejensis mutilus est in hoc loco. Veteres edit. *Et tempus*.

Ibid. *Invicem rapere debemus*] Plinius lib. III. epist. VII. *Et quatenus nobis denegatur diu vivere, relinquamus aliquid quo nos vixisse testemur*.

Pag. 316. *Urbium frequentiam*] Zosimus papa in epist. ad Hesychium episcopum Salonitanum: *Significas nonnullos ex monachorum populari cœtu, quorum solitudo quavis frequentia major est, sed & laicos, ad sacerdotium festinare*. Hieronymus in epistola ad Heliodorum: *Interpretare vocabulum monachi, hoc est, nomen tuum. Quid facies in turba qui solus es?* Idem in epistola ad Rusticum: *Mihi oppidum carcer est, & solitudo paradisus est. Quid desideramus urbium frequentiam, qui de singularitate censemur?*

Ibid. *Remotioris villulæ*] Lirinensis. Ergo in insula illa, præter monasterium, erat aliqua habitatio hominum sæcularium. Remotiorem porro villulam vocavit Lirinum: quia cum insula esset in mari mediterraneo constituta, manifestum erat eam remotam esse ab urbibus & oppidis.

Ibid. *Ego sum Dominus*] Quamvis sciam editiones habere *Deus*, quo modo scriptum est in libro psalmorum, non ausus sum reluctari vetustis codicibus uno consensu proferentibus lectionem quam nos retinuimus.

Ibid. *Secularis militiæ*] Hieronymus in epistola ad Nepotianum: *Petis a me, Nepotiane carissime, litteris transmarinis, & crebro petis, ut tibi brevi volumine digeram præcepta vivendi, & qua ratione qui sæculi militia derelicta vel monachus cœperit esse vel clericus, rectum Christi tramitem teneat*.

B Ibid. *Portum religionis*] Faustus Rejensis in epistola VI. ad Ruricium: *Ego autem hanc primam munificentiam Domino largiente percepi, quod piissimus meus Ruricius post vitæ hujus jactationes ad portum religionis proram salutis Excelsi manu gubernante convertit*.

Ibid. *Vanit. ac sup. flatibus*] Salvianus epist. IX. pag. 214. *Præcipimur vitare omnibus modis terrestris gloriæ vanitatem*.

Ibid. *Futuri sæculi incendia*] Vide quæ de æterno igne dicta sunt supra ad lib. III. de gubernatione Dei pag. 56.

Ibid. *Commonitorium*] Paullinus epist. IX. ad Severum: *Ipsam adnotationem quam Commonitorii vi-*
C *ce miseras, litteris meis inditam direxi ad Rufinum*. Ea vox per eas tempestates maxime in usu erat ad significanda mandata quæ legatis scripto dabantur in provincias proficiscentibus; velut Commonitorium a Cælestino papa datum legatis euntibus ad orientem, Commonitorium ab imperatore Theodosio datum Elpidio comiti ad synodum Ephesinam jussu principis proficiscenti, Commonitorium a Zosimo papa datum Faustino cum in Africam mitteretur, itemque alia. Heic vero significat quoddam scriptionis genus, cujusmodi sunt adversaria, ad sublevandam memoriam ejus qui rem quampiam cupit habere semper in memoria, tamquam a commonendo.

D Ibid. *Sanctorum*] Id est, eorum qui sæculum reliquerant, clericorum videlicet & monachorum.

Pag. 317. *Novatianus*] Postea sequitur in quibusdam editionibus, *aliter Photinus*. At cum veteres libri & editiones omittant hoc loco mentionem Photini quem ponunt post Macedonium, ita nos quoque faciendum esse censuimus.

Ibid. *Pelagius, Cælestius*] Hos & heic & alibi conjungit Vincentius, quia Cælestius fuit discipulus Pelagii, ut dicet infra Vincentius pag. 355. Illos pariter jungunt & alii temporum illorum scriptores, & inter hos Honorius augustus & Aurelius episcopus Carthaginiensis, aliique quorum cura enituit adversus Pelagium & Cælestium.

E Pag. 318. *Sacerdotum & magistror.*] Episcoporum videlicet & eorum qui tamen etsi episcopi non fuerunt, ecclesiæ tamen magistri appellabantur: veluti, ut istos exempli caussa sumamus, Origenes & Tertullianus.

Ibid. *Univer. concilii*] Codex vetus bibliothecæ regiæ, Colbertinus & veteres editiones sic habent.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

Itaque repudiavimus aliam lectionem, quæ *ecclesiæ* exhibet pro *concilii*.

Pag. 319. *Arrianorum*] Codex Colbert. *Arriorum*. Sic edidit Pithœus: quam lectionem exemplis confirmat Filesacus in commentario ad hunc locum.

Pag. 320. *Depullatæ viduæ*] Ita quædam editiones; sed veteres habent *depopulatæ*: quo etiam modo legitur in codicibus regiis. At in Colbertino scriptum est *depulata*. Recte enim dixit depullatas viduas. Pullæ enim vestes erant tum insignia viduarum.

Ibid. *Mon. demolita*] Codex regius, *dilacerata monasteria*. Sic etiam in Colbertino.

Pag. 321. *Dissignare*] Sic reponi debere visum est pro eo quod in superioribus editionibus scripseramus *resignare*. Nam & codex Colbertinus & heic & paullo post habet *dissignare*; & codex vetus bibliothecæ regiæ, qui isthic legit *dessignare*, in alio loco præfert *dissignare*. Atque utrobique *dissignare* reposuit Pithœus. Immo in vetustissimo exemplari ms. operum sancti Ambrosii signato num. 5154. in bibliotheca Colbertina aperte scriptum est utrobique *dissignare*. Tres tamen antiqui codices ejusdem bibliothecæ in quibus exstant opera sancti Ambrosii, veteres editiones Vincentii nostri, & editiones Parisienses operum sancti Ambrosii habent *designare*. Primus, ut arbitror, Costerus *resignare* scripsit apud Vincentium; & ita etiam postea scriptum est in editione Romana operum sancti Ambrosii, cum aliæ habeant *designare*, uti jam monuimus. *Dissignare* est signum sive sigillum solvere. Vide glossarium Dufresnii.

Ibid. *Prædicamus plane*] Ista semel tantum leguntur in veteri codice regio & in Colbertino, tum etiam in veteribus editt. Quia tamen illa bis ponuntur in aliis codicibus, & aliquam habent elegantiam, ea retinuimus.

Ibid. *Etsi adsequi*] Sic Cassianus in lib. VII. de incarnatione Domini, loquens de Joanne episcopo Constantinopolitano, quem nos Chrysostomum appellamus, ait: *Quod etsi assequi grande est ac difficile, sequi tamen pulcrum atque sublime*. Et Ruricius Lemovicensis episcopus ad Sidonium scribens lib. I. epist. IX. *Vestram attingere cupio disciplinam: quam etsi assequi grande est atque difficile, sequi tamen pulcrum est atque sublime*. Sumsit videlicet ex Cassiano. Ut vel hinc appareat Ruricium optimorum auctorum lectione semet oblectatum fuisse.

Ibid. *Spiritales*] Codex Colbert. *spiritaliter*.

Ibid. *Confessor. virtute*] Ita prorsus codex regius vetus, cum editiones haberent *confessionum*.

Pag. 322. *Radiantes*] Veteres edit. *radiantis*. Vetus codex regius & Colbert. *radiati*.

Ibid. *Formulam præmonst.*] Simile quid exstat apud Tacitum in XVI. annalium libro, ubi de P. Egnatio, qui Sorani quondam cliens, tunc ad opprimendum amicum emtus erat, ait: *Dedit exemplum præcavendi quomodo fraudibus involutos, sic specie bonarum artium falsos, & amicitiæ fallaces*.

Ibid. *Exemplis talibus*] Sidonius lib. VIII. epist. X. *Scaturit mundus similibus exemplis*.

Ibid. *Apostolica sede*] Id est, Romana, quam Apostoli Petrus & Paullus sanguine suo consecraverant, quamque vulgo intelligunt occidentales cum sedem apostolicam simpliciter dicunt, quod ea sola apostolica esset in occidente. Neque tamen protinus verum est quod ait vir clarissimus Stephanus Pasquierius in lib. III. disquit. Francic. cap. IX. ubi scribit Clodoveum regem, cum sic scriberet ad episcopos, *Dominis sanctis & apostolica sede dignissimis*, intelligere sedem Romanam, multumque ex eo honorem episcopis a rege tribui putat quod censeat eorum merita tanta esse ut digni sint præsidere sanctæ sedi apostolicæ Romanæ. Vana inquam interpretatio. Olim enim omnes ecclesiæ dicebantur apostolicæ, quod fidem suam ab apostolica illa prima sede accepissent quam Apostoli fundaverant. *Ac per hoc*, inquit Tertullianus in libro de præscriptionibus adversus hæreticos, *& ipsæ apostolicæ deputantur, ut soboles apostolicarum ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot ac tantæ ecclesiæ, una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ, & omnes apostolicæ, dum unam omnes probant unitatem*. Erant itaque Clodovæi ævo vulgata hæc honoris vocabula inter episcopos, non solum cum ad omnes simul scribebatur, sed in epistolis ad unum quemque eorum scriptis. Ob hoc igitur olim omnes episcopi dicebantur Apostolici, ut cuivis notissimum est. Vide notas ad Lupum Ferrar. pag. 480. & ad Agobardum pag. 114.

Ibid. *Apostolor. successio*] Id est, successores Apostolorum Petri & Paulli in ecclesia Romana, qui Romæ [1] in cathedra eorum sederunt. Non dubitat ergo Vincentius quin Romana ecclesia fundata fuisset a Petro & Paullo. Vide notas ad epist. LXXXIV. Lupi Ferrariensis.

Ibid. *Contra divinum canonem*] Observa ordinem quem sequi oportet in caussis fidei. Primum intemerata debet esse auctoritas divini canonis, id est, sacrorum bibliorum. Deinde nihil tentare oportet adversus doctrinam ubique receptam. Tertio, si quid in commune de caussa fidei senserint episcopi, illud quoque debet esse inviolatum. Postremo magna traditioni reverentia, magnus antiquitati habendus est honor, ita ut nefas sit recedere a tradita semel & suscepta apud Christianos fide. Si sequamur has regulas, numquam faciemus hæresim.

Pag. 323. *Præ ceteris*] Videtur heic Vincentius æqualitatem quamdam inducere inter Stephanum papam & ceteros episcopos, nisi quod ei primum locum tribuit & aliquam prærogativam propter loci auctoritatem. Sic Augustinus in libro de unico baptismo cap. XIV. comparationem quamdam instituit inter Stephanum & Cyprianum, dum ait: *Duo erant eminentissimarum ecclesiarum, Romanæ scilicet & Carthaginiensis, episcopi, Stephanus & Cyprianus, ambo in unitate catholica constituti*. Attamen illud est constantissimum, Romanum pontificem semper habuisse primatum in toto orbe, & pro veritate plus ceteris consacerdotibus posse, ut Facundi verbis utamur. Vide notas ad Lupum Ferrariensem pagg. 429. 441.

Ibid. *Loci auctoritate*] Concilium Parisiense ad Ludovicum & Lotharium augg. scribens anno DCCCXXIV. adversus papam Romanum: *Verebitur siquidem potestatem vestram, auctoritatem sedis & testimonia veritatis*.

Ibid. *In epistola*] Ea nunc non exstat. Sed Cyprianus, ad quem scripta est, mentionem illius facit in epist. LXXIV. ad Pompejum, ubi hoc fragmentum refert in epistola Stephani: *Si quis ergo a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam; cum ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum*. Putavit autem Nicolaus Rigaltius hanc partem epistolæ Stephani, *ut manus illi imponatur in pœnitentiam*, deesse apud Vincentium Lirinensem in hoc loco. Sed pace tanti viri dictum sit, inutile esset membrum hoc apud Vincentium. Etenim ille non disputat quonam modo recipi oporteat hominem ab hæreticis baptizatum ad ecclesiam catholicam venientem. Illud tantum

1. *In cathedra eorum*] Hæc loquendi ratio haud satis castigata videtur.



auctoritate Stephani probare voluit, nihil novandum esse, non solum in doctrina de baptismo, sed etiam in omnibus caussis fidei, præter id quod traditum est, retinendam antiquitatem, explodendam novitatem, ut ipse mox dicet. Ceterum istius Stephani epistolæ meminit & Eusebius in lib. VII. hist. ecclesiast. cap. III.

Pag. 324. *Africani concilii*] Duo valde celebria episcoporum concilia fuere apud Afros, quæ doctrinam de rebaptizatione sanciverunt. Primum, cujus in epistt. LXXI. & LXXIII. meminit Cyprianus, congregatum fuit ab Agrippino episcopo Carthaginiensi, cui interfuerunt episcopi provinciarum Africæ & Numidiæ. Secundum, sub Cypriano habitum Carthagine anno CCLVI. cui interfuerunt Afri, Numidæ & Mauri. De posteriore loqui Vincentium puto.

Ibid. *Abolita, antiquata*] Consensu nimirum ecclesiæ catholicæ, quæ repudiavit eorum sententiam qui censuerant hæreticos ad ecclesiam venientes esse rebaptizandos. Istud enim dogma postea catholicus orbis terrarum robustissima firmitate consensionis exclusit, ut Augustinus ait in lib. III. de baptismo adversus Donatistas cap. II. Quæri autem potest hoc loco, an non Vincentius senserit cum Hieronymo decretum de rebaptizandis hæreticis editum in concilio Africano sub Cypriano, cassatum ab iisdem episcopis fuisse qui condiderant. Hieronymus in dialogo adversus Luciferianos: *Conatus est beatus Cyprianus contritos lacus fugere nec bibere de aqua aliena; & idcirco hæreticorum baptisma reprobans, ad Stephanum tunc Romanæ urbis episcopum, qui a beato Petro vigesimus sextus fuit, super hac re Africanam synodum direxit. Sed conatus ejus frustra fuit. Denique illi ipsi episcopi qui rebaptizandos hæreticos cum eo statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum emisere decretum*. Sed huic Hieronymi testimonio multa repugnare videntur. Primum constat auctoritate concilii Arelatensis viguisse per multa tempora post Cyprianum doctrinam de rebaptizatione apud Afros. Deinde istud ipsum probatur ex concilio Carthagine habito apud Gratum episcopum: quod licet constiterit ex episcopis quorum animus abhorrens erat a rebaptizatione, evincit tamen eam doctrinam nondum abolitam fuisse apud Afros, tamen etsi plerique contra sentirent. Præterea concilium Cypriani adhuc ævo Vincentii in auctoritate fuisse probat exemplum Donatistarum, qui (ut mox dicet Vincentius, & constat ex diversis Augustini locis) illius auctoritate concilii rebaptizare se jactitabant. Denique nullum novi istius decreti testimonium alibi exstat in tota antiquitate. Quod tamen si fuisset, haud dubie eo usi frequenter essent adversarii Donatistarum. Contra, Augustinus in epist. XLVIII. adnotat non inveniri Cyprianum sententiam de rebaptizandis hæreticis suam correxisse. Itaque fieri potest ut Hieronymus, cum videret rebaptizationem a catholicis Afris rejici, fortassis odio adversus Donatistas, putaverit eos ad antiquam consuetudinem revolutos esse statim post concilium habitum sub Cypriano quemadmodum Augustinus in libro III. de baptismo cap. II. ait Afros ad pristinam consuetudinem rediisse post Agrippinum. Ceterum rebaptizationem a nonnullis Afris diu retentam fuisse colligitur ex sancto Gregorio in lib. II. Indict. X. epist. XXV. & ex epistola Nicolai II. ad clerum, ordinem & plebem consistentem in civitate Sistaricensi, quæ edita est ab Honorato Bouche in historia Provinciæ tom. II. pag. 78. itemque ex decreto Alfani episcopi Salernitani edito a Ferdinando Ughello in tomo VII. Italiæ sacræ pag. 802.

Ibid. *Absolvuntur magistri*] Augustinus in libro de unico baptismo cap. XII. *Ego autem ut quod de hac re sentio breviter dicam, rebaptizare hæreticos, quod illi fecisse dicuntur, tunc fuit humani erroris; rebaptizare autem catholicos, quod adhuc isti faciunt, semper est diabolicæ præsumtionis*.

Ibid. *Rebaptizare*] Damnata ergo communi consensu est doctrina rebaptizationis. In quo secuta est ecclesia sententiam papæ Stephani. Verumtamen quod ait Stephanus ita suscipiendos esse hæreticos qui ad ecclesiam veniebant, ut manus eis imponeretur in pœnitentiam; istud alii ita efferunt, ut statuant manus eis tantum imponi ut accipiant Spiritum sanctum. Concilium Arelatense canone VIII. *De Afris, quod propria lege sua utuntur ut rebaptizent, placuit, ut si ad ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum symbolum; & si perviderint eum in patre & filio & Spiritu sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum sanctum*. Siricius in epistola ad Himerium loquens de hæreticis, quonam modo recipiendi sint, ait id in ecclesia Romana fieri per invocationem solam septiformis spiritus episcopalis manus impositione, idque totum orientem occidentemque custodire. Plurima istius rei exempla alibi exstant, quæ nunc congerere non est opus. Impositionem sane manus episcopi necessariam visam fuisse antiquitus baptizatis, ut acciperent Spiritum sanctum, multis testimoniis probavit Petrus de Marca in notis ad concilium Claromontanum. Ex quo colligebat Cyprianus hæreticorum baptisma irritum esse, quod illi non haberent Spiritum sanctum; & certum atque manifestum hinc esse baptizare non posse nisi eos qui habeant Spiritum sanctum. Tum addit in epist. LXXVI. *Itaque qui hæreticis sive schismaticis patrocinantur, respondeant nobis, habeant ne Spiritum sanctum, an non habeant. Si habent; cur illis baptizatis, quando ad nos veniunt, manus imponitur ad accipiendum Spiritum sanctum, cum jam utique illic acceptus sit ubi si fuit dari potuit? Si autem foris cuncti hæretici & schismatici non habent Spiritum sanctum, & ideo apud nos manus imponitur ut heic accipiatur quod illic nec est nec dari potest; manifestum est nec remissionem peccatorum dari per eos posse quos constet Spiritum sanctum non habere*.

Ibid. *Pertimescunt*] Vetus codex regius & Colbert. *extimescunt*.

Pag. 330. *Is subito*] Corb. & Colbert. *is si subito*.

Ibid. *Gregem Christi lacerare*] Verba sunt Cypriani in epistola LXVII. qui corpus episcoporum ideo concordiæ mutuæ glutino atque unitatis vinculo copulatum esse ait, ut si quis ex collegio eorum hæresim facere & *gregem Christi lacerare* & vastare tentaverit, subveniant ceteri. Itaque *gregem Christi lacerare* hoc loco nihil aliud significat quam hæresim facere. Infra pag. 357. *Qui sunt lupi rapaces nisi sensus hæreticorum feri & rabidi, qui caulas ecclesiæ semper infestant & gregem Christi quaqua possunt dilacerant*.

Ibid. *Morsibus suis*] Ita vetus regius, Corbejensis & Colbertinus. At editiones & recentior regius habent *morsibus ejus*.

Ibid. *Imperii judicio electum*] Quippe cum post Sisinnii episcopi CP. mortem ea sedes vacaret, pluresque eam ambirent; Theodosius imperator, ut pacem in ea ecclesia retineret, electionis summam in se traxit, exclusisque omnibus ecclesiæ CP. cle-

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 445.

ricis, Nestorium ex Antiochia accitum ad sedem A Constantinopolitanam evexit, ut Socrates scribit lib. VII. cap. XXIX. Ordinatus autem est anno CCCCXXVIII. IV. Idus Aprilis. Vide Petrum de Marca in libro VIII. de Concordia cap. IX. paragr. VI.

Ibid. *Tanto sacerdot. studio*] Vide epistolam Cælestini ad Nestorium & synodicon adversus Tragœdiam Irenæi capp. XCV. CXVII.

Ibid. *Confutabat errores*] Vide Socratem lib. VII. cap. XXIX. & synodicon cap. VI. pag. 694. in editione nostra.

Pag. 331. *Magnos æstus*] Hæc est lectio codicis regii. Unde confirmatur conjectura Bartholomæi Petri, qui in margine editionis suæ adnotavit legendum esse *æstus* pro eo quod editiones habebant B *actus*.

Pag. 337. *Et Manichæorum*] Ego arbitror hæc esse superflua & addita fuisse a sciolo quodam; qui cum non intelligeret Vincentium, putaretque eam comparationem sumi a Manichæis, quorum dementiam hanc esse paullo post dicit Vincentius, putavit nomen Manichæorum addendum esse huic parenthesi.

Ibid. *Sacerdotem effingit*] Ergo tum tragœdi & comœdi induebant palam ac publice personam episcopi, non secus ac aliorum hominum. Istud tamen vetitum fuisse hinc colligi potest, quod illud etiam circa monachas & ascetrias vetuit Justinianus august. curamque exsecutionis committit etiam epi- C scopis. Vide Julianum antecessorem cap. CCCCXCIV. & lib. V. Capitular. cap. CCCLXXXVIII.

Pag. 339. *Et filium hominis*] In tribus antiquis codicibus legitur, *& filius hominis descendisse & Dominus majestatis crucifixus in terra*.

Pag. 342. *Vere catholici*] Veteres edit. *fere*. Sic etiam codices Colbertinus & Corbejensis.

Ibid. *Inlustrata martyrio*] Filius enim fuit Leonidis, qui sub Severo principe pœnam capitis subiit, eam contumeliam passus ob Christi nomen.

Pag. 343. *Nemo mort. plura*] Hieronymus in epistola ad Pammachium & Oceanum, de Origene loquens: *Mille & eo amplius tractatus quos in ecclesia locutus est, edidit; innumerabiles præterea* D *commentarios, quos ipse appellavit tomos, & quos nunc prætereo, ne videar operum ejus indicem texere. Quis nostrum potest tanta legere, quanta ille conscripsit?*

Ibid. *Philippum imp.*] Hunc & alii veteres auctores Christianum fuisse scribunt, & in primis Eusebius lib. VI. hist. ecclesiast. cap. XXXIV. Vide Baronium ad an. CCXLVI. & Filesacum ad hunc Vincentii locum.

Pag. 344. *Cum Origene errare*] Imitatum ex Cicerone, qui in libro I. Tusculanarum quæstionum sic loquitur: *Errare malo cum Platone quam cum istis vera sentire*. Claudianus Mamertus in libro II. de statu animæ cap. XI. *Ego vero præeligerem* E *ab istis cum Eucherio rejici, quam cum istis a veritate damnari*.

Ibid. *Corr. e. Origen. libros*] Vetus est hæc querela, cui respondet Hieronymus in epistola ad Pammachium & Oceanum. Vide Sulpicium Severum Dialogo I. cap. III.

Pag. 348. *In diem*] Codex Corb. *de die in diem*.

Pag. 349. *Corpus præpositor.*] Id est, episcoporum. Ecclesia enim est in episcopis, ut Cyprianus ait in epist. LXXIX. *Etsi contumax ac superba obaudire volentium multitudo discedat, ecclesia tamen a Christo non recedit; & illi sunt ecclesia plebs sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens. Unde scire debes episcopum in ecclesia esse, & ecclesiam in episcopo; & si qui cum episcopo non sit, in ecclesia non esse*.

Pag. 350. *Beseleel*] *Alludit*, inquit Costerius, *ad vetus Judaicæ gentis tabernaculum, quod Beseleel divina sapientia præditus summo artificio exstruit. Locus est Exodi XXXI. cap.*

Pag. 351. *Præformaverat*] In veteri codice regio scriptum est *præliciaverat*. Ita etiam in Colbertino.

Pag. 352. *Subdititium*] Codex regius vetus, Corb. & Colbert. habent *subditivum*.

Pag. 353. *Alia & alia*] Vetus reg. *alia & alia*. Colbert. & Corb. *aliæ & aliæ*.

Ibid. *Repudiatis*] Vetus regius, Colbertinus & Corb. *repudiandis*.

Pag. 354. *Novæ appellationis*] Displicuit Arrianis hæc disciplina, qui nolebant verba quæ non scripta sunt dici, ut Hilarii verbis utamur. Nam concilium Nicænum, ut omnes cavillandi aditus præcluderet Arrianis, vocem ὁμοούσιος, quamquam non exstaret in sacris litteris, in symbolo posuit; cui subscribere deberent quotquot se catholicos esse vellent probare; ut docet Athanasius multis in locis, sed præcipue in epistola ad Afros pag. 937. & hinc Theodoretus lib. I. histor. ecclesf. cap. VII. Scribit præterea Socrates lib. I. cap. VIII. Eusebium Nicomediensem episcopum, & qui cum eo erant, vocem consubstantialis plurimis cavillis ac dicteriis insectatos fuisse. Mansit tamen sua huic voci auctoritas, vociferantibus licet & clamantibus Arrianis eam novam esse. Unde colligere possumus posse ecclesiam, cum ea temporum necessitas est, nova verba invenire ad explicandam fidem Chistianorum.

Pag. 355. *Discipulum ejus Cælestium*] Illud est notissimum; & præterea scriptum est a Mario Mercatore in Commonitorio adversus Cælestium. *Ob hoc*, inquit, *a beatæ memoriæ Zosimo episcopo scriptis amplissimis vel longissimis perdamnatus est Cælestius, in quibus & ipsa capitula de quibus accusatus fuerat continentur; ut omnis caussa, tam de Cælestio supra scripto, quam de Pelagio magistro ejus praviore, videretur esse narrata*.

Pag. 356. *Regum libros*] Veteres edit. *regnorum*. Sic etiam vetus codex regius & Colbertinus.

Pag 362. *Doctores, qui tractatores*] Vide notas ad Lupum Ferrariensem pag. 479. & Filesacum in commentario ad hunc locum.

Pag. 364. *Juliano Pelagiano*] Meminisse hoc loco debemus adnotatum a nobis supra fuisse Commonitorium istud a Vincentio scriptum esse anno CCCCXXXIV., tertio videlicet post habitam synodum Ephesinam. Tum ergo Julianus in contumacia durabat, licet toties commonitus & invitatus ut rediret ad unitatem. Anno dein CCCCXXXIX. simulans pœnitentiam, molitus est in communionem ecclesiæ irrepere. Testis Prosper in Chronico, Theodosio XVII. & Festo consulibus: *Hac tempestate Julianus Eclanensis, jactantissimus Pelagiani erroris assertor, quem dudum amissi episcopatus intemperans cupido exagitabat, multimoda arte fallendi, correctionis speciem præferens, molitus est in communionem ecclesiæ irrepere. Sed his insidiis Sixtus papa diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens, nullum aditum pestiferis conatibus patere permisit*.

Ibid. *Divini canonis*] Sacræ scripturæ, divinorum librorum. Supra pag. 317. *Cum sit perfectus scripturarum canon*. Pag. 322. *contra divinum canonem*.

Ibid. *Traditione*] Vide Salvianum pag. 99.

Ibid. *In partem schismatis*] Idcirco enim, ut ait



Hieronymus, Petro datus est primatus ut capite constituto, schismatis tolleretur occasio, quod etiam docuit papa Gelasius. Itaque ad vitandum schisma necesse est ut unitatem ecclesiæ sequamur, id est, Romanam ecclesiam, ubi est origo & radix unitatis. Vide Petrum de Marca archiepiscopum Parisiensem in libro I. de concordia cap. II.

Pag. 365. *Obreperet*] Vetus codex regius & Colbert. *subriperet*.

Ibid. *Ducenti fere numero*] Id est, circiter, plus minus. Quamquam variæ sint opiniones veterum de numero episcoporum qui priori synodo Ephesinæ adversus Nestorium habitæ interfuerunt; illa verior videtur quæ ducentos aut circiter fuisse docet. Nam præter testimonium Liberati qui ducentos fuisse tradit, Vincentius noster qui triennio post habitam synodum scribebat, ita confirmat: & ipsi quoque episcopi qui eam celebravere, se ultra ducentos fuisse testantur in epistola data ad imperatores, id est, ducentos decem & octo, ut iidem scribunt ad eosdem imperatores in relatione de orientalibus. Marius tamen Mercator in Commonitorio super nomine Cælestii ait Julianum & Cælestium fuisse damnatos sententia ducentorum septuaginta quinque episcoporum in synodo Ephesiensi. De hac repugnantia commodius alibi dicetur.

Pag. 366. *Gregorius Nyssenus*] Postea in vulgatis editionibus conciliorum adduntur testimonia Attici episcopi Constantinopolitani & Amphilochii episcopi Iconiensis; quæ vetus interpres synodi Ephesinæ docet suo tempore defuisse in quibusdam exemplaribus, uti non exstabant in eo quo Vincentius utebatur. Vide tom. I. novæ nostræ collectionis conciliorum pag. 470.

Ibid. *Caput orbis*] Christiani nimirum, id est, Roma. Quippe Romana ecclesia, ut ad Gratianum imperatorem scripsit concilium Aquilejense, totius orbis Romani caput est, unde in omnes venerandæ communionis jura dimanant.

Pag. 367. *Capreoli epistola*] Ea exstat in gestis concilii Ephesini pag. 477. meæ editionis. Aliam vero ipsius epistolam adversus Nestorianos, in qua mentionem facit legationis Ephesum a se missæ, edidit olim vir celeberrimus Jacobus Sirmondus inter opuscula dogmatica veterum quinque scriptorum.

Ibid. *Promulgata*] Vetus codex regius, Corbejensis & Colbert. *provulgata*.

Ibid. *Metropolitani*] Vel ex hoc loco patet, quantum honorem veteres tribuerint metropolitanis episcopis.

Pag. 368. *Exempla præberent*] Tacitus: *Munimentum in præsens, exemplum in futurum*.

Ibid. *Sixtus in epistola*] In editione istius epistolæ quæ exstat apud Baronium ex codice Vaticano, locus iste sic legitur: *Ergo quia una, sicut dicit Apostolus, fides est, & vincentes obtinuit, dicenda credamus, & tenenda dicamus. Nihil ultra liceat novitati, quia nihil adjici convenit vetustati. Dilucida & perspicua majorum credulitas nulla cœni permixtione turbetur*. Sed hic locus emendatior est in hac editione quam apud Baronium.

Pag. 369. *Silentio foveamus errorem*] Nam *inferiorum ordinum culpæ* (ut ait sanctus Leo in epistola III.) *ad nullos magis referendæ sunt quam ad desides negligentesque rectores; qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam*. Vide rescriptum imperatoris Honorii ad Aurelium episcopum Carthaginiensem. Ex hoc interim loco emendanda est epistola illa Cælestini, quæ sana non est in editionibus.

Pag. 371. *Immoriantur*] Codex Corb. *immorentur*. Sed idem in margine habet *vel immoriantur*.

FINIS NOTARUM.

SANCTI
VALERIANI
EPISCOPI CEMELIENSIS
HOMILIÆ XX.

Item Epistola ad monachos, de virtutibus & ordine doctrinæ apostolicæ.

Ex præclara editione Sirmondiana recensita & aliquot in locis emendata.

ACCESSERUNT

Opuscula S. PATRICIO Hibernorum Apostolo adscripta.

Ex editione Jacobi Waræi nonnullis in locis restituta notisque illustrata.



SANCTI VALERIANI

EPISCOPI CEMELIENSIS

HOMILIA I.

De Bono disciplinæ.

I. MUlti qui sanæ doctrinæ adversantur, justitiam culpant, & disciplinam imperium esse judicant, ac rationabilem castigationem superbiæ assignant: cum non sit imperium, nisi ubi aliquid jubetur injustum; nec sit superbia, nisi ubi negligitur disciplina. Disciplina igitur magistra est religionis, magistra veræ pietatis: quæ nec ideo increpat ut lædat, nec ideo castigat ut noceat. Denique mores hominum irata corrigit, inflammata custodit, ita Salomone dicente: [a] *Fili, ne deficias a disciplina Domini, neque fatigeris cum ab eo increparis. Quem enim diligit Dominus, increpat: flagellat autem omnem filium quem recipit.* Nihil profecto est, quod non disciplina aut emendet, aut salvum faciat. Quam si quis sapiens apprehenderit, nec gratiam amicitiarum perdit, nec periculum damnationis incurrit. Nemo disciplinam irrationabilem putet, sub qua videt universis quæ in cælo & sub cælo sunt, verbo operante compositis omnipotentis Dei stare consilium. In principio enim operis sui Deus nihil prius quam disciplinam fecit. Nam cum assistente sapientia cælum suspenderet, terram pararet, maria concluderet, & suis locis suisque temporibus cursum solis lunæque globum disponeret, omnia sub disciplina constituit. Quid autem non esset tenebrosum, quid non incompositum, quid non haberetur absurdum, nisi constitutis legibus cuncta starent elementa? Numquid sine disciplina agitur solis cursus? qui quamvis diurni itineris necessitatem infatigatus impleverit, ad officium tamen suum matutinus occurrit, & se in parte cæli quotidie terrarum spatia lustraturus ostendit. Tanta est disciplinæ ratio, ut intra temporum metas lege conscriptas ita indefessi itineris alternis vicibus siderum cursus agitetur, ut nec luna defectionis suæ [1] ac damna effugiat, nec solem diurni luminis flamma destituat. Numquid sine disciplina est, quod tanti maris fluctus humili terrarum litore continentur, & in suo sinu frequenter incitata ventis altior aggere unda concluditur? Omnia profecto insipiens natura confunderet, nisi mundum disciplinæ ratio gubernaret.

II. Hæc ideo proposuimus dicere, ut disceretis obedire evangelicis præceptis & cælestibus obtemperare mandatis. Quid autem rationalem animam & ad Dei imaginem factam expediat, facile potest homo intelligere, cum videt sacratis per voluntatem Dei constitutionibus disciplinæ etiam elementa servire. Audite Prophetam dicentem: [b] *Servite Domino in timore, & exsultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.* Bene in omnibus A caussis timor obtemperat disciplinæ: qui pro hoc ipso quod imminentes periculorum casus aut iras judicum cavere novit, potestatem conservandæ salutis obtinuit. Quid igitur adultero castum? quid furi esset tutum? quid latroni non pervium? quis non expavesceret concava litorum, secreta silvarum? quid non præsumtio possideret, nisi furorem animorum sub metu pœnæ disciplina compesceret? Ac nisi constitutus esset ordo vivendi, numquam profecto finem poneret natura peccandi. Nihil est quod non gula suadeat, si gulæ disciplina consentiat. Nihil est quod non perdat luxuria, si amore vitiorum a te disciplina discedat. Nihil est quod non habendi ac possidendi cupiditate animus occupet, nisi avaB ritiæ vitium disciplina condemnet. Omnia sub metu disciplinæ vitia jacent. Jam non est in quo fides umquam erubescat, si homo futurum Dei judicium respiciat & caussam reddendæ rationis intendat: nec est in quo vindex scelerum flamma deſæviat, si intuitu disciplinæ aut quæ sunt honesta cogites, aut quæ sunt pudenda castiges. Multi ibi nomen crudelitatis imponunt, ubi pro amore disciplinæ crimen admissi sceleris supplicio vindicatur latronis: cum sententia judicantis justis legibus serviat; & non solum præsentibus, sed etiam futuris manum porrigat.

III. Quis igitur non licito crederet se debere C peccare, si impudicis & impiis actibus judex non præscriberet disciplinam? Videamus quid lex loquatur: [c] *Non occides, Non adulterabis, Non furaberis, Non falsum testimonium dices.* [2] Hæc sunt disciplinæ legis, quibus etiam districtio sententiæ sæcularis obsequitur, impugnando turpia, resecando criminosa. Nam adjicit scriptura: [d] *Judex non est vindex positus boni operis, sed mali.* Ita ut etiam vicarium pœnæ genus exigat, cum dicit: [e] *Oculum pro oculo, dentem pro dente.* Sed istam antiquæ sententiæ severitatem facile vitare possumus, si flammas futuri judicii cogitemus. Absolute autem docet Paullus Apostolus posse contemni sæcularis arma judicii, qui dicit: [f] *Si vis non timere potestatem,* D *quod bonum est fac.* Sed hæc non otiose tractanda sunt. Nam cum de his terrenis potestatibus Apostoli doctrina commemorat, sensibus nostris cælestis judicii partes insinuat. Nam cum docet serviendum sæculi legibus, admonet necessario hominem futuris cavere temporibus. *Si vis*, inquit, *non timere potestatem, quod bonum est fac.* Hoc est dicere, Vis non futurum timere judicium, [g] *declina a malo, & fac bonum.* Ergo hanc primam constitutionis formam quæ sæculi legibus caret, cavere debemus & vincere, ut possimus a nobis illud præju-

a Prov. III. 11. *b* Psalm. II. 11. 12. *c* Exod. xx. 13-16. *d* Rom. xiii. 3. *e* Lev. xxiv. 20. *f* Rom. xiii. 3. *g* Psalm. xxxvi. 27.

1. *Ac damna*] Illud *ac* importunum videtur. 2. *Hæc sunt*] Lego *hæ s.*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 448.



dicium futuræ mortis excludere: quia quos ista temporalis non affligit pœna, hos illa in æternum insatiabili tormentorum persequitur dolore. Nemo autem illum homicidii crimen evasisse æstimet, quem excusatum sæcularis judicii corrupti sententia absolverit. Nec ille adulterii facinus prætermissum putet, qui indulgentiæ lege deprehensus evasit. Nemo cum sanam dexteram videt falsitatis reo debita jure supplicia judicet fuisse concessa. Defunctis corporibus salva sunt crimina, nisi fuerint prius apud Deum lacrymarum intercessione purgata: exspectat enim reum suum gehenna debitis armata suppliciis. Ad confusionem magis præsentis vitæ, non ad absolutionem criminis, pertinet auctoritas sententiæ sæcularis. Illa ergo nobis sunt ante omnia cogitanda supplicia, ubi homo vivit durante pœna, ubi nec tormenta corpori, nec desunt membra tortori. Quæ tamen facile vitare possumus, si habenas disciplinæ teneamus, ita dicente Apostolo: [a] *Si vis non timere potestatem, bonum fac, & habebis laudem ex ea.*

IV. Quis sapiens non ad hæc disciplinæ bona animum lætus adponat, ubi potest homo non solum criminis pœnam vitare, sed & gratiam laudationis acquirere? Audite Prophetam dicentem: [b] *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.* In hoc loco ad illos, puto, pertinet ista sententia, ad quos nondum disciplina pervenit: qui adhuc in deviis morantur, capti antiquo superstitionis errore. Probantur enim sub lege numquam vixisse, qui admonentur ut apprehendant studium disciplinæ. Sequitur in hoc psalmo: *Ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.* Igitur si illos Propheta statuit reos, ad quos disciplina numquam pervenit; quid de illis judicandum putamus, quos disciplina destituit? Inter utrorumque actus auctoritas propheticæ lectionis incusat minorem plane culpam non pervenisse ad disciplinam, quam legem disciplinæ respuisse. Ecce dicit Propheta: [c] *Qui spernit disciplinam, odit animam suam.* Et vere, ut dixit, ita est. Nam hostis est & inimicus animæ suæ, qui spretis disciplinæ monitis [1] diabolicis occupatur officiis.

V. Dicunt aliquanti disciplinam satis duris legibus constitutam. Loquantur ista satis miseri, quos ad omne facinus ille diabolus auctor mortis invitat; quorum mentes insatiabilis gula possidet; super quos regnat ebrietas; quos turpis luxuria captivos tenet; & a quibus numquam superbia ingrata discedit. Illis autem quibus est studium honestæ fidem servare continentiæ, humilitati pietatique servire, dulce disciplinæ onus est & leve jugum Domini, quod non gravat nisi aut perditos aut perituros. Erubesco dicere in confusionem humanæ negligentiæ, quare apud aliquantos parum proficiat disciplina, cum videamus pastorale magisterium etiam apud muta animalia non perire. Doceant nos ecce servare ordinem disciplinæ tam dociles equorum animi, cum in gyrum ducti flexuosis gressibus membra componunt, & sub unius habenæ retinaculo ita laxari se consentiunt, ut & currendi & standi modus sub quadam legum dispositione servetur. Ita quos natura numero dividit, studio disciplinæ conjungit. Videte quam fortia boum corpora plaustro subjaceant: quæ in tantum imperio animum parant, ut jumentia naturaliter levi jugo colla supponant. Ita disciplinæ constitutionibus serviunt, etiam quæ in feritate nascuntur. Unde miror aliquoties hominem cui inest sapientia & intellectus prudentiæ, passim præcepta disciplinæ negligere: cum videamus mutum animal vitia cavere, jussis obtemperare, imperio deservire, atque ita ad omnem obedientiam animum aptare, ut cum opus fuerit armatis legionibus occurrat, & hostilibus se telis jussum objiciat. Audite in hoc loco Prophetam dicentem: [d] *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognovit.* Vereor dicere, ne nostram negligentiam pulset ista sententia: non autem cognoscit Dominum, qui conditionis suæ non cognoscit officium.

VI. Ostendam sane quomodo Dominus possit aut inveniri aut cognosci, si tamen est animus videndi. Si vis videre Dominum, require mendicum, suscipe peregrinum, visita infirmum, curre ad carcerem. Si vis videre Deum, vincula captivitatis absolve, nodos iniquitatis incide. Audi de hoc Dominum dicentem: [e] *Esurivi, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere: hospes fui, & suscepistis me; nudus fui, & cooperuistis me: infirmus fui, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me.* Moneo itaque ne despicias nudum, ne cæco manum subtrahas, ne involutum pannis contemnas. In hac enim veste primum Dominus cum a magis quæreretur, inventus est. Et quia de disciplina fecimus mentionem sub qua fides Christiana viget, necesse est ut omnia in aures vestras vitæ ornamenta deferantur, ut intelligat unusquisque parum sibi prodesse conversionis famam, nisi in contemtu mundi amaverit disciplinam. Ergo cui studium est Christum colere, prius cordis [2] sic corporis indumenta suscipiat. Omnis igitur vita religionis professæ, integritatis debet famam sentire, ne quem exspectat corona virtutis, pudoris damno feriat. Corporis integritas vitam muniat, integritatem fides incontaminata custodiat, ut manente utriusque partis beneficio immaculatum hominem faciat regnare cum Christo.

VII. Sed in hoc solo constat conversionis nostræ ratio, ut boni simus. Laborandum igitur illi ante omnia est, ut qui bonitatem sequitur, bonus esse judicetur. Nam quamvis homo purum corpus immaculatumque custodiat, laceratam vitam ad Deum portat, cujus actus vultum infamat, licet sciamus conscientiam solam bonis actibus posse sufficere. Sed quanto melius est ut semper de te bene sentiat, qui circa januam tuam vanis suspicionibus frequenter ægrotat? Insitum est enim naturaliter vulgo, ut de bonis male semper judicet. Sed tu qui curam bonæ famæ colis, studio tuo gratiam integræ opinionis acquire. Vita ergo nostra ita sit lucida, ut sit omnibus nota. Integritas religioni, pudor serviat humilitati. Quem amor tenet servandæ integritatis, ante omnia falsi ad se famam non admittat erroris. Magnum est quidem & gloriosum & usque ad cælum omnium ore proferendum, numquam malis actibus locum dedisse: sed multo fortius est numquam falsis suspicionibus laborasse. Quid enim tibi prodest sobrietas, si vitia ebrietatis exerceas? Quis te non ebrium judicet, si inter effluentes vino calices saltantium gyros imite-

a Rom. XIII. 3. *b* Psalm. II. 12. *c* Prov. XV. 32. *d* Isa. I. 3. *e* Matth. XXV. 35. 36.

1. *Diabolicis occupatur* OFFICIIS] Ego in eo sum ut suspicer *offuciis* a Valeriano scriptum, pro nugis videlicet & obstantibus veritati vanitatibus. BARTHIUS in *Adverſ.* p. 898.

2. *Sic corp.*] Forte *sicut*.

ris? Quis te castum putabit, si te viderit meretri- cum fabulis mixtum scenico sermone compositis, aut loquentem turpia, aut inhonesta resonantem? Laudo quidem conscientiam castitatis in te, sed odi colloquium meretricis.

VIII. In quo loco fortasse dicat aliquis, Sufficit mihi pura conscientia. Quantum ad innocentiam pertinet, tibi soli sufficit. Sed providendum est ne facilitate tua alter peccet, & alienum peccatum in te redundet, juxta illud quod dicit scriptura: [a] *Væ illi per quem scandalum venit.* Quamvis autem pretioso serico corpus vestias, & niveo vellere membra componas, non sine macula diem transigis, si camini ardentis ora contigeris. In omni B igitur actu tuo vitam tuam disciplina comitetur. Si vis placere Christo, elabora ut professionem tuam fides adjuvet, fama commendet. Præcedat vos patientia humilitatis socia, assistat pudicitia integritatis magistra: fugiat cupiditas, erubescat ebrietas, luxuria actus suos lugeat, superbia confusa discedat. Quicumque igitur est qui festinat Deum agnoscere, sub hoc disciplinæ ordine Christum nostrum poterit invenire. Multa quidem superabant adhuc, dilectissimi, quæ disciplinæ ratio suadebat aperire: quæ interim putavimus differenda, ne otiosis auribus fastidium pareret longa narratio. Sane ne quid in hoc opere subtraxisse videamur, elaborabimus ut ea quæ religiosis actibus competunt, C sequenti tempore differamus.

HOMILIA II.

De arcta & angusta via.

I. MUltis atque innumeris disciplinæ legibus, dilectissimi, sicut audistis Evangelistam dicentem, vivendi rationem Christus noster instituit; & diversis modis renascenti populo viam salutis ostendit: nihilque occultum esse voluit, quod animam aut salvaret aut perderet: ne res tanto pretio comparata diabolicis superstitionibus ignorantiæ vitio decepta serviret. Sed quod pejus est, pa- D rum prodest medicina morituris: & ideo difficilis est via salutis, quia facilior est semper exitus mortis: ita scriptura dicente, [b] *Quam ampla & spatiosa via est quæ ducit ad mortem, & multi sunt qui intrant per eam! Quam arcta & angusta via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam!* Mirantur fortasse aliqui, quare Evangelista amplam & facilem dicat esse viam mortis, cum iter vitæ toto artetur accessu. Cui autem umquam difficilis fuit ad inferiora descensus, ubi homo onere suo trahitur, & fascis sui victus mole portatur? Multa sunt autem quæ viam prosperæ salutis impediunt. In quo loco illos specialiter mortis injuria persequitur, quibus vanitas & crudelitas domi- E natur. Concurrunt præterea in præjudicium vitæ dissensiones, æmulationes, lites, rixæ, sacrilegia, adulteria, homicidia, fraterna odia, parricidalia consilia, falsitatibus armata perjuria: quæ non solum ascendentem impediunt, sed etiam in profundum tartari mergunt. Quando ergo fieri potest, ut ille homo facile ad superiora perveniat, quem tanta vitia impediunt? *Arcta & angusta via est, quæ ducit ad vitam.* Hæc est illa via, dilectissimi, per quam justi pergunt, & sancti immaculatique gradiuntur: per quam illis iter est, qui humilitate, A integritate, sanctitate præditi, indefessi Christum nostrum prosequuntur.

II. Hujus ergo viæ & eligendus nobis, & muniendus accessus est: quia sicut est arduus, ita & pervius: facilem autem se volentibus præstat, si non aut vanitas impediat, aut fallax hujus mundi ornatus obsistat. Liberum autem & exutum omnibus impedimentis illum esse convenit, qui iter ardui montis adgreditur. Sicut autem videmus injusto fasce vacillare vestigia; ita multis lapsibus subjacet anima, si fuerit iniquis actibus occupata. Unde exonerandum corpus est sæcularibus desideriis impeditum: ne per ardua & excelsa tendentibus, aut periculum mortis incumbat, aut desperatio laboris adcrescat. Quis igitur sapiens animal suum impeditum sarcina per angustum iter dirigat, cujus unum latus excelsi montis moles premat, aliud rupes præceps adstituat? ubi si temeritas prævaluerit, aut revertendum est, aut evadendum. Similis est & hominis illius caussa, qui viam religionis ingressus est. Opus est ergo, ut semper resecet quæcumque aut inhonesta videantur aut turpia, qui animam suam ad cælestem gloriam desiderat pervenire. Non sine caussa autem dicit Dominus: [c] *Relinque bona tua, & sequere me.* Bona ista, dilectissimi, mala nostra sunt, terrenis actibus enutrita: quibus dum aliquanti nimium adtente serviunt, cælestia perdiderunt.

III. Si vultis itaque ut vobis pateat cælestis janua, removenda sunt omnia, & pœnitentiæ deputanda sunt, quæcumque in excidium vitæ negligenter & inconvenienter usitata sunt. Difficile autem est, ut ad ea quæ præparavit Dominus credentibus in se, tibi perveniendi sit aditus, nisi onustum vitiis pectus exoneres, atque omnes injustitiæ culpas religiosæ disciplinæ auctoritate compescas. Superflue autem te putas ardui itineris & viæ asperæ semitas tenere, si animæ impediaris errore. Ponite vobis denique, si videtur, ante oculos duos ad superiora tendentes; quorum unus gravi pondere onustus pergat, alter levi tantum baculo nixus incedat: & videbitis quis facilius ad superiora perveniat. Respicite prius ad illum qui gravatur onere: & videbitis hominis illius pendentia retrorsum festinare vestigia, atque ita flexo genu incedere, ut putetur redire. Modo descendenti, modo cadenti similis ita in diversam partem penduli itineris toto corpore per singula momenta jactatur, ut ipsa necessitas ambulandi pæne plus desperationis habeat, quam laboris. Convertite modo oculos vestros ad illum, cujus cervicibus nihil ponderis imminet; & videtis quam liber incedit, quam facile illi est per ardua exutis ire plantis, & in locis scrupeis pendulis hærere vestigiis. Nunc levi cursu procerus attollitur: nunc per [1] diversa tota animi alacritate portatur: ut ostendat difficultatem locorum liberis non impedire corporibus; nec laboriosa esse cuiquam itinera, quamvis sint ardua, si exoneretur mens injustis ponderibus occupata. Similis est, dilectissimi, ratio sive his quos iniqui actus onerant; sive illis quos veteri exutos culpa pœnitentiæ lacrymæ commendant. Debet itaque quæ sunt onerosa deponere, qui vult ad judicium securus venire: & terrena contemnere, cui est animus cælestia possidere.

[a] Matth. XVIII. 7. [b] Matth. VII. 13. 14. [c] Matth. XIX. 21.

1. *Diversa*] Scribe *demersa*. BARTH. l. c. pag. 749.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 448.



IV. Sane, dilectissimi, quo facilius illius ardui A itineris exsuperemus angustias, sincerae mentis adhibenda sunt studia: & removendum si quid litium aut infelix sermo servit, aut in opprobrium domus alienæ injuriæ forte veneni lingua commovit. Æstimari autem non potest, quantum impediant viam vitæ vitia indisciplinatæ linguæ: quæ dum nimium loquendo organum sui oris exercet, odia adversum se etiam de otiosis sermonibus excitavit. Nam dicit Dominus [a] etiam de otiosis sermonibus rationem esse reddendam. Videte ergo quid illi futurum sit, quem caussa culpæ principalis impugnat: cum non sit sine periculo animæ ad judicium etiam levia quæcumque portare. *Arcta & angusta est via, quæ ducit ad vitam.* Quicumque ergo est sapiens, primo loco jactet a se impedimenta mundi, B & muniat iter suum studio disciplinæ: removeat intercedente pœnitentia quæcumque per negligentiam videntur imposita: nec secum portandum putet, quidquid gloria sæcularis imposuit: quia licet sint per se gravia, fiunt tamen itineris difficultate graviora. Forte aliquantis in hoc sæculo nimium delicatis angusti & ardui itineris necessitas desperationem parit. Et vere habet hoc ratio, ut aspera quæque & difficilia rudis animus expavescat. Sed quid facimus, quod nulla deliciosis militibus virtutum patet janua? Quis autem fructus laboris esset, si per plana discurreres? aut quando te ad locum paratum venisse gauderes, si sine injuria corporis C pervenires? Quis umquam otiosus tropæa composuit? aut quis circumstantibus undique hostium legionibus ad victoriam dormitando pervenit? [1] Parum laudis habet virtutum corona, quæ ex labore non descendit. Potest quidem habere palmam, sed non habet gloriam. Quando fuit ut agricola horrea sua otiosus impleret? aut quis umquam legitimo tempore agri sui fructum recepit, nisi prius multiplicato rudem terram sulco confecerit? Hæc est autem magnorum ratio virtutum, ut quanto plus homo laborat, tanto plus mercedis adquirat.

V. Videamus tamen, qualis ista via mortis sit, quam Evangelista dicit amplam & spatiosam, & D fluctibus plenam: quæ quamvis referta sit mortibus, numquam tamen desinit suscipere criminosos. Est enim hujus naturæ, ut cito ad se perituros invitet: facilem autem se illis præbet, quos disciplina destituit. In comparatione autem plani & angusti itineris, nihil viatori periculosius spatiosis itineribus: quia sine disciplina curritur, ubi equorum habenæ laxantur: atque ita fit ut multos porta mortis recipiat; quia ubi liberius pergitur, facilius pervenitur. Audite Dominum dicentem: [b] *Tolle crucem tuam, & sequere me.* Facilem profecto homo illius ardui itineris non expavescit accessum. Quare autem illum labor conturbet, cui alter manum porrigit? Quisque igitur per ardua alterius la- E tere regitur, necessitatem cœptæ rei diviso itineris labore hortatur. Et ideo potest fieri, ut ad promissa regni præmia non dubie perveniat, qui ad superiora Domino comitante festinat. Sed deponendum est prius, dilectissimi, sicut superius diximus, quidquid humanis corporibus infelix sæculi error imposuit: ne forte nos peccatorum mole objecta ad illa remunerationis tempora aut non patiatur pervenire; aut si pervenerimus, cælestis regni portas non permittat intrare.

VI. Sed dicis, Non possumus pervenire: certis experimentis agitur: videmus enim frequenter multos insalutato patrefamilias janua teste discedere; quos tamen nequitia, aut malitia, aut perfidia, aut luxuria, aut superbia facit exosos. Contempletur unusquisque vestrum diabolicæ præsumtionis offensam; & intelliget quantum superbia gravet hominem ad superiora tendentem; vel in quo statu sit positus, cui elationis spiritus dominatur. Audite de hoc Dominum dicentem: [c] *Humilibus Deus dat gratiam, superbis resistit.* Sed nec minus impeditur necessitas hujus itineris vitio cupiditatis: quæ dum vult nimia pecuniæ mole gaudere, divitem in regnum cælorum non permittit intrare, ita Domino dicente: [d] *Amen dico vobis, quia difficile est divitem intrare in regnum cælorum.* Hinc ebrietas, luxuriæ malis conscia, non parum humanis corporibus oneris indicit: quæ dum impudicis actibus servit, infelicem hominem a consortio regni cælestis exclusit. Obsidet etiam angusti itineris secretum crudelitas cum impietate conjuncta: quæ [2] dum cruentis legibus mortis [3] instituit, cælestis gloriæ clausit viam; ita Apostolo dicente: [e] *Non fures, non avari, non ebriosi, non maledici, non rapaces regnum Dei possidebunt.* Ad hæc ergo quæ diximus, pugnandum nobis est studio disciplinæ, ut perveniamus ad locum vitæ. Adhibenda magis est itineri nostro pietas, misericordia, humilitas, integritas, castitas, sobrietas, pax, fides, caritas. Non autem prius ad locum promissæ hereditatis pervenies, nisi sub hoc vitæ studio onustum prius vitiis corpus exueris.

HOMILIA III.

Item de arcta & angusta via.

I. Omnis homo cui est cura Deum videre & cælestia regna contingere, facile potest intelligere, angusti & ardui itineris necessitates ad vitæ compendium pertinere, & spem obtinendæ gloriæ in labore consistere. Nihil est enim quod non labor exsuperet: si tamen in alteram partem, ut assolet, animus non declinet. Constat autem illi omnes difficultates occurrere, qui illius spatiosæ viæ delectatur errore. Audite Evangelistam dicentem: [f] *Quam ampla via & spatiosa est quæ ducit ad mortem, & multi sunt qui intrant per eam! Quam arcta & angusta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam!* Non dubito quod aliquantis in ordine cælestis militiæ constitutis desperationem faciat, quod cælestis militiæ ardui itineris artatur accessus. Et vere, dilectissimi, non solum arduum, sed etiam difficile & plus quam laboriosum est ad celsiora tendentibus. Sed invitis desidiosis, & occupatis negligentibus, sine dubio etiam per plana necessitas laboris adcrescit. Quamvis autem sint aspera & difficilia, quæcumque sunt in excelsis posita; non dubie fit ut in apertum campum veniant, si itinerantibus nihil desperationis

a Matth. XII. 36. *b* Matth. XVI. 24. *c* Jac. IV. 6. *d* Matth. XIX. 23. *e* I. Cor. VI. 10. *f* Matth. VII. 13. 14.

1. *Parum laudis habet* VIRTUTUM *corona*] Videtur abundare vox *virtutum*. Contra sententiam auctoris est, virtutes agnoscere in aliquo sine labore. BARTH. ibid.

2. *Dum cruentis legibus* MORTIS *instituit*] Attentius inspice, quæ sunt illæ leges mortis, & quæ harum institutio. Omnino assentieris nobis, *Martis* legendum. Ut in avaros, libidinosos & ebriosos invectus est hactenus, ita jam sub titulo crudelitatis ad militares viros venit. BARTH. l. c. pag. 550.

3. *Instituit*] An *instituit*?

occurrat. Omne igitur opus, dilectissimi in quo A studium humanæ conversationis invigilat, voluntarium requirit officium. Nam inæstimabile est, quantum difficultatis adcrescat, si hominem voluntas in maxima rerum necessitate decipiat. Numquam ille bene iter ardui montis adgreditur, cui desperatio dominatur. Quando autem potest fieri, ut corpus adsuescat labori, nisi voluntas obtemperet laboranti? Respice & vide, quam cito ad terram resilit, qui equum trepidus adscendit: vel quantis laboret angustiis, qui invitus altum mare navigaturus ingreditur.

II. Religio Christiani nominis in qua vocati sumus, liberi arbitrii suscepit officium, ad quam si B quis invitus venerit, oneri onus addit: & exutis antiqua lege corporibus desperatæ vitæ pondus imponit. Inde est quod multos porta mortis recipit: quia perituris semper vitæ difficultas occurrit. Necessarium itaque, ut qui ad libertatis viam pervenit, si quid in se est infidelitatis, resecet, & cæleste testimonium studio voluntariæ servitutis adcumulet: ne homo tantis Deo beneficiis obnoxius, in parvis officiis inveniatur ingratus. A negligentibus & imperitis servitium Deo debitum forte judicetur onerosum, ex hoc quod nullum tempus vacationis excipiat. Omnem hominem Deus, non solum ad libertatem vocavit, sed etiam in summa rerum dignitate constituit. Ipse autem sibi servi- C tium indicit, qui invitus servit. Nam si voluntati servitium accommodes, non te famulum Dei invenies esse, sed filium. Nam ita dicit Propheta voce Domini: [a] *Ego ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens.*

III. Conditionis nostræ, dilectissimi, talis est servitus, ut laudemus semper Dominum nostrum in operibus suis, & extollamus eum in claritate majestatis suæ voce continua. Quid autem præter hoc humanum indiget invisibilis, incomprehensibilis, inæstimabilis gloriæ potestas? aut in quo corporale requirat officium, cui chorus obsequitur Angelo- D rum? Illa est servitus intolerabilis, quam indicit tyrannicæ hoc est diabolicæ dominationis superbia, impiæ captivitatis injuria: ad officium vero, non ad servitium pertinet voluntarie superiori personæ exhibere famulatum. Audite Prophetam dicentem: [b] *Voluntarie sacrificabo tibi Domine.* Discite quantum distet inter addictam & voluntariam servitutem. Numquam potest fieri, ut sine offensa diem transigat, quem negligentia addictæ servitutis accusat. Qui (ex voto Domino suo paret, adquirit gratiam invitus, adcumulavit injuriam: ita Propheta dicente: [c] *Maledictus homo, qui facit opera Domini negligenter.* Si consideret unusquisque vestrum gratiam adhibitæ libertatis, quam Christus noster E fidelibus populis per regenerationem vitalis lavacri & Spiritus sancti effusionem concessit, intelligit non otiose Domino serviendum; cui quamvis quodlibet quotidie honoris aut muneris exhibeamus, numquam tamen persolvimus quod debemus. Quando autem est, ut ille persolvat debitum, quem constat vicario pœnæ munere comparatum, nisi forte pro amore redemtoris se simili sententia aut mortis aut damnationis excipiat? Sed dum ista fortissimis quibusque proveniunt, nos vel quod solum possumus, Christo nostro quotidie gratiarum hostias immolemus: ut si alios commendant virtutum merita, nobis saltem locum gratiæ faciant voluntariæ servitutis officia.

IV. Exoneremus ante omnia corda nostra impia contagione, ut fructus possimus nutrire justitiæ: debet enim ex integro terrenis actibus abrenuntiare, qui vult cælestibus mandatis satisfacere. Nam sicut homo numquam invitus bene servit: ita nec occupatus bene commendata custodit. *Voluntarie sacrificabo tibi.* Non sine caussa Propheta hac se Domino voce commendat. Sciebat necessario multos dubio corde servire; & aliud ore promittere, aliud pectorum secreto disponere. *Voluntarie sacrificabo tibi.* Quamvis parva, ex voto offerentis magna fiunt munera: consumunt vero auctorem suum beneficia, quæ constiterint extorta: sic denique semper plangit quod erogavit, qui convivium invitus instituit. *Voluntarie sacrificabo tibi:* hoc est voluntario sacrificio. Ut auctori tuo oris munuscula quotidie lætus exhibeas, ejus sacrificium laudis verborum suavitate componas; atque ad officium operis deputati devotus occurras. Audite Prophetam dicentem: [d] *Voluntaria oris mei fac beneplacita Domine.*

V. Cum ergo convenimus ad ecclesiam, dilectissimi, ante omnia secreta pectoris nostri fides veritatis auxilio munita possideat: [1] ut enim purum & immaculatum Deus diligit, non falsitate obsessum, non perjuriis occupatum, non fictum, non dubium: levitatis enim perfectæ hæc sunt indicia, aut sanctitatis amor, aut studia disciplinæ: hoc est immaculatam hostiam sacrificiis exhibere, tota Domino fideliter mente servisse. Servitii autem nostri hæc est ratio, ut beneficia Christi nostri semper recolas: & in quo religiosæ fidei labore profeceris, auctori tuæ libertatis adsignes. Inter omnia custodias præcepta justitiæ, uni Deo servias, Trinitatis tamen honore servato. Unam fidem, unum baptisma credas, Patris, Filii, [2] vel Spiritus sancti unam claritatis confitearis essentiam; nec divisa voluntate cujusquam aut præcedere, aut regnare personam: sed Patrem & Filium & Spiritum sanctum unius potestatis, unius credas esse virtutis. Ita igitur fit, ut illud arduum & angustum iter in æternum victurus exsuperes: atque ea quæ justis laboribus in cælesti parte promissa sunt, non dubie consequaris, si per hos disciplinæ gradus excurras, & vitæ tuæ tempora sub hac vivendi lege disponas.

HOMILIA IV.

De promissis & non redditis.

I. Si homo obnoxius beneficiis, dilectissimi, promissioni suæ satisfaceret, & studio devotionis implendæ fidem placitis exhiberet; neminem umquam repetitio debiti ingrata confunderet: nec esset cuiquam imputandi locus, si mox promissi muneris votum sequeretur effectus. Sed inde est quod interdum amicitiarum fides læsa suspirat; quia necesse est aliquotiens homini aut redibitionis increpare moram, aut debitoris exprobrare perfidiam.

a Jer. XXXI. 9. II. Cor. VI. 18. b Psalm. LIII. 8. c Jer. XLVIII. 10. d Psalm. CXVIII. 108.

1. *Ut enim*] Mallem equidem *unum*, aut *unum enim* alioqui textus abruptus videtur.

2. *Vel Spir.*] Displicet istud *vel*. Rescribendum videtur *&*; ut paullo post.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 448.

Inimicitias enim [1] dixisse est promissa denegasse: quia ad litem pertinet, si quid aut hic invitus reddit, aut ille per moras exacerbatus exigit. Audistis Prophetam dicentem: [a] *Sic psallam nomini tuo Deus in sæculum sæculi, ut reddam vota mea de die in diem*. Infinitum est, dilectissimi, quid beneficia gratiæ capiant, si ante diem creditorem suum debitor solutione præveniat. Quicumque autem commodatam pecuniam ultro reddiderit, sibi reponit. Non difficile enim homo cum opus fuerit quodlibet imperat, si feneratori suo celeri satisfactione respondeat. Ille vero quem perfidia arguit, semper creditoris sui januam clausam invenit: & quamvis frequenter pulset ac supplicet, tristis & vacuus cum increpatione recedit. Si ergo homo homini mentiendo adversum se odia excitat; quanto magis si Deo fallat, & cælestis majestatis Dominum lubrica promissione decipiat?

II. Ideo hæc proposuimus, dilectissimi, quia solent aliquanti imminentibus periculis ita animorum vota componere, ut accedente tempore oblivIscantur se aliquid Domino promisisse. Hic hostiam corporis sui offert: ille pœnitentiæ lacrymas repromittit: alius in amore ecclesiarum, alius in honore sanctorum voti reus exstitit. Sed ista tam facile est promittere, quam negare: circa quos tam diu durat spes devotionis implendæ, quam diu dolor sentitur in capite. Ita paullatim consuescit promissa denegare, postquam mortem cœperit non timere. Et miramur quare aliquotiens Dominus undantibus lacrymis tam tarde respondeat, nec exaudiat supplicantium voces justis doloribus servientes? Miramur quare non solicito agricolæ lætior se solito cultura componat? quare non fecundo cæspite multiplex spica parturiat? quare non pingues oleæ exhibeant pretiosa commercia? quare non plenis torcularibus sudet copiosa vindemia? Nemo heic terræ imputet, nemo intemperiem aeris accuset: manus arida nihil colligit; aut si collegerit, mox amittit. Infructuosi agricolæ semper vacua & otiosa sunt horrea. Nam & inde descendit, quod aliquotiens non invenit medicina quos sanet. Difficile est ut medicus manum fideliter accommodet, quem frequenter languentis promissio vana destituit.

III. Ecce hic filii sui infirmitate suspirat, & sanctorum januas die noctuque precibus inquietat. Hæc mariti, ille uxoris suæ valetudine afflictus, secretum pectoris sui pulsat, & flebili oratione auxilium cælestis miserationis implorat, se suumque munus Deo offerens. Sed ista succedentibus votis videmus aliquotiens universa subito animum excedere: ut æstimes miseros oblivionis magis bibisse poculum, non salutis. Ita non semper fallacibus votis profutura respondent. Quando autem est, ut beneficium inveniat, qui debitum non reportat? Non potest fieri ne aliquando suæ perfidiæ pœnas luat, qui inanibus verbis patientiam judicis frequenter inluserit. Inde est quod otiosis Dei auribus hominum preces evanescunt, nec habet effectum intercessio lacrymarum: quia difficile est ut exaudiantur, qui Deo suo frequenter vana promissione blandiuntur.

IV. Beati apud quos manet fides placiti, & nullum studium mentiendi. Melius est profecto non promittere, quam promissa fraudare: ubi quamvis homo inhumanitatis notetur culpa, nulla tamen subdolæ circumventionis gravatur injuria. Recurrite denique ad actus Apostolorum: & invenietis ad damnum animæ pertinere promissis fidem frangere. Legimus igitur Ananiam & Sapphiram uxorem suam vendito patrimonio suo partem dispensandæ pecuniæ ad Apostolos detulisse, partem domi reconditam reservasse; quibus ait sanctus Petrus: [b] *Implevit, Anania, iniquitas cor vestrum mentiri Spiritui sancto, cum esset fundus in vestra potestate: non hominibus mentiti estis, sed Deo*. Ita dum operantur fraudem, mercati sunt mortem: & dum cupiditati serviunt, æterna munera perdiderunt. Ecce dicit Propheta: [c] *Vota mea Domino reddam in atriis domus Domini*. Obligatus legitima debiti est sine dubio pactione, qui convincitur Domino aliquid promisisse: qui autem redditurum se loquitur, necessario debitum confitetur. Tam diu enim juris tui est patrimonium tuum, quam diu chirographi fide alteri non fuerit obligatum. In omni itaque placito, sive quod amicitia obtulerit, sive quod voluntas adscripserit, non lentanda redibitio. Nam omnis oblati muneris gratia perit, ubi caussa repetitionis incumbit. Ita nihil votis suis præstitit, cui necesse est invito reddere quod promisit. Nam legimus in Salomone: [d] *Si voveris votum Domino tuo, ne moram feceris reddere illud: quærens enim quæret illud Dominus tuus a te: & erunt in peccatum quæ egrediuntur per labia tua, nisi reddideris illud*.

V. Ergo, dilectissimi, moneo ut quicumque se Domino votum promisisse novit, statim reddat. Certe qui solvendo non sufficit, non promittat. Non heic, ut aliquanti putant, inhumanitatis vitia exaggeramus; sed de fide dicimus, quam videmus apud aliquantos periclitari pestilentia vanitatis. Nam multi sunt, quod pejus est, qui subtracto libertatis suæ pretio, non integram pecuniam, hoc est, semiplenam religionis fidem ad Dominum detulerunt. Audite Prophetam dicentem: [e] *Vovete & reddite Deo vestro munera*. *Vovete*, his dat consilium conversionis. *Reddite*, ab istis debitum promissæ repetit sanctitatis. Parum autem ille habet de religione, quem studere vides sæculo, & plus præsenti vitæ favere quam æternæ gloriæ. Tunc probas nihil te Domino tua oblatione fraudasse, si justitiæ partes colas, integritatem diligas, sanctitatem quam promisisti exhibeas. Debet autem expavescere Ananiæ vel uxoris ejus exitum, qui intelligit se Domino fuisse mentitum. *Vovete & reddite Deo vestro munera*. In hoc loco caussam munificentiæ non importune prosequimur, quia testimoniis competentibus admonemur. Si quidem infructuosis hominibus adquiescamus, ut ista vox affectum indicet postulantis. Numquid a te Deus aliquid requirit, quia illi desit? quid autem non habet, qui totum possidet? Numquid quia in tribulationibus tuis promittis aurum, aut in doloribus polliceris argentum, Dei usibus necessarium est? aut ideo aliquis pretiosos lapides aut vestes offert, quia his Deus indiget? Ob hoc a te tuum munus quæritur, ut ipse fulgeas tuo auro, ipse tuo niteas argento, ipse tuis gemmis orneris, ipse tuo serico vestiaris. Tuis donis tuam vult Dominus animam componi, quam videt aut superbiæ, aut nequitiæ, aut avaritiæ, aut luxuriæ vitio depravatam. *Vovete & reddite Domino Deo vestro munera*.

a Psalm. LX. 9. b Act. V. 3. 4. c Psalm. CXV. 18. d Deut. XXIII. 21. e Psalm. LXXV. 12.

1. *Dixisse*] Forte *indixisse*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 448.

VI. Sed dicis forte, Non indiget Deus nostra munera. Non quidem munera indiget: sed fructum requirit, quem propter redemtionem animæ tuæ misericordiæ deputavit. Nam præter illam hostiam corporis tui quam incorruptam & inviolatam altaribus convenit exhibere, nec non vocis officia quæ nostro debemus artifici; hoc est apud Dominum acceptabile sacrificium, ut bonitati & misericordiæ studeas, ut justitiæ partes foveas, & fide intemerata jugiter Domino placere contendas: ut nudum non invitus vestias, ut inopem non invitus pascas, ut captivos voluntarie redimas, ut in vinculo constitutum memor tuæ redemtionis absolvas. Ad hæc forte respondeas, Quid pauperi faciam, quid filio derelinquo? Audi Dominum dicentem: [a] *Qui plus amaverit filium aut filiam, quam me, non est me dignus*. Videtis ergo nihil præferendum Deo, nec plus filium cogitandum esse quam Deum. Dicis, Quid filio derelinquo? Si cum unum filium habeas, alium tibi desperanti uxoris partus exhibeat, nonne utrumque tibi uno successionis gradu pietas paterna commendat, & ut supervenienti locum facias, etiam testamenti jura rescindis? Ita hereditatem cui solet unus inhereditare, frequenter videmus inter multos numero accrescente sufficere. Qui ergo habet unicum filium, cogitet Christum sibi natum; atque inter duos aut tres vel plures ita opes suas dividat, ne Christus noster exheredatus abscedat. Quod si tantum gaudes numero filiorum, moneo ut admisso ad consortium hereditatis redemtore tuo, ita patrimonii tui divisionem temperes, quasi aut unum minus natum tibi judices, aut unum plus accrevisse gratuleris. Fac ergo locum Christo tuo inter filios [1] sibi dilectos. Quare autem illos non una patrimonii in terra divisio maneat, quos in cælo eadem portio promissæ hereditatis exspectat? Quicumque autem indigentibus, & miseris quæ sunt vitæ necessaria subtraxerit, primogenito & quidem meliori inter omnes filios portionem subditam denegavit. Audite in hoc loco scripturam dicentem: [b] *Qui pauperi miseretur, Deo fenerat*.

VII. Multi sunt, qui miserorum necessitatem ita illudendam putant, ut in dies promittendo decipiant; & hoc ad illa vota pertinet, quæ superius diximus oblivione consumi. Quid juvat differri miserum, si abundantia suppetit facultatum? Ubi vides hominem statim posse benefacere, & eleemosynam procrastinata humanitate differre, solam ibi voluntatem intelligis defuisse. Audite ad hunc locum Psalmistam dicentem: [c] *Sic psallam nomini tuo Deus in sæculum sæculi, ut reddam vota mea de die in diem*. Numquid dixit de anno in annum? sed dixit de die in diem. Omni ergo die operandum nobis est, dilectissimi: debitum autem Deo, & promissum munus non est tempore prolongandum. Nihil futuro judicio debet, qui quotidie vota persolverit: nec est unde rationem in posterum præstet, qui de die in diem Domino bonorum operum fructus justo labore ditatus obtulerit. Ecce dicit: [d] *Quæcumque feceritis uni ex minimis istis, mihi fecistis*. Sive ergo bonum, sive malum quis fecerit, ad Domini majestatem noverit pertinere: utriusque enim partis retributio hominem exspectat. Unde studendum nobis est misericordiæ & eleemosynis: ne cum venerit Dominus cæli & terræ, inter ceteros animæ errores pauperum nobis nuditates opponat, & oculis nostris infelicitates ingerat miserorum. Nemo ergo despiciat nudum, nemo conturbet aspero ore mendicum. Hæc est inter omnia placita Deo hostia, hic ordo salutarium sacrificiorum, ut miseris in necessitate subvenias: & ne in infidelitatis notam incidas, compos voti fidem tuæ promissionis absolvas.

HOMILIA V.

De oris insolentia.

I. NOn otiosum est, dilectissimi, quod inter omnia vitia quæ vitam humanæ conditionis impugnant, specialiter linguæ insolentiam Propheta castigat. Sciebat necessario amari oris studio aliquotiens venena componi, & nimia facilitate labiorum frequenter odia comparari. Et vere, dilectissimi, ita est. Nam inquieta naturaliter lingua non parvum mortalibus affert vitæ detrimentum, ut cum bene composita dissipat, aut diu pacata conturbat. Quando autem est, ut se rixa moveat, si se lingua compescat? aut quis ibi locus est inimicitiarum, ubi cessant venena verborum? Nam hoc habet semper lingua malitiosa commercium, ut lites serat, odia moveat, mortes adquirat: ita in hoc loco Salomone dicente: [e] *Lingua multos conturbavit pacem habentes: civitates destruxit, & domos effodit*. Falluntur profecto, qui putant nihil esse ferro fortius, nihil veneno violentius: quamvis autem ista in perficiendis mortibus habeant peculiare naturæ beneficium, cedunt tamen in contentione verborum. Nihil enim est tam noxium aut malitiosum, quod non viribus suis minus fit, si se incitata semel lingua commoverit. Multa sunt quidem humani corporis vitia, & satis gravia: sed parum possunt consiliis virtutibusque suis, nisi sceleribus armentur alienis: sicut est crudelitas, quæ impietati servit, & portas inferi cruenta mortis lege custodit. Quid autem falsitas posset, si cupiditas otiosa dormiret? nam & ipse mortis exitus minor esset, si aut ferrum deficeret aut venena cessarent.

II. Singulare autem malum est lingua, in qua tantum malitiæ robur exsultat, ut in perficiendo opere suo alterius auxilium non requirat. Cohibenda ergo nobis est, sicut Propheta admonet: ne forte cum proruperit, aut excitata lædat, aut incitata percutiat. Solet enim non impune recedere, cum se in verborum procacitate jactaverit. Nam commota flammas evomit; & cum alium nocere quærit, totum intrinsecus male conscium pectus incendit. Audite Prophetam dicentem: [f] *De multiloquio non effugies peccatum*. Facilius, si necesse est, quilibet potest ferre armatas ferro acies, & instructas rebus bellicis legiones: quis autem sustineat labiorum tela infixa pectoribus? Facilius sine dubio recipiunt sanitatem corpora ferro lacerata: aut quare aliquis tantum gladio occisorum morti crudelitatis pondus imponat, cum aliquotiens minora ibi sint pericula, ubi major est cruoris invidia? Difficilius autem semper sanatur, quidquid extrinsecus collisionis includitur. Non difficile est profecto medico ulcera quamvis tumentia in oculis posita herbarum beneficio castigata mollire: habet & vis veneni remedium suum; quod haustum quamvis in ultima viscerum sede dominetur, salu-

a Matth. X. 37. b Prov. XIX. 17. c Psalm. LX. 9. d Matth. XXV. 40. e Eccli. XXVIII. 16. 17. f Prov. X. 19.

1. *Sibi*] Forte *tibi*.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 448.



taris tamen poculi unda perquiritur: in tantum ut A miretur aliquotiens artifex scelerum, superveniente medicina nihil oris sui incantationem valuisse: linguæ vero insanabilis plaga est; quæ quamvis leviter percutiat, alta tamen semper movet pectoris dolore suspiria. Sciebat sine dubio Propheta quantum malum esset linguæ, cum clamaret: [a] *Pone, Domine, custodiam ori meo & ostium circumstantiæ labiis meis, ut non declinet cor meum in verba mala*. Si quis ergo est sapiens, ponat custodiam ori suo, & det labia vinculo taciturnitatis.

III. Sed nec unius tantum partis studia procacis linguæ pulsat invidia. Agendum quidem est huic, ne aliquid injuriosum proferat: sed nec mi- B nus illi providendum, ut insanientis hominis dicta rationabili verborum responsione supplodat. Magnum autem studium est servandæ pacis, si amaritudinem alienæ linguæ blando prosequaris alloquio: cito autem iniquorum labia amicus sermo confundit. Sed quod pejus est, facilius invenies, qui aut male semper dicere, aut libenter mala velit audire. Nihil est sævius, nihil violentius amaris asperisque sermonibus: quorum vulnera tanto difficilius curantur, quanto facilius proferuntur. Ferri spicula per cælum volantis facile scuti objectione contemnis: verborum vero jactus nec revocari potest, nec prohiberi: multo enim velociores sagittis sunt. Quæ autem ibi propugnacula subve- C niant, aut quæ munitio tam parata succurrat, ubi emissum telum pæne ante percutit, quam procedit? Enumerari non potest, quantis sit lingua jaculis accincta verborum, quibus satis promtum est etiam quæ sunt animæ secretiora percutere. Quamcumque autem aures injuriam suscipiunt, illico ad cordis secreta transmittunt: ubi si semel introierit, sine mortis exitu non recedit. Res autem quæ nullis medicinæ beneficiis indagata excluditur, in perpetuo dolores operatur. Unde castigandus est linguæ sonus, ne de facilitate verborum faciat venenum.

IV. Si respiciamus, dilectissimi, ad omnes qui D corporibus dominantur dolores, nihil invenies quod non possit aut ferro sanari, aut blanda medicaminis confectione molliri. Latere autem neminem potest, quam graves sint luporum morsus, quam periculosum serpentium virus: sed his facile obsisti potest aut herbarum succo, aut arte medicorum. Verborum vero intolerabile vulnus est: difficile autem sanare potest alius doloris caussam, quæ semel pectori infixa sedem animæ latenter invaserit. Audite Prophetam dicentem: [b] *Mors & vita in manibus linguæ*. Vere, dilectissime, si ad interiora respicias, & tumorem exasperati cordis diligenter inquiras, invenies verborum vulnera mortes operari. Quid mihi autem aliquis in comparatio- E ne malitiosæ linguæ artificium veneficii increpet, & noxias poculorum compositiones accuset? Excessit illa res omne genus veneni, quæ non potest nisi morte compesci. Omnis quidem malitia ex corde descendit: sed hæc ipsa, quamvis sit noxia, facile potest tolerari, si res iniquo nutrita consilio non provocetur in litem; sed aut tacita doleat, aut in suis volutata sedibus conquiescat. Tam diu enim sanari potest iniquarum valitudo cogitationum, quam diu id quod corde concipitur, ore tacito continetur. Verum ubi semel lingua rotante proruperit, frustra medicum quærit: sine remedio est enim culpa verborum; quia deleri non potest quidquid lacrymarum inserta per aures propagavit injuria. Audite Dominum dicentem: [c] *Facito ori tuo ostia & seras, & verbis tuis facito stateram*.

V. Ad hæc forte respondeas, Quis possit in tantum oris sui labia continere, ut tacitus diem transeat? Non hæc sententia honestæ linguæ vinculum taciturnitatis indicit. Vult plane loqui hominem; sed honesta proferentem, ac pacifica cogitantem. Multum autem verbis honoris adcrescit, si dulcisonos organi cantus nulla mentis amaritudo confundat. Hæc ideo proposuimus, dilectissimi, quia invenimus multos aliquotiens uno atque eodem sermone dulcibus verbis venena miscere; & fictis pacis blanditiis litium pugnas introire. Quid istis infelicius, quid periculosius esse potest, qui fallacis linguæ studio vitæ insidiantur alienæ? Quare isti non respiciunt ad illum propheticum Psalmum, qui dicit: [d] *Disperdat Dominus labia dolosa?* Videtis sub quali maledictione vivit, qui aliud in corde serit, aliud in lingua disponit? Bene profecto noverat Dominus cæli ac terræ, aliquotiens malos sanctorum studia ficta humilitate decipere; qui ore evangelico dicit: [e] *Veniunt ad vos in vestimentis ovium, ab intus autem sunt lupi rapaces*. Inextricabile profecto malum est, dolosa consilia miscere blanditiis. Nolo suspectas munerum suavitates. Quis autem libenter habeat acidos lactes, & tristi herbarum sapore conditos? Difficile igitur potest fieri, ut ille cuiquam placere possit, qui simul dulcem & salsam aquam profert. Quando autem est, ut gustus non offendat, si favo mellis quæcumque amaritudo se misceat? Cor ipsum hominis, quamvis sit vivum & sapiens, integra prudentia caret, quod amaritudo fellis infecerit. Omnia itaque subdolæ mentis compescenda sunt vitia: ne dum cœperint aliqua extrinsecus amara conficere, etiam ea quæ sunt in ore nostro dulcia incipiant displicere.

VI. Audite Prophetam dicentem, *Pone Domine custodiam ori meo*. Hæc est utilis custodia oris nostri, ut non facile declinet cor nostrum in verba, quæcumque ad expugnanda pacis studia aut turpis sermo profert, aut vilis actus personæ confingit. Inter confusos autem linguæ sonos neminem pœnituit tacuisse. Nam videmus frequenter etiam verborum facta in crimen venire, & nimia facilitate verborum amicitiis odia succedere. Quando autem potest fieri, ut homo aut magniloquus, aut maliloquus non habeatur ingratus? Quod tamen vitium si requiras, superabundat in aliquantis feminis: quæ sicut non dubitant quæ sunt turpia dicere, ita nec ea quæ sunt pudenda confunduntur audire. Sed nec nos ista dicimus, ut aliquis semper vocem suam presso ore contineat, & linguæ sonum obductis labiis perpetua taciturnitas includat. Ut nimium malos loqui ingratum est, ita inutile est bonos semper tacere. Cum opus ergo fuerit, proferamus verba justitiæ: sit os nostrum conditum.

VII. Sed dicis forte, Non potest non aliquando respondere provocatus. Tacendum est plane, cum improbus sermo labia quieta solicitat: & loquendum, cum os amicum pacis studia commendat. Ita & loqui & tacere perfectio est. Est autem utriusque partis caussa, verborum tenuisse mensuram. Magnum est tacere: magnum est & loqui;

a Psalm. CXL. 3. 4. b Prov. XVIII. 21. c Eccli. XXVIII. 28. d Psalm. XI. 4. e Matth. VII. 17.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 448.

sed sapientis est utrumque moderari. Nam aliquotiens nimia taciturnitas stultitiæ adscribitur, sicut & verborum nimietas ad furorem refertur. De qua re si nostri sententiam requiras arbitrii, jam malo aliquis tacendo stultus, quam nimium loquendo judicetur insanus. Loquamur ergo, sed cum timore & tremore, cogitantes * de omnibus verbis rationem esse reddendam: ita ut nihil de corde nostro iniquum exeat, nihil de ore blasphemum procedat, nihil resideat in cogitatione quod lædat. Nam præter illa quibus auditus offenditur, quorumdam interiorem conscientiam Propheta castigat: [b] *Labia dolosa in ore & corde locuti sunt mala*. Inter illas ergo insolentis linguæ culpas, cogitationes. Nam quidquid in corde loqueris, Domino confiteris; quia Deus scrutator est cordis. Videte ergo si possit fieri, ut illi occultum aut excusatum possit esse quod clamas, quem non potest latere quod cogitas. Omni itaque studio, dilectissimi, æquali vinculo ora nostra moderentur. Nihil ingratum lingua proferat, nihil injuriosum improbus sermo confingat, nihil subdolum, nihil dolosum in corde nostro sit, nihil asperum, nihil otiosum. Nam Dominus dixit [c] etiam de verbis otiosis rationem esse reddendam. Quamvis autem aliquis vitam fide muniat, scientia regat, castitate & sobrietate componat; nihil est quod in homine placeat, si in toto corpore sola lingua displiceat.

HOMILIA VI.

De otiosis verbis.

I. Quotiescumque, dilectissimi, pro studio necessitatis nobis creditæ caussam tractavimus disciplinæ, dum graviora persequi voluimus, aliquanta neglеximus: quæ licet aliquantis videantur facilia; si diligentius requiras, multis criminibus inveniuntur obnoxia. Quibus nunc porrigenda manus est, & elaborandum studio medicinæ, ut unaquæque res culpas suæ infirmitatis agnoscat. Currite ergo per singula, si videtur, quæ aut pœnæ serviunt, aut lætitiæ blandiuntur: & invenietis non solum in sævis draconibus regnare noxium virus, sed etiam in exiguis apum venena latere corporibus. Frequenter diximus, dilectissimi, ebrietatem & cupiditatem quosdam fontes esse vitiorum, ex quibus quidam torrentes præcipitati peccatorum nascuntur, qui secum maximam partem humani generis in profundum trahunt: cum hinc ebrietas gulæ gurgitem fovet, inde cupiditas furorem improbæ pervasionis accendit. Hæc enim mater est superbiæ, illa luxuriæ; quarum una falsitatis, altera deformitatis est socia: quibus studii est homicidia exercere, adulteria fabricare, amicitiarum fundamenta destruere: cum quodam commercio fœditatis furtivo amori mercedem suggerit cupiditas, occasionem præstat ebrietas.

II. Sed hæc, dilectissime, sicut aliquotiens diximus, parvo poteris labore cohibere, si illa prius quæ peccandi fomitem præstant, volueris resecare: nec plane difficile tibi erit compescere quæ sequuntur, si ea quæ sunt in capite vitia castigata damnentur. Cito enim universa corporis junctura deficiet, si non sit qui ventri improbo pabulum subministret. Unde ante omnia ebrietatis sive cupiditatis castiganda sunt vitia, quæ sibi inter cetera vindicant principatum: ut illa quæ his obsequuntur, suo periclitentur officio. Facile est enim A quamvis profundi gurgitis undam siccari, si ortus aquæ possit excludi. Multa quidem dilectissimi, adhuc de his quæ recolimus, memoriæ suggeruntur: sed quia aliquotiens in earumdem castigatione satisfecimus disciplinæ, putamus pro commemoratione rerum hodie dicta posse sufficere. Unde ex his quæ præsenti materiæ videntur inserta, interim temperamus, donec illarum partium crimina quæ aliquantis facilia videntur, exponamus.

III. Audistis, dilectissimi, Evangelistam dicentem [d] de otiosis verbis Domino rationem reddendam. Si respiciatis, dilectissimi, ad hæc quæ proposuimus, & illa quæ in castigatione indisciplinatæ B linguæ aliquotiens diximus; intelligitis hanc sententiam ad oris insolentiam pertinere: cujus dicta quamvis otiosa dicantur, non tamen otiose tractanda sunt. Nemo autem credat levem esse culpam, quam tantopere cælestis sententia districtionis impugnat. Hinc denique exsequitur quidquid fama mentitur: otiosa sunt enim semper infructuosa colloquia ficti rumoris exposita. Qui autem putandus est otiosus esse sermo, nisi ignarus rationis & nuntius falsitatis; cui id studii est, aut ridenda confingere, aut de incertis quasi certa sentire? Est autem hoc genus hominum, quod dum fabulas pascit, nescit cavere mendacium. Audiant isti Dominum dicentem: [e] *Os quod mentitur, occidit* C *animam*. Otiosa verba sunt figurata convicia, stulta fatigatione composita, dulcibus ut aliqui putant, sed multis accincta plagis ac mortiferis insuper armata suppliciis. Nam quamvis lætitiam excitent, odia tamen frequenter incidunt. Multa sunt, dilectissimi, his similia, quæ forte non sint prætermittenda, licet inter omnia verborum vitia videantur extrema. Si, verbi gratia, hominem fusci coloris appellas argenteum, otiosum verbum injuriam facis; quia si verum dixeris, accusasti: si falsum detuleris, irrisisti. Cum hominem proceræ staturæ & antiquæ infantem vocas, nonne injuriam facis, si veritate suppressa puerili studio mentiaris? Ad contumeliam enim pertinet, si verbis tuis humano D corpori aut aliquid addas aut detrahas.

IV. Sed dicis forte, satis levia esse ista, & facile portanda. Verum est. Nam talia sunt ista genera vocabulorum, ac si alienis crinibus leves plumas inferas; vel si per totum verticem juventutis primæ honore fulgentem, liquentes cineres aut pulverulenti aliquid candoris adsperseris: non quidem caput oneras, sed deformas. Similiter & detracta per jocos coma, quamvis nihil operetur doloris, multum tamen exhibet fœditatis. Cavendum est ergo, dilectissimi, ne scenico sermone alter alterum lædat, & theatralibus verbis verecundiam fratri læsæ æstimationis incutiat. Solet igitur nimia E oris facetia excitare motus animorum, & sermo lætitia accinctus reciprocum parare convicium. Sic denique scintilla quamvis parva flammas evomit, & ex nihilo exorta magna frequenter movet incendia. Otiosus sermo satis otioso nutritur auctore. Unde quia theatralium verborum fecimus mentionem, forte pro studio disciplinæ nec illa debeam reticere, quæ otiosis verbis curiosas aures capiunt, atque alti pectoris secreta concutiunt, dum plagis modulantibus blandiuntur. Hæc sunt illa vitia, quæ superius commemoravimus quadam mellis suavitate componi: hoc illud opus, quo diximus admixta dulcedine tristes vulnerum dolores institui.

[a] Matth. xii. 36. [b] Psalm. xi. 3. [c] Matth. xii. 36. [d] Ibid. [e] Sap. I. 11.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 448.

V. In hoc loco forte aliquis pro amore discipli- A næ interrogandum putet, quæ sint istæ otiosæ voces, quæ injuriam excitent & periculum audientibus parent. Bene requiris, ne per ignorantiam periclitetur auditus. Invenimus igitur frequenter, ita impudicitiæ viam muniri, atque ex hoc fomenta adulteriis ministrari: cum hic agili plectro tinnientis citharæ sonos expedit, ille docili digito laborantis organi blandimenta componit. Isti sunt laquei, quibus famulantibus inter cetera vulnera diabolus hominum mortes operatur. Nam quotiescumque dulci voce mulcetur auditus, ad turpe facinus invitatur aspectus. Nemo insidiosis cantibus credat, nec ad illa libidinosæ vocis incitamenta respiciat: quæ cum oblectant, sæviunt; cum blan- B diuntur, occidunt. Sic frequenter videmus blandis sibilis aves decipi, & hebetes feras in laqueum mortis dulcedine vocis impelli. Similis est, dilectissimi, caussa mortalium quos dulcisoni cantus cura solicitat. In hoc autem proficiunt varietates vocum, & producta sine syllabis verba, ut homo aut capiatur aut capiat. Explicari non potest, dilectissimi, quam periculosos laqueos exhibeant mimicæ studia voluptatis. Nam si aliquis posset humani pectoris secreta perquirere, inveniret ad singulos sonos fistulæ corda infelicium suspirare. Intelligite ergo, quid inter viros ac mulieres nimium familiaris ac secretus sermo faciat, quid juncta vicinia, quid jocis mixta colloquia, quid gu- C la deliciis invitata, quid auri fames ad omne facinus prostitutionis exposita; si alienum furorem etiam mutæ vocis blandimenta decipiant.

VI. Refugiendus est ergo error iste vocis sonus, qui humanis pectoribus dulcedine sua amaritudinem fecit: & persuasione quadam melliflui cantus frequenter mortifera ægris venena commiscuit. In quo loco primum obturandæ aures sunt, opponentes scutum fidei: quo facilius omnis lenocinantis vocis excludatur auditus. Adhibenda etiam disciplina, quæ oculorum desideria repellat, & tabescentis cordis incitamenta compescat. Nam ita docet Evangelista dicens: [a] *Si te scandalizat oculus,* D *erue eum*. Nemo, dilectissimi, in hoc credat hujus sententiæ stare rationem, quasi Dominus humanum corpus deformare velit, quod ad similitudinem suam plasmavit & ad speciem suæ dignationis instituit: hoc est oculos eruere, quæ sunt in homine turpia resecare, & viles actus emendatione compescere, castigatis illecebris truncare luxuriam, & bono conscientiæ manus improbæ cupiditatis abscindere. Ille autem manus suas incidit, qui in se infidelitatis tela confregerit, & justo judicio infidelitatis calamos amputarit. Ad salutem igitur animæ pertinet, si debilitentur vitia iniquis actibus enutrita, & radicitus vellatur impiorum aspectus oculorum: quibus cito mortis stimulus ad- E quiescit, si hæc quæ superius dixi, integra & inlæsa permiseris dominari. Sed quo facilius ista operemur, audiendus est Christus, qui dicit: [b] *Relinque omnia bona tua, & sequere me.*

VII. Scio quidem, dilectissimi, quod laboriose suscipiunt ista, qui sæculi actibus occupantur: quibus dulcis est istius vitæ usus. Sed si diligenter requiras, vanitate plenus, & quodammodo tenui umbra vestitus, ad tempus mundus obsequitur, & hæc quam videtis fallax divitiarum pompa blanditur. Bene ista noverat sanctus David, qui dicit: [c] *Averte Domine oculos meos, ne videant vanitatem.* Quæ est ista vanitas, nisi cultus divitiarum & sæcularium studia voluptatum? Confirmat hoc in Salomone qui dicit: [d] *Vanitas vanitatum, omnis homo dives.* Nemo ergo, dilectissimi, in hujus mundi vanitate confidat, quam videt infirmis stare vestigiis; cujus cultus temporalis atque inanis est, & ornatus fumo ventoque similis. Talis est autem decor vultus ejus, ac si speciem illius vitis aspicias, quæ solstitiani flore composita, promissæ fructum nescit exhibere vindemiæ: quæ dum nimium parturit, maculam perpetuæ sterilitatis incurrit.

VIII. Longe alium nobis, dilectissimi, æternæ vitæ tempus promittit ornatum, si tamen homo peccatis pauper incedat. Ille autem ad Christum dives vadit, qui misericordiæ fructus congregat, & stultæ studia cupiditatis impugnat. Ille ad cælos opulentissimus pergit, qui a se pompam temporariæ vanitatis excludit. Ille secum magnas opes ad paradisum portat, qui onustum vitiis pectus studio religionis exonerat. Ille postremo omnem penuriam mendicitatis evasit, qui quotidie in corde suo Christi nostri mandata serit, & pervigili fide horrea pectoris sui seminibus divinæ institutionis impleverit. Ita ut ante omnia illius otiosi sermonis compescas libertatem, quæ si inter illa religiosæ vitæ studia mixta consederit, non dubie in examinatione futuri judicii præjudicat sanctitati. Cito autem quæ sunt in homine optima revilescunt, nisi inter cetera quæ emendationem requirunt, studiose ea quæ superius commemoravimus linguæ vitia resecentur.

HOMILIA VII.

De misericordia.

I. SI respiciamus, dilectissimi, omnes justitiæ gradus per quos opus religionis instruitur, non invenies cui non apud Dominum gratiosa servitus locum comparet dignitatis. Sed hæc ipsa, fides quæ in nobis operatur, quamvis humano labore proficiant, ad Dominum referenda sunt, per quem & in quo si qua sunt bene gesta consistunt, & in posterum quibusque profutura servantur. Unde nemo sapiens Dei beneficia suis virtutibus æstimet adplicanda, ne audiat illam Apostoli sententiam dicentis: [e] *Quid habes quod non accepisti? aut si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Scimus quidem, dilectissimi, quod juxta evangeliorum fidem quæ beatitudinis promissa commemorat, homini justitia in cælestibus locum fecit: id est promissionem paradisi & terram repromissionis, gratia mansuetudinis & humilitatis obtinuit: cordis puritas Christum videre meruit: misericordia consimilem mercedem retributionis accepit: pacis jucunditas multis inter filios Dei locum paravit: pœna sanctorum victoriæ coronam & cælestis regni gloriam ex virtutis meritis adquisivit. Sed hæc omnia una atque eadem Patris & Filii & Spiritu sancti in nobis virtus operatur, quæ perfectionem justis laboribus præstat, ac bonæ voluntati quæcumque sunt optima subministrat. Unum est sane & pernimium, quod ex illa misericordiæ sede descendit, in quo sibi quotidie juste possit mortalis homo gloriari: hoc est refectio pauperum & redemtio captivorum: si tamen ipsam non aut jactantia dissipet, aut tristitia ingrata conturbet.

II. Auditis ecce Evangelistam dicentem: [f] *Veni-*

a Matth. V. 29. b Matth. XIX. 21. c Psalm. CXVIII. 37. d Eccle. I. 2. e I. Cor. IV. 7. f Matth. XXV. 34-36.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 448.

te benedicti patris mei, possidete mecum regnum cælorum promissum vobis a constitutione mundi. Esurivi, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere: nudus eram, & vestistis me. Videtis ergo quod si gloriari cuiquam oportet, non nisi in hoc opere convenit gloriari, in quo pasci ac vestiri se Dominus præcipit; & in dies famem suam portiuncula panis fracti postulat saturari. Si vultis ergo, ut non sit inanis gloriatio, primo loco abundantibus eleemosynis summi regis redimamus amicitias: & ut nobis pateat cæleste regnum, omne misericordiæ studium convertamus ad Dominum. In cujus amore non otiose aut negligenter pauperum tractandæ sunt lacrymæ: ne ille qui totum orbem solet pascere, ad nostram confusionem inter mendicos videatur esurire. Contemplare denique singulorum necessitates, & nostri erga miseros solicitudinem Salvatoris: & intelliges ibi esse Christum nostrum, ubi abundantiam videris lacrymarum. Nec enim longe tibi quærendus est Dominus, si non sis avarus. Exspectat nos ecce foris, cum illa suorum turba famulorum. Non enim tibi errandum est oculo, ut dubites circa quem potissimum opus miserandæ erogationis impendas. Ipsum scias esse Christum nostrum, quem videris nudum, quem aspexeris cæcum, quem offenderis claudicantem, quem pannis involutum, quem videris sordida veste contectum. In hac denique veste, cum a Magis quæreretur, inventus est: & cum in præsepi positus jaceret, sub hoc habitu apertis thesauris munera oblata suscepit. Ad hæc respondet illa evangelica sententia, quæ dicit: [a] *Thesaurizate vobis thesauros in cælo, ubi neque tinea corrumpit, neque fures effodiunt.* Hi sunt illi thesauri, qui cælestibus meritis deputantur, quos nulla res adversa contaminat: hoc est, facultatum per miseros dispensata substantia.

III. Audi itaque primo in hoc loco consilium meum, quicumque divitiarum abundantia gloriaris. Si times tineam, commenda: si furem metuis, in superiore parte commenda. Ecce habes idoneum custodem, qui opes tuas servet tibi, in æternum & in sæculum sæculi profuturas. Addit ad hæc: [b] *Nolite vobis thesaurizare thesauros in terra.* Non ab re est, dilectissimi, quod admonet Dominus, ne quis thesaurum suum terræ commendet. Frequenter enim videmus congesta terræ vitio periclitari; & opes nimium defossas quadam limi tabe consumi. Unde utilius judico esse commodare quam abscondere, & fenore magis credere quam terræ deputare. Stultitiæ autem genus est, clausum tenere quod potest multiplici labore proficere, & ad usum æternæ vitæ fructum exhibere justitiæ. Moneo ergo, ne quis in terra abscondat thesaurum suum, hoc est, ne quis terrenis actibus cælestis animæ dignitatem deputandam putet. Illius autem thesauros tinea comedit, qui vanitati servit, & vitam suam in hujus mundi pompa constituit. Tinea igitur, dilectissimi, vermis est invidiæ & avaritiæ: qui secreta cordis solus possides, solus quæ sunt in abditis congesta consumit. Furem vero diabolum credite: qui ut bonis operibus insidietur, objecta sæculi pompa blanditur; & ut hominem a consortio regni cælestis excludat, aurum manibus ingerit, argentum oculis opponit, gemmas collo inserit. Ita superbiam nutrit, & desideria carnis stimulo cupiditatis accendit; quæ sicut scriptura dicit [c], mergunt hominem in interitum. Non dubie autem ille pœnis exonerat profundum, qui thesauros suos præmittit ad cælum. Audite quid Dominus offerat: [d] *Venite benedicti patris mei, possidete mecum regnum promissum vobis a constitutione mundi. Esurivi, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere: nudus eram, & vestistis me.* Quis dubitet post hanc vocem, de hoc sæculo cum tota patrimonii sui pompa migrare? Stultitiæ profecto vanitas est, vitium in electione meritorum, plus mundum eligere, quam cæleste regnum; magis sæculo placere, quam Christo. Si quis itaque vult locum invenire in cælesti sede, non desinat indigentibus necessaria ministrare.

IV. Sed forte dicat aliquis, Tenues sunt facultates meæ: non patiuntur tantas erogationis expensas. Si tibi aliquis domum præclaram hujus temporariæ possessionis offerret, nonne pretio collato undique nummos aggereres; & si forte sacculi tui pondus non sufficeret, rem tibi necessariam mutuata pecunia comparares, donec ampliata novo cæspite possessione gauderes? Ecce possessio tibi regni cælestis offertur, & quidem parva pretii mercede taxata: quæ possit etiam ab illo facile emi, qui non solet de paupertate caussari. Videamus tamen quid sit, quod a te nomine pretii postulatur, cibus, potus & vestitus. Ad hæc non invenio, cui erogatio non quotidiana suppetat. Si requiras, forte horreis tuis annonæ species exuberat, & novas vini cellulas antiqui gustus fama commendat. Quid tibi prodest servare ista, si nescias lucrativis studere commerciis? Sed dicis, Pauper sum. Numquid sub hac voce illis excusare te poteris, quibus pretia specierum pro tempore sterilitate deponis? Sine caussa exiguitatem tuæ facultatis accusas: potes habere quod vendas: non potes habere quod dones? Non sine caussa dictum est: [e] *Frange esurienti panem tuum.* Ad inhumanos puto pertinere istam sententiam: quorum panes reconditos & incontaminatos solet caries exesa consumere. Frange ergo esurienti panem tuum, ne pereat, & te a consortio regni cælestis excludat. Addit ad hæc, [f] *& domesticos seminis tui ne despexeris.* Qui sunt domestici nostri? necessario omnes, qui nobis sunt nascendi lege conjuncti. Quid est quod in faciendis eleemosynis non est cujusquam excipienda persona, nec habendum electionis judicium? quia res quæ necessitati servit, erogationis ordinem non requirit. Quid autem tibi est opus quærere, utrum Christianus an Judæus, utrum hæreticus an gentilis, utrum Romanus an barbarus, utrum liber an servus sit ille qui postulat? Ubi incumbit necessitas, non opus est ut personam discutias: ne cum indignos misericordia segregas, Dei filium pariter amittas. Unde autem scire possumus, in qua parte terrarum habitet Christus? Ubique credendus est esse, qui totum noscitur possidere.

V. Sequitur superiora: [g] *Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, & vestimenta tua ante orientur, & præibit te justitia, & claritas Dei circumdabit te. Tunc clamabis ad Dominum, & Dominus exaudiet te. Adhuc te loquente dicet, Ecce adsum.* Et hoc propter fracti panis particulam. Quam plus putas adquires, si majora præstiteris? Audite Evangelistam dicentem: [h] *Beati misericordes, quoniam ipsis miserebitur Deus.* Multi quidem gradus sunt misericordiæ; sed requirendum est, qui po-

a Matth. VI. 20. b Ibid. ṽ. 19. c I. Tim. VI. 19. d Matth. XXV. 34-36. e Isa. LVIII. 7. f Ibid.
g Ibid. ṽṽ. 8, 9. h Matth. V. 7.



tissimum exsistant. Principatus misericordiæ est quidem, lapso manum porrigere, erranti viam salutis ostendere, infirmos visitare, in tribulatiore positos solatiis inhærere: sed illa est præcipue exspectanda, esurientem pascere, nudum vestire, captivum redimere, ad tempus non habenti necessaria commodare. Invenimus aliquotiens præterea multa genera misericordiæ, quibus se vulgo studia humana commendant: quæ cum nullum exhibeant misericordiæ fructum, misericordiæ tamen mentiuntur affectum. De his enim dicit Jacobus in Epistola sua: [a] *Si frater aut soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano, dicat aliquis vestrum: Ite in pace, calefacimini & saturamini: non dederitis eis quæ necessaria sunt corpori, nihil vobis proderit.* Quis non oderit tale genus misericordiæ, ubi oris elegantia infirmo pietas otiosa blanditur, & infructuosæ cælo lacrymæ porriguntur? Quid juvat alienum flere naufragium, si negligas corpus expositum? aut prodest animum excruciare dolore alieni vulneris, si deneges poculum sanitatis? Non pascunt esurientem blanda colloquia, nec vestiunt alienam nuditatem infructuosa consilia. Quid juvat fomentis mollibus palpasse mendicum, si non reficias fame moriturum? Quod istud genus est misericordiæ, ut hominem velis vivere, & nolis in necessitate servare? Crudelis est profecto pietas, quæ scit dolere miseris, & nescit subvenire perituris.

VI. Quid amplius quæritis, dilectissimi, pro erogatione fracti panis? etiam si non fuisset vobis cælestis regni portio repromissa, sufficere peccatoribus deberet illa sententia, quæ mortalibus spem futuræ salutis & lætitiam perpetuæ detulit securitatis. Nam si respiciatis ad vestri laboris fructus & cælestis indulgentiam pietatis, multo plus recipitis quam datis. Ecce pro pastu pauperis in evangeliis cælorum vobis regnum promittitur: pro erogatione fracti panis, & hospitii receptaculo, vel nudati corporis vestimento, opem suam vobis invocantibus per Prophetas Dominus pollicetur [b]: in Psalmis justitia misericordiæ vestræ in sæculum sæculi collocatur [c]. Si comparemus terrenis cælestia, satis parvo constat res tam pretiosa commercio: aut quanta pars est eleemosynæ vestræ ad illa quæ videtur mortalibus Dominus præstitisse? Ecce nos damus terrena, ille cælestia: a nobis temporanea offeruntur, ille sempiterna largitur. Vultis scire quantum distent a cælestibus donis vestri census? In comparatione beneficiorum, non est eadem ratio, divitias accipere perpetuas, & dare quæ erant peritura. Ante omnia illis lacrymis consulendum est, quas nuper furor cruentæ hostilitatis indixit. Nec enim deest, in quo se opere bona voluntas exerceat. Nam quod pejus est, multos videmus de sua suorumque redemtione solicitos: quibus manus porrigenda est. Sed dicis, Pauper sum. Nec nos quemquam suademus dare quod non habet: sed cujus facultas tam tenuis est, ut non possit redimere captivum, saltem illud quod est minimum addat ad pretium; ut vel parvo nummo videatur satisfecisse mandato.

HOMILIA VIII.

Item de misericordia.

I. Multæ caussæ, dilectissimi, ex evangelica lectione venientes in diversam partem animum trahunt: quas si voluerimus sub unius materiæ propositione disponere; necesse est ut caussa caussæ impediat, alterius negotii intellectum alter excludat. Quando autem potest fieri, ut non confusione multarum rerum aut dicentis, aut audientis impediatur ingenium? Inter cetera ergo, dilectissimi, quibus pro meritis suis beatitudinis gratiam Evangelista commemorat fuisse collatam, interim caussam misericordiæ apud vos putavimus exponendam, quæ quotidiani operis fructum requirit: cetera temporibus suis, cum usus fuerit, exsequemur: ut unaquæque res cum propriis viribus fixa constiterit, alterius caussæ materiam non requirat. Ecce dicit Dominus: [d] *Beati misericordes, quoniam ipsis miserebitur Deus.* Miror, si post hanc vocem dubitet aliquis nummum suum expendere, cum viderit justis lucra respondere beneficii. Quid autem prodest congestam auri massam sacculo custodire, cum possis quotidie & bene facere, & expensæ fenus pecuniæ reportare? *Beati misericordes, quoniam ipsis miserebitur Deus.* Gaudete, dilectissimi, & securi donate, atque indubitanter expendite. Quis autem non certatim opes suas larga per miseros erogatione dispenset, cum multiplices fructus & duplicia dona se intelligat recepturum? Ecce denique beatos illos Dominus in hac vita judicavit, quibus in futuro misericordiam repromisit.

II. Audite in alio loco Dominum dicentem: [e] *Omni petenti te tribue.* Non est otiosum, dilectissimi, quod omnibus petentibus eleemosynam Dominus dare jubet. Sciebat necessario aliquotiens inter malos etiam bonos latere: atque ideo bonos malosque commiscuit, ne cum indignos erogatio nimium cauta præteriret, etiam dignus misericordia indonatus abscederet. Nulla est discretio postulantis; nec est necessitas exploranda pauperis: dantis, non accipientis fructus quæruntur. Non interest cui petenti eroges: non enim requirit Dominus, utrum mereatur ille qui postulat; sed quærit quantum præstet qui donat. Audite ad hunc locum Apostolum dicentem: [f] *Qui parce seminat, parce & metet.* Profecto nobis præstamus, quotienscumque miseris subvenimus: lucrum nostrum est, nostrarum erogatio facultatum. Nam si respicias ad spem futuræ retributionis, fenori traditur, quidquid esurientibus ministratur; ita dicente Propheta: [g] *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.* His omnibus fidejussor est Christus, qui dicit, [h] Ego vobis in centuplum reddam. Insuper & vita æterna promittitur: impietati & avaritiæ judicii districtio reservatur, ita Evangelista dicente: [i] *Cum venerit filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo; tunc segregabit omnes ab invicem, oves a dextris, & hœdos a sinistris: dicens illis qui a dextris sunt, Venite filii mei; possidete mecum regnum cælorum. Esurivi, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus eram, & vestiistis me. Dicet illis qui a sinistris sunt: Recedite a me maledicti in ignem æternum. Esurivi, & non de-*

a Jac. II. 15. 16. *b* Isa. LVIII. 9. *c* Psalm. CXI. 9. *d* Matth. V. 7. *e* Luc. VI. 30. *f* I. Cor. IX. 6. *g* Psalm. XL. 1. *h* Matth. XIX. 29. *i* Matth. XXV. 31. 32. 34-36. 41. 42.

distis mihi manducare : sitivi, & non dedistis mihi bibere. Cogitemus ergo, dilectissimi, & provideamus ne nos retributio impietatis inveniat. Nam sicut in pascendis vestiendisque pauperibus placatur Dominus; ita læditur in contemtu miserorum: cui tanta est cura infelicium, ut sibi datum judicet, quidquid inopem aut vestit aut reficit.

III. Audite Salomonem dicentem: [a] *Fili, benefac tecum : conclude eleemosynam in sinu pauperis*. Quisque ergo utilitatibus suis consulere desiderat, non invitus pauperem pascat. Non deest autem, in quo quotidie possis lucrum facere, si ad necessitatem respicias paupertatis alienæ. Nam dicit Scriptura: [b] *Eleemosyna & fide peccata purgantur*. Ecce hic jejunis faucibus pastum requirit: ille miserabile vestimentum deesse sibi in nuditate testatur. Satis crudelis est & nimium durus quem non tangit dolor; cum partem corporis sui aut debilitas, aut nuditas, aut paupertas stimulat. Parum profecto sibi prospicit, qui non caussæ alienæ necessitatis intendit. Nil tibi prosunt divitiæ tuæ, si divitiarum beneficiis non utaris. Nam pars mendicitatis est, congestam secreto pecuniam possidere. Nescis quod non recipit fructum quicumque non seminat, juxta illam sententiam, quam superius commemoravimus, [c] *Qui parce seminat, parce & metet*? Hæc est igitur exercendæ culturæ ratio, ut quanto plus homo seminum terræ commendat, tanto futuris messibus spes major adcrescat. Qui non seminat, otiosis manibus alios metentes spectat. Nam qui inter ceteros agricolas plus laboraverit, plus reponet. Quando autem potest fieri, ut horrea sua vacua despiciat, qui semina multiplicato jugiter sulco terræ commiserit? Quid tibi prodest congestis incubare divitiis, si de his nullum lucrum capias? Videmus denique frequenter inveteratam frugum massam vetustate consumi, & vitiata temporibus vina nullis in posterum usibus profutura jactari. Illud solum aliquotiens Domino magis intelligimus profuisse, quod renovandi gratia solet agricola indigentibus commodare. Quidquid autem avaritia servaverit, aut æstas nimia decipit, aut vetustas ingrata consumit, aut tinea damnosa corrumpit. Hoc solum sibi homo reponit, quidquid caussa miserationis expenderit. Nam ita dicit Dominus: [d] *Thesaurizate vobis thesauros in cælo, ubi neque tinea consumit, nec fures effodiunt & furantur*.

IV. Provideamus ergo, dilectissimi, ne facultates nostras vermis avaritiæ exterminet. Præmittamus illuc opes nostras, ubi nullus fur inruat, nullus insidiator incendat. Commendemus divitias nostras Domino dicenti: [e] *Nolite vobis thesaurizare thesauros in terra*. Quisquis enim facultates suas in opere Dei fideliter erogaverit, in parte cæli reconditas ac repositas sub justo fidejussore custodit. Nemo sapiens ad hujus sæculi ornamenta respiciat: quæ dum temporaliter voluntatibus hominum serviunt, animis possidentis illudunt. Duo sunt genera divitiarum: unum quod suadet ad mortem: aliud quod ducit ad vitam. Divitiæ mortis sunt, incubare facultatibus alienis, & coacervatam pecuniam infelicium lacrymis comparatam in diem adnumerare sæculi hereditatibus profuturam. Illæ integræ & incorruptæ divitiæ, quibus animæ redimuntur, quibus peccata purgantur. Illius divitiæ acceptabiles Deo sunt, cujus largitate pauper alitur, nudus vestitur, captivus redimitur, vinctus absolvitur, cælestis regni hereditas comparatur. Nolo illas divitias, quæ quotidie augmento suo famem faciunt: & in posterum dignitatis suæ flore nudatæ, amatores suos esurire patiuntur.

V. Recurramus denique ad scripturas, & intelligetis in comparatione divitiarum sub meliore sorte stare pauperiem. In castigatione enim avaritiæ Dominus quemdam divitem apud inferos Abrahæ patri nostro ita supplicasse adsignat, ut mendicum Lazarum in sublimiori loco residentem mitteret, qui refrigeraret os ejus, & æstuantia siti labia restingueret. Cui ita traditur fuisse responsum: [f] *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris*. Videtis quod quædam vices studiā bonorum ac malorum hominum manent, quas studio misericordiæ convenit præveniri; ne infructuosæ divitiæ adversum se ultrices criminum flammas accendant? Paremus itaque nobis, dilectissimi, apud Dominum locum gratiæ, & viam vitæ nostræ munificentia & largitate muniamus. Affectuum nostrorum labem apud Dominum præmissa satisfactione purgemus, respicientes ad illam propheticam sententiam quæ dicit: [g] *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent*. Si quis ergo conscientiam suam diligenter interrogat, non otiosis auribus ista suscipienda putet. Non enim poteris in illa die futuri judicii aliter invenire refrigerium, nisi vulnera tua aut curaveris refectione pauperum, aut laveris inundatione lacrymarum. Profusius autem ipsi flete, & facultates vestras flentibus erogate: ut futuris temporibus inter ceteros gaudia metentes, fructus misericordiæ colligatis.

HOMILIA IX.

De eadem misericordia.

I. Quotiescumque, dilectissimi, caritatem vestram pro studio religionis admonere opus est, toties nobis illa sententia evangelicæ lectionis occurrit, quæ futuro judicio inter bonos malosque discernit: quam si quis neglexerit, lacrymas metet; si quis excoluerit, abundantissimos lætitiæ fructus adquiret, ita Evangelista dicente: [h] *Cum venerit Dominus in majestate sua, & segregaverit malos a bonis, dicet ad illos qui a dextris sunt: Venite, possidete mecum regnum cælorum. Esurivi, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere. Dicet & ad illos qui a sinistris sunt: Recedite a me maledicti in ignem æternum. Esurivi, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis bibere*. Quicumque ergo, dilectissimi, vestrum ad illud cælestis regni consortium venire desiderat, primo loco paupertati manum porrigat, nec alienas lacrymas otiose respiciat: quia unumquemque sive boni operis, sive mali sententia retributionis exspectat: ita Domino dicente: [i] *Quæcumque seminaverit homo, illa & metet*. Inter cetera ergo, dilectissimi, quibus religiosæ vitæ studio opera adponimus, non prætermittamus necessitatem pauperum, ne perdamus infelicium commercia lacrymarum. In hoc enim stat apud Dominum ratio pecuniæ per miseros dispensata, ut quanto plus homo erogat, tanto fenoris

a Eccli. XXIX. 15. b Prov. XV. 27. c II. Cor. IX. 6. d Matth. VI. 20. e Ibid. ℣. 19. f Luc. XVI. 25. g Psalm. CXXV. 5. h Matth. XXV. 31. seqq. i Gal. VI. 8.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 448.



plus reponat. Sic multis seminibus multa parturiunt, ac multis parturientibus multiplicata consurgunt. Audite de hoc quoque Dominum dicentem: [a] *Qui parce seminat, parce & metet*. Si ergo videtis, quod qui parum serit parum metet, ita & qui parum erogaverit parum recipiet: qui nihil serit nihil reponit; ita fit ut qui parum recondit, invitus sæpe jejunet. Quando autem potest fieri, ut homo horrea sua plena magnis frugibus videat, qui nihil seminis terræ commendat? Si vultis ergo, ut fructus lætitiæ colligamus, largius in lacrymis seminemus: *Qui parce seminat, parce & metet*.

II. Invenimus frequenter hominem, qui cum esurienti semel eleemosynam dederit, mandatum se persolvisse credit. Non igitur deficientes fame artus unius diei pastu refecisse sufficiet: sine caussa autem una die bonus est, qui altera descendit ingratus. Nam præcedentis misericordiæ beneficium perdidit, qui putat esurienti semel sufficere quod donavit. Ille autem ad Dominum integros misericordiæ fructus præmittit, a quo pauper numquam tristis abscedit. Jugi medicamine opus est medico, ut gemitus alieni doloris excludat: quia infirmitas quæ in diem crescit, medicinam in diem requirit. Sed nec minore cura nobis providendum est, ut abundantibus eleemosynis curemus, si quid in nobis cruentum, si quid est sordidum. Non enim statim sanantur vulnera, quæ semel laveris. Sæpe excisi corporis medicina repetenda est. Si vultis itaque, dilectissimi, ut dies vitæ nostræ nulla avaritiæ culpa contaminet: non claudamus aures nostras ad clamorem infelicium, nec avertamus oculos nostros a nuditate miserorum. Nemo autem sibi putet perire, quod pauperibus donaverit. Nam sicut mendicitas inhumanitatem sequitur, ita opulentia humanitatis studio comparatur; ita Propheta dicente: [b] *Qui dat pauperibus, numquam egebit; qui vero advertit faciem suam, in maxima penuria erit*. Ecce aures vestras clamor esurientis increpat, & jejunis faucibus januam tuam sonus vocis deficientis accusat. Quare tibi non occurrit illa sententia: [c] *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem; in die mala liberabit eum Dominus*? Satis illum negotiatorem constat stultum, qui reconditum sacculo tenet nummum, de quo inde potest habere commercium.

III. Sed quod pejus est, avaritiæ multa consentiunt. Hic ne misereatur pauperi, obstrepit vocem postulantium conturbatione sermonum: ille ne audiat, aliud audisse simulat. Satis misera est ista vivendi conditio, ut homo dum studet avaritiæ, auribus suis gravitatem conetur imponere. Respice ad illam sententiam quæ dicit: [d] *Qui pauperi miseretur, Deo fenerat*. Quare ergo dubitet aliquis indigentem pascere, cum videat se ista Christo nostro in pauperis refectione conferre? Sunt aliqui, qui miserabilem mendicitatem spe procrastinatæ humanitatis inludunt: qui cum excusare postulantibus erubescunt, miseros promittendo decipiunt. Ecce hic dicit, Clavis deest, custos absentat: cum primum fueris reversus, accipies. Non cogitas illam sententiam Salomonis, quæ dicit: [e] *Ne dixeris, abi & revertere, cras ego dabo: cum possis statim benefacere*. Unde scis quid contingat sequenti die? Dicis, Cum primum fuerit reversus, accipies: quando est illud, esurienti ut villicus tuus redeat, qui forte te volente frequenter absentat? quando est, ut ad clamantem illa fastidiosa secretorum tuorum claustra dissiliant, quæ dum tuæ serviunt voluntati, nesciunt aperiri? Dicis, Cum fueris reversus, accipies. Quid si nudum gravior solito tempestas cædat? quid si deficientes fame artus exitus vicinæ mortis excipiat? Quis non judicet tuo judicio deputatum morti, quem videt tuo beneficio potuisse servari? Cum fueris reversus, accipies. Cujus fide redit, quem virtus tota destituit? aut qua spe domum repetit, qui pridie confusus abscessit?

IV. Deponamus quod promissioni tuæ redeundo satisfaciat; forte sub hac qua pridie, conditione venturus. Satis justius plane est, eleemosynam statim negasse, quam esurientem spe promissa decipere. Audite Dominum dicentem: [f] *Frange esurienti panem tuum*. Requiramus si vultis, dilectissimi, qua fractus panis mercede pensetur. Ecce dicit Dominus, *Frange esurienti panem: si videris nudum, vesti eum: & domesticos seminis tui ne despexeris. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, & vestimenta tua cito orientur: & præibit ante te justitia: & claritas Dei circumdabit te. Tunc exclamabis, & Deus exaudiet te: & dum adhuc loqueris dicet, Ecce adsum*. Videte, dilectissimi, quantum nobis constet erogatio tenuis expensæ, ut ad petitionem nostram tantæ majestatis Dominus dignetur occurrere. Nam & alibi dicit: [g] *Qui dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, amen dico vobis, quia non peribit merces ejus*. In hoc loco voluntas requiritur, non facultas. In maximis enim affectum integræ devotionis ostendit, qui in minimis votum miserationis exhibuit. Unusquisque ergo, dilectissimi, prout habet, ut potest, eroget, largiatur, expendat. Nemo claudum refugiat, nemo surdum non audisse se fingat, nemo debili manus subtrahat: quia omnia ista in retributione consistunt. Vestire enim pauperem, corporis sui est operuisse nuditatem: lucrum autem magnum est refecisse mendicum. Sic enim dicit Dominus: [h] *Quæcumque feceritis uni ex minimis istis, mihi fecistis*. Tanta est enim apud Dominum nostrum cura miserorum, ut sibi præstitum putet, quidquid egentibus erogatio miseranda contulerit. Videmus igitur aliquoties inter abundantis vini frumentique commercia egentes viduas, quas sexus & senectus decepit: quibus nec laborandi, nec providendi virtus suppetit. Satis ille impius est, quem non ad misericordiam provocat aut infelicitas desolationis, aut infirmitas senectutis. Videmus, & quod pejus est, frequenter multitudinem captivorum nudis errare corporibus. Quid tibi prodest abundantia divitiarum tuarum, si in conspectu tuo unus algeat, alter esuriat?

V. Ecce imminet tempus, dilectissimi, justæ retributionis & promissæ in cælestibus munus hereditatis. Erogemus ergo & expendamus in hoc sæculo, si vultis partem divitiarum obtineamus in cælo. Audite Dominum dicentem: [i] *Thesaurizate vobis thesauros in cælo*: & alibi: [k] *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt*. Bene, dilectissimi, Christus noster boni operis fructum pensata facultatum qualitate disposuit: ut in faciendis eleemosynis nec dives, nec pauper excusare se possit: ita ut huic qui plurimum possidebat, thesauros juberet erogare: illum quem noverat paupertatis squalore sordere, esurienti panem juberet frangere. Quæ autem tam vacua horrea, quæ sustinere non possint

a II. Cor. IX. 6. *b* Prov. XXVIII. 27. *c* Psalm. XL. 1. *d* Prov. XIX. 16. *e* Prov. III. 28. *f* Isa. LVIII. 7-9. *g* Matth. X. 42. *h* Matth. XXV. 10. *i* Matth. VI. 20. *k* Luc. XII. 33.

tam tenuem erogationis expensam? aut qui tam miseri census, quos possit conturbare mendicus? Facile sane & sine difficultate potest implere mandatum, cui ultra possibilitatem nihil constat impositum. Scio quidem census tenues frequenter bonæ voluntati obsistere: ita ut non sit in quo se opera pretiosæ cogitationis extendant. Sed si illa quæ majora sunt, implere non possumus; vel hæc quæ parva & facilia sunt, non prætermittamus. *Frange esurienti panem*. Ad hæc quis non devota mente respondeat, quamvis paupertate oppressus sit, & tota victus mendicitate suspiret? Alioquin aut nimium mendicus, aut satis vanus est, qui in facienda eleemosyna non est fracti panis erogatione contentus. Sed dicis: multa minutatim dispensata massam faciunt. Verum est: sed quantum est istud ad illud quod dicit Dominus: [a] *Ego vobis reddam in centuplum, insuper & vitam æternam?* Tu tamen, qui tam invitus fracti panis portiunculam porrigis, quid faceres, si a te auri pondus, si argenti pretiosum talentum, aut aliquid integrum peteretur? Nescio, si tu aliquando dato magno pretio captivum redimas, qui de re tam parva suspiras. [b] *Qui pauperi miseretur, Deo feneratur*. Unde, dilectissimi, moneo ut nemo partem divitiarum Deo subtrahat: qui justis laboribus non difficilem boni operis fructum reportat, cum misericordiæ mercedem multiplici miseratione compensat. Non dubitemus itaque erogare: non diffimulemus expendere. Maxima enim semper fuit apud cultores terræ spes alendæ vitæ, ex abundantia seminasse. ....

HOMILIA X.

De parasitis.

I. QUotiescumque, dilectissimi, pro studio disciplinæ, ad confusionem malorum, opus fuit bonarum partium virtutes exponere; multum amicitiis honoris exhibuimus, cum singula quæque pro suis meritis laudaremus: præferendo fraternæ conjunctionis studia, quæ pacis & caritatis juncta consortio, vitam perfectæ religionis instituunt. Sed dum assidue singularum rerum caussas curiosus inquiro, & honestis actibus officium sermonis accommodo, multum in ipsis amicitiis quod mihi displiceret inveni. Unde ne quid in adulatione bonarum partium subtraxisse videar disciplinæ, ausus sum inter illas inimicitiarum culpas etiam amicitias castigare: si tamen amicitiæ dicendæ sunt, ubi operatur injuria multis acta vulneribus. In quo loco ad excusandam exsecrabilis erroris invidiam, aliquanti forte lusum prætendant, & pœnalibus caussis lætitiæ nomen imponant. Ferat hoc quo libet animo, qui hujusmodi contumeliis subjacere consuevit. Ego ibi amicitias excessisse omne genus captivitatis puto, ubi nec læso irasci, nec irato convenit vindicari. In quo loco, dilectissimi, quem ex duobus infeliciorem judicem, nescio: utrum illum qui aliena deformatione vivit, an istum qui corpus suum ludibrio prostituit & inlusionibus tradidit. Nemo mihi in talibus caussis patientiæ nomen imponat: ad luxuriam profecto pertinet pœna, quam irascentis inimici non extorquet injuria. Sed forte istis danda venia sit, quos ad omnem contumeliam paupertas trahit, & infelix penuria luxuriantibus plagis subjacere compellit: qui dum necessitati serviunt, contumeliis adquiescunt. Esto ut his patientiam caussa improbæ paupertatis indicat: quid de illis judicamus, quos aliena pascit contumelia? Qualis iste gradus est amicitiarum, quem vinxit pœna, asperavit injuria? aut quæ illi potest esse gratia familiaritatis, ubi est quotidie pœna venalis?

II. Erubesco quidem, dilectissimi, in confusione miserorum, quos fames improbæ cupiditatis inlexit: sed multo plus illorum actu & conversatione suspiro, apud quos pœnalis amicitia tristitiam removit, & lætitiam cruentus amor familiaritatis exegit. Infelices quidem illos judico, quos ad jugem contumeliam venter invitat, & ad omnem injuriam gula numquam poculis exsatiatura solicitat. Sed istos multo infeliciores puto, qui amica instigatione pugnas instituunt, & inter fluentes mero calices alieno sanguine satiantur. Ecce hic convivium instituit, & votivo quodam apparatu undique greges adulantium congregavit. Inter quos procedit parasitorum gula: cui consuetudinis est injuriam mero vendere, & poculis scissa plagis vestimenta sarcire. Videte ergo, quomodo isti ferant odiorum caussas, apud quos cruentas esse placet amicitias. Quid non invenit infelix ac damnosa luxuria! Ecce fit spectaculo homo homini: & ad excitandam lætitiam aut sermo turpis, aut vultus exigitur fœditatis. Huic denique manducanti barba vellitur: illi bibenti sedilia subtrahuntur: hic ligno scissili, ille fragili vitro pascitur. Tanta est igitur libido ridendi, ut putent miseri nullum sine lætitia transire convivium, nisi in cibos verterint aut vestimenta corporum, aut ministeria poculorum. Quantis autem putatis miseriis ista constare? Ecce quidquid detrimenti mensa fecerit, insatiabilis venter adquirit. Nam qui hujusmodi voluptatibus servit, etiam mercedem laboris sui aut bibendo conterit, aut vapulando consumit.

III. Sed hæc ante omnia illis imputanda sunt, qui lætitiæ caussa ad tam fœdum ministerium gradum amicitiæ & familiaritatis inclinant. In meliore profecto statu est apud Dominum servitus, quæ standi lege deputato paret officio. Est illi inter accumbentes locus ridendi, & nulla tamen inter exspectantes tenetur culpa peccati. Ecce instruitur acies poculorum telis armata. Exspectatur primum in contentione verborum victoria: nec finis ponitur, donec abundantibus lacrymis aspera quæque poculorum temperentur. Polluere est magis, quam exornare convivium, exspectare infelicium pugnas amicorum: si tamen amici dicendi sunt, qui captivorum lege serviunt, & gladiatorum more pascuntur. Datur misero inter ciborum novitates, vini liquores, quidquid vilius, quidquid asperius: ut in tanta rerum abundantia incertum sit, utrum esurire, aut sitire sit melius. Minus plane ludibrio subjacet tenebrosis sedibus deputata captivitas: ubi quamvis sustineat homo durum dominationis imperium, accipit tamen ex ipsa rerum necessitate solatia. Non enim habet, in quo possit erubescere, cui necesse est invito servire. Velim tamen scire, dilectissimi, in quo reficiat exspectantis animum injuria deformitatis alienæ. Adferant forte hujus rei amatores jocis ista præstari: quasi re vera desit, unde homo non requirat.

V. Ostendam vobis, si placet, oblectamenta non incommoda: quæ facile omnem tabescentis animi

a Matth. xix. 29. b Prov. xix. 16.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 448.



possint mæstitiam removere. Ecce infantibus quam sunt verborum admiranda principia: ubi primum informis littera vocabulum matris operatur, & distantis syllabæ gemitus patris nomen orditur? Quis autem ibi lætus non sit, cum inter illa sermonum dura rudimenta, luctantes labiorum sonos rudis lingua decipit, & os trepidum stillantia verba destituit? Quod si forte spectaculis delectaris, habes equorum, licet aliquotiens periculosa, satis tamen grata certamina: cum plagis gradu concito ventos aut timeant, aut rapiunt. Nec parum lætitiæ conferunt illa studia venationum, & canibus acta certamina; quæ nec periculis, nec damnis constat exposita: cum hic in conflictu æmulis cursibus auritо lepori imminet, ille argutis naribus cervi vestigia latentis inquirit. Quæ tamen dimittenda sunt sæculo, in quo antiquo æstuat errore luxuria. Nos vero aliter decet, quos Christus noster suis legibus vinxit, & ab illa superstitiosæ gentilitatis stultitia segregavit. Licet nec nobis desint spectacula, quæ tristitiam relevent, & anxium curis animum sufficienter oblectent.

V. Ponamus nobis ante oculos illas pugnas martyrum, & intueamur admirabilium exempla virtutum: & videbitis subito adcrescente lætitia cedere omnes infelicium æstus animorum. Cui autem non lætitiam paret pugna, justis partibus succedente victoria, quam ferus hostis admotis tormentorum stimulis in sanctorum persecutione composuit? Quis igitur non rideat, quis non lætus sit, cum videat militem Christi nostri suppliciis exsultantem? erubescente persecutionis auctore, victum plagis cessisse tortorem? Si quis forte dulcisoni cantus delectatur auditu, ad psallentium Prophetarum choros solicita latius corda convertat. Impleatur os nostrum cælestium exsultatione psalmorum, referente Christo nostro gratias, qui spe redditæ salutis in honore nominis sui jugiter exsultare nos voluit. Hæc sit exsultatio cordis nostri, ut die noctuque lætemur in Domino. Hoc est autem exsultare, mandatis Domini tota mente servisse. Mandatis autem Domini servit, qui vitam suam ab omni vitiorum contagione custodit. Ille vitam suam custodit, qui fidem proximis suis exhibet, pacem diligit, amicitias colit. Hoc est igitur amicitias colere, alienam iracundiam moderationis studio sustinere, & ferventes fratris animos patientia temperare. Ita est, ut futuro judicio inter ceteros inculpatus incedas, si de Christo nostro in his omnibus quæ diximus, te probatum castigatus exhibeas.

HOMILIA XI.

Qui gloriatur, in Domino glorietur.

I. NOn recte sentiunt, dilectissimi, qui putant vitæ ornamenta proprio labore componi, & sine adjutorio omnipotentis Dei virtutum posse merita comparari. Si ergo nostrum est tantum quod boni sumus, quare vitiis subjacemus? aut si ex nobis descendit omne, quidquid potest hominem aut ornare aut salvum facere, quare pereundi lege concludimur? Omnem profecto modum sacrilegæ superstitionis excessit, qui in laboribus justis partem Deo subtrahit, a quo sapientiæ spiritum accepimus: qui totum hominem regit, & ad omne opus bonum mortalium mentes accendit: cujus est quidquid ex illa justitiæ sede descendit. Omnia itaque laborum insignia ad Deum referenda sunt: ne sancti Spiritus dona rescindat. Nimiæ autem præsumtionis est vitium, imperatore pugnante militem solum palmam velle reportare victoriæ. Sane si vultis potestis agnoscere, cui mala, cui bona debeant imputari, Propheta dicente: [a] *Bonitatem fecisti cum servo tuo Domine*. Item alibi: [b] *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus*. Videtis ergo, quod bona nostra divinitati debemus adscribere; mala autem humanis moribus imputare: quia ut bona procurante Domino creantur, ita mala diabolo auctore nascuntur.

II. Sed ut intelligatis vitam Dei munus esse, mortem diabolo subjacere, audite Evangelistam dicentem: [c] *Venite, filii, possidete mecum regnum promissum vobis a constitutione mundi. Esurivi, & dedistis mihi manducare*. Aliis vero dicit: [d] *Recedite a me maledicti in ignem æternum, quia non dedistis mihi manducare*. Videte ergo, quod boni actus cælo serviunt, mali inferni sedibus deputantur. Divisio autem actuum nostrorum est: cum bene facimus, Christi sumus: cum mala operamur, in diaboli potestate transimus. Numquam enim deserit Dominus voluntatem religionis studio florentem: nec desunt solatia divinitatis, ubi sunt actus bonæ conversationis. Tunc sane nos bona deserunt, cum deteriora succedunt: quia non dubie divino auxilio destituimur, postquam iniquitatis desideriis occupamur. Adsistente igitur Deo ac Salvatore nostro, sine dubio dominatio diabolicæ potestatis absentat. Ubi autem virtutum Dominus discesserit, facile hostis aulam vacuæ possessionis invadit. Una est itaque spes salutis nostræ, ut malorum actuum ordinem nobis imputemus, bonorum Dei virtutibus adscribamus. Cito autem ille ad se imperium diabolicæ potestatis admittit, qui divinæ majestatis solatia non meruerit obtinere.

III. Sperandum ergo in Domino, ut boni simus: & cum boni fuerimus, in Domino gloriandum. Audite Apostolum dicentem: [e] *Quid habes quod non accepisti? Si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Hæc actuum nostrorum perfecta gloriatio est, si gloriemur in Domino, apud quem victoribus virtutum corona componitur. Ibi sane de se hominem gloriari oportet, ubi pro nomine Domini voluntaria crucis pœna succedit: quæ tamen gloriatio hunc habet fructum, si auxiliante Christo mereatur effectum. Nam Propheta in hoc loco dicit: [f] *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant qui ædificant eam: in vanum vigilant qui custodiunt eam*. Videtis ergo, quod nec sine Domino quod bonum est ædificari, nec ædificatum sine Domino poterit custodiri. Ædificatio divinæ hujus domus ædificatio est vitæ nostræ, quam oportet divinæ majestatis auxilio communiri. Rogandus itaque semper est Christus noster, ut in nobis bona nutriat: & exorandus, ut nutrita custodiat; atque ita intelligentiæ nostræ corda componat, ut omnia quæ bona sunt, gloriæ cælestis potestati adsignet.

IV. Stultitiæ vero genus est, ut homo suum esse judicet quod laboravit, qui in alterius potestate consistit. Ecce hic modo divitiis exsultat, modo paupertate suspirat: si in manus nostras sunt bona nostra, quare non cum volumus aut penuria cessat, aut divitiæ perseverant? Hic modo sanita-

a Psalm. CXVIII. 65. b Psalm. XIII. 1. c Matth. XXV. 34. 35. d Ibid. ✝. 41. e I. Cor. IV. 7. f Psalm. CXXVI. 1.

tis vigore attollitur, modo infirmitatis dolore vexatur: si in potestate hominis esset vitæ nostræ salus, numquam periclitaretur mendicus, nec moreretur infirmus. Requirat denique unusquisque initia vitæ suæ, & auctorem quærat generis humani: quis corpus formaverit, quis membra composuerit: quis terrenam materiam in humanum usum fecerit vegetare. Nonne hæc omnia Dominus sapientia procurante constituit? Cum ergo non sit nostrum quod sumus, quomodo nostrum est quod habemus? Stultitiæ genus est, ut cum alii debeas vitæ beneficium, tibi adscribas ornamenta virtutum. Ecce hic honore extollitur, ille sibi de corporis integritate blanditur, hic divitias labori suo imputat, ille scientiam doctrinæ vigiliis adsignat. Nec nos negare possumus, ornamenta religiosæ vitæ vigilantiæ studio comparari. Sed ibi Deus est, ubi integræ religionis est animus, ita Apostolo dicente: [a] *Exemplum ejus quæritis qui in me loquitur Christus?* Satis ibi vacillat humanum studium, ubi non requiritur Dei auxilium. Nam non dubie periclitatur fides, si non muniatur patrocinio divinitatis. [1] Nostrum est igitur bonum velle, Christi vero perficere. Nam ita Apostolus loquitur: [b] *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* Vides ergo boni operis voluntatem ex nobis debere descendere, perfectionem vero in Dei potestate pendere. Quare autem aliquis mortalium fieri bona suo tantum studio adsignet, cum dicat Propheta: [c] *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*: & Evangelista itidem doceat [d] non esse bonum, nisi solum Deum? Ergo videtis, quod si quando boni videmur, bonitatem Dei operamur. Audite Apostolum dicentem: [e] *Vos estis templum Dei, si tamen Spiritus Dei habitet in vobis.* Templum profecto Dei sumus: sed cum bene facimus. Si ergo templum Dei est homo, necessario Dei est quod habemus in templo.

V. Sed hæc bonis diximus. Verum non est Dei templum, ubi convenit multitudo vitiorum. Nam ubicumque crimina porriguntur, ibi diabolus dominatur. Ad illum scilicet respicit pompa divitiarum, qui sibi in magna domo vindicat principatum. Nos procuratoris loco fungimur: si aliquid lucri fecerimus, referetur ad Dominum: si damni, referetur ad procuratoris exitium. Quidquid enim servus in domini positus potestate laboraverit, necessario domini est. Habet quidem servus gratiam laboris sui, sed domino debet fructum operis impleti. Denique utili servo ad hoc pecunia creditur, ut domino duplicati fenoris lucra numerentur.

VI. Respicite itaque ad consuetudinem conversationis humanæ, & intelligetis utili servo ad hoc pecuniam credi, ut domino duplicati fenoris lucra numerentur. Nam ita in hoc loco Evangelista dicit, ad eum qui lucrum [2] quadruplicatæ pecuniæ reverso de peregre domino portavit: [f] *Euge serve bone, quia in pauca fuisti fidelis, in multa te constituam: intra in gaudium domini tui.* Ita dominus laudatur in servo bono: servus bonus prædicatur in domino. Unde cavendum est, ne quando quod ad gloriam boni operis pertinet, nostris virtutibus adscribamus: scientes quod non per jactantiam vi- A ctoriæ corona componitur: sed per fidem & confessionem dominicæ passionis, quibus respondent bonorum operum studia. Hæc est illa pecunia, cui diximus cælestis regni respondere beneficia. Hoc illud negotium justo fenore duplicatum. Hæc est illa retributio meritis debita, ac beatis laboribus repromissa.

VII. Multiplicetur ergo in nobis pietas, fides, misericordia, bonitas: ut cum venerit Dominus facere rationem cum servis suis, intremus in gaudium Domini Dei nostri. Quod facile obtinere possumus, si usque in finem cælestia mandata servemus. Sed non otiose nobis laborandum est, ut B mercede digni judicemur. Justis autem actibus facile honesta succedunt, si tamen non occupent animum pravæ voluptates: quæ non difficile in ventos evanescunt, si non divinæ majestatis solatia requirantur. Quisquis ergo est in hoc quo stat salus homini, religionis ordine constitutus, non extollatur gloria sanctitatis: sed magis fructum laboris sui Domino reservet, qui unicuique pro meritis cælestia dona componit. [g] *Qui gloriatur* itaque, *in Domino glorietur.* Omni ergo studio agendum est, dilectissimi, ut vitam nostram Domino ita fides pura commendet, ne quid extollentia humana sibi vindicet, aut suis laboribus donet. Totum autem perdidit quod laboravit, qui propriis virtuti- C bus fructum sanctitatis adscripserit.

HOMILIA XII.

De bono conservandæ pacis.

I. Soliciti sint forte aliqui malivolis exprobare verbis studium bonæ voluntatis, & timori aut ignaviæ adscribere, si quando homo litibus cedit, & exulceratus injuriis ad omnem patientiam quietis amore confugerit. Ad confutanda tam pravæ mentis judicia, sufficere quidem deberet evangelicæ lectionis admonitio. Sed quod ex nobis est, fidem rerum etsi exiguo sermone prosequimur; at- D que ea quæ plenitudo religionis postulat, pro affectu quo caritati studemus, votis competentibus adjuvamus: licet sciam antiquis legibus ita multos devicto amore servire, ut odiis semper impugnent quidquid servandæ pacis cura suggesserit. Siquidem id ipsum quod dicturi sumus, multis divinarum scripturarum testimoniis adprobemus: ita in hoc loco Domino dicente: [h] *Diligite inimicos vestros; benefacite his qui vos oderunt.* Non dubito quod aliquantis satis otiosum & impossibile videatur pro inimicitiis amorem deferre, pro contumeliis gratiam retulisse. Et vere, dilectissimi, difficile est, ut accepta injuria dolor non in quacumque parte corporis desæviat. Sed sapientis est supervenientem E dolorem aut patienter ferre, aut fomentis mollioribus temperare. Infinita autem virtus est, odia vicisse beneficiis. Nam ille inter ceteros palmam perfectæ virtutis obtinet, qui ad vicem veneni pocula dulci melle componit.

II. Primus itaque dilectionis gradus est, caritatis affectum amicitiis nutrire: integræ autem dilectionis est cumulus, odium amore repensare. Illud

[a] II. Cor. XIII. 3. [b] Rom. VII. 18. [c] Psalm. XIII. 3. [d] Matth. XIX. 17. [e] I. Cor. III. 16. [f] Matth. XXV. 23. [g] I. Cor. I. 31. [h] Matth. V. 44.

1. Vide infra his Valeriani homiliis subjectam Sirmondi epistolam §. II. ac Patrum antiquiorum sententias eidem appositas.

2. *Quadruplicatæ*] Emendabis mecum & leges, *duplicatæ*, ex ipso Scripturæ textu. COTELER. *Monum. Eccl. Gr.* tom. II. pag. 545. b. — Restitutionem confirmant quæ mox subjicit auctor: *Hoc illud negotium justo fenore* DUPLICATUM.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 448.

beneficiis adscribitur : hoc virtutibus deputatur. Additur præterea ad cumulum perfectæ dilectionis illa sententia, quæ ait : [a] *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput ejus.* Quicumque ergo tu es, quem alienæ insolentiæ inquietat injuria, & dolor contumeliis excitatus stimulat : si vis perfectus esse, animorum iracundiam moderatione compesce, & a te patientiæ bono odia improbæ indignationis exclude : aut certe, si tantum vindicare desideras, miserere ab his qui ignorant salutem animæ in hac dilectionis perfectione pendere. Forte odiis odia compensentur, & ad compensandum facinus vicaria injuria. Provocasse quidem ad iracundiam fratrem, crimen est : sed provocatum non cessasse, deforme est. Ita enim odiorum semina abundantissimos iniquitatis fructus reddunt, & scelerum pœnas operantur : & cum auctor litis erubescit fratri satisfacere ; & læsus justo, quantum ipse putat, judicio vindictam inlatæ requirit injuriæ.

III. Audistis ecce, dilectissimi, quibus pacis studia fructibus gratulentur : nunc discite, quantis odia criminibus incusentur. Sic enim proponit Evangelista, Domino dicente : [b] *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Videte utriusque partis retributionem. Huic pro odio fratris homicidii macula adscribitur : illi vindicta pro parva eleemosyna præparatur. Respice denique & vide, quanto te amicitia quietis & pacis honore circumdet : quantum tibi favoris exhibeat, si adversus inimicitias amore contendas. [c] *Diligite inimicos vestros.* Longe autem minor fructus est, si amantem te diligas. Alienis enim moribus servit, qui non amantem diligit : suis autem moribus servit, qui amantem diligit. Ad illum necessario caritatis gratia pertinet, qui inter duos prior affectum amoris exhibuit : qui amantem diligit, debitum reddit. Nam non est novum meritum, ubi alterius præcedit officium : nec perfectioni adscribendum est, ubi muneribus munera, præmissis officiis redduntur officia. [d] *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.* Nunquid dixit, si esurierit amicus tuus, ciba illum? Tu inimicum tuum pasce : nam amicus ipse sibi præstat, ut non esuriat: quid autem ibi operatur tua eleemosyna, ubi amicum pascit amicitia?

IV. Videamus tamen, quid intersit inter eum qui indigentem amicum pascit, & eum qui esurientem inimicum reficit. Ille gratiæ reddit debitum : hic exhibet miserationis & virtutis exemplum. Gloriosum est quidem indigentem fratrem pascere : sed fortius est inimico in necessitate posito subvenire. *Diligite inimicos vestros.* Forte illi quem recens pulsat injuria, videantur ista non convenire rationi. Sed respiciat, quicumque est, ad vitæ suæ quietem : & intelliget quia inimicum dilexisse, vicisse est. Infinitum autem est, quantum periculi homini incumbat, cum duos æmulo furore consimiles ad pugnam ille diabolus magister litis armaverit : cujus est consuetudinis ad instiganda odia amaros portare ac reportare sermones. Quando est autem, ut ille diem sine tribulatione transigat : vel quando est, ut ab illo nox sine impia cogitatione discedat, quem ira indignatione stimulat? Numquam profecto sine suspicione vitam ducet, cui est semper necesse cogitare & timere quem læserit. Summa itaque cura sunt dolores aperi blando verborum medicamine temperandi : quatenus & duritia cordis pacis studio castigata mollescat. In quo loco beatos illos judico, qui verba labiorum suorum tacito ore custodiunt : & memores cælestium mandatorum alienæ vocis contumeliam non requirunt. Cessant enim odia, ubi non reputatur injuria : nec habet ullam virtutem iracundia, si desit unius in contentione persona. Ita duplex patientiam manet victoria : hominem vicisse proprios animorum motus, & temperasse mores alienos.

V. Scimus quidem, dilectissimi, quod aliquoties in contentione verborum laceratis auribus corda suspirant. Sed ipse sibi injuriam facit, qui litigiosi hominis verba custodit : ipse se maculat, qui alterius dicta queritur in se fuisse collata. Plena victoria est, ad clamantem tacere, & non respondere provocanti. Habes enim mercedem & de tua patientia, & de fratris medela, si oblivioni deputetur injuria : ubi enim verbis verba succedunt, incendio fomenta præstantur. Sicut nihil est deformius respondere furiosis : ita nihil utilius tacere provocatis. Nam sic adcrescunt inimicitiæ, si cum alter se verbis defendit, alterius dicta alter accuset: nullus autem est finis inimicitiis, nisi ad tempus obtemperemus iratis. Dicis forte, Non est culpa, si illud quod dicit Propheta, feceris : [e] *Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.* Si non vis injuriam pati, religa plectrum oris tui, & obtura aures tuas, ne ad te irascentis fratris verba perveniant : aut certe si pervenerint, silentio deputentur. Sic fit ut conceptus furor virtutem perdat, si uno tacente alter solus insaniat.

VI. Audite Apostolum dicentem: [f] *Dilectio proximi malum non operatur.* Vultis scire quod sit istud malum, quod gratiam fraternæ dilectionis excludit? odia, rixæ, simultates, lites, æmulationes: quæ omnem cursum vitæ præsentis infamant. Hoc ergo malo absolutus est, qui caritati servit : nec habet in eo locum ruina vitiorum, qui calcatis odiis integrum caritatis custodit affectum. Addit ecce dilectionis augmentum Evangelista, dicens: [g] *Dilige proximum tuum, sicut temet ipsum.* Videamus qui sit iste proximus, quem tanto studio Evangelista commendat. Non ita Propheta gradum parentelæ aut necessitudinem consanguinitatis exposuit, ut extraneos a gratia fraternæ dilectionis excluderet. Proximus tuus est omnis homo, qui eadem tibi est Christianitatis lege conjunctus : proximus tibi est, qui ab ecclesiæ consortio non videtur alienus : proximus tibi, quicumque est proximus Christi. Qui ergo proximum diligit, Deum diligit. Ita qui Deum diligit, oportet ut Christi sui proximum veneretur : Propheta laudans conjunctionem fraternam dicit : [h] *Ecce quam bonum & quam jocundum habitare fratres in unum!* Quid in vita hominis est bonum nisi pax, sub qua omnia quæ sunt honesta proficiunt ac religiosa nutriuntur? Quid est jocundius, quam ut omnes gentes uni Deo in pace serviant, atque in unius Domini laudem omnium populorum vota conveniant? Habitare in unum hoc est, in unum Deum credere, & in uno Dei filio fideliter permanere. Hæc est mortalibus utilis & jocunda conjunctio, ut non dividamus, sicut hæretici faciunt, Patrem a Filio, nec Filium a Patre, nec Spiri-

a Rom. XII. 20. *b* I. Joan. III. 51. *c* Matth. V. 44. *d* Rom. XII. 20. *e* Psalm. CXL. 3. *f* Rom. XIII. 10. *g* Matth. XXII. 39. *h* Psalm. CXXXII. 1.

tum sanctum ab utroque : sed credamus hæc tria nomina per personas divisa, unius deitatis gaudere consortio. Ita fit ut cum in unum convenerit, nullum fit in ecclesia discidium caritatis.

VII. Vitemus ergo semper, dilectissimi, odia : sed ut odia vitare possimus, ante omnia caussas vitemus odiorum. Primo loco cesset invidia, quæ ad omnem litem animos humanæ mentis accendit. Nemo in comparatione personæ alterius natales infamet ; & non est quem insolentia sui oris accuset. Cavendum ante omnia est, ne quid per concertationem simultatis adcrescat. Solet enim insanabilis inimicitia ex contentione descendere. In quo loco patientia opus est, cui non sine fructu propriæ salutis obsequeris. Nam sicut illum qui injuriam fratri infert, gravis peccati manet culpa : ita te maxima protegit virtutis corona, si acceptæ non irasceris injuriæ. Ille enim dilectionis plenus affectus est, si obliteratis contumeliis, infirmitatibus miserearis alienis. Scimus quod gloriosum est aliquantis, exspectare benignis oculis pœnas corporum, aut damna miserabilium facultatum. Sed si qui sunt isti, audiant Dominum dicentem : [a] *Orate pro calumniantibus vobis*. Multi accepta injuria vicariam contumeliam parant, & vindictæ locum animo latrocinanti exspectant. Et ubi est illud quod Dominus dicit : [b] *Nemini malum pro malo reddentes* ? Ac ne aliquid sibi vindicaret iracundia, potestatis etiam spem abstulit ultionis, cum dicit : [c] *Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus*. Dimittat ergo unusquisque fratri suo ex toto corde. Nullus recolat injuriam : nemo quærat ira perseverante vindictam. Sint tibi cum inimico tuo semper blanda, sed pura colloquia : cessent obtrectationes, & cessant lites. Sic est ut a te diligatur inimicus, si non addas caussas quibus semper inflammetur iratus.

HOMILIA XIII.

Item De bono pacis conservandæ.

I. ALiquanti forte æstimant, dilectissimi, ab antiquis legis justitiam quam criminosi satis duram judicant, nimiæ bonitatis præjudicio fuisse calcatam ; ex hoc quod dicat Dominus in evangelio : [d] *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt, & orate pro calumniantibus vobis*. Satis crudelis est, dilectissimi, qui putat justitiæ non convenire bonitatem : cum una atque eadem sit ratio providentiæ, malos bonitate compescere, bonos legis vinculo custodisse. Denique currite ad sanctum David, & invenietis fontem justitiæ ac bonitatis unius esse virtutis; qui ita in parte psalmorum loquitur : [e] *Bonus es tu, Domine, & in bonitate tua doce me justificationes tuas*. Nemo ergo, dilectissimi, legis descriptionem aliud putet esse, quam bonitatis pietatisque consortium : quæ cum disciplinæ studet, honestis actibus mores instituit, & concitata iniquis cogitationibus corda severitate compescit. Nam ut sciatis nihil de antiquo jure fuisse subtractum, audite Dominum dicentem : [f] *Non veni legem solvere, sed adimplere*.

II. Non sine caussa, dilectissimi, Christus noster præsentis ac veteris Testamenti præcepta unum corpus esse voluit. Sciebat alteram partem sine alterius adjutorio stare non posse : & vere ita est. Nam ubi est districtio judicantis, temperamentum semper opus est bonitatis. Omne denique poculum, dilectissimi, cujus auxilio medicina spem humanæ salutis operatur, ex amaris speciebus & dulcibus constat. Quod si quis medicus rationis ignarus nequeat temperare, dum remedium quærit, mortifera ægris venena componit : quæ ita omnes extrinsecus dolores accendit, si tristes herbarum succos æquis nesciat miscere ponderibus. Ita & lex, dilectissimi, quæ Christiana jura moderatur, ex amaris & dulcibus, hoc est, ex antiquis & præsentibus institutis est condita. Nam ut est peccatoribus ingrata, ita & justis tota est verborum suavitate composita : in tantum ut his cæleste promittat regnum, illis gehennæ minetur incendium. In qua si quis sapiens noverit humilitatis & pacis adjectione confectionis servare mensuram, nullam exinde districtioris juris patietur injuriam. Nam ut est facile, aspera quæque pocula mellis suavitate mollire ; ita non est difficile, honestis actibus antiqui juris amaritudinem temperasse.

III. Si quis itaque vestrum justitiam amat, utriusque Testamenti mandata [1] studeat : atque ita novellis legibus serviat, ut illa quæ sunt antiquitus constituta non prætermittat. Sic ergo implebis legem Christi, si nihil de antiquis aut præsentibus institutis subtraxeris veritati. Quis autem sapiens opus justitiæ fructum neget esse bonitatis, cum audiat Prophetam dicentem : [g] *Bonum mihi quod humiliasti me, ut discerem justificationes tuas?* Non dubito esse aliquos, dilectissimi, qui sub hac sententia perfectam putent stare justitiam, quæ dicit : [h] *Oculum pro oculo, dentem pro dente*. Dominabatur quidem ista dudum apud sæculi homines : sed ideo, quia necdum auctor venerat bonitatis. Qualem autem illam putatis fuisse justitiam, quæ solam mortis operabatur injuriam? Et nullus profecto adhuc pœnæ finis esset, nisi Christus noster cruentis legibus oleum misericordiæ miscuisset : hoc est, vere sine dolo implesset justitiam, bonitatis exhibuisset doctrinam. His ergo, dilectissimi, eruditionibus instituti, antiquæ legis amaritudinem dilectionis studio temperemus : ne videatur ille perfectæ modum excessisse justitiæ, qui inlatæ vicem reportat injuriæ.

IV. Ecce dicit Evangelista : [i] *Diligite inimicos vestros*. Forte aliquantis videtur absurdum, contumeliam amore repensare. Non est impossibile inimicum diligere, si partium tuarum utilitatem cogites. *Diligite inimicos vestros*. Nemo sub hoc mandati titulo, æstimet se aliquod inimico præstare beneficium. Qui inimicum diligit, se diligit. Sibi enim pepercit, qui latrocinantis dexteram magni muneris præda compescuit : & suum corpus texit, qui armato hosti precibus obviavit, negotio quodam conatus servare reverentiam pugnatori. Nam partem constat esse victoriæ, prœlium oblato auri pondere redemisse. *Diligite inimicos vestros*. Hoc est inimicos diligere, odiis non respondere, accepta contumelia patienter ferre, donare injuriam aut manu factam aut verborum stimulis excitatam. Nam ita dicit Dominus : [k] *Qui te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & sinistram*. Istud *præbere* scio quod aliquantis ingratum est, qui nesciunt lites cavere, & imminentes suppliciorum pœnas moderatione compescere.

a Matth. V. 44. b Rom. XII. 17. c Ibid. ℣. 19. d Matth. V. 44. e Psalm. CXVIII. 68. f Matth. V. 17.
g Psalm. CXVIII. 71. h Lev. XXIV. 20. i Matth. V. 44. k Ibid. ℣. 19.

1. *Mandata*] Post hanc vocem forte addendum *servare*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 448.



V. Infinitum est autem, quantum uni patientia sua præstet, si alter solus insaniat. Nam sicut duplicatas in se plagas excitat, qui repugnat: ita majoris rixæ lucrum facit, qui manus suas alio feriente continuit. [a] *Benefacite his qui vos oderunt*. Primus gradus est ille quem diximus, ut inimicum tuum diligas: secundus vero, ut inimico benefacias: nam ibi affectus docetur, heic opus miserationis exigitur. Aliud est enim inimicum diligere, aliud misero subvenisse. Parum igitur apud inimicum tuum proficit gratia dilectionis tuæ, si eum quem diligere te asseris, esurire patiaris. Audite Paullum dicentem: [b] *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciendo, carbones ignis congeres super caput ejus*. Heic quantum video misericordia crudelitati famulatur. Quare ergo non ille circa inimicos suos pecuniam securus expendat, quem promissæ tempus ultionis exspectat? Nescit sine dubio irasci, qui dubitat misereri. Ultra felicitatem autem constat esse victoriæ, inimicum salvum fecisse, & injuriam vindicasse. Sequitur in hoc ipso loco: [c] *Orate pro calumniantibus vobis*. Sine dubio heic Dominus conscientiam ficti cordis admonuit. Sciebat enim dilectionem verbis compositam, ac licet largam erogationis expensam, fieri frequenter ingratam. Ita ergo te ostendis non invitum illam vindicem tui eleemosynam fecisse, si inimici tui plagas cælesti medico supplici oratione commendes, & profusis lacrymis auxilium salutis implores. *Diligite inimicos vestros*. Si inimicos diligere jubemur; in quo statu putatis esse illum, qui fratrem nullis excitatus injuriis impia infestatione insequitur? De hoc mihi videtur Apostolus dixisse: [d] *Qui odit fratrem suum sine caussa, homicida est*. Et vere ita est ac si occiderit hominem, qui odiis persequitur innocentem.

VI. Sed videamus tamen qui sunt isti, quos propter odia fraterna sanctus Joannes damnandos credidit. Puto illos esse, de quibus Propheta dicit: *Invidia percussum est cor eorum*. Isti sunt, qui adversus se pugnas instituunt, & domos suas proprio igne incendunt: in quorum sinu clauso flamma tenetur incendio. Nam non est heic quod alteri debeat imputari, ubi nullus est cum adversa parte conflictus: cum omnes pæne caussæ, & omnia odia inter personas in acie provocatas desæviant. Si credibile est, ecce invenimus reum qui adversarium non habet: habemus itaque qui possit puniri, & non invenimus qui debeat vindicari. Felicem plane illum judico, cujus gloriosam vitam torvis oculis alter aspexit. Nam satis bono loco est illius caussa, qui aliena laborat invidia, quia non livet homo nisi melioribus: nec invidiæ subjacet, nisi quem ad celsiora melior vitæ profectus evexerit. Illos vero plus quam miseros puto, quos lucra alienæ felicitatis exagitant; & iracundia impia æmulatione concepta occultis cordis jaculis inquietat. Bene istos sua tela puniunt: ut videatur mihi ipsa invidia aliquid habere discretionis, cum auctoris sui cor repercutit, & male conscium pectus cruento jugiter livore consumit.

VII. Primo ergo castiganda invidia est: quæ semel animo concepta dolores operatur. Sane ubi occurrit oculis nostris alienæ gloria felicitatis, æmulationis nos magis studium teneat, non livoris; juxta illud quod dicit Apostolus: [e] *Æmulamini meliora*. Ille profecto nihil subtrahit veris amicitiis, qui sine invidia bonis æmulatur alienis: nec alteri injuriam facit, qui exemplis ad meliora contendit. Si quis ergo est sapiens, imitetur fructus justitiæ, sequatur actus continentiæ, apprehendat humilitatis gratiam, & cum bonis æmulo amore currat, ut ad meliora perveniat; respicientes ad illam Apostolicam sententiam quæ dicit: [f] *Sic currite ut apprehendatis*. Quicumque ergo movetur aliena gloria, currat post bonos, & elaboret ut apprehendat: & adquiesco ut præcedat: tantum ut sine animi livore contendat. Hoc est vere immaculatam exercuisse virtutem, sine injuria vicisse meliorem. Superbis sane locum demus: tantum ut nos in humilitate vincamus. Non nos ad æmulationem provocet lucrum militiæ sæcularis. Maneat illos pompa divitiarum, quos admonet cura filiorum: licet multo plus lucri faciat ac sibi reponat, qui culturam miserationis exercet. Nihil est autem tutius, quam in ore pauperum partem recondere facultatum. Nam ita dicit scriptura, Domino dicente: [g] *Qui parce seminat, parce & metet*. Tibi fraudas quidquid reservas. Erogemus ergo, dilectissimi, multum, ut multiplices colligamus fructus misericordiæ. Sine lucro est autem pecunia, quæ sacculo tenetur inclusa: quæ si negotio deputata fuerit, non multo post tempore quadruplicata respondet. Quidquid pauperibus dederitis, sine dubio fenori deputatis, reddituro vobis in posterum, cum uniuscujusque labores multiplicato honore censentur. Exspectat enim singulos retributio operis sui, sive quos religiosa fides ornat, sive quos manus larga commendat. Nam ita Evangelista dicit: [h] *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*. Sit ergo nobis, dilectissimi, primo loco cura pacis: secundo miserationis. Nihil fictum labiis corda nostra suggerant; nihil dubii ora respondeant: respicientes ante omnia ad illam sententiam, quæ dicit: [i] *Quod tibi non vis*, [1] *alio ne facias*. Hæc illa quam diximus, perfecta dilectio, quæ affectum integri amoris instituit. Ita est ergo, ut in te antiqui juris districtio nihil habeat potestatis, si ea quæ legis plenitudo postulat, obedienter observes.

HOMILIA XIV.

De bono humilitatis.

I. NON sine injuria partis alterius, dilectissimi, est quotiescumque opus est vocis præconia virtutum meritis exhibere: quia cum homo meliora laudat, deteriora castigat. Non enim dubie stultus notari se æstimat, si bonorum judicio sapiens laudatus abscedat. Sed quid facturi sumus, qui non possumus nec bona sine malorum increpatione disponere, nec mala sine bonorum commemoratione damnare? Dabit ergo veniam, qui se in hoc opere injuriam æstimat accepisse. Melius est enim, ut mala conscio pudore confusa discedant: tantum ut ea quæ sunt laudatione digna, non lateant. Duæ igitur caussæ in unum veniunt, humilitas & superbia: quarum exponi alteram sine alterius verecundia rerum natura non patitur: quia una suis actibus, altera erubescit alienis. Dicendum igitur

a Matth. V. 44. b Rom. XII. 20. c Matth. V. 44. d I. Joan. III. 15. e I. Cor. XII. 31. f I. Cor. IX. 24. g II. Cor. IX. 6. h Matth. V. 7. 9. i Tob. IV. 16.

1. *Alio*] Pro *alii*, ut advertit Cotelerius ad *Const. Apost.* lib. I. cap. I.



est, quantum humilitas utilitatis habeat: ut possitis intelligere, quantum superbiæ infelicitatis incumbat: & exponendum, quantum superbia odiorum pariat, ut discatis quantum amoris gratia humilitatis adquirat: quo facilius unusquisque agnoscat vestrum, quid in se debeat emendare, vel quid possit eligere. Non ita superbiæ castiganda dominatio est, ut humilitatis prætermittenda sit gratia: nec in tantum humilitas præferenda, ut superbiæ tacenda sint vitia. Quid enim prodest scire valetudinis caussam, si nescias medicinam? aut quid juvat nosse auxilium sanitatis, si nulla sit compescendi cura languoris?

II. Audite de his scripturam dicentem: [a] *Humilibus Deus dat gratiam; superbis autem resistit*. Discite nunc, dilectissimi, utriusque partis retributionem: & intelligetis quid diligere, quid odisse debeatis. Ecce hic pro amore humilitatis invitatur ad gratiam: ille pro superbiæ crimine deputatur ad pœnam. Castiget ergo unusquisque in se, si cui adcreverit tumor animorum: ne adversum se cælestis justitiæ arma commoveat. Difficile autem sine periculo vitæ suæ transigit, cui adversus subliminorem potestatem caussa dimicationis incumbit. Inclinandus est itaque ad omnem humilitatem animus; ut sit apud Dominum obtinendæ locus gratiæ. Potestis autem intelligere, quam gravis sit culpa tumentis supercilii, quam necesse est tanto divinitatis labore compesci. Bene humilitas semper inlæsa est: nescit enim vinci, cui non est caussa pugnandi. Superbia vero non solum odiis, sed etiam periculis subjacet. Difficile enim potest fieri, ut non sustineat pugnam, qui injuriam indicit. Sed facile a nobis omne periculum hujus necessitatis excludimus, si adversus superbiæ vitia humilitate pugnemus. *Humilibus Deus dat gratiam; superbis autem resistit.*

III. Si diligenter requiritis, dilectissimi, universa, quibus ab initio mundi Domino cœpimus displicere; invenietis omnium vitiorum principem fuisse superbiam, & cognoscetis facile, in quo aut humilitas meruerit cælestem gratiam, aut superbia inciderit divinitatis offensam. Periclitari denique superbia hominem diaboli exitus docuit: qui in sublimiori constitutus loco, humiliora despexit; ac propter vitium præsumtiosæ mentis angelica dignitate depulsus, tyrannicæ sententiam damnationis excepit. Videtis itaque, quod superbiæ partes agit qui superbiæ studet. Quid autem superest illi, nisi damnationis sententia, cui arrogantia dominatur? Comparemus, si placet, bonis mala, & deteriora melioribus: & intelligetis quanta homo in diem superbiæ vitio laboret invidia. Sed nec longe quærenda persona est. Tu assume officium libertatis, & statim animum superbientis agnosces. Quæ, rogo, illis est vita, quibus quotidiana sunt odia? Numquam profecto ille aut sine suo aut sine alterius peccato diem transigit, qui supercilio elatus incedit: quia inter superiores inferioresque personas, semper aut despicitur, aut timetur. Superbia vilitatis est vitium, & indicium ignobilitatis: nescit autem extolli nobilitas mentis. Semper adcrescit apud indignos mores cum potestate supercilium: verum ubi est vitæ splendor, humilitas otiosa blanditur.

IV. Humilitatem illam veram & sanctam dico, quam religionis & Dei amor suadet, non timor dominationis extorquet. Illius humilitatis facimus mentionem, quæ caritatis est juncta consortio: quæ non auctoritate extorquetur imperii, sed nutritur lege vivendi. Nemo profecto mores naturæ tantum vitiis æstimet imputandos: cum facultate nutritur supercilium; cum potestate crescit imperium. Quando igitur infirmis corporibus sufficeret medicina, si cum homine nascerentur & vulnera? Nutritur superbia, dum hic se verbis sapientiorem, natalibus judicat ille meliorem: hic dum non vult loco moveri, ille dum putat se posse contemni. Ita videmus vitio superbiæ odia crescere in comparatione personæ: dum hic adulantium oculis auri argentique pondus ingerit, ille ambitum honoris opponit: hic dum in se præfert abundantiam opum, ille sermonum: hic dum se vult propter consilium expeti, ille propter convivium desiderat salutari. Enumerari vix possunt vitia superbiæ; quæ si homo vincere aut cavere posset, nullum laqueum diabolicæ damnationis incurreret. Ecce hic ut semper novus esse videatur, excusationem salutatoribus mandat; ille ut quotidie salutetur, ægrotat: hic ut inveniat imputandi locum, fingit se de omnibus esse solicitum; non quod absentem desideret, sed ut reum inofficiositatis accuset. Quærit enim quam ex matutinis horis januam salutator obsederit, ut imputet quare amicorum pompa defuerit. Ita cum ad salutationem non admittatur ille qui præsto est, reus statuitur ille qui deest: ac si cum huic qui occurrit clauditur janua, illi qui deest paratur offensa. Nolo illos dicere fastus animorum, cum egreditur diu meditato supercilio, ac suis locis suisque meritis ordinationes instituit: ita ut cum hic oscula porrigat, ille pectus opponat. Nullus illi sermo gratus, nullus confabulationis servatur affectus: alios oculis præterit, alios sermone despicit: [1] alteram, ut alteri se ostendat iratum. Quæ rogo ibi est spes vivendi, ubi unus sub specie amicitiarum præsumit dominationem; alter dum nimium obsequitur, sustinet servitutem?

V. Videamus autem qualis sit hic superbus; cum inter æquales in judicio sententiam daturus forte consederit. Videor mihi videre pugnas verborum eructatione compositas, cum unus misericordiæ studeat, alter justitiæ favere se fingat: non ut recto judicio fidem servet, sed ut studia personæ superioris exspectet. Aliud enim sensisse se simulat, ut alterius disceptatione dissentiat. Non putat in consiliis rectum, nisi quod solus senserit: non putat justum, nisi quod sibi ipse persuaserit. Vult solus audiri, ac solus omnium ore laudari: nec deest, quod pejus est, ex hac parte qui faveat. Cito enim superbia adulationi dat locum, dum aut hic quærit gratiam, aut ille veretur offensam. Nec parva est in ipsis conviviis superbia, cum altior toro locus paratur; atque in tantum sublimior lectus sternitur, ut magis pendere, quam jacere videatur. Ita superbia adquiescit injuriæ, ne pati videatur injuriam. Quæritur quis adsurgenti manum porrigat, quis humerum regat, quis latus fulciat. Nemo mihi excusare potest, hoc vitium non esse tyrannicæ dominationis. Officium enim quod homo homini exhibet, si non ad hoc solum deferatur, ut tueatur infirmum, constat esse servitium. In quo loco laudo paupertatis patientiam, quæ cum propriis

[a] Jac. IV. 6.

1. *Alteram*] Forte, *alterum amat, ut alteri se ostendat iratum*. BAUN.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 448.

virtutibus deferitur, alienis moribus famulatur. Sed quid solis divitibus tantum superbiæ pondus imponimus, cum videamus frequenter homines in summa penuria constitutos simili animorum infelicitate sordere? De quibus dicit ille sapientissimus Salomon: [a] *Tres odit anima mea... pauperem superbum*, & cetera quæ sequuntur. Excedit sine dubio ille superbiæ modum, cui nulla est conscientia facultatum. In maximis & in sublimioribus humilitas præferenda est: humilem vero pauperem nemo miratur; invitus enim se humiliat, quem necessitas paupertatis inclinat. Humilitas in paupere grata est, in divite gloriosa: humilitas inter inimicos blanda; superbia vero etiam inter amicos ingrata.

VI. Requiramus e contrario, dilectissimi, quæ sint bona humilitatis. Blanda est & officiosa semper humilitas: in amicitiis grata, in contumeliis otiosa: non extollitur prosperis, non mutatur adversis: non indicit servitium, non extorquet: officio prior ad salutandum, tardior ad sedendum: non se adulantium grege exspectat deduci: non se ambitiose desiderat salutari: non laudis studia postulat, non favorem vocis exspectat: odit adclamantium choros, quia non sine verecundia laudatur bona conscientia. Non requirit voces adulantium, nisi qui se laudatione novit indignum; verecundius autem semper laudatur amicorum studiis, qui meretur. Verum ubi indignitas dominatur, notari actus suos æstimat, si inlaudatus abscedat. Circumsepta est humilitas bonitate. Ut facere injuram nescit, ita a contumelia non requirit. Vir humilis in contentionibus magis vult tacere, quam vincere: in judiciis adquiescit imperitus videri, quam impudens judicari: non in verbis promtus, non ad respondendum paratus. Citatus vero & facilis est superborum sermo: plenus contumeliis, & refertus injuriis: numquam sine vulnere missus, numquam sine dolore jaculatus: cujus insanabilis plaga est, & inremediabilis macula. Ubi autem pervenerit verborum culpa, mox per satisfactionem sequitur medicina.

VII. Hanc ergo amare, dilectissimi, hanc quærere, hanc eligere, hanc tenere nos convenit, ut non perdamus gratiam mercedis munere promissam. Audite Evangelistam dicentem: [b] *Qui se humiliat, exaltabitur; & qui se exaltat, humiliabitur*. Exaltatio ista damnatio est: quæ circa arrogantes & superbos futuri judicii exserit potestatem. Inclinandus itaque nobis est animus, quatinus supplosa omni nota superbiæ, odiorum studia conquiescant. Sic erit ut homo de humiliori loco ad celsiora perveniat, & remuneratus honore condigno cælestis gratiam potestatis adquirat.

HOMILIA XV.

De bono martyrii.

I. Multa mihi loquendi apud vos fiducia est, dilectissimi, quotiescumque opus est in amore beati Martyris ad memoriam præconia revocare martyrii, quæ animosa fides peperit lucrativis incitata suppliciis: licet non tantum lingua sufficiat, quantum martyria postulant. Quando autem omnia humani oris officium poterit expedire, quæcumque in paratum belli cælitus virtus operata est? Itaque quod solum possumus, favorem labiorum

A meritis exhibemus: siquidem nullius sensum latere possent facta certaminis, quod nobis per annos singulos reparat documenta virtutum. Audistis Psalmistam dicentem: [c] *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*. Quid pretiosius esse potest illa morte, quæ in conflictu pugnæ hostilibus telis nescit cedere? Maximam profecto illam animam constat palmam reportare victoriæ, quæ non adquiescit impiis legibus decepta servire. Hoc est vere eximiæ virtutis indicium, persecutionis tempore plus morti favere quam vitæ. Licet æternæ vitæ locum faciat, quem in confessione Christi nostri voluntaria crucis pœna commendat; ita Domino dicente: [d] *Qui amat animam suam, perdet illam; & qui* B *odit animam suam, in vita æterna inveniet eam*. Quis non sapiens contemta hujus lucis usura, si ita usus venerit, ad martyrium ambitiose festinet, cum videat ad lucrum vitæ pertinere morti animam deputasse? Quare autem non homo ad tam pretiosum opus devotus occurrat, ac se impiorum manus audacter objiciat, quem cælestis gratia remunerationis exspectat? juxta illud quod Dominus in illa beatitudinis descriptione commemorat: [e] *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quia ipsorum est regnum cælorum.*

II. Videtis quantos fructus humanis fides suppliciis probata contulerit: vel in quo loco sit posita C contemtu corporis adquisita victoria. Quis autem posset de hac quam commemoravimus mercede dubitare, cum videat ecce in amore Sanctorum totius orbis studia convenire, & passim undique ad devotionem annuæ sollennitatis occurrere? Facile profecto intelligimus, quis illis in cælesti sede locus paretur, quorum memoriam tanta officiorum cura prosequitur. Aptemus itaque animos ad futuram gloriam quæ reposita est nobis, & præponamus terrenis cælestia, ut possimus illa æternæ vitæ promissa contingere. Nemo autem sibi de hujus mundi ambitione blandiatur, quem videt in diem deficere accessu ætatis & temporis. Si comparemus denique æternis præsentia, satis vilia & inutilia con- D stat esse quæ temporaliter possidemus. Require denique gratiam debitæ hereditatis, & intelligis hujus mundi divitias displicere; ac judicas nihil auro obscurius, nihil argenti splendore sordidius. In comparatione autem paradisi, vitro similis est gemma pretiosior. Ita est enim hujus lucis & futuri temporis dignitas, ac si stante in cælo luna oculis hominum radius se matutinalis infuderit. Tam diu enim placet lunare commercium, quam diu tenebrosæ nocti constitutis legibus præstat officium: quæ quamvis placeat candore nocturni luminis, obscuratur tamen supervenientis sideris claritate melioris.

III. Hoc est solum quod tempora præsentis vitæ E commendet, si ea agimus quæ futuro judicio non subjaceant accusationi, nec possint accusata convinci. Sed ut nulla in posterum anima apud Deum injustitiæ laboret invidia, amplectendus est ille profecto Psalmus qui dicit: [f] *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent*. Hoc est in lacrymis seminare & gaudia metere, præcedentes vitæ actus proprio confutare judicio, & lascivientem animam justo subdidisse supplicio. Cito enim tristitia lætitiam consequitur, si districtionem judicis satisfactione prævenias, & admissi criminis culpas assidua castigatione confundas. Sed ne minorem ex hoc gratiam comparasse puteris, afflictis & mærore confectis subve-

Eccli. xxv. 3. 4. *b* Luc. xiv. 11. & xviii. 14. *c* Psalm. cxv. 15. *d* Joan. xii. 25. *e* Matth. V. 10. *f* Psalm. cxxv. 5.

nias, & caussam tuam apud pauperes larga erogatione componas. Nam ita dicit Dominus: [a] *Beati misericordes, quoniam ipsis miserebitur Deus. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*. Si quis itaque vestrum, dilectissimi, studiose Christi consolationem requirit, alienos dolores eleemosynis resecet, ac studiose lacrymas suas huic in cujus honore convenimus, patrono commendet: ac se frequentibus patrociniis insinuet, quo facilius possit impetrare quæcumque Domino pro sua utilitate suggesserit. Occurrendum est semper Dei amicis, ac serviendum est proximis, & incessabiliter supplicandum, ut sanctæ intercessionis possimus obtinere suffragium. Quis autem apud justum judicem locus erit veniæ, si amicis regis nescias supplicare?

IV. Denique respicite ad sæcularis ordinem disciplinæ: & intelligetis quæ circa Sanctorum obsequia cura manere vos debeat. Sine dubio nisi prius placatus fuerit illius animus qui secreta domus prætoriæ observat, non facile pervenitur ad sublimioris amicitiam potestatis. Studiose profecto expetenda sunt suffragia patronorum, quibus solis datum est irascentis Domini animos nosse mollire, & iracundiam temperare. In magna igitur domo post dominum secundus est semper gradus amicorum. Soli sunt per quos apud Dominum & suggerendi liber locus, & impetrandi facilis præbeatur accessus. Peculiari itaque veneratione excolenda nobis est memoria Sanctorum, ut januam salutis aperiant, & in notitiam Domini desideria nostræ pervenire faciant servitutis. Magna enim securitatis est portio, in rebus asperis de domo regis habuisse suffragium. Nam decrescit quodammodo invidia criminis, ubi reus ad amicitias regalis familiæ cœperit pertinere. Ita sine periculo homo vitam transigit, si sit qui apud Dominum negligentiam peccatoris excuset. Nemo autem est, cui non opus sit potentioris etiam in maxima securitate suffragium. Nam quamvis aliquantos in hoc numero fides probata sanctificet, opus tamen est ut sit qui ipsam fidem Domino supplici intercessione commendet. Nec enim tam fortem invenias, ut non egeat auxilium fortioris. Sicut bene sub scuto militatur, ita tuto testibus sub patrono res agitur; ubi quamvis immineat pœna, si sit qui intercedat, non dubie obnoxia legibus donatur injuria. Quis autem modus esse potest mortis, si cum judex sententia feriat, non sit qui reo supplici intercessione subveniat?

V. Si cogitaremus, dilectissimi, quantum nobis civis Martyris virtus præstitit, a laudibus Dei nostri numquam linguæ studium, numquam oris cessaret officium. Respicite ad illorum studia, qui peregrinas aquas bibunt, & fontes longe positos sitientes inquirunt: & videtis quantum gratiæ habeat suis aquis inundata possessio. Æstimari autem non potest, quantum patrimonio utilitatis adcrescat, si quando quod alibi ambitiose quæritur, in propria possessione nascatur. Vobis ecce Dominus virtutum, de quo quotidie præsumeretis, dedit fontem vivum habere, non deficientem, non asperum, non amarum: de quo si quis voluerit bibere, semper justitiam sitiet, nec umquam ab illa cælestium mandatorum lege discedet. Si vultis ergo, dilectissimi, ut sit nobis in cælesti sede portio, quam victoribus Dominus repromisit: imitemur primo loco sancti Martyris fidem in confessione, & sequamur viam ejus in virtute: nec dubitemus in amore Domini cruentis lictoris manibus pectus opponere. Voluntarium autem militem in conflictu pugnæ cito protegit corona victoriæ. Sed dum ista beatis superveniunt, & felicium meritis conferuntur; nos interim, quod ad præsentem animæ salutem pertinet, resistamus adversis. Non deest autem in quo possis quotidie vincere, si volueris carnis desideriis repugnare. Respice, & vide quanta circa te sæviant certamina criminum, vel quam multa sit acies instructa vitiorum. Hinc superbia, inde fidem nostram impugnat invidia: modo ebrietas luxuriæ materiam suggerit: modo cupiditas animum ad omne genus falsitatis incendit; cujus studium est inter cetera rixas serere, lites movere, odia comparare. Adversus istas ergo legiones nobis est armis spiritalibus dimicandum, & die noctuque in acie standum, donec aut vitia cedant, aut ad pœnitentiam inclinata confugiant. Quibus superatis, non dubie etiam illum qui summam martyrii palmam requirit, possumus inire conflictum. Quis autem ibi nollet pugnare, aut quis non conetur vincere, ubi non solum homo præcedentibus laborum meritis, sed etiam præsentibus virtutum docetur exemplis?

HOMILIA XVI.

Item de bono Martyrii.

I. SAtis necessaria fuit, dilectissimi, huic mundo, quantum res docet, ad excitandam virtutum gloriam victoriæ tam præclaræ cognitio. Qui adhuc sine dubio jaceret in tenebris vinculis, si non inclitis Sanctorum illuminaretur exemplis: & circa devia & incerta pugnaret, nisi incredulas hominum mentes diffusa per totum orbem martyrii corona confunderet. Ob quam rem Deo agendæ sunt gratiæ; qui ad tantam patientiam mortalium mentes armavit, nec otiosus operis magni labores adspexit: ita ut cum amatoribus suis indiceret pugnæ necessitatem, victoribus pararet justa retributione mercedem; ita Evangelista dicente: [b] *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Quisque ergo sapiens studio religionis ad superiora contendit, discat prius unde magis veniat corona virtutibus. Nec enim longe nobis quærendus, quem sequamur. Ecce ante oculos nostros est, qui quotidie exemplis salutaribus provocat, & paterna affectione ad consortium sanctitatis invitat. Facile ergo, si vultis, ea quæ sunt cælesti regno digna adprehenditis, cum habeatis quotidie quem possitis sequi, & quem debeatis imitari. Respicite, dilectissimi, ad aliarum regionum studia, quæ videmus in amore Sanctorum peregrinis latius florere commerciis: & intelligetis quantum nobis Dominus præstiterit, vel quantum circa nos solicitudinis aut amoris impenderit, qui inter ceteras nationes quas salvandi studio respexit, etiam loca nostra martyrii cruore perfudit. Requirite, & invenietis quam ambitiose totus pæne orbis expetat patrocinia sanctitatis: ita ut tantarum virtutum merita certantibus votis ac frequentibus jugiter prosequantur officiis. Facile ergo agnoscitis, quam specialis circa vicem Martyrum officiorum cura nos maneat, cum videatis huc etiam extraneas nationes devotæ mentis amore concurrere; & prout caussa exigit, sancti Martyris solatia postulare. Habetis plane, quod peculiarius gratulari. Nam ex vestro fonte oritur, quidquid

[a] Matth. V. 7. 5. [b] Ibid. ℣. 10.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 448.

religionis ubique bibitur: & ex vobis nascitur, quidquid alibi sitientibus ministratur. Discite ergo ex hoc, dilectissimi, Deum diligere, qui se quotidie cælesti imperio sanguinis sui effusione commendat: & agnoscite quantum amatoribus Christi nostri patientia, quantum religionis actibus conferat in persecutione tristitia.

II. Ecce, sicut lectio docet, victorem possessio regni cælestis excipit. Tanti est plane sustinuisse carnificem, cui paret pœna mercedem. Quis igitur sapiens, si ita usus venerit, tantæ virtutis operam bene sibi conscius non requirat, ac se hostibus audaciter objiciat? Quare autem ille flammas non securus aspiciat, aut quare tortoris ungulas expavescat, quem tam pretiosa gratia remunerationis exspectat? Perfectæ fidei est lucrativis locum dare suppliciis: præsertim cum tantis præcedentium virtutum docearis exemplis. Perfacile profecto potestis intelligere, quid prosit fortissimis quibusque in persecutione vicisse: cum videatis quotidie adversus nequitiam diabolicæ præsumtionis per singula Sanctorum loca spiritalis judicii sævire sententiam. Non autem otiosa res est, dilectissimi, quod videmus frequenter in castigatione immundi spiritus corpora humana vexari, & invocatis Sanctorum nominibus actus suos auctorem scelerum confiteri. Quando incredulis mentibus lectio sola sufficeret? quando humanis sensibus antiqua cognitio integram fidem veritatis insereret? aut quando ad credulitatem tantarum rerum descenderet animus, si ad assertionem præteritorum solus exspectaretur auditus? Satis igitur infelix est, & alienus a Christo, cujus corda adhuc obsidentur stultæ incredulitatis errore: cum videat merita Sanctorum tantis stare virtutibus. Ad hos enim respicit, quod videmus frequenter aereum spiritum sub alterius persona psallentem, & alieno ore trepidæ confessionis proferre sermonem. In quo cum operetur flamma, non videtur injuria: alter cæditur, & alius confitetur.

III. Tantum igitur Dominus per Sanctos suos virtutis operatur, ut diabolicæ nequitiæ actus per occultas vulnerum plagas & invisibiles lacrymas judicii auctoritate confundat; & latentia scelerum blandimenta sub quodam tortore castigata compescat. Quis sapiens hæc exspectet, & non statim quidquid illud est in se infidelitatis accuset, & memor conditionis suæ jugi officio Sanctorum memoriæ condigne honorem paret? Facile videlicet potest intelligere, quis illis apud Dominum locus sit, vel quo honore a nobis habendi sint, quibus examinatione palmarum commissum videt esse judicium. Horum ergo, dilectissimi, exempla sectanda sunt: horum fides sequenda: horum virtus imitanda. Nec difficile est cuiquam ista perficere: nam si cogitetis promissæ remunerationis coronam, facile vobis erit vincere persecutionis injuriam. Ecce dicit Dominus: [a] *Qui perseveraverit, dabo illi victoriæ coronam*. Nemo ergo diffugiat, si ita usus fuerit, sonitus catenarum & tenebrosis sedibus otiosa supplicia, in usum impiorum parata, nervorum. Sine dubio universus apparatus mortis cedit, si tamen pugnandi voluntas adcrescat. Omnis igitur spes obtinendæ victoriæ in fide & voluntate consistit. Si enim voluntas sequatur fidem, numquam deserit voluntatem. Difficile autem est, ut ille sentiat pœnam corporis, qui susceperit injuriam voluntariæ passionis. Sane quo facilius in acie positus securus incedas, ante oculos ponenda sunt semper facta Sanctorum. Nam in maximis prœliis non desunt pugnatori solatia, si fortissimorum virorum requirantur exempla. Ecce dicit Dominus: [b] *Tolle crucem tuam, & sequere me*. Sed forte non omnibus ista conveniant: quia frequenter delectatum corpus cedit injuriæ. Qui de corporis sui fragilitate desperat, ad arma justitiæ confugiat, quæ voluntario deputatur officio. Facile autem supervenientis hostis impetum sustinet, quem ad pugnam voluntas armaverit: nec expavescit cruenti lictoris gladium, quem munit virtus animarum.

IV. Sed cui ista laboriosa videntur, dilectissimi, faciliora suscipiant. Unum quidem est & arduum iter, sicut Evangelista dicit [c], quod ducit ad vitam. Sed si requiramus, multæ viæ sunt per quas venitur ad gloriam. Ecce incumbit luxuria, dominatur superbia, sævit avaritia: adversus istas pugnandum est nobis studio disciplinæ, cui omnis cælestis gloria virtutis obsequitur. Inclina denique superbiam, & statim consequeris gratiarum coronam: compesce avaritiam, & non dubie de omnibus vitiis poteris obtinere victoriam. Vince ergo prius desideria carnis, & non difficile tibi erit vincere tormenta carnificis. Nostis quantis malis invidia subjaceat: quæ dum aliis livet, ipsa se percutit: vel quantum anima cupiditatis periclitetur incendio. Scitis quam gravis aspectus ad excitanda desideria; quam sint veloces jactus oculorum; quam turpis ebrietas; quam periculosæ verborum sagittæ, quæ non sine dolore percutiunt, non sine fatigatione discedunt. Adversus hæc ergo paranda nobis est crucis pugna. Toties denique in die tolles præmium, quoties desideria vinces animorum.

V. Multa sunt præterea, dilectissimi, quæ nobis necessitatem pugnæ frequenter indicunt: quibus devictis ac superatis non minimam palmam justo victor labore consequeris. Nam sicut quanta sunt in homine vitia, tanta sunt & vulnera; ita quanta sunt certamina, tanta sunt præmia; quot sunt victoriæ, tot sunt coronæ. Non enim ille sine triumpho parvo diem transigit, qui castigatis vitiis animo purificatus incedit. Ecce dicit Dominus: [d] *Tolle crucem tuam, & sequere me*. Scio quidem paucis deberi martyrii coronam, ipso Domino dicente: [e] *Multi vocati, pauci electi*. Sed dum ista felicibus superveniunt, in his quæ superius exposuimus excitanda fides est, ut nos, cum opus fuerit, impugnatione religiosæ vitæ hostilis impetus paratos inveniat. Virtus enim magna in minoribus semper experimentum capit. Sic rudis miles, prius quam ad pugnam veniat, adversus arborem truncatam robur exercet, & inductæ manus vulnera ludendo componit. Nunc pedes attollitur, nunc rapido equorum cursu ventos imitatur: in tantum denique proficit studium, ut pæne minor labor sit vicisse hostem, quam exercuisse virtutem. In similibus ergo, dilectissimi, præludendum nobis est, & aptandus est studiis animus ad fortiora venturus. Virtus enim quæ in parvis promittitur, facilius in maximis exhibetur. Sic dum consuescimus minora vincere, majora discimus tolerare.

a Apoc. II, 26. *b* Matth. XVI. 24. *c* Matth. VII. 14. *d* Matth. XVI. 24. *e* Matth. XX. 16.

HOMILIA XVII.

Item III. De bono martyrii.

I. ASserunt, dilectissimi, soliciti agricolæ rudem terram & nullis umquam examinatam sulcis, non statim justis respondere seminibus: nec bene conceptum sulco germen nutrire, nisi prius scissa ac sæpius repetita mollescat. Jam tunc necesse est ut dominus agelli sui fructus securus exspectet, cum antiqui cæspitis amaritudo cessaverit: ubi si arandi studium subito cultura destituit, prope est ut pristino colore terra sordescat. Hæc est enim boni malique discretio, quod diligentia naturam vincit, negligentia revocat ad naturam. Sub hac, dilectissimi, vivendi ratione Christianæ religionis cultura aut crescit, aut deficit: nec minore in hoc opere cura suspirat, cui necesse est duritiam humani cordis assidua castigatione mollire, & exposita frequentius fide obsessum vitiis pectus excolere. Non autem dubie apud negligentes periclitatur religiosæ studium professionis: præsertim si cælestium verborum semina mens amara suscipiat, & indociles animi nesciant fructus nutrire justitiæ. Nam sicut cessante studio solent spinis arva sordescere: ita ubi religionis cultura negligitur, vitium naturæ renovatur.

II. Apud illas forte nationes, dilectissimi, laboriosum sit viam salutis justo sermone disponere, quibus tantum verbo fides Christianæ religionis innotuit. Inveniant isti forte, etsi vanum, excusationis ingenium, qui dicant nulla sibi umquam quæ sequerentur exempla admirabilium credita fuisse. Quorum vocem Propheta convincit dicens: [a] *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Nos ad hæc, dilectissimi, quem gradum excusationis opponimus, si quid in nobis Dominus aut negligentiæ deprehenderit, aut infidelitatis invenerit, apud quos Christianum nomen a virtutibus cœpit? quorum non solum auribus, sed etiam oculis quotidie sub præsentia tanti Martyris fides religionis inseritur? Et cujus tandem Martyris? Illius necessario, qui in hoc loco pugnam inclytæ virtutis primus exercuit, & quo ordine cælestis regni possessionem obtineremus ostendit: qui in dies quid agendum nobis sit, exemplo docet; quid proficiamus, inquirit. Nemo autem dubitet illum pro actibus suis esse solicitum, quem videt sibi parentelæ affinitate conjunctum.

III. Oportet itaque primo loco, ut nos huic patrono frequentibus insinuemus officiis: quatenus pro nobis apud Dominum peculiaris intercessor invigilet, & vitam nostram dignationis suæ favore commendet. Nihil autem est quod non possit homo in qualibet necessitate positus obtinere, si amicis summi imperatoris non desinat supplicare. Respicite illorum studia, dilectissimi, qui sitientes aquas a peregrinis fontibus petunt: hoc est, qui sanctas ac venerabiles Martyrum reliquias per extensa spatia terrarum studio religionis inquirunt, & diffusa per totum orbem virtutum merita peculiaribus officiis prosequuntur: & intelligetis quo honore nobis ille habendus est, qui hujus urbis locum in conflictu cælestis pugnæ suo victor cruore perfudit. Vidimus enim per diversas & longe positas regiones scissi corporis plagas passim dividi, & pretiosa vulnerum documenta toto cominus or-
A be portari: ita ut non minor sit illis Sanctorum cura, quibus sola martyrii creduntur indicia. Patrocinium ergo quod aliis fides præstitit, nobis ultro Dominus majestatis exhibuit. Non itaque longe quærendus est, quem sequamur. Heic habemus patientiæ magistrum, heic exempla præmiorum, heic formam virtutum, heic documenta meritorum. Aptemus itaque, si ita usus venerit, ad omnem patientiam animam: & memores annuæ solemnitatis quem veneramur meritis, sequamur & exemplis.

IV. Videtis quæ sunt ornamenta pectoris, quæ pretioso serico quasi opus Dei tegitis, & fulvo au-
B ro sidereum vultum oneratis: & discite, quæ sit pompa vulnerum, quæ corona lacrymarum, in quo stet sustinuisse carnificem, vel quanti constet vicisse tortorem; vel in qua descendat exsultatione victoria suppliciis comparata, ita Propheta dicente: [b] *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent*. Quis sapiens his rebus edoctus non judicet temporalis vitæ usum in comparatione martyrii debere contemni? Si autem respiciatis ad hæc quæ quotidie Sanctis exhibentur officia, agnoscetis persecutionis tempore melius esse perire, quam vivere. Sed quare dicimus perire, cum Propheta dicat: [c] *Justus vita vivet in æternum?* Huic ergo, dilectissimi, virtutum magistro profusis in diem lacry-
C mis supplicemus, ut nos profuturis doceat servire vulneribus: ostendat adversum bellis pectus opponere, atque omnem conflictum injuriæ sustinere. Neque enim difficile est ibi inire pugnam, ubi videas præcessisse victoriam. Cito autem sedet animis, quod docetur exemplis. Sed quod pejus est, propter vanitatem hujus mundi difficile est cuiquam ad cælestia pervenire. Non autem obtinet regnum promissum corporis delicata custodia: nec ad coronam virtutum facile pervenit, qui non legitimo agone certaverit. Necesse est igitur, ut ad omnem injuriam corpus inclinet, qui ad locum victoriæ pervenire disponit. In hoc autem stat obtinendæ locus gloriæ, ut discat prius displicere sæ-
D culo, qui placere vult Christo.

V. Audite in hoc loco Dominum dicentem: [d] *Qui amat animam suam, perdet illam; & qui odit animam suam, in vitam æternam inveniet eam*. Multa sunt genera passionum, quæ Deo nostro mortalem hominem vivendi lege commendent: in quibus etsi non est corona Martyrum, est tamen non minima palma virtutum. Sane, dilectissimi, quia reposita est hæc de qua diximus, corona victoribus; nos interim vel quod possumus, peccatis circumstantibus repugnemus. Cui ergo illa prima martyrii pompa non creditur, elaboret saltem, ut inter fortissimos quosque honestæ ac religiosæ vitæ
E præmia consequatur. Non igitur ignoratis, quantis naufragiis mens humana subjaceat. Ecce cupiditas oculorum nostrorum portas jugiter pulsat, & corda hominum divitiarum stimulis inquietat. Hinc hominem ad omne facinus animus, inde invitat aspectus. Non deest ergo in quo vincas, si pugnare non desinas, & quasi in acie positus hostilibus telis per momenta confligas.

VI. Ad hæc sane expugnanda evangelica institutione opus est, quæ dicit: [e] *Si te scandalizat oculus tuus, erue eum*. Hoc est oculum eruere, vitia castigare, desideria carnis exstinguere, & disciplinæ studio vitæ lasciviam deprimere. Paratus tibi

a Psalm. XVIII. 5. b Psalm. CXXV. 5. c Ezech. XVIII. 9. d Joan. XII. 25. e Matth. V. 29.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 448.

est ecce campus, luxuriæ provocaris inlecebris; & A ut solet fieri, specie cultuque deciperis. Si vis ut ista superes, pugnandum est studio castitatis. Occurrat tibi Theclæ inter flammas & rabidas bestias custodita pudicitia: quæ in tantum mundi hujus ornamenta despexit, ut amore servandæ pudicitiæ conjugales thalamos desponsata contemneret, & integritatem professæ virginitatis pugnando nutriret, vincendo servaret. Frequenter nos ad pugnam provocat iracundia, & furor animorum: instigamur injuriis, contumeliis lacessimur. Discite quo studio ista vincamus: armemus ad patientiam animos, & quod oratione obtinere non possumus, doceat nos ad hæc evangelicus sermo qui dicit: [a] *Qui te percusserit in dextera maxilla, præbe illi & alteram.* B Videtis quod injuriæ adquievisse, vicisse est. Nam non minimam coronam illum constat reportare victoriæ, qui juxta hæc quæ præmisimus verba mandati, læsus nescit irasci. Suggerunt nobis aliquotiens oculi quod animus non requirit: frequenter etiam ipsa suos lingua prodit errores: erumpit in vocem turpia & inhonesta resonantem. In hoc loco hæc est ratio adhibenda virtutum, ut taciturnitatis studio amoris verba claudantur. Ubi in altercatione sermonum loquendi modus est virtutis cumulus. Audite de hoc Prophetam dicentem: [b] *Pone Domine custodiam ori meo, ut non declinet cor meum in verba mala.* Vincenda ergo est avaritia, confutanda iracundia, castiganda luxuria & circum- C stantiæ vinculo ora refrenanda. His gradibus ad paradisum tenditur: his virtutum meritis ad Sanctorum consortium pervenitur.

HOMILIA XVIII.

De Maccabæis.

I. MUlta quidem spe, dilectissimi, ad æternam salutem animus accenditur, si quando singulorum Martyrum facta recoluntur: sed multiplicato quodammodo anima gaudio in amorem Domini favoremque se commovet, quotiensfcumque me- D moriæ Maccabæorum mater occurrit, quæ adhortatione sua una die septenarium numerum martyrii corona vestivit, tanto fide fortior, quanto partu videtur fuisse fecundior. In qua tanta virtutum documenta, quanta fuerunt pignora. Nam tot una die omnipotenti Deo Martyres tradidit, quot filios mater diversis temporum vicibus adquisivit. Beata inter omnes matres, & ipsa orbitate felicior: cui tantum fides contulit, ut sub una die ad cælestis regni gloriam cum tota ventris fecunditate migraret. Hinc respicite illam evangelicam sententiam, quæ dicit [c] Christo nostro nec parentes præferendos esse nec filios. Apud aliquantos forte gloriosum sit, & exemplis salutaribus proferendum, unum E filium Deo hostiam obtulisse. Hæc omnem animarum virtutem & vota præcessit: ita ut in dolore sævientis pœnæ nullum filiorum affectus maternæ pietatis exceperit. Videte autem per quot virtutum gradus pretiosa fides creverit: cum adquievisse semel satis sit, hæc septies in amorem Domini pietatem maternam voluntaria orbitate multavit: bene sibi conscia, quæ sciret omnem fructum ventris sui in illa vitæ æternitate consistere; juxta illam sententiam quæ dicit: [d] *Qui amat animam suam, perdet illam; & qui odit animam suam, in vitam æternam inveniet eam.*

II. Docet lectio veteris testamenti Abraham patrem nostrum unicum filium suum Isaac immolandum Deo sacrificium obtulisse. Quod per totum orbem memorabile fidei constat esse documentum. Ac licet nullus perfuderit sanguis altaria, fuit tamen in voluntate victoria; quia apud Dominum hoc est velle, quod facere: cui ita Angelum legimus adclamasse: [e] *Abraham, Abraham, ne injicias manus in puerum: sufficit quod agnovi, quod diligis Dominum Deum tuum.* Si ergo pater noster Abraham unum filium sacrificium obtulit, & placuit: quanto magis hæc, quæ uno tempore septem votis consentientibus immolavit, se ipsam octavo loco hostiam Deo offerens; ut quæ fuerat ad incitamentum cælestis gloriæ magistra tot fortissimorum virorum, fieret etiam ipsa eximiæ virtutis exemplum? Sed si placet dilectissimi, ipsius pugnæ ordinem recolamus, ut discant parentes amare filios, & filii obtemperare parentibus: Christi nostri amore prælato, qui victoribus legitimo agone certantibus coronam vitæ cælesti flore componit, ita Domino dicente: [f] *Qui vicerit, dabo illi coronam vitæ.* Ecce, dilectissimi, quantum rei gestæ fides eloquitur, instituitur pugna pro patriis legibus inter omnipotentis Dei & diaboli ministros, multis atque innumeris instructa suppliciis; quibus armatus auctor iniquitatis venena nequitiæ suæ consuevit exercere. Sed quamvis adversus justitiæ ministros multis sæviat hostilis ira terroribus, fit sine trepidatione conflictus. In quo loco artifex scelerum & inimicus bonorum altiori interpellat corda consilio. Molitur igitur adversus singulos impietatis suæ tela, & pœnali quodam argumento, ut mos est, certamen singulare disponit: dum credit in adversis divisam per partes fraternitatem facile posse turbari; nec difficile vinci, si singulos in quæstione positos pœna confecerit.

III. Producitur itaque primo loco natu primus, circumstantibus ac frementibus undique cum toto mortis apparatu impietatis officiis: non otiose persecutore tractante, qui putaret, sublato conjuratæ virtutis capite, omne bellum posse finiri. Sed fefellerunt eum misero crudelitatis magisterio nimium edocta consilia. Nam tanto fœdius hostis vincitur, quanto adversus unum justum virum major tyranno satellitum turba famulatur. Maximum autem est indicium ignaviæ, inter confertos hostium globos unum palmam victoriæ retulisse. Sauciato itaque hostis furore cui diversa tormentorum genera serviebant, currit per singulos manus cruenta carnificis: & ad incutiendum mortis timorem, unicuique fraternum sanguinem portat, explorans metu mortis testimonia crudelitatis. Sed dum apud alterum victoriæ locum molitur, victum se ab alio confitetur. Stetit autem apud omnes inconcussa fides, vis suorum animata suppliciis. Succedit in aciem secundus: nec longo intervallo procedit & tertius: quibus coronatis, pugnam quartus aggreditur: nec quintum, aut sextum mors funesta deterruit. Est denique in omnibus una fides, una virtus, una conscientia: ut omnes unum putares, atque omnes unum esse crederes: cum tamen singulos per partes laceraret injuria. Ita fraternitas victoriæ animata consortio, dum paternis legibus servit, multiplicis virtutis insignia reportavit.

IV. Inter tot igitur pompas funerum discurrit mater attonita, & curis anxia, ac metu & pavo-

a Matth. V. 39. b Psalm. CXL. 3. c Matth. X. 37. d Joan. XXII. II. e Gen. XXII. II, 12. f Apoc. II, 11.

re conterrita. Sed neminem ista res decipiat: trepidat quidem, sed de victoriæ eventu; non de morte filiorum. Ad singulas interrogationes mater stat solicita, ne quem fides deciperet, ne quem a collegio sanctitatis fragilitas humana segregaret. Nam adversus cruentas hostis minas unumquemque sedula adhortatione prosequitur, ne vellet aliud esse, quam frater. Singuli quidem patiuntur: sed ista cum singulis patitur, & cum singulis animo sola torquetur. Tollit ergo palmam propriæ virtutis in amore omnipotentis Dei. Sed si respiciatis ad singula quæ sedulitas materna sustinuit, cum omnibus filiis partem est sortita martyrii. Post tam innumeras virtutum palmas, venitur ecce ad illum, cujus ætas hosti obtinendæ victoriæ spem fecerat: & qui B viderat circa fortiores ætate viros parum profecisse minacis inquisitionem sermonis, pueriles animos lactandos blandæ adhortationis alloquio, omni denique via subdolæ persuasionis aggreditur. Hunc divitiis & honore dignum judicat: illam unius filii absolutione æstimat esse palpandam. Sed animus jam totus directus ad cælum non facile recipit de terrena parte consilium: accenditur magis ad virtutis culmen intrepidæ animus infantiæ adhortante matre.

V. O novum & mirabile virtutis exemplum! orbitate sua mater exsultat: & unde pietas damnum patitur, lucrum reportat. Præmisso etiam hoc quem C delicatius amabat filio, ipsa quoque viam gloriosæ mortis ingreditur: nec longe innumeris vexata suppliciis, cum triumpho persecuta filios, ad cælestia & æterna contemta hac temporali luce proripuit. Cui ergo, dilectissimi, curæ sunt ventris sui pignora, hujus matris imitetur exempla, tam numerosa, tam fortia. In quam si quis vincendi studio intenderit, non dubie multiplicis gloriæ honore muneratus incedit. Quæcumque itaque mater est, filios suos hoc honore dignos judicet: ac sub ista quam didicistis adhortatione doceat, ut discant cælestium legum instituta servare. Qui autem Christo nostro serviunt, fortissimorum virorum pugnas imitentur. Illa mater probat se amare filios suos, quæ hoc D quo mundus nititur errore depulso, de fructu ventris sui hostiam Deo tradiderit, ac se suosque Domino quotidie immolatura libenter obtulerit. Sed quo facilius illius cælestis virtutis insignia obtinere possimus, contemnenda sunt munera & honores hujus sæculi, quæ humanos oculos vanitate suadente decipiunt. Hoc autem apud Dominum acceptabile constat esse sacrificium, si prælato cælesti honore sæculum cœperis despicere.

HOMILIA XIX.

De Quadragesima.

I. Si respiciamus, dilectissimi, caussam præsentis solemnitatis, quæ nobis spem salutis æternæ futuræ resurrectionis lege commendat; non ab re est, si omnes hos in lætitia dies ducamus, atque illa districtioris vitæ studia temperemus. Sed in hoc mihi aliquotiens displicet lætantium chorus, quod putat homo totum sibi licere, quidquid Quadragesimæ tempore illi religiosæ deputaverat disciplinæ. Unde nulli dubium est, præcedentia officia in confusionem venire, si nescias custodire quæcumque ad purificationem animæ jejuniorum & vigiliarum la- A bore te constiterit comparasse. Cito autem ille quæ sunt comparata rescindit, qui immemor spiritalium munerum carnalibus desideriis adquiescit. Oportet enim inter quæ diximus gaudia, illam religiosæ disciplinæ viam teneri, quæ non dubie Domino hominem bonæ voluntatis insinuat. Cui si sciremus condignam legibus servare reverentiam, nullum gehenna susciperet, nullum perpetuæ mortis pœna damnaret. Omni ergo studio nobis agendum est, dilectissimi, ne purificati corporis conscientiam indulgentia nimiæ remissionis impugnet: non tantum dierum illorum observatione contenti, quos annuatim jejuniorum cura commendat. Licet hanc ipsam aliquantis ob inutilem somnum & insatiabilem gulam constet ingratam. Qui dum ad sanctæ Paschæ dies desiderio instigante festinant, accusando vigiliarum studia continentiæ bona [1] Pascha convivia & jejunia copiosa. Quasi re vera quod quadragesimæ dies prohibeant, licito fieri solemnitas votiva permittat, & in absolutione jejunii data sit licentia peccandi.

II. Ideo nemo putet ex eo omnia sibi licere, quia videt districtioris vitæ tempora præterisse. Solet enim omnem honestæ vitæ statum remissio incauta decipere. Non æstimet ille ebrietati aliquid fuisse permissum, qui videt constituto tempore cessare jejunium. Non credat mentes hominum somnolentiæ deputatas, qui videt juges vigilias superveniente solemnitate fuisse suspensas. Non est utilis servus, qui feriatos dies ad hoc exspectat ut dormiat. Major solicitudo agricolæ manet, postquam diutino terram labore contigerit. Vigilandum igitur est primum, ne forte commendata sulcis semina, aut fera præsumtiosa sibi vindicet, aut avis insidiosa contemnat. Sequitur ut ex otio in usum aquæ bibula fossa deducatur, ne superveniens tempestas pullulantia germina aut occidat aut rapiat. Opus est etiam herbas velli, & aridum cæspitem sarculo operante molliri: ac per illos quos sibi agricolæ vindicant feriatos dies, improbum animal circumducta sepe prohibere. Tantus est enim amor alendæ vitæ, tanta providentiæ cura, tantum culturæ studium, ut nec tunc quemquam otiosum esse conveniat, cum agricolæ arista fructus perfecto flore commendat. Nam solent adultæ messes spinis adcrescentibus impediri: atque illa quæ in spe maturitatis constituta sunt, alieno semine suffocari. Ita intelligendum & multa agricolæ studio crescere, maxima quæque per negligentiam deperire.

III. Sed dicis forte, omnes negligentias solemnitatis excusant. Omnibus sine dubio periculis subjacet, qui vitam suam quolibet tempore negligentiæ tradiderit. Numquam denique equis otio deputatis bene frena laxantur. Ita & post hiemis rigorem E cito inebriata aquis terra luxuriat. Videmus etiam frequenter navigia maris portu proximo, quiescentibus remis, subita vi incurrisse naufragiis. Ad hæc ergo respicientes, fratres dilectissimi, ita vitæ nostræ ordinem disponamus, ut primo loco castigemus illum conviviorum luxum, quatenus a nobis desideria carnis fugitiva discedant. Non igitur ideo dico, quasi adeo sit abstinendum a cibis, aut in totum parcendum poculis: quia licet sint ad crucem parata, tamen semper sustinenda sunt corpora. Displicet mihi solum in his diebus insatiabilis gula, atque illa ventris infructuosa commercia: dis-

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 448.



1. Totam hanc sententiam faciunt perobscuram tum omissæ interpunctiones, tum vox una corrupta, quam in hunc modum nunc emendamus: *accusando vigiliarum studia: continentiæ bona, parca convivia, & jejunia copiosa*, cet. mutata voce *Pascha* in istam *parca*, suus orationi nitor restituitur. Baun.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 448.

plicet profusum ebrietate convivium, ac per totam noctem ludibrio expositum. Excedit profecto disciplinæ modum, si quis plus bibat quam sitiat. Quid igitur apud illos exosum, ubi præter ebrietatis vitium, etiam detrimenta conveniunt facultatum? quis autem ferat illa damna vinolentiæ, ubi plus vergitur ebrietatis caussa, quam bibitur? aut quis apparatum illius triclinii libenter aspiciat, in quo omnia pereuntis vini odore sordescunt? Nam ubi supercurrit merum, horret necessario turpi squalore convivium: perit profecto quidquid hydria plena susceperit.

IV. Videat ergo quid futurum sit, cui ebrietas placet: atque ad hæc, quæ dicturi sumus, animum sapienter accommodet: & non difficile caussam suæ infelicitatis agnoscet. Si oleo nimio vas compleveris, ad os patulum recurrit fervens unda vindemiæ, & cum fœditate revomet quidquid ex nimietate susceperit. Videmus etiam frequenter exundante vino caprini generis vasa corrumpi, & undis luctantibus cuppas figuli rimas aperire. Nihil profecto liceret morti, si scirent miseri caussas vitare pereundi. Debilitatis autem viam munit, qui infirmis corporibus plus aliquid oneris imponit. Ita est ut dubie cœptum iter peragat, quem injusti fascis pondus accusat. Moneo itaque, dilectissimi, ut si quis Christo nostro placere disponit, primo loco desideria gulæ castiget, quæ ebrietate famulante magistra solet esse damnorum. Denique hinc nuditas, hinc mendicitas, hinc solet aliquantis venire egestuosa paupertas: ita Salomone dicente: [a] *Omnis ebriosus pannis vestietur*. Perseverent magis in bonis illi fructus continentiæ, quibus videmur Domino Quadragesimæ diebus devota jugiter mente servire: ne cum forte nos possidendos negligentiæ dederimus, videamur studium honestæ vitæ temporibus solum præstitisse, non moribus. Quid prodest, si te Domino quadraginta diebus bonum exhibeas, & una die furore impiæ crudelitatis offendas? Quid juvat per multa temporum spatia pudicitiæ servasse reverentiam, si postmodum ad turpe facinus luxuria instigante rapiaris? Quid prodest cupiditati ad tempus fraudem fecisse, si post tantos misericordiæ fructus quos tibi manus larga contulit, alienis damnis & lacrymis delecteris? Perit profecto quidquid gratiæ homo per multos annos justis operibus adquisivit, si sub unius horæ spatio quocumque turpis vitæ depravetur errore.

V. Hæc est igitur servandæ disciplinæ ratio, ut integritatem in te nutrias, castitatem diligas, pacem colas, atque omnia quæ iniquitati serviunt, sub metu disciplinæ confundas: ita ut superiori non superbiat mediocritas, nec despiciatur in personarum comparatione paupertas. Sicut autem magnum est semper servisse melioribus: ita utile est & gloriosum humiliori personæ reverentiam præstitisse: quia in quantum homo dignitate præditus humiliatur, adtollitur, ita Domino dicente: [b] *Qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur*. Humilitatis itaque ante omnia via eligenda nobis est, quæ nec odiis subjacet, & multum semper amoris adquirit; ita Apostolo dicente: [c] *Humilibus Deus dat gratiam, superbis autem resistit*. Cogitet ergo quis hujusmodi labore iniquo de pœna dubitare futuri judicii, qui videt adversus se se pœnam cælestis iracundiæ commoveri. Quam si quis humilitate prævenerit, non difficile erit, ut in cælesti sede locum æternæ possessionis inveniat, de quo ille diabolus superbia operante depulsus, sententiam perpetuæ damnationis excepit. Sectemur ergo humilitatem, sobrietatem, continentiam, pudicitiam: elaboremus obtinendo studio sanctitatis; ut vita nostra nullis damnis animæ concutiatur, nullis umquam apud Dominum odiis addicta suspiret.

HOMILIA XX.

De avaritia.

I. Asserunt, dilectissimi, auctores omnium curationum diversis doloribus medicinæ beneficia diversa competere, & singulis infirmitatibus singula quæque beneficium peculiare præstare; ita ut doceant tumentia aut ferro debere compesci, aut medicaminis confectione molliri: latentia melius esse poculis indagari, frigida corporum ferventibus pasci, callidiora frigidioribus temperari. Ego vero in opere divinæ institutionis aliter sentio. Nam si illam epistolam ad Timotheum factam recenseatis, invenietis sub uno medicamine, & unius vulneris resecatione multas valetudines posse curari. Quod autem istud vulnus sit, in quo infirmitates diversæ conveniunt & mortiferos dolores operantur, sanctus Apostolus Paullus evidenter exposuit dicens: [d] *Radix omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes erraverunt a fide, & inseruerunt se doloribus multis*. Tractandum est ergo, dilectissimi, quo opere, quo labore debeat tanta criminum silva succidi. Sed prius concurrentium undique in unum omnium vitiorum caussas debetis agnoscere, & singula quæque unde descendant, quo vadant, quid deformitatis, quid doloris exhibeant, diligenter inquirere. Maxima enim spes est recuperandæ salutis, fontem nosse languoris.

II. *Radix omnium malorum est cupiditas*. Et vere, dilectissimi, si respiciamus ad singula quibus ab initio vitam suam habendi studio conditio humana prostituit, nihil est malorum, quod non cupiditas aut concipiat, aut parturiat, aut pascat, aut nutriat. Ex hoc enim fomite videmus pullulare odiorum caussas, hinc evenire criminum pugnas, hinc fraternas acies instrui, hinc amicitiarum fœdera dissipari. Nemo ergo singulis infirmitatibus proprii doloris crimen adsignet. Nam cum omnia vitia constent nominibus suis, pendent tamen sceleribus alienis. Videmus igitur superbiam vanitatis tumore componi, & humillimum quemque arrogantiæ contagione moveri. Quem si inter æquales positum subito forte respicias, alium judicas esse quam fuerit: ita elatum verbis incedere, & tumenti aspectu aspicias ad cælum collum portare: ac paupertatis beneficio diu clausum iter linguæ verborum munire ponderibus: atque in tantum fastidiosi oris verba disponere, ut cum ipse velit loqui, alium nolit audire. Sed hæc quamvis sint per se gravia, constat inlecebris cupiditatis animari. Cessat denique divitiarum pompa, & non tam facile invenies, qui superbiæ laboret invidia.

III. *Radix omnium malorum est cupiditas*. Curramus per singula, si videtur: & invenietis quantis malis pullulet vitium cupiditatis. Ecce armatur vicinitas frequenter ad litem: unde est, nisi quod hic forte terminos transscendere, & cæspitem juris alieni cogitat occupare? Quare non occurrit oculis illa sententia; [e] *Ne transeatis terminos quos posue-*

a Prov. xxiii. 21. b Matth. xxiii. 11. c Jac iv. 6. d I. Tim. vi. 10. e Prov. xii. 28.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 448.



runt patres vestri? Ecce fit primum in hoc loco A de proprietate contentio: & dum suam quisque cupiditatem verbis fovet, stimulum litis accendit. Crescit postmodum de contentione caussatio: atque utinam hoc solum sufficeret cupiditati! Illud gravius est, quod dum nemo vult inchoatæ calumniæ facere jacturam, pervenitur ad rixam. Armantur servi, incitantur propinqui, & in alterius lucrum pectus opponitur alienum. Animatur vino furor conductus, & effusus sanguis fit pretium possessionis. Aperitur postmodum legibus forum: & dum ultionis locus quæritur, congeminatur homicidium. Videmus etiam frequenter acies cupiditate componi: dum aut hic vult videri ditior, aut ille erubescit esse pauperior. Quibus inter se æmulantibus periclitatur B interim vicina possessione consortium, dum quærit quis primus invadat, & cogitat ut immune possideat. Ita fit ut dum cupiditas quærit augmentum, patrimonium vacillet alienum.

IV. Quare non cogitant isti illam sententiam, quæ dicit: [a] *Stulte, hac nocte requiretur a te anima tua: hæc quæ parasti cujus erunt?* Et vere nihil est stultius quærere dubia, & adquirere peritura. Quid enim prosunt homini opes, quæ ad hoc solum congregantur ut pereant? Certe te moriente remanet cæspes avaritia propagatus: relinquitur ampliata possessio: & quamvis sit in alterius potestatem transfusa, testimonium tamen tui sceleris servatura. In C quo loco cogitandus semper ille propheticus sermo: [b] *Væ illi qui jungit villam ad villam.* Sed dicis, Lego [c] *parentes filiis thesaurizare debere.* Ex hac ipsa sententia potes agnoscere, quid profecerit pietas tua. Ecce ad alium transeunt divitiarum tuarum ornamenta, & tecum remanet persuasionis invidia. Apud alium facultatum tuarum pompa resedit, & tecum pœna migravit. Stultitiæ genus est, aliis fecisse lucrum, & sibi paraffe supplicium. Nam ita dicit Apostolus: [d] *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli.*

V. Sed nec longo intervallo cælestis sententia districtionis suæ exserit potestatem. Nam quodam modo D per gradus ad ultionem quamdam præteritorum actuum vitiorum incrementa succedunt. Denique hic parricidali animo, aut patris vitam increpat, aut matris mortem exspectat. Tueatur illum forte ab hoc crimine caussa debitæ hereditatis. Verum est: sed quamquam legitimus heres sit, non tamen sine cupiditatis vitio successionis vota componit. Vellet denique unicus esse, si posset: modo de patris morte cogitat: modo de fratris vita suspirat. Non est hoc sine grandi scelere impietatis. Nam quisque hominum parentivæ mortis exspectatione animam pascit, parricidali crimine in hereditate succedit. In quo loco cupiditatis impulsu nutriuntur inter coheredes odia. Necdum funus effertur, & E jam testamenti fides juris interpretatione vacuatur. Alter de subscriptione patris disputat: alter de fratris persona desperat. Hic adstruit scripturam non stare testibus: ille adsignat testamentum non convenire temporibus. Ita vacillat prædium in collisione caussarum: & quod adquisivit avaritia parentum, perdit cupiditas filiorum. Audite scripturam dicentem: [e] *Ne concupiscas rem proximi tui.* Enumerari non potest, quantis modis cupiditas sæviat. Ecce ubi testamentum profertur, statim de falsitate cogitatur. Quæritur quis mutum audierit loquentem, quis mortuum heredes noverit ordinantem. Nec difficile est, quod pejus est, cuiquam invenire personas, aut scelere conjunctas, aut pretio comparatas. Imitatur hic infelix subscriptionem manus alienæ. Ita scripturam quam testator non instituit, cupiditas calamo sæpius repetente componit.

VI. *Radix omnium malorum est cupiditas.* Hic ad confirmandam fraudem armat perjurio falsitatem: ille alienis litibus corruptum nonnumquam pectus opponit. Ita sub unius cupiditatis vitio facultas & adquiritur, & laceratur. Ubi est quod dicit scriptura: [f] *Falsus testis non erit impunitus?* Cui hoc imputandum putamus, quod inter illos quos audimus aliquotiens criminibus interfuisse, etiam innocentes in crimen vocantur? Venit enim frequenter in quæstione suspicio: & cum apud alterum resideat furti culpa, ad alium transit pervasionis invidia. Ita dum augmentum facultatum quæritur, etiam bene adquisita lacerantur. Sic fit ut aliquotiens descendat ex cupiditate falsitas, & ex falsitate paupertas. *Radix omnium malorum est cupiditas.* Unde est quod videmus inter se frequenter armatas stare legiones? Quid autem aliud est, nisi quod aut ille aliena occupare quærit, aut ille occupata custodit? Inde descendit, quod aliquotiens de imperii potestate contenditur, & de primatus ambitione certatur. Omnia profecto in pace consisterent, si hominem imperandi cupiditas non removeret.

VII. *Radix omnium malorum est avaritia.* Requiramus cujus sit vitium, quod tenui tabulato hominis vita committitur, & dubiis casibus pelagi incerta tentantur. Nonne cupiditati adscribendum est, cum superveniente procella altum mare nauticus clamor incusat? Nonne ad cupiditatis recurrit invidiam, cum scrupeis rupibus naufragum corpus illiditur, & tumentia aquis membra ignotis litoribus pelagi unda jactantur? Numquam se profecto nauta navigio credidisset, nisi navigandi desiderium negotiandi cupiditas incitasset. Fertur denique homo undis voto quadruplicandæ pecuniæ: portatur aurum, ut reportetur cum falsitate perjurium. Numquam enim negotium sine fraude agitur, ubi ad hoc solum vilius emitur, ut carius distrahatur. In qua re etiam si votis hominum navigatio quieta successerit; non sine naufragio est, cum inter vendentem & ementem iniquis aut ponderibus, aut mensuris, quis aut operatur aut patitur. Quare isti non cogitant illam sententiam quæ dicit: [g] *Sicut mensus fueris, metietur tibi?*

VIII. Erubescimus illa dicere, dilectissimi, quæ luxuria agente deferuntur, cui descendit ex cupiditate commercium. Frequenter igitur conjugalis pudor pecuniæ taxatione vilescit: & diu incontaminata virginitas sub parvo auri pondere prostituta fidem integritatis amisit. Tanta est apud aliquantos cupiditas, ut venalis pudor pretium fœditatis inveniat. Nam ita ad corruptionem corporis pecunia studiose pensatur, quasi dignum aliquid comparetur. Infelix profecto est, qui plus cupiditati consulit, quam pudori. Damnasse est promissæ hereditatis gratiam, integritatis fecisse jacturam. Videte sub uno crimine quam dissimile commercium cupiditatis. Hic pecuniam dedit, ut corruptionem emeret: illa pudorem perdidit, ut pecuniam compararet. Nihil enim sine cupiditate agitur, quotiescumque peccatur. Nam

a Luc. XII. 20. *b* Isa. V. 8. *c* II. Cor. I. 24. *d* I. Tim. VI. 9. *e* Exod. XX. 17. *f* Prov. V. 19. *g* Matth. VII. 2.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 448.

si removeas ornamentorum cultum, nullum patieris in corporis contaminatione naufragium. Cesset denique auri desiderium, & nec conjugalis fides perit, nec virginalis integritas erubescit.

IX. *Radix omnium malorum est avaritia*. Hic proditionis arguitur; ille delator alieni criminis accusatur. Quis dubitet quod secretum pectoris oblatæ pecuniæ pondus irruperit? Nihil clausum constat, quod auro argentoque non pateat: nihil occultum, quod non pecunia indagante sit cognitum. Unde periculose illis conscientiæ fides creditur, quibus cupiditas dominatur. Haberet profecto integritas totum secretum, si in aliena domo proditrix pecunia non haberet ingressum. *Radix omnium malorum est cupiditas*. Ecce ille Dominus ac Salvator noster exitum voluntariæ passionis vitio alienæ cupiditatis implevit. Legimus damnationem Redemtoris nostri triginta argenteis comparatam. Sed sicut vidistis proditionem ex cupiditate venire: ita debetis agnoscere damnationem ex proditione descendere. Proditus quidem ductus ad supplicium, sed proditor currit ad laqueum. Ecce quid fructus habet cupiditas: pecunia damnationis ad comparationem sepulturæ reposita, hoc est funeribus deputata. Intelligite ergo, in quo statu sit culpa cupiditatis, cum in damnationem venerit pretium proditionis. Nam & Apostolus Petrus dicit: [a] *Pecunia tua tecum sit in perditionem*. Forte sit aliquis de stultis & avaris, qui sibi de hac sententia blandiatur; & præferat quod audit, secum suam pecuniam migraturam. Nihil votis istius ex hac parte subtrahimus. Ventura quidem tecum est, non ut putas ad ornamentum corporis, sed ad testimonium falsitatis. Non tamen ad illos est ratio, quos misericordia comitatur. Alia illos manet caussa, quos pecunia sua circa pauperes expensanda Domino larga erogatione commendat: alia illos, quos reconditæ per scelus facultates accusant. Istis denique adnumeratur ad supplicium: illis vero paratur ad regnum, ita Domino dicente: [b] *Venite filii, possidete mecum regnum paratum vobis a constitutione mundi. Esurivi, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere: nudus eram, & vestistis me.*

X. Sit ergo, dilectissimi, unusquisque vestrum illa pecuniæ qualitate contentus, quæ gratiam salutis adquirat, non quæ caussam damnationis accendat. Castigemus itaque primo loco cupiditatem, si volumus ut omnium vitiorum vincamus errorem. Nemo appetat aliena, & non est qui inimicitiarum laboret invidia: nemo impetat consortium, & nullum est de pervasione certamen. Sit unusquisque contentus propria, & nulla est de occupata possessione caussatio. Contemne aurum, & paratum evanescit homicidium; nec parricidalia odia feruntur, si cupiditatis oculus castigetur. Non est in quo heres erubescat, si quis ad mediocritatem portionis suæ contentus accedat. Non sit qui pecuniæ augmentum quærat: & neminem culpa proditionis accusat. Si non requiras lucrum, nullum patieris in tempestate naufragium; & cum agelli tui otiosus secreta custodis, alienum periculum securus aspicies. Vitare ista, dilectissimi: per singulos gradus forte difficile est, & laboriosum multis simul hostibus per diversos errores occurrere. Quærendum est ergo compendium belli, & auctor litis requirendus; ut cum illo nobis sit pugna, a quo processit injuria. Non enim dubie legiones armis instructas poteris vincere, si tyrannum potueris obtinere. Totam autem caussam belli finivit, qui auctorem pugnæ superavit. Instruamus ergo virtutum acies adversus paratas scelerum legiones. Sed ante omnia adversus ipsam quæ caput belli est, hoc est cupiditatem, fide auxiliante pugnemus. Ita non difficilis erit de illa quam diximus vitiorum labe victoria, matre captiva.

a Act. VIII. 2. b Matth. XXV. 34-36.



S. VALERIANI
EPISCOPI CEMELIENSIS
EPISTOLA AD MONACHOS.

De virtutibus & ordine doctrinæ apostolicæ.

IMpositæ mihi votorum circa me vestrorum sarcinæ, etsi interim corpore, ut scriptum est [a], absens, præsens tamen spiritu ac mente succedo. Nec parum, ut reor, dilectioni vestræ officii atque amoris exhibeo : quia vos quoque in spiritu, non in carne agere confido; dicente Apostolo [b] : *Quicumque in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu : si tamen spiritus Dei habitat in vobis.* Nec sane incognitam spiritalibus viam teneo, si ædificationis vestræ solicitudinem sermonibus eloquii epistolaris expromo; præcipuum beatissimi Paulli exemplum præ manibus habens : quem sequi cupimus, etsi consequi non valemus. Etenim etsi nos comparatio illius in nullo recipit; vobis tamen obedientia eorum est coæquanda quos edocet. Ut doctrina ordine constituto, cum ROMANIS [c] prædicari credulitatem vestram in toto orbe cupientes : [1] cum CORINTHIIS [d] secunda emendatione correcti, pace integra, caritate non ficta invicem vos, ut scriptum est [e], sancto osculo salutetis. Cum GALATIS [f] mensium, temporum dierumque observatione rejecta, repudiantes mundum ac sequentes Deum, non ancillæ vos filios intelligatis, sed liberæ. Ut in verbo veritatis cum EPHESIIS [g] permanentes, unum Dominum, unam fidem, unum Deum patrem omnium, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis est, noveritis. Cum PHILIPPENSIBUS [h], irreprehensibiles & simplices, omnia sine murmuratione & hæsitationibus facientes, in medio gentis pravæ sicut luminaria luceatis. Cum COLOSSENSIBUS [i] verbo Christi in vobis abundanter habitante, invicem vos psalmis, hymnis & canticis spiritualibus doceatis. Cum THESSALONICENSIBUS [k] voluntatem Dei abstinentes a fornicatione sectemini, orantes sine intermissione, omnia probantes, quæ bona sunt retinentes. Dehinc præcepti ordinem cum omni labore sectantes : [l] ut si quis operari non vult, nec manducet. Ipse enim est panis [m] qui de cælo descendit : cui admisceri neminem decet, nisi opera quibus ille delectatur exerceat. Ut TIMOTHEUS vobis forma sit, etiam A post diuturnam aquam [n] vino modico uti præceptus, ad sustinendum stomachum, non ad opprimendum : quia quamvis geminis commonitionibus erudiatur; nisi [o] quis sobrius fuerit, ministerium suum implere non poterit. Ut TITI vos informet exemplum [p], non solum sobrios esse debere, sed etiam continentes; quia omnia munda mundis : coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum. Denique hæc apostolicæ conclusio tota doctrinæ mystici numeri summam, abstersi corporis purificationem complevit : quia nihil est tam Deo proximum, quam hominem non esse corruptum. Attendamus quippe post hæc circumspectius quid sequatur. Fugitivus [q] quondam domino famulus redit, B & conditio conversione mutatur. Apostolicis vinculis genitus, ad utilitatem inutilis proficit : nec solum in fratrem, sed etiam in carissimum fratrem, gradum conjunctorum nominum fastigio transscendit animarum; nec tantum appellationis meretur vinculum, sed etiam amoris affectum. Ad hoc enim Domini dignatione perducitur pura castitas sobrietate nutrita, ut quod parcitas vini curavit in Timotheo, quod abstinentia & continentia purgavit in Tito, id ad indulgentissimam libertatem accrescat in ONESIMO. Hæc & exsequenda doctis, & agnoscenda sunt imperitis : quia sicut scriptum est, & [r] ignorantia mors est, & [s] fides sine operibus mortua est. Gemina vobis ratio adhibendæ C observationis incumbit, sciendi cura, cum labore complendi : quoniam ea quæ in divinis eloquiis præcipiuntur, non solum non facere, sed etiam ignorare peccatum est. HEBRÆOS denique in exemplum consummatæ perfectionis assumens, contemtum præsentium rerum ob amorem cælestium infinuo præmiorum. Ut si forte quispiam vobis, aut persecutionis pondus intulerit, aut diripuerit universa quæ vestra sunt; vos quoque nobile illud ac singulare testimonium quod in eximia eorum laude venerando Paullus ore depromsit, non dispari sanctæ imitationis prosequatur affectu, quo ait [t] : *Nam & vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.*

a I. Cor. V. 3. & Col. II. 5. *b* Rom. VIII 8. 9. *c* Rom. I. 8. *d* II. Cor. VI. 6. *e* I. Cor. XVI. 20. & II. Cor. XIII. 12. *f* Gal. IV. 10. 3. &c. 31. *g* Ephes. I. 13. & IV. 5. *h* Philipp. II. 14. 15. *i* Col. III. 16. *k* I. Thess. IV. 1. 3. & V. 17. *l* II. Thess. III. 10. *m* Joan. VI. 51. 59. *n* I. Tim. V. 23. *o* II. Tim. IV. 5. *p* Tit. I. 8. 15. *q* Philem. *r* I. Cor. XIV. 38. *s* Jac. II. 26. *t* Hebr. X. 34.

1. *Cum* CORINTHIIS] Has duas voces quæ in Sirmondi editione deerant, restituit Cotelerius in notis ad *Canones Apostolorum*, §. LXXVI. tom. I. PP. Apost. pag. 453. edit. Cler.

Sæcul. V.
circa
Ann. Chr.
448.

DE HAC S. VALERIANI EDITIONE SIRMONDI [1]EPISTOLA

AD FRANCISCUM CARDINALEM BARBERINUM.

Eminentissime Domine,

Quod ne sæpius facere audeam, pudor & reverentia prohibent: nunc ut Eminentiam Tuam litteris appellem, officii mei ratio, atque eadem, ni fallor, in ipsam observantia persuadet. Existimavi enim, cum Valeriani episcopi famam in discrimen iterum vocari audirem, non mearum tantum esse partium susceptam alias ejus caussam non deserere, sed sancti quoque Officii ac Romani nominis interesse, ut pristinum de illo judicium suum sententiamque non evertat. Meminisse autem opinor E. T. nec enim ignorare potuit, tametsi ab urbe tunc aberas, cum ante annos sex Homiliarum istarum censuram delator idem urgeret, sacrum Tribunal, audita & probata auctoris defensione quam litteræ nostræ continebant, aliud nihil decernendum censuisse, quam ut notas in novam editionem compararem, in quibus de utroque accusationis capite satisfieret, hoc est de Sancti prænomine, quod imputabatur, & de Semipelagianismi suspicione cujus insimulabatur. Præstitit utrumque, Lugduni nuper edito ad Valeriani purgationem libello P. Theophilus Raynaudus, societatis nostræ theologus, copiose adeo & accurate, ut præclare ad caussam actum putem, quod operam hac in re meam a qua exspectari tale nihil poterat, studio suo diligentiaque præverterit. Quod si nihil novi postea prolatum est, quod severiorem sententiam requirat, non indignum opinor singulari E. T. pietate fuerit, providere ut in immotum maneat sancti Officii decretum, atque innoxio & utili alias scriptori fama integra conservetur. In quo quidem eo minus, ne importunus videar intercessor, verendum confido, quod præter commune doctorum suffragium qui Valerianum hactenus cum approbatione legunt, ipsam etiam E. T. cui placere nisi recta non solent, illius gusto aliquando & sapore delectatam intelligo. Parisiis XVI. Augusti M. DC. XXXII.

Ad duo capita quæ objiciuntur circa Homilias Valeriani.

I. Unum de Sancti nomine quod negant huic auctori convenire. Constat autem id a me profectum non esse, quia multis ante annis, cum prima ejus Homilia de bono disciplinæ, ceteris nondum repertis, in Germania ederetur, idem titulus præfixus est, juxta vetus exemplar, ut monuerunt, monasterii sancti Galli, in quo inscriptio est hujusmodi, *liber sancti Valeriani Cemeliensis episcopi*. Unde cum animadverterem non temere ab aliis sic esse appellatum, nec certi quidquam haberem in contrarium, non existimavi debere me, aut posse sine nota hunc illi titulum adimere.

Utrum autem Valeriano tributum olim hoc nomen fuerit ob peculiaris opinionem sanctitatis, an propter dignitatem tantum episcopi; quemadmodum difficile foret statuere, cum Cimelæ civitatis post ejus eversionem vix ulla restent monimenta: ita vicissim ad hoc illi abrogandum, si jure competat, satis non esset suspicio quæ obtenditur doctrinæ Semipelagianæ, eo nimirum tempore quo ecclesiæ auctoritate damnata nondum erat, cum videamus Cassianum & Hilarium Arelatensem, qui hanc præ ceteris profitebantur, sanctos nihilominus, alterum a sancto Gregorio in epist. XII. lib. VI. alterum in martyrologio Romano appellari, & utrumque apud suos usitato sanctorum cultu honorari.

II. Alterum ad doctrinæ istius criminationem spectat, quam volunt in nonnullis harumce Homiliarum locis deprehendi. In quo quidem, præterquamquod nullus videtur esse locus ejusmodi, quem defendere non liceat, melioremque in sensum interpretari, prout in hoc ipso genere Chrysostomum, & alios Patres tum græcos tum latinos explicare mos est: & quod P. Theophilus in libello quem pro Valeriani defensione scripsit, ab omni eum labe liberum esse docet: hoc insuper observandum est, licet concederemus Valerianum cum aliis præsulibus Gallicanis qui eodem sæculo, eademque in provincia vivebant, doctrinam eamdem amplexum fuisse, non potuisse illos tamen hæreticos hoc nomine censeri ante synodum Arausicanam II. quæ doctrinam illam damnavit, & a S. Sede apostolica confirmata est annis post Valerianum amplius sexaginta.

De Valeriano rursus, ut de sancti nomine ac titulo sit controversia, negari non potest stetisse illum semper, dum vixit, in pace & communione ecclesiæ catholicæ, cujus rei fidem facit epist. LII. S. Leonis papæ ad ipsum & alios episcopos Galliæ scripta, & horumce altera ad S. Leonem. Concilium item Regense cui adfuit, & cum ceteris subscripsit, tum etiam quod ejus quoque honorifica fit mentio in epistola evocatoria [2] synodi Arelatensis III. in qua transactum est de concordia inter Faustum abbatem insulæ Lirinensis, & vicinos tres episcopos, quorum unus fuit Valerianus.

Homiliæ præterea istæ ab annis XX. cum excusæ Parisiis primum fuere, recusæ postea in Germania fuerunt, & Lugduni non semel, lectæque ab omnibus sine offensione & cum fructu, ac piam re vera & religiosam doctrinam continent, utilemque in primis ad stabiliendam invocationem sanctorum, & cultum sacrarum reliquiarum, adeo ut non defuerit vir magni nominis, qui diceret scriberetque, quando in Germaniam allatæ sunt, divina factum providentia videri, ut hoc potissimum tempore ad confutandos hæreticos repertæ sint, neque hactenus apud nos auditum est quempiam præter denuntiatorem exstitisse, qui earum lectionem non probaret.

1 Hanc epistolam, & quod instar dissertatiunculæ subnexum est, ipsius Sirmondi manu scripta habemus. Baun.
2. Tom. I. conc. Gall. pag. 120.

* In exemplari VALERIANI editi a SIRMONDO, reperimus ad calcem descripta postea ipsius Sirmondi manu hæc Patrum testimonia, quibus palam fieri vellet Valerianum in Homilia XI. ubi cum Semipelagianis sentire visus est quibusdam, haud aliter tamen locutum esse, quam sanctos illos Patres haud dubie catholicos.

METHODIUS *Patarensis apud* Damascenus *in parallelis*.

Πάσης ἀγαθῆς πράξεως ἡ καταρχὴ ἐν τῇ ἡμετέρᾳ βουλῇ κέκτηται· τὸ δὲ συμπέρασμα ἐν τῷ Θεῷ. A

Omnis bonæ actionis initium in nostra voluntate positum est: complementum vero in Deo.

CHRYSOSTOMUS *Hom.* XII. *in epistolam ad Hebræos*.

Δεῖ γὰρ ἡμᾶς πρῶτον ἑλέσθαι τὰ ἀγαθὰ, καὶ ὅτε ἑλώμεθα ἡμεῖς, τότε καὶ αὐτὸς τὰ παρ' ἑαυτοῦ εἰσάγει. Οὐ προφθάνει τὰς ἡμετέρας βουλήσεις, ἵνα μὴ λυμήνηται τὸ αὐτεξούσιον ἡμῶν.

Oportet enim nos primum bona eligere, & postquam elegerimus, tunc affert quæ sua sunt. Non prævenit nostras voluntates, ne perdat nostrum liberum arbitrium.

IDEM *in Hom.* II. *in epist. ad Corinth.*

Ἀπὸ τούτου τοίνυν μανθάνομεν, ὅτι κἂν ἐλεεῖσθαι μέλλωμεν, ἀξίους πρότερον παρέχειν ἡμᾶς ἑαυτοὺς χρή· κἂν γὰρ ἔλεος ᾖ, τοὺς ἀξίους ἐπιζητεῖ· οὐ γὰρ ἁπλῶς ἔπεισιν ἅπασι καὶ τοῖς ἀναισθήτως διακειμένοις. B

Ex quo nimirum intelligimus, quamvis Deus misericordiam erga nos adhibiturus sit, nobis tamen istud prius faciendum esse, ut misericordia dignos nos ipsos præstemus: quamvis enim misericordia sit, dignos requirit: non etenim temere quibusvis obtingit, etiam stupore laborantibus, cet.

HILARIUS *in Psalm.* CXVIII. *in Nun.*

Voluntas nostra proprium ex se habere debet ut velit. Deus incipienti incrementum dabit, quia consummationem per se infirmitas nostra non obtinet, meritum tamen adipiscendæ consummationis est ex initio voluntatis.

OPTATUS *lib.* II.

Est enim Christiani hominis quod bonum est velle; & in eo quod bene voluerit currere: sed homini non est datum perficere: ut post spatia quæ debet homo implere, restet aliquid Deo ubi deficienti succurrat: quia ipse solus est perfectio: C & perfectus solus Dei filius Christus. Ceteri omnes semiperfecti sumus: quia nostrum est velle, nostrum est currere: Dei perficere. Unde & beatus Apostolus Paullus ait: Neque volentis, neque currentis, sed ad Dei gratiam pertinentis.

HIERONYMUS *lib.* III. *contra* Pelagianos *pæne initio*.

Scito baptismum præterita donare peccata, non futuram servare justitiam, quæ labore & industria ac diligentia, & semper super omnia Dei clementia custoditur: ut nostrum sit rogare, illius tribuere quod rogatur; nostrum incipere, illius perficere; nostrum offerre quod possumus, illius implere quod non possumus.

AUGUSTINUS *Enchirid. cap.* XXXII.

Totum Deo dandum est qui hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam. Præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia: quæ autem non procedit ipsa, in eis est & ipsa.

INDEX
HOMILIARUM S. VALERIANI
EPISCOPI CEMELENSIS.

EX VETERI CODICE FLORIACENSI,

in quo varia antiquorum Patrum opuscula vel fragmenta.

Valerianus quoque Cemelensis episcopus in libro de bono disciplinæ. *Bene*, inquit, *in omnibus caussis timor obtemperat disciplinæ: qui pro hoc ipso quod imminentes periculorum casus aut iras judicum cavere novit, potestatem conservandæ salutis obtinuit*, & quæ sequuntur, in homilia I. §. II.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
448.



SANCTI PATRICII CONFESSIO,

IN EPISTOLA AD HIBERNOS EXPLICATA.

I. EGo *Patricius* peccator, rusticissimus & minimus omnium fidelium, & contemtibilissimus apud plurimos, patrem habui *Calpornium* diaconem, filium quondam *Potiti* presbyteri, [1] qui fuit in vico *Bonavem Taberniæ* : villulam [2] *Enon* prope habuit, ubi capturam dedi. Annorum eram tunc fere sedecim. [3] Deum verum ignorabam; & [4] *Hiberione* in captivitate adductus sum, cum tot millibus hominum, secundum merita nostra, quia a Deo recessimus, & præcepta ejus non custodivimus, & sacerdotibus nostris non obedientes fuimus, qui nostram salutem admonebant: Et Dominus induxit super nos [5] iram animationis suæ, & dispersit nos in gentibus multis, etiam usque ad ultimum terræ, ubi nunc parvitas mea esse videtur inter alienigenas. Et ibi Dominus aperuit sensum incredulitatis meæ, ut vel sero rememorarem delicta mea, & ut converterer toto corde ad Dominum Deum meum; qui respexit humilitatem meam, & misertus est adolescentiæ & ignorantiæ meæ, & custodivit me ante quam scirem eum, & ante quam saperem vel distinguerem inter bonum & malum, & munivit me & consolatus est me, ut pater filium.

II. Unde autem tacere non possum, neque expedit quidem, tanta beneficia & tantam gratiam quam mihi ([6] Dominus præstare) dignatus (est) in terra captivitatis meæ: quia hæc est retributio nostra, ut post correctionem vel agnitionem Dei exaltaremur, & confiteremur mirabilia ejus coram omni natione quæ est sub omni cælo: quia non est alius Deus, nec umquam fuit nec erit post hunc, præter Deum patrem ingenitum sine principio, a quo est omne principium, [7] omnia tenens, ut diximus: & hujus filium Jesum Christum, quem cum patre scilicet fuisse semper testamur, ante originem sæculi, spiritualiter apud patrem, inenarrabiliter genitum ante omne principium, & per ipsum facta sunt visibilia & invisibilia, hominem factum devicta morte, in cælos ad patrem receptum. Et dedit illi omnem potestatem [a] *super omne nomen cælestium & terrestrium & infernorum, ut omnis lingua confiteatur, quia Dominus & Deus est Jesus Christus* : quem credimus, & exspectamus adventum ipsius: mox futurus judex vivorum & mortuorum, qui reddet unicuique secundum facta sua, & infudit in nobis abunde Spiritus sancti donum & pignus immortalitatis, qui facit credentes & obedientes, ut sint filii Dei patris & coheredes Christi, quem confitemur & adoramus, unum Deum in Trinitate sacri nominis. Ipse enim dixit per Prophetam: [b] *Invoca me in die tribulationis tuæ, & liberabo te, & magnificabis me*. Et iterum inquit: [c] *Opera autem Dei revelare & confiteri honorificum est*.

III. Tamen etsi in multis imperfectus sum, opto fratres & cognatos meos scire qualitatem meam, ut possint perspicere votum animæ meæ. Non ignoro testimonium Domini mei, qui in Psalmo testatur: [d] *Perdes eos qui loquuntur mendacium*; & iterum: [e] *Os quod mentitur, occidit animam*. Et idem Dominus in Evangelio inquit: [f] *Verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent pro eo rationem in die judicii*. Unde autem vehementer (debueram) cum timore & tremore metuere hanc sententiam in die illa, ubi nemo poterit se subtrahere vel abscondere, sed omnes omnino reddituri sumus rationem etiam minimorum peccatorum ante tribunal Christi Domini. Quapropter olim cogitavi scribere, sed usque nunc hæsitavi. Timui enim ne inciderem in linguam hominum: & quia non legi, sicut ceteri qui optime itaque jure & sacras litteras utroque pari modo combiberunt, & sermonem illorum ex infantia numquam mutaverunt, sed magis ad perfectum semper addiderunt

IV. Nam sermo & loquela nostra translata est in linguam alienam, sicut facile potest probari ex saliva scripturæ meæ, qualiter sum ego in sermonibus instructus atque eruditus; quia inquit Sapiens: [g] *Per linguam dignoscitur & sensus & scientia & doctrina veritatis*. Sed quid prodest excusatio juxta veritatem, præsertim cum præsumtione? quatinus modo ipse appeto in senectute mea, quod in juventute [8] non comparavi, quia obstiterunt

a Philipp. II. 10. 11. *b* Jer. XXIX. 12. & Psalm. LXXX. 8. *c* Tob. XII. 7. *d* Psalm. V. 7. *e* Sap. I. 11. *f* Matth. XII. 36. *g* Eccli. IV. 29.

1. *Qui fuit —— Taberniæ*] Bollandd. tom. II. Martii pag. 533. hanc S. Patricii Confessionem ex vetustissimo Nobiliacensis S. Vedasti monasterii codice descriptam edidere. Heic vero legunt: *Qui fuit e vico Banaven Taberniæ*. Waræus vero hæc margini adlevit: „ *De vico Bannavæ, Tyburniæ regionis, haud procul a mari occidentali*, Probus lib. I. de vita Patricii.

2. *Villulam Enon prope habuit*] Bolland. l. c. *villam enim*. Forte minus recte. Mox iidem Bolland. *in capturam decidi*. Sed lectio vulgata confirmatur iterum infra §§. IV. & X

3. *Deum verum ignorabam*] Non ignorantia fidei ,: sed affectuosi & uni prorsus dediti famulatu: quæ licet culpa expers, viro tamen sancto justa humiliandi sui caussa fuit. BOLLAND. l. c. pag. 534.

4. *Hiberione*] Ita etiam appellatur *Hibernia* in Antonini Itinerario, ut observatum Usserio in *Antiqq. eccles. Britann.* pag. 431. edit. 2. Vide sis Wesselingium ad *Vet. Roman. Itiner.* pag. 509

5. *Iram animationis suæ*] Τὴν ὀργὴν τοῦ θυμοῦ αὐτοῦ. II. Paral. XXIX. 10. USSER. l. c.

6. [*Dominus præstare*] Desunt in codice Armachano omnia sequentia intra uncos [ ] inclusa, usque ad finem Confessionis. WAR. —— Aliter apud Bolland.

7. *Omnia tenens, ut diximus*] Bolland. post *principium*, exhibent: *per ipsum quippe facta sunt omnia visibilia & invisibilia* : quæ heic paullo post occurrunt. Verum apud Bollandianos intermedia quæ hoc loco leguntur, vitio librarii ob repetitam vocem *principium* videntur omissa.

8. *Non comparavi*] Hæc, ut sensus constet, addidimus ex Bollandianis: apud quos tamen paullo ante, omisso *quid*, perperam legitur, *Sed prodest excus*.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 448.

(peccata mea) , ut confirmarem quod ante non perlegeram . Sed quis [1] me credit ? Etsi dixero quod ante præfatus sum ; adolescens , immo pæne puer imberbis capturam dedi , ante quam scirem quid peterem , vel quid vitare debueram . Unde ego hodie erubesco & vehementer pertimeo denudare imperitiam meam, quia diserti brevitate sermonis explicare nequeo, sicut spiritus gestit & animus , & sensus monstrat & affectus . Sed si itaque datum mihi fuisset sicut ceteris, verumtamen non silerem propter retributionem . Et si forte videtur apud aliquantos me in hoc præponere cum mea inscitia & tardiori lingua : (scriptum est enim : [a] *Linguæ balbutientes velociter discent loqui pacem*) quanto magis nos adpetere debemus qui sumus , inquit [b] , *Epistola Christi* , in salutem usque ad ultimum terræ , etsi non diserta , sed rata & fortissime *scripta in cordibus vestris* , *non atramento* , *sed Spiritu Dei vivi*.

V. Et iterum Spiritus testatur : [c] *Et rusticatio ab Altissimo creata est* . Unde ego primus rusticus perfuga , indoctus scilicet qui nescio in posterum providere : sed [2] scio illud certissime, quia utique prius quam humiliater , ego eram velut lapis qui jacet in luto profundo : & venit qui potens est , & in sua misericordia sustulit me ; & quidem scilicet sursum adlevavit & collocavit me in summo pariete . Et inde fortiter debueram exclamare , ad retribuendum quoque aliquid Domino ei pro tantis beneficiis ejus, heic & in æternum, quæ mens hominum æstimare non potest. Unde autem admiramini [d] *magni & pusilli qui timetis Deum* , & vos ignari Domini rhetorici : audite ergo & scrutamini quis me stultum excitavit de medio eorum qui videntur sapientes esse & legis periti , & potentes in sermone & in omni re. Et me quidem detestabilem hujus mundi præ ceteris , inspiravit [3] etsi talis essem : dummodo autem ut cum metu & reverentia & sine querela fideliter prodessem genti , ad quam caritas Christi transtulit , & donavit me in vita mea , si dignus fuero : denique, ut cum humilitate & veraciter deservirem illis .

VI. In mensura itaque fidei Trinitatis oportet distinguere & sine reprehensione periculi notum facere donum Dei & consolationem æternam, ac sine timore fiducialiter Dei nomen ubique expandere , ut etiam post obitum meum [4] Gallicis relinquerem fratribus & filiis meis quos ego in Domino baptizavi , tot millia hominum . Et non eram dignus neque talis , ut hoc Dominus servulo suo concederet ; & post ærumnas & tantas moles, post captivitatem, post annos multos, in gentem illam tantam gratiam mihi donaret , quod ego aliquando in juventute mea numquam speravi neque cogitavi . Sed postquam *Hiberionem* deveneram , quotidie (igitur) pecora pascebam & frequens in die orabam, magis ac magis accedebat amor Dei & timor ipsius , & fides augebatur , & spiritus [5] augebatur , ut in die una usque ad centum orationes , & in nocte prope similiter ; ut etiam in silvis & monte manebam , & ante lucem excitabar ad orationem per nivem, per gelu, per pluviam: & nihil mali sentiebam , neque ulla pigritia erat in me , sicut modo video , quia tunc in me spiritus fervebat. Et ibi scilicet quadam nocte , in somno audivi vocem dicentem mihi : Bene jejunas , cito iturus ad patriam tuam . Et iterum post paullulum tempus , audivi responsum dicens mihi : Ecce navis tua parata est . Et non erat prope , sed forte habebat ducenta millia passus : & ibi numquam fueram , nec ibi notum quemquam de hominibus habebam .

VII. Et deinde postmodum conversus sum in fugam , & intermisi [6] hominem cum quo fueram [7] sex annis. Et veni in virtute Domini qui viam meam ad bonum dirigebat, & nihil metuebam donec perveni ad navem illam . Et illa (die) qua perveni , profecta est navis de loco suo , & locutus sum , ut haberem unde navigarem cum illis. Et gubernatori displicuit , & acriter cum indignatione respondit : Nequaquam tu nobiscum adpetas [8] ire . Et cum hæc audissem , separavi me ab illis, ut venirem ad tuguriolum ubi hospitabam ; & in itinere cœpi orare , & ante quam orationem consummarem, audivi unum ex illis fortiter exclamantem post me : Veni cito , quia vocant te homines isti . Et statim ad illos reversus sum ; & cœperunt mihi dicere : Veni quia ex fide [9] recipimus te ; fac nobiscum amicitiam, quomodo volueris . Et in illa die itaque repuli fugere , propter timorem Dei . Verumtamen speravi ab illis , ut mihi dicerent : Veni in fide Jesu Christi ; quia gentes erant . Et hoc obtinui cum illis : (& protinus navigavimus.)

VIII. Et post triduum terram cepimus , & viginti octo dies per desertum iter fecimus , & cibus defuit illis , & fames invaluit super eos . Et alia die cœpit gubernator mihi dicere : Quid , Christiane , dicis : Deus tuus magnus & omnipotens est? Quare ergo non potes pro nobis orare , quia nos fame periclitamur ? Difficile est enim ut aliquem hominem umquam videamus . Ego enim evidenter dixi illis : Convertimini ex fide & ex toto corde ad Dominum Deum nostrum , quia nihil est illi impossibile , ut hodie cibum mittat vobis in viam vestram , usque dum satiamini : quia ubique abundat illi. Et adjuvante Deo , ita factum est. Ecce grex porcorum in via ante oculos nostros apparuit: & multos ex illis interfecerunt, & ibi duas noctes manserunt bene refecti ; [10] & carne eorum relevati sunt , quia multi ex illis defecerunt , & secus viam semivivi derelicti sunt. Et post hæc summas gratias egerunt Deo , & ego honorificatus sum sub oculis eorum .

IX. (Et ex hac die abundanter cibum habuerunt.) Etiam mel silvestre invenerunt , & mihi partem obtulerunt . Et unus ex illis dixit : Hoc immolatitium est . Deo gratias exinde nihil gustavi. Eadem vero nocte eram dormiens , & fortiter ten-

a Isa. xxxii. 4. *b* II. Cor. III. 2. 3. *c* Eccli. vii. 16. *d* Apoc. xix. 5.

1. *Me credit*] Leg. cum Waræo & Bolland. *mibi cred.*
2. *Scio*] Apud Bolland. omissum præpostere hoc verbum .
3. *Etsi*] Ita rescripsimus cum Bolland. Waræus , *si* : minus apte .
4. *Gallicis*] Deest hæc vox apud Bolland. qui paullo post legunt ; *etsi non eram d.*
5. *Augebatur*] Sic & Bolland. At Usserius l. c. pag. 432. *agebatur* .
6. *Hominem* cet.] *Quemdam gentilem immitem regem* , *apud quem in servitute fuerat detentus* , ut habet Probus . War.
7. *Sex*] Probus habet *septem* . Jocelinus & alii , *sex* . Id.
8. *Adpetas ire*] *Sine naulo* scilicet , ut addit Probus . Id.
9. *Recipimus*] Bolland. *reperimus* : quod minus placet .
10. *Et carne eorum relevati sunt*] Sic optime , ut videtur, Waræus . At Bollandiani : *Et canes eorum revelati sunt* . Mendose omnino .

tavit me satanas, cujus memor ero quam diu fue- A ro in hoc corpore. Et cecidit super me veluti saxum ingens, [1] & nihil membrorum meorum prævalens. Sed unde mihi venit, ignoro, in spiritum ut *Heliam* vocarem. Et inter hæc vidi in cælo solem oriri: & dum clamarem, *Heliam*, *Heliam*, totis [2] viribus meis; ecce splendor solis decidit super me, & statim discussit a me omnem gravitudinem. Et credo quod a Christo Domino meo (subventus sum, & Spiritus ejus jam tunc) clamabat pro me, & spero quod sic erit in die pressuræ meæ; sicut in Evangelio inquit: (In illa die) Dominus (testatur): [a] *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis*.

X. Et iterum post annos (non) multos adhuc capturam dedi. Ea nocte prima itaque mansi cum illis. Responsum autem divinum audivi dicens mihi: Duos menses eris cum illis; quod ita factum est. Nocte illa sexagesima liberavit me Dominus de manibus eorum. [3] Ecce in itinere providit nobis cibum & ignem, & siccitatem quotidie: donec quarto decimo die pervenimus ad homines. Sicut superius insinuavi, viginti & octo dies per desertum iter fecimus, & ea nocte qua pervenimus ad homines, de cibo vero nihil habuimus. Et iterum post paucos annos in Britanniis eram cum parentibus meis, qui me ut filium suscepe- C runt: & ex fide rogaverunt me, ut vel modo ego (post tantas tribulationes quas pertuli) numquam ab illis discederem. Et ibi scilicet vidi in visu nocte virum venientem quasi de *Hiberione* cui nomen [4] *Victoricius*, cum epistolis innumerabilibus: & dedit mihi unam ex illis, & legi principium epistolæ continentem: *Vox* [5] *Hiberionacum*. Et dum recitabam principium epistolæ, putabam [6] ipso momento, audire vocem ipsorum qui erant juxta silvam *Focluti*, quæ est prope mare occidentale. Et sic exclamaverunt quasi ex uno ore: Rogamus te sancte puer, ut venias & adhuc ambules inter nos. Et valde compunctus sum corde, & amplius non potui legere: & sic expergefactus sum. Deo D gratias, quia post annos plurimos præstitit illis Dominus, secundum clamorem eorum.

XI. Et alia nocte, nescio, Deus scit, utrum in me, an juxta me, verbis peritissimis [7] quæ ego audivi & non potui intelligere, nisi ad postremum orationis sic affatus est: [8] *qui pro te animam suam posuit*. Et sic expergefactus sum gaudibundus. Et iterum [9] vidi in me ipsum orantem, & eram quasi intra corpus meum: & audivi super me, hoc est, super interiorem hominem; & ibi fortiter orabat gemitibus. Et inter hæc stupebam, & admirabar, & cogitabam quis esset qui in me orabat. Sed ad postremum orationis sic effatus est, ut sit spiritus. Et sic experrectus sum, & recordatus sum, Apostolo dicente: [b] *Spiritus adjuvat infirmitatem* nostræ orationis. *Nam quid oremus sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, quæ verbis exprimi non possunt. Et iterum: [c] *Dominus advocatus noster postulat pro nobis*. Et quando temptatus sum ab aliquantis senioribus meis [10] qui venerunt, ob peccata mea, contra laboriosum episcopatum meum: utique in B illo die fortiter impulsus sum ut caderem heic & in æternum. Sed Dominus pepercit proselyto & peregrino propter nomen suum benigne; & valde mihi subvenit in hac conculcatione, quod in labem & in obprobrium non male deveni. Deum oro ut non illis in peccatum reputetur [11] occasio: nam post annos triginta invenerunt me, & adversus verbum quod confessus fueram, [12] ante quam essem diaconus.

XII. Propter anxietatem, mæsto animo insinuavi amicissimo meo, quæ in pueritia mea, una die gesseram, immo in una hora, quia nec dum prævalebam. Nescio, Deus scit, [13] si habebam tunc annos quindecim, & Deum vivum non credebam, neque ex infantia mea: sed in morte & in incredulitate mansi, donec valde castigatus sum, & in veritate humiliatus sum a fame & nuditate; & quotidie contra *Hiberionem* non sponte pergebam, donec prope deficiebam. Sed hoc potius bene mihi fuit, quia ex hoc emendatus sum a Domino, & aptavit me ut hodie essem quod aliquando longe a me erat, ut ego curas haberem aut satagerem pro salute aliorum; quando tunc etiam de me ipso non cogitabam. Igitur in illo die quo reprobatus sum a memoratis supra dictis, ad noctem illam) [14] vidi in visu noctis scriptum contra faciem meam, sine honore. Et inter hæc, audivi responsum (divinum) dicens mihi: Male vidimus faciem designati nudato nomine. Nec sic prædixit: Male vidisti; sed: Male vidimus, quasi ibi se junxit, sicut dixit: [d] *Qui vos tangit, quasi tangit pupillam oculi mei*. Idcirco gratias ago ei qui me in omnibus confortavit, ut non me impediret a profectione quam statueram, & de meo quoque opere quod a Christo didiceram: sed magis ex eo sensi in me virtutem non parvam, & fides mea probata est coram Deo & hominibus.

a Matth. X. 20. *b* Rom. VIII. 26. *c* Ibid. ℣. 34. *d* Zach. II. 8.

1. *Et nihil — prævalens*] Recte, ut videtur, se habet hæc Waræi lectio. Bollandiani: *& omnium membrorum meorum vires abstulit*: qui tamen adnotant, ms. præferre, *nihil membrorum meorum prævalui*, addentes ex conjectura, E *movere*. Mox iidem: *ut spiritu Eliam invocarem*.

2. *Totis viribus meis*] Vox *totis* addidimus ex Bolland.

3. *Ecce in itinere — nihil habuimus*] Apud Bollandianos hæc verba paullo ante post Matthei textum subjiciuntur. Rectius profecto: heic enim importuna videntur.

4. *Victoricius*] Sic & Usserius l. c. pag. 433. Sed Bollandiani *Victricius*: qui monent apud alios legi *Victoricum* & *Victorem*: & hoc nomen, inquiunt, auctores passim tribuunt Angelo, qui toties Patricio apparebat.

5. *Hiberionacum*] Ita quoque Usserius l. c. At Bolland. *Hiberionarum*. Jocelinus cap. XXI. *Hibernigenarum*.

6. *Ipso momento*] Al. apud Usserium, *ipse in mente*.

7. *Verbis peritissimis quæ ego audivi*] Bolland. *verbis peritissimis, audiebam quosdam ex spiritu psallentes intra me, & nesciebam qui essent, quæ ego audivi*, cet.

8. *Qui pro te* cet.] *Qui dedit animam pro te, ipse est qui loquitur in te*. Lib. Armach. WAR.

9. *Vidi — & eram quasi*] Bolland. *audivi — & erat quasi*.

10. *Qui venerunt, ob pecc.*] Sic legimus cum Bolland. ubi Waræus habet *qui venerunt & pecc.*

11. *Occasio: nam post ann.*] Sic iterum cum Bolland. Neque enim ferri potest hæc Waræi lectio: *occasionum. Post ann.*

12. *Ante quam essem diaconus*] Supple, *insurrexerunt*, aut quid simile: nam hiulca est oratio.

13. *Si habebam*] Sic Bolland. qui mox habent *Deum unum*. Waræus, *si habeam*. Male.

14. *Vidi in visu noctis scriptum*] Sequimur Bollandianos, qui & paullo post legunt *faciem designati nudato nomine*. Atque hunc locum sic interpretantur: „ Videtur indicari libellus aliquis contra S. Patricii apostolatum, in quo ipse nulla addita honoris vel tituli episcopalis appellatione, simpliciter *nudato nomine* designabatur, *Patricius*. „ Pessime se habet lectio Waræi hoc modo: *Vidi in visu noctis: Scriptum erat contra faciem meam — Male vidimus faciem Dei signati nudato nomine*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 448.



XIII. Unde autem audenter dico: Non me reprehendit conſcientia mea [1] heic & in futurum. Teſtem Deum habeo, quia non ſum mentitus in ſermonibus quos ego retuli [2] vobis. (Sed magis doleo [3] pro amiciſſimo meo, cur hoc meruimus audire tale reſponſum, cui ego credidi etiam animam. Et comperi ab aliquantis fratribus, ante defenſionem illam, quod ego non interfui, nec in Britanniis eram, nec a me orietur, ut & ille in mea abſentia, pro me [4] pulſetur. Etiam mihi ipſe ore ſuo dixerat: Ecce dandus es tu ad gradum epiſcopatus, quo non eram dignus. Sed unde venit illi poſtmodum, ut coram cunctis bonis & malis in me publice dehoneſtaret, quod ante ſponte & lætus indulſerat? Eſt Dominus qui major omnibus eſt. Satis dico: ſed tamen non debeo abſcondere donum Dei quod largitus eſt nobis in terra captivitatis meæ; quia tunc fortiter inquiſivi eum, & ibi inveni illum, & ſervavit me ab omnibus iniquitatibus. [5] Sic credo, propter inhabitantem Spiritum ejus, qui operatus eſt uſque in hanc diem in me audenter rurſus. Sed ſcit Deus, ſi mihi homo effatus fuiſſet, forſitan tacuiſſem, propter caritatem Chriſti.

XIV. Unde ergo indefeſſam gratiam agam Deo meo, qui me fidelem ſervavit in die temptationis meæ, ita ut hodie confidenter offeram illi ſacrificium, ut hoſtiam viventem animam meam Chriſto Domino meo, qui me ſervavit ab omnibus anguſtiis meis: ut & dicam: Quis ego ſum Domine, vel quæ eſt vocatio mea, qui mihi tantam divinitatem [6] cooperuiſti? ita ut hodie in gentibus conſtanter exſultarem & magnificarem nomen tuum, ubicumque fuero; nec non in ſecundis, ſed etiam in preſſuris: ut quidquid mihi evenerit, ſive bonum ſive malum, æqualiter debeo ſuſcipere & Deo gratias ſemper agere, qui mihi oſtendit ut indubitabilem eum ſine fine crederem, & qui me audierit: ut & ego [7] inſcius ſim in noviſſimis diebus hoc opus tam pium & tam mirificum adire aggrederer, ita ut imitarer quoſpiam illos quos ante Dominus jam olim prædixerat [8] prænuntiaturos evangelium ſuum, *in teſtimonium omnibus gentibus*, ante finem mundi. Quod ita ergo (ut vidimus itaque) ſuppletum eſt. Ecce teſtes ſumus, quia evangelium prædicatum eſt uſque ubi nemo ultra eſt.

XV. Longum eſt autem totum per ſingula enarrare laborem meum, vel per partes. Breviter dicam qualiter piiſſimus Deus de ſervitute ſæpe liberavit ex duodecim periculis, quibus periclitata eſt anima mea, præter inſidias multas, & quæ verbis exprimere non valeo: [9] nec & injuriam legentibus faciam. Sed dum auctorem habeo, qui novit omnia, etiam ante quam fiant, (ut me pauperculum pupillum. Ideo tamen reſponſum divinum creberrime admonuit, unde mihi hæc ſapientia quæ in me non erat, qui nec numerum dierum noveram, neque Deum ſapiebam: unde mihi poſtmodum donum tam magnum, tam ſalubre, [10] Deum agnoſcere, vel diligere; ſed ut patriam, & parentes amitterem; & munera multa mihi offerebantur, cum fletu & lacrymis: [11] & offendi illos, nec non contra votum, aliquantis de ſenioribus meis. Sed, gubernante Deo, nullo modo conſenſi, neque adquievi illis, non mea gratia, ſed Deus qui vicit in me, & reſtitit illis omnibus, ut ego venirem ad Hibernas gentes evangelium prædicare, & ab incredulis contumelias perferre, ut [12] haurirem obprobrium peregrinationis meæ, & perſecutiones multas, uſque ad vincula, & ut darem ingenuitatem meam pro utilitate aliorum.

XVI. Et ſi dignus fuero, promtus ſum ut etiam animam meam incunctanter & libentiſſime pro nomine ejus: & ibi opto impendere eam uſque ad mortem, ſi Dominus mihi indulgeret: quia valde debitor ſum Deo qui mihi tantam gratiam donavit, ut populi multi per me in Deum renaſcerentur, & poſtmodum conſummarentur; & ut clerici ubique illis ordinarentur ad plebem nuper venientem ad credulitatem quam ſumſit Dominus ab extremis terræ, ſicut olim promiſerat per prophetas. [a] *Ad te gentes venient ab extremis terræ, & dicent: Sic ut falſa comparaverunt patres noſtri idola, & non eſt utilitas in eis*. Et iterum: [b] *Poſui te lumen in gentibus, ut ſis in ſalutem uſque ad extremum terræ*. Et ibi volo exſpectare promiſſum ipſius, qui utique numquam fallit, ſicut in evangelio pollicetur: [c] *Venient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Jacob*: [13] ſicut credimus, ab omni mundo venturi ſunt credentes.

XVII. Idcirco oportet quidem bene & diligenter piſcari, ſicut Dominus præmonet, dicens: [d] *Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum*. Et iterum dicit per prophetas: [e] *Ecce ego mitto piſcatores & venatores multos, dicit Dominus*, &c. Unde autem valde oportebat retia noſtra tendere, ita ut multitudo copioſa & turba Deo caperetur, ut ubique eſſent clerici qui baptizarent & exhortarentur populum indigentem & deſiderantem, ſicut Dominus in evangelio admonet & docet, dicens: [f] *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, docentes eos obſervare omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*. Et iterum dicit: [g] *Euntes ergo in mundum univerſum prædicate evangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit. Qui vero non crediderit, condemnabitur.*

a Jer. XVI. 19. *b* Iſa. XLIX. 6. *c* Matth. VIII. 11. *d* Matth. IV. 18. *e* Jer. XVI. 16. *f* Matth. XXVIII. 19. 20. *g* Marc. XVI. 15. 16.

1. *Heic & in futurum*] Iſta omittunt Bollandiani.
2. *Vobis*] Deeſt hæc vocula apud Bollandianos.
3. *Pro amiciſſimo meo*] Suſpicamur ipſum S. Germanum fuiſſe, apud quem delatus fuerit Patricius, in Britannica aliqua fortaſſe ſynodo egiſſe vel ſtatuiſſe aliquid contra ea, quæ ipſemet Germanus ibidem antea adverſus Pelagianos ſtatuerat. BOLLAND.
4. *Pulſetur*] Sic Bolland. ubi Waræus, *pulſaret*; qui mox habet, *& me publice dehon. --- Et Dominus*.
5. *Sic credo — audenter rurſus*] Hæc deſunt apud Bolland.
6. *Cooperuiſti*] Bolland. *denudaſti*. Et mox, *exaltarem*.
7. *Inſcius ſim*] Hæc jure omittere videntur Bollandiani.
8. *Prænuntiaturos*] Sic Bolland. & ſic legendum conjecerat Waræus.
9. *Nec & injur.*] Bolland. *ne injur.* apud quos mox: *Sed auctorem Dominum --- ut me pauperculum & puſillum reſponſum divinum creberrime admoneret. Unde mihi* cet. cum interrogatione.
10. *Deum agnoſcere vel diligere: ſed ut*] Bolland. *donum Dei agnoſcere & diligere, ut patriam* cet.
11. *Et offendi illos* cet.] Bolland. *& offendi illic contra votum aliquantos de ſenior.*
12. *Haurirem*] Bolland. *audirem*. Mox *ut darem me & ingenuis*.
13. *Sicut cred.*] Bolland. *ſicut credimur ab omni mundo venturi*.

Et iterum: [a] *Prædicabitur hoc evangelium regni in universo mundo, in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet finis.* Et item Dominus per Prophetam prænuntians, inquit: [b] *Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus: Effundam de Spiritu meo super omnem carnem & prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ, & filii vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt. Et quidem super servos meos, & super ancillas meas, in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt.* Et in Osea dicit: [c] *Vocabo non plebem meam, plebem meam, & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam.* [d] *Et erit: In loco ubi dictum est, Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei vivi.*

XVIII. Unde autem Hiberionæ qui numquam notitiam Dei habuerunt, nisi idola & immunda usque nunc semper coluerunt; quomodo nuper facta est plebs Domini, & filii Dei nuncupantur? Filii Scottorum & filiæ regulorum, monachi & virgines Christi esse videntur. Et etiam una benedicta Scotta [1] genitiva nobilis, pulcherrima, adulta erat, quam ego baptizavi. Et post paucos dies, una caussa venit ad nos: insinuavit nobis responsum accepisse a nuntio Dei, [2] & monuit etiam ut esset virgo Christi & ipsa Deo proximaret. Deo gratias: sexta ab hac die optime & avidissime arripuit illud, quod etiam omnes virgines Dei ita hoc faciunt, non sponte patrum earum, sed persecutionem patiuntur, & improperia falsa a parentibus suis: & nihilominus plus augetur numerus, & de genere nostro [3] qui ibi nati sunt, nescimus numerum eorum, præter viduas & continentes. Sed & illæ maxime laborant, quæ servitio detinentur, usque ad terrores & minas assidue perseverant. Sed Dominus gratiam dedit multis ex [4] ancillis suis; nam etsi vetantur, tamen fortiter imitantur.

XIX. Unde autem etsi voluero [5] amittere illas, & ut pergens in Britannias & libentissime paratus eram, quasi ad patriam & parentes: non id solum, sed eram usque Gallias visitare fratres, & ut viderem faciem Sanctorum Domini mei. Scit Deus quod ego valde optabam; sed alligatus Spiritu, qui mihi protestatur si hoc fecero, ut futurum reum me esse designat; & timeo perdere laborem quem inchoavi. Et non ego, sed Christus Dominus qui [6] me imperavit ut venirem, esse cum illis residuum ætatis meæ; si Dominus voluerit & custodierit me ab omni via mala, ut non peccem coram illo. [7] Spero autem hoc debueram, sed memet ipsum non credo, quam diu fuero in hoc corpore mor-

A tis, quia fortis est qui quotidie nititur subvertere me a fide & a proposita [8] castitate, usque in finem vitæ meæ, Christo Domino meo: sed caro inimica semper trahit ad mortem, id est, ad inlecebras [9] inlicite perficiendas. Et scio ex parte, quare vitam perfectam ego non egi, sicut & ceteri credentes. Sed confiteor Domino meo, & non erubesco in conspectu ipsius, quia non mentior: ex quo cognovi eum a juventute mea crevit in me amor Dei & timor ipsius, & usque nunc favente Domino fidem servavi.

XX. Rideat autem & insultet qui voluerit: ego non silebo, neque abscondam signa & mirabilia quæ B mihi a Domino [10] ministrata sunt ante multos annos quam fierent, quasi qui novit omnia, etiam ante tempora sæcularia. Unde autem debueram sine cessatione Deo gratias agere, qui sæpe indulsit insipientiæ meæ.... Et de loco non in unoquoque, ut non mihi vehementer irasceretur, qui adjutor datus sum & non cito adquievi, secundum quod mihi ostensum fuerat, [11] & sicut Spiritus suggerebat. Et misertus est mihi Dominus in millia millium, quia vidit in me quod paratus eram, sed quod [12] mihi pro his nesciebam de statu meo quid facerem, quia multi hanc legationem prohibebant, & jam inter se ipsos post tergum meum narrabant & dicebant: Iste quare se mittit in periculum inter hostes qui C Dominum non noverunt? Non caussa malitiæ; sed non sapiebat illis, sicut & ego ipse testor, [13] intellexi, propter rusticitatem meam. Et non cito agnovi gratiam quæ tunc erat in me: nunc mihi sapit quod ante debueram.

XXI. Nunc ergo simpliciter insinuavi fratribus & conservis meis qui mihi crediderunt. Propter quod prædixi & prædico ad roborandam & confirmandam fidem vestram. Utinam & vos imitemini majora, & potiora faciatis. Hoc erit gloria mea; quia [e] *filius sapiens gloria patris est.* Vos scitis & Deus, qualiter apud vos conversatus sum a juventute mea, [14] in fide veritatis & in sinceritate cordis: etiam D ad gentes illas inter quas habito, ego fidem illis præstavi & præstabo. Deus scit, neminem illorum circumveni, nec cogito propter Deum & ecclesiam ipsius, ne excitem illis [15] & nobis omnibus persecutionem, & ne per me blasphemaretur nomen Domini, quia scriptum est: [f] *Væ homini per quem nomen Domini blasphematur.* Nam etsi imperitus sum in omnibus, tamen [16] conatus sum quippiam servare me etiam & fratribus Christianis, & virginibus Christi, & mulieribus religiosis, quæ mihi

a Matth. XXIV. 14. *b* Joel. II. 28. 29. *c* Osee II. 24. Rom. IX. 25. I. Pet. II. 10.
d Osee I. 10. Rom. IX. 26. *e* Prov. XI. 1. XIII. 1. XV. 20. *f* Levit. XXIV. 16.

1. *Genitiva*] Deest hæc vox apud Bolland.
2. *Et monuit*] Bolland. *qui monuit*.
3. *Qui ibi nati sunt*] Bolland. *Quæ ibi (Christo) natæ sunt*.
4. *Ancillis suis: nam etsi vet.*] Sic legimus cum Bolland. nam corrupte apud Waræum: *ancillis meis, nam sive tantum*.
5. *Amittere*] Bolland. *dimittere illas, & pergere in Britannias, etsi libent.*
6. *Me imper.*] Bolland. *mihi imperavit ut venirem essemque cum illis*.
7. *Spero*] Bolland. *Sperare*.
8. *Castitate, usque cet.*] Bolland. *castitate religionis non fictæ, (quam servabo) usque* cet.
9. *Inlicite perficiendas*] Bolland. *in infelicitate perfruendas*.
10. *Ministrata*] Bolland. *monstrata*. Mox *quam fierent*: atque hanc lectionem prætulimus: minus enim recte Waræus, *quam fuerant*. Mox post *insipientiæ meæ*, addunt Bollandiani *& negligentiæ meæ ....* adnotantque: „ Lo- E „ cus hic, librariorum socordia depravatus, videtur de „ peregrinationibus Patricii habuisse nonnulla. „ Cum iisdem paullo ante legimus *debueram*, ubi Waræus *debuero*.
11. *Et sicut spiritus sugg.*] Bolland. *& spiritus nihilominus suggerebat*.
12. *Mihi pro his nesciebam*] Bolland. *nihilo plus sciebam*. Rectius, ut videtur.
13. *Intellexi*] Ms. apud Bollandianos, *intelligi*: pro quo reposuere, *iter illud*. Quod non displicet. Paullo ante Waræus, *non ut caussa malitiæ*. Et mox, *nunc mihi capit*. Utrumque locum restituimus cum Bolland.
14. *In fide*] Sic Bolland. At Waræus, *& fide*. Iidem mox *præstiti* pro *præstavi*: quod & Waræus margini adlevit.
15. *Et nobis*] Bolland. *& vobis*. Et paullo post *blasphemetur*.
16. *Conatus sum quippiam cet.*] Locus luxatus, forte sic restituendus: *Conatus sum integrum servare me, non accipiendo quidpiam ab ullo, etiam a fratribus.* BOLLAND.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 448.

ultronea munuscula donabant & super altare redebant, ex ornamentis suis, & iterum reddebam illis. Et adversus me scandalizabantur, cur hoc faciebam. Sed ego (hoc faciebam) propter spem perennitatis, ut me in omnibus caute propterea conservarem, ita ut me in aliquo titulo [1] infideles non carperent vel ministerium servitutis meæ, nec etiam in minimo incredulis locum darem infamare sive detrectare.

XXII. Forte autem, quando baptizavi tot millia hominum, speraverim ab aliquo illorum vel dimidium [2] scriptulæ? Dicite mihi & reddam vobis: aut quando ordinavit Dominus clericos per modicitatem meam & ministerium, gratis distribui illis. Si poposci ab aliquo illorum vel pretium calceamenti mei, dicite; dicite adversus me, & reddam vobis. Magis ego impendi pro vobis, ut me caperet: & inter vos & ubique pergebam caussa vestra in multis periculis, etiam usque ad [3] exteras partes, ubi nemo ultra erat, & ubi numquam aliquis pervenerat qui baptizaret, aut clericos ordinaret, aut populum [4] consummaret, donante Domino, diligenter & libentissime pro salute vestra omnia [5] generavi. Interim præmia dabam regibus, propter quod dabam mercedem filiis ipsorum qui mecum ambulant, & [6] nihil comprehenderunt me cum comitibus meis. Et illa die avidissime cupiebant interficere me: sed tempus nondum venerat. Et omnia quæcumque nobis invenerunt, rapuerunt illa, & me ipsum ferro vinxerunt: & quarto decimo die absolvit me Dominus de potestate eorum; & quidquid nostrum fuit, redditum est nobis, propter Deum & necessarios amicos quos ante providimus.

XXIII. Vos autem experti estis quantum ego erogavi illis, qui [7] judicabant per omnes regiones quas frequentius visitabam. Censeo enim [8] non minimum pretium quindecim hominum distribui illis. Ita, ut me fruamini, & ego vobis semper fruar in Deum, non me pœnitet nec satis est mihi, adhuc impendo & super impendam: potens est Dominus, ut det mihi postmodum ut me ipsum [a] *impendam pro animabus vestris*. Ecce testem Deum invoco in animam meam, quia non mentior, [9] quod neque, ut fit, caussa adulationis vel avaritiæ scripserim vobis, neque ut honorem sperarem vestrum. Sufficit enim mihi honor qui non videtur, sed corde creditur; fidelis autem qui promisit, numquam mentitur. Sed video jam in præsenti sæculo me supra modum exaltatum a Domino. Et non eram dignus neque talis, ut hoc mihi præstaret: dum scio certissime quod mihi melius convenit paupertas & calamitas, quam deliciæ & divitiæ. Sed & Christus Dominus pauper fuit pro nobis. Ego vero miser & infelix, & si opes voluero, jam non habeo, neque me ipsum (dignum) judico, quia quotidie [10] spero aut internecionem, aut circumveniri, aut redigi in servitutem, [11] sive occasionem cujuslibet. Sed nihil horum vereor propter promissa cælorum, quia jactavi me ipsum in manus Dei omnipotentis qui ubique dominatur, sicut Propheta dicit: [b] *Jacta cogitatum tuum in Deum, & ipse te enutriet.*

XXIV. Ecce nunc commendo animam meam fidelissimo Deo meo, [c] pro quo legatione fungor in ignobilitate mea. Sed quia personam non accipit, & elegit me ad hoc officium, ut unus essem de suis minimis, minister. [d] *Unde autem retribuam illi pro omnibus quæ retribuit mihi?* [12] Seu quid dicam, vel quid promittam Domino meo? Quia nihil valeo, nisi ipse mihi dederit: Sed [13] scrutatur corda & renes, quia satis & nimis cupio, & paratus eram ut donaret mihi bibere calicem ejus, sicut indulsit ceteris amantibus se. Quapropter non contingat mihi a Deo meo, ut umquam amittam plebem suam quam [14] adquisivi in ultimis terræ. Oro Deum ut det mihi perseverantiam, & dignetur ut reddam illi testem fidelem usque ad transitum meum propter Deum meum. Et si aliquid boni umquam imitatus sum propter Deum meum quem diligo, peto illum det mihi, ut cum illis proselytis & captivis pro nomine suo, effundam sanguinem meum, etsi ipse etiam caream sepultura, aut miserrime cadaver per singula membra dividatur canibus aut bestiis asperis, aut volucres cæli comederint illud. Certissime reor, si mihi hoc [15] incurrisset, lucratus sum animam cum corpore meo: quia sine ulla dubitatione in die illa resurgemus in claritate solis, hoc est, [16] in gloria Christi Jesu redemtoris nostri, filii Dei vivi, & [e] *coheredes Christi & [f] conformes futuræ imaginis ipsius*: Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso, regnaturi sumus.

XXV. Nam sol iste quem videmus, Deo jubente, propter nos quotidie oritur, sed numquam regnabit, neque permanebit splendor ejus. Sed & omnes qui adorant eum, in pœnam miseri male devenient. Nos autem credimus & adoramus Solem verum, Christum qui numquam interibit; neque qui facit voluntatem ipsius, sed manebit in æternum, quomodo & Christus manebit in æternum, qui regnat cum Deo patre omnipotente & cum Spiritu sancto, ante sæcula, & nunc, & per omnia sæcula sæculorum. Amen. Ecce iterum iterumque breviter exponam verba *Confessionis meæ*.

a II. Cor. XII. 15. b Psalm. LIV. 23. c II. Cor. V. 20. d Psalm. CXV. 12. e Rom. VIII. 17. f Ibid. V. 29.

1. *Infideles*] Sic Bolland. ubi Waræus, *infideli non carperent*.

2. *Scriptulæ*] Forte, *scriptuli*. Bolland. *scriptulum*; ubi hæc habent: „ Sosipater apud Jo. Gerardum Vossium in „ Etymologico: *Scriptulum, quod nunc vulgo sine t dicunt* (scripulum scilicet) *Varro in Plautorino dixit*. Et „ alibi: *Nummum argenteum conflatum primum a Servio Tullio: is quatuor scriptulis major fuit quam nunc est*. Est „ autem scriptulum, sive scrupulum, minima pars unciæ. „ Vide Cangium in Glossario Lat. v. SCRIPTULUS.

3. *Exteras*] Sic & Bolland. Sed Waræus legendum conjicit *extremas*.

4. *Consummaret*] Bolland. *in fide confirmaret*.

5. *Generavi*] Bolland. *gessi*. Et mox, *preter quod dabam*.

6. *Nihil*] Existimat Waræus legendum *non*. Sed rectius Bolland. *nihiluminus*.

7. *Judicabant*] Sic & ms. apud Bollandianos; qui tamen in textu rescripsere *indigebant*.

8. *Non minimum pretium*] Bolland. *non minus quam pretium*.

9. *Quod neque, ut fit, caussa*] Ita Bolland. Waræus: *quia non mentior, neque ut sit occasio*. Mendose.

10. *Spero*] Sic Bolland. Waræus *sperno*.

11. *Sive occasionem*] Bolland. *sine occasione*.

12. *Seu — Quia nihil valeo*] Sequimur Bolland. Waræus: *Sed — Quia nihil video*.

13. *Scrutatur*] Ita legere malumus cum Bolland. quam cum Waræo *scrutabor*. Mox apud Bolland. *calicem*, omisso *ejus*.

14. *Adquisivi*] Bolland. *acquisivit*.

15. *Incurrisset — cum corpore*] Magis placet, quam Bolland. *curæ sit — in corpore*.

16. *In gloria* cet.] Bolland. *in gloria Jesu Christi redemti omnes erimus quasi filii Dei & coheredes Christi, & conformes creaturæ imaginis ipsius: quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula sæculorum, Amen*. Et statim: *In illo enim regnaturi sumus — nam sol iste* cet.

Testificor in veritate & in exsultatione cordis, coram Deo & sanctis Angelis ejus, quia numquam habui aliquam occasionem, præter evangelium & promissa illius, ut umquam [1] redirem ad gentem illam, unde autem prius vix evaseram. Sed precor credentibus [2] & timentibus Deum, quicumque dignatus fuerit inspicere vel recipere hanc scriptu-

A

ram, quam Patricius peccator, indoctus scilicet, *Hiberione* conscripsit, ut nemo umquam dicat quod [3] mea ignorantia, si aliquid pusillum [4] egi vel demonstraverim, secundum Dei placitum. Sed arbitramini, & verissime credatur, [5] quod donum Dei fuisset. Et hæc est Confessio mea, ante quam moriar.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 448.

1. *Redirem ad gentem illam*] Pessime Waræus, *redderem agentem illam*.
2. *Credentibus*] Post hanc vocem addunt Bolland. & *petentibus*.
3. *Mea ignorantia*] Bolland. *meæ ignorantiæ (fuerit)*.
4. *Egi*] Ita Bolland. Male Waræus, *ego*.
5. *Quod donum Dei fuisset*] Bolland. *quod Deus fuisset*.

*S. PATRICII
AD COROTICUM,
EPISTOLA.

I. Patricius peccator, indoctus scilicet, *Hiberione* constitutum episcopum me esse fateor. Certissime reor, a Deo accepi id quod sum. Inter barbaros itaque habito proselytus & profuga, ob amorem Dei. Testis est ille, si ita est: non quod optabam tam dure & tam aspere [1] ex ore meo effundere, sed cogor zelo Dei & veritatis Christi, (*qui*) excitavit me pro dilectione proximorum atque filiorum, pro quibus tradidi patriam & parentes & animam meam usque ad mortem, si dignus sum. Vovi Deo meo docere gentes, etsi contemnor [2] a quibus manu mea scripsi atque condidi verba ista danda & tradenda militibus mittenda Corotico, non dico civibus meis, neque civibus Sanctorum Romanorum, sed civibus dæmoniorum, ob mala opera ipsorum, ritu hostili. In morte vivunt socii Scottorum atque Pictorum apostatarum, [3] quasi sanguine volentes saginari innocentium Christianorum, quos ego innumeros Deo genui atque in Christo confirmavi.

II. Postera die qua [4] chrismati neophyti in veste candida, dum (fides) flagrabat in fronte ipsorum, crudeliter trucidati atque mactati (sunt) gladio a supra dictis, misi epistolam cum sancto presbytero, quem ego ex infantia docui cum clericis, ut nobis aliquid indulgerent de præda vel de captivis baptizatis quos ceperunt: (*sed*) cachinnos fecerunt de illis. Idcirco nescio quos magis lugeam, an qui interfecti, vel quos ceperunt, vel quos graviter zabulus inlaqueavit, (qui) perenni pœna gehennæ pariter cum ipso mancipabuntur. Quia utique [5] peccati qui facit peccatum, servus est [a], & filius zabuli nuncupatur.

III. Quapropter sciat omnis homo timens Deum, quod a me alieni sunt & a Christo Domino meo pro quo legatione fungor, patricidæ, fratricidæ, lupi rapaces, [b] *devorantes plebem Domini, ut cibum*

B

panis, sicut ait; [c] *Iniqui dissipaverunt legem tuam Domine*, qua in supremis temporibus Hiberione optime & benigne plantata atque instructa erat favente Deo. Non usurpo (aliena: sed), partem habeo cum his quos advocavit, & prædestinavit evangelium prædicare in persecutionibus non parvis usque ad extremum terræ. Etsi invidet inimicus per tyrannidem Corotici, qui Deum non veretur, nec sacerdotes ipsius quos elegit & indulsit illis summam, divinam, sublimem potestatem, [d] *quos ligarent super terram, ligatos esse & in cælis*.

IV. Unde ergo quæso plurimum, sancti & humiles corde, adulari talibus non licet, nec cibum

C

nec potum sumere cum ipsis, nec eleemosynas ipsorum recipere debere, donec crudeliter effusis lacrymis satis Deo faciant & liberent servos Dei & ancillas Christi baptizatas, pro quibus mortuus est & crucifixus. [e] *Dona iniquorum reprobat Altissimus. Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.* [f] *Divitiæ*, inquit, *quas congregabit injustus, evomentur de ventre ejus; trahit illum Angelus mortis: ira draconum multabitur: interficiet illum lingua colubri.* Comedet autem eum ignis inexstinguibilis. Ideoque væ qui replent se (his) quæ non sunt sua. Vel, [g] *quid prodest homini, ut totum mundum lucretur, & animæ suæ detrimentum patiatur?* Longum est

D

per singula discutere vel insinuare, per totam legem carpere testimonia de tali cupiditate. Avaritia mortale crimen. [h] *Non concupisces rem proximi tui. Non occides.* Homicida non potest esse cum Christo. [i] *Qui odit fratrem suum, homicida adscribitur*; vel, *qui non diligit fratrem suum, in morte manet*. Quanto magis reus est, qui manus suas coinquinavit in sanguine filiorum Dei, quos nuper adquisivit in ultimis terræ, per exhortationem parvitatis nostræ?

V. Numquid sine Deo, vel secundum carnem

a I. Joan. III. 8. *b* Psalm. XIII. 4. *c* Palm. CXVIII. 126. *d* Matth. XVIII. 18. *e* Eccli. XXXIV. 23. 24. *f* Job. XX. 15. 16. *g* Matth. XVI. 26. *h* Exod. XX. 17. 13. *i* I. Joan. III. 14. 15.

* Apud Bolland. sic se habet isthæc inscriptio: *Epistola S. Patricii ad Christianos Corotici tyranni subditos*. Et recte quidem, ut ex contextu liquet.

1. *Ex ore meo*] Bolland. *aliquid ex ore meo*. Paullo ante apud eosdem, *Hiberione constitutus episcopus, certissime reor*.

2. *A quibus manu mea*] Bolland. *a quibusdam*. *Et manu mea*.

3. *Quasi sanguine volentes saginari*] Ita Bolland. Cor-

E

rupte Waræus: *quæ sanguinolentos [illegible] de sanguine*.

4. *Chrismati* cet.] Hunc locum [illegible], prout exstat apud Bollandianos. Nam male [illegible] habet apud Waræum sic: *chrismate neophyti in [illegible] flagrabat in fronte ipsorum, dum crudeliter [illegible] atque mactati gladio a supra dictis. Et mihi epistolam* cet.

5. *Peccati*] Ex Bolland. hanc vocem addidimus, quæ deest apud Waræum: ubi & paullo ante male *mancipabunt* legitur.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 448.

Hiberione veni? Quis me compulit? alligatus sum spiritu, ut non videam aliquem de cognatione mea. [1] Numquid piam misericordiam ago erga gentem illam quæ me aliquando ceperunt, & devastaverunt servos & ancillas domus patris mei? Ingenuus fui secundum carnem: [2] Decorione patre nascor. Vendidi enim nobilitatem meam (non erubesco, neque me pœnitet) pro utilitate aliorum. [3] Denique servus sum in Christo Jesu Domino nostro, etsi mei me non cognoscunt. [a] *Propheta in patria sua honorem non habet*. Forte non sumus ex uno ovili, neque unum Deum patrem habemus, sicut ait: [b] *Qui non est mecum contra me est, & qui non congregat mecum spargit*. Non convenit, [c] *Unus destruit, alter ædificat*. Non quæro quæ mea sunt.

VI. Non mea gratia: sed Deus quidem hanc solicitudinem (dedit) in corde meo, ut unus essem de venatoribus, sive piscatoribus, quos olim Deus in novissimis diebus ante prænuntiavit [d]. Invidetur mihi; Quid faciam Domine? Valde despicior. Ecce oves tuæ circa me laniantur atque deprædantur a supra dictis latrunculis, jubente Corotico, hostili mente (longe est a caritate Dei traditor Christianorum) in manus Scottorum atque Pictorum. Lupi rapaces deglutierunt gregem Domini, qui utique Hiberione cum summa diligentia optime crescebat; & filii Scottorum & filiæ regulorum monachi fiebant & virgines Christi; quos enumerare nequeo. [4] Quamobrem injuria justorum non tibi placeat, etiam usque ad inferos non placebit.

VII. Quis sanctorum non horreat jocundare vel convivio frui, cum talibus? De spoliis defunctorum Christianorum repleverunt domos suas; de rapinis vivunt; nesciunt miseri. [5] Venenum bibunt, letalem cibum porrigunt ad amicos & filios suos. Sicut Eva non intellexit quod mortem tradidit viro suo; sic sunt omnes qui male agunt, mortem perennem pœnamque perpetuam operantur. Consuetudo Romanorum & Gallorum Christianorum (est:) mittunt viros sanctos idoneos ad Francos & [6] ceteras gentes cum tot millibus solidorum ad redimendos captivos baptizatos. Tu omnes interficis, & vendis illos genti exteræ ignoranti Deum: quasi in lupanar tradis membra Christi. Qualem spem habes in Deum?

VIII. [7] Qui tecum sentit, aut qui communicat verbis alienis & adulationis: Deus judicabit. Scriptum est enim; [e] *Non solum facientes mala, sed etiam consentientes damnandi sunt*. Nescio quid dicam, aut quid loquar amplius de defunctis filiorum Dei, quos gladius supra modum dure tetigit. Scriptum est enim: [f] *Flere cum flentibus; & iterum* [g] *Si dolet unum membrum, condoleant omnia membra*. Quapropter ecclesia plorat & plangit filios & filias suas quas adhuc gladius nondum interfecit, sed prolongati & exportati (sunt) in longa terrarum spatia. [8] Ut peccatum manifeste gravetur impudentiæ, impudens ibi habitat & abundat. Ibi venumdati ingenui homines Christiani in servitutem redacti sunt, præsertim indignissimorum, pessimorum, apostatarumque Pictorum.

IX. Idcirco cum tristitia & mærore vociferabor: O speciosissimi atque amantissimi fratres & filii quos in Christo genui, enumerare nequeo quid faciam vobis! Non sum dignus [9] Deo neque hominibus subvenire. Prævaluit iniquitas iniquorum super nos. Quasi extranei facti sumus. Forte non credunt, (quod) unum baptismum percipimus, vel, unum Deum patrem habemus. Indignum est illis; [10] Hiberia nati sumus, sicut ait; Nonne unum Deum habetis? Quid dereliquistis unusquisque proximum suum? Idcirco doleo pro vobis, doleo carissimi mihi: sed iterum gaudeo intra me ipsum; non gratis laboravi, vel peregrinatio mea in vacuum non fuit; & contigit scelus [11] tam horrendum, ineffabile. Deo gratias; creduli baptizati de sæculo recessistis ad paradisum. Cerno: vos migrare cœpistis, ubi [h] *nox non erit, neque luctus, neque mors amplius;* sed exsultabitis sicut vituli ex vinculis resoluti, & conculcabitis iniquos, & erunt cinis sub pedibus vestris.

X. Vos ergo regnabitis cum Apostolis & Prophetis atque martyribus, & æterna regna capietis: sicut ipse testatur (qui inquit:) [i] *Venient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraham & Isaac & Jacob in regno cælorum*. [k] *Foris canes, & venefici, & homicidæ, & mendaces*, perjuri: [l] *pars eorum in stagnum ignis æternum*. Non immerito ait Apostolus: [m] *Ubi justus vix salvus erit; peccator & impius transgressor legis, ubi se recognoscit?* [12] Ubi enim Coroticus cum suis sceleratissimis rebellatoribus Christi? [13] Ubi se videbunt, qui mulierculas baptizatas & prædia orphanorum spurcissimis satellitibus suis distribuunt ob miserum regnum temporale, quod utique in momento transeat, sicut nubes, vel fumus qui utique vento dispergitur? Ita peccatores & fraudulenti a facie Domini peribunt: justi autem epulabuntur in magna constantia cum Christo: judicabunt nationes & regibus iniquis dominabuntur in sæcula sæculorum. Amen.

Testificor coram Deo & Angelis suis, quod ita erit, sicut intimavit [14] imperitia mea. Non mea verba, sed Dei, & Apostolorum atque Propheta-

a Marc. VI. 4. *b* Luc. XI. 23. *c* Eccli. XXXIV. 28. *d* Jer. XXVI. 16. *e* Rom. I. 32. *f* Rom. XII. 15. *g* I. Cor. XII. 26. *h* Apoc. XXI. 4. *i* Matth. VIII. 11. *k* Apoc. XXII. 15. *l* Apoc. XXI. 8. *m* II. Pet. IV. 18.

1. *Numquid piam misericordiam ago*] Bolland. *Numquid amo piam misericordiam, quod* (sic) *ago*.
2. *Decorione*] Leg. cum Waræo & Bolland. *Decurione*.
3. *Denique* cet.] Bolland. *Denique sum in Christo (traditus) genti exteræ ob gloriam ineffabilem perennis vitæ, quæ est in Christo Jesu Domino nostro: etsi mei* cet. Intermedia desunt apud Waræum, forte librariorum vitio ob repetitas voces *in Christo*.
4. *Quamobrem* cet.] Hæc Waræi lectio magis placet, quam ista Bolland. *Qui propter injuriam justorum non te placat (Domine) etiam apud inferos non placabit*.
5. *Venenum bibunt*] Sic Bolland. Deest *bibunt* apud Waræum; qui mox edidit *mortem perennem pœnam operantur*. Hiatum supplevimus ex Bolland.
6. *Ceteras*] Bolland. *exteras*. Mox cum iisdem legimus *omnes interf.* ubi Waræus perperam *toties int rf.*
7. *Qui tecum sentit* cet.] Sic Bolland. At Waræus, *vel qui te consentit? aut qui te communicat verbis adulationis*.
8. *Ut peccatum* cet.] Ita Bolland. Apud Waræum vero exstat hic locus ita corruptus & mutilus: *ubi peccatum manifeste gravetur, impudenter abundat*.
9. *Deo*] Deest hæc vox apud Bolland. Et mox desunt etiam apud eosdem sequentia: *Quasi extranei facti sumus*. Qui paullo post exhibent: *Unum baptismum percepimus, & unum Deum credimus. Indignum est illis, quod de Hibernia nati sumus: sic enim aiunt*.
10. *Hiberia*] Hibernia quæ supra *Hiberione* appellabatur, in omnibus exemplaribus heic appellatur *Hiberia*. WAR.
11. *Scelus*] Post hanc vocem interferunt Bolland. *illo in tempore*. Mox iidem *credentes & baptizati*
12. *Ubi*] Sic rescripsimus cum Bolland. neque enim placet *Unde* Waræi.
13. *Ubi se videbunt — distribuun*] Ita Bolland. Hæc vero hiulca & mendosa apud Waræum sic: *Ubi se videbunt, quum inter mulierculas baptizatas præmia distribuuntur*.
14. *Imperitia mea* cet.] Ita Bolland. ubi Waræus: *imperitiæ meæ: non mea verba, sed* cet. Mox *Latinum* absque præpositione *in*.



rum, (quod ego in Latinum exposui) qui numquam A enim mentiti sunt. [a] *Qui crediderit salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.* Deus locutus est. Quæso plurimum, ut quicumque famulus Dei, ut promtus fuerit, ut sit gerulus litterarum harum, ut neutiquam subtrahatur a nemine, sed magis potius legatur coram cunctis plebibus, & coram ipso Corotico. Quod si Deus inspirat illos, ut quandoque Deo resipiscant, & vel sero pœniteant quod tam impie gesserunt homicidæ erga fratres Domini, & liberent captivas baptizatas quas ante ceperunt, ita ut mereantur Deo vivere, & sani efficiantur heic & in æternum. Pax Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Amen.

a Marc. XVI. 16.

SYNODUS
S. PATRICII.

CAP. I.

De habitatione cum fratribus peccatoribus.

De eo quod mandastis; de habitatione cum fratribus peccatoribus; audite Apostolum dicentem: [a] *Cum hujusmodi ne cibum quidem sumere*; non ejus escas sumas cum eo. Ceterum si *bos* sis & *trituras*, hoc est, si doctor es & doces, [b] *non obturatur tibi os, &* [c] *dignus es mercede tua.* Sed [d] *oleum peccatoris non impinguet caput tuum*: sed corripe adhuc & argue.

CAP. II.

De oblationibus eorum.

[1] *Contentus tegmento & alimento tuo*; cetera [e] *dona iniquorum reproba*, quia non sumit lucerna nisi quod alitur.

CAP. III.

De pœnitentia post ruinas.

Statuitur ut abbas videat, cui attribuetur potestas alligandi & solvendi; sed aptior est juxta scripturæ exempla, [2] veniam. Si vero cum fletu & lamentatione & lugubri cum veste, sub custodia D pœnitentia brevis, quam longa & remissa cum temperamentis.

CAP. IV.

Da excommunicato repellendo.

Audi Dominum dicentem: [f] *Si tibi non audierit, sit tibi velut gentilis & publicanus.* Non maledices, sed repelles excommunicatum a communione & mensa, & missa & pace. Et [g] *si hæreticus est, post unam correptionem devita.*

CAP. V.

De suspectis caussis. E

Audi Dominum dicentem: [h] *Sinite utraque cre-* B *scere usque ad messem*; hoc est, donec veniet qui [i] *manifestabit consilia cordium*, ne judicium ante diem judicii facias. Vide Judam ad mensam Domini, & latronem in paradiso.

CAP. VI.

De vindictis ecclesiæ.

Audi item Dominum dicentem: [k] *Qui effuderit sanguinem* [3] innocentem, *sanguis ipsius effundetur*, sed ab eo qui portat gladium, [4] dictatur aut vindictæ innocens habetur. De ceteris autem per legem evangelicam, ab eo loco in quo ait; Et eum C [l] *qui aufert aliquid a te, ne repetas*, sed libenter, si ipse quid referat, humiliter recipias.

CAP. VII.

De baptismatis incertis.

Statuunt ne rebaptizati (sint) qui Symboli [5] traditione a quocumque acceperunt, quia non inficit semen seminantis iniquitas. Sin vero, non est rebaptizare, sed baptizare. Non absolvendos autem lapsos a fide credamus, nisi per impositionem manus [6] accepi.

CAP. VIII.

De reis autem abstractis ab ecclesia.

Non ad reorum defensionem facta est ecclesia; sed judicibus persuadendum est, ut spiritali morte eos occiderent, qui ad sinum matris ecclesiæ confugiunt.

CAP. IX.

Desideratur.

CAP. X.

De lapsis post gradum.

Audi canonica instituta. Qui cum gradu cecidit, sine gradu surgat: contentus nomine tantum amit-

a I. Cor. V. 11. *b* I. Cor. IX. 9. *c* Luc. X. 7. *d* Psalm. CXL. 5. *e* Eccli. XXXIV. 23. *f* Matth. XVIII. 17. *g* Tit. III. 10. *h* Matth. XIII. 30. *i* I. Cor. IV. 5. *k* Gen. IX. 6. *l* Luc. VI. 30.

1. *Contentus* cet.] Ad hunc locum vide sis Cotelerium ad *Constit. Apost.* lib. IV. cap. VIII. not. 5.
2. *Veniam.*] Forte, *venia*. WAR.
3. Qui hunc textum suggessit, forte legebat in Græco αἷμα ἀθῷον, pro αἷμα ἀνθρώπου, non bene percipiens scripturam in compendium deductam. COTEL. ad *Constit. Apost.* lib. II. cap. XLII. not. 6.
4. *Dictatur aut*] Forte, *Dictator autem*. WAR.
5. *Traditione*] Leg. *traditionem*. ID.
6. *Accepi*] Leg. *accipi*. ID.

tat ministerium, nisi qui tantum a conspectu Domini peccans non recessit.

C A P. XI.

De separatione sexuum post lapsum.

Consideret unusquisque in conscientia sua, si amor & desiderium cessavit peccati; quia corpus mortuum non inficit corpus alterius mortui. Sin vero, separentur.

C A P. XII.

De oblatione pro defunctis.

Audi Apostolum dicentem: [a] *Est autem peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.* Et Dominus: [b] *Nolite donare sanctum canibus.* Qui enim in vita sua sacrificium non merebitur accipere, quomodo post mortem illi poterit adjuvare?

C A P. XIII.

De sacrificio.

In nocte Paschæ, si fas est ferre foras. Non foras fertur, sed fidelibus deferatur. Quid aliud significat, quod *in una domo* sumitur agnus, quam sub uno fidei culmine creditur & comunicatur Christus?

C A P. XIV.

De abstinenti............ a cibis.

[1] Statutum ut Christi adventum sponsi nullas ratas leges inveniat jejunii. Quid autem inter Novatianum & Christianum interest, nisi quod Novatianus indesinenter, Christianus vero per tempus abstineat? ut locus, & tempus, & persona per omnia observetur.

C A P. XV.

De relinquenda vel docenda patria.

Docenda patria prius per exemplum Domini, & derelinquenda postea, si non proficiat, juxta exemplum Apostoli. Sed qui potest proficere, licet periclitatur, ubique doceat, & se ostendat; qui vero non potest, taceat & abscondat: alius quippe ab Jesu in domum suam mittitur, alius sequi jubetur.

C A P. XVI.

De falsis episcopis.

Qui non secundum Apostolum electus est ab altero episcopo, est damnandus; & deinde ad reliquam plebem declinandus & degradandus.

C A P. XVII.

De proposito monachorum.

Monachi sunt qui solitarii sine terrenis opibus habitant sub potestate episcopi, vel abbatis. Non autem monachi, sed *Vactro* periti, hoc est, contemtores soliciti ad vitam perfectam in ætate perfecta. Hoc est, a viginti annis debet unusquisque constringi non adtestando sed voto perficiendo, ut est illud, [c] *Unusquisque sicut proposuit corde suo faciat*, & ut [d] *Vota mea reddam in conspectu Domini*, & reliqua: quo voto vivitur, situs locorum coartat: si superabundantia, in omnibus devitetur in vita; quia [e] in frigore & nuditate in fame & siti, in vigiliis & jejuniis vocati sunt.

C A P. XVIII.

De tribus seminibus evangeliorum.

[f] Centesimum, episcopi & doctores, qui omnibus omnia sunt; Sexagesimum, clerici & viduæ qui continentes sunt: Trigesimum, laici qui fideles sunt, qui perfecte Trinitatem credunt. His amplius non est in messe Domini; monachos vero & virgines cum centesimis jungimus.

C A P. XIX.

Qua ætate baptizandi.

Octavo die catechumeni sunt, postea solennitatibus Domini baptizantur, id est, Pascha, Pentecoste & Epiphania.

C A P. XX.

De parochiis.

Cum monachis non est dicendum quorum malum est inauditum, qui unitatem vero plebis non incongrue suscepimus.

C A P. XXI.

De retinendis vel dimittendis monachis.

Unusquisque fructum suum in ecclesia in qua imbutus est perfruatur, nisi caussa majoris profectus ad [2] ultoris ferre permisso abbatis cogat. Si vero exierit, caussa utilior cum benedictione dicatur, *Ecce agnus Dei*, [g] non quæ sua sunt singuli quærentes, sed quæ *Jesu Christi*. Vocationis autem caussam non permittant subditos [3] discurrere.

C A P. XXII.

De sumenda Eucharistia, post lapsum.

Post examinationem carceris sumenda est, maxime autem in nocte Paschæ, in qua qui non communicat, fidelis non est. Ideo brevia sunt & stricta apud eos spatia, ne anima fidelis intereat tanto tempore jejuna medicinæ; Domino dicente: [h] *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.*

a I. Joan. V. 16. *b* Matth. VII. 6. *c* I. Cor. VII. 37. *d* Psalm. CXV. 14. 18. *e* II. Cor. XI. 27. *f* Matth. XIII. 8. 23. *g* Philipp. II. 21. *h* Joan. VI. 54.

1. *Statutum* cet.] Cotelerius *Monum. eccl. Gr.* tom. I. pag. 812. b. hunc locum sic emendat: *Statutum, ut Christi adventus, sponsi, nullas ratas leges inveniat jejunii.*

2. *Ultoris*] Forte, *ulterius*. War.

3. *Discurrere*] An *discutere*?

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 448.

A

C A P. XXIII.

De juramento.

[a] *Non jurare omnino.* De hoc consequente lectionis series docet, non adjurandam esse creaturam aliam, nisi creatorem: ut prophetis mos est: [b] *Vivit Dominus & vivit anima mea*; &: [c] *Vivit Dominus cui assisto hodie.* Finis autem contradictionis est nisi Domino. Omne enim quod amat homo, hoc & juratur.

C A P. XXIV.

De contentione duorum absque testibus.

Statuunt ut per quatuor sancta evangelia, ante quam communicet, testatur quid probatur, & deinde sub judice fama relinquatur.

C A P. XXV.

De toro fratris defuncti.

Audi decreta synodi super istis. Frater torum defuncti fratris non ascendat, Domino dicente: [d] *Erunt duo in carne una.* Ergo uxor fratris soror tua est.

C A P. XXVI.

De meretrice conjuge.

Audi Dominum dicentem: [e] *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur.* Item: [f] *Adultera lapidetur*; id est, huic vitio moriatur, ut desinat crescere quæ non desinit mœchari. Item: [g] *Si adulterata fuerit mulier, numquid revertitur ad virum suum priorem?* Item: [h] Non licet viro dimittere uxorem, *nisi ob caussam fornicationis*: ac si dicat, ob hanc caussam. Unde si ducat alteram velut post mortem prioris, non vetunt.

C A P. XXVII.

De voluntate virginis vel patris, in conjugio.

Quod vult pater, faciat virgo, quia [i] *caput mulieris vir.* Sed requirenda est a patre voluntas virginis, dum [k] *Deus relinquit hominem in manibus consilii sui.*

C A P. XXVIII.

De primis vel secundis votis.

B Eadem ratione observanda sunt prima vota, & prima conjugia, [1] aut secundis prima non sint irrita, nisi fuerint adulterata.

C A P. XXIX.

De consanguinitate in conjugio.

Intelligite quid lex loquitur, non minus nec plus. Quod autem observatur apud nos, ut quatuor genera dividantur, nec vidisse dicunt nec legisse.

C A P. XXX.

C *De vindicandis adsuetis.*

Numquam [2] vetitus licet: verum observandæ sunt leges Jubilæi, hoc est quinquaginta anni, ut non adfirmentur incerta veterato temporis. Et ideo [3] omnes negotia subscriptione Romanorum confirmanda est.

C A P. XXXI.

De gentilibus qui ante baptismum credunt, quam pœnitentiam habeant.

Remittuntur quidem omnium peccata in baptismo; sed quia cum fideli conscientia [4] infidelem tempor.... vixit, ut fidelis peccator judicandus est.
D

Finit Patricii *synodus.*

a Matth. V. 34. *b* IV. Reg. II. 2. 4. 6. *c* III. Reg. xviii. 15. *d* Gen. II. 24. *e* I. Cor. vi. 16. *f* Lev. xx. 10. Deut. xxii. 22. *g* Jer. III. 1. *h* Matth. V. 32. xix. 9. *i* I. Cor. xi. 3. *k* Eccli. xv. 14.

1. *Aut*] Forte *ut*. War.
2. *Vetitus*] Forte *vetitum*. Id.
3. Locus corruptus. Id. — Forte *omnis negotiatio*.
4. *Infidelem tempor...*] Forte *infidelis temporarius*. War.



ALII CANONES S. PATRICIO ADSCRIPTI.

I.

De judicio clericorum, ut non sit apud iniquos, aut apud infideles.

Omnis mundialis sapiens, [1] si sapiens sit, non judicet judicia ecclesiæ.

E

II.

De subjectione populi principi.

Ministri vos estis, & unusquisque vestrum principem suum cui adsistat & ministrat, timeat.

1. *Si*] Forte *etsi*. War.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 448.

A

III.

De pœnitentia blasphemantis principem bonum.

Qui murmurat verba blasphemiæ contra principem bonum per odium aut invidiam, cum pane & aqua pœniteat septem diebus, exemplo Mariæ contra Moysen murmurantis.

IV.

De eo quod incertum sit, utrum priorem gradum episcopus post lapsum recipiat.

Patricius episcopus dicit: Qui sub gradu peccat, debet excommunicari: quia magna est dignitas hujus nominis; tamen potest redimere animam suam post pœnitentiam: ad priorem gradum venire difficile. Nescio an non. Deus scit.

V.

De recipienda adultera post pœnitentiam: & de quantitate pœnitentiæ.

Si alicujus uxor fornicata fuerit cum alio viro, non adducet aliam uxorem, quam diu viva fuerit uxor prima. Si forte conversa fuerit & agat pœnitentiam, suscipiet eam, & serviet ei in vicem ancillæ, & annum integrum in pane & aqua per mensuram pœniteat, nec in uno lecto permaneant.

VI.

De alienis adeundis ad judicandum.

Si quæ quæstiones in hac insula oriantur, ad sedem apostolicam referantur.

VII.

De pœnitentia agenda in ultimo spiritu.

Si quis infirmatur, agat pœnitentiam, etiam ex necessitate, quia misericors est Deus.

B

VIII.

De eo quod insipientes præesse non debent.

Synodus totius mundi, & Patricius decrevit: Qui insipiens est, nullo modo præesse liceat, sed sub manu abbatis catholici opus suum exerceat.

IX.

De collectura pecuniæ non vituperanda, necessitate cogente.

C Patricius ait: si quis acceperit permissionem pontificis, & collectum sit pretium captivi, non plus exegerit quam necessitas poposcit. Si quid supra remanserit, ponat super altare, & indigentibus detur & captivis.

Item si quis colligit pecuniam sub nomine misericordiæ, non audeat spoliare ecclesiam Dei, sed reges & plebiles, quibus melius est dare quam recondere.



INCIPIT SYNODUS EPISCOPORUM,

ID EST,

PATRICII, AUXILII, ISSERNINI.

GRatias agimus Deo Patri & Filio & Spiritui sancto. Presbyteris & diaconibus & omni clero; *Patricius*, *Auxilius* & *Isserninus* episcopi, salutem.

Satius nobis negligentes præmonere (quam) culpare quæ facta sunt, Salomone dicente: [a] *Melius est arguere quam irasci*. Exempla definitionis nostræ inferius conscripta sunt, & sic inchoant.

I. Si quis in quæstionem captivis quæsierit in plebe, suo jure, sine permissione, meruit excommunicari.

II. Lectores denique cognoscant unusquisque ecclesiam in qua psallat.

III. Clericus vagus non sit in plebe.

IV. Si quis permissionem acceperit, & collectum sit pretium, non plus exigat, quam quod necessitas poscit.

V. Si quid supra manserit, ponat super altare pontificis, ut detur alii indigenti.

D VI. Quicumque clericus, ab ostiario usque ad sacerdotem, sine tunica visus fuerit, aut turpitudinem ventris & nuditatem non tegat: & si non more Romano capilli ejus tonsi sint: & uxor ejus si non velato capite ambulaverit, pariter a laicis contemnentur, & ab ecclesia separentur.

VII. Quicumque clericus jussus negligentiæ caussa, ad collectas mane vel vespere non occurrerit, alienus habeatur, nisi forte jugo servitutis sit detentus.

VIII. Clericus si pro gentili homine fideijussor fuerit in quacumque quantitate; Et si contigerit, (quod mirum non [1] potest) per astutiam aliquam, gentilis ille clerico fallat rebus suis; clericus ille

E solvat debitum: nam si armis compugnaverit cum illo, merito extra ecclesiam computetur.

IX. Monachus & virgo, unus ab hinc, & alia ab aliunde, in uno hospitio non commaneant, nec in uno curru a villa in villam discurrant, nec assidue invicem confabulationem exerceant.

a Eccli. xx. 1.

1. *Potest*] Leg. *Est*. Sic lib. Cotton.

X. Si inceptum boni operis ostenderit in psallendo, & comam habeat, ab ecclesia excludendus, nisi statui priori se restituerit.

XI. Quicumque clericus ab aliquo excommunicatus fuerit & alius eum susceperit, ambo coæquali pœnitentia utantur.

XII. Quicumque Christianus excommunicatus fuerit, nec ejus eleemosyna recipiatur.

XIII. Eleemosynam a gentibus offerendam in ecclesiam recipi non licet.

XIV. Christianus qui occiderit, aut fornicationem fecerit, aut more gentilium ad [1] aruspicem meaverit; per singula crimina annum pœnitentiæ agat: impleto, cum testibus veniat anno pœnitentiæ, & postea resolvetur a sacerdote.

XV. Et qui furtum fecerit, dimidium pœniteat, viginti diebus cum pane; & si fieri potest, rapta repræsentet: sic in ecclesiam renuetur.

XVI. Christianus qui crediderit esse [2] *Lamiam* in speculo, quæ interpretatur *Striga*, anathematizandus, quicumque super animam, famam istam imposuerit: nec ante in ecclesiam recipiendus, quam ut idem criminis quod fecit, sua iterum voce revocet: & sic pœnitentiam cum omni diligentia agat.

XVII. Virgo quæ voverit Deo permanet casta, & postea nupserit carnalem sponsum, excommunionis sit donec convertatur. Si conversa fuerit, & dimiserit adulterium, pœnitentiam agat, & postea non in una domo nec in una villa habitent.

XVIII. Si quis excommunionis fuerit, nec nocte pascharum in ecclesiam (non) introeat, donec pœnitentiam recipiat.

XIX. Mulier Christiana quæ acceperit virum honestis nuptiis, & postmodum discesserit a primo, & junxerit se adulterio; quæ hæc fecit, excommunionis sit.

XX. Christianus qui fraudat debitum cujuslibet ritu gentilium, excommunionis sit donec solvat debitum.

XXI. Christianus cui dereliquerit aliquis, & provocat eum in [3] ductum & non in ecclesiam, ut ibi examinetur caussa; qui sic fecerit, alienus sit.

XXII. Si quis tradiderit filiam suam viro honestis nuptiis, & amaverit alium & consentit filiæ suæ, & acceperit dotem; ambo ab ecclesia excludantur.

XXIII. Si quis presbyterorum ecclesiam ædificaverit, non offerat ante quam adducat suum pontificem, ut eam consecret, quia sic decet.

XXIV. Si quis advena ingressus fuerit plebem, non ante baptizet neque offerat, nec consecret, nec ecclesiam ædificet, [4] nec permissionem accipiat ab episcopo: nam qui a gentibus sperat permissionem, alienus sit.

XXV. Si quæ a religiosis hominibus donata fuerint, diebus illis quibus pontifex in singulis habitaverit ecclesiis, pontificialia dona, sicut mos antiquus, ordinare, ad episcopum pertinebunt, sive ad usum necessarium, sive egentibus distribuendum, prout ipse episcopus moderabit.

XXVI. Si quis vero clericus contravenerit, & dona invadere fuerit deprehensus, ut turpis lucri cupidus ab ecclesia sequestretur.

XXVII. Clericus episcopi in plebe quislibet novus ingressor, baptizare & offerre illum non licet, nec aliquid agere: qui si sic non faciat, excommunionis sit.

XXVIII. Si quis clericorum excommunionis fuerit solus, non in eadem domo cum aliis orationem faciat: nec offerre nec [5] conservare licet, donec se faciat emendatum; qui si sic non fecerit, dupliciter vindicetur.

XXIX. Si quis fratrum accipere gratiam Dei voluerit, non ante baptizetur, quam quadragesimum agat.

XXX. Episcopus quislibet qui de sua in alteram progreditur parochiam, nec ordinare præsumat, nisi permissionem acceperit ab eo qui in suo principatu est: die dominica offerat tantum susceptione, & obsequi heic contentus sit.

XXXI. Si quis conduxerit e duobus clericis quos discordare convenit per discordiam aliquam, prolatum uni e duobus hostem ad interficiendum homicidam congruum est nominari; qui clericus ab omnibus rectis habetur alienus.

XXXII. Si quis clericorum voluerit juvare captivo, cum suo pretio illi subveniat: nam si per furtum illum inviolaverit, blasphemantur multi clerici per unum latronem: qui sic fecerit, excommunionis sit.

XXXIII. Clericus qui de Britannis ad nos venit sine epistola, etsi habitet in plebe, non licitum ministrare.

XXXIV. Diaconus nobiscum similiter, qui inconsulto suo abbate, sine litteris in aliam parochiam [6] adsentiat, nec cibum ministare decet: & a suo presbytero quem contemsit, per pœnitentiam vindicetur: & monachus inconsulto abbate vagulus debet vindicari.

Finiunt synodi instituta.

1. Qui harugagarum, id est, hostiarum exta inspectat, ad futurorum eventum inde cognoscendum. Vid. *Had. Jun. Nomenclator*. WAR.

2. Festo accipitur pro malefica muliere, quæ & *Volatica* & *strix* antiquitus dicebatur. ID.

3. *Ductum*] Forte *judicium*. ID.

4. *Nec*] Leg. *donec*. ID.

5. *Conservare*] An *conversare*, seu potius *conversari*?

6. *Adsentiat*] Leg. *absentat*. WAR.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 448.



CANONES ALII S. PATRICIO

Attributi, e codice ms. collegii Benedictini Cantabrigiæ descripti.

I.

De unitate subditorum.

Quis ergo audet scindere unitatem, quam nemo hominum solvere vel reprehendere potest? [a] *Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una, & nulla erat separatio in eis, nec quisquam ex bonis suis dicebat esse aliquid: sed erant illis omnia communia. Gratia quoque erat magna super illos omnes, nec in eis aliquis indigens. Nam quicumque possessores agrorum aut domorum erant, vendentes adferebant pretia illorum & ponebant ante* [pedes] *Apostolorum; & dividebatur unicuique ut opus erat.* Deinde: [b] *Quidam autem vir nomine Ananias*, &c. usque ad illa verba: *Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit & exspiravit.*

II.

De furto in ecclesia peracto.

Qui furatus fuerit pecuniam ab ecclesia sancta ubi martyres & corpora sanctorum dormiunt, illius A manus vel pes circumcidatur, aut in carcerem mittatur, aut in peregrinationem ejiciatur, & restituat duplum: & jurabit quod non revertetur, donec impleverit pœnitentiam.

III.

De veris viduis.

De veris viduis Paullus: [c] *Vidua eligatur non minus annorum LX, unius viri uxor.* Nota: Si plures viros habuerit, vidua non sit.

*Adjiciuntur deinde mox sequentes duo Canones: sed an S. Patricii, vel cujus sint, e ms. Benedicti*B*no non liquet. Eorum vero posterior in codice Cottoniano Canonum tit. 66. diserte synodo Hiberniensi adscribitur.*

I. De eo quod non repudianda sit, si sterilis, si deformis est, si ætate vetula, si fœtida, si temulenta, si iracunda, si jurgatrix, tenenda sit velis nolis. Qualiscumque accepta sit, tenenda est.

II. Omnis adulter sive a concelebratione, sive a communicatione mensæ, sive a conloquio, sive a comitatu, usque dum pœniteat, excludendus est.

a Act. IV. 32-35. *b* Act. V. 1-5. *c* I. Tim. V. 9.



PROVERBIA ALIQUA S. PATRICII.

Patricius dicit: Satius est nobis negligentes præmonere, ne delicta abundent, quam culpare quæ sunt facta. Salomon: [a] *Melius est arguere, quam irasci.*

Patricius ait: Non oportet judices ecclesiæ habere timorem hominum, sed timorem Dei; quia [b] *timor Dei principium sapientiæ est.*

Non oportet judices ecclesiæ Dei habere sapientiam hujus mundi; quia [c] *sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum*: sed sapientiam Dei habere.

Non oportet judices ecclesiæ munera suscipere: [d] *quia munera excæcant oculos sapientium, & mutant verba justorum.*

Non oportet judices ecclesiæ habere personam in judicio: quia [e] *non est acceptio personarum apud Deum.*

C Non oportet judices ecclesiæ cautelam sæcularem habere, sed exempla divina: quia non oportet servum Dei cautum esse vel astutum.

Non oportet judices ecclesiæ tam veloces esse in judicio, donec sciant quam verum fiat quod scriptum est: [f] *Noli judex esse cito.*

Non oportet judices ecclesiæ volubiles esse.

Non oportet judices ecclesiæ mendacium dicere: quia magnum crimen est mendacium. Sed oportet judices ecclesiæ rectum judicium judicare: quia in quocumque judicio judicaverint, judicabitur de eis.

Patricius [*ait*:] Exempla majorum perquire, ubi nihil fallaciæ invenies.

Patricius ait: judices qui non recte judicant judicia ecclesiæ, non judices, sed falsatores sunt.

a Eccli. XX. 1. *b* Psalm. CX. 10. *c* I. Cor. III. 19. *d* Deut. XVI. 19. *e* Rom. II. 11. *f* Prov. XXV. 8.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
448.

CHARTA
S. PATRICII.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Ego Patricius humilis ſervunculus Dei, anno incarnationis ejuſdem [1] quadringenteſimo vigeſimo quinto, in Hiberniam a ſanctiſſimo papa Celeſtino legatus, Dei gratia Hibernicos ad viam veritatis converti. Et cum eos in fide catholica ſolidaſſem; tandem in Britanniam ſum reverſus, ac, ut credo, duce Deo, [a] *qui vita eſt & via*, incidi in Inſulam *Ynſwytryn*, in qua inveni locum ſanctum ac vetuſtum, a Deo electum & ſanctificatum, in honore intemeratæ virginis Dei genitricis Mariæ. Ibique reperi quoſdam fratres rudimentis catholicæ fidei imbutos, & piæ converſationis, qui ſucceſſerunt diſcipulis ſanctorum Phagani & [2] Diruviani, [b] quorum nomina, pro vitæ meritis, veraciter credo ſcripta in cælis. Et quia [c] in memoria æterna erunt juſti, cum eoſdem fratres tenere dilexiſſem, eorum nomina ſcripto meo redigere [3] volui, quæ ſunt: Brumban, Hyregaan, Bremwal, Wencreth, Bantommeweng, Adelwolred, Loyor, Wellias, Breden, Swelwes, Hinloernus, & alius Hyn. Hi cum eſſent nobilibus orti natalibus, nobilitatem ſuam fidei operibus ornare cupientes, eremiticam vitam ducere elegerunt. Et quoniam inveni eos humiles ac quietos; [d] elegi potius cum illis abjectus eſſe, magis quam in regalibus curiis habitare. Sed quia omnium noſtrum [e] *erat cor unum & anima una*, elegimus omnes ſimul habitare, comedere & bibere pariter, & in eadem domo dormire. Sicque me licet invitum ſibi prætulerunt. [f] *Non enim dignus eram ſolvere corrigiam calceamentorum* eorum.

Et cum vitam monaſticam ita duceremus juxta normam probabilium patrum, oſtenderunt mihi præfati fratres ſcripta ſanctorum Phagani & Diruviani, in quibus continebatur, quod duodecim diſcipuli ſanctorum Philippi & Jacobi, ipſam vetuſtam eccleſiam conſtruxerunt in honore prælibatæ advocatricis noſtræ, per doctrinamentum beati archangeli Gabrielis. Inſuper & quod Dominus eamdem eccleſiam cælitus in honore ſuæ matris dedicaverat, & quod tres reges pagani, ipſis duodecim ad eorum ſuſtenementum duodecim portiones terræ dederunt; nec non & in ſcriptis recentioribus inveni, quod ſancti Phaganus & Diruvianus perquiſierant ab Eleutherio papa qui eos miſerat, [4] triginta annos indulgentiæ. Et ego frater Patricius a piæ memoriæ Celeſtino papa duodecim annos tempore meo adquiſivi.

Poſt multum vero temporis, aſſumto mecum Wellia confratre meo, per condenſitatem ſilvæ cum magna difficultate conſcendimus cacumen montis qui
A eminet in eadem inſula. Quo cum perveniſſemus, apparuit oratorium unum vetuſtum & fere dirutum, habile tamen devotioni Chriſtianæ, & (prout mihi videbatur) a Deo electum. Quod cum ingreſſi eſſemus, tanta odoris ſuavitate replebamur, ut in paradiſi amœnitate poſitos nos crederemus. Egredientes igitur & reingredientes, locumque diligentius perſcrutantes, invenimus volumen unum in quo ſcripti erant Actus Apoſtolorum, pariter cum actis & geſtis ſanctorum Phagani & Diruviani, ex magna parte conſumtum; in cujus tamen fine voluminis invenimus ſcripturam quæ dicebat, quod prædicti Phaganus & Diruvianus, per revelationem Domini noſtri Jeſu Chriſti idem oratorium [5]
B ædificaverunt in honore ſancti Michaelis archangeli, quatenus ibi ab hominibus haberet honorem, qui homines in perpetuos honores, jubente Deo, eſt introducturus. At cum delectaret nos illa ſcriptura, nitebamur eam ad finem legere. Dicebat enim eadem ſcriptura, quod venerandi Phaganus & Diruvianus moram ibi fecerunt per novem annos, & quod ipſi etiam perquiſierant triginta annorum indulgentiam omnibus Chriſticolis locum ipſum ad honorem beati Michaelis pia voluntate viſitantibus. Invento [6] ergo tanto divinæ bonitatis theſauro, ego & frater Wellias tribus menſibus jejunavimus, orationibus vacantes & vigiliis, dæmonibuſque & belluis multiformiter apparentibus im-
C perantes. Quadam autem nocte cum me ſopori dediſſem, apparuit mihi Dominus Jeſus in viſu dicens: Patrici ſerve meus, ſcias me elegiſſe locum iſtum ad honorem nominis mei, & ut heic honoranter invocent adjutorium archangeli mei Michaelis. Et hoc tibi ſignum & fratribus tuis, quatenus & ipſi credant; brachium tuum ſiniſtrum areſcet, donec quæ vidiſti annuntiaveris fratribus qui in cella ſunt inferiori, & denuo heic redieris. Et factum eſt ita.

Ab illo die ſtatuimus duos fratres in perpetuum ibi, niſi paſtores futuri ob juſtam cauſſam aliter decreverint. Arnulpho autem & Ogmar Hibernicis fratribus qui mecum venerant de Hibernia, pro eo
D quod ad exhortationem meam apud dictum humiliter oratorium manere cœperunt, præſentem paginam commiſi, aliam ſimilem in arca ſanctæ Mariæ retinens, in monumentum poſteris. Et ego [7] frater Patricius per conſilium fratrum meorum, omnibus qui ſilvam ex omni parte præfati montis [8] in ſecuri & aſcia, pia intentione dejecerint, ut facilior paretur aditus Chriſtianis, eccleſiam beatæ perpetuæque virginis pie [8] viſitantibus, centum dies veniæ concedo.

a Joan. xiv. 6. *b* Philipp. iv. 3. *c* Pſalm. cxi. 7. *d* Pſalm. lxxxiii. 11. *e* Act. iv. 32.
f Marc. I. 7. *g* Pſalm. lxxiii, 6.

1. Ita etiam habetur in magna Tabula Glaſtonienſis eccleſiæ. Sed in Joan. Tinmuthenſi & Joan. Capgravio, legitur 430. Atque ita alia manu correctum eſt in codice ms. Guil. Malmesbur, collegii S. Trinitatis *Cantabrigiæ*. WAR.

2. Uſſerius Britann. eccleſ. Antiqq. pag. 456. edit. 2. legit *Derwiani*.

3. Tab. Glaſton. *decrevi*. WAR.

4. Tab. Glaſton. & ms. cod. coll. S. Trin. Cantab. *decem*. ID.

5. Tab. Glaſt. *ædificaverant*. ID.

6. Tab. Glaſt. *igitur*. ID.

7 Deeſt hæc vox in Tabula Glaſton. & ms. S. Trin. *Cantab*. ID.

8. Tab. Glaſt. & ms. Trin. *viſitaturis, & oratorium prædictum*. ID.

Sæcul. V.
circa
Ann. Chr.
448.

S. PATRICII

EPISCOPI

De tribus Habitaculis,

LIBER.*

CAPUT I.

De tribus habitaculis, regno Dei, mundo, inferno. Regni Dei bona, & inferni mala.

TRia sunt sub omnipotentis Dei manu habitacula, primum, imum, medium: quorum summum, regnum Dei vel regnum cælorum dicitur; imum, vocatur infernus; medium, mundus præsens vel orbis terrarum appellatur. Quorum extrema omnino sibi invicem sunt contraria, & nulla sibi societate conjuncta. [a] Quæ enim societas potest esse lucis ad tenebras, & Christi ad Belial? Medium autem nonnullam habet similitudinem ad extrema. Unde lucem & tenebras habet, frigus & calorem, dolorem & sanitatem, lætitiam & mærorem, odium & amorem, bonos & malos, justos & injustos, dominos & servos, regnum & subjectionem, famem & satietatem, mortem & vitam, & innumera hujusmodi. Quorum omnium pars una imaginem habet regni Dei, pars altera inferni. Commixtio namque malorum simul & bonorum in hoc mundo est: in regno autem Dei nulli mali sunt, sed omnes boni; at in inferno nulli boni, sed omnes mali: & uterque locus ex medio suppletur. Hominum enim hujus mundi, alii elevantur ad cælum, alii trahuntur ad infernum. Similes quippe similibus junguntur, id est, boni bonis, & mali malis; justi homines justis Angelis, & transgressores homines transgressoribus angelis; servi Dei Deo, servi diaboli diabolo: [b] benedicti vocantur ad regnum sibi paratum ab origine mundi, maledicti expelluntur in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.

[1] Bona autem regni cælestis dicere, vel cogitare, vel intelligere ut sunt, nullus potest carne vestitus: multo enim majora & meliora sunt, quam cogitantur & intelliguntur; unde scriptum est: [c] *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, quæ præparavit Deus diligentibus se*. Regnum namque Dei omni fama majus, omni laude melius, omni scientia innumerabilius, omni gloria quæ putatur, excellentius. Mala etiam inferni dicere vel cogitare, ut sunt, nemo potest: pejora quippe sunt valde quam cogitantur. Regnum itaque Dei plenum est lucis, & pacis, & caritatis, & sapientiæ, & gloriæ, & honestatis, & dulcedinis, & dilectionis, & melodiæ, & lætitiæ, & beatitudinis perennis, & omnis boni ineffabilis, quod nec dici nec cogitari potest. At locus inferni plenus est tenebrarum, discordiæ, odii, stultitiæ, miseriæ, turpitudinis, amaritudinis, offensionis, doloris, [2] adustionis, sitis, famis, ignis inexstinguibilis, tristitiæ, vindictæ perennis, & omnis ineffabilis mali, quod nec dici nec cogitari potest.

A Cives cæli sunt justi homines & Angeli, quorum rex est Deus omnipotens: at contra cives inferni sunt impii homines & dæmones, quorum princeps est diabolus. Satiat justos visio sanctorum hominum & Angelorum, & super omnia ipsius Dei. Cruciat impios & peccatores visio hominum damnatorum & dæmonum, & super omnia ipsius diaboli. Nihil in regno Dei desideratur quod non inveniatur: at in inferno nihil invenitur quod desideratur. In regno Dei nihil invenitur, nisi quod placet, & delectat, & satiat: at contra in lacu miseriæ perennis nihil videtur, nihilque sentitur, nisi quod displicet, nisi quod offendit, nisi quod cruciat. ([3] In regno æterno erit vita sine morte, veritas B sine errore, felicitas sine perturbatione.) Omne bonum in regno Dei abundat, & nullum malum: omne malum in carcere diaboli abundat, & nullum bonum. Nullus indignus in regno Dei suscipitur: nullus vero dignus, nullus justus ad infernum trahitur.

CAPUT II.

De pœnis infernalibus.

PRincipalia autem sunt duo tormenta in inferno: frigus intolerabile, & calor ignis inexstinguibilis. Unde in evangelio legitur: [d] *Illic erit fletus & stri-* C *dor dentium*. Fletus namque & liquefactio oculorum ex calore nascitur: stridor vero dentium ex frigore nascitur. Hinc etiam beatus Job: [e] *De aquis*, inquit, *nivium transibunt ad calorem nimium*. De quibus duobus innumera pendent pœnarum genera; videlicet, sitis intolerabilis, pœna famis, pœna fœtoris, pœna horroris, pœna timoris, pœna angustiæ, pœna tenebrarum, severitas tortorum, præsentia dæmonum, ferocitas bestiarum, crudelitas ministrantium, dilaceratio immortalium vermium, vermis conscientiæ, ignitæ lacrymæ, suspiria, miseriæ, dolor sine remedio, vincula sine solutione, mors æterna, pœna sine fine, absentia Christi [4] post visionem ejus, quæ sola omnia supra dicta su- D perat, & omnibus pœnis intolerabilior.

CAPUT III.

De his quos pœnæ æternitas a mundi voluptate non deterret. Inferni duplex pœna. Anni 100. nulla æternitatis portio.

VÆ igitur illis perenne, qui subire hæc omnia mala etiam sine fine merentur, pro delectabili unius horæ somnio: tanta etenim & talis est omnis hujus mundi gloria, ad æternam comparata gloriam. Melius erat eis, quod dictum est de infelice Juda [f],

a II. Cor. vi. 14. 15. *b* Matth. xxv. 34. 41. *c* I. Cor. II. 9. *d* Matth. xiii. 51. xxii. 13. & xxv. 30. *e* Job xxiv. 19. *f* Matth. xxvi. 24.

* Ex Appendice ad tom. vi. opp. S. Augustini pag. 159. edit. BB.

1. Eadem habentur lib. de diligendo Deo cap. xviii. hinc desumta.

2. Ms. Vict. *fœtoris*, *sitis*.

3. Hæc desiderantur in mss. Sunt August. Enchirid. cap. xxiii.

4. Sic mss. At edit. *quoad visionem*.

non naſci, quam malis ſuis meritis plagas inferni A ſuſtinere. Quid ſtultius, quid inſanius eſt, quam umbra & imagine & ſimilitudine veræ gloriæ & veræ delectationis, veræ pulcritudinis, veri decoris, veri honoris, more infantium, decipi & ſuperari; & ipſam veram gloriam non quærere, non deſiderare? Quis imaginem auri in aqua, ipſo auro neglecto, eligeret; & non ſtatim a cunctis fatuus & inſanus crederetur? Quis orbem ſolis in ſpeculo redditum, vel in qualibet materia formatum plus diligeret, quam ipſum ſolem; & non ab omnibus derideretur? Sic irridendus, immo dolendus eſt, quiſquis mundi hujus caducam fragilitatem & inutilem carnis voluptatem diligit, quærit, contendit, æterna gloria contemta, & neglectis regni cæleſtis B ineffabilibus gaudiis. Hoc commercium inſipientium valde eſt, & miſerorum, & cor ſanum non habentium, etiam ſi plagæ inferni non ſequerentur, quæ nec dici nec cogitari poſſunt. Duplex vero plaga eſt, abeſſe a regno Dei, & eſſe ſemper in inferno, id eſt, cum diabolo damnari; præſentiam amittere Angelorum, & terribilem dæmonum ſemper pati præſentiam. Quantum caveri, vitari, metui debet, nullo modo dici poteſt. Quis cum ſano ſenſu pro unius diei deliciis, centum annorum pœnam eligeret? Et miſeri tamen & ſine ulla ſapientia, [1] voluptatem carnis ſequentes, non vitant, non effugiunt intolerabiles pœnas, non centum annorum, non millies mille, ſed omnium ſine fine C ſæculorum pro quadraginta vel ſexaginta annorum deliciis, vel qualibet corruptibili delectatione. Quantum autem intereſt inter unum diem, & centum annos; non tantum utique, ſed plures intereſt inter quadraginta vel ſexaginta vel centum annos, & æternitatem, ſive in bono, ſive in malo futuram. Unus enim dies aliqua portio eſt in centum annorum ſpatio, quamvis valde modica: at vero centum annorum ſpatium nulla portio eſt in illa æternitate. Si enim, verbi gratia, centeſima vel milleſima pars eſſet æternitatis, prædictum ejus ſpatium poſt centuplum ejus ſpatium vel milluplum æternitas eſſe deſineret: quod ratio non ſinit æternitatis, quæ ſi ullo modo, ullo tempore finiretur, D æternitas omnino non eſſet.

CAPUT IV.

A via lata ad artam migrare. Beatorum felicitas, ſcientia, ſortis ſuæ amor. De ineffabili viſionis Dei ſuavitate.

Fortiter ergo carnali reſiſtendum eſt voluptati, fortiter contra fallaces hujus mundi blanditias pugnandum eſt, contraque multimodas ſatanæ ſuggeſtiones vigilandum. Omni ſtudio [a] lata ſæculi via vitanda eſt, quæ ducit ad mortem: at vero omni cordis deſiderio via anguſta quæ ducit ad vitam, adeunda eſt & appetenda. Via hæc anguſta eſt via abſtinentiæ, & caſtitatis, & humilitatis, & omnis religionis: quam viam ante nos Chriſtus adtrivit, qua via ad ſuum regnum migravit. Cujus veſtigia & nos ſequamur, donec poſt eum ad urbem regiam perveniamus in qua ipſe regnat. De qua urbe quidquid homo dixerit, quaſi ſtilla de mari eſt, vel quaſi ſcintilla de foco. In qua videlicet urbe [b] fulgebunt juſti ſicut ſol, ut Dominus ait. Ubi ſumma pax erit, ſumma quies, nullus labor, nullus dolor, nulla paupertas, nec ſenectus, nulla mors, nec ulla nox, nullum cibi deſiderium, nullum ſitis incendium: ſed cibus & potus omnium erit viſio Chriſti & ſanctæ Trinitatis, & contemplatio puro cordis oculo ipſius divinitatis, & aſſidua lectio, ut ita dicam, libri vitæ, id eſt, æternæ veritatis & ſummæ ſapientiæ, & Verbi Dei, quæ eſt Jeſu Chriſti viſio: ubi quidquid nunc nos latet, manifeſtius erit. Ubi ratio manifeſta erit, cur hic electus eſt, & ille reprobatus: cur hic in regnum aſſumtus, & ille in ſervitutem redactus: cur alius in utero moritur, alius in infantia, alius in juventute, alius in ſenectute: cur alius pauper eſt, alius dives: cur filius adulteræ baptizatur, & aliquando filius legitimæ conjugis ante baptiſmum moritur: cur qui bene incipit vivere, aliquando male finit; & qui male incipit, ſæpe bene finit. Hæc omnia & hujuſmodi multa in libro vitæ plana & aperta erunt. In eadem urbe præmium ſingulorum, omnium; & omnium, per caritatem ſingulorum erit. Ibi [2] omnium bonum omnibus patebit. Ibi omnes invicem ſuas cogitationes cognoſcent. Ibi nullus ſuperior ſuperbus erit, nullus inferior invidus. Quomodo enim qui omnes ſicut ſe ipſum diliget, alicui invidere poterit; cum nemo ſibi ipſi invideat? Ibi nullus melius eſſe vel ſuperius concupiſcet, quam erit; quia aliter eſſe quam quod meruit, nec eſſet decorum: nec aliter eſſe deſiderabit quam quod erit; quia ita eſſe ut erit, pulcrum erit, non ſolum ſibi ipſi, ſed etiam univerſo corpori eccleſiæ cæleſtis. Quomodo enim quodlibet membrum in corpore, ſi ſuperius vel inferius ponatur quam natura conſtituit, monſtruoſum efficit corpus & turpe; ſic nimirum ſi aliquis in regno Dei ſuperius ordinetur, quam poſtulat ars & voluntas omnipotentis artificis, turpitudinem efficiet, non ſolum ſibimet, ſed omni congregationi; in qua qui erit minimus, majorem ſine dubio habebit gloriam, quam totum habens mundi regnum, etiam ſi æternum eſſet. Vile enim valde eſt elementis frui, in comparatione fruendi & gaudendi ipſo Deo, & viſibilibus delectari & corporalibus. ([3] Tanta eſt enim pulcritudo juſtitiæ, tanta jucunditas lucis æternæ, hoc eſt, incommutabilis veritatis & ſapientiæ: ut etiam ſi non liceret amplius manere in ea quam unius diei mora, propter hoc ſolum innumerabiles anni hujus vitæ pleni deliciis in circumfluentia corporalium bonorum recte meritoque contemnerentur. Non enim falſo aut parvo affectu dictum eſt: [c] *Quoniam melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia.*)

Nihil eſt comparandum delectationi & gaudio, quod naſcitur ex inviſibilibus & incorporeis, & ex ſocietate Angelorum & juſtorum omnium, & ex certa ſcientia & cognitione ipſius divinæ naturæ, & ex Dei ipſius facie ad faciem viſione. Cujus E pulcritudinem mirantur Angeli, cujus imperio ſuſcitantur mortui, [d] cujus ſapientiæ non eſt numerus, cujus regnum finem neſcit, cujus gloria nequit narrari: cujus lux tam ſolem obſcurat, ut ejus comparatione nullam habeat ſol lucem: cujus dulcedo tam mel ſuperat, ut ei comparatum velut abſynthium ſit amariſſimum: cujus faciem ſi omnes carcere inferni incluſi viderent, nullam pœnam, nullum dolorem, nullamque triſtitiam ſentirent: cujus præſentia ſi in inferno cum [4] ſanctis habitatoribus

a Matth. VII. 13. b Matth. XIII. 43. c Pſalm. LXXXIII. 11. d Pſalm. CXLVI. 5.

1. Mſs. duo, *voluntatem*.
2. In uno mſ. *omnium bonorum copia*. In edit. *omne bonum*.
3. Verba Aug. lib. III. de lib. arbitr. num. 77. Non habent mſs.
4. Unus mſ. *ſuis*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 448.

appareret, continuo infernus in amœnum converteretur paradisum: cujus sine nutu nec folium de arbore cadit: cujus oculi flammivomi profundum penetrant inferni: cujus auris tacitam cordis vocem audit, id est, cogitationem: cujus oculus non minus audit, quam videt: cujus auris non minus videt, quam audit; quia non corpus sunt, sed summa sapientia & certa cognitio. Cujus deliciæ sine fastidio satiant: quæ cum a beatis inveniuntur, semper tamen desiderantur, & esuriem & sitim sine pœna efficiunt, & ardenti semper desiderio delectant. Cujus secreta mirabilia, videntibus ea semper nova sunt & mira: & non plus cum incipiunt videri, pariunt stuporem cernentibus, quam post mille annos & millies mille. [Et cum Angeli ab initio mundi ea soliti sint videre, tamen non minus hodie admirantur ea, quam in primo die: alioquin dudum coram Angelis assiduo videndi usu vilescerent. Cujus cognitionis præterita & futura, [1] non præterita & futura, sed præsentia sunt.

CAPUT V.

Deo omnia præsentia sunt, sine libertatis humanæ præjudicio. Dei locutio & laus. Exsistentia ante tempus. Malum verum pejus falso. Dei visio quid beatis conferat. Dei æternitas. Dei scientia.

UNde non diem judicii videbit, & primum diem sæculi non vidit: sed utrumque videt. Cujus præscientia neminem cogit ad peccandum, ut multi errantes dicunt. Si enim, inquiunt, præscivit Deus Adam peccaturum esse, non peccare non potuit. Ex quo errore nascitur, Deum caussam esse peccati; quod nefas est dicere. Et illi tamen etiam suis verbis alligantur. Si enim quod præscientia Dei habet, necesse est fieri; ideo voluntate propria homo peccavit, & non aliqua necessitate, quia in præscientia Dei fuit, ut voluntate & libero arbitrio, & non necessitate cogente peccaret. Si ergo præscientia Dei non potest vitari, non potuit homo aliter peccare nisi voluntate, nulla alia vi cogente: quia ita Deus præscivit illum peccaturum. Si ergo voluntarie, non coactus est. Si enim non coactus est ad peccandum, potuit sine dubio non peccare si vellet: ideoque pœnam meruit, quia non invitus peccavit; alioquin a Deo pœnam mortis non susciperet. Cujus locutio est occulta inspiratio, qua mentibus suam voluntatem & suam caritatem invisibiliter ostendit: quam videndo Angeli per omnia Deo obediunt. Cujus laus est qua electos laudabit, manifestatio qua suorum electorum bona omnibus monstrabit: assidua autem laus qua electi eum laudabunt, est admiratio ejus perennis. Qui miro modo non tempore præcessit mundum & tempus; (nullius enim horæ spatio fuit ante mundum:) & tamen semper erat sine initio. Non enim erat tempus ante tempus: tempus autem cum mundo concreatum est. Si igitur tempus ab initio mundi cœpit currere, ante mundum factum non erat. Ideoque nullo tempore, ut prædiximus, præcessit Deus tempora & mundum eis coævum, immo paullo eis priorem; ejus enim motu cœperunt currere. Quidquid movetur, suum motum præcedit. Ineffabili enim æternitate præcessit Deus mundum, non tempore. Cujus tempus ante mundum non erat. Cujus lux tenebras depellit ignorantiæ; cujus aliqua particula hæc omnia quæ diximus, vera & certa esse cognoscimus. Eadem luce melius esse verum, quam falsum, videmus; & tamen pejus esse verum malum vel verum peccatum, quam falsum malum vel falsum peccatum: non quia verum est, sed quia malum vel peccatum est; [[2] sed ideo malum vel peccatum est, quia verum malum vel peccatum est.] Aliter enim non posset esse malum vel peccatum, nisi verum esset malum vel peccatum; falsum enim malum non est malum, ut falsum argentum non argentum est. Potest aliquis a veritate dicere malum vel peccatum exortum esse vel factum, & quodam modo opus esse veritatis malum: quod omnino falsum est. Omne enim verum a veritate est, & omne verum in quantum verum, bonum est: a veritate igitur est verum esse, ut sit malum vel peccatum, non ipsum malum vel peccatum: aliud namque est ipsum malum, aliud verum esse illud. Quamvis igitur ipsum malum bonum non est, bonum est tamen verum esse ut sit illud. Nisi enim bonum esset esse malum, nullo modo sineret Deus illud fieri. Multa quippe bona de malis Omnipotens facit, ut de adulterio hominum bonos format & facit homines. Si autem & quadam illius lucis particula quasi per angustas rimas infusa, hæc & alia omnia quæ novimus, vera esse cognovimus: quali & quanta luce scientiæ & sapientiæ illic illustrabimur, ubi ipsum solem veritatis facie ad faciem videbimus: id est, certa & vera sapientia cognoscemus? cujus præsentia similes ei facit præsentes. Qui enim veræ sapientiæ, veræ pulcritudini, veræ æternitati adhærebit, sapiens utique & pulcher & æternus erit. Sic enim absentia ejus dissimiles ei omni modo facit. Cujus æternitas sine initio & sine fine est: (si enim esset tempus quando non esset, quis eum faceret?) quia ipse est solus Deus, & ante ipsum Deus alius non erat, nec est, nec erit. Non forte se ipsum creavit, cum nihil se ipsum creat: qua enim potentia qui omnino non esset, se ipsum faceret? Restat igitur quod omnino factus non est Deus. Cum ergo nullo modo Deus factus est, sine initio ante omnia erat. Quidquid enim factum est, initium habet: & quidquid initium habet, sine dubio factum est, non ab alio nisi a Deo non facto, sed omnia faciente. Cujus scientia sine ulla varietate [3] cognitionis, & sine ullo [4] cursu huc & illuc innumerabilem veritatem omnium creaturarum, angelorum, hominum, stellarum, arenarum, capillorum, verborum, cogitationum, momentorum omnium, simul & semel comprehendit & intelligit. Fons igitur & origo omnis scientiæ Deus est: quem quanto plus quis bibet, tanto plus sitiet.

CAPUT VI.

Beatorum scientia. De trina visione, corporali, spiritali, intellectuali.

INcomparabiliter ergo totius mundi regnum, ut supra diximus, & si æternum esset, præcellit, societati Angelorum & sanctorum, & præsenti ipsius Dei adesse visioni. In cujus visione trina scientia nascitur: id est, homo qui cernit, & Deus qui cernitur, & ceteri omnes omnia videbunt & intelligent. Sicut enim per speculum vitreum trina nobis visio administratur, quia nos ipsos, & ipsum speculum, & quidquid præsens adest videmus: sic per speculum divinæ claritatis, & ipsum Deum, ut est, videbimus, quantum possibile erit creaturæ, & nos ipsos, & ceteros vera & certa

1. Mss. omittunt. *Non præterita & futura sed.*
2. Hæc non habent mss.
3. Abest vox *cognitionis* a ms. Vict.
4. Sic ms. Vict. At Cult. *usu*. Edit. *visu*. Forte pro *nisu*.

ſcientia cognoſcemus. Tunc abdita creaturarum, & ipſius inferni, videndo Deum videbimus. Tunc juſtis manifeſtum erit, quomodo Deus eſt inviſibilis, incomparabilis, ſine initio & ſine fine, ante omnia & poſt omnia: quidquid intereſt inter naſci, quod ad Filium pertinet; & procedere, quod ad Spiritum ſanctum, excepto quod unus ex uno natus ſit, alter ex duobus proceſſit: & quomodo Pater non præceſſit Filium tempore, ſed origine, nec Spiritum ſanctum: & quomodo omnia Dei unum ſunt in Deo, excepto quod ad relationem pertinet: nam ſapientia Dei & veritas & æternitas non diverſa ſunt inter ſe, ſed unum ſunt ſicut cetera omnia: ſapientia enim Dei non magis ſapientia quam veritas eſt, & non magis veritas eſt quam ſapientia, quam æternitas, quam cetera Dei omnia; unum enim ſunt in Deo, & non ſolum hæc inter ſe eadem ſunt in Deo, ſed non aliud ſunt quam ipſe Deus: & quomodo mundus erat in Deo, ante quam in ſe ipſo eſſet, non mundus, ſed Deus: & quomodo ubique totus ſine loco, magnus ſine quantitate, bonus ſine qualitate: & quomodo omnia penetrat munda & immunda ſine ſui pollutione. Si enim lux iſta viſibilis omnia loca illuſtrat, & ſterquilinia etiam penetrat ſine fœtore, & ſine ſui pollutione; quanto magis Deus qui eſt inviſibilis A & incommutabilis lux, omnia penetrat, regit, ſuſtinet, circumdat, illuſtrat, ſine ulla mutatione vel pollutione, non ſolum cæleſtia & terreſtria, ſed etiam infernalia?

Tunc erit electis Dei trina viſio, id eſt, corporalis, qua corpora cernentur; quorumdam ſplendentia ut ſol, quorumdam ut luna, aliorum ut ſtellæ. Et ſpiritalis, qua ſimilitudines corporum in ſpiritu & non fallaci phantaſia inſpicient: qua viſione etiam hodie fruuntur ſpiritus juſtorum poſt corporum clauſtra: & viſio intellectualis, qua puro mentis oculo in ſpiritu Deum videbunt, & ſuas animas, & virtutes intimas, & ſpiritus angelicos. Tunc duplices Deo acturi ſunt gratias, videlicet B pro ſua liberatione a perpetua damnatione, & pro bonorum ineffabili retributione. Tunc communis omnium reus & hoſtis diabolus in conſpectu electorum Dei damnabitur: cujus damnatio & intolerabilis pœna delectabile ſpectaculum præſtabit electis. Tunc ardentiſſimo amore liberatorem ſuum & omnium bonorum datorem amabunt, & ſine fine & ſine faſtidio clamore cordis laudabunt Deum omnipotentem, benignum & miſericordem: cui honor & gloria & nunc & per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

S. PATRICII

De duodecim Abuſionibus ſæculi.

LIBER.*

I. PRimus abuſionis gradus eſt, ſi ſine bonis operibus ſapiens & prædicator fuerit, qui quod ſermone docet, actibus explere negligit. Auditores enim doctrinæ, dicta facere contemnunt, cum prædicatoris opera a prædicationis verbis diſcrepare conſpiciunt. Numquam enim fit efficax [1] conſtituentis auctoritas, niſi eam effectu operis cordi affixerit audientis; præſertim cum & ipſe doctor, ſi in vitiorum amorem delapſus fuerit, alterius doctoris medicamentum ſuis vulneribus adhibere parvipendit. Unde & ipſe Dominus in Evangelio de doctrina pariter & bono opere inſtruere volens diſcipulos, qualem in his cautelam haberent admonebat, dicens: [a] *Quod ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur?* Hoc eſt, ſi doctor erraverit, a quo iterum doctore emendabitur? [b] *Et ſi lumen, quod in te eſt, tenebræ ſunt; ipſæ tenebræ quantæ erunt?* Si namque oculus a videndi officio defierit; quis a manu, vel a pede, vel a reliquo corpore illud miniſterium exiget? Quapropter doctores cogitent, ne ampliori vindictæ ſubjaceant, ſi plurimis perditionis occaſionem abundantius præſtent. Nam & ipſe Salomon dum multæ ſapientiæ tranſgreſſionem incurrit, totius Iſraeliticæ plebis regni diſperſionem ſolius ſui merito præſtitit. Quibus ergo com- C mittuntur multa, majora perdunt; ſi non recte diſpenſaverint [2] rectoris ſui munera quæ perceperunt. Cui enim plus committitur, ab eo plus exigitur. Et [c] *ſervus qui domini ſui voluntatem intelligens non facit, acrioribus* [3] *& gravioribus flagellis vindictæ vapulabit.*

II. Secundus abuſionis gradus eſt, ſi ſine religione ſenex eſſe inveniatur. Cui cum membra exterioris hominis veteraſcunt; vires animi, id eſt, interioris hominis membra, incrementa roboris non capiunt. Plus enim omnibus religioni operam dare ſenibus [4] competit, quos præſentis ſæculi florida ætas tranſacta [5] deſeruit. Sicut namque in lignis D ipſa reproba arbor comparet, quæ poſt flores fructus optimos cultori ſuo non exhibet: ſic & in hominibus ipſe reprobus eſt, quem flos juventutis deſeruit, & tamen in ſui corporis ſenectute, bonorum operum maturos fructus proferre parvipendit. Quid enim ſtolidius fieri poteſt; ſi mens ad perfectionem feſtinare non contendat, quando totius corporis habitus ſenectute confectus ad interitum properat? Dum oculi caligant, aures graviter audiunt, capilli fluunt, facies in pallorem mutatur, dentes lapſi numero minuuntur, cutis areſcit

a Matth. V. 13. *b* Matth. VI. 23. *c* Luc. XII. 47.

* Ex edit. operum S. Cypriani Pariſ. 1726. ſtudio BB.

1. *Conſtituentis*] *Prædicantis* apud Auguſtinum in Append. ad tom. VI. pag. 211. Paullo ante apud eumdem *complere*.

2. *Rectoris*] *Legiſlatoris* cod. Corbejenſis.

3. *Et gravioribus*] Sic duo mss. Reg. & Colb. Aliter in edit. *acrioribus flagellis gravioribuſque vindictis vapulabit*. Paullo ante apud Aug. *ſolo ſuo merito*.

4. *Competit*] *Convenit* apud Aug.

5. *Deſeruit*] *Deſerit* in duobus mss. & Morel. In ſequenti periodo ſimiliter legimus, ut apud Aug. *deſeruit*, quamvis legatur *deſerit* in codicibus mss. & editis operum Cypriani.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 448.



flatus non ſuaviter olet, pectus ſuffocatur, tuſſis A cachinnat, genua trepidant, talos & pedes tumor inflat; etiam homo interior qui non ſeneſcit, his omnibus aggravatur. Et hæc omnia ruituram jam jamque domum corporis cito prænuntiant. Quid ergo ſupereſt, niſi ut dum hujus vitæ defectus appropinquant, nihil aliud cogitare [1] quam quomodo futura habitatio proſpere comprehendatur, quiſque ſenex appetat? Juvenibus enim incertus hujus vitæ terminus inſtat, ſenibus vero cunctis maturior ex hac luce exitus breviter concordat. Cavendæ ſunt ergo homini duæ particulæ, quæ in illius carne non veteraſcunt, & totum hominem [2] ſecum ad peccatum pertrahunt; cor videlicet & lingua: quia cor novas ſemper cogitationes machinari non B deſinit; lingua impigre loquitur, quodcumque machinari cor ſenſerit. Caveat ergo ſenilis ætas, ne iſtæ juveneſcentes particulæ totam ſui harmoniam decipiant, & per res ineptas reliqui corporis gravitatem illudant. Unicuique enim conſiderandum eſt, quid ætate eminenti dignum ſit; ut hoc agat, quod nec vitam, nec ætatem, nec miniſterium [3] vile reddat.

III. Tertius abuſionis gradus eſt, adoleſcens ſine obedientia; quo mundus a recto rationis ordine depravatur. Qualiter namque in ſenectute aliis [4] miniſterium imperabit, qui in adoleſcentia ſe ſenioribus obedientem exhibere contemnit? Unde & in C proverbio apud veteres habetur, quod dominari nequeat, qui prius alicui ſervitutem præbere denegat. Propter quod & Dominus Jeſus in temporibus ſuæ carnis, dum adhuc ad legitimam ætatem doctoris non pervenerat, obedienter miniſtrationem parentibus ſuis præſtitit. Sicut ergo in ſenibus ſobrietas, & morum perfectio requiritur: ita etiam in adoleſcentibus, obſequium & ſubjectio & obedientia rite debetur. Quapropter & in mandatis legis primum in his quæ ad homines pertinent, patris & matris honor imperatur, quia quamvis carnalis pater non ſupervixerit, aut indignus fuerit; alicui tamen patri digno & viventi, paternus honor [5] uſque ad dignam ætatem a filiis præbendus eſſe oſtenditur. Quatuor etenim modis per ſcripturas divinas patres vocantur; hoc eſt, natura, gente, admonitione & ætate. De patre namque naturali Jacob ad Laban loquitur: [a] *Niſi timor patris mei Iſaac adfuiſſet, tuliſſes omnia quæ mea ſunt*. Gente vero pater dicitur, quando Dominus de rubo ab Moyſen loquebatur: [b] *Ego ſum*, inquiens, *Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob*. Ætate autem & admonitione pariter pater dicitur, cum Moyſes in cantico Deuteronomii loquitur: [c] *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; majores tuos, & dicent tibi*. Quod ſi ergo naturalis pater ſuperſtes non fuerit, aut indignus fuerit; admonenti tamen [6] aut E ſeniori adoleſcentis obedientia præbenda erit. Quomodo ergo honoratus in ſenectute apparebit, qui diſciplinæ laborem in adoleſcentia non ſuſtinuerit? [d] Quodcumque etenim homo laboraverit, hoc & metet. [e] *Omnis namque diſciplina in præſenti non videtur eſſe gaudii, ſed mœroris; poſtea vero fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet juſtitiæ*. Sicut ergo fructus non invenitur in arbore, in qua pampinus aut flos prius non apparuerit: ſic & in ſenectute honorem legitimum aſſequi non poterit, qui in adoleſcentia diſciplinæ alicujus exercitatione non laboraverit. Diſciplina igitur abſque obedientia, qualiter fieri poteſt? [7] Adoleſcens ergo ſine diſciplina, adoleſcens ſine obedientia eſt: quoniam & ipſa obedientia quæ omnium diſciplinarum mater eſt, magna exercitatione indiget; quæ ſui normam ſtudii in Chriſto Domino ſumſit, qui [f] obediens patri uſque ad mortem, crucis ignominiam libenter ſuſtinuit.

IV. Quartus abuſionis gradus eſt, dives ſine eleemoſyna; qui ſuperflua [8] uſus ſui quæ cuſtodienda in poſterum recondit, indigentibus & nihil habentibus non diſtribuit: per quod efficitur, ut dum in terra quæſita diligenti cura cuſtodit, cæleſtis patriæ perennem theſaurum amittat. Ad quem theſaurum Dominus Jeſus adoleſcentem divitem qui eum de perfectione interrogaverat, ita reſpondens invitavit: [g] *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus; & veni, ſequere me, & habebis theſaurum in cælo*. Quem theſaurum nullus umquam hominum habere poteſt, niſi qui pauperibus ſolatia præſtat, aut per ſe ipſum pauper eſt. Non ergo dormiat in [9] theſauris tuis, quod pauperes dormire non ſinit. Dives namque etſi multa congregaverit, his frui ſolus nequaquam poterit; quia unius hominis natura multis rebus non ſuccurrit. Quid ergo ſtultius eſt quam propter unius hominis victum & veſtitum, totam regni cæleſtis perdere [10] perennem jocunditatem, & æternos inferni cruciatus abſque conſolationis præſtolatione ſubire? Quod igitur aliquando per neceſſitatem amittendum eſt, pro æterna remuneratione ſponte diſtribuendum eſt. [h] *Omnia enim quæ vi-* D *dentur, temporalia ſunt; quæ non videntur, æterna ſunt*. Quam diu namque temporales ſumus, temporalibus temporalia deſerviunt; & cum hinc tranſierimus, æternis æterna ſolatia præſtabuntur. Idcirco non debemus diligere ea quæ non ſemper habebimus; præſertim cum expertem rationis avarum divitem, theſauri ſui & agri & omnia quæ habet, oſtendant; quia toto cordis intuitu illas res amat quæ numquam ſe diligunt. Si enim aurum & argentum, & agros, & veſtimenta, & cibos, & metalla, & bruta animalia quis dilexerit; hæc omnia vicem ſibi amoris rependere non poſſe, ipſa rerum natura oſtendit. Quid ergo a ratione longius eſt, quam diligere, quod te amare non valet; & negligere illum, qui [11] tuæ dilectioni cum dilectione omnia præbet? Propter hoc igitur non diligi mundus, ſed diligi proximus a Deo præcipi-

a Gen. XXXI. 42. *b* Exod. III. 6. *c* Deut. XXXII. 7. *d* Gal. VI. 7. *e* Heb. XII. 11.
f Philipp. II. 8. *g* Matth. XIX. 21. *h* II. Cor. IV. 18.

1. *Quam*] Hanc vocem addidi ex edit. Aug. ubi ſic legitur: *Quam quomodo futuræ aditus propere comprehendatur*. In cod. Corb. *futuræ aditus proſperitatis*. Eamdem editionem ſequimur in aliis nonnullis locis, de quibus neceſſe non eſt admonere.
2. *Secum*] Deeſt ea vox in duobus mss.
3. *Vile reddat*] Duo codices mss. *vileſcat*.
4. *Miniſterium aliis imperabit*] Apud Aug. *miniſtrari ſperabit*.
5. *Uſque ad dignam*] *Uſque ad perfectam & dignam* Aug.
6. *Aut ſeniori*] Sic cod. reg. *admonenti ſeniori* edit. Paullo poſt delevimus ante *crucis ignominiam* hæc verba *mortem autem*, quæ deſunt in duobus mss. & apud Aug.
7. *Adoleſcens ergo ſine diſciplina*] Contra apud Auguſtinum: *Adoleſcens ergo ſine obedientia, adoleſcens ſine diſciplina eſt*.
8. *Uſus ſui*] *Converſationis ſuæ* cod. Colb.
9. *In theſauris tuis quod*] Sic cod. reg. *in theſauris ſuis qui* edit. *in theſauris tuis quod pauperi prodeſſe poteſt* Aug.
10. *Perennem*] Deeſt apud Aug.
11. *Tuæ dilectioni*] Sic cod. reg. *ſuæ ditioni* edit. *tuæ ditioni* Aug.

tur; quia proximus vicem sui amoris potest rependere, [1] quod mundus minime posse non dubitatur. Sic enim inimicum esse diligendum Dominus præcepit, ut illa dilectio amicum illum ex inimico efficiat. Quisquis ergo dives cupidus vult æternas habere divitias; distribuendo egenis præstet interim non mansuras. Si enim quod diligit, non vendit, nemo potest emere quod cupit. Avari namque ideo in judicio a rectissimo judice nuncupantur maledicti, quia qui præteribant eorum habitacula, non dicebant: [a] *Benedictio Domini super vos, benediximus vobis in nomine Domini*. Infelices ergo sunt avari divites, qui propter res transitorias in æternam damnationem dilabuntur; & e contrario: [b] *Beati sunt misericordes, quia misericordiam consequentur*. Felix est ergo misericors, dum in hac virtute non substantiam, sed affectum Deus requirit.

V. Quintus abusionis gradus est, femina sine pudicitia. Sicut enim omnes bonos mores procurat & custodit in viris prudentia; sic & in feminis cunctos honoris actus nutrit & fovet & custodit pudicitia. Pudicitia namque castitatem custodit, avaritiam refrenat, lites devitat, iram mitigat, libidinem occupat, cupiditatem temperat, lasciviam castigat, ebrietatem cavet, verba non multiplicat, gulæ concupiscentias [2] purgat, furtum omnino damnat. Quid plura? Omnia vitia restringit; & omnes virtutes, & quidquid coram Deo & bonis hominibus laudabile est, nutrit. Impudica namque vita nec laudem ab hominibus in præsenti sæculo, nec remunerationem a Deo exspectat in futuro. Pudica vero vita famam bonam inter homines habet, & de spe futuræ beatitudinis gaudet. Præsentibus semet ipsam imitabilem facit, posteris memoriam amabilem relinquit. Bonis semper moribus delectatur & consentit, & assiduis scripturarum meditationibus & eloquiis [3] animam vegetat: bonorum præcedentium exempla custodit, & inseparabilia perfectis contubernia nectit. Duobus ergo modis constat veræ pudicitiæ exercitatio, id est, corporis habitu & superficie, & animi affectu interno. Per exteriorem modum, juxta Apostolum [c], coram hominibus exempla; per interiorem modum coram Deo, providemus opera bona. Pudicitia namque corporis est, alienas res non appetere, & omnem immunditiam devitare; ante horam congruam non gustare velle; risum non excitare; verba vana & falsa non loqui; habitum per omnia ordinatum, compositionemque convenientem tam capillorum quam vestium, sicut decet, habere; cum indignis contubernia non inire; superciliosо intuitu neminem adspicere; vagari oculos non permittere; pompatico & illecebroso gressu non incedere; [4] nulli inferior in incœpto bono opere apparere; nulli contumeliam aut ruborem incutere; neminem blasphemare; senes non irridere; bonis non invidere; meliori non controversari; de his quæ ignoras non tractare, & ea quæ scis non omnia proferre. Hæc enim proximis amabilem ho-

A minem reddunt, & Deo acceptabilem faciunt. Pudicitia enim animæ est, plus propter Dei oculos, quam hominum, omnia bona facere; appetitiones turpium cogitationum compescere; omnes meliores se esse æstimare; nemini invidere; de semet ipso nihil confidere; Dei semper auxilio res omnes committere; ante Dei oculos semet ipsum constituere; hæretica pravitate sensum non maculare; catholicis per omnia consentire; Dei soli adhærere; castitatem æternæ mentis Deo Christo offerre; omnia cœpta opera bona mortis tantum termino finire, præsentes tribulationes animi fortitudine negligere, parvipendere; in terra præter proximos nihil amare; cuncti amoris thesaurum in cælo constituere;
B & pro omni bono actu mercedem a Deo in cælestibus sperare. Pudicitia ornamentum nobilium est, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulcritudo [5] debilium, prosperitas laborantium, solamen mærentium, augmentum omnis pulcritudinis, decus religionis, defensio criminum, multiplicatio meritorum, creatoris omnium Dei [6] amicitia.

VI. Sextus abusionis gradus est, dominus sine virtute. Quia nihil proficit dominandi habere potestatem, si dominus ipse non habeat virtutis rigorem. Sed hic virtutis rigor, non tam exteriori fortitudine quæ & ipsa sæcularibus dominis necessaria est, [7] quam animi interiori fortitudine, exer-
C ceri debet. Sæpe enim dominandi per animi negligentiam perditur [8] fortitudo, sicut in Heli sacerdote factum fuisse comprobatur [d]. Qui dum severitate [9] judicis peccantes filios non coercuit, in eorum vindictam Dominus velut consentienti [10] ferociter non pepercit. Tria ergo necessaria hos qui dominantur habere oportet: terrorem scilicet, & ordinationem, & amorem. Nisi enim ametur dominus pariter & metuatur, ordinatio illius constare minime potest. Per beneficia ergo & affabilitatem, procuret ut diligatur: & per justas vindictas, non propriæ injuriæ, sed legis Dei, studeat ut metuatur. Propterea quoque dum multi pendent in eo, ipse Deo adhærere debet, qui illum in du-
D catum constituit: qui ad portanda multorum onera ipsum veluti fortiorem solidavit. Paxillus enim nisi bene fortiter firmetur, & alicui fortiori adhæreat, omne quod in eo pendet cito labitur; & ipse solutus a rigore suæ firmitatis, cum oneribus ad terram delabitur. Sic & princeps nisi suo conditori pertinaciter adhæserit, & ipse & omne quod continet, cito deperit. Quidam namque per dominandi officium plus Deo appropinquant, quidam imposito sibi dignitatis honore deteriores fiunt. Moyses namque accepto populi ducatu [e], familiarius Dei locutionibus utebatur: Saul vero filius Cis [f], postquam sceptra regni suscepit, per inobedientiæ superbiam Deum offendit. Rex Salomon [g],
E postquam patris sui David sedem obtinuit, Deus illum ultra omnes mortales velut ad innumerosi populi gubernationem sapientiæ munere ditavit. E contrario vero Hieroboam servus Salomonis [h], postquam regni domus David occupavit partem; ad

a Psalm. CXXVIII. 8. *b* Matth. V. 7. *c* Rom. XII. 17. II. Cor. VIII. 21. *d* I. Reg. II. *e* Exod. XXXIII. *f* I. Reg. XV. *g* III. Reg. III. *h* III. Reg. XII.

1. *Quod mundus minime posse*] Sic Aug. & cod. Colbert. *Quod mundus non potest, vel minime non posse dubitatur* edit. Paullo post legimus ex cod. Colbert. *cupidus vult* pro *cupidus qui vult*.
2. *Purgat*] *Oppugnat* Aug.
3. *Animam vegetat*] *Animum figit* Morel. & duo codices mss.
4. *Nulli inferior*] Duo codd. mss. *nullo inferior incœpto*.
5. *Debilium*] Aug. *vilium*.
6. *Amicitia*] Duo codices mss. *amica*.
7. *Quam animi*] Addunt editi *indiget* ante has voces, & *bonis moribus* ante *exerceri*. Secutus sum duos codd. mss.
8. *Fortitudo*] Aug. *dominandi virtus*.
9. *Judicis*] Sic duo codices mss. pro *judicii* quod erat in editis.
10. *Ferociter*] Deest apud Aug.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 448.

idolorum cultum, decem tribus Israel quæ erant in parte Samariæ, diverterat. Per quæ exempla evidenter ostenditur, quosdam in sublimiori statu ad majorem perfectionem crescere, quosdam vero per supercilium dominationis ad deteriora defluere. Per quod utrumque intelligitur: eos qui ad meliora [1] transscendunt, per virtutem animi & Dei auxilium posse id facere: & eos qui ad deteriora devertuntur, per mentis imbecillitatem pariter & negligentiam errare. Unde & dominum absque virtute fieri non decet, qui virtutem sine Dei auxilio nullatenus habet. Qui etenim multa tuetur, si non habet fortitudinem animi, non valet id agere; quoniam magna magnis infestationibus vel adversitatibus solent laborare. Omnis ergo qui præest, hoc primitus animi tota intentione procuret, ut per omnia de Dei adjutorio omnino non dubitet. Si namque cœperit in actibus suis auxiliatorem habere Dominum dominorum, nullus hominum contemtui poterit habere ejus dominatum: [a] *Non enim est potestas nisi a Deo*. Ipse enim [b] elevat de stercore egenum, & sedere facit cum principibus populi sui, & [c] deponit potentes de sede, & exaltat humiles: ut [d] *subditus fiat omnis mundus Deo*, & [2] egeat gloria Dei.

VII. Septimus abusionis gradus est, Christianus contentiosus; qui cum participationem nominis Christi per fidem & baptismum susceperit, contra Christi dicta & propositum, mundi caduca delectamenta diligit. Omne enim de quo contenditur; aut propter propriam ejus rei dilectionem de qua agitur, aut propter alterius amorem quæ sub odiosa specie latet, appetitur. Quemadmodum, verbi gratia, bellum animoso compugnantium conflictu, cum odiosa res sit, propter amorem victoriæ & libertatis peragitur; & multæ aliæ dilectæ species, sub odioso labore vel formidine, satis contentiose expetuntur. Unde patenter intelligitur, nihil contendi posse, nisi propter dilectionem, speratam scilicet & subsequentem amabilem remunerationem. Qui igitur de mundo præsente ex quacumque caussa contendit, perspicue ostendit quod illum diligit. Quomodo ergo mundum diligi per Joannem Spiritus sancti sermones interdicunt, qui ait: [e] *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt?* Mundi enim amor & Dei, pariter in uno corde cohabitare non possunt; quemadmodum iidem oculi cælum pariter & terram nequaquam conspiciunt. Sed requirendum est, si vere in mundo aliquid sit quod amari debeat, & quis sit ille mundus quem diligi divina eloquia vetant. Terra ergo cum nascentibus ex ea, & metallis, & animantibus, & pulcritudine vestium, & oblectationibus ciborum, & iis quæ ad hæc pertinent, non diligi præcipitur: sed proximus propter quem hæc omnia facta sunt, amari jubetur. Hæc enim omnia prædicta, velut non mansura, ad cælestem patriam pergentes concomitari nequeunt. Proximi vero velut mansuri regis coheredes, semet ipsos licenter [3] invicem diligunt. Quod ergo semper in mundo non manet, & cum mundo pariter deficiet, & ipse mundus non amari præcipitur; proximus autem qui est pars regni cælestis, in terra & inter ima elementa, a regni cælorum appetitoribus non incongrue amatur: dum in suprema illa patria in æternum coheres habebitur. Propterea vero mundus præsens non diligi imperatur, ne a Dei dilectione alienus, sæculi dilector quisque efficiatur. Non ergo debet contendi, quod non licet amari. Igitur Christianus qui nominis Christi similitudinem tenet, morum quoque ejus similitudinem habere debet. Christianus enim nemo recte dicitur, nisi qui Christo moribus coæquatur. De Christo vero per Prophetam ita scribitur: [f] *Ecce filius meus quem elegi, electus meus, complacuit in illo sibi anima mea: ponam Spiritum meum super eum. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in platea vocem ejus*. Ecce Christus non contendit, neque clamavit: & tu si morum Christi similitudinem tenere cupis, ne contendas, ne abusivus in ecclesia Christianus exsistas. Suis enim sectatoribus Christus præcepit: [g] *Nolite vocari Rabbi: unus est enim magister vester*, qui est Christus: *& patrem nolite vocare super terram; unus est enim pater vester qui in cælis est: omnes enim vos fratres estis*, quibus ad supplicandum imperavit, cum dicit: [h] *Sic autem orabitis: Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum*. Frustra ergo contendit patrem se habere in terra, qui patrem & patriam profitetur se habere in cælo. Cujus patriæ nemo possessor efficitur, nisi qui de terrenæ patriæ contentione securus habetur.

VIII. Octavus abusionis gradus est, [i] Pauper superbus; qui nihil habens, in superbiam extollitur: cum e contrario divitibus sæculi non superbe sapere per Apostolum Paullum [k] imperetur. Quid ergo stolidius potest fieri, quam illum qui per infimam miseriam velut in terram abjectus, extremus & humilis incedere & contristari debuerat, superciliosо superbiæ tumore inflatam mentem contra Deum erigere? Per quod vitium lapsi corruerunt, qui in summo cæli conditi erant culmine. Quid ergo vult quasi potens in terra superbire, qui præ omnibus hominibus debuerat humilis apparere? Sed ne de paupertate sua tristitiam habeant, quid a Deo recepturi sint, pauperes attendant; ipse enim inquit: [l] *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*. Recta namque dispensatione misericors judex cæli regnum illis committit, quibus regni terrarum participationem inter mortales abstulit: ut ipse dives in cæli sede appareat, qui in terra penitus nihil procurat. Cavendum ergo pauperibus est, ne dum per egestatem & necessitatem terrenum regnum [4] prætereunt, per mentis etiam impudentiam cælorum regna amittant. Cum enim Dei dispensatione paupertatem necessariam acceperint, in ipsorum arbitrio pendet, utrum pauperes spiritu sint. Non quibuscumque namque pauperibus cæli regna promittuntur, sed his tantummodo in quibus divitiarum inopiam animorum humilitas comitatur. Pauper enim humilis, pauper spiritu appellatur; qui cum egenus foris cernitur, numquam in superbiam elevatur: quoniam ad appetenda regna cælorum plus valet mentis humilitas, quam præsentium divitiarum temporalis paupertas. Etenim humiles qui bene divitias possessas habent, possunt pauperes spiritu appellari: superbos autem, nihil habentes, haud dubium est beatitudine pau-

a Rom. XIII. 1. b Psalm. CXII. 7. c Luc. I. 52. d Rom. III. 19. 23. e I. Joan. II. 15. f Isa. XLII. 1-3. Matth. XII 18. 19. g Matth. XXIII. 8. 9. h Matth. VI. 6. i Eccli. XXV. 4. k I. Tim. VI. 17. l Matth. V. 3.

1. *Transscendunt*] Sic cod. Colb. *condescendunt* edit.
2. *Egeat gloria*] Sic Morel. & duo mss. *egeat omnis gloria* in aliis.
3. *Invicem*] Hanc vocem addidi ex duobus mss. Morel & August.
4. *Prætereunt*] Aug. *perdunt*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 448.

pertatis privari. De quibus utrisque sancta scriptura ita loquitur: [a] *Est quasi dives nihil habens, & est quasi pauper, cum in multis divitiis sit*. Quasi pauper ergo in multis divitiis, est dives humilis spiritu; & nihil habens quasi dives, est pauper superbus mentis affectu. Nobilis ergo inopia est mentis humilitas, & ineptæ divitiæ sunt animorum enormitas. Providendum est ergo pauperibus, ut semet ipsos, quales sint, intelligant: & quia rebus consequi quod cupiunt non valent, mentis tumore superbire desinant.

IX. Nonus abusionis gradus est, Rex iniquus. Etenim regem non iniquum, sed correctorem iniquorum esse oportet. Inde in semet ipso nominis sui dignitatem custodire debet: nomen enim regis intellectualiter hoc retinet, ut subjectis omnibus rectoris officium procuret. Sed qualiter alios corrigere poterit, qui proprios mores, [1] ne iniqui sint, non corrigit? Quoniam [b] in justitia regis exaltatur solium, & in veritate regis solidantur gubernacula populorum. Justitia vero regis est neminem injuste per potentiam opprimere, sine personarum acceptione inter virum & proximum suum juste judicare, advenis & pupillis & viduis defensorem esse, furta cohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos & histriones non nutrire, impios de terra perdere, parricidas & pejerantes vivere non sinere, ecclesias defendere, pauperes eleemosynis alere, justos super regni negotia constituere, senes & sapientes & sobrios consiliarios habere, magorum, ariolorum, pythonissarumque superstitionibus non intendere, iracundiam differre, patriam fortiter & juste contra adversarios defendere, per omnia in Deo confidere, prosperitatibus [2] animum non elevare, cuncta adversa patienter tolerare, fidem catholicam in Deum habere, filios suos non sinere impie agere, certis horis orationibus insistere, ante horas congruas cibum non gustare. [c] *Væ enim terræ, cujus rex puer est, & cujus principes mane comedunt*. Hæc regni prosperitatem in præsenti faciunt, & regem ad cælestia regna meliora perducunt. Qui vero regnum non secundum hanc legem dispensat, multas nimirum adversitates imperii tolerabit. Idcirco enim pax sæpe populorum rumpitur, & offendicula etiam de regno suscitantur; terrarum quoque fructus diminuuntur, & servitia populorum præpediuntur; multi & varii dolores prosperitatem regni inficiunt, carorum & liberorum mortes tristitiam conferunt, hostium incursus provincias undique vastant, bestiæ armentorum & pecorum greges dilacerant; tempestates aeris & hiemis [3] terrarum fecunditatem & maris ministeria prohibent; & aliquando fulminum ictus, segetes & arborum flores & pampinos exurunt. Super omnia vero regis injustitia, non solum præsentis imperii faciem obfuscat, sed etiam filios suos & nepotes, ne post se regni hereditatem teneant, obscurat. Propter piaculum enim Salomonis [d], regnum domus Israel Dominus de manibus filiorum ejus dispersit. Et propter justitiam David regis, [e] lucernam de semine ejus semper in Hierusalem reliquit. Ecce quantum justitia regis sæculo valeat, intuen-

A tibus perspicue patet. Est enim pax populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aeris, serenitas maris, terræ fecunditas, solatium pauperum, hereditas filiorum, & sibimet ipsi spes futuræ beatitudinis. Attamen sciat rex, quod sicut throno hominum primus constitutus est; sic & in pœnis, si justitiam non fecerit, primatum habiturus est. Omnes namque quoscumque peccatores sub se in præsenti habuit, supra se modo implacabili in illa pœna futura habebit.

X. Decimus gradus abusionis est, Episcopus negligens; qui gradus sui honorem inter homines re-
B quirit, sed ministerii sui dignitatem coram Deo [f] pro quo legatione fungitur, non custodit. Primum namque ab episcopo, quid sui nominis dignitas teneat, inquiratur: quoniam cum episcopus nomen Græcum sit, speculator interpretatur. Quare vero speculator ponitur, & quid a speculatore requiritur, Dominus ipse denudat, cum sub Ezechielis prophetæ persona, episcopo officii sui rationem denuntiat, ita inquiens: [g] *Speculatorem dedi te domui Israel. Audiens ergo ex ore meo sermonem, nuntiabis eis ex me. Si autem videris gladium venientem, & tu non annuntiaveris ut revertatur impius a via sua; ipse quidem impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua*
C *requiram. Si autem tu annuntiaveris, & ille non fuerit reversus; ipse quidem in iniquitate sua morietur, sed tu animam tuam liberasti*. Decet ergo episcopum qui omnium speculator positus est, peccata diligenter attendere; & postquam attenderit, sermone, si potuerit, & actu corrigere; si non potuerit, juxta Evangelii regulam scelerum operarios declinare: [h] *Si enim*, inquit in Evangelio Dominus, *peccaverit in te frater tuus, corripe illum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos testes, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum: si illos non audierit, dic ecclesiæ: si ecclesiam non audierit,*
D *sit tibi sicut ethnicus & publicanus*. Tali ordine expellendus est, quicumque doctori vel episcopo adhærere noluerit. Et qui tali ordine expulsus fuerit, ab alio aliquo doctore vel episcopo non debet recipi. De sacerdote namque scriptum est in lege: [i] *Viduam aut repudiatam non accipiat uxorem*. Qui ergo illum excommunicatum a catholico, illo non permittente, sibi jungit; jura sacerdotii sancti, [4] in quo Christianorum genus electum est, excedit. Hac ratione episcopum, ad eos quibus in speculationem positus est, esse oportet. Ceterum vero, qualis in semet ipso esse de-
E beat, Paullus Apostolus exponit [k]: ut ad gradum episcopi veniens sit sobrius, prudens, castus, sapiens, modestus, hospitalis, filios habens subditos cum omni castitate, testimonium habens bonum ab his qui foris sunt, proferens doctrinæ fidelem sermonem, ante quam episcopus sit, non plures habens uxores quam unam. Non percussor, non bilinguis, non ebriosus, non neophytus, ut per hæc ipse ostendat in opere, quod alios docet in sermone doctrinæ. Caveant ergo negligentes epi-

a Prov. XIII. 7. *b* Prov. XVI. 12. *c* Eccle. X. 16. *d* III. Reg. XI. 31. & 15. *e* III. Reg. XI. 36. *f* II. Cor. V. 20. *g* Ezech. III, 17-19. *h* Matth. XVIII. 15-17. *i* Lev. XXI. 7. *k* I. Tim. III. 2. seqq.

1. *Ne iniqui*] Aug. *si iniqui*.
2. *Animum non elevare*] *Non elevari animo* Aug.
3. *Terrarum fecunditatem &*] Sic emendavimus auctoritate cod. Colbert. & Aug. Male in aliis *turbata terrum fecunditate maris* cet. Habet idem ms. *serenitate turbata* ante *terrarum*. Paullo post, lego ex duobus mss. *pampinos exurunt*, pro eo quod est in edit. *pampinos quosque exurunt*.
4. *In quo*] Sic cod. reg. edit. *quod*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 448.



scopi, quod in tempore vindictæ Dominus per A Prophetam conqueritur, dicens: [a] *Pastores* [1] *muti demoliti sunt populum meum; & non pascebant gregem meum pastores, sed pascebant semet ipsos*; sed potius procurent hi [b] quos constituit Dominus super familiam suam, dare illis cibum in tempore suo mensuram tritici, puram scilicet & probatam doctrinam, quatenus veniente Domino mereantur audire: [c] *Euge serve bone & fidelis, quia supra pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui*.

XI. Undecimus abusionis gradus est, Plebs sine disciplina; quæ, cum disciplinæ exercitationibus non servit, communi se perditionis laqueo con- B stringit: iram etenim Domini absque disciplinæ rigore non evadit. Atque idcirco Psalmistæ vocibus indisciplinatæ plebi prædicatur: [d] *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus*. Disciplina vero morum est ordinata correctio, & majorum præcedentium regularum observatio. De qua disciplina Paullus Apostolus ita loquitur dicens: [e] *In disciplina perseverate: tamquam filiis vobis offert se Deus. Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti estis? Omnes enim adulteri, & non filii estis*. Qui ergo adulteri, sine disciplina sunt, & cælestis regni hereditatem non capiunt: si filii autem paternæ disciplinæ correctiones ferunt, & hereditatem quandoque recipere posse non despe- C rent. De qua etiam disciplina Esaias quidem indisciplinatæ plebi prædicat, dicens: [f] *Quiescite agere perverse, discite bene facere*. Et ad eamdem Psalmista consona voce compsallit, dicens: [g] *Declina a malo, & fac bonum*. Infelix ergo est qui abjicit disciplinam. Audet enim extra milites aliquid, qui Dominum crucifigentes, non ejus sciderunt tunicam, qui ecclesiæ Christi scindit disciplinam. Sicut enim tunica totum corpus præter caput tegitur: ita disciplina, omnis Ecclesia, præter Christum [h] qui caput est ecclesiæ & sub disciplina non est, protegitur & ornatur. [2] Ipsa vero [i] *tunica contexta desuper fuerat per totum*; quia eadem disciplina ecclesiæ a Domino de cælo tri- D buitur & integratur. De qua Dominus cum ad patrem ascendisset, postquam resurrexit a mortuis, ad Apostolos suos loquebatur, dicens: [k] *Vos autem sedete heic in civitate, quoad usque induamini virtute ex alto*. Tunica ergo corporis Christi disciplina ecclesiæ est: qui autem extra disciplinam est, alienus est a corpore Christi. [l] *Non scindamus igitur illam, sed sortiamur de illa cujus sit*: id est, non solvamus quidquam de mandatis Domini; sed unusquisque in quo evocatus est, in eo permaneat apud Dominum.

XII. Duodecimus abusionis gradus est, Populus sine lege; qui dum Dei dicta & legum scita contemnit, per diversas errorum vias eumdem perditionis laqueum incurrit. De quibus viis sub persona prævaricatoris populi, humanum genus Propheta ita deplangit: [m] *Nos autem sicut oves erravimus; unusquisque in viam suam declinavit*; de quibus viis etiam sapientia loquitur per Salomonem: [n] *Multæ viæ videntur hominibus rectæ, & novissima earum deducunt ad mortem*. Quæ utique multæ perditionis viæ tunc inceduntur, cum una regalis via, lex Dei videlicet, quæ neque ad dexteram neque ad sinistram declinat, per negligentiam deseritur. De qua scilicet via Dominus Jesus Christus, qui est [o] *finis legis ad justitiam omni credenti*, denuntiat: [p] *Ego sum via, veritas & vita: nemo venit ad patrem nisi per me*. Ad quam viam omnes homines communiter invitat, dicens: [q] *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*. [r] *Quia non est personarum acceptio apud Deum*; ubi [s] *non est Judæus nec Græcus, masculus & femina, servus & liber, barbarus & Scytha, sed omnia in omnibus Christus: omnes enim unum sunt in Christo Jesu*. Dum ergo Christus finis legis est; qui sine lege sunt, sine Christo fiunt. Igitur populus sine lege, populus sine Christo est. Abusivum ergo in temporibus Evangelii populum [3] sine lege fieri, quando Apostolis in cunctas gentes licentia prædicationis data est; quando tonitruum Evangelii per cunctas sæculi partes intonuit; quando [t] *gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam*; quando [u] *qui de longe fuerant, facti sunt prope in sanguine Christi*: [x] *qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei in Christo*; quando est [y] *tempus acceptabile, & dies salutis, &* [z] *tempora refrigerii in conspectu altissimi*; quando unaquæque gens habet testem resurrectionis; quando ipse Dominus protestatur, dicens: [aa] *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*. Non itaque simus sine Christo in hoc tempore transitorio, ne sine nobis Christus esse incipiat in futuro.

a Ezech. xxxiv. 8. *b* Matth. xxiv. 45. *c* Matth. xxv. 23. *d* Psalm. II. 12. *e* Heb. xii. 7. 8. *f* Isa. I. 16. *g* Psalm. xxxiii. 15. *h* Ephes. V. 23. *i* Joan. xix. 23. *k* Luc. xxiv. 49. *l* Joan. xix. 24. *m* Isa. LIII. 6. *n* Prov. xiv. 12. *o* Rom. X. 4. *p* Joan. xiv. 6. *q* Matth. xi. 28. *r* Rom. II. 11. *s* Gal. III. 28. Coloss. III. 11. *t* Rom. ix. 30. *u* Ephes. II. 13. *x* I. Pet. II. 10. *y* II. Cor. vi. 2. *z* Act. III. 20. *aa* Matth. xxviii. 20.

1. *Muti*] Sic cod. Corbejensis apud Aug. citatus. Habent *multi* Morel. & Pamel. *mei* Aug.

2. *Ipsa vero*] Sic duo mss. *ipsa enim* edit.

3. *Sine lege*] Cod. Colbert. *sine Christo*.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
448.

HYMNUS ALPHABETICUS*
SECUNDINO EPISCOPO
S. PATRICII E DARERCA SORORE NEPOTI ADSCRIPTUS,
IN LAUDEM
S. PATRICII
tum viventis.

A

AUdite omnes amantes Deum sancta merita
Viri in Christo beati, PATRICII episcopi:
Quomodo bonum ob actum similatur Angelis,
Perfectamque propter vitam æquatur Apostolis.

BEata Christi custodit mandata in omnibus:
Cujus opera refulgent clara inter homines,
Sanctumque cujus sequuntur exemplum mirificum,
Unde & in cælis patrem magnificant Dominum.

COnstans in Dei timore, & fide immobilis,
[1] Super quem ædificatur ut Petrum ecclesia,
Cujusque apostolatum a Deo sortitus est;
[2] In cujus porta adversus inferni non prævalent.

DOminus illum elegit ut doceret barbaras
Nationes, [3] ut piscaret per doctrinæ retia,
Ut de sæculo credentes traheret ad gratiam,
[4] Dominumque sequerentur sedem ad ætheream.

ELecta Christi talenta vendit evangelica,
Quæ Hibernas inter gentes [5] cum usura exigit,
[6] Navigii hujus laboris, tum operæ pretium,
Cum Christo regni cælestis possessurus gaudium.

FIdelis Dei minister insignisque nuntius,
Apostolicum exemplum formamque præbet bonis:
Qui tam verbis [7] quam factis plebi prædicat Dominum:
Ut quem dictis non convertit, actu provocet bono.

GLoriam habet cum Christo, honorem in sæculo,
Qui ab omnibus ut Dei veneratur Angelus:
Quem Deus misit ut Paullum ad gentes Apostolum,
Ut hominibus ducatum præberet regno Dei.

HUmilis Dei ob metum spiritu & corpore,
Super quem, bonum ob actum requiescit Dominus;
Cujusque [8] sua in carne Christi portat stigmata,
[9] In cujus sola sustentans gloriatur in cruce.

IMpiger credentes pascit dapibus cælestibus,
Ne qui [10] ridentur cum Christo in via deficiant;
Quibus erogat ut panes verba evangelica,
Cujus multiplicantur ut manna in manibus.

KAstam qui custodit carnem ob amorem Domini,
Quam carnem templum paravit Sanctoque Spiritui,
A quo constanter cum mundis possidetur actibus:
Quam [11] ut hostiam placentem vivam offert Domino.

LUmenque mundi accensum ingens evangelicum
In candelabro levatum [12] toti fulgens sæculo,
B Civitas regis munita supra montem posita,
Copia in qua est multa quam Deus possidet.

MAximus namque in regno cælorum vocabitur,
Qui quod verbis docet sacris, factum adimplet bonis,
Bono præcedit exemplo, formamque fidelium
Mundoque in corde habet ad Deum fiduciam.

NOmen Domini audenter annuntiat gentibus,
Quibus lavacri salutis æternam dat gratiam,
Pro quarum orat delictis ad Deum quotidie,
Pro quibus ut Deo dignas immolatque hostias.

OMnem pro divina lege mundi spernit gloriam,
C Qui cuncta ad ejus mensam æstimat quisquilia,
Nec ingruenti movetur mundi hujus [13] flumine,
Sed in adversis lætatur, cum pro Christo patitur.

PAstor bonus ac fidelis gregis evangelici,
Quem Deus Dei elegit custodire populum,
Suamque pascere plebem divinis dogmatibus,
Pro qua ad Christi exemplum suam [14] tradidit animam.

QUem pro meritis Salvator provexit pontificem,
Ut in cælesti moneret clericos militia,
Cælestem quibus annonam erogat cum vestibus,
[15] Quæ in divinis impletur sacrisque affatibus.

* Exstat quoque hic Hymnus in Antiphonario monasterii Benchorensis edito a Cl. Muratorio in Anecd. Latin. tom. IV. pagg. 136. seqq. cum quo Waræi editionem contulimus.

1. *Super quem*] Murat. *super quæ*. Sed ex contextu melior Waræi lectio.

2. *In cujus porta, adversus*] Murat. *in cujus portæ adversum*. Testatur Waræus al. ms. habere, *& inferni portæ adversus eum non prævalebunt*.

3. *Ut piscaret — ut de sæculo*] Utrobique Muratorius *&* pro *ut*.

4. *Dominumque*] Hæc lectio magis placet quam Muratoriana, *Dominum qui*.

5. *Cum usura*] Murat. *cum usuris*.

6. *Navigii*] Murat. *navigiis*. Sed recte monet Waræus legendum *navati*.

D

7. *Quam factis — Dominum*] Murat. *quam & factis — Dei*. Mox ibid. *fructu provocet*. Quod non placet.

8. *Sua in carne*] Sic Apostolus *Gal.* VI. 17. *stigmata — in corpore* MEO *porto*. At Murat. *justa in carne*.

9. *In cujus sola sustentans*] Murat. *Et cujus s. s.* Waræus conjicit legendum, *sustentatus gloriatur cruce*.

10. *Ridentur*] Murat. *videntur*. Atque hanc lectionem in alio ms. se legisse asserit Waræus. Mox idem Murat. ℣. 4. *Et cujus*.

11. *Ut host.*] Rectius quam Murat. *& host.*

12. *Toti*] Murat. *toto*: qui mox ℣. 4. habet *Dominus* pro *Deus*.

13. *Flumine*] Ait Waræus in alio ms. legit *fulmine*. Sic item Murat. qui paullo ante habet *ad cujus mensam*.

14. *Tradidit*] Murat. *[illegible]*.

15. *Quæ in div.*] Murat. *quod in d.*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 448.

REgis nuntius invitans credentes ad nuptias,
Qui ornatur vestimento nuptiali indutus,
Qui cæleste haurit vinum in vasis cælestibus,
Propinausque Dei plebem spiritali poculo.

SAcrum invenit thesaurum sacro in volumine,
Salvatorisque in carne deitatem [1] prævidit,
Quem thesaurum emit sanctis perfectisque meritis:
Israel vocatur hujus anima videns Deum.

TEstis Domini fidelis in lege catholica,
Cujus verba sunt divinis [2] condita oraculis,
Sed fuit a primi genitum quod tempore mundi
Usque diem mundo qui modo finis erit. B
Omnibus e terris animas justasque reasque
Uno constituet jussio prima loco.
Nec tamen ulla illinc tanta inter millia perget,
Quæ non sit Domino dinumerata suo.
Mox rutilum scandens eadem cum carne tribunal,
Quam cælo intulerat, glorificans hominem;
Omnia quæ reliquis labantur in ordine sæclis,
Quæ tunc, quæve dehinc lege manente fiant
Ore sacer, celsus solio, terrore videndus,
Conspicuus, sed vix conspiciendus aget:
Atque inter flammæ tractus, sonitusque tubarum,
Angelicosque choros, militiamque sacram,
Inter & infantum, matrum, juvenumque, senumque, C
Pallores, fletus, gaudia, vota, metus,
Ultima suspensæ dabitur sententia turbæ,
Quæ sacro sancti judicis ore sonet.
In requiem & laudem justorum perge caterva,
A regno numquam dissocianda meo,
Quæ vobis gnarus meriti vitæque futuræ
Dat modo, sed dudum dona parata Pater.
At tu mandatis semper contraria nostris,
Impia tartareis claudere turba locis.
Illic stridorem, dentes, & lumina fletum,
Ignibus immodicis discrucianda dabunt,
Et tamen, ut vere maneant quæcumque jubentur,
Hæc erit æterni formula judicii,
Gloria quæ justum, summota morte, tenebit: D
Atque reus pœnæ non moriturus erit.
Hæc ego debueram factis tibi tradere, lector,
Ut pondus verbis vita probata daret.
Sed quia negligimus miseri quæcumque monemur.
Et satis est levius discere, quam facere:
Tu si commendes animo demissa per aurem
Omnia quæ scriptis sunt numerata meis:
Constanter dicam, cæli statione receptus,
Discuties sævæ vincula dura necis;
Atque etiam fueras qui filius ante gehennæ,
Incipies summi filius esse Dei.
His illud superest sine quo nihil omnia prosunt,
Ut Christum credas de Patre, cumque Patre E
Spiritus & sanctus nullo discrimine junctus.
Unum consumment nomina trina Deum.
At tu cum legis nostrum quicumque libellum,
Nostri, seu malus est, seu bonus, esto memor.
Et quoties Dominum perlecto carmine Christum
Orabis; simus semper in ore tuo.
Quod ne me primis credas injungere labris,
Neque istud tuto dissimulare putes.
Sic te nulla dies curis compungat amaris:
Sic Christo totum quidquid agis placeat:
Sic sumas sanctam dono tradente coronam:
Nominis abscedat ne tibi cura mei.
Ut peccatores vincens ORIENTIUS omnes
Sanctorum veniam promerear precibus.

Explicit sancti ORIENTII *liber secundus*.

INCIPIT DE NATIVITATE DOMINI.

Splendidior lux luce micat, majorque diei
Fulget clara dies, toto festivior anno:
Natalis quæ lecta Deo, qua nascitur ille
Cum Patre qui semper cæli in consortia regnat.
Virtus magna Patris carnis primordia nostræ
Mox hominem in cælum revehens, sic morte peracta
Sumere qui carnem voluit, nec carne senescit.

DE EPITHETIS SALVATORIS NOSTRI.

Janua, Virgo, Leo, Virtus, Sapientia, Verbum,
Rex, Baculus, Princeps, Dux, Petra, Pastor, Homo,
Retia, Sol, Sponsus, Semen, Mons, Stella, Magister,
Margarita, Dies, Agnus, Ovis, Vitulus.
Thesaurus, Fons, Vita, Manus, Caput, Ignis, Aratrum,
Flos, Lapis angularis, Dextra, Columna, Puer.
Mitis Adam, Digitus, Speculum, Via, Botruo, Panis,
Hostia, Lex, Ratio, Virga, Piscis, Aquila
Justus, Progenies regis, regisque Sacerdos,
Nomina magna Deo: major at ipse Deus

ITEM PLUS DE TRINITATE.

Quod fuit a sæculis, quodque est in sæcla sæclorum,
Semper erit, quia semper erat, sine fine manendus:
Et super omne quod est, sine quo nihil, omnia cui,
Omniparens Verbum, Verbum Deus omnipotens.
Cum Patre qui solus, cum quo Pater & Deus solus
Hoc erat, & nondum natum acceperat ortum.
Semen enim Christus, Christus primordia rerum,
Christus honor terræ, tremor orbis, gloria cæli.
Ex dominante Deo Rex & Dominator in altis,
Unicus ante omnes genitus, genitore sed illo,
Quem genuit nullus, per quem gignentia cuncta:
Quæsumus, optamus, tremimus, veneramur, amamus.
Totus ex toto totum diffusus in orbem.
Non idem, sed prorsus idem, similisque, simulque
Tantumdem, & pariter, sic Filius & Pater unum.
Nomine divisum nomen, substantia mixta est,
Consummans sacri mysterii sancta profundi.
Plenitudo potens, dedita sibi, nexa vicissim
Trina potestatum conclusio parificatur.
Spiritus & volitans perfectio tota superne.
Ergo honor in Christo est, laus est Patris, in Patre Christi est.
Ipse Patris mens est, & sermo, & testis, & heres:
Ipse recognoscit quantum Pater audet in ipso:
Ipse caput nostrum, sapientia, gratia, vita:
Ipse hominum custos, speculator, & arbiter ipse:
Ipse salutis iter, luxque immutabilis: ipse
De vero verus splendor, de lumine lumen,
De bonitate bonus, de pleno & divite plenus,

V. 355. Forte *omnis*. V. 415. Forte *Domino*.
V. 21. Adde *est*. V. 22. Forte *unus*.
V. 30. Leg. *Ex toto totus*. V. 34. Forte *mysteria*.
V. 35. Leg. *sibi dedita*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 450.

Providus, indulgens, clemens, miserator, abundans, A
Perfectus, patiens, justus, immaculatus.
Æternum Æterni donum, tutela priorum.
Firmamentum animæ, fuga dæmonis, arma fidei,
Perpetuum regnans, censor judexque futuri,
Tempore non clausus, clausurus tempora jussu,
Principium ac finis, vegetator & intus & extra,
Velle tenens, & posse potens, & mite severus,
Pax mundi & gaudium, pravique bonique director.
Dum mortale quod est, Deus immortale probavit.
O felix Domini dominatio, nobile letum!
O miseræ gentis cor durum, & perfidus error!
Impie damnator, tua mors hoc stipite pendet, B
Credule confessor, tua vita hoc sanguine vivat.
Flecteris judicante Deo qui plectere visus,
Salvavit populos, populus quem odit iniquus.
Hic est ille suis reprobus prius, & maledictum,
Sputamenta hominum, perituri opprobria vulgi.
Hic cui sæva manus fel mixtum fudit aceto,
Palmea quem cæco violarunt verbera pulsu.
Aspice, percussor demens, venerabile lignum,
Cerne profanati victricia signa eruoris.
Est ne Deus vivus, Deus insuperabilis hosti,
Ultio, profugium, requies, lux, vita, fides, spes?
A Patre noscendus quod sit sator atque animator:
A cruce quod vindex, propulsatorque gehennæ,
Errorum ablutor, pax fida, remissio larga. C
Natus amore hominis, passus ratione salutis,
Functus lege obitus, redivivus in æthera celsus,
Sede sedens patria, super omne salutifer ævo,
Unde humilem dignatus humum, remeabilis illo.
Peccati pretium, peccandi nescius ipse,
Participans famulos, conformans glorificatos.
En tibi quam pulcrum per limina nostra tropæum,
Christe, micat; quam clara Patri vexilla reportans,
Sanguinolentus adhuc, etiam quod & antea, semper
In virtute potens, in majestate perennis.
Cur tamen hanc speciem teneat crucis edita forma D
Monstrat adorandum tota ratione character.
Quod divisa nota est in partes quatuor exstans,
Dat mundi Dominum cognosci, & archangelos omnes.
Tot Regis ipse plagas, cæli quot crux videt oras.
Crux imitata pias orantis imagine palmas,
Crux testata Dei pacem pingit, & est pax
Quæ data per lignum est, pax ligno scripta tenetur.
Vis gratias miratur item spectare figuras?
Aspice perfectum signi locupletis enigma
P græcum videas, caput est, vel brachia fixi.
Iota quod erectum est suspensio corporis heic est.
Littera prosequitur pœnam, fert pœna salutem: E
Alpha dehinc juxta est, atque altera comminus est Ω
Prima quod hic primus, postrema novissimus hic est.
Hæc elementa apicum Deus hic super omne elementum:
Omnia conveniunt cælesti insignia signo.
Cum subit in ligno, lignum Deus indicat esse
Materiem fructus; cum ramum extendere in altum
Altior excelsis Dominus supereminet omnes.
Fixorum est medius: numerus dat trinus honorem.
Percutitur, cruor exit, aqua de vulnere facto
Exit, & ex ipso mox sanguis vulnere. Nempe:
Martyrium sanguis, sibi vindicat unda lavacrum.
Sic ope divina mors arbore vitaque venit.
Per pomum, protoplaste, cadis: cruce Christus medens:
Illic mortiferam draco pestifer detulit escam.
Nec mirum, vix digna Deo si nomina mille
Laus numerosa trahat, laus tot virtutibus impar,
Quot titulos peperere pii miracula Christi.

EXPLANATIO NOMINUM DOMINI.

Janua, quod residet cælo secretaque pandat.
Virgo incorruptæ matris cui partus origo est.
Et Leo Rex hic est regum: rex ille ferarum
Dicitur & virtus: nihil hoc quoque fortior uno.
Unde autem dictus est Sapientia? regula vitæ est.
Quomodo sit Verbum? Patrio quia fluxit ab ore.
Cur modo Rex idem, modo Regis Filius idem?
Cum Patre quod solium cæli commune retentet.
Cur Baculus? lapsos quod sublevet, erigat ægros.
Cur Princeps? subjecta throno quia cuncta gubernet.
Cur Dux militiæ cælestis? ab agmine sancto.
Cur Petra? Quod valido statuat fundamine firmum.
Unde bonus Pastor? maculam quod ovilibus obstet.
Nunc Homo: natus enim est & carnem a Virgine sumsit.
Retia cur? sparsas quod colligat undique gentes.
Cur Sol justitiæ? quia justum illuminat omnem.
Cur Sponsus? desponsa Deo quod ecclesia virgo est.
Cur Sanctum? quod regna ferat felicia verbo.
Mons, quod in ascensum non omnibus ardua cedat.
Stella, quod incertos duce lumine dirigat itus.
Unde Magister? amat famulantia corda docere.
Margarita: quid hoc pretiosius inveniatur?
Unde Dies? quod luce magis resplendeat.
Tunc quia sit sanctus, innoxius Agnus habetur,
Qui potuit solus peccatum tollere mundi.
Et modo fertur Ovis, quod se jugulantibus aptet.
Dicitur & Vitulus: contenta hoc passio monstrat.
Fons, quia purificat vitium baptismate largo.
Vita, quod æternum dat vivere vivificatis.
Est Manus: occurrit virtutum operatio dives.
Est Caput: in promtu est quo nostro auctore creemur.
Ignis: in hoc quod adhuc probatio nostra supersit.
Unde Aratrum? subigat quod pectora fructificetque.
Flos, quia confessor est martyres ipse coronat.
Cur Lapis angularis? populum quia nectit utrumque.
Dextera, qua patrium latus assidet, ornat, honorat.
Sæpe Columba: dolum quia nescit, ac sine felle est.
Unde Puer? quod purus eat genitoris ad arcem.
Vitis: adoptivo quod se herede propaget.
Unde secundus Adam? quia sit caput ipse renatis.
Est Digitus, Stilus iste, Dei est lex scripta per ipsum

V. 58. Forte *piorum*. V. 59. Forte *vivit*.
V. 60. Forte *Plecteris*.
V. 89. Leg. *depingit*.
V. 91. Forte *gratas mirator*.

V. 101. Supple *videtur*, aut quid simile.
V. 109. Leg. *obtulit*. V. 115. Forte *aufert*.
V. 135. Adde *ipse*, aut quid simile.
V. 146. Forte *confessores* &c.

Sæcul. V.
circa
Ann. Chr.
450.



Nunc Speculum : quod imago Patris perlucet in illo. A
Nunc Via : quod sanctis sit prævius in paradiso.
Botrio : quod succis cælestibus irriget orbem.
Panis : in hoc nostræ quod sint alimenta fidei.
Hostia viva Deo, Summus cur ipse Sacerdos?
Se quia sanctificans patriis altaribus offert.
Nunc Ratio : hæc Ratio est, per quam stat fabrica mundi.
Virga : quod errantes ut verbere corrigat actus.
Piscis natus aquis : auctor baptismatis ipse est.
Sæpe Aquila : e terris quoniam revolavit ut ales.

LAUDATIO.

B

Denique, ne multis tam multa & magna moremur,
Est Oculus: cognosco Deum, videt omne Deus cor.
Unde Propheta? brevi quoniam futura revelat.
Angelus unde? sui quia nuntius exstitit ipse.
Brachium, ab amplexu quo continet omnia, dictus.
Quidquid id est, agnosce, tuum est quod sancte vocaris.
Magnitudo operum tot rerum nomina celat:
Sed propriis meritis tanti censentur honores.
Caussa facit titulos, dat scire vocabula virtus.
Tu sublime sedens; Agios, benedictio nostra.
Te Deus Emmanuel: nobiscum habitabile nomen. C
Tu Dominus Sabaoth pugno teges omne quod usquam est.
Te domus Israel, confessoresque beati,
Te Patriarchæ omnes, teque angeli omnes adorant.
Tu super ignotum cherubim, super astra coruscas;
Qui promissus Abræ fueras, de semine David,
Glorificum in cælo osanna laudabilis audis.
Respice nos tantum, Crucifixe, Paraclite, Christe,
Nazarene; Deus, quem credimus, & Galilæe,
Et Deus Abraham sancti patris, & Deus Isaac,
Et Deus alme Jacob, spes unde est nostra fidesque.
Respice, Christe, tuos, longumque tuere redemtos. D
Supplico ego indignus, & tu dignare rogantem.
Omnipotens miserere mei, miserere meorum:
Da dolor absistat, cura & formido facesset,
Et socier sanctis famulis tuis, & timeam te,
Et placeam dum vivo tibi, nec sim reus illo
Tempore, cum stetero meriti memor ante tribunal,
Christe, tuum : vereque colam quod prædico nomen.
Crux tua fronte, manu, labiis, crux intima fidat,
Crux clipeata domus, crux sit lorica salutis,
Hoc melius signo fulgebit lucida turris,
Quam cum sacrilego polluto cruore maderet.

E

EXPLICIT.

INCIPIUNT ORATIONES ORIENTII NUMERO XXIV.

Tibique, Domine, celsum Cherubim dicatum est,
Et illa molis quadriformis machinæ
Te sempiterno confitentur carmine,
Et nos imago consonantis cantici
Amen sonamus, alleluja dicimus.
Te septem primi deprecantur angeli,
Seu civitatis septem principes viri,
Solio propinqui, janitores proximi:
Et nos imago consonantis cantici
Amen sonamus, alleluja dicimus
Te solis astrum cum sorore menstrua,
Vergiliæ, Jugula, Vesperugo, Lucifer,
Omnesque guttæ præmicantes invocant:
Et nos imago consonantis cantici
Amen sonamus, alleluja dicimus.
Aer aquosus si e sudus invicem,
Simulque venti, pluviæ, grando, flumina,
Ritu suomet conditorem concinunt:
Et nos imago consonantis cantici
Amen sonamus, alleluja dicimus.
Solum stativum cum fertura mobili
Quæ paret homini, quæque capta de una,
Tibi cantat uni, conticescit ceteris:
Et nos imago consonantis cantici
Amen sonamus, alleluja dicimus.
Oceane, qui cinctam coerces aream,
Et intestini fossa media gurgites,
Deum sonantes cum marinis belluis:
Et nos imago consonantis cantici
Amen sonamus, alleluja dicimus.
Infernæ sedis flamma, fulva tartara,
Trucesque præsidentes pariter angeli,
Amen minaci decantantes carmine:
Et nos imago consonantis cantici
Amen sonamus, alleluja dicimus.

INCIPIT XXIV.

Postremo dico deprecandi canticum,
Id facio quantum per xx. cantica,
Sed ne quis audax interpellet quippiam:
Anguem magistrum falsitatis increpo,
Ut non adjiciat sive demat litteram.
Quod si quemquam lædit spiritalis lectio,
Ei licebit lectionem spernere,
Non commutare lectionis formulam:
Anguem magistrum falsitatis increpo,
Ut non adjiciat, neve demat litteram.
Si scriptor errat in mutanda littera,
Ignarus errat; venia Christo, si præsto est:
Nam non voluntas, verum dextra labitur.
Anguem magistrum falsitatis increpo,
Ut non adjiciat, neve demat litteram.
Ad illos homines interdictum pertinet,
Qui voce vera nominantur physici:
Si non probatis, præterire liberum est.
Anguem magistrum falsitatis increpo,
Ut non adjiciat, neve demat litteram.
Et nos a fæce ethnicorum emersimus,
Eamque tandem rupimus caliginem,
Dum spiritales exaudimus angelos.
Anguem malignum . . . .
De signo sextum præcavendam spiritu
Mortis Dei prophetas instrumenta dæmonum
Numa & mortis semper in sæculum.
Deus Sancte, te rogamus Patrem Unigeniti,
Christe Deus, te precamur vivum Dei Filium,
Sancte Christe, te obsecramus judicem verum Deum.

EXPLICIT ORATIO XXIV. *

V. 174. Leg. *Tu*.
V. 175. Pro *regis*, usu antiquis familiari, qui litteram *e* pro *i* frequenter usurpabant & vicissim.
V. 177. Leg. *angelus omnis aderat*.
V. 178. Leg. *ignitum*. V. 188. Forte *facessat*.

V. 2. Pro *moles* juxta observationem supra annotatam.
V. 31. Forte *furva*. V. 41. Forte *quem lædit*.
* Orationes viginti quatuor composuerat Orientius ex titulis. At primam tantum & ultimam exhibet noster codex manu scriptus.



EUTHALII

EPISCOPI SULCENSIS

ACTUUM APOSTOLORUM

ET QUATUORDECIM S. PAULLI

ALIARUMQUE

SEPTEM CATHOLICARUM EPISTOLARUM

EDITIO

AD

ATHANASIUM JUNIOREM

EPISCOPUM ALEXANDRINUM

Ex pluribus Vaticanæ bibliothecæ ſcriptis codicibus integra primum Græce ac Latine edita.

ACCESSIT

LECTIONARIUM VETUS

REGIO-ALEXANDRINO CODICI PRÆFIXUM.

Ex unica editione Romana LAURENTII ZACAGNII V. C.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 458.



ΕΥΘΑΛΙΟΥ [1]

ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ [2] ΣΟΥΛΚΗΣ

Ἔκθεσις κεφαλαίων τῶν πράξεων σταλεῖσα πρὸς [3] Ἀθανάσιον ἐπίσκοπον Ἀλεξανδρείας.

EUTHALII

EPISCOPI SULCENSIS

Elenchus capitum libri Actuum Apostolorum ad Athanasium episcopum Alexandrinum.

Πρόλογος τῶν πράξεων.

A Ὅσοι τῆς ὄντως πάνυ πως ἀγχιθέου καὶ θεοφιλοῦς ἀθανασίας εἰσὶν ἐρασταὶ τῆς τε ἐπουρανίου καὶ θεοπρεποῦς πολιτείας λειτουργοὶ τυγχάνουσιν, οὗτοι σκοπὸν ἄριστον ἑαυτοῖς ὁρισάμενοι, τὸν πρῶτόν γε τοῦ ἱεροψάλτου Δαυὶδ μακαρισμὸν, τοὺς περὶ τοῦ θείου [4] λόγου λόγους ἐμμελέτημα νύκτωρ τε καὶ μεθ' ἡμέραν, [5] τῇ σφῶν αὐτῶν τέθεινται ψυχῇ, ἀληθῶς τὸ τῆς ἀγλαοφεγγοῦς καὶ μακαρίας ταύτης [6] (τροφῆς) ἡμερατρωθέντες, καὶ τῶν ἐναρέτων αὐτῆς καὶ θείων καρπῶν [7] ἀπογευσάμενοι, τὴν ἅπασαν αὐτῶν ἔννοιαν πάντοθεν συνάγοντες, ἄνω που τὸ λοιπὸν εὐθύμως [8] εἰς αὐτὴν τὴν ἀθανασίαν βλέπουσιν. B ἐπιτάττουσι τοίνυν αὐτοῖς χρὴ πειθαρχεῖν, [9] διακονεῖν τε τούτοις ἑκάστοτε τὰ πρὸς ὠφέλειαν· θέμις γὰρ ἡμᾶς, [10] τοὺς παρ' ἑτέρων ὠφελημένους, χρησίμους ἀεὶ γίνεσθαι τοῖς δεομένοις, ἀποφεύγειν τε εἰκότως τὴν ἐν εὐαγγελίοις τοῦ φθόνου καταγραφήν. [11] πρῶτον δὴ οὖν ἔγωγε τὴν ἀποστολικὴν βίβλον στοιχηδὸν ἀναγνούς τε καὶ γράψας, πρώην διεπεμψάμην πρός τινα τῶν ἐν Χριστῷ πατέρων ἡμῶν, μετρίως πεποιημένην ἐμοὶ, [12] οἷά τις πῶλος ἀβαδὴς, ἢ νέος ἀμαθὴς ἐρήμην ὁδὸν καὶ ἀτριβῆ ἰέναι προστεταγμένος· οὐδένα γάρ που τῶν, ὅσοι τὸν θεῖον ἐπρεσβεύσαντο λόγον, εἰς δεῦρο διέγνων περὶ τοῦτο [13] τῆς γραφῆς ταύτης εἰς σπουδὴν πεποιημένον τὸ σχῆμα. C οὐδὲ γὰρ [14] ἀνὴρ αὐθάδης οὕτως οὐδὲ τολμηρὸς ἦν, [15] ὡς τοὺς ἑτέρους εὖ μάλα [16] πεποιημένους πόνους αὐτὸς ἀφειδῶς καθυβρίζειν [17] μετρίαις ταῖς τῆς ὀλιγομαθοῦς ἡμῶν ἀναγνώσεως τομαῖς.

Prologus Actuum Apostolorum.

Quotquot immortalitatem in qua cum Deo semper manentes eumdem perpetuo amabimus, re vera consequi cupiunt, atque cælestem divinisque institutis consonam vitæ rationem, ut ministri verbi, alios edocent; hi optimum sibi finem proponentes, felicitatem scilicet illam quam sacer vates David in primo psalmo prædicat [a], divinis scripturis diu noctuque meditandis incumbunt, & lauto hocce felicique cibo quotidie sumto, ac ejus divinis omnigenaque virtute plenis fructibus gustatis, omnique cura in id unum collata: tum denique alacri animo ad immortalitatem ipsam aspirant. Horum igitur virorum mandatis obsequi debemus, iisque, si quid juvare possit, idemtidem ministrare: æquum enim est, ut qui aliorum beneficiis ornati sumus, de iis qui ope nostra indigent, bene mereamur, ut in evangelio damnatæ invidiæ notam vitemus. Itaque cum librum epistolarum Paulli apostoli primum versibus distinxissem, eum manu mea exaratum, ad quemdam ex patribus nostris jam dudum misi: quod quidem opus pro mea tenuitate confeci, non secus ac equulus quidam, gradiendi nondum gnarus, vel inexpertus quidam juvenis per desertam nec tritam viam ire jussus; quippe qui eorum qui divina eloquia tractarunt, neminem huc usque reperi qui ad hujusce scriptionis genus animum appulisset. Neque enim usque adeo ipse temerarius atque audax eram, ut accuratos aliorum labores, novis sacri textus sectionibus a mediocritate nostra utcumque institutis, injuria quodammodo afficerem. Cum ergo, ut aje-

P.403. P.404. P.405.

a Psalm. I. 2.

1. Regio-Alexandrini codicis inscriptionem retinuimus, cum in Vaticano codice num. 367. simpliciter scribatur, Εὐθαλίου διακόνου πρόλογος τῶν πράξεων. In ceteris codicibus auctoris nomen reticetur.

2. In codice regio-Alexandrino scribitur heic, Εὔλκης, & pro Εὐθαλίου, manifesto librarii errore, habet Ἀθανασίου. Sed in titulo præfationum epistolarum catholicarum, & D. Paulli constanter scribitur, Εὐθαλίου ἐπισκόπου Σούλκης. Est autem Sulca Thebaidis fortasse urbs, in cujus episcopum post editas divi Paulli epistolas promotus fuit Euthalius Alexandrinæ, ut videtur, urbis diaconus.

D 3. Athanasius iste non est primus hujus nominis Alexandrinæ urbis episcopus, sanctitate & scriptis editis celeberrimus; sed alter qui post ipsum floruit in medio sæculi quinti æræ Christianæ.

4. In Lolliniano codice deest, λόγου. In Urbinate λόγους, librarii, ut patet, errore.

5. Ita Lollinianus: alii omnes, τῆς ψυχῆς.

6. Verbum τροφῆς ex meo addidi, ut aliquis confusæ & mancæ orationi sensus inesset.

7. Vaticanus codex num. 367. & Lollinianus, μυστικῶς ἀπογευσάμενοι.

8. Ita codex Vaticanus num. 367. alii omnes iterum habent, ἄνω εἰς αὐτήν.

9. Codex Lollinianus, καὶ κοινωνεῖν τε τούτοις.

10. Idem codex, τοὺς ἐκ πατέρων.

11. Urbinatensis, πρῶτος δὴ οὖν ἔγωγε.

12. Lollinianus, οἷα δή τις.

13. Idem codex, τὸ τῆς γραφῆς.

14. Vaticanus cod. num. 367. & Lollinianus, ἀνὴρ ἦν, & mox, τολμηρὸς ἐγώ.

15. Vaticanus cod. num. 367. εἰς τοὺς ἑτέρους.

16. Vaticanus alter, πεποιημένους, αὐτός. In Lolliniano deest tantum, αὐτός.

17. Male in duobus Vaticanis, μετρίως.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 458.

ἔναγχος τοίνυν, ὡς ἔφην, τὴν Παύλου [1] βίβλον A ἀνεγνωκώς, [2] αὐτίκα δῆτα καὶ τήνδε τὴν τῶν ἀποστολικῶν πράξεων, ἅμα τῇ τῶν καθολικῶν ἐπιστολῶν ἑβδομάδι, πονέσας, ἀρτίως σοι πέπομφα, [3] συγγνώμην γε πλείστην αἰτῶν ἐπ' ἀμφοῖν, τόλμης ὁμοῦ καὶ προπετείας τῆς ἐμῆς, ἅπαντάς τε εἰκότως κοινῇ καθικετεύων ἀδελφούς τε καὶ πατέρας, μετ' ἀγάπης αὐταῖς ἐντυγχάνειν, τῶν τε ἐμῶν ἁμαρτημάτων τε καὶ σφαλμάτων, τῶν ἐξ ἀπειρίας, [4] ἀμνημονεύειν· διορθοῦσθαι δέ μοι μᾶλλον ἀδελφικῶς [5] κατὰ συμπεριφορὰν τούτων τὰ ἕκαστα. [6] ἐκεῖσε μὲν γὰρ ἡμᾶς πατρικὸν νεῦμα [7] τολμᾶν τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς [8] κατέδησεν· [9] ἐνθάδε δὲ ἀδελφικῇ τινὶ καὶ γνησίᾳ διαθέσει πειθαρχήσαντες, αὖθις ἐγχειροῦμεν μείζοσιν ἢ καθ' ἡμᾶς, B καὶ παῤῥησιαζόμεθα. ἀλλ' ἐν ἀδελφοῖς καὶ πατράσιν ἡ ἀγάπη [10] τὰ πάντα χωρεῖ, [11] οὐδὲν ὑπεροπτικὸν [12] αὐτῇ καθ' ἑαυτῆς εἰς τὸ οἰκεῖον σῶμα [13] ἐπιδεικνυμένη· νόμος γὰρ θεῖος ἡμῖν ἐστὶν, ὡς ἀληθῶς ὁ ἱερὸς, ὁ φιλάδελφος, τὴν ἀγάπην [14] ἐθέλων ἀεὶ, καὶ διαῤῥήδην λέγων καλύπτειν πλῆθος ἁμαρτιῶν. [15] ἐγὼ δὲ δικαιότατα καὶ μάλα γε ὀρθῶς σύντροφόν τε καὶ φίλην ἐπιφημίσαιμ' ἄν σοι, καὶ καταλέξω τὴν εὐπροσήγορον, τὴν πάνυ φερώνυμον, τὴν τῶν θείων λογίων ἐμφιλόσοφόν φημι μελέτην, [16] ὑφ' ἣν γεγονὼς, φιλόχριστε, καὶ εἴσωγέ τοι τῶν δικτύων αὐτῆς ὑπάρχων, καὶ τὴν ἐράσμιον αὐτῆς προσηγορίαν ἐγκαταπραγματευόμενος, συχναῖς τε ἀεὶ, καὶ ἀκοιμήτοις γυμνασίαις [17] ἀκουόμενος, εὐθαλεστάτην καC τέστησας. ὡς ἄρα γέ μοι καὶ ποιητῶν τις εἴρηκε τὴν ἀλήθειαν, καὶ παρεγγυᾷ τὴν καλλίστην ἡμῖν ἐξ αὐτῆς ὠφέλειαν, μονονουχὶ βοῶν, καὶ [18] φάσκων ὧδε, Μελέτη δέ τοι ἔργον ὠφελεῖ. καὶ αὖ πάλιν [19] σοφῶν γε ὁ πανάριστος [20] βιωφελῶς τῇ μελέτῃ τὸ πᾶν ἀνέθηκεν. εἰ γάρ [21] τις ἄττα ταύτης [22] ὀλιγωροίη ποτὲ, αὐτὸς ἑαυτοῦ τὴν ψῆφον τοῦ μακαρισμοῦ ἐξ οἰκείας ῥαθυμίας κατεψηφίσατο. Μακάριος γάρ, φησὶν, ἀνὴρ, ὃς ἐν νόμῳ κυρίου μελετήσει ἡμέρας καὶ νυκτός. τοὺς γὰρ ἅπαντας ἄνωθεν εὔνους τε καὶ θεοσεβεῖς ἐθέλων ὁ Θεὸς εἶναι, πρὸς μελέτην [23] δ' ἑκάστου τὸν νοῦν παροτρύνων τῶν ἰδίων ἐντολῶν, ἔφασκεν· Ἄκουε D Ἰσραὴλ, κύριος ὁ Θεός σου, [24] κύριος εἷς ἐστιν· καὶ ἀγαπήσεις κύριον τὸν Θεόν σου ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς [25] δυνάμεώς σου· καὶ ἔσται τὰ ῥήματα ταῦτα, ὅσα ἐγὼ ἐντέλλομαί σοι σήμερον, ἐν τῇ καρδίᾳ σου, καὶ ἐν τῇ

A bam, epistolarum Paulli librum nuper versibus distinxissem, mox eamdem operam in Apostolorum quoque Actibus ac septem catholicis epistolis distinguendis impendi, eamque lucubrationem modo ad te misi, plurimam audaciæ atque temeritatis meæ veniam exposcens, & omnes, ut par est, patres fratresque meos rogans, ut illam benevolo animo perlegerent, & quæ ignoranter admisi, oblivioni mandarent; quin potius errores nostros benigne atque fraterne corrigerent: ut enim nostris impar viribus opus tunc aggredi auderemus, urgentis in Christo patris jussa fecere; nunc vero fraterna quadam atque sincera dilectione morem tibi gerentes, iterum quæ nostras excedunt vires, faB cienda suscepimus, idque ultro fateri non erubescimus. Atqui in patribus fratribusque caritas omnia P.406. condonat, nil in proprio corpore revelans, quod ejus membra in contemtum, sibi quoque nocivum, adducat. Deus enim hanc vere sacram & mutuæ inter fratres dilectioni fovendæ valde opportunam legem sanxit, jubens [a] ut caritas perpetuo inter nos vigeat, quam etiam peccatorum multitudinem operire diserte testatur [b]. Porro tibi familiarem tibique in deliciis esse accuratam divinorum eloquiorum meditationem, quæ nomini quod ab ea merito traxisti, mire congruit, jure dixerim atque affirmaverim: in te namque ut perpetuo virtus illa quam maxime efflorescerct effecisti, cum inclusus C quodammodo ejus retibus, totus in ipsa sis, & inde amabile nomen adeptus fueris, eoque nomine ob assiduas quibus eidem assuesti, exercitationes, te ab omnibus appellari audias. Igitur Poetarum nonnemo vera omnino dixit, dum maximam ex ejusmodi meditatione nobis utilitatem fore, diserte hisce propemodum verbis pollicetur. P.407.

* . . . . *At cogitatio curaque*
Susceptum utique opus promovebit.

Et rursus sapientum princeps omnem humanæ vitæ utilitatem in meditatione atque exercitatione constituit: nam si quis forte eam parvi fecerit, is propria socordia se ipsum promissa beatitudine indignum pronuntiat. *Beatus enim vir*, inquit Psaltes reD gius [c], *qui in lege Domini meditabitur die ac nocte.* Nam cum Deus jam ab initio omnes probos piosque esse voluerit, idcirco singulos ad suorum mandatorum meditationem excitans, ait: [d] *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Dominus unus est: & diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota virtute tua: & erunt hæc, quæcumque mando tibi hodie, in corde tuo, & in anima tua, & præ-*

a Lev. XIX. 18. *b* I. Pet. IV. 8. *c* Psalm. I. 2. *d* Deut. VI. 4.

1. Lollinianus, βιβλιοθήκην, quo nomine sacros codices interdum vocatos olim fuisse, pluribus ostendunt clarissimi Benedictini apud Gallos Ordinis alumni initio præfationis ad tomum primum operum S. Hieronymi.
2. Cod. Vaticanus num. 367. αὐτίκα δὴ μετὰ ταῦτα. Mox codex regio-Alexandrinus & Urbinatensis, τὴν δὲ τῶν ἀποστολικῶν.
3. Urbinatensis, συγγνώμην δὲ πλείστην αἰτῶν ἐν ἀμφοῖν.
4. Ita regio-Alexandrinus: alii omnes codices legunt, ἀμνημονεῖν.
5. Urbinas & Lollinianus, κατὰ συμφοράν.
6. Vaticanus num. 367. & Lollinianus, ἐκεῖσε γάρ.
7. Vaticanus num. 363. & Urbinas, τολμῶ τῇ ὑπὲρ ἡμᾶς.
8. Lollinianus, κατέδησεν. Urbinas, κατέδυσαν.
9. Ita duo Vaticani, male alii codices, ἔνθα δέ.
10. In Vaticano codice num. 363. & in Urbinate deest articulus.
11. Vaticanus codex num. 367. οὐ οὐδέν. Lollinianus male, οὐδέ.
12. Idem Vaticanus codex & Lollinianus, αὐτῇ κατ' αὐτῆς. Fortasse legendum, ἐν αὐτῇ καθ' ἑαυτῆς.
13. Lollinianus, ἐπιδεξαμένη.
14. Vaticanus num. 363. & Urbinas, ὁ θέλων, & mox Urbinas & Lollinianus, καλύπτει.

* Hesiodi Oper. lib. II. vers. 30.

15. Vaticanus codex num. 363. & Urbinas habent, ἐγὼ δὲ δή.
16. Vaticanus codex num. 367. & Lollinianus, ὑφ' ᾗ. Mox Lollinianus, ἔσω τῶν δικτύων.
17. Idem Vaticanus codex, ἀκεσόμενος: sed fortasse legendum, ἀσκούμενος, quæ conjectura si magis arriserit, vertendum erit: *In te namque ut virtus illa perpetuo efflore-* E *sceret, assiduis & numquam intermissis exercitationibus, quibus animum tuum excolis, effecisti, cum inclusus quodammodo ejus retibus totus in ipsa sis, & inde amabile nomen adeptus fueris.*
18. Lollinianus, φάσκων, ἡ δὲ μελέτη. Vaticanus num. 367. φάσκων ὧδε, ἡ μελέτη. Alter Vaticanus, φάσκων ὧδε, μελέτη δὲ τὸ ἔργον.
19. Davidem fortasse intelligit, cujus verba mox subjungit.
20. Fortasse legendum, βιωφελές.
21. Codex Vaticanus num. 367. & Lollinianus, τίς ἂν ταύτης.
22. Male Vaticanus codex n. 363. ὀλιγωρεῖ. Male etiam alter Vaticanus codex & Urbinas, ὀλιγωροῖ.
23. Particulam δὲ non habet Lollin.
24. In Urbinate deest, κύριος.
25. Ita editio Romana LXX. interpretum & omnes codices, uno regio-Alexandrino excepto, qui habet διανοίας.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 458.

ψυχῇ σου· καὶ προβιβάσεις αὐτὰ [1] τοῖς υἱοῖς σου, A καὶ [2] λαλήσεις ἐν αὐτοῖς, καθήμενος ἐν οἴκῳ, καὶ πορευόμενος ἐν ὁδῷ, καὶ κοιταζόμενος, [3] καὶ διανιστάμενος. οὕτως ἄϋπνόν τε, καὶ ἀΐδιον πρὸς τὴν μελέτην ταύτην ἔχειν ἡμᾶς τὴν διάθεσιν ὁ Θεὸς βούλεται. ἤδη γοῦν τὴν ἐπὶ ταύτῃ τῇ φυλακῇ τῆς θείας διατάξεως παῤῥησίαν ἔχων ὁ ἱεροψάλτης Δαυὶδ ἔλεγε τῷ Θεῷ, ὅτι, ἡ μελέτη τῆς καρδίας μου ἐνώπιόν σου [4] ἐστὶ διὰ παντὸς, κύριε βοηθέ μου, καὶ λυτρωτά μου. ἔπαθλον τοίνυν [5] ἀναμφήριστον, καὶ ἀναμφίλεκτον τῆς πρὸς τὴν μελέτην τῶν θείων μαθημάτων στοργῆς ἡμῖν ἐστὶν ὁ μακαρισμὸς, ὅτι καὶ ῥαθυμοῦσι ταύτης [6] ἀναφανδὸν ἀπαραίτητος ἕπεται θεόθεν ὁ ταλαινισμός. εἰ γὰρ ἂν ταύτης τινὲς ἀμελήσειεν, [7] πάσονται, ἃ καὶ μετέπειτα οἱ δείλαιοι πείσονται, B ὅτι, ἐπικατάρατος πᾶς, ὃς οὐκ ἐμμένει [8] ἐν πᾶσι τοῖς γεγραμμένοις ἐν τῷ βιβλίῳ τοῦ νόμου, τοῦ ποιῆσαι αὐτά. [9] οὐκ οὖν ἀπολῆξαί ποτε εἴη, μηδ' ἀπονεῦσαι τῆς πρὸς αὐτὴν εὐσεβοῦς τε, καὶ βελτίστης ὁμιλίας· φιλοσυνηθής τε γάρ ἐστιν [10] αὕτη, καὶ φιλόστοργος, καὶ λίαν εὐγνώμων, ἐργωδέστερον ἑκάστῳ τὴν ὄνησιν [11] ἀεὶ γὰρ πόνων ἀντιμετρουμένη. [12] ὅσῳ γὰρ ἄν τις ἐν ἕξει, καὶ γνώσει πλειόνων [13] γίγνεται μαθημάτων, [14] τελὶς τόσον μειζόνων, καὶ σπουδαιοτέρων ὀρέγεσθαι πέφυκεν. [15] καθάπερ γὰρ ἄν τις ἀγχίνους χειροτέχνης τὸ κάλλιστον τῆς τέχνης [16] εὑρόμενος, τὸ λεπτώτερον δ' αὖθις ἐξ αὐτῆς περιεργάζηται λοιπὸν, καὶ ζητῇ, μυρίαις ἀεὶ μηχαναῖς [17] τὴν ἑαυτοῦ αὐτὸς ἔννοιαν πρὸς τὸ τελειώτερον συνεντείνων τε, C καὶ ἁρμοζόμενος· τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον [18] ἡμῖν καὶ ἡ τῆς ἀναγνώσεως τυγχάνει χρηστομαθὴς πραγματεία, ὁσημέραι πρὸς θεωρίαν τῆς τῶν καλῶν γνώσεως κατὰ μικρὸν τὴν ψυχὴν ἐξασκοῦσά τε, καὶ ἀναβιβάζουσα. [19] τοιγαροῦν φιλόλογος ἄγαν ὑπάρχων τὸν τρόπον, ἀλήκτως τε ταύτην, [20] ὡς φίλος, γεραίρων, οὐχ ἥκιστα δὲ ἂν εὐφημῶν ἑκάστοτε, ἔναγχος ἐμοί γε τήν τε τῶν πράξεων βίβλον ἅμα, καὶ καθολικῶν ἐπιστολῶν ἀναγνῶναι τε κατὰ προσῳδίαν, καὶ πῶς ἀνακεφαλαιώσασθαι, καὶ διελεῖν τούτων ἑκάστης τὸν νοῦν λεπτομερῶς, [21] προσέταξας, ἀδελφὲ Ἀθανάσιε προσφιλέστατε, καὶ τοῦτο ἀόκνως ἐγὼ, καὶ προθύμως πεποιηκὼς, στοι- D χηδόν τε συνθεὶς τούτων τὸ ὕφος κατὰ τὴν ἐμαυτοῦ συμμετρίαν πρὸς εὔσημον ἀνάγνωσιν, διεπεμψάμην ἐν βραχεῖ τὰ ἕκαστά σοι, [22] καὶ καθ' ἀκολουθίαν ἐκθέμενος [23] ὀλιγοστὴν ἀνακεφαλαίωσιν, πρῶτον περὶ ὧν Λουκᾶς ὁ εὐαγγελιστὴς συνέταξε,

scribes ea filiis tuis; & loqueris in eis sedens in domo, & ambulans in via, & dormiens, & exsurgens. Usque adeo de hac meditatione atque exercitatione vult Deus nos semper esse solicitos. Quamobrem in hac divini præcepti observantia fiduciam habens sacer Psalmista David, ad Deum dicebat: [a] *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper, Domine adjutor meus & redemtor meus.* Æterna itaque beatitudo minime dubium, immo certissimum præmium est amoris, quo divinarum doctrinarum meditationem prosequimur; quandoquidem meditationis hujus neglectum, inevitabilis pœna divinitus manifeste sequitur: nam si quos nulla ejus cura tangit, ii profecto illam adversus se proferri sententiam audient, quam miseri quique peccatores postmodum accepturi sunt; nempe: [b] *Maledictus homo, qui non permanet in his quæ scripta sunt in libro legis, ad faciendum ea.* Absit itaque ut aliquando cessemus, vel deflectamus a pia hac optimaque sacras scripturas meditandi consuetudine: nam eos qui sibi assuescunt, amore quodammodo complectitur, nec umquam fallit, immo etiam impensos sibi labores majori cum utilitate compensat; quanto enim quis excellentiorem disciplinarum cognitionem atque scientiam consequitur, eo magis ad præstantiora atque laudabiliora niti solet. Quemadmodum enim ingeniosi artifices, si, quod in arte pulcherrimum est, adinvenerint, deinceps subtiliora quæque ejusdem artis rursus diligenter exquirere non cessant, suum ipsorum ingenium ad perfectiora quæque excogitanda summis semper conatibus acuentes atque accommodantes: eodem sane modo & accurata lectio discentibus plurimum prodest, utpote quæ animum quotidie expolit, & ad pulcrarum rerum cognitionem paullatim elevat. Cum itaque tali tantoque amore sacras litteras sponte prosequaris, easque tamquam tibi acceptissimas, magno semper in honore habeas, dignisque laudibus passim celebres, amicissime frater Athanasi; mihi nuper mandasti, ut Actuum Apostolorum librum, una cum catholicis epistolis, in versiculos ad quamdam cantus similitudinem distinguerem, in capitula digererem, eorumdemque omnium sensum in minutas partes dividerem: quod cum impigre alacriterque præstiterim, & illius libri contextum, versuum partitione, prout aptius visum fuit, ad elegantiorem legendi formam concinnaverim, & subsequenter qualiacumque totius operis capitula confecerim; ea omnia post breve tempus ad te misi, pauca præfatus de libris, quos Lucas evangelista con-

P.408. P.409. P.410.

a Psalm. CXVIII. 13. b Deut. XXVII. 26.

1. Omnes quos contulimus, codices ita legunt; sed Romana LXX. interpretum editio habet, τοὺς υἱούς.
2. Codex Vaticanus num 367. λαλήσεις αὐτὰ τοῖς καθημένοις. Alter Vaticanus codex, λαλήσεις αὐτοῖς καθήμενος.
3. Codex Vaticanus num. 363. & Lollinianus, καὶ ἀνιστάμενος.
4. In Romana LXX. interpretum editione, & in Vaticano codice num. 367. & in Lolliniano non habetur, ἐστί.
5. Male Lollinianus, καὶ ἀναμφήριστον.
6. In Urbinate deest, ἀναφανδὸν, & mox male legit, ἀπαραίτητος ἐστί τε θεόθεν.
7. Ita Vaticanus codex num. 363. & Lollinianus; in altero Vaticano est, πάσονται, male autem in regio-Alexandrino est, παθήσονται.
8. Ita Vaticanus codex num. 367. & Lollinianus, atque etiam Romana LXX. interpretum editio; in ceteris omnibus deest præpositio, ἐν.
9. Ita in codice Urbinate, qui male tamen postea legit, μὴ δ' ἀπονεῦσαι τῆς πρὸς αὐτῆς. Alii omnes codices legunt, οὐκοῦν, regio-Alexandrino excepto qui habet, οὐκοῦν. Sed legendum est, οὐκ οὖν, cum Urbinate codice, ut sensus sit, οὐκ οὖν ἂν ἀπολῆξαί σοι ποτε, cet.
10. In Vaticano codice num. 367. deest, αὕτη.
11. In altro Vaticano deest, ἀεί.
12. Lollinianus codex, ὅσον γάρ.
13. Vaticanus codex num. 367. γίγνηται, alter vero Vaticanus, γένηται.
14. Vaticanus codex num. 367. & Lollinianus, περισσῶς μειζόνων.
15. Vaticanus codex num. 363. & Lollinianus, καθάπερ ἄν τις. Vaticanus alter, καθάπερ γάρ τις. Urbinas, καθάπερ τις, & mox uterque, περιεργάζεται.
16. Lollinianus codex, ἁράμενος: mox Vaticanus num. 367. λεπτομερέστερον.
17. Idem Vaticanus codex, τὴν ἑαυτοῦ ἔννοιαν. Vaticanus alter, ἑαυτὸς τὴν ἑαυτοῦ. Urbinas, τὴν ἑαυτὸς ἑαυτοῦ. Lollinianus vero, τὴν αὐτὸς αὐτοῦ.
18. Pronomen, ἡμῖν, deest in cod. regio-Alexandrino.
19. Duo Vaticani, τοῖος τοιγαροῦν. Mox Lollinianus, καὶ ἄγαν.
20. Vaticanus codex num. 363. & Urbinas perperam habent, ὁ φίλος. Regio-Alexandrinus male, ὁ φίλος γεραίρων.
21. Urbinas, προσέταξας. Lollinianus male, προτάξας.
22. In duobus Vaticanis & Lolliniano deest καί.
23. Vaticanus codex num. 367. ὀλιγοστὴν. ἀνακεφαλαίωσιν. Lollinianus & Urbinas ὀλίγοις τὴν.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 458.

A προοιμιασάμενος· Αντιοχεὺς γὰρ οὗτος ὑπάρχων τὸ γένος, [1] ἰατρός τι τὴν ἐπιστήμην, πρὸς Παύλου μαθητευθεὶς, δύο βίβλους συνεγράψατο, μίαν μὲν καὶ προτέραν τὴν τοῦ εὐαγγελίου, δευτέραν δὲ ταύτην τὴν περὶ τῶν ἀποστολικῶν πράξεων. ἔστιν οὖν ὁ πᾶς λόγος [2] τοῦδε τοῦ τεύχους περί τε τῆς μετὰ τὴν ἀνάστασιν εἰς τοὺς οὐρανοὺς ἀνόδου τοῦ Χριστοῦ, καὶ περὶ τῆς τοῦ ἁγίου πνεύματος εἰς τοὺς [3] ἁγίους ἀποστόλους ἐπιφοιτήσεως· ὅπως τε, καὶ ὅποι τὴν εἰς Χριστὸν εὐσέβειαν κατήγγειλαν οἱ μαθηταί· καὶ ὅσα διὰ προσευχῆς, καὶ τῆς εἰς αὐτὸν πίστεως ἐθαυματούργησαν· καὶ περὶ τῆς οὐρανόθεν θείας κλήσεως τοῦ Παύλου, ἀποστολῆς τε αὐτοῦ, καὶ κηρύγματος εὐθαλοῦς· καὶ συλλήβδην εἰπεῖν, περὶ ὧν [4] ἤθλησαν οἱ ἀπόστολοι διὰ Χριστὸν B πολλῶν τε καὶ μεγίστων κινδύνων, στίχοι ρν'.

[5] ΑΝΑΚΕΦΑΛΑΙΩΣΙΣ

Τῶν ἀναγνώσεων, καὶ ὧν ἔχουσι κεφαλαίων, καὶ θείων μαρτυριῶν, καὶ ὅσων ἑκάστη τούτων, στίχων τυγχάνει.

ΕΝ τῇ βίβλῳ τῶν πράξεων τῶν ἀποστόλων ἀναγνώσεις εἰσὶν ις'. κεφάλαια μ'. μαρτυρίαι λ'. [6] στίχοι βφνς'.

Ανάγνωσις πρώτη, οὕτως, Τὸν μὲν πρῶτον λόγον. κεφαλαίου ἑνός. α'. μαρτυρίας μιᾶς. α'. [7] στίχων μ'.

C Ανάγνωσις β'. οὕτως, Καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις ἀναστὰς Πέτρος. κεφαλαίου ἑνὸς, β'. μαρτυρίας μιᾶς, β'. στίχων λ'.

Ανάγνωσις γ'. οὕτως, Καὶ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς. κεφαλαίου I. γ'. μαρτυριῶν IIII. γ'. δ'. ε'. ϛ'. στίχων ρθ'.

Ανάγνωσις δ'. οὕτως, Πέτρος δὲ καὶ Ιωάννης ἀνέβαινον εἰς τὸ ἱερὸν, κεφαλαίου I. δ'. μαρτυριῶν III. ζ'. η'. θ'. στίχων ρλϛ'.

Ανάγνωσις ε'. οὕτως, Τοῦ δὲ πλήθους τῶν πιστευσάντων ἦν καρδία καὶ ψυχὴ μία. κεφαλαίων II. ε'. ϛ'. στίχων ρ'.

D Ανάγνωσις ϛ'. οὕτως, Εν δὲ ταῖς ἡμέραις ταύταις πληθυνόντων τῶν μαθητῶν. κεφαλαίων II. ζ'. η'. μαρτυριῶν ΠΙΙΙ. ι'. ια'. ιβ'. ιγ'. ιδ'. ιε'. ις'. ιζ'. ιη'. στίχων σκ'.

Ανάγνωσις ζ'. οὕτως, Εγένετο δὲ ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ διωγμὸς μέγας ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν. κεφαλαίων IIII. θ'. ι'. ια'. ιβ'. μαρτυρίας I. ιθ'. στίχων ρκ'.

Ανάγνωσις η'. οὕτως, Ο δὲ Σαῦλος ἔτι ἐμπνέων ἀπειλῆς. κεφαλαίου ἑνὸς ιγ'. στίχων ϟε'.

Ανάγνωσις θ'. οὕτως, Εγένετο δὲ Πέτρον διερχόμενον διὰ πάντων. κεφαλαίων III. ιδ'. ιε'. ις'. E στίχων σν'.

Ανάγνωσις I. οὕτως, Εν ταύταις δὲ ταῖς ἡμέραις κατῆλθον ἀπὸ Ιεροσολύμων προφῆται εἰς Αντιοχείαν. κεφαλαίων ΠΙ. ιζ'. ιη'. ιθ'. κ'. κα'. κβ'. μαρτυριῶν ΠΙ. κ'. κα'. κβ'. κγ'. κδ'. κε'. στίχων τ'.

Ανάγνωσις ια'. οὕτως, Καί τινες κατελθόντες ἀπὸ τῆς Ιουδαίας, ἐδίδασκον τοὺς μαθητὰς. κε-

scripsit: is enim genere Antiochenus, & scientia Medicus, Paullique Apostoli discipulus, duos libros edidit, quorum primus evangelium complectitur, secundus autem est hoc ipsum Actuum Apostolorum volumen; in quo quidem auctor Christi ad cælos ascensum, & divini Spiritus super sanctos Apostolos adventum describit. Narrat præterea quot, & quales discipuli christianam fidem prædicaverint, quantaque miracula per orationem & fidem in Christum patraverint. Denique de cælesti ac divina Paulli vocatione agit, deque ejus apostolatu atque fructuosissima prædicatione: & ut uno verbo dicam de multis maximisque periculis, quæ propter Christum Apostoli subierunt. Versus hujus procœmii sunt CL.

ELENCHUS P.411.

Lectionum Actuum Apostolorum, cum numero capitum, versiculorum, & auctoritatum veteris, novique Testamenti, quæ in iisdem continentur.

IN Actuum Apostolorum libro lectiones sunt num. XVI. capita XL. testimonia ex aliis sacræ paginæ libris XXX. versus MMDLVI.

Lectio I. ita incipit, Primum quidem sermonem. Caput habet unum. Testimonium unum, nempe primum, versus XL.

Lectio II. ita incipit, Et in diebus illis stans Petrus, *cap.* I. *vers.* 14. Caput habet unum, nempe II. testimonium unum, nempe II. versus XXX.

Lectio III. ita incipit, Et cum complerentur dies Pentecostes, *cap.* II. *vers.* I. Caput habet unum, nempe III. testimonia quatuor, nempe III. IV. V. & VI. versus CIX.

Lectio IV. ita incipit, Petrus autem & Joannes ascendebant in templum, *cap.* III. *vers.* I. Caput habet unum, nempe IV. testimonia tria, nempe VII. VIII. & IX. versus CXXXVI.

Lectio V. ita incipit, Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una, *cap.* IV. *vers.* 32. P.412. Capita habet duo, nempe V. & VI. versus C.

Lectio VI. ita incipit, In diebus autem illis crescente numero discipulorum, *cap.* VI. *vers.* I. Capita habet duo, nempe VII. & VIII. testimonia octo, nempe X. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. & XVIII. versus CCXX.

Lectio VII. ita incipit, Facta est autem in illa die persecutio magna in ecclesiam, *cap.* VII. I. Capita habet quatuor, nempe IX. X. XI. XII. testimonium unum, nempe XIX. vers. CXX.

Lectio VIII. ita incipit, Saulus autem adhuc spirans minarum, *cap.* IX. *vers.* I. Caput unum habet, nempe XIII. vers. XCV.

Lectio IX. ita incipit, Factum est autem, ut Petrus, dum transiret universos, *cap.* IX. *vers.* 32. Capita habet tria, nempe XIV. XV. XVI. versus CCL.

Lectio X. ita incipit, In his autem diebus supervenerunt ab Hierosolymis prophetæ Antiochiam. *cap.* II. 27. Capita habet sex, nempe XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. XII. testimonia sex, nempe XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV. Versus CCC.

Lectio XI. ita incipit, Et quidam descendentes de Judæa docebant fratres cet. *cap.* XV. *vers.* I. Ca-

1. Vaticanus codex num. 367. & Lollinianus ἰατρός δέ.
2. Vaticanus codex num. 367. τοῦ δευτέρου στίχους.
3. Regio-Alexandrinus addit, ἁγίους.
4. Ita Urbinas; in regio-Alexandrino est ἐνήθλησαν, in aliis omnibus ἔθλησαν.
5. Hæc Lectionum enumeratio in regio-Alexandrino tantum codice reperitur; eorumque numerus antiquis liturgicis Alexandrinæ ecclesiæ diebus plane respondet, ut in nostra ad hoc opus præfatione ostendimus.
6. Male in scripto codice στίχοι μω. sunt enim versus MMDLVI. ut infra, in calce epistolarum catholicarum adnotatur, licet supputati lectionum versus sint 2560.
7. Numerum versuum a librario omissum, nos ex Actuum textu supplevimus.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 458.

-φαλαίων II. κγ′. κδ′. μαρτυρίας μιᾶς, κϛ′. στί- A
χων σ′.

Ανάγνωσις ιβ′. οὕτως, Διοδεύσαντες δὲ τὴν Αμφίπολιν, κεφαλαίων III. κέ. κϛ′. κζ′. μαρτυρίας I. κζ′. στίχων ρπ′.

Ανάγνωσις ιγ′. οὕτως, Εγένετο δὲ ἐν τῷ τὸν Απολλῶν εἶναι ἐν Κορίνθῳ, κεφαλαίων III. κή. κθ′. λ′. μαρτυρίας μιᾶς, κή. στίχων σμ′.

Ανάγνωσις ιδ′. Μετὰ δὲ τὰς ἡμέρας ταύτας ἐπισκευασάμενοι, ἀνεβαίνομεν εἰς Ιεροσόλυμα. κεφαλαίων πέντε, λά. λβ′. λγ′. λδ′. λέ. μαρτυρίας μιᾶς, κθ′. στίχων σϟγ′.

Ανάγνωσις ιέ. οὕτως, Διετίας δὲ πληρωθείσης, ἔλαβεν διάδοχον ὁ Φήλιξ Πόρκιον Φῆστον. κεφαλαίων II. λϛ′. λζ′. στίχων σξή.

Ανάγνωσις ιϛ′. οὕτως, Ως δὲ ἐκρίθη τοῦ ἀποπλεῖν ἡμᾶς εἰς Ιταλίαν. κεφαλαίων III. λή. λθ′. μ′. μαρτυρίας μιᾶς λ′. [1] στίχων ριθ′. στίχοι κέ.

Διεῖλον τὰς ἀναγνώσεις τῆς βίβλου τῶν πράξεων τῶν ἀποστόλων, καὶ τὰ κεφάλαια ἑκάστης ἀναγνώσεως παρέθηκα, καὶ τὰς ἐν αὐτῇ φερομένας μαρτυρίας, ἔτι δὲ καὶ ὅσων ἑκάστη στίχων τυγχάνει.

A pita habet duo, nempe XXIII. & XXIV. testimonium unum, nempe XXVI. versus CC.

Lectio XII. ita incipit, Cum autem perambulassent Amphipolim, *cap.* XVII. *vers.* I. Capita habet tria, nempe XXV. XXVI. XXVII. testimonium unum, nempe XXVII. versus CLXXX.

Lectio XIII. ita incipit, Factum est autem cum Apollo esset Corinthi, *cap.* XIX. *vers.* I. Capita habet tria, nempe XXVIII. XXIX. & XXX. testimonium I. nempe XXVIII. vers. CCXL. P.413.

Lectio XIV. ita incipit, Post dies autem istos præparati ascendebamus in Hierusalem, *cap.* XXI. *vers.* 15. Capita habet quinque, nempe XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV. & XXXV. testimonium unum, nem-
B pe XXIX. versus CCXCIII.

Lectio XV. ita incipit, Biennio autem expleto, accepit successorem Felix Portium Festum, *cap.* XXIV. 27. Capita habet duo, nempe XXXVI. & XXXVII. versus CCLXVIII.

Lectio XVI. ita incipit, Ut autem judicatum est navigare nos in Italiam, *cap.* XXVII. *vers.* I. Capita habet tria, nempe XXXVIII. XXXIX. & XL. testimonium unum, nempe XXX. versus CXIX. Hujus autem Elenchi versus sunt XXV.

Distinxi lectiones libri Actuum Apostolorum, & singularum lectionum capita una cum testimoniis quæ in unaquaque ipsarum referuntur, apposui; insuper quot singulæ versibus constent, desi-
C gnavi.

ΠΡΟΓΡΑΜΜΑ.

ΤΑς ἀφ' ἑκάστης βίβλου μαρτυρίας παρασημειωσάμενος, [2] τῷ διὰ τοῦ μέλανος ἀριθμῷ παρέθηκα διὰ κινναβάρεως τούτων τὴν τάξιν ἅμα, καὶ ποσότητα, κανονιζομένην τῷ ἔνδον ὁμοίως παρακειμένῳ ἀριθμῷ τῷ ὕφει τοῦ τάχους.

PROGRAMMA. P.414.

SIngulas sacræ scripturæ auctoritates, in Actibus Apostolorum allegatas, enumeraturus, usus sum nigris numerorum notis, eisque alias cinnabari exaratas apposui, quibus ordo indicatur, quo in eodem libro laudantur, simulque ostenditur quot vicibus unus idemque sacræ scripturæ liber in eodem Actuum libro laudetur, ac præterea aliis numerorum notis in eorumdem Actuum contextu ad marginem positis respondent.

[3] ΑΝΑΚΕΦΑΛΑΙΩΣΙΣ

Θείων μαρτυριῶν, ὧν ἔχει ἡ βίβλος τῶν πράξεων τῶν ἀποστόλων· ἔχει δὲ μαρτυρίας λά.

ΓΕνέσεως III. ή. ί. ιά.
Εξόδου III. ζ′. ιβ′. ιγ′. ιδ′. ιέ. λ′.

[4] Δευτερονομίου I. ιέ.
Βασιλείων πρώτης I. κ′.
Ψαλτηρίου IIII. β′. δ′. έ. ϛ′. θ′. ιζ′. κβ′.

Αμὼς προφήτου II. ιϛ′. κζ′.
Ιωὴλ προφήτου I. γ′.
Αγγαίου προφήτου I. ιή.
Αμβακοὺμ προφήτου I. κέ.
Ησαΐου προφήτου IIII. ιθ′. κγ′. κέ. λά.

D
ELENCHUS

Divinorum testimoniorum seu auctoritatum ex aliis sacræ scripturæ libris, quæ continet liber Actuum Apostolorum; continet autem testimonia XXXI.

EX libro Geneseos III. nempe VIII. X. XI.
Ex libro Exodi VI. nempe VII. XII. XIII. XIV. XV. & XXX.
Ex Deuteronomio I. nempe XVI.
Ex primo Regum I. nempe XX. P.415.
Ex Psalterio VII. nempe II. IV. V. VI. IX. XVII. & XXII.
Ex Amos duo, nempe XVI. & XXVII.
E Ex Joele propheta I. nempe III.
Ex Aggæo propheta I. nempe XVIII.
Ex Abacuc propheta I. nempe XXV.
Ex Isaia propheta IV. nempe XIX. XXIII. XXV. & XXXI.

1. Male in scripto codice στίχοι κέ.

2. Quas numerorum notas in hoc testimoniorum elencho Euthalius atramento atque cinnabari delineaverat, eas in græco textu nos majusculis atque minusculis litteris distinximus; ita ut majusculæ quidem litteræ earum vicem suppleant quas Euthalius atramento scripserat, minusculæ vero litteras numericas ab eodem cinnabari delineatas exprimant. Sed & in latina versione majusculæ numerorum notæ græcis majusculis, minusculæ vero græcis minusculis respondent.

3. In hoc sacræ scripturæ locorum elencho majores numerorum notæ atramento, minores cinnabari exaratæ fuerant in Euthalii codice: cum autem ab oscitante librario omissus esset Amos propheta, ac præterea multi in numerorum notis errores reperirentur, nos ad fidem sequentis eorumdem catalogi quæ deerant addidimus, & quæ corrupta erant emendavimus.

4. Nullus ex Deuteronomio locus in sequenti integrorum testimoniorum elencho refertur ab Euthalio, licet unus idemque locus ex eo libro laudetur in Actis Apostolorum cap. III. 22. & c. VII. 37. Prima enim vice Deuteronomii locum Exodo tribuit: eumdem vero locum, secunda vice in Actis memoratum, silentio præterit. Quare mirum videtur heic ab Euthalio Deuteronomium in album sacræ scripturæ librorum referri, quorum auctoritates in Apostolorum actis allegantur.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 458.

Ματταίου εὐαγγελιστοῦ II. ά. κά.
Διατάξεων I. κθ'.
Αράτου ἀστρονόμου I. κή.
Ομοῦ μαρτυρίαι λά. στοίχοι ρκ'.

A Ex Matthæo evangelista II. nempe I. & XXI.
Ex Constitutionibus I. nempe XXIX.
Ex Arato astronomo I. nempe XXVIII.
Omnia simul testimonia sunt XXXI. versus CXX.

ΑΝΑΚΕΦΑΛΑΙΩΣΙΣ

Θείων μαρτυριῶν τῆς βίβλου τῶν πράξεων.

Ματταίου εὐαγγελιστοῦ, Ιωάννης μὲν ἐβάπτισεν ὕδατι· ὑμεῖς δὲ βαπτισθήσεσθαι ἐν Πνεύματι ἁγίῳ.

Ψαλμοῦ ξή. καὶ ρή. Γενηθήτω ἡ ἔπαυλις αὐτοῦ ἔρημος, καὶ μὴ ἔσω ὁ κατοικῶν ἐν αὐτῇ, καὶ τὴν B ἐπισκοπὴν αὐτοῦ λαβέτω ἕτερος.

Ιωὴλ προφήτου, Καὶ ἔσται μετὰ ταῦτα, λέγει ὁ Θεὸς, ἐκχεῶ ἀπὸ τοῦ πνεύματός μου ἐπὶ πᾶσαν σάρκα, καὶ προφητεύσουσιν οἱ υἱοὶ ὑμῶν, καὶ αἱ θυγατέρες ὑμῶν, καὶ οἱ νεανίσκοι ὑμῶν ὁράσεις ὄψονται, καὶ οἱ πρεσβύτεροι ὑμῶν ἐνυπνίοις ἐνυπνιασθήσονται. καί γε ἐπὶ τοὺς δούλους μου, καὶ ἐπὶ τὰς δούλας μου, ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἐκχεῶ ἀπὸ τοῦ πνεύματός μου, καὶ προφητεύσουσιν, καὶ δώσω τέρατα ἐν τῷ οὐρανῷ ἄνω, καὶ σημεῖα ἐπὶ τῆς γῆς κάτω, αἷμα, καὶ πῦρ, καὶ ἀτμίδα καπνοῦ. ὁ ἥλιος μεταστραφήσεται εἰς σκότος, καὶ ἡ σελήνη εἰς αἷμα, πρὶν ἐλθεῖν τὴν ἡμέραν κυρίου τὴν μεγάλην, καὶ ἐπιφανῆ. καὶ ἔσται, πᾶς ὃς C [1] ἂν ἐπικαλέσηται τὸ ὄνομα κυρίου, σωθήσεται.

Ψαλμοῦ ιέ. Προωρώμην τὸν κύριον ἐνώπιόν μου διὰ παντὸς, ὅτι ἐκ δεξιῶν μου ἐστὶν, ἵνα μὴ σαλευθῶ. διὰ τοῦτο ηὐφράνθη ἡ καρδία μου, καὶ ἠγαλλιάσατο ἡ γλῶσσά μου· ἔτι δὲ καὶ ἡ σάρξ μου κατασκηνώσει ἐπ' ἐλπίδι. ὅτι οὐκ ἐγκαταλήψεις τὴν ψυχήν μου εἰς ᾅδην, οὐδὲ δώσεις τὸν ὅσιόν σου ἰδεῖν διαφθοράν. ἐγνώρισάς μοι ὁδοὺς ζωῆς· πληρώσεις με εὐφροσύνης μετὰ τοῦ προσώπου σου.

Ψαλμοῦ ρλά. Ἐκ καρποῦ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ θῆσαι ἐπὶ τὸν θρόνον αὐτοῦ.

Ψαλμοῦ ρθ'. Εἶπεν ὁ κύριος τῷ κυρίῳ μου, κάθου ἐκ δεξιῶν μου, ἕως ἂν θῶ τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου. D

[2] Τῆς Ἐξόδου, προφήτην ὑμῖν ἀναστήσει κύριος ὁ Θεὸς ἐκ τῶν ἀδελφῶν ὑμῶν ὡς ἐμὲ, αὐτοῦ ἀκούσεσθε κατὰ πάντα, ὅσα ἂν λαλήσει πρὸς ὑμᾶς· ἔσται δὲ, πᾶσα ψυχὴ, ἥτις ἐὰν μὴ ἀκούσει τοῦ προφήτου ἐκείνου, ἐξολοθρευθήσεται ἐκ τοῦ λαοῦ.

Γενέσεως, Καὶ ἐν τῷ σπέρματί σου εὐλογηθήσονται πᾶσαι αἱ πατριαὶ τῆς γῆς.

Ψαλμοῦ β'. Ινατί ἐφρύαξαν ἔθνη, καὶ λαοὶ ἐμελέτησαν κενά; παρέστησαν οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς, καὶ οἱ ἄρχοντες συνήχθησαν ἐπὶ τὸ αὐτὸ κατὰ τοῦ κυρίου, καὶ κατὰ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ.

Γενέσεως, Ἔξελθε ἐκ τῆς γῆς σου, καὶ ἐκ τῆς συγγενείας σου, καὶ δεῦρο εἰς τὴν γῆν, ἣν [3] ἄν σοι E δείξω.

Γενέσεως, Ὅτι ἔσται τὸ σπέρμα αὐτοῦ πάροικον ἐν γῇ ἀλλοτρίᾳ, καὶ δουλώσουσιν αὐτὸ, καὶ [4] κακώσουσιν αὐτὸ ἔτη τετρακόσια, καὶ τὸ ἔθνος ἐκεῖνο ᾧ ἐὰν δουλεύσωσιν, κρινῶ ἐγὼ, εἶπεν ὁ Θεὸς, καὶ μετὰ ταῦτα ἐξελεύσονται, καὶ λατρεύσουσί μοι ἐν τῷ τόπῳ τούτῳ.

Ἐξόδου, Τίς σε κατέστησεν ἄρχοντα, καὶ δικαστὴν ἐφ' ἡμᾶς; μὴ ἀνελεῖν με σὺ θέλεις, ὃν τρόπον ἀνεῖλες χθὲς τὸν Αἰγύπτιον;

ELENCHUS

Divinorum testimoniorum quæ continet liber Actuum Apostolorum.

I. Matthæi evangelistæ, *cap.* III. *vers.* 11. Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto, *cap.* I. 5.

II. Psalmi LXVIII. *vers.* 26. & CVIII. *vers.* 8. Fiat B commoratio ejus deserta, & non sit qui habitet in ea: & episcopatum ejus accipiat alter, *ibid.* 20.

III. Joelis prophetæ, *cap.* II. *vers.* 28. Et erit post hæc, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo su- P.416.
per omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ, & juvenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt. Et quidem super servos meos & super ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt: & dabo prodigia in cælo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem, ante quam veniet dies Domini magnus & manifestus. Et erit: Omnis quicumque invocaverit nomen Do- C mini, salvus erit, *cap.* II. *vers.* 17.

IV. Psalmi XV. *vers.* 8. Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear. Propter hoc lætatum est cor meum, & exsultavit lingua mea; insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ; replebis me jucunditate cum facie tua, *cap.* II. 25.

V. Psalmi CXXXI. *vers.* 11. De fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus, *ibid. vers.* 30.

VI. Psalmi CIX. *vers.* 1. Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos P.417.
D tuos scabellum pedum tuorum, *ibid. vers.* 34.

VII. Exodi, prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris tamquam me: ipsum audietis juxta omnia quæcumque locutus fuerit vobis. Erit autem: omnis anima quæ non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe, *cap.* III. 22.

VIII. Genesis *cap.* XXII. 18. Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ, *ibid.* 25.

IX. Psalmi II. *vers.* 1. Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus, *cap.* IV. 25.

X. Genesis *cap.* XII. *vers.* 1. Exi de terra tua, & E de cognatione tua, & veni in terram quam monstravero tibi, *cap.* VII. *vers.* 3.

XI. Genesis *cap.* XV. *vers.* 13. Quia erit semen ejus accola in terra aliena, & servituti eos subjicient, & male tractabunt eos annis quadringentis, & gentem cui servierint, judicabo ego, dixit Dominus, & post hæc exibunt, & servient mihi in loco isto, *cap.* VII. 6.

XII. Exodi *cap.* II. *vers.* 13. Quis te constituit P.418.
principem, & judicem super nos? Numquid interficere me tu vis, quemadmodum interfecisti heri Ægyptium? *cap.* VII. 27.

1. In codice ὃς ἐὰν heic scribitur; sed in textu Actuum ὃς ἄν.
2. Hic locus non Exodi est, sed Deuteronomii cap. XVIII. vers. 15. Euthalius tamen tam heic, quam in præcedenti testimoniorum elencho, & ad marginem textus Actuum Exodo tribuit.
3. In codice heic ἣν ἐὰν; sed in textu Actuum ἣν ἄν.
4. In textu Actuum habet κακώσουσιν ἔτη.

Ἐξόδου, Ἐγὼ ὁ Θεὸς τῶν πατέρων σου, ὁ Θεὸς A Ἀβραὰμ, καὶ ὁ Θεὸς Ἰσαὰκ, καὶ ὁ Θεὸς Ἰακώβ.

Ἐξόδου, Λῦσον τὸ ὑπόδημα τῶν ποδῶν σου· ὁ γὰρ τόπος [1] ἐφ᾽ ὅ συ ἕστηκας, γῆ ἁγία ἐστίν· ἰδὼν εἶδον τὴν κάκωσιν τοῦ λαοῦ μου, τοῦ ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ τοῦ στεναγμοῦ αὐτῶν ἀκήκοα, καὶ κατέβην ἐξελέσθαι αὐτούς. καὶ νῦν δεῦρο, [2] ἀποστείλω σε εἰς Αἴγυπτον.

Ἐξόδου, Ποίησον ἡμῖν θεοὺς, οἳ προπορεύσονται ἡμῶν· ὁ γὰρ Μωϋσῆς οὗτος, ὃς ἐξήγαγεν ἡμᾶς ἐκ γῆς Αἰγύπτου, οὐκ οἴδαμεν τί [3] ἐγένετο αὐτῷ.

Ἀμὼς προφήτου, Μὴ σφάγια, καὶ θυσίας προσηνέγκατέ μοι ἔτη τεσσαράκοντα ἐν τῇ ἐρήμῳ, οἶ- B κος Ἰσραήλ; καὶ ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ Μολὸχ, καὶ τὸ ἄστρον τοῦ θεοῦ ὑμῶν [4] Ῥεφὰν, τοὺς τύπους, οὓς ἐποιήσατε προσκυνεῖν αὐτοῖς, καὶ μετοικῶ ὑμᾶς ἐπέκεινα Βαβυλῶνος.

Ψαλμοῦ ρλα. Ἠτήσατο εὑρεῖν σκήνωμα τῷ Θεῷ Ἰακώβ.

[5] Ἀγγαίου προφήτου, Ὁ οὐρανός μοι θρόνος· ἡ δὲ γῆ ὑποπόδιον τῶν ποδῶν μου. ποῖον οἶκον οἰκοδομήσετέ μοι, λέγει κύριος; ἢ τίς τόπος τῆς καταπαύσεώς μου; οὐχὶ ἡ χείρ μου ποίησε ταῦτα πάντα;

Ἡσαΐου προφήτου. Ὡς πρόβατον ἐπὶ σφαγὴν ἤχθη, καὶ ὡς ἀμνὸς ἐναντίον τοῦ κείροντος αὐτὸν ἄφωνος, οὕτως οὐκ ἀνοίγει τὸ στόμα αὐτοῦ. C ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτοῦ ἡ κρίσις αὐτοῦ ἤρθη. τὴν δὲ γενεὰν αὐτοῦ τίς διηγήσεται; ὅτι αἴρεται ἀπὸ τῆς γῆς ἡ ζωὴ αὐτοῦ.

[6] Βασιλειῶν α. Εὗρον Δαβὶδ τὸν τοῦ Ἰεσσαὶ, ἄνδρα κατὰ τὴν καρδίαν μου, ὃς ποιήσει πάντα τὰ θελήματά μου.

Ματθαίου εὐαγγελιστοῦ, [7] Τίνα με ὑπονοεῖτε εἶναι, οὐκ εἰμὶ ἐγώ. ἀλλ᾽ ἰδοὺ ἔρχεται μετ᾽ ἐμὲ, οὗ οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς τὸ ὑπόδημα τῶν ποδῶν λῦσαι.

Ψαλμοῦ β. Υἱός μου εἶ σὺ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε.

Ἡσαΐου προφήτου, Δώσω ὑμῖν τὰ ὅσια Δαβὶδ τὰ πιστά.

[8] Ἀμβακοὺμ προφήτου, Βλέπετε οὖν μὴ ἐπέλθῃ D ἐφ᾽ ὑμᾶς τὸ εἰρημένον ἐν τοῖς προφήταις, Ἴδετε οἱ καταφρονηταὶ, καὶ θαυμάσατε, καὶ ἀφανίσθητε, ὅτι ἔργον ἐγὼ ἐργάζομαι ἐν ταῖς ἡμέραις ὑμῶν, ἔργον ὃ οὐ μὴ πιστεύσητε, ἐάν τις ἐκδιηγῆται ὑμῖν.

Ἡσαΐου προφήτου, Τέθεικά σε εἰς φῶς ἐθνῶν, τοῦ εἶναί σε εἰς σωτηρίαν ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς.

Ἀμὼς προφήτου, Μετὰ ταῦτα ἀναστρέψω καὶ ἀνοικοδομήσω τὴν σκηνὴν Δαβὶδ τὴν πεπτωκυῖαν, καὶ τὰ κατεσκαμμένα αὐτῆς ἀνοικοδομήσω, καὶ ἀνορθώσω αὐτήν· ὅπως ἂν ἐκζητήσωσιν οἱ κατάλοιποι τῶν ἀνθρώπων τὸν κύριον, καὶ πάντα τὰ ἔθνη, ἐφ᾽ οὓς E ἐπικέκληται τὸ ὄνομά μου ἐπ᾽ αὐτοὺς, λέγει κύριος ὁ ποιῶν ταῦτα.

Ἀράτου ἀστρονόμου καὶ Ὁμήρου ποιητοῦ, Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν.

Ἐκ [9] τῶν διατάξεων, Μακάριόν ἐστι μᾶλλον διδόναι, ἢ λαμβάνειν.

XIII. Exodi *cap.* III. *verſ.* 2. Ego ſum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob, *ibid.* 32.

XIV. Exodi *ibidem*, Solve calceamentum pedum tuorum; locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. Videns vidi afflictionem populi mei qui eſt in Ægypto, & gemitum eorum audivi, & deſcendi liberare eos. Et nunc veni, mittam te in Ægyptum, *ibid.* 34.

XV. Exodi *cap.* XXXII. *verſ.* 1. Fac nobis deos qui præcedant nos: Moyſes enim hic qui eduxit nos de terra Ægypti, neſcimus quid factum ſit ei, *ibid. verſ.* 40.

XVI. Amos prophetæ *cap.* V. *verſ.* 25. Numquid victimas & hoſtias obtuliſtis mihi annis quadraginta in deſerto, domus Iſrael? Et ſuſcepiſtis tabernaculum Moloch, & ſidus dei veſtri Rempham, figuras quas feciſtis, adorare eas. Et transferam vos trans Babylonem, *ibid.* 42.

XVII. Pſalmi CXXXI. *verſ.* 5. Petiit ut inveniret tabernaculum Dei Jacob, *ibid.* 46.

XVIII. Aggæi prophetæ: Cælum mihi ſedes eſt; P.419. terra autem ſcabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus? aut quis locus requietionis meæ eſt? Nonne manus mea fecit hæc omnia? *ibid. verſ.* 49.

XIX. Eſaiæ prophetæ, *cap.* LIII. *verſ.* 7. Tamquam ovis ad occiſionem ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe, ſine voce, ſic non aperuit os ſuum. In humilitate judicium ejus ſublatum eſt. Generationem ejus quis enarrabit? quoniam tollitur e terra vita ejus, *cap.* VIII. 32.

XX. Regum I. Inveni David filium Jeſſæ, virum ſecundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas, *cap.* XIII. *verſ.* 23.

XXI. Matthæi evangeliſtæ *cap.* III. *verſ.* 11. Quem me arbitramini eſſe, non ſum ego: ſed ecce venit poſt me, cujus non ſum dignus calceamenta pedum ſolvere, *ibid. verſ.* 25.

XXII. Pſalmi II. *verſ.* 7. Filius meus es tu, ego hodie genui te, *ibid. verſ.* 33.

XXIII. Eſaiæ prophetæ *cap.* LV. *verſ.* 3. Dabo vobis ſancta David fidelia, *ibid.* 34.

XXIV. Abacuc prophetæ, *cap.* I. *verſ.* 5. Vi- P.420. dete ergo ne ſuperveniat vobis, quod dictum eſt in prophetis, Videte contemtores, & admiramini, & diſperdimini, quia opus operor ego in diebus veſtris, opus quod non credetis, ſi quis enarraverit vobis, *cap.* XIII. 41.

XXV. Eſaiæ prophetæ *cap.* XLIX. *verſ.* 6. Poſui te in lucem gentium, ut ſis in ſalutem uſque ad extremum terræ, *ibid.* 47.

XXVI. Amos prophetæ *cap.* IX. *verſ.* 11. Poſt hæc revertar & reædificabo tabernaculum David quod decidit, & diruta ejus reædificabo, & erigam illud, ut requirant ceteri hominum Dominum, & omnes gentes ſuper quas invocatum eſt nomen meum, dicit Dominus faciens hæc, *cap.* XV. 16.

XXVII. Arati aſtronomi & Homeri poetæ, Ipſius enim & genus ſumus, *cap.* XVIII. 28.

XXVIII. Ex Conſtitutionibus, Beatius eſt magis dare, quam accipere, *cap.* XX. 35.

1. In textu Actuum legit, *ἐν ᾧ ἕστηκας.*
2. In eodem textu, *ἀποστελῶ.*
3. In eodem textu, *γέγονεν.*
4. In textu actuum, *Ῥαφάν.*
5. Hic locus non apud Aggæum, ſed apud Eſaiam cap. LXVI. 1. legitur. Sed tam heic quam ad marginem textus Actuum, & in antecedenti teſtimoniorum elencho Euthalius Aggæo tribuit.
6. Locus iſte ad Pſalmum LXXXVII. 21. pertinet; quare non video cur Euthalius ubique librum primum Regum laudet, in quo varia quidem de Davide habentur, ſed verba iſta de eodem non leguntur.
7. In cod. heic eſt *τί με* &c. ſed in textu *τίνα με*, quam lectionem & heic ſequi placuit.
8. Omiſſus eſt heic ab Euthalio, ſeu potius a librario numerus XXIV. quia eſt pars teſtimonii ſupra num IV. relati ex Pſalmo XV. ad marginem tamen textus Actuum ita adnotatur *ψάλμος ιέ. ββ.* quod explico *ψάλμου ιέ. ἐκ δευτέρου.* Pſalm. XV. *ſecunda vice*. Hoc etiam teſtimonium omittitur in Vat. cod. n. 367
9. Locus iſte legitur in Conſtitutionibus Apoſtolicis lib. IV. cap. III.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 458.

Εξόδου, Αρχοντα τοῦ λαοῦ σοῦ οὐκ ἐρεῖς κακῶς.

Ησαΐου προφήτου, Πορεύθητι πρὸς λαὸν τοῦτον, κ̀ εἶπον, ἀκοῇ ἀκούσετε κ̀ οὐ μὴ συνῆτε, κ̀ βλέποντες [1] βλέψετε, κ̀ οὐ μὴ ἴδητε· ἐπαχύνθη γὰρ ἡ καρδία τοῦ λαοῦ τούτου, κ̀ τοῖς ὠσὶν [2] αὐτῶν βαρέως ἤκουσαν, κ̀ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἐκάμμυσαν, μήποτε ἴδωσι τοῖς ὀφθαλμοῖς, κ̀ τοῖς ὠσὶν ἀκούσωσι, κ̀ τῇ καρδίᾳ συνῶσι, καὶ ἐπιστρέψωσι, κ̀ [3] ἰάσωμαι αὐτούς.

Απᾶσαι αἱ μαρτυρίαι τῶν πράξεων λά.

XXIX. Exodi *cap.* XXII. *verf.* 28. Principem populi tui non maledices, *cap.* XXIII. 8.

XXX. Esaiæ prophetæ *cap.* VI. *6. 9.* Vade ad populum istum, & dic ad eos: Aure audietis & non intelligetis; & videntes videbitis, & non perspicietis. P.421. Incrassatum est enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos suos compresserunt, ne forte videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & sanem eos, *cap.* XXVIII. 26.

Cuncta testimonia Actuum Apostolorum sunt XXXI.

[4] ΥΠΟΘΕΣΙΣ

Τοῦ βιβλίου τῶν Πράξεων τῶν Αποστόλων.

ΠΡάξεις [5] ἀποστόλων τὸ βιβλίον καλεῖται, ἐπειδὴ τὰς πράξεις ὁμοῦ τῶν ἀποστόλων περιέχει. ὁ δὲ διηγούμενος [6] ταῦτα, ἐστὶν Λουκᾶς ὁ εὐαγγελιστὴς, ὁ κ̀ τοῦτο τὸ βιβλίον συγγράφων· [7] συναπεδήμει γὰρ τοῖς τε ἄλλοις ἀποστόλοις, κ̀ μάλιστα τῷ Παύλῳ, κ̀ εἰδὼς ἀκριβῶς γράφει. διηγεῖται δὲ [8] ἐν αὐτῷ πῶς [9] ὑπ᾽ ἀγγέλων ὑπολαβόντων ἀνελήφθη ὁ κύριος, καὶ τὴν τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἔκχυσιν γενομένην ἐν τῇ πεντηκοστῇ ἐπί τε τοὺς ἀποστόλους, καὶ πάντας τοὺς τότε παρόντας, τήν τε κατάστασιν τοῦ Ματθία ἀντὶ Ιούδα τοῦ προδότου, καὶ τὴν κατάστασιν τῶν ἑπτὰ διακόνων, καὶ τὴν [10] ἐκλογὴν τοῦ Παύλου, κ̀ ὅσα ἔπαθε, [11] κ̀ τέλος τὴν εἰς Ρώμην ἀποδημίαν αὐτοῦ. [12] τῶν μὲν οὖν δώδεκα ἀποστόλων τὰ ὀνόματά ἐστι ταῦτα, [13] πρῶτος Σίμων, ὁ λεγόμενος Πέτρος, καὶ Ανδρέας ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ, [14] Ιάκωβος ὁ τοῦ Ζεβεδαίου, κ̀ Ιωάννης ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ. Φίλιππος, καὶ Βαρθολομαῖος, Θωμᾶς, καὶ Ματθαῖος ὁ τελώνης. Ιάκωβος ὁ τοῦ Αλφαίου, καὶ [15] Θαδδαῖος· [16] Σίμων ὁ Κανανaῖος, κ̀ Ιούδας Ισκαριώτης, ὁ κ̀ παραδοὺς [17] αὐτόν· ἀλλὰ τοῦ Ιούδα προδότου γενομένου, καὶ ἀπολωμένου, κατεστάθη ὑπὸ τῶν ἀποστόλων Ματθίας, κ̀ συγκατηριθμήθη τοῖς ἕνδεκα ἀποστόλοις [18] δωδέκατος. μετὰ δὲ ταῦτα ἐκλήθη καὶ ὁ Παῦλος σκεῦος ἐκλογῆς, καὶ ἀπεστάλη κ̀ αὐτὸς μετὰ Βαρνάβα εὐαγγελίζεσθαι τὸν κύριον τοῖς ἔθνεσιν πανταχῆ. [19] τῶν δὲ κατασταθέντων τῶν διακόνων παρὰ τῶν ἀποστόλων τὰ ὀνόματά ἐστι ταῦτα, [20] πρῶτος Στέφανος, εἶτα Φίλιππος καὶ Πρόχωρος, καὶ Νικάνωρ, καὶ Τίμων, καὶ Παρμενᾶς, καὶ Νικόλαος. [21] τούτων τῶν ἀποστόλων κ̀ διακόνων τὰς

ARGUMENTUM

Libri Actuum Apostolorum.

ACta Apostolorum hic liber vocatur, quoniam gesta omnium simul Apostolorum continet. Eorumdem autem narrator, Lucas est evangelista qui librum hunc conscripsit: nam una cum Apostolis, & præsertim cum Paullo, peregrinatus fuit, eaque scribit quorum certam notitiam habuit. Narrat autem, quomodo Angelis suscipientibus, in cælum assumtus sit Dominus, & quinquagesimo post ejus resurrectionem die Spiritus sanctus in illos omnes qui tunc aderant, descenderit. Narrat præterea Matthiæ substitutionem in Judæ proditoris locum, septem diaconorum creationem, Paullique electionem, & quæcumque passus est, denique ejusdem profectionem ad Urbem Romam. Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc: primus Simon, qui dicitur Petrus & Andreas frater ejus, Jacobus Zebedæi filius, & Joannes frater ejus, Philippus & Bartholomæus, Thomas & Matthæus publicanus, Jacobus Alphæi filius & Thaddæus, Simon Cananæus & Judas Iscariotes qui Jesum prodidit. Sed postquam Judas, perpetrata jam proditione, periit, in ejus locum Matthias ab Apostolis substitutus est, & annumeratus est cum undecim Apostolis. Post hæc autem vocatus est etiam ad apostolatum Paullus, Vas electionis, & missus est ipse quoque cum Barnaba, ad evangelizandum ubique gentibus Dominum. Diaconorum autem quos Apostoli constituerunt, nomina sunt hæc. Primus Stephanus, deinde Philippus, Prochorus, Nicanor, Timon, Parmenas & Nicolaus. Horum Apostolorum & diaco-

1. Tam heic quam in textu Actuum, βλέψεται scribitur; sed nobis librarii error esse videtur ista lectio.
2. In textu Actuum deest αὐτῶν, atque etiam in versione LXX. interpretum.
3. In editione LXX. interpr. ἰάσομαι.
4. Argumentum hoc cum omnibus quæ sequuntur usque ad finem indicis capitum libri actuum Apostolorum, subjungitur præfationi supra editæ, tam in Vaticano cod. n. 367. quam in Lolliniano: cetera partim omittuntur in eisdem codicibus, partim habentur post indicem capitulorum.
5. In Lolliniano codice, & apud Oecumenium ita incipit hic prologus, ἐστὶν ὁ διηγούμενος τὰς πράξεις τῶν ἀποστόλων Λουκᾶς ὁ εὐαγγελιστής· Αντιοχεὺς γὰρ ὢν ὑπάρχων τὸ γένος, ἰατρός τε τὴν ἐπιστήμην συναπεδήμει τοῖς ἀποστόλοις. Ita & in Urbinate.
6. Vaticanus num. 363. αὐτάς. Alter Vaticanus, ταύτας.
7. In Vaticano cod. num. 367. heic inseruntur verba sequentia, Αντιοχεὺς γὰρ ὢν ὑπάρχων τὸ γένος ἰατρός τε τὴν ἐπιστήμην· συναπεδήμει γάρ.
8. Codex Urbinas & Lollinianus non habet, ἐν αὐτῷ, nec Oecumenius qui pro πῶς, habet ὡς.
9. Vaticanus codex num. 367. πῶς ἀγγέλων.
10. Male Vaticanus num. 363. ἐκδοχήν.
11. In Vaticano codice num. 367. heic inseruntur sequentia verba, κ̀ ὅσα οἱ ἀπόστολοι διὰ προσευχῆς κ̀ τῆς εἰς αὐτὸν τὸν Χριστὸν πίστεως ἐθαυματούργησαν, κ̀ τέλος cet. Ita Urbinas, Lollinianus & edita apud Oecumenium, nisi quod post ἐθαυματούργησαν, statim subdunt, τῶν δὲ ἀποστόλων.
12. Vaticanus num. 367. τῶν δὲ ἀποστόλων.
13. In Lolliniano, Urbinatensi & apud Oecumenium deest, πρῶτος.
14. In Lolliniano, Urbinate & apud Oecumenium est, Ιάκωβος κ̀ Ιωάννης, Φίλιππος. Cod. autem Vatic. n. 363. concordat cum regio-Alexandrino; sed ponit infra inter Matthæum & Jacobum Alphæi.
15. In codice Vaticano num. 367. Urbinate & Lolliniano, Θαδδαῖος ὁ κ̀ Ιούδας.
16. In Urbinate & Lolliniano est, Σίμων ὁ Κανανaῖος καὶ Ματθίας ὁ συγκαταψηφισθεὶς μετὰ τῶν ἕνδεκα ἀντὶ τοῦ προδότου. τῶν δὲ ἐγκατασταθέντων cet. ut infra. Cetera desunt. Ita & apud Oecumenium, licet in aliquibus depravata sit ejus lectio.
17. In Vaticano num. 363. παραδοὺς Χριστὸν, & mox habent, καὶ ἀπολωμένου.
18. Post ἀποστόλοις statim sequitur in Vaticano n. 367. τῶν δὲ κατασταθέντων: quæ autem heic de Paulli vocatione habentur, inserit infra post diaconorum nomina.
19. Huc usque codex Vaticanus num. 363. in quo statim inepte subjungitur programma quoddam ab Euthalio catholicis epistolis præfixum, de quo suo loco sermo erit.
20. In Lolliniano & Vaticano num. 367. deest πρῶτος, & sequitur Στέφανος, Φίλιππος cet. ut apud Oecumenium.
21. Post Νικόλαος, in Vaticano codice num. 367. ex subnectuntur, quæ supra de Paulli vocatione habentur & statim sequitur, τούτων τῶν ἀποστόλων cet. Horum etiam nonnulla apud Oecumenium heic inseruntur, nil discrepante Lolliniano codice. At in Urbinate quædam subjunguntur de Paulli vocatione ejusque martyrio, quæ infe-

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 458.

πράξεις διηγεῖται ὁ Λουκᾶς, καὶ σημεῖα παρ' αὐτῶν γενόμενα· καί ἐστιν, ἃ ἐξηγεῖται σημεῖα, ταῦτα· [1] Πέτρος καὶ Ἰωάννης ἐθεράπευσαν ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου τὸν ἐκ γενετῆς χωλὸν, τὸν ἐν τῇ ὡραίᾳ πύλῃ καθημένον. Πέτρος Ἀνανίαν καὶ Σάπφειραν τὴν γυναῖκα αὐτοῦ ἤλεγξε, νοσφισαμένους ἀπὸ τῆς ἐπαγγελίας τῆς εἰς τὸν Θεὸν, καὶ γεγόνασι παραχρῆμα νεκροί. [2] Πέτρος τὸν παράλυτον Αἰνέαν ἀνέστησε. Πέτρος ἐν Ἰόππῃ τὴν ἀποθανοῦσαν Δόρκαδα, δεξάμενος ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν. Πέτρος τὸ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ σκεῦος καθιέμενον πλῆρες παντὸς ζώου ἑώρακεν. Πέτρου ἡ σκιὰ ἐρχομένη ἐπὶ τοὺς ἀσθενοῦντας, ἐθεράπευσεν αὐτούς. Πέτρος τηρούμενος καὶ δεδεμένος ἐν τῇ φυλακῇ ὑπ' ἀγγέλου ἀπελύθη, μὴ εἰδότων τῶν στρατιωτῶν, καὶ ὁ Ἡρώδης σκωληκόβρωτος ἐξέψυξε. Στέφανος ἐποίει τέρατα καὶ σημεῖα. [3] Φίλιππος τὸν Εὐνοῦχον ἐπέστησεν, ἀναγινώσκοντα τὸν Ἡσαΐαν, καὶ ἐβάπτισεν αὐτόν. Ὁ αὐτὸς Φίλιππος ἐν Σαμαρείᾳ πολλὰ πνεύματα ἐξέβαλεν, καὶ χωλοὶ καὶ παραλελυμένοι ἐθεραπεύθησαν ὑπ' αὐτοῦ. Παῦλος ἐγγίζων τῇ Δαμασκῷ, εἶδεν ὀπτασίαν, καὶ εὐθὺς γέγονεν εὐαγγελιστής. Παῦλος ἐν Λύστροις, [4] χωλὸν ἐκ γενετῆς ὄντα [5] ἰάσατο ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου. Παῦλος ἀπὸ ὀπτασίας εἰς Μακεδονίαν ἐκλήθη. Παῦλος γυναῖκα, τὴν ἔχουσαν πνεῦμα πύθωνος, ἐκαθέρισεν ἐν Φιλίπποις. Παῦλος καὶ Σίλας εἰς φυλακὴν ἐβλήθησαν, καὶ ἐσφαλισμένους εἶχον τοὺς πόδας ἐν τῷ ξύλῳ· ἐν δὲ τῷ μεσονυκτίῳ σεισμὸς γέγονεν, καὶ λέλυται αὐτῶν τὰ δεσμά. ἀπὸ τοῦ χρωτὸς Παύλου [6] ἀπέφερον σουδάρια ἐπὶ τοὺς [7] ἀσθενοῦντας, καὶ ἐθεραπεύοντο. Παῦλος ἐν Τρωάδι πεσόντα Εὔτυχον ἀπὸ τῆς θυρίδος, καὶ ἀποθανόντα, ἤγειρε, λέγων, ἡ ψυχὴ αὐτοῦ ἐν αὐτῷ ἐστιν. ὁ Παῦλος ἐπετίμησεν ἐν Κύπρῳ τῷ μάγῳ Ἐλύμᾳ, καὶ ἐγένετο τυφλὸς αὐτὸς ὁ μάγος. Παῦλος ὡς ἔπλεεν [8] ἐν Ῥώμῃ ἐχειμάσθησαν αὐτός τε, καὶ πάντες οἱ ἐν τῷ πλοίῳ ἐπὶ νυχθήμερα ιδ'. πάντων τε προσδοκώντων ἀποθανεῖν, ἐπιστὰς ὁ κύριος, εἶπεν αὐτῷ τῷ Παύλῳ, ὅτι διὰ σὲ κεχάρισμαι τούτοις τὸ ζῆν, καὶ ἐσώθησαν. ἐξελθόντα τὸν Παῦλον ἀπὸ τοῦ πλοίου [9] ἔχιδνα ἔδακεν, καὶ οἱ μὲν πάντες ἐνόμιζον αὐτὸν γίνεσθαι νεκρόν· ὡς δὲ ἀπαθὴς ἔμεινεν, ἐνόμισαν αὐτὸν εἶναι θεόν. τὸν πατέρα τοῦ Ποπλίου ἐν τῇ νήσῳ δυσεντερίᾳ συνεχόμενον χειροθετήσας ἰάσατο ὁ Παῦλος· καὶ ἄλλους πολλοὺς ἀσθενοῦντας ἐν τῇ νήσῳ, ἐθεράπευσεν ὁ Παῦλος.

norum gesta, & miracula ab ipsis patrata Lucas narrat; sunt autem hæc: Petrus & Joannes in nomine Domini curarunt claudum ab utero matris suæ, qui ad templi portam quæ speciosa dicebatur, sedebat, *cap.* III. Petrus Ananiam & Sapphiram ipsius uxorem, fraudare de eo quod Deo promiserant, deprehensos increpat, ac repente mortui sunt, *cap.* V. Petrus Æneam paralyticum in grabato jacentem surgere jussit, *cap.* IX. Petrus Joppe mortuam Dorcadem, suis ad Deum precibus excitavit a mortuis, *ibid.* Petrus vas e cælo delapsum, plenum omni animalium genere vidit, *cap.* X. Petri umbra, super ægrotos cadens, sanavit eos, *cap.* V. Petrus custoditus vinculisque adstrictus in carcere, ab Angelo; insciis qui eum custodiebant, militibus, liberatus est, Herodesque vermibus exesus occubuit, *cap.* XIII. Stephanus faciebat prodigia & miracula, *cap.* VI. Philippus Eunuchum legentem Esaiam deprehendit, & baptizavit eum, *cap.* VIII. Idem Philippus in Samaria multos malo spiritus ejecit, pluresque claudi ac paralytici ab eo curati sunt, *ibid.* Paullus, quum Damascum appropinquaret, visionem vidit, ac statim in evangelii præconem evasit, *cap.* IX. Paullus Lystris a nativitate claudum in nomine Domini sanavit, *cap.* XIV. Paullus per visionem nocturnam in Macedoniam vocatus est, *cap.* XVI. Paullus mulierem, habentem spiritum pythonem, Philippis liberat, *ibid.* Paullus & Silas in carcerem, pedibus ligno constrictis, conjecti sunt; media autem nocte, facto terræ motu, eorum vincula soluta sunt, *ibid.* A corpore Paulli deferebant sudaria super infirmos, iique curabantur, *cap.* XIX. Paullus Troade Eutychum qui e fenestra lapsus obierat, suscitavit, dicens, Anima ejus in ipso est, *cap.* XX. Paullus in Cypro Elymam magum increpavit, & cæcus factus est ipse magus, *cap.* XIII. Quum Romam versus navigaret Paullus, tempestatem passi sunt ipse, & quotquot cum ipso in navi erant, quatuordecim diebus ac noctibus totidem: omnibus autem se fe perituros esse putantibus, adstans Dominus Paullo dixit, Propter te his vitam concedo; & salvati sunt, *cap.* XXVII. Egressum e navi Paullum vipera momordit: & omnes quidem arbitrabantur fore ut moreretur; verum cum illæsus permansisset, existimarunt ipsum esse Deum, *cap.* XXVIII. Patrem Publii in insula in quam appulerant, dysenteria laborantem, Paullus manibus impositis sanavit, aliosque multos ibidem ægrotantes in pristinam salutem restituit, *ibidem*.

P.424. P.425.

Α Π Ο Δ Η Μ Ι Α Ι

Παύλου τοῦ ἀποστόλου.

Ἀπὸ Δαμασκοῦ ἤρξατο, καὶ ἀνῆλθεν εἰς Ἱερουσαλήμ· ἐκεῖθεν εἰς Ταρσόν· ἐκεῖθεν εἰς Ἀντιόχειαν, καὶ πάλιν [10] δεύτερον εἰς Ἱερουσαλὴμ, καὶ πάλιν δεύτερον εἰς Ἀντιόχειαν, κἀκεῖθεν ἀφορισθεὶς μετὰ Βαρνάβα εἰς τὴν ἀποστολὴν, κατῆλθεν εἰς Σελεύκειαν· εἶτα εἰς Κύπρον, ἔνθα καὶ Παῦλος ἤρξατο καλεῖσθαι. εἶτα εἰς Πέργην· εἶτα εἰς Ἀντιόχειαν τῆς Πισιδίας· εἶτα εἰς

PEREGRINATIONES

Paulli Apostoli.

A Damasco peregrinationem exorsus, Hierusalem ascendit, inde Tarsum, & ab eo loco Antiochiam, rursusque secundo Hierosolymam, ac iterum secundo Antiochiam; & inde cum Barnaba segregatus ad Apostolatum, descendit Seleuciam, deinde Cyprum, ubi & Paullus vocari cœpit. Deinde Pergen venit, postea Antiochiam Pisidiæ: inde P.426.

rius habentur in fine præfationis Euthalii in epistolas Paulli, nec aliud quidpiam habet ex hisce Euthalii prolegomenis in Acta Apostolorum.

1. Hæc miracula eo ordine quo in Actuum libro narrantur, Oecumenius recenset; nos tamen eorum seriem, ab Euthalio institutam, ad regio-Alexandrini codicis fidem repræsentavimus.

2. Hoc Petri miraculum ex Lolliniano & Vaticano codice num. 367. supplevimus; sed in Vaticano mox sexto loco post Petri visionem collocatur.

3. In Vaticano codice num. 367. & in Lolliniano prius ponitur Philippi prædicatio per Samariam, & deinde Eunuchi conversio, juxta ordinem in Actuum libro servatum.

4. In regio-Alexandrino codice male scribitur, *Ἐνίαν χωλόν*·

5. Lollinianus codex, *ἐθεράπευσε*.

6. Lollinianus codex, *ἐπέφερον*.

7. Vaticanus codex num. 367. *ἀσθενοῦντας καὶ δαιμονιῶντας*.

8. Oecumenius, *ἐπὶ Ῥώμην*.

9. Lollinianus cod. *ἔχις*.

10. Oecumenius *ἐκ δευτέρου*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 458.



Ικώνιον. [1] εἶτα εἰς Λύστραν καὶ Δέρβην τῆς Λυκαονίας· εἶτα εἰς Παμφυλίαν· εἶτα εἰς Πέργην· εἶτα εἰς Ατττάλιαν. εἶτα πάλιν τρίτον εἰς Αντιόχειαν τῆς Συρίας· [2] εἶτα πάλιν τρίτον εἰς Ιερουσαλὴμ διὰ τὴν περιτομήν· εἶτα πάλιν τέταρτον εἰς Αντιόχειαν· εἶτα [3] διῆλθεν εἰς τὴν Συρίαν, καὶ τὴν Κιλικίαν. εἶτα πάλιν δεύτερον εἰς Δέρβην καὶ Λύστραν· ἔνθα τὸν Τιμόθεον περιέτεμεν· εἶτα εἰς τὴν Φρυγίαν, καὶ Γαλατικὴν χώραν· εἶτα εἰς Μυσίαν· εἶτα εἰς Τρωάδα, κἀκεῖθεν [4] εἰς Νέαν πόλιν· εἶτα εἰς Φιλίππους τῆς Μακεδονίας· εἶτα διελθόντες τὴν Αμφίπολιν, καὶ [5] Απολλωνίαν ἦλθον εἰς Θεσσαλονίκην. εἶτα [6] εἰς Βέροιαν· εἶτα εἰς Αθήνας· εἶτα εἰς Κόρινθον· εἶτα εἰς Εφεσον· εἶτα εἰς Καισάρειαν· εἶτα δεύτερον εἰς Αντιόχειαν τῆς Πισιδίας· εἶτα εἰς τὴν Γαλατικὴν χώραν καὶ Φρυγίαν· εἶτα πάλιν δεύτερον εἰς Εφεσον. εἶτα [7] διελθὼν τὴν Μακεδονίαν ἦλθεν εἰς τὴν Ελλάδα, κἀκεῖθεν διελθόντες τὴν Μακεδονίαν ἦλθον πάλιν δεύτερον εἰς Φιλίππους, καὶ ἀπὸ Φιλίππων [8] πάλιν εἰς Τρωάδα, ἔνθα τὸν Εὔτυχον ἤγειρε πεσόντα· εἶτα εἰς τὴν Ασσον, εἶτα εἰς Μιτυλήνην· εἶτα ἄντικρυς Χίου· εἶτα εἰς Σάμον· κἀκεῖθεν εἰς Μίλητον, ἐκεῖθεν μεταπεμψάμενος τοὺς ἐν Εφέσῳ, ὡμίλησεν αὐτοῖς· εἶτα [9] εἰς Κῶν· εἶτα εἰς Ρόδον· κἀκεῖθεν [10] εἰς Πατάρας· κἀκεῖθεν εἰς Τύρον· εἶτα εἰς Πτωλεμαΐδα· κἀκεῖθεν εἰς Καισάρειαν· κἀκεῖθεν πάλιν ἀνῆλθεν τέταρτον εἰς Ιερουσαλήμ· κἀκεῖθεν παρεπέμφθη εἰς Καισάρειαν· καὶ λοιπὸν δέσμιος ἐπὶ Ρώμην οὕτως· ἀπὸ Καισαρείας ἦλθεν εἰς Σιδῶνα· κἀκεῖθεν [11] εἰς Μύρναν τῆς Λυκίας· εἶτα εἰς Κνίδον· κἀκεῖθεν πολλὰ παθόντες ἦλθον [12] εἰς τὴν νῆσον· ἔνθα ἡ ἔχιδνα [13] καθήψατο τῆς χειρὸς αὐτοῦ, καὶ ἔμεινεν ἀβλαβής· εἶτα εἰς Συρακούσας· εἶτα εἰς Ρήγιον· κἀκεῖθεν εἰς Ποτιόλους· κἀκεῖθεν πεζὸς ἀνῆλθεν εἰς Ρώμην ἀπαντησάντων αὐτῷ τῶν ἀδελφῶν [14] εἰς Αππίου φόρον, καὶ τρεῖς Ταβερνάς· [15] καὶ λοιπὸν εἰσελθὼν εἰς Ρώμην, καὶ διδάξας [16] ἐκεῖ χρόνον ἱκανὸν, ὕστερον ἐν αὐτῇ τῇ Ρώμῃ ἐμαρτύρησεν.

A Iconium, exinde Lystram & Derben Lycaoniæ; deinde in Pamphyliam, postea Pergen, postmodum Attaliam. Deinde rursus tertio Antiochiam Syriæ, & postea tertio Hierusalem propter circumcisionem; postea rursus quarto Antiochiam. Deinde Syriam pertransivit ac Ciliciam; exinde rursum secundo Derben ac Lystram, ubi & Timotheum circumcidit. Deinde in Phrygiam & Galaticam regionem ivit, mox in Mysiam, postea Troadem, & inde Neapolim, exinde Philippos Macedoniæ urbem. Postmodum, ubi Amphipolim ac Apolloniam pertransissent, venerunt Thessalonicam; postea Berrhœam, exinde Athenas, deinde Corinthum, postea Ephesum, inde Cæsaream, postmodum secun- B do Antiochiam Pisidiæ, deinde in Galaticam regionem ac Phrygiam, unde rursum secundo Ephesum; postea itinere facto per Macedoniam, venit in Græciam, & inde cum rursus pertransissent Macedoniam, secundo venerunt Philippos, & a Philippis rursus Troadem, ubi Eutychum qui ceciderat, suscitavit. P.427. Hinc Asson, deinde Mitylenem, postmodum in partes quæ sitæ sunt contra Chium, exinde Samum, & inde Miletum, ubi accitis his qui Ephesi erant, allocutus est eos. Hinc Coum venit, postea Rhodum, & inde Pataram, hinc Tyrum, postea Ptolemaidem, indeque Cæsaream, & hinc rursum ascendit quarto Hierosolymam, unde transmissus est Cæsaream, C ac tandem vinculis constrictus Romam, hoc pacto: A Cæsarea Sidonem venit, hinc Myram Lyciæ, postea Cnidum, ac inde mala multa passi in insulam venerunt, ubi vipera manum ejus sine læsione ulla momordit. Deinde Syracusas pervenit, postea Rhegium, & inde Puteolos, unde pedes Romam ascendit, occurrentibus ipsi fratribus ad Appii Forum & tres Tabernas. Denique ingressus Romam, cum multo tempore ibi docuisset, tandem in ipsa urbe Roma martyrio vitam terminavit.

[17] ΕΚΘΕΣΙΣ

Κεφαλαίων τῶν Πράξεων τῶν Αποστόλων.

D

ΕΚ πατέρων ἡμεῖς καὶ διδασκάλων τὸν τρόπον καὶ τὸν τύπον ὠφελήμενον, ἐγχειροῦμεν μετρίως [18] τῇδε τῶν κεφαλαίων ἐκθέσει, αἰτοῦντες συγγνώμην προπετείας ἡμεῖς, οἱ νέοι χρόνων τε, καὶ μαθημάτων παρ' ὑμῶν ἑκάστου τῶν ἀναγινωσκόντων, ἀρχῇ τῇ ὑπὲρ ἡμῶν, τὴν συμπεριφορὰν κομιζόμενοι. ἐκτιθέμεθα γοῦν αὐτὴν καθ' ἱστορίαν Λουκᾶ τοῦ εὐαγγελιστοῦ, καὶ συγγραφέως, τοιγαροῦν [19] διὰ μὲν τοῦ μέλανος αὐτοτελῆ τὰ κεφάλαια· διὰ δὲ τοῦ κιννναβάρεως τὰς ἐν μέρει τούτων ἐχομένας ὑποδιαιρέσεις ἐσημειωσάμεθα· στίχοι ιζ'.

ELENCHUS

P.428.

Capitum libri Actuum Apostolorum.

A patribus nostris atque magistris formam exemplumque mutuati, hunc capitum elenchum modeste, ut par est, scribere aggredimur, veniam temeritatis ab unoquoque vestrum qui lecturi estis, poscentes, si ætate juvenes & a doctrinis mediocriter instructi, id operis, piorum precibus adjuti, moliti sumus. Hunc itaque capitum elenchum juxta Lucæ evangelistæ narrationem facimus, atramento, scilicet, integra capita, cinnabari vero particulares eorumdem subdivisiones designantes. Versus XVII.

E

1. Adverbium εἶτα, in Vaticano num. 367. & Lolliniano habetur, in ceteris deest.
2. In Lolliniano codice tertius Hierosolymitanus iter, Antiocheno tertio præponitur.
3. Oecumenius, Lollin. & Vat. n. 367. διῆλθεν τὴν.
4. Vaticanus num. 367. Νεάπολιν.
5. In regio-Alexandr. est, Απολλωνίδα.
6. Lollinianus, εἰς Βεῤῥοίαν.
7. Lollin. cod. διελθόντες, & mox, ἦλθον.
8. Lollinianus cod. & Oecumenius non habent, πάλιν.
9. Lollinianus codex, εἰς Κῶ.
10. Codex regio-Alexandrin. πάτρας. Vaticanus n. 367. & Lollinianus, πάταρα.
11. Vaticanus num. 367. & Lollinianus, & Oecumenius, Μύραν.
12. Cod. Vat. n. 367. εἰς Μελίτην τὴν νῆσον.
13. Lollinianus codex, καθῆψε.
14. Oecumenius & cod. Lollinianus, ἄχρις Αππίου φόρου, καὶ τριῶν Ταβερνῶν.
15. Vaticanus num. 367. κἀκεῖθεν.
16. Vaticanus num. 367. Lollinianus, & Oecumenius non habent, ἐκεῖ.
17. Præfatiuncula ista cum subsequentibus capitulis subjungitur peregrinationibus S. Paulli etiam in Vaticano cod. 367. eamque excipit enumeratio testimoniorum, quæ ex aliis sacræ scripturæ libris in Apostolorum actis afferuntur, ei prorsus similis, quæ in prima Oecumenii editione reperitur. Eadem præfatiuncula in Lolliniano quoque codice habetur.
18. Vaticanus num. 367. & Lollinianus, τῇ δε τῇ τῶν κεφαλαίων.
19. Ita iidem codices, in aliis deest, μέν.

A

[1] ΚΕΦΑΛΑΙΑ

Τῶν Πράξεων.

Περὶ τῆς ἀναστάσεως διδασκαλίας Χριστοῦ καὶ ὀπτασίας πρὸς τοὺς μαθητὰς, καὶ περὶ ἐπαγγελίας τῆς τοῦ ἁγίου Πνεύματος δωρεᾶς, θέας τε καὶ τρόπου τῆς ἀναλήψεως τοῦ Χριστοῦ, καὶ περὶ τῆς ἐνδόξου καὶ δευτέρας αὐτοῦ παρουσίας.

Πέτρου διάλογος πρὸς τοὺς μαθητευθέντας περὶ θανάτου καὶ ἀποστολῆς Ἰούδα τοῦ προδότου.

Ἐν ᾧ περὶ ἀντεισαγωγῆς Ματθίου κληρωθέντος χάριτι Θεοῦ διὰ προσευχῆς.

B

Περὶ θείας τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐπιφοιτήσεως ἐν ἡμέρᾳ πεντηκοστῆς, γενομένης εἰς τοὺς πιστεύσαντας.

[2] Ἐν ᾧ Πέτρου κατήχησις.

Περὶ τούτου ἐκ τῶν προφητῶν.

Περὶ πάθους, καὶ ἀναστάσεως καὶ ἀναλήψεως Χριστοῦ, δωρεᾶς τε τοῦ ἁγίου Πνεύματος.

Περὶ πίστεως τῶν παρόντων, καὶ τῆς διὰ τοῦ βαπτίσματος αὐτῶν σωτηρίας.

Περὶ ὁμονοίας κοινωφελοῦς, καὶ προσθήκης τῶν πιστευόντων.

Περὶ τῆς ἐν Χριστῷ θεραπείας τοῦ ἐκ γενετῆς χωλοῦ, Πετροῦ τε κατηχήσεως ἐλεγκτικῆς, συμπαθητικῆς, συμβουλευτικῆς πρὸς σωτηρίαν αὐτῶν.

C

Ἐν ᾧ ἐπιστασία τῶν ἀρχιερέων, ζήλῳ τοῦ γεγονότος, καὶ κρίσις τοῦ θαύματος, Πετροῦ τε ὁμολογία τῆς Χριστοῦ δυνάμεώς τε καὶ χάριτος.[3]

Περὶ ἀπειλῆς τῶν ἀρχιερέων προστιττόντων, ὡς οὐ δεῖ παῤῥησιάζεσθαι ἐπὶ τὸ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ, καὶ ἀνέσεως τῶν ἀποστόλων.

Εὐχαριστία ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας ὑπὲρ τῆς τῶν ἀποστόλων πιστῆς καρτερίας.

Περὶ ὁμοψύχου, καὶ καθολικῆς κοινωνίας τῶν πιστευσάντων.

Ἐν ᾧ περὶ Ἀνανίου καὶ Σαπφείρης, καὶ πικρᾶς αὐτῶν τελευτῆς.

D

Ὅτι τοὺς ἀποστόλους ἐμβληθέντας τῷ δεσμοτηρίῳ, ἄγγελος Θεοῦ νύκτωρ ἐξέωσεν, ἐπιτρέψας ἀκωλύτως κηρύσσειν τὸν κύριον.

Ἐν ᾧ ὅτι τῇ ἑξῆς αὐτοὺς οἱ ἀρχιερεῖς πάλιν συλλαβόμενοι, ἐφ' ᾧ μηκέτι διδάσκειν, μαστίξαντες ἀπέλυσαν.

Γαμαλιήλου γνώμη πιστὴ περὶ τῶν ἀποστόλων μετὰ παραδειγμάτων τινῶν καὶ ἀποδείξεων.

Περὶ χειροτονίας τῶν ἑπτὰ διακόνων.

E

Ἰουδαίων ἐπανάστασις καὶ συκοφαντία κατὰ Στεφάνου, αὐτοῦ τε δημηγορία περὶ τῆς πρὸς Ἀβραὰμ διαθήκης τοῦ Θεοῦ, καὶ περὶ τῶν δώδεκα πατριαρχῶν.

Ἐν ᾧ τὰ περὶ τοῦ λιμοῦ καὶ τυραννίας καὶ ἀναγνωρισμοῦ τῶν υἱῶν Ἰακὼβ, καὶ περὶ γενέσεως Μωϋσέως καὶ τῆς πρὸς αὐτὸν θεοφανείας ἐν ὄρει Σινᾷ γενομένης.

Περὶ τῆς ἐξόδου καὶ μοσχοποιΐας τοῦ Ἰσραὴλ, ἄχρι χρόνων Σαλομῶντος, καὶ τῆς τοῦ ναοῦ κατασκευῆς.

CAPITA

Actuum Apostolorum.

I. DE doctrina quam Christus a resurrectione tradidit, & quomodo suis apparuerit discipulis, & de promissione doni Spiritus sancti; & quomodo Christum ad cælos ascendentem viderint, & quæ fuerit ascensus ipsius ratio, deque magnifico & secundo illius adventu. P.429.

II. Petri allocutio ad discipulos de morte & apostolatu Judæ proditoris, *cap.* I. 15.

I. In quo de Matthiæ substitutione, qui per orationem sortitus est apostolatum, gratia Dei, *ibid.* 23.

III. De divino sancti Spiritus super eos, qui crediderunt adventu, in die Pentecostes, *cap.* II. 1.

I. In quo Petrus adstantes edocet, *ibid.* 14.

II. De eo adventu ex prophetis, *ibid.* 17.

III. De passione, resurrectione & assumtione Christi, deque dono Spiritus sancti, *ibid.* 22.

IV. De adstantibus ad Christi fidem conversis, & eorum salute per baptismum, *ibid.* 37.

V. De concordia omnibus utili, deque credentium multiplicatione, *ibid.* 42. *in aliis codd. est* 44.

IV. De claudo a nativitate, in Christi nomine curato, deque Petri doctrina qua Judæos confutat, & cum commiseratione hortatur ut suæ saluti consulant, *cap.* III. 1.

I. Principum sacerdotum cura atque solicitudo ob facti hujus invidiam, eorumdemque judicium de miraculo Petri, itemque Petri testificatio de gratia & potestate Jesu Christi, *cap.* IV. 1. P.430.

II. De comminatione principum sacerdotum, jubentium ne amplius palam loquerentur in nomine Jesu, & de Apostolorum dimissione, *cap.* IV. 15.

III. Gratiarum actio ecclesiæ ad Deum de constantia Apostolorum in fide, *ibid.* 24.

V. De concordia, & omnium rerum communione inter fideles, *cap.* IV. 32.

I. In quo de Anania & Sapphira, acerbaque eorum morte, *cap.* V. 1.

VI. Apostolos in carcerem trusos Angelus Dei noctu a vinculis solvit, monens, ut libere Dominum prædicarent, *cap.* V. 17. *In Cryptoferratensi est* 19.

I. In quo narratur, Apostolos sequenti die rursus a sacerdotum principibus captos, fustibusque cæsos, ea conditione, ne amplius populum docerent, dimissos fuisse, *ibid.* 27.

II. Gamalielis vera de Apostolis sententia, cum exemplis nonnullis atque evidentibus probationibus, *ibid.* 34.

VII. De septem diaconorum ordinatione, *cap.* VI. 1.

VIII. Judæorum seditio, & calumniæ adversus Stephanum, ejusque concio de fœdere quod Deus cum Abraham pepigit, & de duodecim patriarchis, *cap.* VI. 8.,

I. In quo de fame per Ægypti regnum, de vexatione & agnitione filiorum Jacob, itemque de nativitate Moysis & Dei apparitione eidem facta in monte Sina. *Forte cap.* VII. 11. P.431.

II. De egressu filiorum Israel ex Ægypto, & vituli conflatione usque ad Salomonis tempora & templi ædificationem. *Forte* 36.

1. Capita ista Actuum Apostolorum una cum aliis quatuordecim Paulli, & septem catholicarum epistolarum capitulorum elenchis, ab Euthalio elucubratis, edita sunt cum Oecumenii operibus, atque etiam in Stephaniana Novi fœderis editione; sed utrobique omissæ sunt, *ὑποδιαιρέσεις*, hoc est, subdivisiones capitum ab Euthalio excogitatæ, quas nos tam in græco, quam in latino textu minusculis numerorum notis ad scriptorum codicum fidem repræsentavimus.

2. Hæc subdivisio cum sequenti, unam subdivisionem facit in aliis scriptis codd.

3. Male heic capiti quarto finis imponitur in Oecumenii editione.

A Ὁμολογία τῆς ὑπερουρανίου δόξης Ἰησοῦ Χριστοῦ ἀποκαλυφθείσης Στεφάνῳ, ἐφ' ᾗ λιθόλευστος γενόμενος αὐτὸς Στέφανος [1] εὐσεβῶς ἐκοιμήθη.

Περὶ διωγμοῦ τῆς ἐκκλησίας καὶ ταφῆς Στεφάνου.

Ἐν ᾧ περὶ Φιλίππου τοῦ ἀποστόλου πολλοὺς ἰασαμένου [2] ἐπὶ τῆς Σαμαρίας.

Περὶ Σίμωνος τοῦ μάγου πιστεύσαντος, καὶ βαπτισθέντος σὺν ἑτέροις πλείοσιν.

Ἐν ᾧ περὶ τῆς Πέτρου καὶ Ἰωάννου πρὸς αὐτοὺς ἀποστολῆς, καὶ ἐπίκλησις τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐπὶ τοὺς βαπτισθέντας.

Ὅτι οὐ δι' ἀργυρίου, οὐδὲ ὑποκριταῖς, ἀλλ' ἁγίοις διὰ πίστεως ἡ μετοχὴ τοῦ ἁγίου Πνεύματος δίδοται.

B Ἐν ᾧ τὰ περὶ ὑποκρίσεως, καὶ ἐπιπλήξεως Σίμωνος.

Ὅτι τοῖς ἀγαθοῖς καὶ πιστοῖς εὐοδοῖ ὁ Θεὸς τὴν σωτηρίαν, δῆλον ἐκ τῆς κατὰ τὸν Εὐνοῦχον ὑποθέσεως.

Περὶ τῆς οὐρανόθεν θείας κλήσεως Παύλου εἰς ἀποστολὴν Χριστοῦ.

Ἐν ᾧ περὶ ἰάσεως καὶ βαπτίσματος Παύλου δι' Ἀνανίου κατὰ ἀποκάλυψιν Θεοῦ, παῤῥησίας τε αὐτοῦ, καὶ συντυχίας, τῆς διὰ Βαρνάβαν πρὸς τοὺς ἀποστόλους.

Περὶ Αἰνέα παραλυτικοῦ ἰαθέντος ἐν Λύδδῃ διὰ Πέτρου.

C Ἐν ᾧ περὶ Ταβιθὰ τῆς φιλοχήρου, ἣν ἔγειρεν ἐκ νεκρῶν ὁ Πέτρος διὰ προσευχῆς ἐν Ἰόππῃ.

Περὶ Κορνηλίου, ὅσα τε πρὸς αὐτὸν ὁ ἄγγελος εἶπεν, καὶ ὅσα πάλιν [3] Πέτρῳ οὐρανόθεν περὶ κλήσεως ἐθνῶν ἐῤῥέθη.

Ἐν ᾧ ὅτι μετασταλεὶς ὁ Πέτρος ἦλθεν πρὸς Κορνήλιον.

Ἐπανάληψις ὧν ὁ ἄγγελος ἐπεμαρτύρησεν, καὶ ὑφηγήσατο αὐτῷ Κορνηλίῳ.

Πέτρου κατήχησις εἰς Χριστὸν, τοῦ τε ἁγίου Πνεύματος ἐπὶ τοὺς ἀκούοντας δωρεὰ, καὶ ὅπως ἐβαπτίσθησαν τότε οἱ ἐξ ἐθνῶν πιστεύσαντες.

D Ὡς Πέτρος τὰ καθεξῆς, καὶ τὰ ἕκαστα τῶν γεγονότων διηγεῖται τοῖς ἀποστόλοις, διακριθεῖσι πρὸς αὐτόν.

Τὸ τηνικάδε Βαρνάβαν ἐκπέμψασι πρὸς τοὺς ἐν Ἀντιοχείᾳ ἀδελφούς.

Προφητεία Ἀγάβου περὶ λιμοῦ οἰκουμένης, καὶ καρποφορίας πρὸς τοὺς [4] ἐν Ἱερουσαλὴμ ἀδελφούς.

Ἰακώβου τοῦ ἀποστόλου κατασφαγή.

E Ἐν ᾧ Πέτρου σύλληψις πρὸς Ἡρώδην, ὅπως τε αὐτὸν ἄγγελος θείῳ κελεύσματι ἐξείλετο τῶν δεσμῶν, καὶ ὁ Πέτρος ἐμφανὴς γενόμενος νύκτωρ τοῖς ἀδελφοῖς ὑπανεχώρησεν.

Ἐν ᾧ περὶ τῆς τῶν φυλάκων κολάσεως, καὶ μετέπειτα περὶ τῆς τοῦ ἀσεβοῦς Ἡρώδου πικρᾶς τε καὶ ὀλεθρίου καταστροφῆς.

Ἀποστολὴ Βαρνάβα καὶ Παύλου πρὸς τοῦ θείου Πνεύματος εἰς Κύπρον, ὅσα τε εἰργάσαντο ἐν ὀνόματι Χριστοῦ εἰς Ἐλύμαν τὸν μάγον.

Παύλου [5] ἐνθαλὴς διδασκαλία εἰς Χριστὸν ἔκ τε τοῦ νόμου καὶ καθεξῆς τῶν προφητῶν, ἱστορικὴ καὶ εὐαγγελική.

III. Stephani assertio cælesti gloria Jesu Christi eidem revelata, quam dum ederet, lapidatus ipse Stephanus in Domino obdormivit, *ibid.* 55.

IX. De persecutione ecclesiæ & sepultura Stephani, *cap.* VIII. I. *ab illis verbis*, *Facta est* cet.

I. Ubi de Philippo apostolo, qui multos in Samaria curavit, *ibidem* 5.

X. De Simone mago, qui cum aliis pluribus credidit, & baptizatus est, *cap.* VIII. 8.

I. Ubi de Petri & Joannis ad eos legatione, & de invocatione sancti Spiritus super eos qui baptizati fuerant, *ibid.* 14.

XI. Quod non argento, neque hypocritis, sed probis viris sancti Spiritus participes esse per fidem conceditur, *cap.* VIII. 18.

I. In quo etiam agitur de Simonis hypocrisi, deque ejusdem objurgatione. *Forte ibid.* 20.

XII. Sanctorum & fidelium saluti Deum prosperum tribuere successum, argumento ex his quæ circa Eunuchum contigerunt desumto, demonstratur, *cap.* VIII. 26. P.432.

XIII. De Paullo ad Christi apostolatum a Deo cælitus vocato, *cap.* IX. I.

I. Ubi de curatione & baptismate Paulli per Ananiam juxta Dei revelationem, & loquendi libertate qua in synagogis Hebræorum usus fuit: & de ejusdem cum Apostolis congressu, Barnabæ opera, *ibid.* 17.

XIV. De Ænea paralytico, Lyddæ per Petrum curato, *cap.* IX. 32.

I. Ubi & de Tabitha viduarum amantissima, quam suis precibus Petrus Joppæ a mortuis suscitavit, *ibid.* 36.

XV. De Cornelio, deque Angeli ad eum allocutione, deque iis quæ rursum Petro de gentium vocatione cælitus dicta sunt, *cap.* x. I.

I. Ubi Petrus nuntio accersitus, ad Cornelium venit. *Forte* 21.

II. Repetitio eorum quæ Angelus, Cornelium alloquens affirmaverat, *ibid.* 30.

III. Petrus Christi fidem gentiles adstantes docet, & sancti Spiritus super audientes donum descendit; & quomodo baptizati fuerint, qui ex gentibus crediderant, *ibid.* 34.

XVI. Quomodo Petrus deinde singula quæ acta fuerant, Apostolis, cum adversus se disceptaretur, narraverit, *cap.* XI. 4.

I. De Barnaba tunc misso ad fratres Antiochiæ degentes. *Forte ibidem* 19.

XVII. Agabi prophetia de futura per universum orbem fame, & de eleemosynis ad fratres qui Hierosolymis degebant, missis, *cap.* XI. 27. P.433.

XVIII. Jacobi Apostoli interemtio, *cap.* XII. I.

I. In quo Petrum ab Herode comprehensum fuisse narratur; & quomodo ipsum Angelus divino jussu e vinculis eduxerit, & postquam fratres noctu convenisset, clam discesserit. *Forte ibid.* 3.

II. In quo etiam de custodum punitione, ac de impii Herodis misero infelicique obitu, narratio continetur. *Forte ibid.* 18.

XIX. Missio Barnabæ & Paulli ad Cyprios jussu divini Spiritus; deque iis quæ adversus Elymam magum in Christi nomine egerunt, *cap.* XIII. I. *in aliis* 2.

XX. Elegantissima Paulli ad Judæos allocutio, qua eos Christi divinitatem docet ex lege & prophetis, variaque ex evangelio atque veteris Testamenti historiis in medium adducit, *cap.* XIII. 16.

1. Adverbium εὐσεβῶς; ex Oecumenio, Stephano, aliisque codd. addidimus.
2. Stephani editio, ἐν τῇ Σαμαρείᾳ.
3. Stephani editio, πρὸς Πέτρον.
4. Oecumenius, Stephani editio, & alii antiqui codices Vaticani habent, ἐν Ἀντιοχείᾳ. Sed male, ut ex sacri textus lectione apparet; καρποφορίαν autem eleemosynas vocare videtur Euthalius, quod veluti fructus sint pietatis fidelium.
5. Stephani editio, ἐνθαλὴς.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 458.

[1] Εν ᾧ ἐλεγκτικὴ καὶ συλλογιστική.

Περὶ μεταθέσεως τοῦ κηρύγματος εἰς τὰ ἔθνη, διωγμοῦ τε αὐτῶν ἐκεῖ καὶ ἀφίξεως εἰς Ικόνιον.

Οπως ἐν Ικονίῳ κηρύξαντες τὸν Χριστὸν, πολλῶν τε πιστευσάντων, ἐδιώχθησαν οἱ ἀπόστολοι.

Περὶ τοῦ ἐν Λύστροις ἐκ γενετῆς χωλοῦ ἰαθέντος διὰ τῶν ἀποστόλων, διόπερ [2] εἶναί τε θεοὶ καὶ παρεῖναι ἔδοξαν τοῖς ἐγχωρίοις. ἔνθα δὴ καὶ μετέπειτα λιθάζεται ὁ Παῦλος παρὰ τῶν Ιουδαίων ἀστυγειτόνων.

Οτι οὐ δεῖ περιτέμνεσθαι τοὺς ἐξ ἐθνῶν πιστεύσαντας, δόγματι καὶ κρίσει τῶν ἀποστόλων.

Εν ᾧ ἐπιστολὴ αὐτῶν τῶν ἀποστόλων πρὸς τοὺς ἐξ ἐθνῶν, περὶ τῶν φυλακτέων.

Αντίῤῥησις Παύλου πρὸς Βαρνάβαν [3] διὰ Μάρκον.

Περὶ κατηχήσεως Τιμοθέου, καὶ τῆς κατὰ ἀποκάλυψιν ἀφίξεως Παύλου εἰς Μακεδονίαν.

Εν ᾧ περὶ πίστεως καὶ σωτηρίας, τινὸς γυναικὸς Λυδίας.

Περὶ ἰάσεως τῆς πνεῦμα Πύθωνος ἐχούσης παιδίσκης, δι' ἣν τὸν Παῦλον καθεῖρξαν οἱ δεσπόται.

Περὶ τοῦ συμβάντος [4] ἐκεῖ σεισμοῦ, καὶ θαύματος· καὶ ὅπως πιστεύσας ὁ εἱρκτοφύλαξ, ἐν αὐτῇ τῇ νυκτὶ ἐβαπτίσθη [5] παραχρῆμα πανέστιος.

Οτι παρακληθέντες ἐξῆλθον τότε ἐκ τοῦ δεσμωτηρίου οἱ ἀπόστολοι.

Περὶ στάσεως γενομένης ἐν Θεσσαλονίκῃ τοῦ κηρύγματος ἕνεκεν, φυγῆς τε Παύλου εἰς Βέροιαν, κἀκεῖθεν εἰς Αθήνας.

Περὶ τῆς ἐν Αθήναις ἐπιβωμίου γραφῆς, φιλοσόφου τε κηρύγματος καὶ εὐσεβείας τοῦ Παύλου.

Περὶ Ακύλου καὶ Πρισκίλλης, καὶ τῆς Κορινθίων ἀπειθείας, τῆς τε κατὰ πρόγνωσιν [6] ἐπ' αὐτοῖς εὐδοκίας τοῦ Θεοῦ ἀποκαλυφθείσης τῷ Παύλῳ.

Εν ᾧ περὶ Κρίσπου ἀρχισυναγώγου πιστεύσαντος σὺν ἑτέροις τισὶν καὶ βαπτισθέντος.

Οτι στάσεως κινηθείσης ἐν Κορίνθῳ, ὁ Παῦλος ὑπανεχώρησεν, ἐλθών τε εἰς Εφεσον καὶ διαλεχθεὶς ἐξῆλθεν.

Περὶ Απολλῶ ἀνδρὸς λογίου τε καὶ πιστοῦ.

Περὶ βαπτίσματος, καὶ τῆς τοῦ ἁγίου Πνεύματος δωρεᾶς δοθείσης διὰ προσευχῆς τοῖς ἐν Εφέσῳ πιστεύσασιν, καὶ περὶ ἰάσεως τοῦ λαοῦ.

Εν ᾧ περὶ τῶν υἱῶν Σκευᾶ, καὶ ὅτι οὐ δεῖ [7] προσχωρεῖν ἀπίστοις καὶ ἀναξίοις τῆς πίστεως γενομένοις, καὶ περὶ ἐξομολογήσεως τῶν πιστευόντων.

Περὶ τῆς ἐν Εφέσῳ κινηθείσης στάσεως ὑπὸ Δημητρίου τοῦ ἀργυροκόπου κατὰ τῶν ἀποστόλων.

Περίοδος Παύλου [8] ἐν ᾗ τὰ περὶ θανάτου,

A I. In quo varia argumenta, & rationes adversus Judæos, *ibid.* 33.

II. De transitu ab eisdem tunc temporis facto ad annuntiandam gentibus Christi fidem, neglectis Judæis; deque persecutione quam apud Antiochiam Pisidiæ passi sunt, & de eorum Iconium adventu. *Forte ibidem vers.* 44.

XXI. Quomodo Iconii prædicaverint Christum; P.434. cumque multi credidissent, persecutionem ab ejus urbis incolis passi fuerint Apostoli, *cap.* XIV. 1.

XXII. De claudo a nativitate qui Lystris per Apostolos sanatus est, cujus rei caussa incolæ deos ad se venientes Paullum & Barnabam esse putarunt. Ubi etiam postea lapidatur Paullus a Judæis urbi B vicinis, *cap.* XIV. 7.

XXIII. Quod non oporteat credentes ex gentibus circumcidi, juxta sententiam & judicium Apostolorum, *cap.* XV. 1.

I. In quo eorumdem Apostolorum litteræ ad eos qui ex gentibus crediderunt, de his quæ observanda erant, continentur, *ibid. vers.* 23.

II. Altercatio Paulli cum Barnaba propter Marcum, *ibid.* 36.

XXIV. De Timotheo Christi fidem edocto, & Paulli in Macedoniam juxta Dei revelationem adventu, *cap.* XV. 41. *in aliis* XVI. 1. *ab illis verbis, Et ecce &c.*

I. In quo de fide ac salute cujusdam mulieris Lydiæ, *ibid.* 14.

C II. De curatione puellæ habentis spiritum Pythonis, cujus rei caussa domini Paullum in carcerem trudunt. *Forte ibid.* 16.

III. De terræ motu ac miraculo quod ibi accidit, & quomodo custos carceris, quum eadem nocte credidisset, confestim cum universa familia baptizatus est, *ibid.* 25.

IV. Et quod deprecati a magistratibus exierint P.435. tunc e carcere Apostoli, *cap.* XVI. 38.

XXV. De seditione Thessalonicæ orta ob fidei prædicationem; deque fuga Paulli in Berœam, & inde Athenas, *cap.* XVII. 1. *in Palatino cod. vers.* 5.

XXVI. De aræ inscriptione Athenis a Paullo reperta, & de Paulli pietate, & docta ejusdem con-D cione ad Athenienses de Christi fide, *ibid.* 22.

XXVII. De Aquila & Priscilla, ac de Corinthiorum incredulitate, deque benigna Dei erga ipsos juxta præscientiam suam voluntate, *cap.* XVIII. 1.

I. In quo de Crispo archisynagogo, qui cum aliis quibusdam credidit & baptizatus est, *ibid.* 8.

II. Seditione Corinthi mota, Paullus clam discessit; cumque venisset Ephesum ac disputasset, inde egressus est. *Forte ibid.* 12.

III. De Apollo diserto viro, & in Christi fidem credente, *ibid.* 24.

XXVIII. De baptismate & Spiritu sancti dono per Paulli orationem ab his adepto qui Ephesi E crediderant, & de populo a multis morbis curato, *cap.* XIX. 1.

I. In quo de filiis Scevæ, & quod non oporteat ad infideles accedere, & ad eo qui se reddiderunt indignos fide, & de actuum suorum confessione a credentibus edita. *Forte ibid.* 14.

II. De mota Ephesi seditione a Demetrio fabro P.436. argentario adversus Apostolos. *Forte cap.* XIX. 23.

XXIX. Peregrinatio Paulli, in qua etiam narra-

1. Eadem editio, ἐν ᾧ ὅτι καὶ ἐλεγκτική.
2. Eadem editio, εἶναί τε ἔδοξαν θεοὶ καὶ παρεῖναι. Male Oecum. μανῆναι.
3. Stephanus legit, περὶ Μάρκου. ut in Cryptofer. & in alio Vaticano codice.
4. Stephanus, & Vat. codd. ἐκεῖσε.
5. Stephanus non habet, παραχρῆμα.
6. Oecumenicus, ἐπ' αὐτοῖς.
7. In Stephani editione, ἐγχωρεῖν.
8. Stephani editio, ἐν ᾗ περὶ θανάτου.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 458.

καὶ ἀνακλήσεως Εὐτύχου διὰ προσευχῆς ἐν Τρωάδι· παραίνεσίς τε αὐτοῦ ποιμαντικὴ πρὸς τοὺς ἐν Ἐφέσῳ πρεσβυτέρους.

Ἐν ᾧ παράπλους Παύλου ἀπὸ Ἐφέσου ἄχρι Καισαρείας τῆς Παλαιστίνης.

Ἀγάβου προφητεία περὶ τῶν συμβησομένων τῷ Παύλῳ ἐν Ἱερουσαλήμ.

Παραίνεσις Ἰακώβου πρὸς Παῦλον περὶ τοῦ μὴ δοκεῖν κωλύειν Ἑβραίους περιτέμνεσθαι.

Περὶ τῆς ἐν Ἱερουσαλὴμ κατὰ τοῦ Παύλου κινηθείσης ἀταξίας, ὅπως τε αὐτὸν ὁ χιλίαρχος τοῦ πλήθους ἐξαιρεῖται.

Ἐν ᾧ Παύλου κατάστασις περὶ ἑαυτοῦ, καὶ τῆς [1] εἰς ἀπόστολον αὐτοῦ κλήσεως.

Περὶ ὧν ὁ Ἀνανίας εἶπεν πρὸς τὸν Παῦλον ἐν Δαμασκῷ, ὀπτασίας τε καὶ φωνῆς Θεοῦ γενομένης ποτὲ πρὸς αὐτὸν ἐν τῷ ἱερῷ.

Ὅτι μέλλων ἐπὶ τούτοις ὁ Παῦλος τύπτεσθαι, εἰπὼν, ὅτι Ῥωμαῖός ἐστιν, ἀνείθη.

Ὅσα ὁ Παῦλος καταβὰς εἰς τὸ συνέδριον ἔπαθέ τε καὶ εἶπε, καὶ ἀθυβόλως ἔπραξε.

Περὶ ἐπιβουλῆς μελετωμένης ὑπὸ Ἰουδαίων κατὰ Παύλου, καὶ μηνύσεως αὐτῆς πρὸς Λυσίαν.

Ἐν ᾧ ὅτι παρεπέμφθη ὁ Παῦλος τῷ ἡγεμόνι εἰς τὴν Καισαρείαν μετὰ στρατιωτῶν καὶ γραμμάτων.

Τερτύλλου περὶ Παύλου κατηγορία, καὶ αὐτοῦ ἀπολογία ἐπὶ τοῦ ἡγεμόνος.

Περὶ τῆς Φήλικος διαδοχῆς, καὶ τῆς Φήστου προαγωγῆς, τῆς τε ἐπ' αὐτοῦ ἀνακρίσεως Παύλου καὶ ἐφέσεως.

Ἀγρίππου καὶ Βερνίκης παρουσία, καὶ πεῦσις τῶν κατὰ Παῦλον.

Ἐν ᾧ Παύλου ἀπολογία ἐπ' αὐτῶν, περὶ [2] τῆς ἐννόμου θρησκείας αὐτοῦ καὶ κλήσεως εἰς τὸ εὐαγγέλιον.

[3] Ὡς οὐδὲν ἀδικεῖ Ἰουδαίους ὁ Παῦλος, Ἀγρίππας ἔφη τῷ Φήστῳ.

Πλοῦς Παύλου ἐπὶ Ῥώμην κινδύνων τε πλείστων καὶ μεγίστων [4] ἔμπλεως.

Ἐν ᾧ παραίνεσις Παύλου πρὸς τοὺς σὺν αὐτῷ περὶ ἐλπίδος σωτηρίας.

Ναυάγιον Παύλου, ὅπως τε διεσώθησαν εἰς Μελίτην νῆσον, καὶ ὅσα ἐν αὐτῇ ὁ Παῦλος ἐθαυματούργησεν.

Ὅπως ἀπὸ Μελίτης εἰς Ῥώμην κατήντησεν ὁ Παῦλος.

Περὶ διαλέξεως Παύλου τῆς πρὸς τοὺς ἐν Ῥώμῃ Ἰουδαίους.

Στίχοι ροβ'. Κεφάλαια μὲν τὰ ὅλα μ'. τὰ δὲ τούτοις ἑπόμενα μη'. ἅτινα τὰς σημειώσεις ἔχουσι διὰ κινναβάρεως.

Καὶ οὗτοι οἱ ἀριθμοὶ, οὓς [5] εὑρήσεις κειμένους

tur mors Eutychi in urbe Troadis, ejusque ad vitam per orationem Paulli revocatio. Monitio ejusdem Paulli ad presbyteros qui erant Ephesi, de recta gregis gubernatione, *cap.* xx. 2.

I. In hoc insuper capite navigatio Paulli ab Epheso Cæsaream usque Palæstinæ describitur, *cap.* xxi. 1.

XXX. Agabi prophetia de his quæ futura erant, ut Paullo Hierosolymis contingerent, *cap.* xxi. 8. *ab illis verbis, Et intrantes &c. alii codd.* xxi. 10.

XXXI. Admonitio Jacobi ad Paullum de circumcisione Judæis non interdicenda, *cap.* xxi. 15. *Alius codex Vat.* xxi. 20.

XXXII. De seditione mota Hierosolymis adversus Paullum, & quomodo ipsum tribunus e populi furore subtraxerit, *cap.* xxi. 27.

I. In quo Paulli ad populum narratio de rebus suis; deque sua ad apostolatum vocatione. *Fortasse ibid.* 40. *ab illis verbis, Et magno silentio cet.*

II. Item de his quæ sibi dixit Ananias apud Damascum; deque his quæ Deus sibi aliquando in templo apparens, dixit. *Fortasse cap.* xxii. 12.

III. Et cum propterea tribuni jussu flagellandus esset Paullus, ubi se Romanum dixisset, dimissus est, *cap.* xxii. 25. P.437.

XXXIII. De his quæ Paullus, in Judæorum consessum admissus, dixit & passus est; & de his quæ, optimo consilio usus, egit, *ibid.* 30.

XXXIV. De insidiis a Judæis Paullo intentatis, eorumque indicio a Lysia ad præsidem delato, *cap.* xxiii. 12.

I. In quo narratur transmissio Paulli Cæsaream ad præsidem, cum militibus & tribuni litteris. *Fortasse ibid.* 22.

XXXV. Tertulli adversus Paullum accusatio, ejusque defensio apud præsidem, *cap.* xxiv. 1.

XXXVI. De Felice præsidis munere functo, Festique ad eamdem dignitatem promotione; & de Paulli interrogationibus coram ipso habitis, ejusdemque ad Cæsarem appellatione, *cap.* xxiv. 27.

XXXVII. Agrippæ & Berenicis Cæsaream adventus, ubi Agrippa Paullum de suis rebus interrogat, *cap.* xxv. 13. *Cryptof.* 23.

I. In quo Paulli ad ipsos responsio de legitima religione, & vocatione sua ad evangelium, *cap.* xxvi. 1. *ab illis verbis, Tunc Paullus.*

II. Et quod Paullum in nullo Judæos injuria affecisse, Agrippa dixerit Festo. *Forte ibid.* 31.

XXXVIII. Paulli Romam versus navigatio, plurimis maximisque plena periculis, *cap.* xxvii. 1.

I. In quo Paulli monitio ad eos qui secum erant, ne de sua salute desperarent, *cap.* xxvii. 21. *ab illis verbis, Oportebat quidem cet.* P.438.

II. Naufragium Paulli, & quomodo incolumes in Meliten insulam omnes delati sunt, quæve miracula in ea egerit Paullus. *Forte ibid.* 39. *vel potius* 41.

XXXIX. Quomodo a Melite Romam Paullus pervenerit, *cap.* xxviii. 11. *Male Cryptof.* 16.

XL. De Paulli allocutionibus ad Judæos Romæ degentes, *cap.* xxviii. 17.

Versus CLXXII. Capita quidem omnia sunt XL. eorum vero subdivisiones sunt XLVI; eæque cinnabari exarantur.

Et hæ sunt numerorum notæ, quas reperies in

1. Oecumenius εἰς ἀποστολήν.
2. Stephani editio, τῆς ἐν νόμῳ.
3. Eadem editio, καὶ ὡς.
4. Eadem editio, πάμπλεως. Ita etiam codex Cryptoferratensis.
5. In Vaticanæ bibliothecæ codice regio-Alexandrino scribitur εὑρησαμένους; sed nos legendum conjecimus εὑρήσεις κειμένους. Quid autem in hac adnotatione sibi velit Euthalius, non satis clare constat. Fortasse numeros istos in codice Cæsariensis bibliothecæ a se repertos, Euthalius in suum exemplar transtulit, ne posteri ignorarent, quo pacto Eusebius Apostolorum Actus in privatum usum distinxerit. In codice tamen regio-Alexandrino, ut & alia nonnulla hujus generis, ita & has numerorum notas librarius ad oram textus Actuum Apostolorum scribere neglexit.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 458.

A ἐν τῷ τεύχει κατὰ τὸ ὕφος τῆς ἀναγνώσεως μετὰ μ΄. κεφάλαια, καὶ λ΄. μαρτυρίας· εἰσὶν δὲ οἱ πάντες λϛ΄.

Τὸν μὲν πρῶτον λόγον ἐποιησάμην περὶ πάντων ὦ Θεόφιλε.

Καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις ἀναστὰς Πέτρος.

Καὶ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς.

Πέτρος δὲ καὶ Ἰωάννης ἀνέβαινον εἰς τὸ ἱερόν.

Ἀπολυθέντες δὲ ἦλθον πρὸς τοὺς ἰδίους.

Διὰ δὲ χειρῶν τῶν ἀποστόλων.

Ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις ταύταις πληθυνόντων τῶν μαθητῶν.

Ἔστησαν δὲ μάρτυρας ψευδεῖς λέγοντας, ὁ ἄνθρωπος οὗτος.

B Ὁ δὲ Σαῦλος ἔτι ἐμπνέων ἀπειλῆς καὶ φόνου.

Ἡ μὲν οὖν ἐκκλησία καθ᾽ ὅλης τῆς Ἰουδαίας.

Ἐγένετο δὲ αὐτῷ καὶ ἡμέρας ἱκανὰς μεῖναι ἐν Ἰόππῃ παρά τινι Σίμωνι.

Οἱ μὲν οὖν διασπαρέντες ἀπὸ τῆς θλίψεως τῆς γενομένης.

Κατ᾽ ἐκεῖνον δὲ τὸν καιρὸν ἐπέβαλεν Ἡρώδης.

Ὁ δὲ λόγος τοῦ Θεοῦ ηὔξανεν καὶ ἐπληθυνεν.

Ἀναχθέντες δὲ ἀπὸ τῆς Πάφους οἱ περὶ Παῦλον.

C Ἐγένετο δὲ ἐν Ἰκονίῳ κατὰ τὸ αὐτὸ εἰσελθεῖν.

Καὶ διελθόντες τὴν Πισιδίαν, ἦλθον εἰς τὴν Παμφυλίαν.

Παῦλος δὲ ἐπιλεξάμενος Σίλαν, ἐξῆλθεν.

Περιοδεύσαντες δὲ τὴν Ἀμφίπολιν.

Ἐν δὲ ταῖς Ἀθήναις ἐκδεχομένου αὐτοῦ τοῦ Παύλου.

Μετὰ δὲ ταῦτα χωρισθεὶς ἐκ τῶν Ἀθηνῶν.

Ὁ δὲ Παῦλος ἔτι προσμείνας ἡμέρας ἱκανάς.

Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ τὸν Ἀπολλὼ εἶναι.

D Διελθὼν δὲ τὰ μέρη ἐκεῖνα.

Ἡμεῖς δὲ προσελθόντες ἐπὶ τὸ πλοῖον ἀνήχθημεν.

Ὡς δὲ ἐγένετο ἀναχθῆναι ἡμᾶς ἀποσπασθέντας.

Μετὰ δὲ τὰς ἡμέρας αὐτὰς ἐπισκευασάμενοι.

Τῇ δὲ ἐπαύριον βουλόμενος γνῶναι τὸ ἀσφαλές.

Ἀκούσας δὲ ὁ υἱὸς τῆς ἀδελφῆς Παύλου τὴν ἐνέδραν.

Μετὰ δὲ πέντε ἡμέρας κατέβη ὁ ἱερεὺς Ἀνανίας.

E Ἀπεκρίθη δὲ ὁ Παῦλος, νεύσαντος αὐτῷ τοῦ ἡγεμόνος.

Διετείας δὲ πληρωθήσης, ἔλαβεν διάδοχον ὁ Φῆλιξ.

Ἡμερῶν δὲ πλειόνων διαγενομένων.

Τῇ δὲ ἐπαύριον εἰσελθόντος τοῦ Ἀγρίππα.

Ὡς δὲ ἐκρίθη τοῦ ἀποπλεῖν ἡμᾶς εἰς τὴν Ἰταλίαν.

Μετὰ δὲ τρεῖς μῆνας ἀνήχθημεν ἐν πλοίῳ, παρακεχειμακότι ἐν τῇ νήσῳ, Ἀλεξανδρινῷ.

Ὁμοῦ ἀριθμοὶ λϛ΄. στίχοι μ΄.

A codice e regione textus Actuum Apostolorum, post XL. capitula & triginta testimonia: sunt autem omnes XXXVI.

I. Primum quidem sermonem feci de omnibus, Theophile, *cap.* I. 1.

II. Et in diebus istis surgens Petrus, *cap.* I. 15.

III. Et cum compleretur dies Pentecostes, *cap.* II. 1.

IV. Petrus autem & Joannes ascendebant in templum, *cap.* III. 1.

V. Dimissi autem venerunt ad suos, *cap.* IV. 23. P.439.

VI. Per manus autem Apostolorum, *cap.* V. 12.

Κυριακῇ γ'. πρὸς Ἐφεσίους, ἀρχὴ, ἐνδυναμοῦσθαι ἐν κυρίῳ. τέλος, ὅ ἐστι ῥῆμα Θεοῦ.

Dominica III. Ad Ephesios. Principium *cap.* VI. 10. Confortamini in Domino. Finis *vers.* 17. Quod est Verbum Dei.

Τῷ σαββάτῳ, ἐκ τοῦ ἀποστόλου εἰς ἁγίους.

Die sabbati. Ex lectione Apostoli in sanctorum festis recitanda.

Κυριακῇ δ'. πρὸς Ἑβραίους, ἀρχὴ, ἔχοντες παῤῥησίαν εἰς τὴν εἴσοδον τῶν ἁγίων. τέλος, φοβερὸν τὸ ἐμπεσεῖν εἰς χεῖρας Θεοῦ ζῶντος.

Dominica IV. Ad Hebræos. Principium *cap.* X. 19. Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu sanctorum. Finis *vers.* 31. Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Vide p.680.

Τοῦ εὐαγγελισμοῦ. πρὸς Ἑβραίους, ὅ τε ἁγιάζων, καὶ οἱ ἁγιαζόμενοι. τέλος, δύναται τοῖς πειραζομένοις βοηθεῖν.

In festo annuntiationis Deiparæ. Ad Hebræos. B Principium *cap.* II. 11. Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur. Finis *vers.* 18. Potens est & eis qui tentantur, auxiliari.

Τῇ κυριακῇ τῆς βαϊοφόρου. πρὸς Φιλιππησίους, ἀρχὴ, χαίρετε ἐν κυρίῳ πάντοτε. τέλος, καὶ ὁ Θεὸς τῆς εἰρήνης ἔσται μεθ' ὑμῶν.

Dominica palmarum. Ad Philippenses. Principium *cap.* IV. 4. Gaudete in Domino semper. Finis *vers.* 9. Et Deus pacis erit vobiscum.

Τῇ ἁγίᾳ πέμπτῃ. πράξεις ἀποστόλων, ἀρχὴ, σταθεὶς Πέτρος ἐν μέσῳ τῶν ἀδελφῶν, εἶπεν, ἄνδρες ἀδελφοὶ, ἔδει πληρωθῆναι τὴν γραφὴν. τέλος, συγκατεψηφίσθη μετὰ τῶν ἕνδεκα ἀποστόλων.

Sancta feria V. hebdomadæ majoris. Ex Actibus Apostolorum. Principium *cap.* I. 15. Exsurgens Petrus in medio fratrum, dixit: Viri fratres, oportet impleri scripturam. Finis *vers.* 26. Annumeratus est cum undecim Apostolis.

Ἐκ τοῦ ἀποστόλου πρὸς Κορινθίους α'. ἐγὼ παρέλαβον ἀπὸ τοῦ κυρίου. τέλος, ἵνα μὴ σὺν τῷ κόσμῳ κατακριθῶμεν.

Ex epistolis Paulli epistola ad Corinthios I. Principium *cap.* XI. 23. Ego enim accepi a Domino. Finis *vers.* 32. Ut non cum hoc mundo damnemur. Vide p.605.

Τῷ ἁγίῳ σαββάτῳ. πρὸς Ῥωμαίους, ἀρχὴ, ὅσοι εἰς Χριστὸν ἐβαπτίσθημεν. τέλος, ὃ δὲ ζῇ, ζῇ τῷ Θεῷ.

C Sabbato sancto. Ad Romanos. Principium *cap.* VI. 3. Quicumque baptizati sumus in Christo. Finis *vers.* 10. Quod autem vivit, Deo vivit.

ΑΝΑΓΝΩΣΕΙΣ

LECTIONES

Εἰς μνείας ἁγίων.

In Sanctorum commemorationibus recitandæ.

Εἰς ἱερέα. πρὸς Ἑβραίους, ἀρχὴ, τοιοῦτος ἡμῖν ἔπρεπεν ἀρχιερεύς. τέλος, καὶ τῆς σκηνῆς, ἣν ἔπηξεν ὁ κύριος καὶ οὐκ ἄνθρωπος.

IN festo pontificis. Ad Hebræos. Principium *cap.* VII. 26. Talis enim decebat ut nobis esset pontifex. Finis *cap.* VIII. 2. Et tabernaculi veri, quod D fixit Dominus, & non homo. Vide p.678.

Εἰς ἱερεῖς. πρὸς Τιμόθεον β'. ἀρχὴ, ἀγαπητὲ, νῆφε ἐν πᾶσι. τέλος, ἀλλὰ καὶ πᾶσιν τοῖς ἠγαπηκόσι τὴν ἐπιφάνειαν αὐτοῦ.

In plurium pontificum festis. Ad Timotheum II. Principium *cap.* IV. 5. Tu vero vigila in omnibus. Finis *vers.* 8. Sed iis qui diligunt adventum ejus. Vide p.701.

Εἰς ἁγίους. πρὸς Ῥωμαίους, ἀρχὴ, δικαιωθέντες ἐκ πίστεως εἰρήνην ἔχομεν. τέλος, διὰ πνεύματος ἁγίου τοῦ δοθέντος ἡμῖν.

In sanctorum festis. Ad Romanos. Principium *cap.* V. 1. Justificati ergo ex fide, pacem habeamus. Finis *vers.* 5. Per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Vide p.580.

Εἰς ἁγίους. πρὸς Ῥωμαίους, ἀρχὴ, τοῖς ἀγαπῶσιν τὸν Θεὸν πάντα. τέλος, ὃς καὶ ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν.

In festivitatibus sanctorum. Ad Romanos. Principium *cap.* VIII. 28. Diligentibus Deum omnia. Finis *vers.* 34. Qui etiam interpellat pro nobis. Vide p.583.

Εἰς ἁγίους. πρὸς Ἑβραίους, ἀρχὴ, ἀναμιμνήσκεσθε τὰς πρότερον ἡμέρας. τέλος, ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται.

In festivitatibus sanctorum. Ad Hebræos. Principium *cap.* X. 32. Rememoramini autem pristinos dies. E Finis *vers.* 38. Justus autem ex fide vivit. Vide p.681.

Εἰς ἁγίους. πρὸς Ἑβραίους, ἀρχὴ, οἱ ἅγιοι διὰ πίστεως. τέλος, εἰς τὸν τῆς πίστεως ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν Ἰησοῦν.

In iisdem festivitatibus. Ad Hebræos. Principium *cap.* XI. 33. Sancti per fidem. Finis *cap.* XII. 2. In auctorem fidei & consummatorem Jesum.

Εἰς ἐγκαίνια. πρὸς Κορινθίους α'. ἀρχὴ, Θεοῦ ἐσμεν συνεργοὶ, Θεοῦ γεώργιον. τέλος, ὅς ἐστιν Ἰησοῦς Χριστός.

In dedicatione ecclesiæ. Ad Corinthios I. Principium *cap.* III. 9. Dei enim sumus adjutores; Dei agricultura estis. Finis *vers.* 11. Quod est Christus Jesus. Vide p.595.

Εἰς ἁγίας. πρὸς Κορινθίους β'. ἀρχὴ, ὁ καυχώμενος ἐν κυρίῳ καυχάσθω. τέλος, ἑνὶ ἀνδρὶ παρθένον ἁγνὴν παραστῆσαι τῷ Χριστῷ.

In SS. mulierum festis. Ad Corinthios II. Principium *cap.* 10. 17. Qui autem gloriatur, in Domino glorietur. Finis *cap.* XI. 2. Uni viro virginem castam exhibere Christo. Vide p.622.

A

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 458.



Εἰς μνείας νεκρῶν.

ΠΡὸς Ῥωμαίους, ὁ φρονῶν τὴν ἡμέραν, κυρίῳ φρονεῖ. τέλος, καὶ πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσεται τῷ Θεῷ.

Εἰς μνείας νεκρῶν. πρὸς Κορινθίους ά. εἰ Χριστὸς κηρύσσεται ὅτι ἐκ νεκρῶν ἐγήγερται. τέλος, οὕτως καὶ ἐν τῷ Χριστῷ πάντες ζωοποιηθήσονται.

Εἰς μνείας νεκρῶν. πρὸς Κορινθίους ά. ἀρχὴ, ὥσπερ ἐν τῷ Αδὰμ πάντες [a] ζωοποιῦμεν. τέλος, ἵνα ᾖ ὁ Θεὸς τὰ πάντα.

B

Εἰς μνείας νεκρῶν. πρὸς Κορινθίους ά. ἀρχὴ, φθείρουσιν χρηστά. τέλος, ἐστὶ σῶμα ψυχικὸν, ἐστὶ σῶμα καὶ πνευματικόν.

Εἰς μνείας νεκρῶν. πρὸς Κορινθίους ά. ἀρχὴ, ἐγένετο ὁ πρῶτος ἄνθρωπος Αδάμ. τέλος, διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Εἰς μνείας νεκρῶν. πρὸς Θεσσαλονικεῖς ά. ἀρχὴ, οὐ θέλω μὲν ὑμᾶς ἀγνοεῖν περὶ τῶν. τέλος, καὶ οὕτως πάντοτε σὺν κυρίῳ ἐσόμεθα.

In commemorationibus mortuorum.

AD Romanos. Principium *cap.* XIV. 6. Qui sapit diem, Domino sapit. Finis *verſ.* 11. Et omnis lingua confitebitur Deo.

In commemorationibus mortuorum. Ad Corinthios I. Principium *cap.* XV. 12. Si autem Chriſtus prædicatur quod reſurrexit a mortuis. Finis *verſ.* 22. Ita & in Chriſto omnes vivificabuntur. Vide p.609.

In iiſdem commemorationibus. Ad Corinthios I. Principium *cap.* XV. 22. Sicut in Adam omnes moriuntur. Finis *verſ.* 28. Ut ſit Deus omnia. Vide ibid.

In iiſdem commemorationibus. Ad Corinthios I. Principium *cap.* XV. 33. Corrumpunt mores bonos. Finis *verſ.* 44. Eſt corpus animale, eſt & corpus ſpirituale. Vide ibid. in fine.

In iiſdem commemorationibus. Ad Corinthios I. Principium *cap.* XV. 45. Factus eſt primus homo Adam. Finis *verſ.* 57. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Vide p.610.

In iiſdem commemorationibus. Ad Theſſalonicenſes I. Principium *cap.* IV. 12. Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus. Finis *verſ.* 17. Et ſic ſemper cum Domino erimus. Vide p.661. in fine.

a Ζωοποιοῦμεν] Reſcribendum ἀποθνήσκουσιν, ut in textu. Atque ita legit interpres.

I D A T I I

EPISCOPI

CHRONICON

ET

FASTI CONSULARES.

ACCESSIT

MARCELLINI

CHRONICON

Multo quam antea emendatius & auctius.

Ex editione Sirmondiana a cl. BAUNIO adornata.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 460.

IDATII EPISCOPI CHRONICON.

PRÆFATIO.

IDATIUS SERVUS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI universis fidelibus in Domino Jesu Christo, & servientibus ei in veritate salutem.

PRobatissimorum in omnibus virorum studia, A quos præcipue in fide catholica & conversatione perfecta testes veritatis divini cultus docet adsertio, ut ornantur decore dictorum, ita & commendantur honore meritorum, ut miram in omni opere suo obtineant firmitatem. Verum Idatius provinciæ Gallæciæ natus in Lemica civitate, mage divino munere, quam proprio merito, summi præsul creatus officii, ut extremus plagæ, ita extremus & vitæ, perexiguum informatus studio sæculari, multo minus docilis sanctæ lectionis volumine salutari; sanctorum eruditissimorum patrum in præcedenti opere suo, pro capacitate proprii sensus aut verbi, ostensum ab his secutus exemplar. Quorum primus Eusebius Cæsariensis episcopus, qui B ecclesiasticas sui numeri libris scripsit historias, ab initio Nini regnantis Assyriis, & sancti Abrahæ patriarchæ Hebræis, & reliquorum contemporales his annos regum, in vicesimum Constantini augusti quo imperabat annum, Græci sermonis Chronographiæ concludit historia. Post hunc successor syngrapheus perfectus universis factorum dictorumque monimentis, Hieronymus presbyter, idem Eusebius cognomento, de Græco in Latinum scripturæ hujus interpres, a vicesimo anno supra dicti imperatoris in quartum decimum Valentis augusti annum subditam texit historiam. Esto ut in sanctis quibus deguit Hierosolymorum locis, a memorato Valentis anno in tempus quo in præsenti vita duravit, forte quam- C plurima de his quæ sunt insecuta subjecerit: quia haud umquam, dum valuit, a diverso stili opere cessavit. Quem quodam tempore propriæ peregrinationis in supra dictis regionibus adhuc infantulus vidisse me certus sum. Qui post aliquot annos beato ut erat mansit in corpore. Si tunc proprio operi quod subdidit aliqua subjunxerit, apud eos ad quos scriptorum ejus omne opus vel summa pervenit, certa & plena cognitio est. Sed quoniam in cujusdam studii sui scriptura dixisse eum constat, debacchantibus jam in Romano solo barbaris, omnia haberi permixta atque confusa, opinamur ex hujus indicio sermonis, in hoc per se annorum volumine subdito de successione temporum ab ipso nihil adjectum. Tamen quia ad nostri temporis cursum, ut superior lectio docet, descriptio defluxit annorum, cum membrana hujus historiæ curam contigisset expertis, mentem monuit imperiti, ut de cognitis, etsi in omnibus impari gressu, vel vestigiis se substerneret præcessorum. Quæ fideli suscipiens cordis intuitu, partim ex studio scriptorum, partim ex certo aliquantorum relatu, partim ex cognitione quam jam lacrymabile propriæ vitæ tempus ostendit, quæ subsequuntur adjecimus. Quorum continentiam gestorum & temporum, qui legis ita discernes. Ab anno primo Theodosii augusti in annum tertium Valentiniani augusti, Placidiæ reginæ filii, ex supra dicto a nobis conscripta sunt studio, vel ex scriptorum stilo, vel ex relationibus indicantum. Exin immerito adlectus ad episcopatus officium, non ignarus omnium miserabilis temporis ærumnarum, & conclusi in angustias imperii Romani metas subdidimus ruituras, & quod est luctuosius, intra extremam universi orbis Gallæciam deformem ecclesiastici ordinis statum, creationibus indiscretis honestæ libertatis interitum, & universæ propemodum in divina disciplina religionis occasum ex furentium dominantem permixta iniquarum perturbatione nationum. Hæc jam quidem inserta: sed posteris in temporibus quibus offenderint, reliquimus consummanda.

IDATII EPISCOPI CHRONICON.

ROmanorum XXXIX. Theodosius per Gratianum D in consortium regni adsumtus, cum ipso, & Valentiniano juniore regnat annis XVII.

I. Theodosius natione Hispanus, de provincia Gallæcia, civitate Cauca, a Gratiano augustus appellatur.

Inter Romanos, & Gothos multa certamina conferuntur.

II. Theodosius Constantinopolim ingreditur in primo consulatu suo, quem cum Gratiano agebat augusto.

Alexandriæ XXI. habetur episcopus Theophilus vir eruditissimus, insignis qui a primo consulatu Theodosii augusti Laterculum per centum annos digestum de paschæ observatione conscripsit. Olymp. CCXC.

III. Athanaricus rex Gothorum apud Constantinopolim decimo quinto die ex quo a Theodosio fuerat susceptus, interiit.

IV. Gothi infida Romanis pace se tradunt. CCCCXC.

Ambrosius in Italia Mediolani episcopus, Martinus in Galliis Turonis episcopus, & vitæ meritis & patratis miraculis virtutum habentur insignes. VII. Jobeleus ex quo Dominus ascendit

V. Theodosius Arcadium filium suum augustum appellans regni facit sibi esse consortem. A

* VI. Honorius nascitur filius Theodosii.

Legati Persarum ad Theodosium Constantinopolim veniunt.

VII. Greothingorum gens a Theodosio superatur.

* II. CCCC. Olymp. CCXCI. Priscillianus declinans in hæresim Gnosticorum, per episcopos quos sibi in eadem pravitate collegerat, Abulæ episcopus ordinatur: qui aliquot episcoporum conciliis auditus, Italiam petit & Romam. Ubi ne ad conspectum quidem sanctorum episcoporum Damasi & Ambrosii receptus, cum his cum quibus iverat, redit ad Gallias. Inibi similiter a sancto Martino episcopo, & ab aliis episcopis hæreticus judicatus, appellat ad Cæsarem quia in Galliis [1] his diebus potestatem tyrannus Maximus obtinebat imperii. B

VIII. Arcadii quinquennalia celebrantur.

Romanæ Ecclesiæ XXXVI. habetur episcopus Siricius.

IX. Priscillianus propter supra dictam hæresem ab episcopatu depulsus, & cum ipso Latronianus laicus, aliquantique sectatores ejus apud Trevirim sub tyranno Maximo cæduntur. Exin in Gallæciam Priscillianistarum hæresis invasit.

X. Maximus tyrannus occiditur per Theodosium tertio lapide ab Aquileja quinto Kalendas Augustas: & eodem tempore vel ipso anno in Galliis per [2] Arbogastem comitem filius Maximi nomine Victor extinctus est. C

Cynegius Theodosii præfectus habetur illustris, qui factis insignibus præditus & usque ad Ægyptum penetrans gentium simulacra subvertit.

Olymp. CCXCII. XI. Theodosius cum Honorio filio suo Romam ingressus est.

XII.

XIII.

CCCCXXX. XIV. Valenitnianus junior apud Viennam scelere comitis [3] Arbogasti occiditur, & Eugenius tyrannus efficitur.

Olymp. CCXCIII. XV.

XVI. Eugenius a Theodosio augusto superatus occiditur. D

II. CCCCX. XVII. Theodosius invaletudine hydropis apud Mediolanum defunctus est anno regni sui XVII. Et iste annus, qui Theodosii XVII. ipse Arcadii & Honorii in initio regni eorum primus est: quod ideo indicatur, ne olympiadem quinque annorum turbet adjectio, in hoc loco tantum propter regnantum inserta [a] principium.

I. Romanorum XL. Arcadius, & Honorius Theodosii filii defuncto patre regnant annis XXX.

II.

Olymp. CCXIV. III. (*Romanæ ecclesiæ* XXXVII. *habetur episcopus Anastasius.*)

IV.

V. In provincia Carthaginiensi in civitate Toleto synodus episcoporum contrahitur, in qua quod gestis continetur, Symphosius & Dictinius, & alii cum his Gallæciæ provinciæ episcopi, Priscilliani sectatores hæresem ejus blasphemissimam cum adsertore eodem professionis suæ subscriptione condemnant. Statuuntur quædam etiam observanda de ecclesiæ disciplina, communicante in eodem concilio Ortigio episcopo qui Cælenis fuerat ordinatus, sed agentibus Priscillianistis pro fide catholica pulsus factionibus exsulabat. E

VI.

Olymp. CCXCV. VII.

VIII. Solis facta defectio tertio Idus Novembris feria secunda.

Romanæ ecclesiæ * XXXVIII. habetur episcopus Innocentius. * Ms. XXXVII.

IX. Theodosius Arcadii filius nascitur.

X. Constantinopoli Joannes episcopus prædicatur insignis, qui ob fidem catholicam Eudoxiam Arcadii uxorem infestissimam patitur Arrianam. II. CCCCX Olymp. CCXCVI.

XI.

XII. Hierosolymis Joannes, Cæsarea Eulogius, Cypro Epiphanius, Alexandria Theophilus qui supra, episcopi habentur insignes.

Hieronymus presbyterio præditus, in Bethleem Judæ vicina consistens, præcipuus habetur in cunctis.

XIII. Post supra scriptos sane Arrianos, qui Hierosolymis ante Joannem episcopi fuerint, Idatius qui hæc scribit, scire non potuit. Hunc vero sanctum cum sanctis Eulogio, Theophilo & Hieronymo vidit, & infantulus & pupillus.

XIV.

XV. Alani & Wandali & Suevi Hispanias ingressi æra CCCCXLVII. alii quarto Kalendas, alii tertio Idus Octobris memorant die, tertia feria, Honorio VIII. & Theodosio Arcadii filio III. consulibus. Olymp. CCXCVII.

Alaricus rex Gothorum Romam ingressus: cum intra & extra urbem cædes agerentur, omnibus indultum est qui ad sanctorum limina confugerunt.

Placidia Theodosii filia, Honorii imperatoris soror, a Gothis in urbe capta.

Alaricus moritur, cui Ataulfus succedit in regno.

Barbari qui in Hispanias ingressi fuerant, cæde deprædantur hostili. Pestilentia suas partes non segnius operatur.

XVI. Debacchantibus per Hispanias barbaris, & sæviente nihilominus pestilentiæ malo, opes & conditam in urbibus substantiam tyrannicus exactor diripit, & miles [4] exhaurit: fames dira grassatur, adeo ut humanæ carnes ab humano genere vi famis fuerint devoratæ: matres quoque necatis vel coctis per se natorum suorum sint pastæ corporibus. Bestiæ occisorum gladio, fame, pestilentia, cadaveribus adsuetæ, quosque hominum fortiores interimunt, eorumque carnibus pastæ passim in humani generis efferantur interitum. Et ita quatuor plagis ferri, famis, pestilentiæ, bestiarum, ubique in toto orbe sævientibus, prædictæ a Domino per prophetas suos adnuntiationes implentur.

XVII. Subversis memorata plagarum grassatione Hispaniæ provinciis, barbari ad pacem ineundam, Domino miserante conversi, sorte ad inhabitandum sibi provinciarum dividunt regiones. Gallæciam Wandali occupant & Suevi, sitam in extremitate oceani maris occidua. Alani Lusitaniam & Carthaginiensem provincias: & Wandali cognomine Silengi Bæticam sortiuntur. Hispani per civitates & castella residui a plagis, barbarorum per provincias dominantium se subjiciunt servituti.

Constantinus post triennium invasæ tyrannidis ab Honorio duce Constantio intra Gallias occiditur.

XVIII. Jovinus & Sebastianus fratres intra Galliam, & in Africa Heraclianus pari tyrannidis inflantur insania.

Augustinus Hipponeregiensis episcopus habetur insignis, inter cujus studia magnifica, Donatistas ab eo Dei adjutorio superatos, probata fides demonstrat auctorum. Olymp. CCXCVIII.

XIX. Jovinus & Sebastianus oppressi ab Honorii ducibus Narbona interfecti sunt.

1. Ms. *hisdem* 2. Ms. *Arvagastem*. 3. Ms. *Arvagasti*. 4. Ms. *milites*.

a *Principium*] Cangius in præfatione ad Chronicon paschale pag. XXIX. §. XXVII. legit item *principium* ex cod. ms. non *principum*, ut est in edit.

Gothi Narbonam ingressi vindemiæ tempore.

Heraclianus movens exercitum de Africa adversus Honorium, Utriculo in Italia in conflictu superatus effugit in Africam, cæsis in loco supra dicto L. milibus armatorum. Ipse post Carthagine in æde Memoriæ per Honorium percussoribus missis occiditur.

ccccxxi. XX. Ataulfus apud Narbonam Placidiam duxit uxorem: in quo prophetia Danielis putatur impleta, qui ait filiam regis Austri sociandam regi Aquilonis: nullo tamen ejus ex ea semine subsistente.

XXI. Hierosolymis Joanne quo supra episcopo [1] præsidente, sanctus & primus post Christum Dominum martyr Stephanus revelatur.

Hieronymus, qui supra præcipuus in omnibus, elementorum quoque peritissimus Hebræorum, in lege Domini, quod scriptum est, diurna nocturnaque meditatione continuus, studia operis sui reliquit innumera. Ad ultimum [2] Pelagianorum sectam cum ejusdem auctore adamantino veritatis malleo contrivit. Adversum hos & adversum alios hæreticos exstant ejus probatissima monimenta.

XXII. Ataulfus a patricio Constantio pulsatus, ut relicta Narbona Hispanias peteret, per quemdam Gothum apud [3] Barcinonam inter familiares fabulas jugulatur. Cui succedens Wallia in regno, cum patricio Constantio pace mox facta, Alanis & Wandalis Silingis, in Lusitania & Bætica sedentibus adversatur.

Olymp. cxcix. Alexandrinæ ecclesiæ post Theophilum quis præsederit, ignoravi hæc scribens.

Constantius Placidiam accepit uxorem.

(*Fredibalum regem gentis Wandalorum sine ullo certamine ingeniose captum ad imperatorem Honorium destinat.*)

XXIII. Wallia rex Gothorum Romani nominis caussa intra Hispanias cædes magnas efficit barbarorum.

XXIV. Solis facta defectio die decimo quarto Kal. Augusti, qui fuit quinta feria.

Romanæ ecclesiæ XXXIX. præsidet episcopus [4] Zosimus.

Durante episcopo quo supra, gravissimo terræ motu sancta in Hierosolymis loca quassantur & cetera, de quibus in gestis ejusdem episcopi scripta declarant.

Wandali Silingi in Bætica per Walliam regem omnes exstincti.

Alani qui Wandalis & Suevis potentabantur, adeo cæsi sunt a Gothis, ut exstincto [5] Atace rege ipsorum, pauci qui superfuerant, abolito regni nomine, Gunderici regis Wandalorum qui in Gallæcia resederat, se patrocinio subjugarent.

Gothi intermisso certamine quod agebant, per Constantium ad Gallias revocati, sedes in Aquitanica a Tolosa usque ad oceanum acceperunt.

Wallia eorum rege defuncto, Theodoricus succedit in regno.

XXV. Inter Gundericum Wandalorum, & Hermericum Suevorum reges certamine orto, Suevi [6] in Nervasi montibus obsidentur a Wandalis.

Valentinianus Constantii & Placidiæ filius nascitur.

In Gallicana regione in civitate Biterris multa signa effecta terrifica, Paullini episcopi ejusdem civitatis epistola enarrat ubique directa.

XXVI. Wandali Suevorum obsidione dimissa, instante Asterio Hispaniarum comite, sub vicario Maurocello, aliquantis Bracaræ in exitu suo occisis, relicta Gallæcia ad Bæticam transierunt.

(*Romanæ ecclesiæ* XL. *præsidet episcopus Bonifacius.*)

A Honorius apud Ravennam Constantium consortem sibi facit in regno.

* XXVII. Constantius imperator Ravennæ moritur in suo tertio consulatu.

XXVIII. Castinus magister militum cum magna manu & auxiliis Gothorum, bellum in Bætica Wandalis infert: quos cum ad inopiam vi obsidionis artaret, adeo ut se tradere jam pararent, inconsulte publico certamine confligens, auxiliorum fraude deceptus ad [7] Tarraconam victus effugit. * Olymp. ccc.

Bonifacius palatium deserens Africam invadit.

XXIX.

XXX. Honorius actis tricennalibus suis Ravennæ obiit. II. ccccxl.

B Paullinus nobilissimus & eloquentissimus, dudum conversione ad Deum nobilior factus, vir apostolicus, Nola Campaniæ episcopus habetur insignis: cui Therasia de conjuge facta soror, testimonio vitæ beatæ æquatur & merito. Exstant operis ipsius egregii studia prædicanda. Olymp. ccci.

Romanorum XLI. Theodosius Arcadii filius, ante aliquot annos regnans in partibus orientis defuncto patre, post obitum Honorii patrui, monarchiam tenet imperii, cum esset annorum viginti sex.

Joannes arripit tyrannidem.

I. Theodosius Valentinianum, amitæ suæ Placidiæ filium, Constantinopoli Cæsarem facit, & contra Joannem mittit: sub quo a ducibus qui cum eo per Theodosium missi fuerant, apud Ravennam primo anno invasæ tyrannidis occiditur, & Felix patricius ordinatur [8] ex magistro militum. C

Valentinianus qui erat Cæsar, Romæ Augustus appellatur.

Wandali Balearicas insulas deprædantur: deinde Carthagine Spartaria, & Hispali eversa & Hispaniis deprædatis, Mauritaniam invadunt.

II. Romanæ ecclesiæ * XLI. præsidet episcopus Cælestinus. * Ms. XL.

III.

IV. Gundericus rex Wandalorum capta Hispali, cum impie elatus manus in ecclesiam civitatis ipsius D extendisset, mox Dei judicio dæmone correptus interiit. Cui Gaisericus frater succedit in regno. Qui ut aliquorum relatio habet, effectus apostata de fide catholica in Arrianam dictus est transisse perfidiam.

V. Gaisericus rex de Bæticæ provinciæ litore cum Wandalis omnibus, eorumque familiis, mense Majo ad Mauritaniam, & Africam relictis transit Hispaniis. Qui prius quam pertransiret, admonitus Hermigarium Suevum vicinas in transitu suo provincias deprædari, recursu cum aliquantis suis facto, prædantem in Lusitania consequitur. Qui haud procul de Emerita, quam cum sanctæ martyris Euraliæ injuria spreverat multis per Gaisericum cæsis, ex his quos secum habebat, arrepto, ut putavit, Euro velocius fugæ subsidio, in flumine Ana divino brachio præcipitatus interiit. Quo ita exstincto, mox quo cœperat Gaisericus enavigavit. Olymp. ccci. E

VI. Suevi sub Hermerico rege medias partes Gallæciæ deprædantes, per plebem quæ castella tutiora retinebat, acta suorum partim cæde, partim captivitate, pacem quam ruperant, familiarum quæ tenebantur, redhibitione restaurant.

Per Aetium comitem haud procul de Arelate quædam Gothorum manus exstinguitur, Anaolfo optimate eorum capto. Juthungi per eum similiter debellantur, & Nori.

1. Ms. *præsidente sancto & primus.*
2. Ms. *Pelagiani.*
3. Ms. *Barcilonam.*
4. Ms. *Eulalius.*
5. *Aadace.*
6. Ms. *Nerbasis.*
7. Ms. *Terraconam.*
8. Ms. *& magister militum.*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 460.

Felix qui dicebatur Patricius Ravennæ tumultu A occiditur militari.

VII. Aetius dux utriusque militiæ Noros edomat rebellantes. Rursum Suevi initam cum Gallæcis pacem libata sibi occasione conturbant. Ob quorum deprædationem Idatius episcopus ad Aetium ducem qui expeditionem agebat in Galliis, suscipit legationem. Vetto qui de Gothis dolose ad Gallæciam venerat, sine aliquo effectu redit ad Gothos.

VIII. Superatis per Aetium in certamine Francis & in pace susceptis, Censorius comes legatus mittitur ad Suevos, supra dicto secum Idatio redeunte.

Olymp. CCCIII. Bonifacius in æmulationem Aetii de Africa per Placidiam evocatus in Italiam ad palatium redit. Qui depulso Aetio in locum ejus succedens, paucis post mensibus, inito adversum Aetium conflictu, de vulnere quo fuerat percussus interiit. Cui Sebastianus gener substitutus per Aetium de palatio superatus expellitur.

IX. Regresso Censorio ad palatium, Hermericus pacem cum Gallæcis quos prædabatur assidue, sub interventu episcopali datis sibi reformat obsidibus.

Symphosius episcopus per eum ad comitatum legatus missus, rebus in cassum frustratur arreptis.

In conventu Lucensi contra voluntatem Agrestii Lucensis episcopi, Pastor & Syagrius episcopi ordinantur.

Aetius dux utriusque militiæ Patricius appellatur.

II. CCCCL. X. Sebastianus exsul & profugus effectus, navigat C ad palatium orientis.

* Ms. XLI. Romanæ ecclesiæ * XLII. habetur episcopus Xystus.

XI. Hierosolymis Juvenalem episcopum præsidere, Germani presbyteri Arabicæ regionis exinde ad Gallæciam venientis, & aliorum Græcorum relatione comperimus, adjicientibus Constantinopolim eum cum aliis, & Palæstinæ provinciæ & orientis episcopis evocatum, sub præsentia Theodosii augusti, contracto episcoporum interfuisse concilio ad destruendam Hebionitarum hæresim, quam [1] Nestorius ejusdem urbis episcopus pravo stultissimæ sectæ resuscitabat ingenio.

Quo vero tempore sancti Joannes, Hieronymus & alii quos supra diximus, obierint, vel quis Jo- D anni ante Juvenalem successerit, sicut & fecisse cognitum est in brevi seniorem quemdam, referentum sermo non edidit.

XII. Narbona obsideri cœpta per Gothos.

Burgundiones qui rebellaverant, a Romanis duce Aetio debellantur.

Olymp. CCCIV. Uno eodemque tempore Alexandriæ Cyrillum episcopum præsidere, & Constantinopoli Nestorium hæreticum Hebionæum, Cyrilli ipsius ad eumdem epistola, & hæresim destruentis & regulam fidei exponentis ostendit. Hæc cum aliis habentur allata.

XIII. Narbona obsidione liberatur Aetio duce & magistro militum. Burgundionum cæsa viginti millia.

Rursus Censorius & Fretimundus legati mittuntur ad Suevos.

XIV. Gothorum cæsa octo millia sub Aetio duce.

Suevi cum parte plebis Gallæciæ cui adversabantur, pacis jura confirmant.

Hermericus rex morbo oppressus Rechilam filium suum substituit in regnum: qui Andevotum cum sua quam habebat manu ad Singillionem Bæticæ fluvium aperto marte prostravit, magnis ejus auri & argenti opibus occupatis.

XV. Carthagine fraude decepta die decimo quarto Kalen. Novembris omnem Africam rex Gaisericus invadit.

Bello Gothico sub Theodorico rege apud Tolosam, Litorius Romanus dux inconsultius cum auxiliari Hunorum manu irruens, cæsis his, ipse vulneratus capitur, & post dies paucos occiditur.

Inter Romanos & Gothos pax efficitur.

Gaisericus elatus impie, episcopum clerumque Carthaginis depellit ex ea, & juxta prophetiam Danielis, demutatis ministeriis sanctorum ecclesias catholicas [2] tradit Arrianis.

Rechila rex Suevorum Emeritam ingreditur.

XVI. Gaisericus Siciliam deprædatus Panormum diu obsedit: qui damnati a catholicis episcopis Maximini, apud Siciliam Arrianorum ducis, adversum catholicos præcipitatur instinctu, ut eos quoquo B pacto in impietatem cogeret Arrianam: nonnullis declinantibus, aliquanti durantes in catholica fide consummavere martyrium.

Censorius comes qui legatus missus fuerat ad Suevos, residens [3] Mirtyli, obsessus a Rechila in pace se tradidit.

XVII. Rex Suevorum diuturno per annos septem morbo adflictus moritur Hermericus. Olymp. CCCV.

Rex Rechila Hispali obtenta, Bæticam & Carthaginiensem provincias in suam redigit potestatem.

(*Romanæ ecclesiæ* XLIII. *præsidet episcopus Leo.*)

Sabino episcopo de Hispali factione depulso, in locum ejus Epiphanius ordinatur fraude, non jure.

Asturius dux utriusque militiæ ad Hispanias missus Tarraconensium cædit multitudinem Bacaudarum.

XVIII. Cometæ sidus apparere incipit mense Decembri: quod per menses aliquot visum, subsequentis in pestilentia plagæ quæ fere in toto orbe diffusa est, præmisit ostentum.

Constantinopolitanæ ecclesiæ depulso Nestorio præsidet episcopus Flavianus.

XIX. Asturio magistro utriusque militiæ gener ipsius successor ipsi mittitur Merobaudis, natu nobilis & eloquentiæ merito, vel maxime in poematis studio veteribus comparandus, testimonio etiam provehitur statuarum. Brevi tempore potestatis suæ Aracellitanorum frangit insolentiam Bacaudarum. Mox nonnullorum invidia perurgente, ad urbem Romam sacra præceptione revocatur.

XX. Sebastianus illic quo confugerat, deprehensus sibi adversa moliri, e Constantinopoli fugit admonitus, & ad Theodorem regem Gothorum veniens, conquæsitam sibi, qua potuit, Barcinonam hostis factus ingreditur. II. CCCCLX.

XXI. In Asturicensi urbe Gallæciæ, quidam ante aliquot annos latentes Manichæi gestis episcopalibus deteguntur; quæ ab Idatio & Turibio episcopis qui eos audierant; ad Antoninum Emeritensem episcopum directa sunt. Olymp. CCCVI.

Wandali navibus Turonio in litore Gallecia repente advecti, familias capiunt plurimorum.

Sebastianus de Barcilone fugatus migrat ad Wan- E dalos.

Per episcopum Romæ tunc præsidentem gesta de Manichæis per provincias diriguntur.

XXII. Vitus magister utriusque militiæ factus ad Hispanias missus, non exiguæ manus fultus auxilio, cum Carthaginienses vexaret & Bæticos, succedentibus cum rege suo illic Suevis, superatis etiam in congressione qui ei ad deprædandum in adjutorium venerant, Gothis, territus miserabili timore diffugit. Suevi exin illas provincias magna deprædatione subvertunt.

XXIII. Romanæ ecclesiæ * XLIII. præsidet episcopus Leo: hujus scripta per episcopi Turibii diaconem Pervincum contra Priscillianistas ad Hispa- * in Ms. XLII.

1. Ms. *Atticus*. 2. Ms. *tradidis*. 3. *Martyli*.

nienses episcopos deferuntur. Inter quæ ad episcopum Turibium de observatione catholicæ fidei & de hæresum blasphemiis disputatio plena dirigitur, quæ ab aliquibus Gallæcis subdolo probatur arbitrio.

Solis facta defectio die nono Kal. Januarias, qui fuit tertia feria.

XXIV. Rechila rex Suevorum Emeritæ gentilis moritur mense Augusto: cui mox filius suus catholicus Rechiarius succedit in regnum, nonnullis quidem sibi de gente sua æmulis, sed latenter: obtento tamen regno, sine mora ulteriores regiones invadit ad prædam.

Pascentium quemdam urbis Romæ qui de Asturica diffugerat, Manichæum Antoninus episcopus B Emeritæ comprehendit, auditumque etiam de provincia Lusitania facit expelli.

Per Agiulfum Hispali Censorius jugulatur.

Olymp. CCCVII. XXV. Rechiarius accepta in conjugium Teodoris regis filia, auspicatus initium regni, Vasconias deprædatur mense Februario.

Basilius ob testimonium egregii ausus sui congregatis Bacaudis in ecclesia Tyriassone fœderatos occidit: ubi & Leo ejusdem ecclesiæ episcopus, ab eisdem qui cum Basilio aderant, in eo loco obiit vulneratus.

Rechiarius mense Julio ad Theodorem socerum profectus, Cæsaraugustanam regionem cum Basilio in reditu deprædatur. Irrupta per dolum Ilerdensi C urbe, acta est non parva captivitas.

XXVI. Asturius vir illustris ad honorem provehitur consulatus.

Sebastianus exsul factus ad perniciosam sibi, sicut post exitus docuit, Gaiserici confugit potestatem: parvo post tempore quam venerat per eum jubetur occidi.

De Galliis epistolæ deferuntur Flaviani episcopi ad Leonem episcopum missæ, cum scriptis Cyrilli episcopi Alexandrini ad Nestorium Constantinopolitanum de Eutychete Hebionita hæretico, & Leonis episcopi ad eumdem responsa: quæ cum aliorum episcoporum & gestis & scriptis per ecclesias diriguntur.

XXVII. Theodosius imperator moritur Constan- D tinopoli anno ætatis suæ quadragesimo octavo.

Post quem XLIIII. statim apud Constantinopolim Marcianus a militibus & ab exercitu, instante sorore Theodosii Pulcheria regina, efficitur imperator. Qua sibi in conjugium adsumta, regnat in partibus orientis.

XXVIII. Valentiniani imperatoris mater Placidia moritur apud Romam.

Olymp. CCCVIII. In Gallæcia terræ motus assidui, signa in cælo plurima ostenduntur. Nam pridie nonas Aprilis tertia feria, post solis occasum, ab Aquilonis plaga cælum rubens sicut ignis aut sanguis efficitur, intermixtis per igneum ruborem lineis clarioribus in speciem hastarum rutilantium deformatis: a die clau- E so usque in horam noctis fere tertiam signi durat ostensio, quæ mox ingenti exitu perdocetur.

Gens Hunnorum pace rupta deprædatur provincias Galliarum: plurimæ civitates effractæ: in campis Catalaunicis, haud longe de civitate quam effregerant, Mettis, Aetio duci & regi Theodori, quibus erat in pace societas, aperto marte confligens, divino cæsa superatur auxilio: bellum nox intempesta diremit. Rex illic Theodores prostratus occubuit: CCC. ferme millia hominum in eo certamine cecidisse memorantur.

Multa anno signa procedunt. Quinto Kal. Octobris a parte orientis luna fuscatur. In diebus sequentis paschæ visa quædam in cælo regionibus Galliarum, A epistola de his Eufronii Augustodunensis episcopi ad Agrippinum comitem facta evidenter ostendit. Stella cometes a decimo quarto Kal. Julias apparere incipit, quæ III. Kal. diluculo ab oriente visa, post occasum solis ab occidua parte mox cernitur. Kalendis Augusti a parte occidentis apparet.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 460.

Occiso Theodore Thorismo filius ejus succedit in regno.

Hunni cum rege suo Attila relictis Galliis post certamen Italiam petunt.

XXIX. Secundo regni anno principis Marciani, Hunni qui Italiam prædabantur, aliquantis etiam civitatibus irruptis, divinitus partim fame, partim morbo quodam plagis cælestibus feriuntur: missis etiam per Marcianum principem Aetio duce cæduntur auxiliis; pariterque in sedibus suis & cælestibus plagis, & per Marciani subiguntur exercitum: & ita subacti, pace facta cum Romanis proprias universi repetunt sedes, ad quas rex eorum Attila mox reversus interiit.

Ad Suevos Mansuetus comes Hispaniarum, & Fronto similiter comes, legati pro pace mittuntur & obtinent conditiones injunctas.

Thorismo rex Gothorum spirans hostilia a Theudorico & Frederico fratribus jugulatur: cui Theodericus succedit in regno.

XXX. Tertio regni anno principis Marciani regina moritur Pulcheria mense Julio. II. CCCCLXI.

Per Fredericum Theudorici regis fratrem Bacaudæ Tarraconenses cæduntur ex auctoritate Romana.

In Gallæcia terræ motus, & in sole signum in ortu, quasi altero secum concertante monstratur.

Aetius dux & patricius fraudulenter singularis accitus intra palatium manu ipsius Valentiniani imperatoris occiditur. Et cum ipso per spatarium ejus aliqui singulariter intromissi jugulantur honorati.

His gestis legatos Valentinianus mittit ad gentes, ex quibus ad Suevos venit Justinianus.

XXXI. Quarto regni anno principis Marciani per duos barbaros Aetii familiares Valentinianus Romæ imperator occiditur in campo, exercitu circumstante, anno ætatis suæ XXXVI. & regni XXXI. Post quem mox Maximus ex consulibus XLIII. Romæ Augustus appellatur: qui cum imperator factus relictam Valentiniani sibi duxisset uxorem, & filio suo ex priore conjuge Palladio quem Cæsarem fecerat, Valentiniani filiam in conjugium tradidisset, magnorum motuum quos verebatur, perturbatione distortus, & quia in occisorum per Valentinianum, & in ipsius interitum Valentiniani, ambitu regni consilia scelesta patrata contulerat, cum imperium deserere vellet & Romam, vix quatuor regni sui mensibus expletis, in ipsa urbe tumultu populi & seditione occiditur militari.

Ipso anno in Galliis Avitus Gallus civis ab exercitu Gallicano & ab honoratis, primum Tolosæ, dehinc apud Arelatum Augustus appellatus, Romam pergit & suscipitur.

Usque ad Valentinianum Theodosii generatio tenuit principatum.

I. Romanorum XLIII. Marcianus quarto jam regni sui anno obtinet monarchiam.

Per Avitum, qui a Romanis & evocatus & susceptus fuerat imperator, legati ad Marcianum pro unanimitate mittuntur imperii.

Gaisericus solicitatus a relicta Valentiniani, ut malum fama dispergit, prius quam Avitus augustus fieret, Romam ingreditur, direptisque opibus Romanorum Carthaginem redit, relictam Valentinia-

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 460.

ni & filias duas, & Aetii filium Gaudentium nomine, secum ducens.

Suevi Carthaginienses regiones quas Romanis reddiderant, deprædantur.

Marcianus & Avitus concordes principatu Romani utuntur imperii.

Olymp. CCCIX. V. annus Marciani.

Per augustum Avitum Fronto comes legatus mittitur ad Suevos. Similiter & a rege Gothorum Theudorico; quia fidus Romano esset imperio, legati ad eosdem mittuntur, ut tam secum quam cum Romano imperio, quia uno essent pacis fœdere copulati, jurati fœderis promissa servarent. Remissis legatis utriusque partis atque omni juris ratione violata, Suevi Tarraconensem provinciam quæ Romano imperio deserviebat, invadunt.

De Erulorum gente septem navibus in Lucensi litore aliquanti advecti, viri ferme CCCC. expediti, superventu multitudinis congregatæ duobus tantum ex suo numero effugantur occisis, qui ad sedes proprias redeuntes, Cantabriarum & Vardulliarum loca maritima crudelissime deprædati sunt.

Legati Gothorum rursum veniunt ad Suevos: post quorum adventum rex Suevorum Rechiarius cum magna suorum multitudine regiones provinciæ Tarraconensis invadit, acta illic deprædatione, & grandi ad Gallæciam captivitate deducta.

Mox Hispanias rex Gothorum Theudoricus cum ingenti exercitu suo, & cum voluntate & ordinatione Aviti imperatoris ingreditur. Cui cum multitudine Suevorum rex Rechiarius occurrens duodecimo de Asturicensi urbe milliario, ad fluvium nomine Urbicum, tertio nonas Octobris die, sexta feria inito mox certamine superatur: cæsis suorum agminibus, aliquantis captis, plurimisque fugatis, ipse ad extremas sedes Gallæciæ plagatus vix evadit ac profugus.

Theudorico rege cum exercitu ad Bracaram extremam civitatem Gallæciæ pertendente, quinto Kal. Novemb. die dominico, etsi incruenta, fit tamen satis mæsta & lacrymabilis ejusdem direptio civitatis. Romanorum magna agitur captivitas captivorum, sanctorum basilicæ effractæ, altaria sublata atque confracta, virgines Dei exin quidem abductæ, sed integritate servata, clerus usque ad nuditatem pudoris exutus, promiscui sexus cum parvulis, de locis refugii sanctis populus omnis abstractus, jumentorum, pecorum, camelorumque horrore locus sacer impletus, scripta super Hierusalem ex parte cælestis iræ revocavit exempla.

II. Rechiarius ad locum qui Portucale appellatur, profugus regi Theudorico captivus adducitur: quo in custodiam redacto, ceteris qui de priore certamine superfuerant, tradentibus se Suevis, aliquantis nihilominus interfectis, regnum destructum & finitum est Suevorum.

Hisdem diebus Rechimeris comitis circumventione, magna multitudo Wandalorum, quæ se de Carthagine cum LX. navibus ad Gallias vel ad Italiam moverat, regi Theudorico nuntiatur occisa per Avitum.

Hesychius Tribunus legatus ad Theudoricum cum sacris muneribus missus ad Gallæciam venit, nuntians ei id quod supra, in Corsica cæsam multitudinem Wandalorum, & Avitum de Italia ad Gallias Arelate successisse. Orientalium naves Hispalim venientes per Marciani exercitum cæsas nuntiat.

Occiso Rechiario mense Decembri, rex Theudoricus de Gallæcia ad Lusitaniam succedit.

In conventus parte Bracarensis latrocinantum deprædatio perpetratur.

Aiulfus deserens Gothos in Gallæcia residet.

A Suevi qui remanserant in extrema parte Gallæciæ, Massiliæ filium nomine Maldram sibi regem constituunt.

Theudoricus Emeritam deprædari volens, beatæ Eulaliæ martyris terretur ostentis.

III. Avitus tertio anno postea quam a Gallis & a Gothis factus fuerat imperator, caret imperio, Gothorum promisso destitutus auxilio, caret & vita.

In orientis partibus septimo anno imperii sui moritur Marcianus.

Romanorum XLIV. Majorianus in Italia, & Constantinopoli Leo Augusti appellantur.

I. Theudoricus adversis sibi nuntiis territus, mox B post dies paschæ, quod fuit quinto Kal. Aprilis, de Emerita egreditur, & Gallias repetens partem ex ea quam habebat multitudine variæ nationis, cum ducibus suis ad campos Gallæciæ dirigit: qui dolis & perjuriis instructi, sicut eis fuerat imperatum, Asturicam quam jam prædones ipsius sub specie Romanæ ordinationis intraverant, mentientes ad Suevos qui remanserant, jussam sibi expeditionem, ingrediuntur pace fucata solitæ arte perfidiæ. Nec mora promiscui generis reperta illic cæditur multitudo, sanctæ effringuntur ecclesiæ, altaribus direptis & demolitis, sacer omnibus ornatus & usus aufertur. Duo illic episcopi inventi cum omni clero abducuntur in captivitatem: invalidior C promiscui sexus agitur miseranda captivitas; residuis & vacuis civitatis domibus datis incendio, camporum loca vastantur. Palentina civitas simili quo Asturica, per Gothos perit exitio. Unum Coviacense castrum tricesimo de Asturica milliario a Gothis diutino certamine fatigatum, auxilio Dei, hostibus & obsistit & prævalet: quam plurimis ex eorum manu interfectis, reliqui revertuntur ad Gallias.

Aiulfus dum regnum Suevorum spirat, Portucale moritur mense Junio.

Suevi in partes divisi pacem ambiunt Gallæciarum: e quibus pars Frantanem, pars Meldram regem appellat. Solito more perfidiæ Lusitaniam deprædatur pars Suevorum Maldram sequens: acta D illic Romanorum cæde, prædisque contractis, civitas Ulyxippona sub specie pacis intratur.

Frantanes moritur per pascha & pentecosten. Jubente Maldra Suevi in solitam perfidiam versi, regionem Gallæciæ adhærentem flumini Durio deprædantur. Quinto idus Junias die, quarta feria, ab hora quarta in horam sextam, ad speciem lunæ quintæ vel sextæ, sol de lumine orbis sui minoratus apparuit.

II. Gothicus exercitus duce suo Cyrila a Theuderico rege ad Hispanias missus mense Julio succedit ad Bæticam. Legati Gothorum & Wandalorum pariter ad Suevos veniunt, & revertuntur.

III. Theudoricus cum duce suo Sunierico exerci- Olymp. CCCX.
E tus sui aliquantam ad Bæticam dirigit manum: Cyrila revocatur ad Gallias. Suevi nihilominus Lusitaniæ partes cum Maldra, alii cum Rechimundo Gallæciam deprædantur.

Eruli maritima conventus Lucensis loca nonnulla crudelissime invadunt ad Bæticam pertendentes.

Maldras germanum suum fratrem interficit, & Portucale castrum idem hostis invadit.

Inter Suevos & Gallæcos interfectis aliquantis honestis natu, malum hostile miscetur.

Legati a Nepotiano magistro militiæ, & a Sunierico comite missi veniunt ad Gallæcios, nuntiantes Majorianum augustum & Theudoricum regem firmissima inter se pacis jura sanxisse, Gothis in quodam certamine superatis.

IV. Maldras in fine mensis Februarii jugulatus A merito perit interitu.

Per Suevos Luco habitantes, in diebus paschæ, Romani aliquanti cum rectore suo honesto natu repentino securi de reverentia dierum occiduntur incursu.

Mense Majo Majorianus Hispanias ingreditur imperator: quo Carthaginiensem provinciam pertendente, aliquantas naves quas sibi ad transitum adversum Wandalos præparabat, de litore Carthaginiensi commoniti Wandali per proditores abripiunt. Majorianus ita sua ordinatione frustratus ad Italiam revertitur.

Pars Gothici exercitus a Sunierico & Nepotiano comitibus ad Gallæciam directa, [1] Suevos B apud Lucum deprædantur: quæ Dictinio, Spinione & Ascanio delatoribus, spargentibusque ad terrorem propriæ venena perfidiæ, indicata recurrit ad suos: ac mox iisdem delatoribus quibus supra, Frumarius cum manu Suevorum quam habebat impulsus, capto Idatio episcopo septimo Kalend. Augusti in Aquæflaviensi ecclesia, eumdem conventum grandi evertit excidio.

Rechimundus vicina sibi pariter Auregensium loca, & Lucensis conventus maritima populatur.

Inter Frumarium & Rechimundum oritur de regni potestate dissensio.

Gallæciorum & Suevorum pacis quædam umbra conseritur. C

A Theudorico legati ad Suevos veniunt & recurrunt.

Suniericus Scallabim cui adversabatur, obtinet civitatem.

Idatius qui supra, tribus mensibus captivitatis impletis, mense Novembri miserantis Dei gratia contra votum & ordinationem supra dictorum delatorum, redit ad Flavias.

De rege Theudorico legati gentis perfidæ revertuntur.

Gaisericus rex a Majoriano imperatore per legatos postulat pacem.

5. 1. Majorianum de Galliis Romam redeuntem, & Romano imperio vel nomini res necessarias or- D dinantem, Rechimer livore percitus & invidorum consilio fultus, fraude interficit circumventum.

Romanorum XLV. Severus a Senatu Romæ Augustus appellatur anno imperii Leonis quinto.

II. CCCCLXXX. 6. 2. Suniericus redit ad Gallias. Nepotianus Theudorico ordinante Arborium accipit successorem.

In provincia Gallæcia prodigiorum videntur signa diversa. Æra D. VI. Nonas Martias pullorum cantu, ab occasu solis luna in sanguinem plena convertitur. Idem dies sexta feria fuit.

Antiochia [2] major Isauriæ inobediens monitis salutaribus, terra dehiscente demergitur, tantum ipsius civitatis aliquantis qui eum obaudientes ti- E mori Domini sunt secuti, de interitu liberatis, turrium etiam solis cacuminibus exstantibus super terram.

Gaisericus Valentiniani relictam Constantinopolim remittit. Filiæ ipsius, una Gentoni Gaiserici filio, alia Olybrio senatori urbis Romæ jure matrimonii copulantur.

Olymp. CCCXI. Agrippinus Gallus & comes & civis, Ægidio comiti viro insigni inimicus, ut Gothorum mereretur auxilia, Narbonam tradidit Theudorico.

Adversus Ægidium comitem utriusque militiæ, virum ut fama commendat, Deo bonis operibus complacentem, in Armoricana provincia Fretiricus frater Theuderici regis insurgens, cum his cum quibus fuerat, superatus occiditur.

Cum Palegorio viro nobili Gallæciæ, qui ad supra dictum fuerat regem Cyrila legatus, ad Gallæciam veniens, euntes ad eumdem regem legatos obviat Rechimundi: qui regressi in celeri, revertentem Cyrilam in Lucensi urbe suscipiunt. Post cujus mox egressum de Gallæcia, Suevi promissionum suarum ut semper fallaces & perfidi, diversa loca infelicis Gallæciæ solito deprædantur.

Per Theudoricum ad Suevos Remismundus & Cyrila cum aliquantis Gothis qui prius venerant, remittuntur. Cyrila in Gallæcia remanente, Remismundo mox recurrente ad regem, inter Gallæcos & Suevos indisciplinata perturbatio dominatur.

Romanæ ecclesiæ * XLIV. præsidet episcopus Hilarus. * In ms. XLIII.

7. 3. Nepotianus recedit e corpore.

Frumario mortuo, Rechimundus omnibus Suevis in suam ditionem regali jure revocatis, pacem reformat elapsam.

Mense Majo supra dicti viri Ægidii legati per oceanum ad Wandalos transeunt, qui eodem cursu Septembri mense revertuntur ad suos.

Decimo tertio Kalend. Augusti die, secunda feria, in speciem lunæ quintæ sol de lumine suo ab hora tertia in horam sextam cernitur minoratus.

Legatos Remismundus mittit ad Theudoricum; qui similiter suos ad Remismundum remittit, cum armorum adjectione vel munerum, directa & conjuge quam haberet.

Wandali per Marcellinum in Sicilia cæsi effugantur ex ea.

Ægidius moritur, alii dicunt insidiis, alii veneno deceptus. Quo desistente, mox Gothi regiones invadunt quas Romano nomini tuebatur.

Suevi Conimbricam dolose ingressi, familiam nobilem Cantabri spoliant, & captivam abducunt matrem cum filiis.

Legati eodem anno duabus vicibus a rege Suevorum mittuntur ad regem Theudoricum, ad quem & Arborius proficiscitur evocatus.

8. 4. Reversi legati Suevorum obiisse nuntiant Severum imperii sui anno quarto: qui supra remittuntur ad Conimbricam.

Ajax natione Galata, effectus apostata & senior Arrianus, inter Suevos regis sui auxilio hostis catholicæ fidei & divinæ Trinitatis emergit. Ad Gallicanam Gothorum habitationem hoc pestiferum inimici hominis virus advectum.

Suevi adversum Aunonensem sæviunt plebem: qua de caussa legati a Theuderico ad Remismundum mittuntur in cassum, spretique ab eo mox redeunt.

De Constantinopoli a Leone augusto Anthemius frater Procopii cum Marcellino, aliisque comitibus viris electis, & cum ingenti multitudine exercitus copiosi, ad Italiam Deo ordinante directus ascendit.

Romanorum XLVI. Anthemius octavo milliario de Roma Augustus appellatur, anno Leonis imperii octavo, mense Augusto.

1. In ms. *Suevos apud Lucum deprædatur habitantes, quæ Dictinio*, cet. Ita monet Sirmondianorum editor in præfat. §. II.

2. Forte *majoris Syriæ*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 460.



9. I. Expeditio ad Africam adversus Wandalos ordinata metabularum commutatione & navigationis inopportunitate revocatur.

Per Theudericum Salla legatus mittitur ad Remismundum regem Suevorum, qui reversus ad Gallias eum a fratre suo [1] Eurico reperit interfectum.

Euricus pari scelere quo frater, succedit in regnum: qui honore provectus & crimine, legatos ad regem dirigit Suevorum, quibus sine mora a Remismundo remissis, ejusdem regis legati ad imperatorem, alii ad Wandalos, alii diriguntur ad Gothos.

De Aunonensi plebe cui Suevorum adversabatur hostilitas, Opilio cum viris secum a rege profectis, & cum aliquantis qui cum ipso missi fuerant, revertitur.

Gothi qui ad Wandalos missi fuerant, supra dictæ expeditionis rumore perterriti revertuntur in celeri: pariter & Suevi, qui post legatos, more solito per diversa loca in prædam dispersi fuerant, revocantur: sed paucis post mensibus ipse rex Suevorum ad Lusitaniam transit.

II. Conimbrica in pace decepta diripitur: domus destruuntur cum aliqua parte murorum, habitatoribusque captis atque dispersis, & regio desolatur & civitas.

Olymp. CCCXII. Legati de Gothico reversi portenta, in Galliis visa aliquanta, in conspectu ...... similem ipsi de continuo paruisse solem alium visum ...... solis occasu. Congregatis etiam quodam die concilii sui Gothis, tela quæ habebant in manibus a parte ferri vel acie, alia viridi, alia roseo, alia croceo, alia nigro colore naturalem ferri speciem aliquamdiu non habuisse mutata. Medio Tolosæ civitatis hisdem diebus e terra sanguinem erupisse, totoque diei fluxisse curriculo.

III. Legatorum Suevorum reditum aliquanta Gothorum manus insequens Emeritam petit.

Ulixippona a Suevis occupatur, cive suo qui illic præerat, tradente Lusidio. Hac re cognita Gothi qui venerant, invadunt & Suevos deprædantur, pariter & Romanos ipsis in Lusitaniæ regionibus servientes.

Divi Valentiniani magni [2] cadaver Theodosius princeps ab Italia [3] reportatum, apud Comitatum regio in sepulcro recondidit. Eodem anno universa gens Gothorum, Athanarico rege suo defuncto, Romano se se imperio dedit mense Octobrio. Damasus Romanæ ecclesiæ, exceptis Liberio & Felice, XXXV. episcopus anno pontificatus sui XVIII. in Domino requievit.

Ind. XI. *Merobaude* II. *& Saturnino Coss.* 383.

Romanæ ecclesiæ Siricius XXXVI. antistes factus, vixit annos XV. Archadius patri suo Theodosio Aug. consors imperii septimo ab urbe milliario coronatus est. Gratianus Imp. Maximi tyranni dolo apud Lugdunum occisus est VIII. Kal. Septembris.

Ind. XII. *Richomere & Clearcho Coss.* 384.

Legati Persarum Constantinopolim advenerunt pacem [4] a Theodosio principe postulantes. Eodem tempore Honorius alter Theodosio natus est filius mense Septembri.

Ind. XIII. *Archadio & Bautone Coss.* 385.

Theodosius Imp. aliquantas [5] Eoas nationes per legatos suos suo ut pote imperio subdidit.

Ind. XIV. *Honorio Cæsare & Evodio Coss.* 386.

Invasam princeps Theodosius ab hostibus Thraciam vindicavit, victorque cum Archadio filio suo urbem ingressus est. Galla Theodosii regis altera uxor his consulibus Constantinopolim venit.

Ind. XV. *Valentiniano* III. *& Eutropio Coss.* 387.

Archadius Cæsar cum patre suo Theodosio sua quinquennalia celebravit. Theodosius Magnus Italiam contra Maximum tyrannum pugnaturus accessit.

Ind. I. *Theodosio Aug.* II. *& Cynegio Coss.* 388.

Valentinianus Gratiani frater & Theodosius Imp. Maximum tyrannum & Victorem filium ejus apud Aquilejam rebellantem vicerunt. Andragathius co-

1. Forte *Syagrio*.
2. *Cadavere*.
3. *Reportato*.
4. *Theodosii principis*.
5. Aliqui codd. *sevas*.

mes morte Maximi cognita præcipitem se se e navi A in undas dedit ac suffocatus est.

389. *Ind.* II. *Timasio & Promoto Coss.*

Theodosius Imp. cum Honorio filio suo Romam mense Junio introivit, congiarium Romano populo tribuit, urbeque egressus est Cal. Septembris. Per idem tempus grando crepitans per biduum continuum pro pluvia cecidit, pecorum arborumque pernicies. Stella a septemtrione gallicinio surgens, & in modum Luciferi ardens potius quam splendens apparuit, [1] vicesimo tertio die esse desiit. Templum Serapidis apud Alexandriam Theodosii Imp. edicto solutum est.

390. *Ind.* III. *Valentiniano Aug.* IV. *& Neoterio Coss.*

Signum in cælo quasi columna pendens ardensque per dies XXX. apparuit. Galla Theodosii uxor ab Archadio privigno suo ejecta est. Obeliscus in circo positus est: columna haud longe ab ecclesia constituta est, quæ argenteam Theodosii Magni statuam ferens hactenus contemplatur.

391. *Ind.* IV. *Tatiano & Symmacho Coss.*

Theodosius Imp. Italia decedens Constantinopolim remeavit. Valentinianus Imp. apud Viennam dolo Arbogastis strangulatus interiit Idib. Martiis. Eugenius Arbogastis favore confisus imperium sibimet usurpavit.

392. *Ind.* V. *Archadio* II. *& Rufino Coss.*

Arbogastes Valentiniano Imp. exstincto, & Eugenio Cæsare facto, innumeras invictasque copias undique in Gallias contraxit, occidentale sibi imperium utpote vindicaturus, vir barbarus, animo, consilio, manu, audacia, potentiaque nimius. Contraxit autem undique innumeras copias, vel Romanorum præsidiis, vel Barbarorum auxiliis, alibi potestate, alibi cognatione subnixus. Usque hunc XIX. Theodosii Imperii annum, beatus Hieronymus post ascensionem D. N. Jesu Christi, a Petro Apostolo incipiens, & in semet ipsum desinens, CXXXV. virorum illustrium ecclesiastica volumina descripsit, apud Bethleem oppidum degens; ubi & monasterium sibi condidit, & alia multa ecclesiastica litteris quoque Hebraicis edoctus scripsit, finemque vitæ suæ admodum senex fecit, ibique sepultus est; catholicis quidem inexpugnabilis ecclesiæ turris, hæreticis autem omnibus infatigabilis hostis, tam proposito vitæ suæ, quam librorum a se editorum assertionibus depugnans.

393. *Ind.* VI. *Theodosio* III. *& Abundantio Coss.*

Honorium pater suus Theodosius in eodem loco quo fratrem ejus Archadium, Cæsarem fecit, id est septimo ab urbe regia milliario. Tunc quippe hora dici tertia tenebræ factæ sunt.

394. *Ind.* VII. *Archadio* III. *& Honorio* II. *Coss.*

Theodosius Augustus assumto Honorio Cæsare, eodemque filio, contra Arbogastem qui Eugenium tyrannum Imperatorem facere ausus est, iterum properavit: bello commisso Eugenius victus atque captus interfectus est: Arbogastes sua se manu perculit. Terræ motu a mense Septembrio in Novembrium continuo imminente, aliquantæ Europæ regiones quassatæ sunt. Thermæ Archadianæ ex conditoris sui nomine nomen acceperunt.

Ind. VIII. *Olybrio & Probino Coss.* 395.

Theodosius Magnus apud Mediolanum vita decessit. Imperavit annos XVII. Corpus ejus eodem anno Constantinopolim allatum, atque sepultum. Archadius & Honorius germani, utrumque imperium divisis tantum sedibus tenere cœperunt. Rufinus patricius Archadio principi insidias tendens, Alaricum Gothorum regem, missis ei clam pecuniis, infestum reipublicæ fecit, & in Græciam misit. Porro detecto dolo suo Rufinus ab Italicis militibus, [2] olim cum Gaina comite Archadio missis; ante portas urbis merito trucidatus est. Caput ejus manusque dextra per totam Constantinopolim demonstrata.

B *Ind.* IX. *Arcadio* IIII. *& Honorio* III. *Coss.* 396.

Rufini uxor & filia exsulant. Eutropius sacri palatii cubicularius omnes opes abripuit, avaritiamque transgressus est. Terræ motus per dies plurimos fuit, cælumque ardere visum est.

Ind. X. *Cæsario & Attico Coss.* 397.

His consulibus Flaccilla Archadio nata est filia.

Ind. XI. *Honorio* IIII. *& Eutychiano Coss.* 398.

Romanæ Ecclesiæ Anastasius XXXVII. episcopus ordinatus vixit annos quatuor. Ambrosius Mediolanensis, virtutum episcopus, arx fidei, orator catholicus, ad Christum Dominum commigravit. Joannes Antiochiæ natus, ibique a Meletio ejusdem civitatis episcopo, eodemque confessore, lector ecclesiæ ordinatus, per singulos officii gradus ascendit. Ubi per quinquennium continuum diaconus multos divinosque edidit libros: presbyter quoque factus per XII. annos plures confecit. Tanta dehinc opinione ubique merito propagatus, Constantinopoli in locum Nectarii pontifex suffectus est: ubi plurima dulciaque divinarum scripturarum volumina suo operi [3] catholico addidit, hosque episcopos habuit inimicos, Theophilum Alexandrinum, Epiphanium Cyprium, Acacium Beroensem, Antiochum Ptolomensem, Severianum Gabalensem & Severum Calchedonensem. Gildo comes, idemque paganus, qui mortuo Theodosio principe Africæ præerat, dum Archadio & Honorio adhuc pueris regnantibus invidet, Africamque nititur obtinere, frater ejus Mascezel cognita ejus vesania, relictisque duobus apud Africam filiis, in Italiam remeat: Gildo utrumque fratris filium dolo trucidat. Mascezel fratris scelere cognito, cum quinque millibus suorum contra Gildonem cum LXX. millibus armatorum sibimet obviantem infestus accedit, Gildonemque parricidam jejuniis & orationibus suis [4], immo beati Ambrosii in somnis admonitu, auxiliantibus fugavit. Gildo fugiens propria se manu strangulavit: sicque Mascezel sine bello victoriam meruit, ac sine cæde vindictam.

Ind. XII. *Theodoro & Eutropio eunucho Coss.* 399.

Hic Eutropius omnium spadonum primus atque ultimus consul fuit: de quo Claudianus poeta.

Omnia cesserunt Eunucho consule monstra.

Pulcheria Arcadio altera filia nata est. Gaina comes apud Constantinopolim ad præparandum civile bellum barbaros suos occulte admonet; ipse valetudinem simulans urbe digreditur: cœpto adver-

1. Aliqui codd. *vicesimoque die.* 2. Absque *olim.* 3. *Catholicis.* 4. Absque *suis.*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 460.

sus Byzantios prælio plurimi hostium cadunt, ceteri fugientes ecclesiæ nostræ succedunt, ibique [1] retecto ecclesiæ culmine jactisque desuper lapidibus obruuntur.

400. *Ind.* XIII. *Stilicone & Aureliano Coss.*
Bellum navale contra Gainam tyrannum inter Cherronesum & Hellespontum gestum est: multa millia Gothorum cæsa, vel demersa sunt. Gaina comes de hoc bello fugiens evasit: ipso tamen anno occisus est mense [2] Februario.

401. *Ind.* XIV. *Vincentio & [a] Fravita Coss.*
Caput Gainæ hastili præfixum Constantinopolim allatum est. Maris Pontici superficies ita gelu frenata est, ut per triginta dies soluta tandem glacies instar montium per Propontidem superne portata decurreret. Theodosius junior patre Archadio natus est [3] III. Idus Apriles.

402. *Ind.* XV. *Archadio* V. *& Honorio* V. *Coss.*
Romanæ ecclesiæ Innocentius XXXVIII. creatus antistes, vixit annos XV. Theodosius junior in loco quo pater patruusque suus, Cæsar creatus est. Constantinopoli ingens terræ motus fuit.

403. *Ind.* I. *Theodosio juniore & Rumorido Coss.*
Marina patre Archadio nata III. Idus Febr. Eudoxiæ Archadii uxoris super porphyreticam columnam argentea statua juxta ecclesiam posita hactenus sistit. Joannem Constantinopolitanæ civitatis episcopum, cui supra dicti sex antistites in cassum æmuli fuere, aliosque triginta sibimet episcopos consciverе, nolente Archadio principe, in Cucusum Armeniæ oppidum exsulem miserunt, eumque post annum unum in villam quæ Comana in regione Pontica dicitur, de exsilio in exsilium relegarunt. Hunc ibidem mortuum religiosa orthodoxorum plebs in atrio Basilisci episcopi sancti, idemque martyris, ab eodem martyre in somnis admonita, in novum moxque repertum sepulcrum recondidit.

404. *Ind.* II. *Honorio* VI. *& Aristæneto Coss.*
Ecclesiam Constantinopolitanam flamma ignis quæ de beati Joannis throno quondam episcopi nata fuit, subito conflagravit, vicinamque ecclesiæ urbis faciem serpens nihilominus exussit. Eudoxia uxor Archadii diem obiit.

405. *Ind.* III. *Stilicone* II. *& Anthemio Coss.*
Isauri per montem Tauri discursantes ingens dispendium reipublicæ importarunt: quibus Narbazaicus legatus majus continuo rependit incommodum.

406. *Ind.* IV. *Archadio* VI. *& Probo Coss.*
Theodosius junior quinquennalia dedit. Radagaisus paganus & Scytha cum ducentis millibus suorum totam Italiam inundavit. Huldin & [b] Sarus Hunnorum Gothorumque reges Radagaisum continuo devicerunt, ipsius capite amputato, captivos ejus singulis aureis distrahentes.

407. *Ind.* V. *Honorio* VII. *& Theodosio juniore* II. *Coss.*
Cisterna maxima juxta porphyreticam Constantini Imperatoris columnam in foro ejus sub plateæ transitum constructa est.

408. *Ind.* VI. *Basso & Philippo Coss.*
Stilicho comes, cujus duæ filiæ Maria & Thermantia singulæ uxores Honorii principis fuere, utraque tamen virgo defuncta, spreto Honorio, regnumque ejus inhians, Alanorum, Suevorum, Wandalorumque gentes donis pecuniisque illectas contra regnum Honorii excitavit, Eucherium filium suum paganum & adversum Christianos insidias molientem cupiens Cæsarem ordinare. Qui cum eodem Eucherio dolo suo detecto occisus est. Romæ in foro pacis per dies septem terra mugitum dedit. Archadius Imp. vitæ finem fecit: regnavit post obitum patris sui Theodosii annos XIII.

Ind. VII. *Honorio* VIII. *& Theodosio juniore* III. *Coss.* 409.
Apud Constantinopolim magna exarsit populi seditio, panis scilicet penuria sibimet ingruente.

Ind. VIII. *Varane solo Coss.* 410.
Alaricus trepidam urbem Romam invasit, partemque ejus cremavit incendio, sextoque die quam ingressus fuerat, deprædata urbe egressus est, Placidia Honorii principis sorore abducta, quam postea Ataulfo propinquo suo tradidit uxorem.

Ind. IX. *Honorio* IX. *& Theodosio* [4] IV. *Coss.* 411.
Theodosius junior decennalia, Honorius Romæ vicennalia dedit. Constantinus apud Gallias invasit imperium, filiumque suum ex monacho Cæsarem fecit: ipse apud Arelatum civitatem occiditur: Constans filius apud Viennam capite plectitur.

Ind. X. *Theodosio Imp.* V. *solo* [5] *Coss.* 412.
Jovinus ac Sebastianus in Galliis tyrannidem molientes occisi sunt. Attalus in mari captus, atque Honorio exhibitus, truncata manu vitæ relictus est.

Ind. XI. *Lucio solo Coss.* 413.
[c] Heraclianus Africæ comes cum septingentis navibus & tribus militum millibus ad urbem tendens, mox ad urbem Romam egressus est: occursu Marini comitis territus & in fugam versus, arrepta nave solus Carthaginem rediit, ibique illico interfectus est.

Ind. XII. *Constantino & Constante Coss.* 414.
Pulcheria Theodosii soror Augusta appellata est. Valia rex Gothorum facta cum Honorio principe pace, Placidiam sororem ejus eidem viduam reddidit.

Ind. XIII. *Honorio* X. *& Theodosio* VI. *Coss.* 415.
Ecclesia Constantinopolitana dudum igni cremata, his Coss. restaurata dedicataque est, Attico episcopo eamdem regente ecclesiam. Lucianus presbyter vir sanctus, cui revelavit Deus his Consulibus locum sepulcri & reliquiarum corporis sancti Stephani primi martyris, scripsit ipsam re-

1. Detecto. 2. Forte Decembrio.
3. Aliqui codices, IV.
4 Aliis Theodos. IV. solo.
5. Aliis Honorio IX. & Theodosio V.

a Cod. Chiffl. Fravito. b Ibid. Saurus. c Ibid. Heraclius.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 460.

velationem in Græco sermone ad omnium ecclesiarum personas. A

416. *Ind.* XIV. *Theodosio* VII. *& Palladio Coss.*

Orosius presbyter Hispanici generis septem libros historiarum descripsit. Missus ab Augustino episcopo idem Orosius pro discenda animæ ratione ad Hieronymum presbyterum, reliquias beati Stephani tunc nuper inventas rediens primus intulit occidenti. Atticus Constantinopolitanus episcopus scripsit ad reginas, Archadii Imp. filias, de fide & virginitate librum valde egregium, in quo præveniens Nestorianum dogma impugnat.

417. *Ind.* XV. *Honorio* XI. *& Constantio* II. *Coss.* B

Tenebræ in die factæ sunt. Cybera Asiæ civitas, aliquantaque prædia terræ motu demersa. Romanæ ecclesiæ Zosimus XXXIX. episcopus ordinatus vixit annis III.

418. *Ind.* I. *Honorio* XII. *& Theodosio* VIII. *Coss.*

Plinta comes, idemque rebellium apud Palæstinam provinciam auctor deletus est. Solis defectio facta est. Stella ab oriente per septem menses surgens ardensque apparuit.

419. *Ind.* II. *Monaxio & Plinta Coss.*

Valentinianus junior apud Ravennam patre Constantio & Placidia matre, V. Nonas Julias natus est. C Multæ Palæstinæ civitates villæque terræ motu collapsæ. Dominus noster Jesus Christus semper ubique [1] præsens, & super montem Oliveti Hierosolymæ vicinum se se de nube manifestavit. Multæ tunc utriusque sexus vicinarum gentium nationes, tam visu quam auditu perterritæ atque credulæ, sacro Christi fonte ablutæ sunt, omniumque baptizatorum in tunicis crux Christi salvatoris, divinitatis nutu, extemplo impressa refulsit.

420. *Ind.* III. *Theodosio* IX. *& Constantio* III. *Coss.*

Romanæ ecclesiæ Bonifacius XL. episcopus ordinatus, vixit annis tribus. D In oriente tumultum milites excitarunt, ductoremque suum Maximinum nomine exstinxerunt. In Perside in christianos persecutio desævit.

421. *Ind.* IIII. *Eustathio & Agricola Coss.*

Theodosius Imp. Eudociam Achivam duxit uxorem. Archadio patri suo in foro ejus, super immanem columnam, ingentem statuam idem Theodosius dedicavit. Cisterna Aetii constructa est. Romani cum Persis conflixere.

422. *Ind.* V. *Honorio* XIII. *& Theodosio* X. *Coss.*

Theodosius Imp. Eudoxiam filiam genuit. E In tricennalia Honorii, Maximus tyrannus & Jovinus ferro victi, adducti de Hispaniis atque interfecti sunt. Hunni Thraciam vastaverunt. Persæ cum Romanis pacem pepigere.

423. *Ind.* VI. *Asclepiodoto & Mariniano Coss.*

Cælestinus Romanæ ecclesiæ XLI. antistes creatus est: vixit annos IX. Evagrius scripsit Altercationem Judæi Simonis & Theophili Christiani, quæ pæne omnibus nota est. Terræ motus multis in locis fuit, & frugum inedia subsecuta. Philippus & Sallustius philosophi morbo perierunt. Stella sæpe ardente crinita Honorius Imp. fatale munus implevit.

Ind. VII. *Victore & Castino Coss.* 424.

Placidia mater Valentiniani Augusta nuncupata est. Valentinianus Cæsar creatus Theodosii Imp. Eudoxiam filiam sibimet desponsavit. Joannes regnum occidentale Honorio defuncto invasit.

Ind. VIII. *Theodosio* XI. *& Valentiniano Cæsare Coss.* 425.

Supra fatus Joannes dolo potius Ardaburis & Asparis, quam virtute occiditur. Valentinianus junior apud Ravennam factus est Imperator.

Ind. IX. *Theodosio* XII. *& Valentiniano* II. *Coss.* 426.

Sisinnius vir sanctæ simplicitatis & simplicis sanctitatis, Constantinopolitanus episcopus factus est.

Ind. X. *Hierio & Ardabure Coss.* 427.

Pannoniæ quæ [a] per quinquaginta annos ab Hunnis retinebantur, a Romanis receptæ sunt. Thermæ Theodosianæ dedicatæ.

Ind. XI. *Felice & Tauro Coss.* 428.

Nestorius Antiochia natus, vir satis quidem eloquentiæ, sapientiæ vero parum habens, Constantinopolitanis admodum adnitentibus, ex presbytero episcopus ordinatus est. Beatissimi Joannis episcopi, dudum malorum episcoporum invidia exsulati, apud comitatum cœpit memoria celebrari mense Septembrio [b] die XXVI.

Ind. XII. *Florentino & Dionysio Coss.* 429.

Orthodoxi nostri Macedonianorum ecclesiam extra muros urbis positam abstulerunt, quoniam iidem Macedoniani Antoninum Germis catholicum episcopum interfecerunt. Beatissimus Augustinus Hipponensis ecclesiæ elegantissimus Christi sacerdos, doctorque præcipuus, morte placida quievit.

Ind. XIII. *Theodosio* XIII. *& Valentiniano* III. *Coss.* 430.

Theodosius Imp. tricennalia gessit. Felix apud Ravennam occiditur. Cælestinus Romanæ arcis pontifex, Nestorio pravitatis episcopo per epistolam suam, datis eidem X. dierum induciis, vel pœnitenti veniam, vel dissentienti damnationem denuntiat. Idem Nestorius ecclesiæ Constantinopolitanæ perfidus antistes, a quo & Nestoriana perfidia pullulavit, apud Ephesum ducentorum sanctorum patrum sententia in synodo condemnatus est, Cælestino Cyrillum Alexandrinæ civitatis episcopum pro tempore vicarium denuntiante: in locum Nestorii Maximianus episcopus est subrogatus.

Ind. XIV. *Antiocho & Basso Coss.* 431.

Flacilla Theodosii Augusti filia extremum spiritum fudit. Barbari urbe augusta enutriti ad ecclesiam nostram hostili ritu confluunt: ignem in ecclesiam ad comburendum altare dum infesti jaciunt, invicem se se, resistente Deo, trucidant. Hoc tempore dum ad horrea publica Theodosius processum celebrat, tritici in plebe ingruente penuria, Imperator ab esuriente populo lapidibus impetitur.

Ind. XV. *Valerio & Aetio Coss.* 432

Romanæ ecclesiæ Xystus XLII. episcopus ordina-

1. Aliqui codices *totus*.

a Cod. Chiffl. *per* IX. *annos*. b Ibid. *die* XXV.



tus, vixit annis VIII. Placidiæ matris Valentiniani Imp. instinctu, ingens bellum inter Bonifacium & Aetium patricios gestum est. Aetius longiore Bonifacii telo pridie sibimet præparato, Bonifacium congredientem vulneravit illæsus: tertioque mense Bonifacius vulnere quo sauciatus fuerat emoritur, Pelagiam uxorem suam valde locupletem, nulli alteri nisi Aetio ut nuberet exhortans.

433. *Ind.* I. *Theodosio* XIV. *& Maximo Coss.*

Maxima urbis regiæ pars septemtrionalis per tres dies continuos incensa, collapsaque est mense Augusto.

434. *Ind.* II. *Ariobindo & Aspare Coss.*

Honoria Valentiniani Imp. soror ab Eugenio procuratore suo stuprata concepit, palatioque expulsa, Theodosio principi de Italia transmissa, [1] Attilanem contra occidentalem rempublicam concitabat.

435. *Ind.* III. *Theodosio* XV. *& Valentiniano* IV. *Coss.*

Forum Theodosii Imp. in loco qui Helianæ dicitur ædificatum est. Sebastianus Bonifacii quondam patricii gener urbe augusta fugit, atque in Africa interemtus est.

436. *Ind.* IV. *Isidoro & Senatore Coss.*

Theodosius Imp. Cyzicum civitatem navibus petit, multaque eidem civitati munificentia præstita, urbem Augustam renavigavit.

437. *Ind.* V. *Aetio* II. *& Sigisvuldo Coss.*

Valentinianus Imp. Roma digressus, ad copulandam sibi in matrimonium Eudoxiam Theodosii principis filiam quam dudum desponsaverat, Constantinopolim advenit, eaque sibi nupta, apud Thessalonicam Italiam repetens hiemavit.

438. *Ind.* VI. *Theodosio* XVI. *& Fausto Coss.*

[a] Cotradis prædo cum piratis suisque comitibus captus interfectusque est. Reliquiæ beatissimi Joannis, augustæ urbis quondam episcopi, eidem redditæ civitati ibique sepultæ, mense Januario die XXVIII. Valentinianus Imp. cum Eudoxia uxore Ravennam ingressus est.

439. *Ind.* VII. *Theodosio* XVII. *& Festo Coss.*

Theodosius Imp. octava quinquennalia edidit. Eudocia uxor Theodosii principis ab Hierosolymis urbem regiam remeavit, beatissimi Stephani primi martyris reliquias quæ in basilica sancti Laurentii positæ venerantur, secum deferens. Hoc tempore Gensericus rex Wandalorum Africæ civitates, Carthaginemque metropolim cum suis satellitibus occupavit x. Kalend. Novembris.

440. *Ind.* VIII. *Valentiniano* V. *& Anatolio Coss.*

Paullinus magister officiorum in Cæsarea Cappadociæ, jubente Theodosio principe, interemtus est. Romanæ ecclesiæ Leo XLIII. papa creatus, vixit annos XXI.

441. *Ind.* IX. *Cyro solo Cos.*

Persæ, Sarraceni, [2] Zanni, Isauri, Hunni finibus suis egressi Romanorum sola vastarunt. Missi sunt contra hos Anatolius & Aspar magistri militiæ, pacemque cum eis unius anni fecerunt. Joannes natione Wandalus, magisterque militiæ, [3] Arnegiscli fraude in Thracia interemtus est. Hunnorum reges numerosis suorum cum millibus in Illyricum irruerunt: Naisum, Singidinum, aliasque civitates, oppidaque Illyrici plurima exciderunt.

442. *Ind.* X. *Eudoxio & Dioscoro Coss.*

Stella quæ crinita dicitur, per plurimum tempus ardens apparuit. Bleda & Attila fratres, multarumque gentium reges, Illyricum, Thraciamque depopulati sunt.

443. *Ind.* XI. *Maximo* II. *&* [4] *Paterio Coss.*

His consulibus tanta nix cecidit, ut per sex menses vix liquescere potuerit: multa hominum & animalium millia frigoris rigore confecta perierunt. Theodosius Imp. ex Asiana expeditione in urbem redit. Thermarum quæ Achilleæ dicuntur, encæniæ factæ.

444. *Ind.* XII. *Theodosio* XVIII. *& Alberto Coss.*

Theodosius princeps nona quinquennalia dedit. Archadia soror Theodosii vivendi finem fecit. Aliquanta Bithyniæ oppida atque prædia continuarum vi longa pluviarum, & fluviorum inundatione crescentium, sublapsa dissolutaque perierunt. Severum presbyterum & Joannem diaconum Eudociæ reginæ apud Æliam urbem ministrantes, missus ab Imp. Theodosio Saturninus comes domesticorum occidit. Eudocia nescio quo excita dolore Saturninum protinus obtruncavit: statimque mariti imp. nutu, regiis spoliata ministris, apud Æliam civitatem moritura remansit.

445. *Ind.* XIII. *Valentiniano* VI. *&* [5] *Nomo Coss.*

Bleda rex Hunnorum Attilæ fratris sui insidiis interimitur. Apud Byzantium populari orta in circo seditione multi se se invicem occiderunt, multaque [b] intrinsecus hominum pecudumque morbo corpora perierunt.

446. *Ind.* XIV. [6] *Aetio* III. *& Symmacho Coss.*

His Consulibus magna fames Constantinopolim invasit, pestisque illico subsecuta. Templum regiæ civitatis igne crematum.

447. *Ind.* XV. *Ardabure &* [7] *Callepio Coss.*

Ingenti terræ motu per loca varia imminente plurimi urbis augustæ muri recenti adhuc reædificatione constructi, cum LVII. turribus corruerunt. Saxa quoque ingentia in foro Tauri dudum super se se in ædificio posita, statuæque plurimæ sine ullius videlicet læsione collapsæ sunt, plurimis nihilominus civitatibus collapsis: fames & aerum pestifer odor multa millia hominum jumentorumque delevit. Ingens bellum & priore majus per Attilam regem nostris inflictum, pæne totam Europam, excisis invasisque civitatibus atque castellis, conrasit. Eodem anno, urbis augustæ muri olim terræ motu collapsi, intra tres menses, Constantino præfecto prætorio operam dante, reædificati sunt. Attila rex usque ad Thermopolim infestus advenit. [c] Arnegisclus magister militiæ in

1. Aliqui codd. *male enim contra occ. remp. cogitabat*. 2. *Tzanni*. 3. *Arauiscli*. At codex Corb. *Argenisli*. 4. Seu *Paterno*. 5. Vel *Nonio*. 6. *Valentiniano* VII. *& Aetio* III. 7. *Calipio*.

a Cod. Chiffl. *Contradis*. b Ibid. *extrinsecus*. c Ibid. *Arpenislus*.



ripense Dacia, juxta Utum amnem, ab Attila rege, viriliter pugnans, plurimis hostium interemtis, occisus est.

448. *Ind.* I. *Zenone & Postumiano Coss.*

Provincia India Theodosio principi pro munere tigrim domitam misit. Utramque porticum Troadensem, turresque portarum utrasque ignis subitus exussit: quarum ruina continuo repurgata, Antiochus præfectus prætorio in pristinam erexit speciem: legatis Attilæ a Theodosio [1] despectas olim pecunias flagitantibus.

449. *Ind.* II. *Protogene & Asturio Coss.*

Marina Theodosii regis soror fati munus implevit. Flavianus episcopus in secunda apud Ephesum synodo, vi Dioscori Alexandrini episcopi & Saturnini spadonis in [a] Epipam exsulatus est. Areobinda & Taurus patricii communi vita defuncti sunt.

450. *Ind.* III. *Valentiniano* VII. *& Abieno Coss.*

Theodosius Imp. vivendi finem fecit: regnavit post mortem Archadii patris sui annos XLII. [2] Loco ejus Marcianus imperium [3] adeptus est. Crysaphius eunuchus, Pulcheriæ Theodosii sororis nutu, sua cum avaritia interemtus est.

451. *Ind.* IV. *Marciano Aug. & Adelfio Coss.*

Leone pontifice sedem beati Petri regente, DCXXX. patrum sancta & universalis synodus contra Eutychetem nefandissimorum præsulem monachorum, apud Calchedonam in basilica sanctæ Euphemiæ firmata est: solus Dioscorus Alexandrinæ ecclesiæ episcopus dissensit, statimque ab iisdem catholicis patribus sacerdotio abdicatus est.

452. *Ind.* V. *Sporatio & Herculano Coss.*

Marcianus Aug. suis statuit decretis, ut hi qui consules fieri cupiebant, nihil æris in populum spargerent, sed statutam pecuniam ad reparandum urbis aquæ ductum dependerent. Hoc tempore tres magni lapides e cælo in Thracia ceciderunt. Aquileja civitas ab Attila Hunnorum rege excisa est.

453. *Ind.* VI. *Vincomalo & Opilione Coss.*

Joannes præcursor Domini & baptista, caput suum quod olim Herodias impia nefandaque postulatione ab humeris amputatum & in disco positum accepit, proculque a truncato ejus corpore sepelivit, duobus orientalibus monachis ob adorandam apud Hierosolymam Christi Domini resurrectionem introeuntibus revelavit, ut ad Herodis quondam regis habitaculum accedentes admoniti requirerent, fideliterque humo extollerent. Hoc ergo caput [b] fide repertum, suaque hispida in mantica conditum, dum ad propria remeantes habitacula pervehunt, quidam Emisenæ figulus civitatis, diutinam imminentemque sibi fugiens paupertatem, se se his exhibuit comitem: quique dum nescius peram sibi creditam cum sacro capite portat, ab eo cujus caput vehebat, noctu admonitus, utrumque comitem fugiens dereliquit, statimque Emisenam urbem cum sancto levique onere introgressus est. Ibique dum advixit, præcursoris Christi veneratus est caput, moriensque sorori suæ rerum nesciæ signatum in vasculo tradidit [4] recolendum. Illa vero successori suo repositum, signatumque ut erat dereliquit. Porro Eustochius quidam occultus Arrianæ perfidiæ presbyter, talem tantumque thesaurum indignus obtinuit, gratiamque quam Christus Dominus per Joannem baptistam infirmo populo tribuebat, is eam, ac si suam dumtaxat, in vulgo disseminabat. Hinc pravitate sua detecta Emisena civitate expulsus est. Hoc deinde antrum, in quo beatissimi Joannis caput in urnam missum, sub terraque reconditum erat, quidam monachi pro habitaculo habere cœperunt. Marcellus demum presbyter, totiusque monasterii præsul, dum in eodem specu vita irreprehensibili habitat, idem B. Joannes Christique præcursor se se eidem suumque ostendit caput, ibidemque sepultum multis præfulgens virtutibus patefecit. Hoc igitur venerabile caput sub Uranio memoratæ episcopo civitatis, per præfatum Marcellum presbyterum constat inventum Vincomalo & Opilione coss. mense Februario, die XXIV. media jejuniorum paschalium septimana, Imperatoribus vero Valentiniano & Marciano regnantibus. Pulcheria Augusta Marciani principis uxor, beati Laurentii atrium inimitabili opere consummavit, beatumque vivendi finem fecit.

Ind. VII. *Aetio & Studio Coss.* 454.

Attila rex Hunnorum Europæ orbator provinciæ noctu mulieris manu cultroque confoditur. Quidam vero sanguinis rejectione necatum perhibent. Aetius patricius, magna occidentalis reipublicæ salus, & regis Attilæ terror, a Valentiniano Imp. cum Boetio amico in palatio trucidatur: atque cum ipso Hesperium cecidit regnum, nec hactenus valuit relevari.

Ind. VIII. *Valentiniano* VIII. *& Anthemio Coss.* 455.

Valentinianus princeps dolo Maximi patricii cujus etiam fraude Aetius perierat, in campo Martio per [c] Optilam & Traustilam Aetii satellites, jam percusso Heraclio spadone, truncatus est. Idem Maximus invasit imperium, tertioque tyrannidis suæ mense, membratim Romæ a Romanis tractus [5] discerptusque est. Gensericus rex Wandalorum, ab Eudoxia Valentiniani uxore epistolis invitatus ex Africa Romam ingressus est, eaque urbe rebus omnibus spoliata, eamdem Eudoxiam cum duabus filiabus secum rediens abduxit.

Ind. IX. *Varane & Joanne* [6] *Coss.* 456.

His consulibus innumera locustarum agmina fructum Phrygiæ vastaverunt. Eucherius Lugdunensis ecclesiæ pontifex multa scripsit, tam ecclesiasticis quam monasticis studiis necessaria.

Ind. X. *Constantino & Rufo Coss.* 457.

Marcianus Imp. bonis principibus comparandus vitæ spiritum amisit: imperavit annos VI. menses VI. Leo eidem defuncto successit, cujus voluntate Majorianus apud Ravennam Cæsar est ordinatus.

Ind. XI. *Leone Aug. & Majoriano* [7] *Coss.* 458.

Leo Imp. pro tomo Calchedonense per universum orbem singulis orthodoxorum episcopis, singulas consonantesque misit epistolas, quo sibi quid de eodem tomo sentirent cuncti suis rescriptionibus indicarent. Horum omnium episcoporum ita conspi-

1. Aliqui codd. *depactas*. 2. *Locum*. 3. *Imperator*. 4. Forte *colendum*. 5. *Discerptus est*. 6. *Romæ Avito Aug. Cos.* 7. *Aug.*

a Cod. Chiffl. *Etiam*. *b* Ibid. *fidei*. *c* Ibid. *Ostilam*.

rantes suscepit epistolas, ut eas putares uno tempore unius viri eloquio fuisse dictatas. A

459. *Ind.* XII. *Patricio & Ricimere Coss.*
Isaac Antiochenæ ecclesiæ presbyter scripsit Syro sermone multa, præcipueque adversus Nestorianos & Eutychianos. Ruinam enim Antiochiæ elego carmine planxit, quemadmodum Ephrem diaconus Nicomediæ lapsum.

460. *Ind.* XIII. *Apollonio & Magno Coss.*
Cyzicus civitas terræ motu concussa, murorumque suorum ambitu interrupto, se se suosque diu deplanxit.

461. *Ind.* XIV. *Dagalaifo & Severino Coss.*
B Romanæ ecclesiæ Hilarus XLIV. pontifex factus, vixit annos VI. Majorianus Cæsar apud Dertonam, juxta fluvium qui Hyra dicitur, interemtus est. Locum ejus Severus invasit.

462. *Ind.* XV. *Leone Aug.* II. *solo* [1] *Cos.*
Jacobus natione Achivus, religione paganus, medicinæ artis peritia, tam ingenio quam litteratura perclaruit. Hic ob medendum Leonem Aug. febre defatigatum, sacrum palatii cubiculum vocatus intravit, statimque in sella juxta torum imperialem posita, sine ullo Augusti nutu consedit, sicque medicas adhibuit manus. Porro meridie ad eumdem sacrum pulvinar reversus, sublatum [2] sui, C propter solium in quo matutinus resederat, protinus intellexit, spondamque tori regiam intrepidus supersedit, veterumque studii sui repertorum præceptionibus monitum id se se gessisse, non temere præsumsisse, ægrotantem docuit principem.

463. *Ind.* I. *Viviano & Felice Coss.*
Prosper homo Aquitanicæ regionis, sermone scholasticus & assertionibus nervosus, multa composuisse dicitur. Epistolæ quoque papæ Leonis adversus Eutychem de vera Christi incarnatione datæ, ab isto dictatæ creduntur.

464. *Ind.* II. *Rusticio & Olybrio Coss.*
Beorgor rex Alanorum a Ricimere rege occiditur.

465. *Ind.* III. *Basilisco & Herminerico Coss.*
Constantinopolis magno invasa incendio, facieque fœdata deplanxit. Severus qui occidentis arripuit principatum, Romæ interiit.

466. *Ind.* IV. *Leone Aug.* III. *solo Cos.*
Theodoritus episcopus Cyri civitatis, scripsit de incarnatione Domini adversus Eutychem presbyterum & Dioscorum Alexandrinæ ecclesiæ episcopum, qui humanam in Christo carnem fuisse denegant.

467. *Ind.* V. *Puseo & Joanne Coss.*
Leo Imp. Anthemium patricium Romam misit, Imperatoremque constituit. Romanæ ecclesiæ Simplicius XLV. pontifex creatus, vixit annos XV. Ravennam civitatem terræ motus deterruit.

468. *Ind.* VI. *Anthemio Aug.* II. *solo Cos.*
Marcellinus occidentis patricius, idemque paganus, dum Romanis contra Wandalos apud Carthaginem pugnantibus opem auxiliumque fert, ab iisdem dolo confoditur, pro quibus palam venerat pugnaturus.

Ind. VII. *Zenone & Marciano Coss.* SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 460.
His coss. caput Denzicis Hunnorum regis Attilæ filii Constantinopolim allatum est.

Ind. VIII. *Jordane & Severo Coss.*
Gennadius Constantinopolitanæ ecclesiæ pontifex Danielem prophetam ex integro ad verbum commentatus est, & Homilias multas composuit, & 469.
Paulli epistolas omnes exposuit. 470.

Ind. IX. *Leone Aug.* IV. *& Probiano Cos.* 471.
Aspar primus patriciorum cum Ardabure & Patriciolo filiis, illo quidem olim patricio, hoc autem Cæsare generoque Leonis principis appellato, Arrianus cum Arriana prole, spadonum ensibus in palatio vulneratus interiit.

Ind. X. *Marciano & Festo Coss.* 472.
Vesuvius mons Campaniæ torridus intestinis ignibus æstuans exusta evomuit viscera, nocturnisque in die tenebris incumbentibus, omnem Europæ faciem minuto contexit pulvere. Hujus metuendi memoriam cineris Byzantii annue celebrant VIII. Idus Novemb. Anthemius Imp. Romæ a Ricimere genero suo occiditur. Loco ejus Olybrius substitutus, septimo mense imperii sui vita defunctus est. In Asia aliquantæ civitates vel oppida terræ motu collapsa sunt.

Ind. XI. *Leone Aug.* V. *solo Cos.* 473.
Glycerius apud Ravennam plus præsumtione quam electione Cæsar factus est. Constantinopoli seditione in circo orta, multi Isaurorum a populo interemti sunt.

Ind. XII. *Leone juniore solo Cos.* 474.
Leo senior Imp. Leone juniore a se jam Cæsare constituto, morbo periit, tam sui imperii annis, quam hujus Leonis regni mensibus computatis, anno XVII. mense VI. Zenonem Leo junior, idemque filius Imperator principem regni constituit. Glycerius Cæsar Romæ imperium tenens, D a Nepote, Marcellini quondam patricii sororis filio, imperio expulsus, in portu urbis Romæ ex Cæsare episcopus ordinatus est, & obiit.

Ind. XIII. *Zenone Aug.* II. *solo Cos.* 475.
Zeno Imp. Verinæ socrus suæ & Basilisci fratris ejus insidiis circumventus, cum Ariadne uxore sua profugus in Isauriam tendit. Regnum Zenoni Basiliscus tyrannus invasit. Nepos qui Glycerium regno pepulerat, Romæ elevatus est Imperator. Nepote Orestes protinus effugato, Augustulum filium suum in imperium collocavit.

Ind. XIV. *Basilisco & Armato Coss.* 476.

E Basiliscus tyrannus Marco filio suo Cæsare facto, dum contra fidem catholicam [3] Nestoriana perfidia intumescens conatur assurgere, ante inflatus crepuit, quam pœnitens stare potuerit. Basiliscus cum filio & Zenonida uxore sua, jam Zenone pristinum ad imperium remeante, in exsilium missus est, atque in oppidulum quod Leminis in provincia Cappadociæ dicitur, trusus fame extabuit. Odoacer rex Gothorum Romam obtinuit: Orestem Odoacer illico trucidavit: Augustulum filium Orestis Odoacer in Lucullano Campaniæ castello exsilii pœna damnavit. Hesperium Romanæ

1. Collegam addit Severum Aug. Cassiodorus ac epistola Hilari papæ.

2. Onuphrius legit *sibi*. — Leg. *sui propter*, ut Græcis αὐτῷ ἴτικα. 3. Potius *Eutychiana*. Vide Liberatum c. 16.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 460.

gentis imperium, quod [a] septingentesimo nono urbis conditæ anno primus Augustorum Octavianus Augustus tenere cœpit, cum hoc Augustulo periit, anno decessorum regni Imperatorum DXXII. Gothorum dehinc regibus Romam tenentibus.

477. *Ind.* XV. *sine consulibus.*

Bracilam comitem Odoacer rex apud Ravennam occidit.

478. *Ind.* I. *Illo solo Cos.*

Theodulus presbyter in Cœlesyria multa conscripsit, clarusque habetur.

479. *Ind.* II. *Zenone Aug.* III. *Cos.*

Sabinianus magnus Illyricianæ utriusque militiæ ductor creatus, curiam fragilem, conlapsumque justum reipublicæ censum, vel præpaventem fovit, vel dependentem tutatus est. Disciplinæ præterea militaris ita optimus institutor coercitorque fuit, ut priscis Romanorum ductoribus comparetur. Theodoricum idem Sabinianus regem apud Græciam debacchantem ingenio magis quam virtute deterruit.

480. *Ind.* III. *Basilio* [1] *solo Cos.*

Urbs regia per XL. continuos dies assiduo terræ motu quassata magnopere se se afflicta deplanxit. Ambæ Troadenses porticus corruerunt: aliquantæ ecclesiæ vel scissæ sunt vel collapsæ. Statua Theodosii magni in foro Tauri super cochlidem columnam posita corruit, duobus fornicibus ejusdem collapsis. Hunc formidolosum diem Byzantii celebrant VIII. Kalend. Octobris. His Coss. Nepos quem dudum Orestes imperio abdicaverat, Viatoris & [b] Ovidæ comitum suorum insidiis, haud longe a Salonis, sua in villa occisus est.

481. *Ind.* IV. *Placido solo Cos.*

Theodoricus Triarii filius rex Gothorum adscitis suis usque ad Anaplum, quarto urbis milliario armatus advenit: nulli tamen Romanorum noxius continuo reversus est. Porro in Illyricum properans, dum inter suorum moventia plaustra progreditur, jacentis super carpentum teli acumine, & pavescentis equi sui impulsione, fixus transverberatusque interiit. Sabinianum magnum mors quæ huic peccanti mundo merito imminet, ante eum ademit, quam integrum defatigatæ reipublicæ subsidium foret.

482. *Ind.* V. *Trocondo & Severino* [2] *Coss.*

Romanæ ecclesiæ Felix XLVI. episcopus ordinatus, vixit annis XII. Theodoricus cognomento Valamer utramque Macedoniam Thessaliamque depopulatus est, Larissam quoque metropolim deprædatus.

483. *Ind.* VI. *Fausto solo Cos.*

Idem Theodoricus rex Gothorum Zenonis Aug. munificentiis pæne pacatus, magisterque præsentis militiæ factus, consul quoque designatus, creditam sibi ripensis Daciæ partem Mœsiæque inferioris, cum suis satellitibus pro tempore tenuit.

484. *Ind.* VII. *Theodorico & Venantio Coss.*

Illus natione Isaurus, dignitate magister officiorum, amputata apud comitatum auricula, orientem Zenoni infestus invasit. Porro cum Leontio tyrannidem arripuit. Totam namque per Africam crudelis Hunerici Wandalorum regis in nostros catholicos persecutio importata est. Nam exsulatis diffugatisque [c] plus quam CCCXXXIIII. orthodoxorum episcopis, ecclesiisque eorum clausis, plebs fidelium variis subacta suppliciis, beatum consummavit agonem. Nempe tunc idem rex Hunericus, unius catholici adolescentis vitam a nativitate sua sine ullo sermone ducentis, linguam præcepit excidi, idemque mutus quod sine humano auditu Christo credens fide didicerat, mox præcisa sibi lingua locutus est, gloriamque Deo in primo vocis suæ exordio dedit. Denique ex hoc fidelium contubernio aliquantos ego religiosissimos viros præcisis linguis, manibus truncatis, apud Byzantium integra voce conspexi loquentes. Hæc Arrianorum crudelitas in religiosos Christi cultores supra scriptis coss. mense Februario cœpit infligi.

Ind. VIII. *Symmacho solo Cos.* 485.

Longinus Zenonis frater Augusti, post decennalem custodiam quam eidem Illus apud Isauriam inflixerat, ad germanum suum Constantinopolim advenit.

Ind. IX. *Longino solo* [3] *Cos.* 486.

Joannes Antiochenæ parœciæ ex grammatico presbyter, scripsit adversum eos qui in una tantum substantia adorandum asserunt Christum, nec adquiescunt duas in Christo confitendas esse naturas.

Ind. X. *Boetio solo Cos.* 487.

Theodoricus rex Gothorum Zenonis Augusti numquam beneficiis satiatus magna suorum manu usque ad regiam civitatem & Melentiadam oppidum infestus accessit, plurimisque locis igne crematis, ad Novensem Mœsiæ civitatem unde advenerat, remeavit.

Ind. XI. *Dinamio & Sifidio Coss.* 488.

Leontius interea rex & Illus tyrannus, in Papyrio Isauriæ castello capti, decollatique sunt. Capita eorum Constantinopolim allata præfixa hastilibus tabuere. Eodem anno Theodoricus rex omnium suorum multitudine assumta Gothorum in Italiam tendit.

Ind. XII. *Eusebio & Probino Coss.* 489.

Idem Theodoricus rex Gothorum optatam occupavit Italiam. Odoacer itidem rex Gothorum metu Theodorici perterritus, Ravennam ingressus est: porro ab eodem Theodorico perjuriis illectus, interfectusque est.

Ind. XIII. *Longino* II. *& Fausto Coss.* 490.

Zeno Imp. Pelagii gulam in insula quæ Panormum dicitur, laqueo frangi præcepit.

Ind. XIV. *Olybrio solo Cos.* 491.

Zeno Augustus vita decessit, tam sui imperii annis quam Basilisci tyrannidis mensibus computatis, annos XVII. menses VI. Anastasius ex silentiario Imperator creatus est. Bellum plebeium inter Byzantios ortum, parsque urbis plurima atque circi igne combusta.

Ind. XV. *Anastasio Aug. & Rufo Coss.* 492.

Dum bellum paratur Isauricum, dumque Isauri imperium sibi vindicare nituntur, in Phrygia juxta Cotiæum civitatem undique confluunt; ibique Lilingis, segnis quidem pedes, sed eques in bello

1. *Juniore.* 2. *Juniore.* 3. *Collegam addunt alii Decium.*

a Cod. Chiffl. *septingent. octavo.* b Ibid. *Ovilæ.* c Ibid. *plus quam* CCCXXXIII.

acerrimus, a Romanis primus in prœlio trucidatur, omnesque simul Isauri fugæ dediti, per montana asperaque loca Isauriam repetunt. Hoc bellum Isauricum per sex annos tractum est.

493. *Ind.* I. *Eusebio* II. *& Albino Coss.*

Bella civilia adversus Anastasii regnum apud Constantinopolim gesta sunt: statuæ regis reginæque funibus ligatæ, atque per urbem tractæ. Julianus magister militiæ nocturno prœlio pugnans, Scythico ferro in Thracia confossus interiit.

494. *Ind.* II. *Asterio & Præsidio Coss.*

Anastasius Imp. contra orthodoxorum fidei majestatem intestina cœpit prœlia commovere: piaculi sui perfidiam prius in Eufemium urbis episcopum, sibi pro orthodoxorum fide viriliter resultantem, profano manifestavit ingenio. Laodicea, Hierapolis & Tripolis, atque Agathicum uno tempore unoque terræ motu collapsæ sunt. Romanæ ecclesiæ XLVII. Gelasius episcopus ordinatus vixit [a] annos IV.

495. *Ind.* III. *Viatore solo Cos.*

Eufemius augustæ civitatis antistes de quo superius fecimus mentionem, falso ab Anastasio principe accusatus atque damnatus, in exsilium ductus est. Locum Eufemii Macedonius tenuit.

496. *Ind.* IV. *Paullo solo Cos.*

Augustatico suo dudum Anastasius militibus præstito, donativum quoque hoc fratre consule tribuit. India Anastasio principi elephantem, quem Plautus poeta noster Lucabum [1] nomine dicit, duasque camelopardalas pro munere misit.

497. *Ind.* V. *Anastasio Aug.* [2] *solo Cos.*

Solis defectus apparuit: bellumque Isauricum hoc sexto anno sedatum. Athenodorus Isaurorum primus in Isauria captus decollatusque est. Caput ejus Tarsum civitatem allatum pro portis hastili fixum extabuit.

498. *Ind.* VI. *Joanne Scytha & Paullino Coss.*

Romanæ ecclesiæ XLVIII. Anastasius pontifex ordinatus, vixit annos II. Longinus Isaurus cognomento Selinunteus, apud Antiochiam Isauriæ civitatem a Prisco comite captus, Constantinopolim missus est, catenatusque per agentem circumductus Anastasio principi, & populo ingens spectaculum fuit: variisque deinde cruciatibus apud Nicæam Bithyniæ civitatem expensus est. Nummis quos Romani Terentianos [3] vocant, Græci follares, Anastasius princeps suo nomine figuratis, [b] placibilem plebi commutationem distraxit.

499. *Ind.* VII. *Joanne Gibbo solo Cos.*

Aristus Illyricianæ ductor militiæ cum XV. millibus armatorum, & cum DXX. plaustris armis ad prœliandum necessariis oneratis, contra Bulgares Thraciam devastantes profectus est. Bellum juxta Zurtam fluvium consertum, ubi plus quam IV. millia nostrorum, aut in fuga, aut in præcipitio ripæ fluminis interemta sunt. Ibique Illyriciana virtus militum periit, Nicostrato, Innocentio & Aquilino comitibus interfectis. Hoc anno ingens terræ motus Ponticam concussit provinciam.

500. *Ind.* VIII. *Patricio & Hypatio Coss.*

Romanæ ecclesiæ XLIX. Symmachus episcopus factus, vixit annos XV. Anastasius Imp. donativum Illyricianis militibus, per Paullum tribunum notariorum erogandum misit.

501. *Ind.* IX. *Pompeio & Avieno Coss.*

Constantio præfecto urbis ludos theatrales meridiano tempore spectante, pars in eodem spectaculo [c] Cerealis parti diversæ cæruleæ occultas præparavit insidias. Nam enses saxaque in vasis inclusa fictilibus, eademque arma diversis pomis desuper cumulata, sub theatri porticu ritu vendentium statuit. Dum residente Constantio ex more civium concrepant voces, ante visa quam audita arma excutiuntur, saxaque in incautos & cives instar imbrium jaciuntur, ensesque vibrantes in amicorum inque vicinorum sanguine obliti, suis cum percussoribus debacchantur: nutat & congemiscit theatri cavea, & refugentium huc atque illuc suorum pedibus conculcata, occisorumque fœdata cruore deplangit. Plus enim quam tria millia civium saxis, gladiisque, compressionibus & aquis proscenis amissos urbs augusta deflevit.

502. *Ind.* X. *Probo & Avieno Coss.*

Consueta gens Bulgarorum deprædatam sæpe Thraciam, nullo Romanorum milite resistente, iterum devastavit. Amidam opulentissimam civitatem, monachorum ejus astu proditam, Choadis rex Persarum, quinto mense quam expugnare eam cœperat, irrupit, proditoresque ejus monachos obtruncavit.

503. *Ind.* XI. *Dexicrate & Volusiano Coss.*

Tres Romanorum ductores, Patricius, Hypatius & Areobinda, qui cum XV. millibus armatorum olim in Persas missi fuerant pugnaturi, juxta Syficum castellum cum iisdem Persis sine audacia conflixerunt, multis tunc militum ductoribus de prœlio fugientibus cæsis. Immenso dehinc auri pondere hostibus dato, captam rebusque vacuam Amidam civitatem, iidem nostri redemere ductores, jam Celere magistro officiorum sibi cum duobus millibus bellatorum in subsidium destinato.

504. *Ind.* XII. *Cethego solo Cos.*

Interea Celer magister officiorum per Callinicum Mesopotamiæ civitatem armatum ducens militem, ad devastanda Persarum rura discurrit, plurimos agrestes rusticis intentos laboribus more pecudum trucidat, pastores diversorum pecorum cum numerosis jumentis abducit, castella latere lutoque constructa invadit, usque ad pontem ferreum, sic nominė dictum, cuncta vastando progreditur, omnique præda potitus ad communia castra ditato milite remeat, aliquanta dehinc ob percutiendum fœdus cum Persis deliberat, misso ad se pro pepigendo fœdere Armonio a secretis.

505. *Ind.* XIII. *Sabiniano & Theodoro Coss.*

Idem Sabinianus Sabiniani magni filius, ductorque militiæ, delegatus contra Mundonem Getam arma construxit, X. millia armatorum sibimet adscitorum plaustraque armis atque commeatibus onerata secum trahens, pugnaturus accessit: commissoque ad [4] Horreo Margo prœlio, multis suorum militibus in hoc conflictu perditis, & in Margo flumine enecatis, amissis præterea plaustris, in castellum quod Nato dicitur, cum paucis fugit: tanta in hoc lamentabili bello spes militum cecidit, ut quantum apud mortales nequaquam potuerit reparari.

1. *Lucam bovem*. 2. II. 3. Forte *Teruntios* aut *Teruntianos*. 4. Forte *Horrea Margi*.

a Cod. Chifl. *annos* III. b *Placibilem*] Al. *placabilem*. c *Cerealis parti diversæ*] Ex *Thesauro temp.* Scaligeri pag. 47. ita restituimus locum istum, in editione Sirmondiana depravatum, ubi sic: *cerealis parti diverso*.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 460.

Ind. xiv. *Areobinda & Messala Coss.*

His coss. Anastasii principis statua, in eodem loco quo dudum Theodosii magni steterat, super immanem columnam in foro Tauri statuta est.

506. *Ind.* xv. *Anastasio Aug.* iii. [1] *Cos.*

507. Seditio popularis in circo facta est: miles & armatus obstitit. Gradus circi septemtrionalis sua cum forma incensi collapsique sunt, Anastasio Cæsare in processibus commorante.

508. *Ind.* i. *Celere & Venantio Coss.*

Romanus comes domesticorum & Rusticus comes scholariorum, cum centum armatis navibus, totidemque dromonibus, octo millia militum armatorum secum ferentibus, ad devastanda Italiæ litora processerunt, & usque ad Tarentum antiquissimam civitatem aggressi sunt, remensoque mari inhonestam victoriam quam piratico ausu Romani ex Romanis rapuerunt, Anastasio Cæsari reportarunt.

509. *Ind.* ii. *Opportuno* [2] *solo Cos.*

Orto augusta urbe incendio utramque porticum a foro Constantini usque ad Perdiccæ tenuissimam statuam ignis in pulverem redegit. Portus Juliani undis suis rotalibus machinis prius exhaustus, cœnoque effosso, purgatus est.

510. *Ind.* iii. *Boetio solo Cos.*

Simulacrum æneum in foro Strategii super fornicem residens, & cornu copiæ fortunæ retinens incendio proflammatum est, combustumque amisit brachium, quod tamen statuarii continuo solidarunt. Appius patricius exsulatus est. Constantinus olim magister militiæ episcopus Laodiceæ ordinatus.

511. *Ind.* iv. *Secundino & Felice Coss.*

Macedonius augustæ urbis episcopus, licet olim Anastasii Imperatoris dolis fallaciisque circumventus, pravorumque testimoniis eidem Cæsari accusatus, quoniam tomum sanctorum patrum apud Calchedonam sancta dudum subscriptione roboratum eidem principi dare distulit, ab eodem Euchaita in exsilium deputatus est. Locum Macedonii Timotheus meridiano tempore ab Anastasio Cæsare episcopus ordinatus invasit.

512. *Ind.* v. *Paullo & Musciano Coss.*

Sæpe cælum a septemtrionali plaga ardere visum est. Die dominico, dum jubente Anastasio Cæsare per Marinum perque Platonem in ecclesiæ pulpito consistentes, in hymnum Trinitatis Deipassianorum quaternitas additur, multi orthodoxorum pristina voce psallentes, perfidosque præcones clamoribus objurgantes, in ejusdem ecclesiæ gremio cæsi sunt, ductique in carceres perierunt: altera nihilominus die in atrio [a] sancti Theodori majori cæde catholici pro fide unica perculsi sunt. Quapropter commota orthodoxorum agmina die sequenti, id est, viii. Idus Novemb. (in quo die memoria cineris dudum totam Europam tegentis apud Byzantios celebratur) in forum Constantini undique confluunt: quorum alii quidem, ceteris die noctuque hymnum Trinitatis Christo Deo psallentibus, totam peragrant civitatem, & Anastasii Cæsaris monastico habitu adsentatores ferro flammisque interimunt: alii claves portarum omniaque signa militaria, ad forum quo religionis castra metati fuerant, deferunt: ibique Anastasio Cæsare in processibus degente, Areobindam sibi Imperatorem fieri clamitant. Imaginibus deinde statuisque Anastasii in terram dejectis, Celerem & Patricium senatores, ad se supplicandi sibi vel satisfaciendi gratia missos, jactis pluviæ instar lapidibus repulerunt. Domibus Marini & Pompeii succensis, in circum ad Anastasium venientes, & ante suum solium consistentes, hymnum Trinitatis juxta morem catholicorum concinentes, coruscansque evangelium crucemque Christi ferentes, e foro plurimi convenerunt, Marinum Platonemque pravitatis ejus auctores feris subjici conclamantes. Hos cives idem Anastasius Cæsar solitis perjuriis simulatisque vocibus, se se facturum cuncta promittens, tertio die quam in forum advenerant, sine ullo rerum effectu ad sua fecit habitacula repedare. Porro redintegrata Anastasius pravitate, infamem & irridendam synodum apud Sidonem civitatem, cujus de nomine in ridiculis nomina præponuntur, lxxx. ferme perfidorum episcopis congregatis, adversum orthodoxorum episcopum [3], fieri imperavit. Flavianus Anthiochiæ catholicus patriarcha, & Joannes Paltensium oppidi pontifex, quoniam hunc cœtum sacrilegum refellerant, in castellum quod Petra dicitur, exsules missi sunt. Ibi Flavianus confessor Christi in Domino requievit: Joannem Justinus Aug. mox Imperator factus, revocavit. Iisdem ferme temporibus solis defectus contigit. Gens Erulorum in terras atque civitates Romanorum jussu Anastasii Cæsaris introducta.

Ind. vi. *Clementino & Probo Coss.* 513.

Severus Eutychetis perfidiæ cultor, Anastasio Cæsare volente, sedem Flaviani antistitis ex monacho factus episcopus occupavit. Dorotheus Ancyræ civitatis venerandus antistes, Anastasio principi propter unicam orthodoxorum fidem jugiter adversarius, finem vivendi quem sibimet misso contra se a Cæsare magistriano ipse prædixerat, in dicto tempore fecit.

Ind. vii. *Senatore solo Cos.* 514.

Vitalianus Scytha assumtis Romanorum equitum peditumque plus quam lx. millibus armatorum in triduo congregatorum, in locum qui Septimius dicitur, advenit, ibique castra metatus est; dispositisque a mari in mare suorum ordinibus, ipse ad usque portam quæ aurea dicitur, sine ullius accessit dispendio; scilicet pro orthodoxorum se fide, proque Macedonio urbis episcopo, in cassum ab Anastasio principe exsulato, Constantinopolim accessisse asserens. Porro Anastasii simulationibus atque perjuriis per Theodorum internuntium illectus atque illusus, octavo die quam urbem accesserat, remeavit. Hinc Odyssum Mœsiæ civitatem Vitalianus pernoctans astu ingressus est. Cyrillum lenocinantem magis, quam strenuum militiæ ductorem, inter duas pellices Vitalianus reperit dormientem, eumque abstractum mox cultro Getico jugulavit, hostemque se Anastasio Cæsari palam aperteque exhibuit.

Ind. viii. *Anthemio & Florentio Coss.* 515.

Romanæ ecclesiæ i. Hormisda episcopus ordinatus, vixit annos ix. Idem Vitalianus eidem Anastasio Imp. immanior factus est inimicus: præmissis quippe suorum equitibus, armatisque naviculis sinistro sibi litore decurrentibus, ipse peditum armis stipatus Systhenense prædium ingressus est, to-

1. Cassiodorus collegam addit *Venantium*. 2. Sive *Importuno*. 3. Aliqui cod. *episcopos*.

a Cod. Chiffl. *sancti Theodosii*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 460.



tiusque loci palatium habuit mansionem. Missi sunt ad Vitalianum a Cæsare senatores, qui pacis cum eo leges componerent: nonaginta auri pondo, exceptis regalibus muneribus, pro pretio tunc accepit Hypatii, jam mille centum auri libris cum Uranio captivo sibi a suis in Sozopoli oblatis. Magister militum Vitalianus per Thraciam factus, Hypatium quem captivum catenatumque apud Acres castellum tenebat, reversus suo remisit avunculo. Ea tempestate Hunni Armenia transmissa totam Cappadociam devastantes, usque Lycaoniam perrexerunt: Ariadne Augusta LX. annis in palatio exactis vita decessit.

516. *Ind.* IX. *Petro solo Cos.*

Mutata fide Anastasius Imp. Vitaliano succedit, eidemque Rufinum destinat successorem. Helias Hierosolymitanæ urbis episcopus in villa quæ Haila dicitur, ab eodem principe relegatus emoritur. Laurentium præterea Lychnidensem, Domnionem Serdicensem, Alcissum Nicopolitanum, Gaianum Naisitanum & Evangelum Pautaliensem, catholicos Illyrici sacerdotes, suis Anastasius præsentari jussit obtutibus. Alcissus & Gaianus episcopi apud Byzantium vita defuncti sunt, unoque sepulcro reconditi. Domnione & Evangelo ad sedes proprias, ob metum Illyriciani catholici militis, extemplo remissis, solus Laurentius Anastasium Imp. in palatio pro fide catholica sæpe convincens, apud comitatum, ac si in exsilio relegatus, retentus est, mobiliorque deinde corpore, quam Constantinopolim advenerat, effectus. Nam septimo infirmitatis suæ anno idem Laurentius fide sua, sed [1] Christi gratia, in atrio Cosmæ & Damiani sanatus est, pedibusque sistere propriis gressibusque meruit confirmari, suæque dein patriæ incolumis reddi, ubi major octogenario requiescit.

517. *Ind.* X. *Anastasio & Agapito Coss.*

Olla illa quæ in Hieremia vate ab aquilone adversum nos nostraque delicta sæpe succenditur, tela ignita fabricavit, maximamque partem Illyrici iisdem jaculis vulneravit. Duæ tunc Macedoniæ, Thessaliaque vastata est, & usque Thermopylas veteremque Epirum Getæ equites deprædati sunt. Mille tunc librarum auri denarios per Paullum Anastasius Imperator pro redimendis Romanorum captivis, Joanni præfecto Illyrici misit: deficiente pretio, vel inclusi suis cum domunculis captivi Romani tenti sunt, vel pro mutis clausarum urbium trucidati.

518. *Ind.* XI. *Magno solo* [2] *Cos.*

In provincia Dardania assiduo terræ motu XXIV. castella uno momento collapsa sunt. Quorum duo suis cum habitatoribus demersa, quatuor dimidia ædificiorum suorum hominumque amissa parte destructa, undecim tertia domorum totidemque populi clade dejecta, septem quarta tectorum suorum, tantaque plebis parte depressa, vicina [3] vero metu ruinarum despecta sunt. Scupus namque metropolis, licet sine civium suorum hostem fugientium clade, funditus tamen corruit. Uno in castello regionis Canisæ quod Sarnunto dicitur, ruptis tunc terra venis, & ad instar torridæ fornacis exæstuans, diutinum altrinsecus ferventemque imbrem evomuit. Plurimi totius provinciæ montes hoc terræ motu scissi sunt, saxaque suis evul-

A sa compagibus, devolutaque arborum crepido per XXX. passuum millia patens, & in XII. pedum latitudinem dehiscens, profundam aliquantis voraginem civibus, castellorum saxorumque ruinas, vel adhuc hostium incursiones fugientibus, jussa paravit. Anastasius Imp. subita morte præventus major octogenario periit: regnavit annos XXVII. menses II. dies XXIX.

Ind. XII. *Justino Aug. & Eutharico Coss.* 519.

Justinus a senatu electus Imperator continuo ordinatus est. Amantius palatii præpositus, Andreas, Misael & Ardabur cubicularii, Manichæorum fautores, & Justini Augusti deprehensi sunt proditores.
B Quorum duo, Amantius & Andreas, ferro trucidati sunt: Misael & Ardabur Serdicam in exsilium missi. Theocritus Amantii satelles, quem idem Amantius præpositus ad regnandum clam præparaverat, comprehensus, & in carcere saxis contusus ingentibus periit, salsoque in gurgite jacuit, sepultura quoque cum imperio cui inhiarat caruit. Vitalianus Scytha Justini principis pietate ad rempublicam revocatus, Constantinopolim ingressus est, septimoque receptionis suæ die magister militiæ ordinatus.

Ind. XIII. *Vitaliano & Rustico Coss.* 520.

Vitalianus consul VII. mense consulatus sui XVI.
C vulneribus confossus, in palatio cum Celeriano & Paullo satellitibus suis interemtus est.

Ind. XIV. *Justiniano & Valerio Coss.* 521.

Famosissimum hunc consulatum Justinianus consul omnium orientalium consulatu profecto munificentior his liberalitatibus edidit. Nam CCLXXXVIII. millia solidorum in populum, inque spectacula sive in spectaculorum machinam distributa, XX. leones, XXX. pardos, exceptis aliis feris, in amphiteatro simul exhibuit. Numerosos præterea phaleratosque in circo caballos jam donatis quoque impertivit aurigis, una dumtaxat ultimaque mappa insanienti populo denegata.

D *Ind.* XV. *Symmacho & Boetio Coss.* 522.

Ind. I. *Maximo solo Cos.* 523.

Plerique lapidatorum, percussorum, urbisque depopulatorum, sua ob scelera deprehensi, ferro, igni, suspendioque expensi sunt, gratum bonis civibus spectaculum exhibentes.

Ind. II. *Justino Aug.* II. *& Opilione Coss.* 524.

His consulibus inopia olei magnam penuriam in populum importavit.

Ind. III. *Filoxeno & Probo Coss.* 525.

Joannes Romanæ ecclesiæ papa LI. anno a Petro
E Apostolorum pontificumque præsule CCCCLXXV. sessionis ejus, Theodorico rege pro Arrianorum suorum cæremoniis reparandis laborante, solus dumtaxat Romanorum sibimet decessorum, urbe digressus Constantinopolim venit, miro honore susceptus est. Dexter dextrum ecclesiæ insedit solium, diemque Domini nostri resurrectionis plena voce Romanis precibus celebravit.

Ind. IV. *Olybrio solo Cos.* 526.

Totam quidem Antiochiam Syriæ civitatem repens inter prandendum terræ motus invasit: alio-

1. *Onuphr.* & Christi gratia.
2. *Cui Florentium alii, alii Agapetum* 1D. *adjungunt.*
3. Onuphrius *vicinarum metu.*

SÆCUL. V. CIRCA AN.N. CHR. 460.

quin occiduam urbis magnam ejus partem, sinistris A mox ventis undique flantibus, flammasque coquinarum pro tempore æstuantes ruentia in ædificia miscentibus, duplex torridumque exitium importavit. Eufrasium quoque totius [1] urbis episcopum ademto ejus capite, combusto simul obruit sepulcro, obelisco circi inverso & humi defosso.

Ind. v. *Mabortio* [2] *solo Cos.*

527. Anno regiæ urbis conditæ CXCVII. Justinus Imperator Justinianum ex sorore sua nepotem, jam dudum a se Nobilissimum designatum, participem quoque regni sui successoremque creavit Kal. Aprilis. Ipse vero quarto ab hoc mense vita decessit, anno imperii IX. mense II.

Ind. VI. *Justiniano Aug. solo Cos.*

528. Anno regiæ urbis conditæ CXCVIII. regium vestibulum, priscumque in eo solium, ob aspicienda probandaque in circo certamina structum, victor Justinianus princeps, eminentius clariusque quam fuerat, & utramque senatorum ex more spectantium porticum solita magnanimitate redintegravit, bonis quidem agitatoribus præmium, ignavis autem severitatem innuens.

Ind. VII. *Decio solo Coss.*

529. Parthis bella moventibus arma Romanus paravit exercitus, finesque suos rebellans tutatus est. Hæc expeditio nostrorum pæne per quinquennium tenuit, digressaque oriente Africam petit, contra Vandalos feliciter dimicatura.

Ind. VIII. *Lampadio & Oreste Coss.*

530. Mundo Illyricianæ utriusque militiæ ductor, dudum Getis Illyricum discursantibus primus omnium Romanorum ducum incubuit, eosque haud paucis ipsorum interemtis fugavit. His autem deinde coss. idem dux audaciæ suæ secundus in Thraciam quoque advolans, prædantes eam Bulgares feliciore pugna cecidit, quingentis eorum in prœlio trucidatis.

Ind. IX. *Post consulatum Lampadii & Orestis.*

531. His coss. [a] codex Justinianus orbi promulgatus est.

Ind. X. *item Post consulatum Lampadii & Orestis.*

532. Hypatius, Pompejus & Probus genere consobrini, divique Anastasii nepotes, imperium quod sibi singuli indigna ambitione exoptabant, idibus Januariis, jam plerisque nobilium conjuratis, omnique seditiosorum turba armis donisque ministratis illecta, dolis invadere tentaverunt, atque per quinque continuos dies urbem regiam rapinis, ferro igneque per sceleratos cives, sine certo interrege discursantes, hostili impietate, ipsi se fideles reipublicæ in palatio dissimulantes, depopulati sunt. Quinta vero hujus infandi sceleris die, dum de foro Hypatius sceleratorum comitum manibus torque redimitus aureo, & Pompejus comes ejus sua sub veste loricatus, ad invadendum conscendunt palatium; uterque eorum ante fores palatii captus est, statimque piissimi principis nostri nutu catenatus trucidatusque pœnas luit, & ante imperium perdidit, quam haberet, innumeris passim in circo populis trucidatis, & tyrannorum sociis continuo proscriptis. Ecclesia tunc incensa mox cœpit ab eodem Augusto renovari.

Ind. XI. *Justiniano Aug.* III. *Coss.* 533.

Post diuturnum immanemque laborem contra Medos Romanis gestum sudoribus, tandem per Rufinum patricium, perque Hermogenem magistrum officiorum, utrumque legatum a principe nostro missum, pax cum Parthis depacta est. Sponsionem percussi fœderis ab utroque Imperatore invicem sibi munera in concordiam missa secuta sunt.

Ind. XII. *Justiniano Aug.* IV. *& Paullino Coss.* 534.

Provincia Africa quæ in divisione orbis terrarum a plerisque in parte tertia posita est, volente Deo vindicata est. Carthago quoque civitas ejus anno excidionis suæ XCVI. pulsis devictisque Wan- B dalis, Galimero rege eorum capto, & Constantinopolim misso, quarto Justiniani principis consulatu ipsius moderatione recepta est, sua cum patria firmius quam dudum fuerat, redintegrata. Quo tempore Theodahadus rex Gothorum Amalasuentham reginam creatricem suam de regno pulsam in insula laci Bulsiniensis occidit. Cujus mortem Imperator Justinianus ut doluit, [b] sic est ultus. (*Huc usque Marcellinus comes.*)

Ind. XIII. *Belisario solo Coss.* 535.

Postquam Carthago Libyaque suo cum rege Selimero per Belisarium est subjugata, de Roma Italiaque deliberat Imperator: iterumque expeditio, ite- C rumque classis paratur, idemque ductor qui consul eligitur, rectoque navigio Siciliam properat, Catanam & Syracusas sine mora, immo omnem pervadit Trinacriam. Ibique comperiens quod in Africa civile bellum exoritur, & miles in proprium ducem insurgit, cum paucis ad Africam tendit, Solomoni qui præerat subvenit: exercitum vero partim blandiendo, partim ulciscendo, inimicum tyrannum effugando, reipublicæ consulit utilitati, remensoque navigio Trinacriam redit. Agapitus Romanæ urbis episcopus a Theodato rege Gothorum in legationem directus Constantinopolim venit. Tzitta patricius in Mysia cum hoste Bulgarum congrediens ad Jatrum superior invenitur. Epiphanius epi- D scopus regiæ urbis ante adventum Romani præsulis moritur: cujus episcopatum contra canones Anthimus Trapezuntena ecclesia relicta invadit.

Ind. XIV. *Post consulatum Belisarii.* 536.

Ebremud Theodati genere relicto exercitu regio in Brutiis, ad Belisarium in Siciliam convolavit. In Africa vero, Solomone itidem cum exercitu diffidente, Germanus succedit Solomonem remittens ad principem. Belisarius Campaniam transiens Neapolim vastat. Gothorum exercitus Theodahadum regem habens suspectum, Vitigem in regnum adscisit: qui mox in campo barbarico regnum pervasit. Expeditione soluta Romam ingreditur, ubi E jam Agapito Constantinopoli defuncto, Theodahadus rex Silverium episcopatui subrogarat, ibique residens dirigit Ravennam, Theodatum occidit, in loco qui dicitur Quintus, juxta fluvium Santernum: & ipse subsequitur per Tusciam, omnes opes Theodati diripiens, quas in Insula, vel in Urbevetus congregaverat. Ravennamque ingressus Matesuentham neptem Theodorici sibi sociam in regno plus vi copulat, quam amore. Belisarius favente Domino ingreditur. Germanus in Africa feliciter administrat. Agapitus Constaninopolim ut diximus, episcopus de Roma adveniens, Anthimum mox ec-

1. Onuphrius *loci hujus urbis*.

2. Sive *Mavortio*.

a Cod. Chiffl. *Codex Justiniani*.

b *Sic est ultus*] Scaliger in suo *Thes. temp.* pag. 56. *sic & ultus est*.

clesia pellit, dicens eum juxta ecclesiasticam regulam A adulterum, qui sua ecclesia dimissa ambierat alienam: in cujus locum Mennam presbyterum episcopum ordinavit: & ipse extremum diem obiit in Domino: in nullo tamen, sicut ei a principe objiciebatur, sentiens contra fidem. Ipso namque anno ob nimiam siccitatem pastura in Perside denegata, circiter quindecim millia Saracenorum ab Alamundaro cum Chabo & Hezido phylarchis limites Euphratesiæ ingressa sunt. Ubi Batzas dux eos partim blanditiis, partim distractione [1] pacifica fovit, & inhiantes bellare repressit.

537. *Ind.* xv. *Iterum Post consulatum Belisarii.*

Vitiges tyrannus exercitu aggregato Romam obsidet, B cui tunc faventem papam Silverium Belisarius ab episcopatu summovit, & loco ejus Vigilium diaconum ordinavit. Temporeque longo Romam obsidente Vitige, Belisarius intus inedia vigiliisque laborans, auxilium ab Imperatore deposcit. Cui directi sunt Martinus & Valerianus, uterque magister militiæ: nec sic tamen Vitiges obsidionem reliquit. In Africa Germanus rebelliones milites cum Storza tyranno inter Maurorum deserta bellando effugat. In oriente quoque Joannes Cottistis arripiens tyrannidem, ante quam adversi aliquid tentaret, Daras exstinctus est. Ecclesia major Constantinopoli ab Imperatore Justiniano singulariter in mundo constructa dedicatur die vi. Kal. Januarias. C

538. *Ind.* I. *Joanne solo* [2] *Cos.*

Adhuc Vitige in obsidione Romæ morante, Joannes magister militum cum Batza, Conone, Paullo Remaque inlustribus, magnoque exercitu apparato, ad Italiam properant, castraque ad portum Romanum conlocant, laboranti Romæ subveniunt. Quorum adventum Vitiges cernens, trium mensium temporis cum Belisario pacta confirmat, suosque legatos ad Imperatorem transmittit. In qua pace Belisarius Campaniam redit, annonæ copiam Romæ inlaturus: reversusque Campania contrarium sibi de medio aufert Constantinum patricium. Joannes vero in portu quæ posuerat castra deserens, Samni- D tum regionem ingressus est, Aternoque oppido expugnato, Tremonem Gothorum ducem cum suis prosternit. Ortonam quoque similiter invadit: Picenum deprædans, Ariminum occupat. Quo audito Vitiges ab obsidione Urbis in qua adhuc post turbatam pacem consistebat, relicta Roma, per Clodiæ aggerem & annonariam Tusciam transit Apenninum, & in Rubiconis fluminis ripa castra metatus, Ariminum obsidet. Unde proturbatus a Narsete de Constantinopoli, & a Belisario de Roma venientibus, fugit Ravennam. Cujus nepos Oraio Mediolanum longa inedia deterit, Mundilam Paullumque duces ibi positos cum suo milite obsidens. Narsete vero Arimino residente, Belisarius accedens E Romam ad exhiemandum, deditione suscipit Urbinum, & Urbem vetus, & insulam laci Bulsinensis.

539. *Ind.* II. *Appione solo Cos.*

Narses revertitur Constantinopolim. Belisarius obsidens Auximum septimo mense ingreditur, similiterque & Fesulam. Gothi Mediolanum ingressi muros diruunt, prædamque potiti, omnes Romanos interficiunt. Mundilam Paullumque duces abducunt Ravennam. Theudibertus Francorum rex cum magno exercitu adveniens, Liguriam totamque deprædat Æmiliam. Genuam oppidum in litore Tyrreni maris situm evertit ac prædat. Exercitu dehinc suo morbo laborante, ut subveniat paciscens cum Belisario, ad Gallias revertitur. Germanus de Africa Constantinopolim evocatur. Solomon ibi rursus dirigitur. Calluc magister militum cum Gepidis primum feliciter dimicans, secundo infeliciter ruit.

540. *Ind.* III. *Justino jun. solo Cos.*

Parthi in Syriam ingressi multas urbes subvertunt: contra quos Germanus arma arripiens, Justinum filium, eumdemque consulem, in ipsis fascibus secum ducit. Antiochia magna deprædata demolitur a Persis. Belisarius Ravennam ingreditur, regem Vitigem & reginam, cunctasque opes Gothosque nobiliores tollens secum, ad Imperatorem revertitur, evocante se Marcello comite. Solomon in Africa feliciter dimicans rebelliones proturbat. Gothi trans Padum residentes, Oraio Vitigis nepote & Heldebado ductantibus, Vitigem regem cum regina opibusque palatii, nec non & Gothos audientes sedibus propriis pulsos, orientemque per Belisarium abductos, rebellare disponunt, regem sibi statuentes Heldebadum: contra quem debellaturus Bessa patricius Placentiam a Ravenna conscendit, Constantino Ravennam de Dalmatiis, ut præesset exercitui, ab Imperatore directo.

541. *Ind.* IV. *Basilio solo Cos.*

Parthis persistentibus inimicis, Belisarius orientis suscepit expeditionem, Germano regresso ad urbem regiam. Gothi Heldibado occiso Erarium sibi ordinant regem. Solomon in Africa interficitur: Sergius loco ejus dux successit belli, moderatorque provinciæ.

542. *Ind.* V. *Post consulatum Basilii.*

Milites clam Veronam ingressi, dum avaritia inhiante de præda concertant, a Gothis egredientibus de latebris cum suo dedecore civitate pelluntur. Gothi Erario rege occiso Totilam in regnum manciparunt. Qui malo Italiæ mox Padum transit, & ad Faventiam Æmiliæ civitatem Romanorum exercitum superat, duces effugat, Cæsenam & Urbinum, Montemferetris & Petrapertusa occupat, huc illucque disurrens devastat Italiam. Rursus in annonaria Tuscia ad Mucellos per Rudorit, & Vilarid, Bledamque duces suos Romanum exercitum superat. Quo prœlio Bessa patricius vulneratus evadit: ceteri vero fugientes per quaqua salvati sunt.

543. *Ind.* VI. *Post consulatum Basilii anno* II.

Totila devastat Campaniam, urbesque muratas evertens, per suos Tiburim obsidet. Mortalitas magna Italiæ solum devastat, oriente jam & Illyrico peræque attritis. In oriente Persis adhuc tenentibus conflictum cum nostris, Sergius in Africa inquietatur a rebellionibus cum Stotza & Mauris.

544. *Ind.* VII. *Post consulatum Basilii anno* III.

Totila obsidet Firmum & Asculum, invasamque Neapolim desolat & Tibur. Roma vero obsidetur a longe, in qua præerat Joannes magister militum. In oriente Belisario constituto, exsulatur Joannes ex consule ordinario patricius atque præfectus prætorio, & domus ejus datur Belisario.

545. *Ind.* VIII. *Post consulatum Basilii anno* IV.

Totila Firmum & Asculum sub juramento ingressus est: milite Romano cum rebus suis dimisso,

1. Vel [illegible].

2. Vel *Volusiano & Joanne.*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 460.

crudelitatem suam in Romanos exercuit, eosque omnes nudat & necat. In Africa Joannes inruens super tyrannum Stotzam, interimit eum, & ipse ab ejus occiditur armigero. In qua tyrannide Joannes quidam electus Stotzas junios vocitatur. Belisarius de oriente evocatus, in offensam periculumque incurrens grave, & invidiæ subjacens, rursus remittitur ad Italiam. Qui veniens, Romam dirigit Bessam, Joannem mittit ad Imperatorem. Totilas vastato Piceno, pugnansque ad Auximum vincit. Indeque discurrens per Tusciam, Spoletium destruit, & Asisium Clusiumque oppida tenuit, & obsidet Perusiam.

546. *Ind.* IX. *Post consulatum Basilii anno* V.

Vigilius papa [a] LIX. ab Apostolo Petro, evocatus ab Imperatore Roma egreditur, & in Siciliam venit. Totila occupata Lucania & Brutiis Neapolim subvertit, Romam obsidet. De Africa Sergius evocatur, & Areobindas nepte Imperatoris accepta, ibi judex dirigitur. In oriente cum Parthis fœdus initur per Constantianum magistrum militiæ, & exercitus revertitur Constantinopolim.

547. *Ind.* X. *Post consulatum Basilii* VI.

Gothi legationem mittunt ad Imperatorem per episcopum civitatis Asisinatium, nomine Aventium. Joannes magister militum ad Italiam properat. Belisarius a Ravenna egressus venit Dyrrachium: indeque directo Joanne Calabria, ipse per Siciliam Romam perrexit. Papa Vigilius ingressus est Constantinopolim VIII. Kal. Febr. Totila dolo Isaurorum ingreditur Romam die XVI. Kal. Januarias, ac evertit muros, domos aliquantas igni comburens, ac omnes Romanorum res in prædam accepit: hos ipsos Romanos in Campaniam captivos abduxit. Post quam devastationem, XL. aut amplius dies Roma fuit ita desolata, ut nemo ibi hominum nisi bestiæ morarentur. Hinc veniens Belisarius murorum partem restaurat, venienteque Totila ad pugnam resistit. Eodemque anno de Africa neptis Imperatoris revertitur vidua, occiso Areobinda a Gunthario tyranno, qui cum Stotza juniore tractans eum occiderat. Sed Artabanes utrosque comprehensos Guntharium occidit, Joannem idem Stotzam juniorem vinctum transmittit ad principem. Post aliquantos dies mittitur in Africam Joannes, & Artabanes evocatus præsentale accepit magisterium.

548. *Ind.* XI. *Post consulatum Basilii* VII.

Joannes magister militum in Campania prædans Gothos, nonnullos liberat senatores: qui postea patitur nocturnum Totilæ superventum Bulgarum suorum proditione. * * *

549. *Ind.* XII. *Post consulatum Basilii* VIII.

550. *Ind.* XIII. *Post consulatum Basilii* IX.

551. *Ind.* XIV. *Post consulatum Basilii* X.

His temporibus in Africa Mauri per Joannem patricium domiti sunt.

552. *Ind.* XV. *Post consulatum Basilii* XI.

Hoc tempore Justinianus Augustus Narsem eunuchum chartularium & cubicularium suum principem militiæ fecit, & in Italiam misit. Qui commissa pugna Dei gratia victor Totilam occidit, & gentem Gothorum, auxiliantibus etiam Longobardis, in Italia exterminavit. Per hæc tempora, cum Buccelinus comes cum sociis a Theodeberto rege Francorum dudum missus, per annos aliquot Italiam Siciliamque infestaret, & Romanum sæpe exercitum superaret, tandem exercitus ejus profluvio ventris attritus, a Narse pugna victus & profligatus, ipse dux occisus est. Nec multo post socius ejus Omnirugus dux cum reliquis Gothorum quibus se junxit, peremtus est.

Ind. I. *Post consulatum Basilii V. C.* XII. 553.

Theodebaldus Francorum rex moritur, & regnum ejus uxoremque Vanderadam Hlotarius rex patris ejus Theodeberti patruus accepit, qui jam XLIV. annis regnabat. Quo ipso anno Hlotarius ipse Saxones rebellantes juxta Wiseram fluvium magna cæde domuit, & Thuringiam pervasam devastavit.

Ind. II. *Post consulatum Basilii V. C.* XIII. 554.

Vigilius papa tandem ab Imperatoribus Romanis, & a Narse de exsilio relaxatus, cum Romam redire cœpisset, in Sicilia morbo calculi tactus decessit: moxque Romam perlatus, apud S. Marcellum in via Salaria sepultus est. Pro quo ordinatus Pelagius papa [b] LXII. sedit annis XI. mensibus X. Qui a populo Romano factionis contra Vigilium incusatus, celebratis una cum Narse litaniis, apud S. Petrum ambone ascenso, evangelioque super caput suum posito, juramento se crimine purgavit.

Ind. III. *Post consulatum Basilii V. C.* XIV. 555.

Hoc tempore Saxones iterum Hlotario rebellantes, cum ab eo peterentur hostiliter, eique pro satisfactione dimidium rerum suarum offerrent, idque exercitus Francorum refutans eo invito pugnasset, magna ab eis cæde protritus, fugæ præsidium petiit.

Ind. IV. *Post consulatum Basilii V. C.* XV. 556.

His diebus Hramnus patri suo Hlotario, annuente patruo Hildeberto rebellans, regnum Francorum seditione perturbat. Saxones factione Hildeberti in Francia prædas egerunt. Hildebertus Remensem Campaniam populatur.

Ind. V. *Post consulatum Basilii V. C.* XVI. 557.

In Britannia Bridus rex Pictorum efficitur. Hildebertus rex Francorum circa hæc tempora moritur, & Parisius in basilica S. Vincentii a se constructa sepelitur, regnumque ejus frater Hlotarius assumens, totam paterni regni monarchiam obtinuit.

Ind. VI. *Post consulatum Basilii V. C.* XVII. 558.

Hramnus patrem Hlotarium quem multis malis offenderat, hoc tempore in Britanniam fugiens, insequente eo ibidem cum Conoboro rege pugna victus & captus, cum uxore & filiabus vivus incensus est. Quo etiam tempore Turonis basilica S. Martini rebellibus ad eam fugientibus igne crematur.

Ind VII. *Post Consulatum Basilii V. C.* XVIII. 559.

Ind. VIII. *Post Consulatum Basilii V. C.* XIX. 560.

Ind. IX. *Post Consulatum Basilii V. C.* XX. 561.

Ind. X. *Post Consulatum Basilii V. C.* XXI. 562.

Ind. XI. *Post Consulatum Basilii V. C.* XXII. 563.

Ind. XII. *Post Consulatum Basilii V. C.* XXIII. 564.

Ind. XIII. *Post Consulatum Basilii V. C.* XXIV. 565.

Ind. XIV. *Post Consulatum Basilii V. C.* XXV. 566.

a Seu potius LX.

b Rescribendum videtur LXI.

PRÆDESTINATUS
SIVE
PRÆDESTINATORUM HÆRESIS.
ET
LIBRI S. AUGUSTINO TEMERE ADSCRIPTI
REFUTATIO
ab Auctore ante annos MCC. conscripta.

PRIMUM EDITA A JACOBO SIRMONDO SOCIETATIS JESU PRESBYTERO, ANNO MDCXLIII.



ACCESSIT
EJUSDEM SIRMONDI
HISTORIA PRÆDESTINATIANA:
Quibus initiis exorta, & per quos potissimum profligata olim fuerit & oppressa PRÆDESTINATORUM *hæresis:*

ANNO MDCXLVIII. EVULGATA.

PRÆDESTINATUS
SIVE
PRÆDESTINATORUM
HÆRESIS,

& libri S. Augustino temere adscripti Refutatio tres in libros distributa.

PRÆFATIO.

QUotienscumque ad te, o amator Dei, verba doctorum adtingunt, illico sunt Domini præcepta memoranda, quibus jubere dignatur, ut adtendamus ab his qui veniunt ad nos in vestitu ovium, ne sub hoc tegmine luporum rabies occultata, ovilem simplicitatem invadat. Utinam mihi verbis ista dixisse sufficeret, & non quod est cum suspirio memorandum, manifestum sit miscuisse belluas gregi dominico: qui tanta subtilitate clandestino hiatu se se catholicis immerserunt, ut ipsi magis cives sanctorum & domestici fidei æstimentur, qui inimici ecclesiæ & hostes dolosissimi comprobantur. Dicentes jam homines ita prædestinatos ad mortem per Dei præscientiam, ut illis nec passio Christi, nec baptismatis redemtio, nec fides, nec spes possit, nec caritas subvenire. Orent, & jejuniis ac eleemosynis occupentur: nulla, inquiunt, poterunt ratione liberari, quia non sunt prædestinati ad vitam. E contra, hi quos prædestinatio præscia futurorum dispunxit, negligant, contemnant, & justitiam fugiant. Sic isti etiam nolentes trahuntur ad vitam, sicut illi volentes ad vitam pertingere expelluntur in mortem. Sic istis non petentibus datur, sicut illis petentibus denegatur. Et isti quidem non quærentes invenient, illi autem quærentes invenire non possunt. Istis pietatis janua non pulsantibus reseratur: illis autem nulla ratione poterit, etiam pulsantibus, etiam clamantibus aperiri. Quis hanc fidem habens sacerdotum benedictionibus caput inclinare desideret, & eorum sibi precibus & sacrificiis credat posse succurri? Si enim hæc nec prodesse volentibus, nec obesse nolentibus incipiant credi, cessabunt omnia Dei sacerdotum studia, & universa monitorum adminicula vana videbuntur esse figmenta: atque ita unusquisque suis erit vitiis occupatus, ut criminum suorum delectationem Dei prædestinationem existimet, & ad bonum a malo transitum, nec per sacerdotum Dei, nec per conversionem suam, nec per legem dominicam, se posse invenire confidat. Silerem, fateor, & nequaquam stilo percurrente ista detegerem, si totiens ut tacerent admoniti, saltim mediocriter contentionis suæ impetum temperassent: non etiam audacter sub Augustini nomine libros ederent, & scriptorum suorum jaculis membra immaculatæ matris nostræ ecclesiæ vulnerarent. Quis filius matrem suam cædi non doleat? quis genitricem suam vulnerari non plangat? An tacebibimus illa laborante? Sed silentium nostrum reatus docebitur, & taciturnitas videbitur esse consensus. Quam enim tu patientiam taciturnitatis putas, hanc alius conscientiam perversitatis existimat: præsertim si & ipse taceas, & eum qui loqui voluerit pro defensione matris communis, forsitan silere compellas. Cum tempus tacendi & tempus loquendi in id sapientia divina instituerit, ut & modestia in silentio, & ratio esset in verbo: ne ultra honestatis terminum unusquisque linguam vel promeret vel teneret, essetque loquacitas importuna, aut taciturnitas obstinata; cum utrumque veniret in vitium, loqui velle cum non debeas, & nolle cum debeas. Istud igitur iu alterutrum custodisse habita ratione perdoceo, cum contra librum matri ecclesiæ tendentem insidias divini oris arma corripio, & ut Goliæ ex suo sibimet gladio confidens in Domino ejus cervicem abscido. Qui tristis fuerit, suo quasi mus prodetur indicio, cum sui murmure Philistæum se esse detexerit: mecum autem gratulabitur omnis qui allophylus non est. Igitur cum solicite celatur, & occulte legitur, & caute conscribitur: tandem aliquando, non tam editus quam deprehensus, ad manus nostras pervenit liber, qui Augustinum mentitur in titulo, cum se hæreticum ostendat in textu. Quis enim nesciat Augustinum orthodoxum semper fuisse doctorem, & tam scribendo quam disputando, omnibus hæreticis obviasse? Volentes ergo inimicum fidei nostræ inter fratres dogma inducere, catholicum supraliminare libri sui titulum posuerunt. Qui liber, velut sepulcrum fœtens, a foris qui-

dem Augustini nomine dealbatur, intus vero scaturit vermibus mortuorum. Hunc librum aliquando sibi oblatum beatissimæ memoriæ summus pontifex Cælestinus ita exsecrationi habuit, ut eum perpetuo juberet damnari silentio. Eo magis hæreticorum animus inflammatus, clanculo eum per diversas domos tradidit lectitandum: quique quanto legi publice vetabatur, tanto ab eis adserebatur insuperabili æquitate conscriptus. Sicque perfidum iniere consilium, ut in modum symboli, non discutiendus traderetur aliquibus, sed credendus. Ita contra hunc suscepimus, ut adversum singula blasphemiorum ejus dicta, tam rationabili veritate, quam legali auctoritate pugnemus. Quem librum non discerpentes, sed integrum eum ab initio usque ad finem præscribentes, nonagesimæ hæreseos projecimus silvæ, arborem eum nequissimam detegentes, ad cujus radicem securis est posita, ad hoc ut excidatur & in ignem mittatur. Ubicumque autem ejusdem libri sunt dicta, lineis a tergo versuum jacentibus deteguntur. Quæ licet pro ipsa sui perversitate ultro se legentibus prodant: tamen egimus ut veritas a mendacio non solum verbis rationabilibus, sed etiam alogiis increpantibus discernatur. Sane Græcorum nos legis catholicorum scripta contra hæreticorum sectas dimicantia idcirco memoramus, & omnes hæreses singillatim per ordinem licet strictim perscribimus, ut sciant novæ hujus hæresis inventores, omnium nos hæreticorum definitionibus adversari, & nullius eorum contra se uti consensu. Cesset omnis tergiversatio, & calliditas oblatrantium in modum canis vomitus suos ipsa iterum sorbeat. Omnes a Simone cœptas hæreses detegimus, arguimus, condemnamus, & tam ratione quam auctoritate superatas ostendimus. In detectione igitur falsitatis & in defensione veritatis, catholicorum sumus secuti vestigia; & id gessimus, ut in primo libro veterata hæreseos superstitio perpatescat: in secundo vero novæ adinventionis venena non lateant: tertius vero liber hæreseos devictæ tumulum, fideique tropæum cunctis ecclesiis tradat. Clemens itaque Romanus episcopus, Petri discipulus, Christi dignissimus martyr, Simonis hæresim a Petro Apostolo cum ipso Simone superatam edocuit. Hunc secuti sunt sancti quique orthodoxi viri: & suo quisque tempore uniuscujusque hæresis ortum & certamen & exitum, per plurimos libros, & multa millia versuum conscripserunt: quæ nos epitomantes juvante Domino, hoc uno libello conclusimus. Orabunt pro nobis sancta studia, quæ ad requiem curarum suarum per hunc nostrum laborem adtingunt.

VETERUM TESTIMONIA DE PRÆDESTINATORUM HÆRESI.

TIRO PROSPER *in Chronico, ex bibliotheca S. Victoris.*

Prædestinatorum hæresis, quæ * ab Augustino accepisse dicitur initium, his temporibus serpere exorsa.

ARNOBIUS *junior in Psalmum centesimum octavum.*

Dilexit maledictionem Adæ, quæ per Christum aufertur, & veniet ei: & noluit benedictionem quæ per Christum affertur, & utique elongabitur ab eo. Nota ex arbitrio evenisse ut nollet, propter hæresim quæ dicit Deum alios prædestinasse ad benedictionem, alios ad maledictionem. Sic enim ex dilectione sua maledictionem habere probatur, & nolle suum benedictionis præmium non habere.

FAUSTUS *Reiensis episcopus ad Leontium Arelatensem.*

Quod pro solicitudine pastorali, beate papa Leonti, in condemnando Prædestinationis errore concilium summorum antistitum congregastis, universis Galliarum ecclesiis præstitistis.

GENNADIUS *Massiliensis in libro* de Hæresibus.

Prædestinatiani sunt qui dicunt quod Deus non omnes ad hoc creet, ut omnes salventur, sed ut multitudine hominum ornetur mundus. Quod & si generali prædicatione dicat: [a] *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*; non tamen omnes ea voluntate vocet, ut omnes sequantur vocantem. Sed nec omnes qui ipso inspirante obediunt vocationi, dicuntur accipere exsequendi in bono opere perseverantiam: sed post multos labores & justitiæ fructus, si non sunt de salvandorum numero, subtrahendas eis vires agendi, ne perdurent in bono: & e contrario illos qui prædestinati sunt ad vitam æternam, etiam si in perfidia vel omni genere peccati longo tempore volutentur, accepturos occasionem, qua & credant in Deum, & secundum Dei præceptum vivant, ut possideant societatem sanctorum. Tali definitione id docere student, quod Deus personas hominum accipiat, quod alios etiam invitos post multa mala opera attrahat ad salutem, alios post bona rejiciat & compellat in malum, quo pereant in æternum.

JOANNES ERIGENA *contra Gotteschalcum lib.* I. *cap.* IV.

Hæc igitur hæresis Gotteschalcana, si tali nomine potest vocari, inter duas alias hæreses sibi invicem adversantes medietatis loco constituta est. Inter illam plane quæ dicitur Pelagiana, & illam quæ ei repugnat. Quarum una dono divinæ gratiæ derogat, altera libertatem arbitrii condemnat. Pelagiana siquidem secta libertatem arbitrii rationalis naturæ tantum commendat, ut sine dono gratiæ ad perficiendam hominis justitiam sufficiat. Ejus vero secta contraria gratuitæ gratiæ donum confirmat, ut ea sola in homine operante, omni conatu liberi arbitrii contemto, omnis fidelis fastigium justitiæ contingat.

SIGEBERTUS *Gemblacensis in Chronico, anno Christi* CCCCXIV.

Prædestinatorum hæresis in hoc tempore cœpit serpere: qui ideo Prædestinati vocantur, quia de prædestinatione & divina gratia disputantes asserebant, quod nec pie viventibus prosit bonorum operum labor, si a Deo ad mortem prædestinati fuerint: nec impiis obsit quod improbe vivant, si a Deo prædestinati fuerint ad vitam. Quæ assertio & bonos a bonis avocabat, & malos ad mala provocabat. Hæc hæresis ex libris Augustini male intellectis initium sumsisse dicitur.

[a] Matth. XI. 28.

* Quod in Tironis Chronico scriptum erat *ab Augustino*, Sigebertus interpretatus est, *Ex libris Augustini male intellectis*, verissime. Hoc enim est quod de S. Augustini obtrectatoribus, ad Capitula Gallorum respondens testatur Prosper, ejus illos doctrinam, aut non intelligendo, aut intelligi nolendo reprehendere.

ELENCHUS HÆRESUM

quæ in primo libro commemorantur.

I.	Simon.
II.	Menandriani.
III.	Basilidiani.
IV.	Nicolaitæ.
V.	Saturniniani.
VI.	Gnostici.
VII.	Carpocratiani.
VIII.	Cerinthiani.
IX.	Nazareni.
X.	Ebionæi.
XI.	Valentiniani.
XII.	Secundiani.
XIII.	Ptolemeitæ.
XIV.	Marcosii.
XV.	Colorbasiani.
XVI.	Heracleonitæ.
XVII.	Ophitæ.
XVIII.	Cainiani.
XIX.	Sethiani.
XX.	Archontici.
XXI.	Marcionitæ.
XXII.	Apellitæ.
XXIII.	Cerdoniani.
XXIV.	Severiani.
XXV.	Tatiani.
XXVI.	Cataphryges.
XXVII.	Pepuziani.
XXVIII.	Artotyritæ.
XXIX.	Tessarescædecatitæ.
XXX.	Alogii.
XXXI.	Adamiani.
XXXII.	Elcesei.
XXXIII.	Theodotiani.
XXXIV.	Melchisedechiani.
XXXV.	Bardesanitæ.
XXXVI.	Noetiani.
XXXVII.	Valesii.
XXXVIII.	Cathari.
XXXIX.	Angelici.
XL.	Apostolici.
XLI.	Sabelliani.
XLII.	Origeniani.
XLIII.	Origeniani alii.
XLIV.	Paulliani.
XLV.	Photiniani.
XLVI.	Manichæi.
XLVII.	Hieracitæ.
XLVIII.	Meletiani.
XLIX.	Arriani.
L.	Audiani.
LI.	Eunomiani.
LII.	Macedoniani.
LIII.	Aeriani.
LIV.	Aetiani.
LV.	Apollinaristæ.
LVI.	Antidicomaritæ.
LVII.	Messaliani.
LVIII.	Metangismonitæ.
LIX.	Seleuciani.
LX.	Proclinianistæ.
LXI.	Patriciani.
LXII.	Ascitæ.
LXIII.	Passalorynchitæ.
LXIV.	Aquarii.
LXV.	Coluthiani.
LXVI.	Floriani.
LXVII.	Satanniani.
LXVIII.	Gymnopodæ.
LXIX.	Donatistæ.
LXX.	Priscilliani.
LXXI.	Adilophagi.
LXXII.	Rhetoriani.
LXXIII.	Theoponitæ.
LXXIV.	Triscilidæ.
LXXV.	Hydrotheitæ.
LXXVI.	Homuncionitæ.
LXXVII.	Ametritæ.
LXXVIII.	Psychopneumones.
LXXIX.	Adecerditæ.
LXXX.	Metagenetæ.
LXXXI.	Luciferiani.
LXXXII.	Joviniani.
LXXXIII.	Arabici.
LXXXIV.	Helvidiani.
LXXXV.	Paterniani.
LXXXVI.	Tertullianistæ.
LXXXVII.	Abeloitæ.
LXXXVIII.	Pelagiani.
LXXXIX.	Nestoriani.
XC.	Prædestinati.

LIBER PRIMUS QUI EST DE HÆRESIBUS.

EPITOME ECDICESIOS HYGINI CONTRA HÆRESIARCHAS, & categoricorum Epiphanii contra sectas, & expositionum Philastri, qui hos transferens in Latinum sermonem de Græco, cum Arriani damnarentur, edidit. Prior Hyginus, post hunc Polycrates, Africanus, Hesiodus, Epiphanius, Philaster; hi diversis temporibus diversas hæreses pertexuerunt.

PRima hæresis a Simone sumsit exordium, qui dicebat castitatem ad Deum non pertinere, Deum mundum non fecisse, & his similia. Hic a beato & sancto Apostolo Petro ita est publice superatus, ut ante pedes ejus cadens ultra surgere minime potuisset.

II.

Secunda hæresis a Menandro Menandrianorum, qui mundum non a Deo, sed ab Angelis factum esse testantur. Hos sanctus Linus episcopus, secundus Apostoli Petri, a consortio conversationis nostræ ejectos, æterna damnatione multavit: docens rationabiliter, secundum sanctas scripturas veteris Testamenti, Deum qui cum Moyse locutus est, hunc esse omnium creatorem, & nihil in creaturis omnibus esse, quod possit pro sui natura esse vituperabile. Omnia enim quæ culpabilia judicantur, actu, non conditione culpantur.

III.

Tertia hæresis a Basilide Basilidianorum. Hi trecentos sexaginta & quinque cælos esse dicentes, contra Moysem suscipiunt: & Deum horum cælorum Abrasax commemorant. Quod nomen * Græca ratio litterarum in hanc summam supputando pertingit. ΑΒΡΑΣΑΞ. id est A. unum, & B. duo, & P. centum, & A. unum, & Σ. ducenta, & A. unum, & Ξ. sexaginta, fiunt in summa CCC. LXV. Hos ecclesia ut energumenos computans, non altercando, sed projiciendo damnavit.

IV.

Quarta Nicolaitarum ** a Nicolao hæresis est adinventa, qui unus ex septem diaconibus ab Apostolis ordinatus est. Iste cum de zelo pulcherrimæ conjugis culparetur, docere cœpit indifferenter debere uti conjugibus: non solum laicis, sed etiam his qui sacerdotii fungerentur officio. Hos damnavit sanctus Joannes Apostolus & Evangelista, & jussit ut quicumque cum eis vel sermonem colloquii miscuissent, ex hoc ipso communione privarentur: docens rationabiliter, a mundi origine Deo castitatem plurimum placuisse: nunc autem etiam in se ipso Christum Dei filium castitatis gloriam dedicasse, cum virginem possidens matrem, virgo mansurus, nullum discipulorum suorum commixtionem etiam legitimi conjugii uti permisit, dicens: [a] *Si quis vult venire post me, abneget se ipsum sibi, & tollat crucem suam, & sequatur me.*

V.

Quinta hæresis Saturninianorum est, a Saturni- A no. Hic docuit septem Angelos mundum fecisse. quibus cordi fuit libidines inserere, ut dum se se concupiscit ex alterutro diversitas sexus, mundus a sui fine refrænatus possit esse perpetuus. Hos anathematizavit beatus Thomas Christi Apostolus, docens rationabiliter mundum initium habuisse; & quia initium habuit, ad finem esse venturum. Angelos autem omnipotentiam habere non posse, & ideo mundum eos non potuisse constituere. Conditorem autem mundi unum esse Deum, quem Moyses prædicavit fecisse cælum & terram, & mare & omnia quæ in eis sunt.

VI.

B Sexta hæresis Gnosticorum. qui Gnosticos se [1] appellare voluerunt, quasi propter scientiam excellentem, cum miseriores superioribus esse, quos memoravimus, haberentur. Docens eos rationabiliter beatus Paullus Apostolus non Deo servire, sed suo ventri & libidini, inflatos esse, & nihil scire, & ægrotare circa quæstiones & verborum pugnas.

VII.

Carpocratianorum septima est hæresis, a Carpocrate inventa, qui docebat potestates tenebrarum transire non posse, nisi solos eos qui omni se turpitudini miscuissent. Hi Dominum nostrum Jesum de utroque sexu genitum adserebant, sed talem a- C nimam accepisse quæ superna cælorum sciret. Resurrectionem corporis denegantes, prophetas Testamenti veteris condemnabant. Habebant autem Marcellinam quamdam, quæ imagines Jesu & Paulli & Pythagoræ philosophi ponebat in medio populi quem decipiebat, & faciebat eos his imaginibus honorem deitatis exhibere, & incensum ponere. Hos damnavit apud Cyprum beatus Barnabas Christi discipulus, docens eos ministros esse satanæ, & non debere constituit Christianum penitus cum his habere sermonem.

VIII.

Octava hæresis Cerinthianorum, a Cerintho. Dicebant mundum ab Angelis factum, [2] carne cir- D cumcidi debere, veteris Testamenti secundum litteram debere præcepta servari. Jesum hominem tantummodo fuisse: non resurrexisse, sed adhuc resurrecturum esse memorabant. Hos in Galatia æterno anathemate beatus Apostolus Paullus condemnavit. Hos denique tangit in sua epistola, quam ad Galatas misit.

a Matth. XVI. 24.

1. Ms. Augiense, *appellari*.

2. Ms. Aug. *carnem*.

* *Græca ratio*] Leg. *Græca ratione*, cum Coteleriо ad *Constit. Apost.* lib. VI. cap. VIII. not. 9.

** Habuit Nicolaus diaconus accusatores suos, habuit & defensores. Utrosque accurate recenset Cotelerius l. c. not. 16.

Secul. V. circa Ann. Chr. 461.



[1] IX.

Nona hæresis Nazarenorum. Filium quidem Dei confitentur, omnem autem ritum veteris Testamenti Judaico more conservant. Hos docuit beatus Apostolus Paullus debere spiritaliter scripturas advertere. & hos in ecclesiis * Galatia deprehendit, atque non consentientes doctrinæ suæ anathemati esse constituit.

[2] X.

Decima hæresis Ebionei. Hominem solum fuisse Dominum Jesum Christum adserunt, & legis mandata more Judaico custodienda constituunt. Hos Lucas evangelista apud Antiochenam ecclesiam inveniens condemnavit, docens Angelum dixisse ad Mariam: [a] *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit te. Ideo & id quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei.*

XI.

Undecima hæresis Valentinianorum, a Valentino: Hi per orientem dispersi graviter Dei ecclesiam vulnerarunt, dicentes profundum & altum secum commixta. Ex quibus duobus, velut ex conjugio, mundum processisse: altum dicentes Patrem profundum Filium, eumque nihil adsumsisse de Maria virgine: sed illum, tamquam aquam per rivum aut fistulam, sine ulla carnis adsumtione transisse. Carnis autem resurrectionem omnimodis denegantes. Hos anathematizavit beatus Zacchæus Cæsariensis episcopus, docens, Dominum nostrum Jesum Christum, Deum verum verumque hominem, per virginea secreta transisse, ex semine David secundum carnem, sed hominem [3] vere natum, vere passum, vere mortuum, vere resurrexisse a mortuis, & vere ascendisse in cælis.

XII.

Duodecima hæresis [4] Secundianorum. Hoc solum a Valentinianis distant, quia addunt huic sectæ etiam turpitudinem corporis, quam quasi illi pseudocasti declinare se simulant. Hos damnavit Diodorus episcopus Cretensis.

XIII.

Tertiadecima hæresis [5] Ptolemeitæ, a Ptolemæo Valentini discipulo, qui hanc eamdem hæresim acrius disputando dispersit: qui eodem tempore a sancto Zacchæo supra memorato episcopo Cæsariensi damnatus est. Hæresem tamen pessimam per multa spatia orientis dispersit.

XIV.

Quartadecima hæresis a Marco quodam est adinventa: qui negans resurrectionem carnis, Christum non vere passum, sed putative conabatur adstruere. Hunc sanctus Clemens, episcopus Romanus & Christi dignissimus martyr, fixis & integris adsertionibus confutans, & coram omni plebe in ecclesia detegens, æterna damnatione punivit: docens vere natum & passum Dominum nostrum Jesum Christum, nihil ab eo in phantasia factum commemorans, & evidenter ostendens, quod veritas inimica falsitatis falsum in se nihil habere potuerit: sicut nec lux in se tenebras habere potest, A nec benedictio maledictionem, nec dulcedo amaritudinem: & si ista commisceri possent, Deum tamen docuit mendacio impossibile esse misceri.

XV.

Quintadecima hæresis [6] Colorbasiana a [7] Colorbasio adinventa. Vitam omnem hominum in septem stellis esse positam: & has septem ecclesias, & septem candelabra aurea conabatur adstruere. Hunc sanctus Theodotus de Pergamo episcopus, habita synodo septem episcoporum, anathematizavit: docens septem ecclesias in septiformi spiritu consecratas. Una forma est, inquit, cum in forma quam primus homo amiserat, revocatur. Secunda, cum immaculatus qui erat, peccator efficitur. Tertia, cum B ex terra corpus mortuum suscitabitur. Quarta, cum anima de inferni claustris eruitur. Quinta, quod anima paradisi habitatione lætatur, quousque corpus suum incorruptibile recipiat. Sexta quod filios [8] Deo facit qui erant filii Adæ. Septima, quod facit hominem regni cælorum esse participem. Has esse sancti Spiritus formas in septem ecclesiis, in septem oculis & in septem candelabris aureis conlocatas.

XVI.

Sextadecima hæresis Heracleonitarum ab Heracleone adinventa est; quæ baptizatum hominem, sive justum, sive peccatorem, loco sancti computari docebat: nihilque obesse baptizatis peccata memorabat, dicens, sicut non in se recipit natura C ignis gelu, ita baptizatus non in se recipit peccatum. Sicut enim ignis resolvit aspectu suo nives, quantæcumque juxta sint: sic semel baptizatus non recipit peccatorum reatum, etiam quantavis fuerint operibus ejus peccata permixta. Hic in partibus Siciliæ inchoavit docere. Contra hunc susceperunt episcopi Siculorum, [9] Eustachius Lilybæorum & Panormeorum Theodorus. Quique omnium qui ** per Siciliam erant episcoporum synodum exorantes, gestis eum audire decreverunt: & universas adsertiones ejus dirigentes ad sanctum Alexandrum urbis episcopum, rogaverunt ut ad eum confutandum aliquid ordinaret. Tunc sanctus Alexander, ad singula quæque capita hydri singulos gladios Dei Verbi, de vagina divinæ D legis ejiciens, librum contra Heracleonem ordinans, ferventissimum ingenio Sabinianum presbyterum destinavit. qui & scriptis [10] episcopi, & adsertione sua, ita eum confutaret, ut nocte media navis præsidio fugeret & ultra ubinam devenisset penitus nullus sciret.

XVII.

Septimadecima hæresis Ophitarum. Hi a colubro nominati sunt. Coluber enim Græce ophis dicitur. Habent ergo colubrum adsuetum eorum panes lingua lambere; atque ita ex se velut Eucharistiam sanctificare. Quem colubrum suum Christum appellant. Contra hos susceperunt Bithyniæ provinciæ sacerdotes, id est civitatis Calchedoniæ E & Nicomediæ episcopi Theocritus & Evander, & confutantes eos publice superarunt: atque superventum facientes eis per collegia eorum, in Bithyniæ, ut dixi, partibus per possessiones clanculo

a Luc. I. 35.

* 1. Hoc caput in Ms. Augiensi decimum est, ac sic legitur: *Decima hæresis est Nazarenorum: cum filium Dei confiteantur, omnia tamen veteris legis observant; quæ Christiani per apostolicam traditionem non observant carnaliter, sed spiritualiter intelligere didicerunt.*
2. Hoc caput in Ms. Aug. nonum est.
3. Ms. Aug. *verum*.
4. Ms. Aug. *Evandrianorum*.
5. Ms. Aug. *Ptolemaitæ*.
6. Ms. Aug. *Colobrasiana*.
7. Ms. Aug. *Colobrasio*.
8. Ms. Aug. *Dei*.
9. Ms. Aug. *Eustasius*.
10. Ms. Aug. *episcoporum*.

* *Galatia*] Forte *Galatiæ*.
** Synodi hujus Siculæ meminit in sua nova collectione conciliorum Baluzius ad ann. cxxv, (tom. I. Concil. pag. 555. edit. Ven-Labb.) auctoritatem scriptoris nostri secutus. Qua de re Pearsonii censura excutienda in ejus opp. posth. pag. 231.

ubi hæc ipſa perpetrabant, & ſacerdotes eorum eliminarunt, & ſerpentes eorum occiderunt, ac rationem reddentes omni populo, maximam partem plebis ab hoc periculo liberarunt.

XVIII.

Octavadecima hæreſis, [1] Cainiani. Propterea ſic appellati ſunt, quoniam Cain honorant, dicentes eum fortiſſimæ eſſe virtutis. Simul & Judam traditorem divinum aliquid putant eſſe, & ſcelus ejus beneficium deputant, adſerentes eum præſciſſe quantum eſſet generi humano Chriſti paſſio profutura, & occidendum Judæis propterea tradidiſſe. Hos ortos eſſe [2] Meſopotamiani eccleſiarum Syriæ ſacerdotes ad ceteros ſuos coepiſcopos conſcripſerunt. Quos triginta & duo epiſcopi apud Antiochiam reſidentes, cum ejuſdem urbis epiſcopo Theodoro, in præſenti confutatos damnarunt; dicentes eis illud quod ſanctus Spiritus locutus eſt per prophetam: [a] *Væ his qui dicunt de bono malum, & de malo bonum: qui ponunt tenebras lucem, & pro luce tenebras*. Conſtat ergo vos a vobis ipſis eſſe damnatos, qui eos vultis magnos & juſtos adſcribi, quos pro facti ſui qualitate Deus perpetuæ gehennæ incendio deſtinavit.

XIX.

Nonadecima hæreſis Sethianorum. Hi nomen acceperunt a filio Adæ qui vocatus eſt Seth: de ſuperna matre eum natum eſſe jactantes, quam conveniſſe dicunt cum ſuperno patre, unde divinum ſemen aliud naſceretur, ex quo ſemine ſibi Deus juſtos eligeret, & ſuos filios appellaret. Hi orti ſunt in partibus Achaiæ. Contra quos ſuſcepit ſanctus Perigenes Argus civitatis antiſtes, oſtendens eis, de uno ſancto vero & juſto Iſaac duos natos geminos, uno pariter utero editos: unum ad ſuperiora divinæ gratiæ penetraſſe, alium ad inferiora inferi deveniſſe. Unum itaque e duobus, inquit, aut naturæ malæ ſunt filii, & ambo [3] pro id quod ſunt nati, [4] damnandi ſunt: aut naturæ bonæ ſunt, & pro facti ſui qualitate, juſte alium benedictio coronavit, alium maledictio condemnavit. Hæc & his ſimilia adſerente ſancto Perigene, aliquanti credentes converſi ſunt ab errore hoc peſſimo: non credentes autem, nec convertentes, gladio ſunt anathematis amputati.

XX.

Hæreſis viceſima apud Cretam Archonticorum a principibus nomen accepit. Principes enim ſe colere jactant, quos dicunt condidiſſe hunc mundum. Hos ſanctus Dioſcorus Cretenſis epiſcopus condemnavit; docens unum & verum Deum in partes ſubſtantiales penitus dividi omnino non poſſe: hunc eſſe Deum, qui ſe & prophetis oſtendit, & in ſe credentes ab omnibus periculis liberavit, ſicut Noe ſicut Abraham, Iſaac, Jacob, filioſque Iſrael, Jonam, Suſannam, tres pueros: & innumerabilia erga credentes in ſe quæ oſtendit Deus ſigna virtutum, quibus ſe ſolum Deum oſtenderet. Adquieſcentes veritati recepit, diſſentientes vero æterna abominatione punivit.

XXI.

Prima & viceſima hæreſis a Marcione orta eſt. Duo principia fuiſſe confirmat, boni & mali. Quem Epiphanius tria dicebat principia docuiſſe, boni, juſti & pravi: ſed Euſebius [5] Syrinum quemdam, non Marcionem, trium principiorum atque naturarum ſcribit auctorem. [6] Marcionitæ, cum univerſalem orientis eccleſiam macularent, ab Origene ſuperati, confutati, & per ſingulas ſunt civitates damnati. Item poſt aliquantos annos, jam devicti atque detecti, in Africanis partibus pullulabant: quos Tertullianus modis omnibus ita obtinuit, ut ipſos faceret contra ſectam ſuam publice prædicare.

XXII.

Viceſima ſecunda hæreſis Apellitarum eſt, quorum eſt princeps Apelles, qui duos quidem introducit deos, ſed unum fatetur principium, hoc eſt, ab ipſo uno principio alterum factum eſt. Quod cum malignum eſſet inventum, a bono abjectum eſt: abjectum vero a bono principio hoc principium, quod malignabatur contra boni principii voluntatem, in ſua malignitate mundum fecit. Inde eſt quod ad malum nos promtiores quam ad bonum natura conſequitur, & plus in vitiis, inquit, quam in virtutibus delectatur. Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum adſerunt carnem ex elementis ſuſcepiſſe, quam aeri reddidit dum aſcenderet, & ſine ea intravit in cælum. Hos Origenes ita perfecte ſuperavit, ut eorum cauſſa periodevutes fieret, & per ſingulas quaſque urbes per orientem eundo prædicaret. Et quia innumerabilia ſunt tractatorum ejus volumina, hæretici ſuperati libros ad ſuos libitus callidiſſima argumentatione mutarunt, ut quos vellent decipere, dicerent ita Origenem ſuis expoſitionibus definiſſe. Unde quicumque uſque hodie Origenem legit, ſi prudenti eum novit recitatione diſtinguere, deprehendit loca ab hæreticis maculata: quod ita eſſe * ſanctus Pamphilus martyr in ſuo apologetico declaravit.

XXIII.

Viceſima tertia hæreſis Cerdonianorum a Cerdone cepit exordium, qui duo principia ſibi adverſantia dogmatizavit, Deumque legis ac prophetarum non eſſe patrem Chriſti, nec bonum eſſe Deum, ſed juſtum, patrem vero Chriſti bonum: Chriſtumque ipſum nec natum ex femina, neque habuiſſe carnem, nec vere mortuum vel quidquam paſſum, ſed ſimulaſſe paſſionem. Contra hunc ſuſcepit ſanctus Apollonius epiſcopus Corinthiorum, eumque omni cum ſynodo [7] orientali damnavit: reddens rationem, hunc eſſe Deum patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, de quo Moyſes in capite libri ſui dicit: [b] *In principio fecit Deus cælum ac terram*. Omnes veteris Teſtamenti irreprehenſibiles ſecundum Apoſtolum adprobavit, dicens: [c] *Quis accuſabit adverſus electos Dei? Deus qui juſtificat; quis eſt qui condemnet?* Hæc autem & his ſimilia, hac de cauſſa condemnatis hæreticis, rationabili ſermone videbantur ſatisfacere ſacerdotes, ſive ut a præcipitio revocarent, ſive ut ſe oſtenderent ſectas damnare, non homines: homines autem ſe ipſos damnare, qui damnatas ſectas amplectentes a veritate diſcedunt.

a Iſa. V. 20. b Gen. I. 1. c Rom. VIII. 33.

1. Ms. Aug. *Caiani*, ut & Theodoretus.
2. Ms. Aug. *Meſopotamiæ eccleſiarum*.
3. Ms. Aug. *ambo ſic quod ſunt*.
4. Ms. Aug. *damnati*.
5. Ms. Aug. *Synerum*, ut & apud Euſebium. — Vide ſis Cotelerium ad *Conſtit. Apoſt.* lib. VI. cap. VIII. not. 12. & Huetium in notis ad exegetica Origenis tom. II. pag. 7.
6. Ms. Aug. *Marcioniſtæ*.
7. Ms. Aug. *eumque omnis eccleſia cum ſynodo*.

* Apologeticus Origenianus ſancto Pamphilo martyri aſſeritur ab auctore tum heic, tum infra cap. XLIII. Qua de re alibi verba fecimus, nimirum in Prolegom. ad tom. IV. Bibl. PP. cap. I. §. IV. pag. IV.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 461.

XXIV.

Vicesima & quarta est hæresis Severianorum, qui sunt a [1] Severo exorti. Vinum non bibunt, eo quod fabulosa vanitate de semine satanæ terram germinasse adserunt vitem. Carnis quoque resurrectionem cum veteri respuunt Testamento. Hos damnavit S. Euphranon episcopus Rhodius: apud Rhodum enim horum superstitio orta est. Quos convicit scripturarum ratione sanctarum, in quibus legitur [a] Deus educere de terra panem ad confirmandum cor hominis, & vinum ad lætificandum. Vini autem non usus necessarius, sed nimietas inimica saluti culpanda est. Carnis vero resurrectionem ab illo promissam esse, qui in præsenti mortuos suscitabat: qui si mentitus fuisset, mortuos utique suscitare non potuisset. Sanctos esse apices Testamenti veteris, sicut fundamenta domus, præclare docuit dicens, Fundamenta domus circa squalida loca sunt posita, ut ea quæ sunt superius nullam contumeliam stercorum patiantur. Superiora ergo domus laquearibus auratis, parietibus pictis, & vario marmorum metallo sunt edita. Inferiora vero, humori terreno vicina, digesta etiam superiorum universa suscipiunt. Quid ergo nunc faciemus? si auferimus inferiora, superiora corruunt. Tamen si destruenda erant inferiora, non hoc alius poterat nisi Dei filius facere. Videamus ergo utrumnam ipse destruxerit hoc quod nos dicimus permanere: [b] *Putatis*, inquit, *quia veni legem destruere, aut prophetas? Non veni legem solvere, sed adimplere*. Hæc & his similia dicens sanctus Euphranon episcopus, multos convertit: in errore vero perseverantes perpetua sanctione a communione privavit.

XXV.

Vicesima & quinta hæresis est Tatianorum, a Tatiano quodam instituta, qui & Encratitæ appellati sunt. Hi nuptias damnant, atque omnino pares eas fornicationibus aliisque corruptionibus faciunt, nec recipiunt in suo numero conjugio utentem, marem vel feminam. Non vescuntur carnibus, easque omnino abominantur. Contra hos suscepit sanctus Epiphanius Ancyræ Galatiæ episcopus, objiciens eis Paulli Apostoli epistolam ad Timotheum primam [c], eo quod habeant cauteriatam conscientiam, prohibentes nubere, & abstinere docentes a cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione, fidelibus & his qui cognoverunt veritatem: quia omnis creatura Dei bona est, & nihil abjiciendum quod cum gratiarum actione percipitur: Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Abstinentes autem nostros catholicos idcirco laudamus, quia [2] quando non accipiunt cibos, quasi qui dicant malum esse accipere; sed bonum dicunt & optimum, quod se afferunt esse ad percipiendum indignos. Sic fit ut & illud statutum Apostoli conservetur, quod ait: [d] *Non manducans manducantem non judicet, & manducans non manducantem non spernat*. Non enim creaturam accusat, sed se esse talem pronuntiat, [3] quo se dicat hujus epulis refici non mereri.

XXVI.

Vicesima & sexta hæresis Cataphryges orti sunt: qui hoc nomen a provincia, non a dogmate adsumserunt: quorum auctores fuerunt Montanus, Prisca & Maximilla. Hi itaque adventum Spiritus sancti a Domino promissum in se potius, quam in Apostolis, fuisse adserunt redditum. Secundas nuptias pro fornicationibus habent: & ideo dicunt eas permisisse Apostolum Paullum, quia ex parte sciebat, & ex parte prophetabat. Nondum enim venerat quod perfectum est. Hoc autem perfectum in Montanum & in ejus prophetissas quas supra diximus, venisse delirant. Hactenus dixerim de Cataphrygis. Cetera quæ dicuntur quasi incerta prætereo. De infantis sanguine eos accipere: quod ideo dicimus, ne videamur ignorare omnia quæ de eis dicuntur: hi enim qui contra eos scripserunt, nihil hinc penitus memorarunt. * Scripsit contra eos librum sanctus Soter papa urbis, & Apollonius Ephesiorum antistes. Contra quos scripsit Tertullianus presbyter Carthaginiensis. Qui cum omnia bene & prime & incomparabiliter scripserit, in hoc solum se reprehensibilem fecit, quod Montanum defendit, agens contra Soterem supra dictum urbis papam, afferens falsa esse de sanguine infantis, Trinitatem in unitate deitatis, pœnitentiam lapsis, mysteriis eisdem unum pascha nobiscum. Hoc solum discrepamus, inquit, quod secundas nuptias non recipimus, & propheriam Montani de futuro judicio non recusamus. Objiciunt quidam Tertulliano, quod animam ex traduce, id est animam dixerit ita gigni ex anima, sicut ex corporibus corpus; quod catholica fides vehementer exsecratur.

XXVII.

Vicesima septima hæresis Pepuzianorum, qui a loco quodam nominati sunt. Quam desertam civitatem dicit Epiphanius: hanc autem isti divinum aliquid esse arbitrantes, Hierusalem vocant. Tantum dantes mulieribus principatum, ut sacerdotio quoque apud eos honorentur. Dicunt enim duas ecclesias, Quintillæ & Priscillæ, in eadem civitate Pepuza. Unum sunt cum Cataphrygis. Contemtui autem eos habent, quod se isti Pepuziani ceteris æstiment meliores. Dicunt enim hanc Pepuzam villam fuisse Montani, Priscæ & Maximillæ; & quia ibi cœperunt prædicare, & ibi vixerunt, ideo locum appellarunt Hierusalem. Et quia habitatores loci sunt, ideo ceteris se esse meliores adscribunt. Hos Apollonius superavit Ephesiorum episcopus.

XXVIII.

Vicesima octava hæresis Artotyritas suos vocat, quibus hoc nomen oblatio dedit. Offerunt enim panem & caseum, dicentes a primis hominibus oblationes Deo de fructibus terræ & ovium fuisse celebratas. Hos Pepuzianis jungit Epiphanius; contra quos nullus dignatus est nec loqui.

XXIX.

Vicesima nona hæresis Tessarescædecatitæ dicuntur: eo quod quarta decima luna pascha celebrant, quilibet septimanæ occurrerit dies: & si dies dominicus incurrerit, ipso die jejunant & vigilant. Hoc tantum a nobis discrepant, nihil aliud. Hos sanctus Joannes Constantinopolites episcopus tali ratione in multis civitatibus obtinuit. Abiit cum clero suo, & cum eis pascha celebravit, dicens: Sicut nos vobiscum celebravimus pascha, venite & vos nobiscum suscipite: a quibus cum hoc impetravit, cœperunt unum sapere & nobiscum ce-

a Psalm. CIII. 15. 16. *b* Matth. V. 17. *c* I. Tim. IV. 2-5. *d* Rom. XIV. 3.

1. Aug. *Severiano*. 2. Aug. non habet *quando*. 3. Ms. Aug. *qui se dicat*.

* Auctoris nostri testimonium de Sotere adversus Cataphrygas scribente probatur Dodwello in Differt. sing. de success. Rom. pontif. cap. XIV. §. 2. Neque omittendus cl. Abbas de Longuerue in Differt. de hæresi Montani §. VIII. pag. 259.

A lebrare diem. Probaverunt enim totam fidei regulam sic nos sicut se tenere, sic illos sicut nos credere.

X X X.

Tricesima hæresis Alogiorum. Propterea sic vocantur, quia Verbum Dei esse filium accipere nolunt: in tantum ut evangelium sancti Joannis dicant ipsius non esse: nec Apocalypsim accipiunt ejusdem Joannis. Quid multa? * Omnia nobiscum sapiunt, Verbum Dei filium Dei penitus quasi blasphemiam exsecrantur. Hos Philo episcopus sæpe superavit.

X X X I.

Tricesima prima hæresis Adamianorum, qui ex Adam nomen acceperunt, cujus imitantur in paradiso nuditatem, qualis fuit ante peccatum. Unde & nuptias aversantur, quia nec prius quam dimissus esset de paradiso, cognovit uxorem. Credunt ergo quod nuptiæ futuræ non fuissent, si nemo peccasset. Nudi itaque mares feminæque conveniunt, nudi lectiones audiunt, nudi orant, nudi celebrant sacramenta. Et ex hoc paradisum suam arbitrantur ecclesiam. Hos sanctus presbyter Polycarpus detexit, obtinuit, eliminavit.

X X X I I.

Tricesima & secunda hæresis Helceseorum. Hos quidam Helchi nomine pseudopropheta decepit: ex cujus genere duas mulieres tamquam deas ab eis perhibetur adoratas. Cetera Hebioneis similia tenere ab Epiphanio adseruntur. Hos Papias presbyter Achajæ obtinuit.

X X X I I I.

Tricesimum & tertium locum hæresis tenent Theodotiani, a quodam [1] Theodoto instituti, hominem tantummodo Christum Dei filium adserentes: quod dicitur idem [2] Theodotus propterea docuisse, quia in persecutione lapsus isto modo se casus sui devitare putabat opprobrium, si non Deum negasse, sed hominem videretur. Hos obtinuit Craton episcopus Syrorum.

X X X I V.

Tricesimam quartam hæresem Melchisedechiani invenerunt. Melchisedech, sacerdotem Dei excelsi, non hominem fuisse, sed virtutem Dei esse arbitrantur, illum locum sequentes Apostoli ad Hebræos, quo ait, [a] *sine patre, sine matre, sine genealogia.* His occurrit Dionysius Hierosolymorum episcopus, dicens hunc & patrem habuisse, & matrem; & hoc ideo dixisse Apostolum, quia & genealogia ipsius, & materna, paternave prosapia, non habetur in eo ordine in quo lex Hebræorum adscripta est, cum Deo utique placuerit generatio Hebræorum.

X X X V.

Tricesima quinta hæresis sunt Bardesanitæ, a quodam Bardesane perversi. Qui [3] Bardesan dicitur perfectus fuisse catholicus, sed postea in id per Valentini discipulum incurrisse, ut malam diceret carnis humanæ creaturam, animæ bonam. Hunc in Cappadocia damnavit Theocritus episcopus, docens Deum bonum utraque fecisse, utraque copulasse, & carnis humanæ non naturam, sed prævaricationem esse culpandam.

X X X V I.

Hæresis tricesima & sexta [4] Noetianorum est, qui dicunt [5] Christum eumdem ipsum esse patrem & Spiritum sanctum: non per substantiam, sicut nos, sed per personam, ut putative dicatur Spiritus sanctus, non veraciter. Hic damnatus est a Tranquillo episcopo Chalcedoniorum Syriæ. Ostendit enim Patrem verum, Filium verum, Spiritum sanctum verum: unum quidem Deum per unam substantiam, sed tres per distinctionem personas credi debere confirmans.

X X X V I I.

In tricesimam & septimam hæresim Valesii incurrunt: qui infelices & se ipsos castrant, & hospites
B suos. Hoc modo dicunt illud impleri, [b] *Qui se castraverunt propter regnum cælorum.* Alia quoque hæretica docere dicuntur & turpia; sed quæ illa sint, nec ipse Epiphanius commemorat, nec uspiam potui reperire. Hi a synodo sunt damnati Achaiæ.

X X X V I I I.

Tricesima octava hæresis est Catharorum, qui se ipsos isto nomine quasi propter munditiam superbissime appellarunt. Secundas nuptias non admittunt, Pœnitentiam denegant, Novatum sectantes hæreticum: unde etiam Novatiani appellantur. Contra hunc beatus Xystus martyr & episcopus, & venerabilis Cyprianus martyr Christi, tunc Cartha-
C giniensis pontifex, scripsit contra Novatum librum de lapsis, quod possint per pœnitentiam recuperare gratiam, quam labendo perdiderant: quod Novatus adserebat fieri omnino non posse.

X X X I X.

Tricesima & nona hæresis Angelicorum est. His Angelicos se vocari voluerunt. Dicunt enim Angelos debere adorari & excoli animo, & ipsis preces effundi, ut ipsi quem sciunt posse plus a se, ipsi faciant votis hominum & petitionibus subvenire. Hos Epiphanius jam omnino defecisse testatur victos a Theophilo Apameo episcopo.

X L.

Quadragesimo loco apparuerunt Apostolici; qui
D se hoc nomine adroganter appellari voluerunt, eo quod in suam communionem non recipiunt utentes conjugibus, & res proprias possidentes, quales habet catholica, & monachos & clericos plurimos. Ideo ergo isti hæretici sunt, quia se ab ecclesia separantes, nullam spem eos putant habere qui utuntur his rebus, quibus ipsi carent. His in eo testimonio occurrit ecclesia, in quo dicit Apostolus [c], Etiamsi corpus meum non solum abstinentiis macerem, sed etiam tradam eum igni ut ardeat, caritatem autem non habeam, nihil prodest.

X L I.

In quadragesimam & primam hæresim Sabelliani a Sabellio incurrerunt, ipsum sibi Patrem, ipsum
E sibi Filium, ipsum sibi sanctum Spiritum confitentes. Hi sunt qui & Praxeani dicuntur, qui habuerunt inter initia Praxeam quemdam doctorem. Dicuntur & Hermogeniani, quia Hermogenem habuerunt in Sabellii contubernio. His occurrit Dositheus episcopus Seleuciæ, docens eum totam Trinitatem negare, dum se æstimat unitatem defendere. Pater enim ingenitus, Filius genitus,

a Heb. VII. 3. b Matth. XIX. 12. c I. Cor. XIII. 3.

1. Ms. Aug. *Theodotione.*
2. Ms. Aug. *Theodotion.*
3. Ms. Aug. *Bardesanes.*
4. Ms. Aug. *Anoetorum.*
5. Ms. Aug *eumdem esse Christum & Spiritum sanctum, non per substantiam.*

* *Omnia nobiscum sapiunt, Verbum* cet.] Mihi dubium non est, heic *nisi quod* excidisse. *Omnia nobiscum sapiunt,* NISI QUOD *Verbum* cet. Sic optime cohærescet oratio. WESSELING. *Probabil.* cap. XXX. pag. 266.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 461.

Spiritus sanctus procedens ex Patre, coæqualis per omnia Patri & Filio. Deitas enim sic recipit unitatem substantiæ, ut distinctionem personæ non perdat.

XLII.

Quadragesimam & secundam hæresim Origeniani inchoaverunt, * a quodam Origene, non illo qui fere omnibus notus est, sed alio Syro quodam sceleratissimo: de quo dicit Epiphanius, quod tam turpia docuerit, ut nec debeant per scripturam ad nostros posteros destinari.

XLIII.

Quadragesimam & tertiam hæresim alii Origeniani continuo subsecuti sunt, ut dicit Ephipanius, qui & mortuorum resurrectionem negant: Christi autem creaturam esse sanctum Spiritum dicunt: paradisum autem & cælos, allegorice dicta firmantes. Hi duo Origenes [1] prava quæque scripserunt. Hæretici & perversi doctores nostro Origeni catholico tractatori miscuerunt, ut adimpleretur quod dicitur a Domino in evangeliis: [a] *Nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo* [2] *hæc zizania? Qui respondens ait: inimicus homo hæc fecit*. Ideo enim Origenem legentes invenimus catholicum, & contra hæreses dimicantem & vincentem: idemtidem legentes Origenem invenimus hæreticum & adversa fidei adstruentem. Litteræ verba tradunt & sensus: si possent & facies loquentium demonstrare, errorem nullus poterat de persona doctoris incurrere. Nam & illud cavendum est, quod Ampullianus quidam hæresiarches Bithynius, qui docebat post Origenem ecclesiam Dei. Hic incurrit talem hæresem, ut diceret omnes criminosos cum diabolo & dæmoniis eousque in gehenna decoqui, usquequo puri redditi possint inde mundi & immaculati egredi; ad hoc quod antea fuerant alieni a culpa, suo iterum creatori restitui. Hic dum argueretur ab universali ecclesia, cœpit proferre libros Origenis quos ipse vitiaverat, & dicere, Ecce quia Origenes ita sensit: & præcipue in quatuor periarchon libris. Sed qui sani sensus est, & habet [3] splendidos oculos, sic videt addita in Origenis opusculis mala ista atque cognoscit, sicut si in stragulo coccineo pannos albos aut cujusque alterius coloris cernat adsutos. Quod ita esse sanctus martyr Pamphilus docet, qui ante quam ad martyrii coronam adtingeret, irreprehensibiliter ** cathedram episcopatus obtinuit, & sanam doctrinam Dei populis ministravit. Hic edidit apologeticum, & omnia quæ de Origene [4] catholici ignorantes mentiuntur, exclusit: ostendens ea quæ reprehensibilia inveniuntur in ejus opusculis, Origenis non esse, sed eorum quos ipse superaverat: alia vero quæ tota perversa sunt, aliorum duorum hæreticorum esse, qui Origenis nomen, non fidem nec conscientiam habuerunt.

XLIV.

Quadragesima & quarta hæresis, a Paullo Samosateo inventa, Paullianum sibi populum fecit. Chri-
A stum non semper fuisse, sed a Maria cœpisse, nec amplius eum aliud quam hominem dicunt. Hæc hæresis antea fuit Artemonis: quæ cum defecisset, ab isto Paullo Samosateo restaurata est. Item contra hunc suscipiens ecclesia, licet post multos annos, dum defecisset cum adsertoribus prava defensio, a Photino nostro episcopo renovata iterum, Photinianum populum pullulavit. Sive ergo Artemonianos audias, sive Paullianos, sive Photinianos, unum scias: sicut Donatistas, & † Monteses, & Parmenianos vocamus, Donatistas a Donato, Monteses a montis latebra, Parmenianos a Parmeniano; qui per totam Africam libros contra nos conficiens, & novos psalmos faciens circumibat, contra quem noster
B scripsit Optatus. Sed redeamus ad [5] Paullianos. Omnibus notum est, nos hæreticos venientes non rebaptizare, sed manum reconciliationis accedere, & ita divino populo tradere sociandos. De Paullianis autem sancta synodus Nicæna hoc constituit, ut prorsus baptizentur, & ita demum catholico populo socientur. Unde ego credo regulam eos baptismatis integram non tenere: & ideo hoc decretum a Christi pontificibus constitutum.

XLV.

Quadragesima & quinta hæresis Photinianorum est a Photino, quem sic dixi nostrum episcopum fuisse, sicut fuit noster Judas Scariotes Apostolus. Hic suum populum fecit. Hominem quidem purum
C fuisse Christum docebat, & a Maria cœpisse cum Paullo Samosateo sentiebat; sed Spiritum sanctum semper fuisse memorabat: hoc solum quadragesimæ quartæ hæresi dissimilis, quod populum a se perversum suo nomine nuncupavit.

XLVI.

Quadragesima & sexta hæresis a Mane inchoata Manichæorum contubernium fecit. Hic Manes, cum esset civis Persa, & in Perside docens se Apostolum Dei diceret, etiam ad Græciam devolutus est. Quem Græci discipuli ejus, devitantes nomen insaniæ, *** Manichæum vocari decreverunt, id est quasi manna fundentem. Iste duo principia inter se diversa & adversa, eademque æterna & coæter-
D na, hoc est semper fuisse, composuit: duasque naturas atque substantias, boni scilicet & mali, sequens alios antiquos hæreticos, opinatus est. Quorum inter se pugnam & commixtionem, & boni a malo purgationem, & boni quod purgari non potuit cum malo in æternum damnationem, secundum sua dogmata adseverantes, multa fabulantur, quæ cuncta intexere nimis longum est. Dicunt animas bonas, & ejusdem cujus est Deus, esse naturæ. Proinde mundum a natura boni, hoc est a natura Dei factum confitentur quidem, sed de commixtione boni & mali, quæ facta est quando inter se utraque natura pugnavit. Ipsam vero boni a malo purgationem ac liberationem, non solum per
E totum mundum, & de omnibus ejus elementis, virtutem Dei facere dicunt: verum etiam Electos suos per alimenta quæ sumunt. Et eis quippe alimen-

a Matth. XIII. 27.

1. Ms. Aug. *prava quæ scripta sunt. Hæretici*.
2. Ms. Aug. *habet hæc zizania?*
3. Ms. Aug. *mentis splendidos oculos*.
4. Ms. Aug. *catholico ignorantes*.
5. Ms. Aug. *Paullinianos*. Sed rectius utique, a Paullo scilicet Samosateno, *Paullianos*, ut & Augustinus lib. de hæresibus ad Quodvultdeum; ex quo libro hanc suarum hæreseon enarrationem prope ad verbum exscripsit auctor *Prædestinati*.

* Hunc scriptorem duos confingentem Origenes heic & paullo post, acriter perstringit Huetius lib. I. *Origenian.* cap. I. §. VII. pag. 5. qui & animadvertit, diserte negasse id Baronium, simulque caussas cur duplex fingeretur Origenes, acute pervestigasse ad ann. 256. §. XLVII. Post Huetium idem adnotarunt Cotelerius *Monum. eccl. Gr.* tom. I. pag. 778. & Fabricius *Bibl. Gr.* tom. V. pag. 213. not. a.

** Episcopum fuisse Pamphilum martyrem perperam tradit auctor.

*** Rescribe *Mannichæum* cum Fabricio Bibl. Gr. tom. I. pag. 171. not. **

† *Monteses*] Forte *Montenses*.

tis, sicut universo mundo, Dei substantiam perhibent esse commixtam: quam purgari putant in Electis suis eo genere vitæ quo vivunt Electi Manichæorum, velut sanctius & excellentius Auditoribus suis. Nam his duabus professionibus, hoc est Electorum & Auditorum, ecclesiam suam constare voluerunt. In ceteris autem hominibus, etiam in ipsis Auditoribus suis, hanc partem bonæ divinæque substantiæ, quæ [1] mixta & colligata in escis & potibus detinetur, maximeque in eis qui generant filios, arctius & inquinatius conligari putant: Quidquid vero undique purgatur luminis, per quasdam naves, quas esse lunam & solem volunt, regno Dei tamquam propriis sedibus reddi. Quas naves de substantia Dei pura perhibent fabricatas: lucemque istam corpoream, animantium mortalium oculis adjacentem, Dei dicunt esse naturam. Quinque enim elementa quæ genuerunt principes proprios, genti tribuunt tenebrarum: eaque elementa his nominibus nuncupant, fumum, tenebras, ignem, aquam, ventum. In fumo nata animalia bipedia, unde homines ducere originem censent: in tenebris repentia, in igni quadrupedia, in aquis natatilia, in vento volatilia. His quinque elementis malis debellandis alia quinque elementa de regno & substantia Dei missa esse dicunt; & in illa pugna fuisse permixta, fumo aerem, tenebris lucem, igni malo ignem bonum, aquæ malæ aquam bonam, vento malo ventum bonum. Naves autem illas, id est duo cæli luminaria, ita distinguunt, ut lunam dicant factam ex bona aqua, solem vero ex bono igni. Esse autem in eis navibus sanctas virtutes, quæ se in masculos transfigurant, ut iliciant feminas gentis adversæ: & per hanc inlecebram commota eorum concupiscentia, fugiat de illis lumen quod membris suis permixtum tenebant, & purgandum suscipiatur ab angelis lucis, purgatumque in illis navibus imponatur ad regna propria reportandum. Qua occasione coguntur Electi eorum velut Eucharistiam conspersam cum semine humano sumere, ut etiam inde, sicut de aliis cibis quos accipiunt, substantia illa divina purgetur. Sed hoc se dum facere negant, detecti sunt. Nam & apud ecclesiam Carthaginiensem ita sunt manifestati. Denique in conventu episcoporum coram omni populo confessa est puella, nondum annorum duodecim, istam nefariam turpitudinem; & multa prodidit, se ipsam adserens ob hoc [2] sceleftum sacramentum eorum vim esse perpessam. Cui cum primo non crederetur, uni puellæ & soli, plurimas nominavit hujus facinoris conscias: quas solatio Ursi tribuni qui tunc domui regiæ præfuit, de diversis domibus ubi latebra fovebantur, ejectas a clericis ad ecclesiam Restitutam adductas, id ipsum propter hoc ipsum passas, vix & compulsas constat esse confessas. Tunc totum illud turpissimum scelus, ubi ad excipiendum & commiscendum concumbentium semen farina substernitur, profertur in medium, & quod cum infinito rubore dicitur & auditur, recenti tempore nonnulli eorum ad ecclesiam adducti sunt, sicut gesta episcopalia ibidem confecta testantur. Tria ergo genera eorum sunt, Catharistæ, [3] Macharii & Manichæi. Omnes tamen has tres formas ab uno magistro, ipso scelerato Mane, constat esse conscriptas. Omnes denique Manichæum legunt, & omnes libri ejus sunt eis sine dubitatione communes. In quibus libris agitur, ut per concupiscentiam dissolvatur utriusque sexus princeps tenebrarum, & fugiat ab eis liberata divina substantia, quam in hominis semine teneri existimant inquinatam, unde etiam Catharistæ appellantur, quasi purgatores. Qui cum carnes non comedant, tam polluti sunt, ut cum omnibus suis etiam humanum semen adsumant, cum nec ova ipsa accipiant: ajunt enim, & ipsa dum franguntur exspirant. Sed nec alimonia lactis utuntur: non quia putent divinæ substantiæ nihil ibi esse permixtum: sed quia sibi error ipse non constat. Nam & vinum non bibunt, dicentes fel esse principis tenebrarum: & tamen uvas comedunt, cum de musto nec digitum intinctum adsumant. Animas Auditorum suorum in Electos revolvi arbitrantur: ceteras autem animas quæ eorum non sunt Auditorum, in pecora redire adserunt, & in omnia quæ radicibus fixa sunt atque aluntur in terra. Herbas enim & arbores, ita in eis vitam esse putant: ut sentire ea cum læduntur æstiment & dolere. Unde & agriculturam, quæ omnium artium est innocentior, tamquam plurimorum homicidiorum ream, dementes accusant, & præcipue cum agrum ab spinis viderint repurgari: suisque Auditoribus ideo arbitrantur ignosci, quia præbent inde alimenta Electis suis: ut divina illa substantia, in eorum ventre purgata, impetret eis veniam, quorum traditur oblatione purganda. Itaque ipsi Electi, nihil in agris operantes, nec poma carpentes, nec folia ulla vellentes, exspectant hæc afferri usibus suis ab Auditoribus suis, viventes tot & tantis secundum suam vanitatem homicidiis alienis. Monent etiam eosdem Auditores suos, ut si vescuntur carnibus, animalia non occidant, ne offendant principes tenebrarum in cælestibus conligatos, a quibus omnem carnem dicunt originem ducere. Et sic [4] utuntur conjugibus, ut conceptum generationemque devitent: ne divina substantia quæ in eos per alimenta ingreditur, vinculis carneis ligetur [5] in prole. Sic quippe in omnem carnem, id est per escas & potus, venire animas credunt. Unde & nuptias sine dubitatione condemnant, & quantum in ipsis est prohibent, quando generare prohibent, propter quod sunt copulanda conjugia. Adam & Evam ex principibus fumi adserunt natos: quorum pater ajunt nomine Saclas: quem sociorum suorum fetus omnium adserunt devorasse, & quidquid inde commixtum divinæ substantiæ ceperat, cum uxore concumbens in carne prolis, tamquam tenacissimo vinculo conligasse. Christum autem fuisse adfirmant quem dicit nostra scriptura serpentem: a quo inluminatos adserunt eorum adspectus, ut bonum malumque dinoscerent: eumque Christum novissimis temporibus advenisse, ad animas non ad corpora liberanda. Nec fuisse in carne vera, sed simulatam speciem carnis ludificandis humanis sensibus præbuisse: ubi non solum mortem, verum etiam resurrectionem similiter mentiretur. Deum qui legem per Moysen dedit, & in Hebræis prophetis locutus est, non esse Deum verum, sed unum ex principibus tenebrarum adfirmant. Ipsiusque testamenti novi scripturas tamquam falsatas ita legunt, ut quod volunt inde accipiant, quod nolunt rejiciant: eisque tamquam totum verum habentes nonnullas apocriphas anteponunt. Promissionem Domini nostri Jesu Christi de Paraclito, in suo hæresiarche Manichæo dicunt esse comple-

1. Ms. Aug. *maxime colligata*.
2. Ms. Aug. *scelesto sacramento*.
3. Ms. Aug. *Mattari*. Sic & Augustinus. Codices autem mss. *Mattari* & *Mattarii*.
4. Ms. Aug. *& sic utantur*
5. Ms. Aug. *in proiem*.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 461.

tam. Unde se ipse in suis litteris Jesu Christi Apostolum dicit, eo quod Jesus Christus se eum missurum esse promiserit: & ideo ejus Apostolus, quia in eo missus sit Spiritus sanctus. Propter quod etiam ipse Manichæus duodecim discipulos habuit, instar apostolici numeri: quem numerum Manichæi hodieque custodiunt. Nam & ex Electis suis habent duodecim quos appellant Magistros, & tertium decimum principem ipsorum. Episcopos autem LXXII. qui ordinantur a Magistris, & presbyteros qui ordinantur ab episcopis, numeri indefiniti. Habent etiam episcopi diaconos. Jam ceteri tantummodo Electi vocantur. Sed mittuntur etiam ipsi qui videntur idonei, ad hunc errorem, vel ubi est augmentandum, vel ubi non est seminandum. Baptismum in aqua nihil cuiquam perhibent salutis adferre: nec quemquam eorum quos decipiunt, baptizandos putant. Orationes faciunt ad solem per diem, quaqua versum circuit: ad lunam per noctem si apparet; si autem non apparet, ad aquiloniam partem, qua sol cum occiderit ad orientem revertitur. Stant orantes. Peccatorum autem originem non libero arbitrio voluntatis, sed substantiæ tribuunt gentis adversæ, quam dogmatizant esse hominibus mixtam. Omnem vero carnem non divinitatis, sed malæ mentis adserunt esse opificium, quæ contrario Deo coæterna est. Carnalem concupiscentiam qua caro concupiscit adversus spiritum, substantiam volunt esse contrariam, sic nobis adhærentem, ut quando liberamur atque purgamur, iterum reparetur, & in sua natura etiam ipsa immortaliter vivat. In uno homine duas dicunt animas esse & duas mentes, easque per naturam contrarias, bonas & malas: easque dicunt inter se habere conflictum. Finito autem isto sæculo, post conflagrationem mundi, istam substantiam mali in globo quodam dicunt tamquam in carcere esse victuram. Cui globo adfirmant accessurum & semper adhæsurum, & quasi coopertorium atque tectorium, ex animabus natura quidem bonis, sed tamen quæ non potuerint a naturæ malæ contagione mundari.

XLVII.

Quadragesimus septimus hæreticus Hieracha Hieracitas instituit. Hi resurrectionem carnis negant. [1] Monachos tantum & monachas, & eos qui conjugia non habent, in communionem recipiunt. Ad regnum cælorum non pertinere parvulos dicunt, quia non sunt eis merita ulla certaminis quo vitia superantur. Contra hunc suscepit sanctus Aphrodisius Hellespont episcopus, adserens resurrectionem carnis & novo & veteri Testamento esse firmatam. Infantes autem jam homines esse: & sicut si quis eos occidat, homicidæ suscipit crimen; sic qui eos baptismate consecraverit, mercedem sibi de hominis salute adquirit. Communionem nulli negandam, nisi his qui prætermissis conjugibus propriis alienas requirunt.

XLVIII.

Quadragesima octava hæresis est Meletianorum, a Meletio quodam. Nolentes orare cum his qui in persecutione ceciderant, schisma fecerunt. Quibus restitit sanctus Basilius episcopus Cappadociæ, dicens majorem spei & fidei caritatem quæ omnia tolerat, & manum lapsis magis porrigendam. Hortatur etiam desperantes recuperatione provocandos ut redeant: siquidem etiam [a] angelis in cælo A gaudium faciat unus pœnitens, quam nonaginta novem qui non peccaverunt.

XLIX.

Quadragesimus & nonus hæresiarches Arrius ortus est. Hic populos Arrianos instituit: qui Patrem & Filium & Spiritum sanctum nolunt esse unius ejusdemque substantiæ, sed esse Filium creaturam, Spiritum vero sanctum creaturam creaturæ, hoc est ab ipso Filio creatum volunt. In eo autem quod Christum sine anima carnem suscepisse arbitratur, Epiphanius prodidit. Et ideo Patrem majorem Filio sic dicit, quasi creatorem: & Filium majorem Spiritu sancto, quasi creatorem ejus. Nostros, id est catholicos, ad se venientes rebaptizant: utrum B hoc etiam aliis, id est non catholicis, faciant, nusquam legitur. Primus contra hos suscepit sanctus Hesiodus episcopus Corinthiorum, vir qui etiam mortuos suscitasse adseritur. Unde factum est, ut plus sanctitatem quam disputationem adtendentes homines Arrium exsecrarentur. Siquidem ejus orationibus adseritur ipse Arrius in secessum sedens universa simul interanea cum stercoribus profudisse. Jam contra sectam ejus tam orientales quam etiam occidentales episcopi scripserunt. Quibus eum per singula capita dogmatum suorum adserunt blasphemantem.

L.

Quinquagesimos [2] Audianos memorat Epipha- C nius, non quidem hæreticos, sed schismaticos: quos alii Anthropomorphitas vocant, quoniam Deum sibi fingunt cogitatione carnali, in similitudine imaginis corruptibilis hominis, dicentes: [b] *Oculi Domini super justos*: [c] *Cælos opera digitorum Dei*. Et: [d] *Deus sedet super sedem sanctam suam*. Et: [e] *Deus stetit in synagoga deorum*, & cetera: quæ possunt de visibili cogitari. Quia ergo in nullo alio errant, mitius [3] eos agens Epiphanius noluit hæreticos nominare, dans veniam rusticitati. Quod autem nobis non communicant, divitias habere nostros episcopos clamant, quas Christus etiam laicos contemnere jubet. Pascha cum Judæis celebrant. Egit contra hos Zenon Syrorum episcopus.

D

LI.

Quinquagesima prima hæresis Eunomianorum, ab Eunomio. Hi serpentis antiqui spiritu pleni, non solum minorem Filium, sed nec similis essentiæ esse Filium adseverant. Egit contra hos Ammonius presbyter.

LII.

Quinquagesima secunda hæresis Macedonianorum a Macedonio. Hos Pneumatomachos appellant per orientem nostri, eo quod de Spiritu sancto litigent. Nam de Patre & Filio recte sentiunt: Spiritum vero sanctum nolunt credere Deum, creaturam eum dicentes. Philaster scribit Macedonium E Spiritum sanctum deitatem Patris & Filii dicere: quo dicto videtur proprietatem suam sancto Spiritui denegare [4].

LIII.

Quinquagesima tertia hæresis Aerianorum, ab Aerio quodam: qui cum esset presbyter, doluisse fertur quod non esset episcopus ordinatus. Cœpit docere, non debere pro dormientibus offerri: nec statuta celebranda esse jejunia; sed cum quisque voluerit, jejunandum, ne videatur esse sub lege. Presbyterum ab episcopo nulla differentia debere

a Luc. XV. 10. *b* Psalm. XXXIII. 16. *c* Psalm. VIII. 4. *d* Psalm. XLVI. 9. *e* Psalm. LXXXI. 1.

1. Ms. Aug. *Monachos autem tantum*.
2. Ms. Aug. *Valdianos* August. *Vadianos*.
3. Ms. Aug. *In eos agens*.
4. Ms. Aug. addit. *Egit contra eos synodus Nicæna*.

discerni: & non admitti ad communionem suam, nisi a conjugio abstinentes.

L IV.

Quinquagesima & quarta hæresis Aetiana, ab Aetio vocata. Hi cum Eunomio dissimilem per omnia Patri Filium [1] confitentur; & dicunt: quicumque nostræ fidei consentiunt, sciant sibi [2] nullà obesse peccata, quæcumque ab eis fuerint perpetrata. Contra hos synodus xx. episcoporum egit in Achaia.

L V.

Quinquagesima & quinta hæresis Apollinaristarum est, ab Apollinare inchoata. Negant hominem perfectum in Christo, sed adsumtionem carnis ita factam, ut intus in homine pro anima divinitas esset. Carnem autem & Verbum unius ejusdemque voluit docere substantiæ. Contentiosissime adserentes: [a] *Verbum caro factum est*, volunt docere aliquid de Verbo in carnem conversum. Insuper etiam de Mariæ carne nihil esse susceptum in incarnatione Domini nostri Jesu Christi confirmant. Egit contra hunc synodus in Antiochia.

L VI.

In quinquagesima sexta hæresi [3] Antidicomaritæ appellati sunt hæretici, qui Mariæ virginitati usque adeo contradicunt, ut adfirment eam post Christum natum viro fuisse commixtam. Egit contra hos Theodotus Cyprius episcopus.

L VII.

Quinquagesimam & septimam hæresem Messalianorum invenimus: quod nomen ex lingua Syra est, Græce autem dicuntur Euchitæ, ab orando sic appellati. Non psallunt, jugiter orant. Sed quia hoc solum faciunt, non habentes caritatem nec alloquii nec humanitatis, inter hæreticos sunt a sancta synodo confutati. Condemnant etiam eos monachos, qui aliud, præter legendi orandique opera, aliquid fuerint operati, vel artis, vel agriculturæ. Usque ad istos Epiphanius pervenit, & siluit. Credo eum usque ad id temporis vixisse. Præterita enim & præsentia indicare humana curiositas potest: Deus autem solus potest futura prædicere. Verum quia Philaster in suis & ipse libris quibus diversorum retexit historias, etiam hæreses quæ ortæ fuerint ceteris quibusque temporibus, ex ejus nunc libris discerpendo solas hæreses in medium exhibemus. Egit contra hos Ephrem presbyter Syrorum.

L VIII.

Quinquagesimam & octavam hæresem Metangismonitæ inchoaverunt. Ἀγγεῖον Græco sermone vas dicitur. μεταγγισμός autem vas intra vas advertitur. Ex isto ergo articulo hoc sibi nomen adsumunt, dicentes, sic est Filius in Patre, quomodo vas minus intra vas majus. Quos ideo repudiat ecclesia: quia de incorporeo carnaliter sentiunt, & de incomprehensibili [4] liniatis agunt, & de æqualitate divinitatis gradus statuunt. Egit contra hos Diodorus episcopus Nicomediæ.

L IX.

In quinquagesima & nona hæresi Seleuciani sunt, orti a Seleuco: qui elementorum materiam de qua factus est mundus, non a Deo factam dicunt, sed Deo coæternam: nec animam Deo tribuunt creatori, sed creatores esse animarum Angelos volunt de igni & de spiritu. Malum autem adserunt esse aliquando à Deo, aliquando a materia. Negant Salvatorem in carne sedere ad dexteram Patris: sed ea se exuisse perhibent, eamque in sole posuisse, accipientes occasionem de psalmo, ubi legitur: [b] *In sole posuit tabernaculum suum*. Negant visibilem paradisum, baptismum in aquà non accipiunt, resurrectionem non credunt futuram, sed cotidie adserunt in generatione filiorum. Hos non admittit disciplina fidei nostræ nobiscum disceptationem adsumere: sed pro definitionibus suis eos præcepit anathemati mancipari.

L X.

Sexagesimam hæresim Proclinianistæ a Proclino fecerunt. Dicunt isti, Dei Filium sic paruisse in terris, sicut Raphaelem angelum, aut Gabrielem, non carne adsumta, sed visa. Sic se miscent populo Dei, ut non intelligantur. Denique quia nullum alium errorem patiuntur, communicant nobiscum: & hoc est quod pejus est, quia quoscumque simplices invenerint, ita eos faciunt sentire & credere. Hoc scelus valde inimicum salutis nostræ ita adstruunt, Ergo Deus illas sordes habuit sustinere, quas naturalis conceptio partus & parientis infligit? habuitque Dei Filius habere alvum degesta sua abluentem, humorem de naribus, salivam ex ore, sordem in aure, in ventre stercora, putorem in exalatione? & his similia, quæ insania mentis excogitat. His Tertullianus vehementer occurrit, ostendens Dei Filium impassibilem esse, & ista divinitati non injuriam sed laudem adferre. Sicut rex, qui volens anulum aureum cum gemma de cloaca levare, induit se servilem tunicam, & sic descendit ad cloacam, ut stercoreas injurias tunica illa suscipiat, & mittens manum, & anulum aureum cum gemma eripiens, aqua abluit, & digito suo regali induit, postea quam inde ascenderit. Ita procul dubio Dei Filius formam servi suscipiens, venit non solum ad inferos cælorum, ubi nos sumus qui videmur vivere in mundo, sed etiam ad inferos inferiores, qui tanto a nobis sunt profundius, quanto nos sumus cælo: & ut inde humanum genus eriperet, cunctarum sordium, non suarum, sed nostrarum, est squalorem perpessus. Pro viventibus sic vixit, sicut nos qui vivimus, nihil aliud distans, nisi hoc, quod immaculatam vitam exercuit, habens intra se Deum: pro mortuis sic mortuus, nihil distans nisi hoc, quod tertia die resurrexit a mortuis: & quod propterea sic descendit, ut sanctos inde erueret, & mortis principem religaret. Quod autem anulum aureum cum gemma posuit, hoc in sequenti lectione edocuit, quod anulum corpus posuerit, gemmam vero inclusam esse animam declaravit. Hunc ergo anulum de stercoribus antiquis & de cloaca hujus mundi, Christum elevans ac baptismatis unda perfundens, ab omni squalore abluens, in suis fecit sanctis manibus radiare. Siquidem ita legitur: [c] *Justorum autem animæ in manu Dei sunt*. Et iterum: [d] *Pone me sicut anulum in manu tua*. Et: [e] *In manus tuas commendo spiritum meum*: & infinita sunt his similia in sacris apicibus, quæ nos caussa brevitatis omittentes, ad sexagesimam & primam hæresem accedamus.

L XI.

Sexagesimam & primam hæresim Patriciani fecerunt, a Patricio sumentes exordium. Hi substantiam carnis humanæ non a Deo, sed a diabo-

a Joan. I. 14. b Psalm. XVIII. 6. c Sap. III. 1. d Cant. VIII. 6. e Psalm. XXX. 6.

1. Ms. Aug. *Confitentes dicunt*.
2. Ms. Aug. *Nulla posse obesse*.
3. Augustinus, *Antidicomarianitæ*.
4. Ms. Aug. *Liniatur*.

Sæcul. V circa Ann. Chr. 461.

lo conditam dicunt: eamque sic detestantur, ut hunc dicant esse perfectum, qui se potuerit constanter occidere. Ex his sunt aliquanti, qui etiam rogant eos quos invenerint ignotos, ut ab eis occidantur. Hæc insania in partibus Numidiæ superioris & Mauritaniæ cœpit olim. Hos miseri Donatistæ postea secuti, cœperunt se montis præcipitio quasi futuri martyres tradere: ut qui vitam æternam catholicæ fidei derelinquunt, viothanati æternam mortem inveniant. Contra hos Optatus legitur egisse.

LXII.

Sexagesima secunda hæresis Ascitarum est. Ascitæ ergo ab utre appellantur. Ἀσκὸς enim Græce uter dicitur. Isti cum in Trinitate nihil mali habeant, utrem tamen ingentem juxta altare ponunt, eumque vacuum inflant, & linteaminibus velant & adorant, quia confectum cruoris Domini ibi adjiciunt, illud dicentes evangelicum: [a] *Vinum novum in utres novos adjiciunt, & utraque conservantur.*

LXIII.

Sexagesima tertia hæresis est Passalorynchitæ. Omnes quando ad ecclesiam suam conveniunt, tanto silentio student, ut & naribus & labiis suis digitum adponant, ne vel ipsam taciturnitatem flatibus lædant. Cur autem per palum digitum significare maluerint, a quibus hoc nomen compositum est, nescio, cum Græce πάσσαλος palus dicatur, & digitus δάκτυλος, & ῥύγχος nasus. Melius autem mihi videtur, si Dactylorynchitæ vocitentur. Invenit sibi diabolus in lege Dei quos faceret Pythagoras, illud observantes Apostoli: [b] *Orabo spiritu, orabo & mente: psalmum dicam spiritu, psalmum dicam & mente.* Docent ergo homines foras ecclesiam, quid dicant in cordibus suis intra ecclesiam positi. Quasi non idem Apostolus dixerit: [c] *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Vanum dico ego eum laborem arripere, qui dignatur talibus respondendo tempus consumere, justumque judico, ut tacentes tacendo vincamus.

LXIV.

Sexagesima quarta hæresis Aquariorum, qui ex hoc appellati sunt Aquarii, quod aquam offerunt in poculo sacramenti. Dicunt enim vinum ebrietatis esse rem, per quam homicidia & fornicationes & cetera scelera perpetrantur: cum constet omnia excedentia modum crimen facere, & vitium procreare. Non ergo vini haustu, sed nimietate, crimina committuntur. Quid est enim, quod nimis sumtum non culpam incurrat? Bibatur nimis aqua, videamus si non lædat: comedatur nimis panis, videamus si non crapulam faciat. Optimum ergo in rebus omnibus modum tenentes, etiam hos anathematizamus, cur cruorem Christi a fonte separantes, præjudicio fornicatorum & homicidarum, regulam a Christo fundatam audacter [1] infringant.

LXV.

Sexagesima quinta hæresis [2] Coluthianorum a quodam Colutho emersit. Hi dicunt Deum creasse mala & bona: secundum litteram sentientes quod dicitur: [d] *Ego Deus creans mala & faciens bona.* Cum Deus hoc per prophetam promiserit, quod faceret eos sine gladio hostium vivere, & faceret terram dare germen suum abundantiamque omnium frugum, si ejus mandata servassent: si vero prævaricatores essent, gladium & famem paterentur. & his dictis adjunxerit, *Ego Deus creans mala & faciens bona.* Illi hoc ad substantiam a specie transferentes, malorum Deum adserunt creatorem. Cum creatura nulla sit mala, possunt, ut video, Deum blasphemare perversum, quia dicit ad populum: [e] *Si ambulaveritis recti, & ego vobiscum ambulabo rectus: si autem ambulaveritis perversi, & ego incedam vobiscum perversus.*

LXVI.

Sexagesima sexta hæresis Florianorum a Floriano: qui dicit malas animas, & bonas a Deo creari. Ideo, inquit, qui malitiosi sunt, mali sunt & non mutantur; & boni simpliciter viventes non in audaciam iniquorum hominum protrahuntur. Quod dictum a Theodoro breviter vincitur ita: Judas bonus fuit, & factus est traditor. Ipso tempore quo meretrix pessima lacrymis rigabat pedes ejus, misericordiam quærens, si animam malam habuit mulier, quare in meretricio crimine non eo tempore perduravit? Constat ergo animas bonas a Deo conditas: quibus per naturam hoc inesse creator indulsit, ut cum sint bonæ, non solum actu suo meliorentur, sed etiam in ipsa possint malignitate converti, dum illud diligentia invenit, hoc incurrit negligentia.

LXVII.

Sexagesima & septima hæresis est Satannianorum, a Satannio. Hi dicunt, post resurrectionem mortuorum, in eodem statu in quo nunc sumus, non esse mansuros: neque ita esse mutandos, ut sit cælum novum & terra nova, sicut sancta scriptura promittit [f]. Contra hos utriusque Testamenti scripta luctantur.

LXVIII.

Sexagesima & octava hæresis est Gymnopodarum. Hi nudis pedibus semper ambulant, eo quod dixerit Dominus ad Moysen: [g] *Solve calceamentum de pedibus tuis*: & quod sanctus Esaias legitur [h] *nudis pedibus ambulasse.* Ideo hi schisma faciunt, quoniam calceatos condemnant.

LXIX.

In sexagesimam & nonam hæresem Donatistæ a Donato exorti sunt: qui propter ordinatum contra suam voluntatem Cæcilianum, ecclesiæ Carthaginiensis episcopum, schisma fecerunt, objicientes ei crimina non probata, & maxime quod a traditoribus divinarum scripturarum fuerit ordinatus. At ubi hinc mentiri convicti sunt, schisma in hæresim converterunt. Quasi etiam si vera fuissent crimina in Cæciliano, statum suum de toto orbe terrarum ecclesia amittere potuisset propter unius hominis culpam, seu veram, seu quod magis apparuit judicibus, falsam: & in parte Africana solus Donatus potuerit statum ecclesiæ conservare, de toto autem orbe terrarum sit deletus sanctorum Apostolorum labor & passio martyrum. Immo ipse Salvatoris nostri cruor ad conservandum cœtum catholicæ fidei defecit, quem solus Donatus cum aliquantis asellionibus [3] Byzacenis obtinuit. Et ideo ausi sunt rebaptizare catholicos. In quo opere & præsumtores se & damnabiles comprobarunt, cum ecclesiæ universali sciant placuisse, nec in ipsis hæ-

a Matth. IX. 17. b I. Cor. XIV. 15. c Rom. X. 10. d Isa. XLV. 7. e Levit. XXVI. 23. f II. Pet. III. 13. g Exod. III. 5. h Isa. XX. 2.

1. Ms. Aug. *Infringunt.*
* 2. Sic & Augustinus. Codex autem Augiensis *Colutæorum*: & *Coluthano* pro *Colutho*.
* 3. Quod Byzaceni ararent asino. Testis Plinius lib. XVII. cap. V.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 461.

reticis baptismatis violare virtutem. Hujus hæresis principem legimus Donatum: qui de Numidia veniens Carthaginem, & contra Cæcilianum Christi dividens plebem, adjungens sibi ejusdem factionis episcopos, [1] Majorinum nomine in sua parte apud Carthaginem ordinavit episcopum. Cui Majorino Donatus alius in eadem divisione successit: qui eloquentia sua sic confirmavit hanc hæresim, ut multi existiment de ipso potius Donatistas initium hæreseos adsumsisse. Exstant hodie scripta ejus, ubi [2] probatur in Trinitate contra fidem catholicam suscepisse. Et quamvis unius substantiæ dicat in Trinitate Deum Patrem, tamen majorem Filio, Filium majorem Spiritu sancto confirmare tentavit. Sed in hunc errorem ideo nullus de populo ejus adtendit, quia alia erat intentio inter partes. Hi hæretici in partibus Italiæ Monteses appellantur, in interiore Africa Parmeniani, in Carthaginiensi Donatistæ. In utriusque Numidiæ partibus habent veluti monachos, quos Circumcelliones vocamus, agrestes & audacissimos dæmonum famulos: qui non solum in alios acriter sæviunt, verum etiam sibi ipsis miseri omnino non parcunt. Nam per mortes varias, maximeque præcipitiorum, & aquarum, & ignium, se se interficere consuerunt: & ad hunc exitum ex utroque sexu quantos potuerint seducunt. Aliquando etiam quos invenerint rogant, ut ab eis occidantur, mortem nisi fecerint comminantes. Quod verum est, multis Donatistarum displicent tales: sed hoc verbo, non opere. Nam si vere displicerent, utique talibus non communicarent, qui per totum orbem ecclesiis unius Cæciliani crimen impingunt. Nam & inter se frequenter habuere discidia. Denique apud Carthaginem, temporibus Heracliani comitis, cum Maximianus contra Primianum, ab ejusdem erroris centum ferme episcopis ordinatus, a reliquis trecentis decem episcopis qui ordinationi ejus crimina impingebant, fuisset damnatus, docuit populum qui eum sequebatur, etiam extra ecclesiam dari posse baptismum Christi. Denique, quicumque aut a Primiano ad Maximianum abiit, aut a Maximiano ad Primianum, non est iterum baptizatus ab eo qui contra voluntatem eorum ordinatus est: comprobantur ab eo quem utique damnaverunt: non abiciunt, non renuunt, non mutant baptismatis sacramentum: & seu a Primiano, sive a Maximiano quis aut baptizetur, aut clericus ordinetur, quasi ab uno factum sit, non a duobus contrariis; in ea dignitate qua ab uno venerit quis ad alterum, perseverat: non mutatur baptisma, nec dignitas tollitur; quia non de baptismatis altercatione, sed de ordinationis contentione facta divisio comprobatur. De Cæciliani enim ordinatione dissentire cœperunt, non de baptismatis aut fidei transgressione se se ab ecclesia absciderunt.

LXX.

Septuagesimam hæresim Priscillianorum apud Hispanos Priscillianus legitur inchoasse. Hi animas divinæ naturæ adfirmant. Quas ad agonem quemdam spontaneum in terris exercendum, per septem cælos & per quosdam gradatim dicunt descendere principatus, & in malignum principem incurrere a quo istum mundum factum volunt, atque ab hoc principe per diversa carnis corpora seminari. Adserunt etiam fatalibus stellis homines conligatos, ipsumque corpus nostrum secundum duodecim signa cæli esse compositum. Prorsus sicut ii qui Mathematici vulgo appellantur, constituunt in capite arietem, taurum in cervice, geminos in humeris, cancrum in pectore, & cetera nominatim signa percurrentes ad plantas, a signo Christi ad signa [3] astrologi migraverunt. Hæc & alia fabulosa & vana multa confingunt. Uxores a viris quas potuerint separant. Carnes sicut Manichæi fugiunt. Apocriphas simul cum canonicis scripturis accipiunt, & in sensus suos allegorizando convertunt. Trinitatem autem, sicut Sabelliani, ipsum sibi Patrem, ipsum sibi Filium, ipsum sibi sanctum Spiritum confitentur.

LXXI.

Septuagesimam & primam hæresim Adelosagi inchoarunt, dicentes non debere ita cibum sumere Christianum, ut ab alio videatur dum comedit. Et hæc sola caussa eos ab ecclesia separare dinoscitur. Trinitatem enim ejusdem substantiæ confitentur. Egerunt cum eis episcopi de Epheso.

LXXII.

Septuagesimam & secundam hæresim Rhetorianorum, a Rhetorio inchoatam Philastro scribente invenimus. Hi ad tantam vanitatem devoluti sunt, ut dicant omnes hæreticos recte apud Deum incedere, quia hoc in eorum mentibus datum est: sic colunt Deum sicut possunt. Error eorum nobis videtur reprehensibilis: apud Deum autem, nec error est, nec vituperatio. Hi hoc docentur a suis doctoribus, ut præter templa & synagogas, ubicumque invocatur Christus natus ex Virgine, introeant, & participes se faciant hæreticorum.

LXXIII.

Septuagesima & tertia hæresis est Theoponitarum. Hi dicunt in Christo, dum pateretur, divinitatem sic doluisse, sicut potest dolere anima dum corpus suppliciis agitur. De quibus ait Gregorius episcopus: Infelices & miseri non vident, in arboribus, quando ferro cæduntur, solem quidem esse in arboribus: numquid non dolet solis splendor, quem utique, ante quam ad lignum perveniat, priorem ictus ferri contingit? Deus ergo lux est, & quomodo cædi potest lux? Nam quod anima sit quæ doleat in corpore, hinc advertimus, quod recedente anima de corpore, nulla potest corpus sentire, nec adversa nec prospera. In corpore ergo Domini nostri Jesu Christi, anima humanitatis sensit quam cum corpore adsumsit, non ipse qui adsumsit, sicut nec sol qui in arbore quam memoramus inluxit: etiam si solis lux in arbore possit a verberante concidi, in Christo divinitas non possit a cruciante contingi: quia solis lux creatura est, hic autem creator agnoscitur & probatur. Nam quod anima humanitatis senserit passionem, ipse Dominus ait ad discipulos suos, dicens: [a] *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Et hinc dixisse sufficiat: accedamus ad reliquos.

LXXIV.

Septuagesimam & quartam hæresim Triscilidæ incurrerunt: qui triformem Deum ita adserunt, ut quædam pars ejus sit Pater, quædam Filius, quædam Spiritus sanctus, & hinc sit Trinitas in unitate. De quibus ait Gregorius: Infelices & miseri non vident quia totam ipsam Trinitatem blasphemant. Non est enim Deus, nisi qui in se ipso perfectus est. Perfectus ergo Pater perfectum ex se ge-

[a] Matth. xxvi. 38.

[1] 1. Apud Augustinum quoque *Majorinus* nominatur: in codice autem Augiensi *Majurinus*.

2. Ms. Aug. *probatus* ... *itatem* (id est fortasse, defensionem) *ejus contra*, cet.

3. Ms. Aug. *astrologiæ*.

nuit Filium, perfectus ex Patre procedit Spiritus ſanctus. Ecce tria perfecta non faciunt tres Deos ſed unum, quia una eſt deitas. Non enim ſicut tres perſonæ, ſic tres deitates: ſed ſunt tres, Pater & Filius & Spiritus ſanctus: ſed una deitas, una majeſtas, una virtus, una voluntas, & una ſubſtantia confitenda.

LXXV.

Septuageſimam & quintam hæreſem Hydrotheitæ fecerunt, aquam Deum dicentes, non habentem nec initium nec finem, ſordes luentem, peccata dimittentem, & habentem Spiritum ſanctum. Quos juſte damnat fides catholica quaſi cæcos, & non videntes aquam, quibus ſpurcitiis ſervit, & poteſt Deus ſervire? quibus etiam ſqualoribus: aut cujus momenti eſt aqua ſine conſecratione. Illam ſermo vivus vivificat, ſermo ſanctus ſanctificat, ut ſanctus Spiritus in ea dignetur habitare, aut ut poſſit credentibus peccata mundare. Et ſic, quomodo accipit vim hujus rei per benedictionem ut poſſit omnia mundare peccata, non poteſt mundare peccata ejus, qui fidem ſuam non ex integro prius Deo crediderit offerendam. Non ergo per ſolum abluentem, ſed magis per credentem, Spiritus ſanctus infunditur in homines, & peccatorum venia condonatur.

LXXVI.

Septuageſimam & ſextam hæreſim fecerunt * Homuncionitæ, qui dicunt in corpore hominis eſſe imaginem Dei, non in anima. Unde Gregorius: cum imago Dei in rebus magnis & primis quæ ſunt in homine debeat quæri, in memoria, in intellectu, in ſcientia, & in illis locis unde homo ad pietatem movetur; hæc ſtatuta in anima ſunt, non in corporeis liniamentis inſtructa, & tanto plus ſimilis Deo eſt, quanto plus hæc quæ memoravimus purius potuerit obtinere.

LXXVII.

Septuageſimam & ſeptimam hæreſim Ametritæ inſtituerunt, dicentes innumerabiles eſſe mundos. Hoc eos dicere novum putat, qui non legit philoſophos: hoc enim olim aliquanti philoſophorum dixere gentiles. Nos autem Moyſen a Deo miſſum ſuſcipimus: & de mundo quid ſentiamus & quid credamus, ab ipſo didicimus.

LXXVIII.

Septuageſimam & octavam hæreſim Pſychopneumones occuparunt, dicentes animas hominum bonas in ſpiritus Angelorum converti: animas vero hominum malas in ſpiritus dæmonum mutari.

LXXIX.

Septuageſimam & nonam hæreſem [1] Adecerditæ ** tenent, dicentes: Chriſto deſcendenti ad inferos omnis animarum multitudo occurrit, & credidit ei, & liberata eſt.

LXXX.

[2] Octogeſima hæreſis dicit, Filium Dei poſtea genitum, poſtea quam voluit Pater: ſi noluiſſet Pater, non genuiſſet: eſto, confiteamur æqualem Filium Patri: ut æqualis ſit, non eſt res naturæ, ſed gratiæ. Pater hoc voluit, ac per hoc totum Patris eſt, non Filii. Nos e contrario dicimus: ſicut fons ex eo genuit flumen ex quo eſt, ita Pater ex eo genuit Filium ex quo eſt: & ſicut fons non volendo & nolendo genuit fluvium, ſed gignendo: ita Pater non diſputando, aut volendo, aut nolendo, ſed ſicut natura fontis hoc exſtat, ut de plenitudine ſua emanet, ita Pater de plenitudine ſua effundens Filium genuit. Et ſicut fluvius circuit totum mundum, & mare ingreditur, & tamen de ſinu fontis non recedit: ita & Filius de ſinu Patris numquam diſceſſit, nec tunc quando ſe humiliavit factus obediens uſque ad mortem. Sic ergo inter nos per adſumtionem apparuit, ſed per majeſtatem ſuam de ſinu Patris numquam diſceſſit. Ut enim hoc fieret, nec poſſibilitas Deo defuit, nec voluntas. Unum horum ſi Deo defuit, Deus non poteſt nuncupari. Qui enim bonum non vult, malus eſt: qui non poteſt quod vult facere, omnipotens non eſt. Hanc blaſphemiam damnantes in hæretico quem diximus, ad ceteros accedamus.

LXXXI.

Octogeſimam & primam non hæreſim accuſamus [3] Luciferum, ſed ſchiſma arguimus. [4] Catholicos quidem per omnia, ſed Luciferianos faciendo populos, & dividendo ſe ab eccleſia, a fide ſua [5] caritas excluſit: dicente Apoſtolo: [a] *Si fidem habeam ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt*. Gloriantur quidem a fide non deviaſſe: ſed non parvum crimen arguimus eos incurrere, qui cum Dei eccleſia noluerint habere caritatem.

LXXXII.

Jovinianiſtæ a Joviniano quodam octogeſimam & ſecundam hæreſem arripuiſſe detecti ſunt. Qui ſicut Stoici philoſophi putant, paria dicunt eſſe univerſa peccata: nec poſſe peccare hominem lavacro regenerationis accepto, nec aliquid prodeſſe jejunia vel a cibis aliquibus abſtinentiam. Virginitatem ſanctæ Mariæ deſtruunt, dicentes eam pariendo fuiſſe violatam. Virginitati etiam ſanctimonialium, continentium caſtitati, & viris eligentibus cælibem vitam, conjugium caſtorum atque fidelium meritis adæquant: ita ut quædam virgines ſacræ provectæ jam ætatis, in urbe Romana ubi hæc docebat, eo audito nupſiſſe dicantur. Non ſane ipſe Jovinianus vel habebat vel habere volebat uxorem: quod factum non futuræ vitæ profuturum dicebat, ſed præſenti commodo adplicabat. Contra hunc ſuſcepit ſanctus Ambroſius Mediolanenſis epiſcopus, quique edidit librum ad deſtruenda omnia commenta adinventionum ejus. Quo lecto in media Romana, id eſt eccleſia Lateranenſi, una voce & populus Romanus & ſacerdotes, in eiſdem Jovinianiſtis & ipſo Joviniano, anathema clamaverunt, in ipſo initio Quadrageſimæ, ſancto Anaſtaſio epiſcopo antiſtite. Denique in ipſa authentica hebdomada paſchæ, inventi ſunt epulantes & porcorum carnibus trahentes convivia: ita ut aſſum porcum quem in menſa eorum invenerant, populi collo ejus ſuſpenderent, & ita eum per totam civitatem facerent circuire. Scripſit etiam contra

a I. Cor. XIII. 2.

1. Ms. Augienſe *Adicerditæ*.
2. His nomen in Elencho *Metagenetæ*, in ms. nullum; *inquit Sirmondus*.
3. Ms. Augienſe *in Lucifero*.
4. Ms. idem *Catholicus quidem*.
5. Ms. idem *caritatem excluſit*.

* *Homuncionitæ*] In hunc locum vide ſis Cotelerium ad *Conſt. Apoſt.* lib. VI. cap. X. not. 4.

** *Adecerditæ*] Ἀδηκερδῖται, propter lucrum ſalutis in inferno. Philaſtrius Hæreſ. CXXII. *Alii ſunt hæretici qui dicunt, Dominum in infernum deſcendiſſe, & omnibus poſt mortem etiam ibidem ſe nuntiaſſe, ut confitentes ibidem ſalvarentur*. Hanc obſervationem acceptam referimus Cotelerio in notis ad Hermam Simil. IX. §. XVI. tom. I. PP. Apoſtol. pag. 120. edit. Cler.

hos Hieronymus presbyter certos libros; quos qui plenius legerit, & quanta bona virginitas & continentia & abstinentia habeat discit, & quanta mala edacitas & luxuria habeat perhorrescit.

LXXXIII.

Octogesimam & tertiam hæresim in sexto libro historiographus noster ponit Eusebius, quam nec Epiphanius alicubi memoravit, nec Polycrates, nec Africanus, nec Hesiodus, qui Græco sermone universas hæreses describentes volumina multorum condidere librorum. In sexto itaque, ut dixi, libro narrat Eusebius, esse in Arabia hæreticos, quorum quia auctorem non memorat, nos possumus eos nuncupare Arabicos. Hi, inquit, dicunt animas cum corporibus mori atque dissolvi, & in fine sæculi utrumque reparari. Sed hos disputatione Origenis magna memorat ex parte revocatos.

LXXXIV.

Octogesimam & quartam hæresem Helvidianos occupasse ab Helvidio memoramus. Qui ita virginitati sanctæ Mariæ contradicunt, ut eam dicant de Joseph post nativitatem Christi alios filios peperisse. Isti quidem nuper, id est sub Siricio Romanorum antistite orti sunt, & per Italiam atque Gallias direxerunt suos discipulos. Contra hos scripsit Hieronymus doctor egregius * duos libros, quos lectos in tempore digna eos exsecratione [1] anathematizabant. Epiphanius autem noster, scrutator hæreticorum, scribens contra hos libellum, qui in illo tempore hanc blasphemiis plenam adsertionem proferebant, Antidicomaritas eos censuit appellari.

LXXXV.

Octogesimam & quintam hæresem Paterniani inchoasse leguntur. Hi inferiores humani corporis partes non a Deo, sed a diabolo factas opinantur: & omnium ex illis partibus flagitiorum licentiam tribuentes impurissime vivunt. Hos dum Damasus damnaret episcopus detectos in scelere, hujusmodi de his in relatione sua ad Valentinianum majorem scripsit, dicens: *Scire volumus pietatem vestram,* ** *Venustianos in scelere turpissimo detectos ab apostolica sede esse damnatos*. Quorum etiam confessiones simul direxit. Contra hos postea lex specialis egressa est, ut ubicumque essent reperti, vindice gladio agerentur.

LXXXVI.

Tertullianistas olim a Sotere papa Romano damnatos legimus. Cur autem octogesimam & sextam eos hæresem dicamus arripuisse, hæc caussa est, quod quædam Octaviana veniens ex Africa, cujus vir, Hesperius nomine, videbatur duci Arbogasti valde conjunctus, qui etiam apud Maximum tyrannum multum potuit, hæc [2] Octaviana adduxit secum quemdam tergiversatorem versutumque dæmonem, cui vix centum occurrent verbosanti atque in hominem confidenti. Hic cum se presbyterum diceret Tertullianistam, meruit per sacrum scriptum, ut sibi collegium extra muros Urbis fabricaret. Quod dum impetrasset a tyranno Maximo, sanctorum nostrorum exclusit locum, id est duorum fratrum Processi & Martiniani, dicens eos Phryges fuisse, & ideo hanc legem tenuisse, quam Tertullianus: atque hoc ordine per occasionem martyrum Dei populum seducebat. Deo autem Theodosio religioso Augusto dante victoriam, punitoque satellite Maximi de cujus se Tertullianista potestate jactabat, statim fugit cum matrona quæ venerat, nec viventis nec mortui rumore renovato. Martyrum suorum Deus excubias catholicæ festivitati restituit. Tertullianus autem fuit civis & presbyter Carthaginiensis: opuscula eloquentissima & ferventia in defensione edidit veritatis. Hic apud Carthaginem basilicam habuit, ubi populi ad eum conveniebant. Quæ basilica usque ad Aurelium episcopum fuit. Agente enim Augustino Hipponiensi episcopo, & rationabiliter cum eis disputante, conversi sunt, ecclesiamque suam sanctæ ecclesiæ contulerunt. Tertullianum autem catholica hinc reprehendit auctoritas, quod animam ex anima nasci dicit, & defendit Montanum, & Priscam, & Maximillam contra fidem catholicam, & contra Apollonium episcopum orientis, & contra Soterem papam urbis Romæ, ut supra diximus, dum Cataphryges hæreticos detegeremus: a quibus postea divisus, ne plebs Montani nomen Tertulliani videretur excludere, fundit a se omnem Phrygiæ vanitatem, & Tertullianistarum conventicula propagavit: nihil tamen in fide mutavit. Nam & secundas nuptias condemnat, ut diximus, animam ex traduce venire adserit, & nos catholicos Psychicos titulat. Ubicumque autem legeris Tertulliani adversum Psychicos, scias eum contra catholicos agere.

LXXXVII.

In octogesima & septima hæresi Abeloitas nominamus: qui cum sint priores pæne omnibus hæreticis, nunc nostris temporibus finiti. Isti ex filio Adæ sibi nominis derivationem adsumserant, id est, ab Abel Abeloitas se nominari voluerunt. Hi non miscebantur uxoribus, & tamen non licebat sectæ ipsi ut sine uxoribus viverent. Mas ergo & femina, sub continentiæ professione simul habitantes, puerum & puellam sibi adoptabant, in ejusdem conjunctionis pacto successores futuros. Morte præventis quibusque singulis alii subrogabantur, dum tamen duo duobus disparis sexus in illius domus societate succederent. Utrolibet quippe parente defuncto, uni remanenti usque ad ejus quoque obitum filii serviebant; post cujus mortem, etiam ipsi puerum & puellam similiter adoptabant. Nec umquam eis defuit unde adoptarent, generantibus circumquaque vicinis, & filios suos inopes ad spem hereditatis alienæ libenter dantibus. Hæc sola erat inter nos atque illos distantia: in quo nostros arguebant, ita non in lege nostra exerceri conjugia, ut & qui nubunt tamquam non nubentes sint.

LXXXVIII.

Octogesimam & octavam hæresim in Pelagio se invenisse sedes apostolica sub papa sancto Innocentio docuit, dum Cælestius Pelagii discipulus apud Carthaginem doceret, posse homines sine peccato esse, natura sibi sufficiente sola humana. Restitit

1. Ms. Augiense *anathematizabant*.

2. Ms. *Octavia*, quæ prius *Octaviana*. Sirmond.

* *Duos libros*] Non duos, sed unum scripsit Doctor maximus adversus Helvidium, ut notatum Vallarsio in præfat. ad S. Hieronymi operum tomum I. pag. XXIII. num. 33.

** De *Venustianis* verba facit S. Augustinus lib. *de hæres.* cap. LXXXV. & lib. V. *contra Julian.* cap. VII. num. 26. Ex hoc autem Prædestinati loco censet Baluzius Venustianos fuisse a S. Damaso damnatos in concilio Romano II. anno CCCLXVII. coacto. Vide sis collect. concil. tom. II. pag. 1038. edit. Ven-Labb. Ceterum de his hæreticis consulas, si lubet, cl. Wesselingium lib. *Probabil.* cap. III. pag. 29. Petrum Horreum in *Miscell. crit.* lib. I. cap. VII. pagg. 105. seqq. & qui S. Damasi scripta Romæ haud ita pridem evulgavit, in ejusdem pontificis opusculorum ac gestorum recensione, cap. VII. §. IV. pag. 38.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 461.



ei quidam Paullinus diaconus, defensor & procurator ecclesiæ Mediolanensis: cuique in conventu sacerdotum multa capitula objecit contra fidem catholicam, quæ Cælestius damnare neglexit, dicens, Non ad me pertinet de his quæ objecit, ubi meum nomen est, & crimen alienum. Tunc illi obtulerunt ei libros suos, ubi dicebat, ipsam sibi hominis naturam ad perfectionem posse sufficere: hoc est, tantam potest homo exercere justitiam, ut etiam sine peccato possit esse si velit. Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, esset moriturus. Sic lex misit ad regnum, sicut evangelia. Infantes in remissionem peccatorum baptizandos esse ideo confitemur, propter regulam universalis ecclesiæ. Nihil obfuisse generi humano peccatum Adæ. Omnia hæc oppositionum genera ad damnandum objiciebantur Cælestio. Sed ille dicebat, multa esse in his quæ teneret fides ejus, & propter ipsa cetera damnare non posse. Tunc ad relationem pæne omnium Afrorum episcoporum, papa Innocentius damnationem & Pelagio & Cælestio conscripsit. Illi autem, sive ante quam damnarentur ab universali ecclesia, sive postea quam damnati sunt, non cessaverunt scribere posse hominem sine peccato esse, & nihil obfuisse Adam generi humano, & legem sic misisse ad regnum sicut evangelia, & infantes non ideo baptizandos, quia habere possint originale peccatum: & naturam tam bene factam a Deo, ut sibi sola sufficiat ad hoc ut possit carere peccato. Contra hos suscepit sine scriptura quidam Constantius tractator. Post hunc autem, scripsit contra hos & Augustinus Hipponiensis episcopus & Hieronymus presbyter [1] Bethleites. Pelagiani tamen seu Cælestiani, catholicæ plebi permixti sunt, quia ecclesiam aliam non habent: & ideo ubi eis evenerit, communionem non renuunt. Dicunt enim unius confessionis esse in hac parte, in qua Eucharistia conficitur: de quæstione enim ajunt, non de communione discernimur. Pro hoc ausu, & a nostris, si deprehendantur, periculis subjacent, & a suis exsecrationi habentur. Habent enim & presbyteros & episcopos suos. Ipse autem Pelagius ita in commentario suo ad Romanos scribit; dum ageret illum locum, quo ait Apostolus: [a] *Quoniam per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt*: tangens Cælestium, qui contra traducem peccati primus scripsit, his verbis ait. Hi, inquit, qui contra traducem veniunt, ita illam impugnare nituntur: Si Adæ peccatum etiam non peccantibus obfuit, ergo & Christi gratia etiam non credentibus prodest. Addunt etiam hoc: Si baptismus tollit originale illud peccatum, de duobus baptizatis nati debent hoc carere peccato: quomodo enim mittunt ad posteros quod ipsi in se minime habuerunt? Hæc, sicut ab ipso Pelagio sunt scripta, posuimus. De hoc itaque quod dictum est, posse hominem sine peccato esse, objectum est illis ita. Aut potest, & adjutorium non quærit: aut non potest, & adjutorium quærit. A quocumque enim auxilium quæritur, dicit, se id quod vult facere implere non posse: alioquin irrisorie poscit qui potest hoc solus, pro quo adjutorium postulat, adimplere. Verbi gratia, decem pondo cujuscumque rei si levare voluerim, & adjutorium quæram, ridiculum videor exhibere dum posco. At vero si ducentas aut amplius velim le-

A vare libras, quia id implere non possum, auxilium flagito, & immensis precibus adjutorium quæro: præcipue si status vitæ meæ in hoc videtur pondere positus, ut si pondus quod memoravi non levavero, ad vitam pervenire non possim. De duobus autem baptizatis natum nihil habere de fide parentum, hæc nos ratio docet. Quoniam hi qui baptizati sunt, duas habent nativitates; unam qua eos generavit caro, aliam qua eos generavit Spiritus sanctus: & ex his duabus generationibus nati, duas generationes ad posteros mittunt: unam de carne, conjugii ministerio; aliam de spiritu, baptismate consecrando. Hic ergo qui de baptizatis natus est, interrogo te qua re natus est: de carne, B id est de prima generatione, an de spiritu, id est de secunda generatione. Si de spiritu natus est, baptizari non debet: quare? quia Spiritus sanctus eum fecit nasci, non libido conjugii. Sin autem de conjugio carnali, id est de masculo & femina, restat ut unde sunt regenerati de Christo & ecclesia, suam iterum regenerent prolem. De primo enim est Adam quod nascimur: de secundo autem quod iterum recreamur, dicente sancto Apostolo: [b] *Factus est primus homo Adam in animam viventem: novissimus Adam in spiritum vivificantem. Sed non prius quod spiritale est, sed quod animale; deinde quod spiritale. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis. Ergo sicut portavi*C *mus imaginem terreni*, id est sicut creavimus filios carnaliter, *portemus & imaginem cælestis*: id est quos creavimus carnaliter, spiritaliter recreemus: aut ipsi qui carnaliter creati sumus nutu creatoris, iterum ejus gratia spiritaliter recreemur. [c] *Hoc autem dico*, dixit Apostolus, *quia caro & sanguis*, id est prima tantum generatione homines nati, nisi gratiam divinam meruerint adipisci, *regnum Dei invenire non possunt. Neque corruptio incorruptionem possidebit.*

LXXXIX.

Octogesimam & nonam hæresim Nestorius Constantinopolites episcopus legitur incurrisse. Consue-D tudo est namque, ut unum tractatum suum episcopus Alexandrinus mittat ad Constantinopolim, qui recitetur in pascha; & tractatum suum Constantinopolites, qui Alexandriæ recitetur. In tractatu suo Constantinopolites Nestorius scripsit Mariam non esse Theotocon, sed Christotocon: id est non Deum peperisse, sed hominem. Cyrillus Alexandrinus hoc dictum ita reprehendit, quo diceret per epistolam, ut si eum forte fefellisset, emendaret dictum. Ex hoc ipso quo reprehensus est Nestorius a Cyrillo, cœpit Cyrillum hæreticum inclamare. Data est synodus apud [2] Ephesum; & nec sic emendare voluit Nestorius, ut diceret Mariam Deum & hominem genuisse, sed solum, inquit, E hominem. Si enim dixerimus quia Deum genuit, fecimus [3] matrem Deum, sicut gentiles. Maria ergo, inquit, templum Deo genuit, non ipsum qui in templo habitat. Accepit inducias, ut aut damnaret dictum, & rediret ad sedem suam episcopus: aut si damnare noluisset, postea redire non posset. Noluit, & in eadem confessione permansit. Hunc synodus apud Ephesum damnavit: in qua damnatione Romanus papa Cælestinus scripsit, & omnes cum eo pariter orientales atque occidentales episcopi subscripserunt.

a Rom. V. 12. b I. Cor. xv. 45. c Ibid. ℣. 50.

1. Ms. Augiense *Bethlemites*. 2. Ms. Augiense *Thessalonicam*. 3. Ms. A[illegible]

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 461.

X C.

Nonagesima hæresis, quam in præfatione nostra diximus de nomine Augustini episcopi esse mentitam, Prædestinatorum nomen accepit. Hi electionem bonorum, & recusationem malorum, Deo decernente definiunt, non homine vel studente vel negligente. Nolunt Dei jura, vel ab studentibus custodiri, vel a neglegentibus violari. Dicunt, etiam si voluerit bonum facere qui ad malum prædestinatus est, ad bonum pervenire non poterit: nam qui ad bonum prædestinatus est, etiam si neglegat, ad bonum perducetur invitus. Dicunt baptismatis undam non universa peccata mundare. Dicunt, ita antecedit gratia liberum arbitrium, ut ante accipiat homo quam petat, ante inveniat quam B quærat, ante ei aperiatur quam pulset. Dicunt nullum ad Christi fidem accedere, nisi fuerit a Patre tractus invitus: illud adtendentes, [a] *Nemo venit ad me, nisi quem pater adtraxerit*. Dicunt omnia non in re, sed ita in spe fieri, ut quod dicit Apostolus: [b] *Spes quæ videtur, non est spes*, etiam hoc mysteriis adplicent dictum, & dicant, Ea quæ percipiuntur, videntur quidem esse, sed non sunt. Dicunt, plus obfuit ad nocendum Adam generi humano, quam Christus in subveniendo. Nam Adam, ajunt, quod nocuit ita manet, ut hoc nec passio Christi, nec baptismatis sanctificatio possit auferre.

A Verum quid moras tibi, o lector sancte & studiose, incutimus? Librum eorum tibi integrum, sicut est editus, in isto corpore præsentamus: cujus lectione cognosces, definitiones ejus a metatoribus antichristi adinventas. Quotiensceumque autem contra eos suscepimus, dixerunt nos ex hæreticorum argutiis contra se agere. Videntes enim se ita superari, ut suspirare non possent, hanc calumniam semper catholicis nisibus inrogarunt, ut dum timent se hæreticos infamari, in silentio veritatis loquelam artarent. Eorum ergo ob caussam omnes hæreses a Simone memorantes huc usque deteximus, ut probemus nos soli fidei catholicæ esse concordes. Rogamus te, domine Pater cæli & terræ, qui cum filio tuo, & Spiritu sancto, unius veritatis obtines majestatem, unius majestatis obtines deitatem, unius deitatis obtines trinitatem, ut nos adjuves contra hostes tuos [1] tela tractantes. Habeant illi castra Goliæ in allophylorum acie constituta. Nos Hebræi, pueri tui David pastoforium adsumentes, de lapide tuo angulari pugnemus; ut fidenter cum Apostolo tuo dicere valeamus: [c] *Deo nostro gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum*. Sit pax omnibus catholicis, & cum Angelis una nobiscum voce exclament, decantantes, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ vo- C luntatis.

a Joan. VI. 44. *b* Rom. VIII. 24. *c* I. Cor. XIII. 17.

1. Ms. Augiense *Delatrantes*.

Explicit liber categoricus, sive ecdicus, sive accusator hæreticorum, & catholicorum defensor.

LIBER II.

[1] SUB NOMINE AUGUSTINI CONFICTUS,

Nonagesimam hæresim continens, quæ adserit Dei prædestinatione peccata committi.

PArticipem me intentionis vestræ, qui defendi- D tis veritatem, fieri, fratrum spiritalium suggestio invitavit. Unde breviter nisibus vestris me interserens, sermonis latitudinem fugi, sensusque qui latum quærunt certaminis campum in angustum constitui: ut fastidium vobis lectionis auferrem, & occasionem defendendæ veritatis adferrem, atque dimicantes servos contra voluntatem sui Domini confutarem: eorum scilicet qui dicunt, Deo invito & nolente hominum moveri arbitria, ac de potestate mortalium Dei immortalis potestatem infringi. Huc adjiciunt, homines per voluntatem suam sanctos fieri, & suo arbitratu ad Dei amicitias pervenire. Levi hos impulsione videbitis corruentes, a quibus solicitudo humana & melio- E res & primas [2] accepit partes, quibus excluso Deo dicitur homo, non ordinatione Dei, sed sua se posse voluntate salvare. Vos autem, o filii caritatis, zelum fidei signatum in vestris sensibus retinentes, * estote securi de ordinatione Dei, quam I.
prædestinando constituit: certaque sit nostris sensibus apostolico ore dicta sententia: [a] *Quoniam cui vult Deus miseretur, & quem vult indurat. Non est enim volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*: quia [b] *habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere unum vas ad honorem*, [3] *alium ad contumeliam*: & inde est quod caro adversatur spiritui, spiritus carnis. [c] *Hæc*, inquit Apostolus, [4] *invicem adversantur, ut non quæ vultis, illa faciatis*. In opere enim suo Deus omnes homines [5] ante

a Rom. IX. 19. 16. *b* Ibid. ℣. 21. *c* Gal. V. 17.

* 1. Ms. Augiense, *Lib. II. Primasii ad Fortunatum de hæresibus*. Tamen in alio apographo ms. codicis Augiensis, quod clarissimus Mabillonius mecum humanissime communicavit, hæc duo verba, *Ad Fortunatum*, neque hoc loco, neque usquam apparent. Plura autem in Augiensi monasterio exstitisse Prædestinati exemplaria satis indicare videtur hæc subscriptio quæ legitur in apographo Mabillonii: *Subsequitur jam ex ordine nonagesima, eaque ultima hæresis, jam pridem ab ipsis admodum reverendissimis & clarissimis patribus nostris in Augia Divite descripta*. At in Holsteniano apographo subscriptio plane diversa est, quam nos modo exhibuimus.

2. Ms. Augiense *accepit partes*.
3. Ms. idem *aliud ad contumeliam*.
4. Ms. idem *invicem sibi*.
5. Ms. idem *prævenit ante*.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
461.



prævidit, & quid unicuique competeret præviden-
do constituit. Hoc majestatis ejus singulare indi-
cium, in quo parem non habet. [1] Deus solus est
enim, qui cogitanda, loquenda, operanda præscìit:
& quia præscit cunctorum generaliter gesta ante
quam fierent, merita [2] disponendo quasi facta con-
spexit. Et idcirco res, quasi oculatas & sibi in
manifesto positas, tunc quando præscit prædestina-
vit, & constituit [a] qui conformes fierent imaginis
filii ejus, ut esset [3] & Filius Dei primogenitus in
multis fratribus; quos autem prædestinavit [4] hos
vocavit, quos vocavit [5] hos justificavit, & quos
justificavit ipsos & magnificavit. Unde & prophe-
ta dicit: [b] *Non est in homine via ejus*. Quid pu-
tatis vos, o fragiles, o caduci, miseri & morta-
les homines, si quid bene agitis esse laudandos,
aut forte delinquentes prorsus esse damnandos? cum
ideo lex loquatur, ut timorem incutiat: ceterum
nihil fit nisi quod voluerit Deus. Quem voluerit
Deus sanctum esse, sanctus est; aliud non erit:
quem præscierit esse iniquum, iniquus erit; aliud
non erit. Prædestinatio enim Dei jam & numerum
justorum, & numerum constituit peccatorum, &
necesse erit constitutum terminum præteriri non
posse. Hoc autem non quasi personarum acceptor
constituit, sed quasi præscius [6] omnium futuro-
rum. Non enim per acceptionem personæ, sed per
præscientiam Deus prædestinationem suam fixit at-
que constituit. Jam quos præscit nullo modo con-
verti, hos prædestinavit ad mortem: quos præscit
[7] omni modo converti, hos prædestinavit ad vi-
tam. Miror autem quod testimonia veteris testa-
menti contra auctoritatem novi [8] proferantur. So-
lent enim sancti Ezechielis prophetæ testimonia
usurpare, dicentis: [c] *Hæc dicit Dominus: cum di-
xero impio, morte morieris; & conversus fuerit ab
impietate sua, vivo ego dicit Dominus, vita vivet.*
Hoc, ut dixi, in veteri lege scriptum est pro tem-
pore captivitatis, pro caussa qua ipsa captivitas fa-
cta est, pro persona populi cui inrogata est, ut
disceret in captivitate positus pro peccatis suis se
jugo Assyrii regis esse subjectum. Certe pro pecca-
to captivitas facta est: & ut quid simul captivi-
tatem justi cum peccatoribus incurrerunt, nisi quia
mysteria Dei a nostra fragilitate penitus sciri non
possunt? Hoc ergo mysterium in veteri lege scri-
ptum est. In novo autem Apostolus clamat, [d] *Va-
sa iræ apta in interitum*. Et ideo scriptum memo-
II. rat, Deum dixisse per præscientiam suam: * [e] *Jacob
dilexi, Esau autem odio habui*. [f] Cum enim non-
dum nati fuissent, nec aliquid egissent [9] boni vel
mali: ex præscientia dictum est, quod unus ha-
beretur odio, alius amaretur. Hæc a nobis adin-
III. venta non sunt: * nec dicimus aliquid præter quam
evangelizavit Apostolus. Per præscientiam Dei præ-
destinationem ipse factam commemorat. De Deo
ipse dicit: [g] *Quos vocavit, hos prædestinavit*. Si
præscientem, & prædestinantem & vocantem, in
Apostolo legitis, nobis ut quid impingitis crimen
IV. ob hoc quod dicimus * prædestinasse Deum homi-
nes, sive ad justitiam, sive ad peccatum, ne vi-
deretur ipse sibi quasi non provide facere homines,
qui facerent quod nolebat? Invictus enim in sua
voluntate permanet Deus, cum homo adsidue su-
A peretur. Si ergo invictum confitemini Deum, con-
fitemini & hoc, quia quod eos voluit ille qui
condidit, aliud esse non possunt. Unde colligimus
apud animum, * [10] quos Deus semel prædestinavit V.
ad vitam etiam si neglegant, etiam si peccent,
etiam si nolint, ad vitam perducentur inviti: quos
autem prædestinavit ad mortem, etiam si currant,
etiam si festinent, sine caussa laborant. Nec hoc
sine magisterio admittas evidentis exempli. * Ju- VI.
das quotidie verbum vitæ audivit, quotidie adhæ-
sit Domino, quotidie virtutibus occupatus, quoti-
die ipsum Dei filium monitorem audivit: & quia
prædestinatus est ad mortem, uno ictu subito in-
teriit. Saulus quotidie persecutor, quotidie lapida-
B tor Christianorum, quotidie vastator ecclesiarum:
& quia prædestinatus est ad vitam, uno ictu su-
bito vas electionis est factus. Quid ergo tu qui
in peccatis permanes, expavescis? si te Deus di-
gnatus est, sanctus eris: aut quid tu qui in san-
ctitate vivis, solicitus redderis quasi tua te solici-
tudo conservet? si Deus noluerit, [11] numquam cor-
rues. Uterque de Deo securi estote. Numquid tu
qui sanctus es, & solicitus es ne corruas, & die
noctuque orationibus ades, occuparis jejuniis, &
divinis lectionibus diligenter insistis, exhortationi-
bus vacas, atque omnibus sanctis studiis quotidie
immines, numquidnam tuo hoc studio salvus eris?
Numquid sanctior eris Juda, qui accepit potesta-
C tem infirmos curandi, dæmonia fugandi, mortuos
suscitandi, calcandi super serpentes & scorpiones,
collega Apostolorum, Christi discipulus; & tamen
quia prædestinatus est ad mortem, mortem æter-
nam invenit? Cessa de te, o homo, cessa, in-
quam, de virtute tua esse solicitus, & de Dei tan-
tum confide voluntate securus. Nihil enim boni
tu Deo obtinebis invito; sed si te dignabitur Deus
ut in bono permaneas, salvus eris. Tu quoque qui
in peccato desperatione vana concuteris, disce a
Paullo Apostolo, quis umquam par ejus potuit sce-
leribus inveniri? Numquid tu aliquando pejora po-
tuisti, quam ille commisit, perpetrare peccata? Et
tamen, quia prædestinatus ad apostolatum, evasit
D subito universa crimina, & ab inferioribus inferis
[12] ad superiora superiorum ascendit. * Omnes ita- VII.
que, quos scit dignos salute redemtionis suæ Deus,
hos ad salutem prædestinavit: & hos tantum sal-
vat, quos se ad salutem prædestinasse cognoscit.
Salus enim Dei non voluntati hominis servit: ipse
enim scit cui quid faciat. Nec enim antecedit hu-
mani arbitrii libertas gratiam Dei, sed antecedit
gratia Dei humani voluntatem arbitrii. * Vana VIII.
est enim & infructuosa voluntas hominis, & va-
num est humanæ voluntatis arbitrium. * Errat qui IX.
se putat per id quod vult bonum pervenire ad
Christum, cum ipse Christus dicat: [h] *Nemo venit
ad me, nisi quem Pater adtraxerit*. Qui melius sa-
E pitis a Christo, dicite si mentitus est Christus: &
ita demum adserite nos contra Christi regulam
istam fixisse sententiam. Si enim verum dixit Chri-
stus, non mentimur quod dicimus prædestinatos
trahi ad vitam, quia vita ipse est. * Quod si ad- X
gravat vos vis testimonii evangelici, qui contra
nostram venitis sententiam, & non potestis adgra-
vati pondere sententiæ nobis dare responsum; sal-

a Rom. VIII. 29. 30. b Jer. X. 23. c Ezech. XVIII. 27. d Rom. IX. 22. e Ibid. ℣. 13.
f Ibid. ℣. 11. g Rom. VIII. 30. h Joan. VI. 44.

1. Abest *Deus* in ms. Augiensi. 2. Ms. idem *dispungens.*
3. In ms. Augiensi abest &.
4. Ms. Aug. *hos & vocavit*. 5. Ms. idem *hos & justificavit.*
6. Abest in ms. Augiensi *omnium*.
7. Ms. idem *præscit omnino converti*.
8. Ms. idem *proferentes solent sancti Ezechielis*, cet.
9. Ms. idem *boni & mali*.
10. Ms. idem *quia quos Deus* cet.
11. Ms. idem *numquam utique corrues. Utique de Deo securi estote*.
12. Ms. idem *ad superna superiorum*.

tem Apostoli nobis definitionem exponite, qui di- A
cit: [a] *Non est volentis, neque currentis, sed mise-*
XI. *rentis est Dei.* * Quantumcumque igitur studii sui
vires ad ædificandum moveat humana voluntas,
casso certamine nititur. Aut quid vigilantiam suam
putat hominis fragilitas æternis desideriis profutu-
ram, cum propheta evidentibus exclamet documen-
tis, dicens: [b] *Nisi Dominus ædificaverit domum,*
in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Nisi Do-
minus custodierit civitatem, in vanum vigilaverunt
qui custodiunt eam. Quid est quod contra divinos
apices, & contra conscientiam suam, sperat se quis-
piam ædificationi studere, cum his sacris apicibus
doceatur ædificatio hominis non esse certa, sed va-
XII. na? * Sed si contra nos venitis, non contra nos B
venitis, sed contra eum qui dixit: *Nisi Domi-*
nus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui
ædificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem,
in vanum vigilaverunt qui custodiunt eam. Ergo ne-
sciit quia non erat utile populo Dei qui hæc fecit
scribi, & per posteros usque ad finem sæculorum
dirigi? Vos itaque qui ista reprehenditis, auferte
hæc de libro psalmorum, quia legentes & psallen-
tes hos versiculos, ut dicitis, ædificari non pos-
XIII. sunt. * Sed quid putant isti se voluntate sua ad
fructum posse ædificationis adtingere, cum nec ipse
vas electionis suam se adserat potuisse voluntatem
implere? Dicit enim de se ipso Apostolus: [c] *Non*
quod volo bonum hoc ago, sed quod nolo malum il- C
lud facio. Si ergo Apostolus quod vult bonum im-
plere non prævalet, quomodo isti dicunt per vo-
luntatem suam ad fructum se [1] gratiæ pervenire?
XIV. * Apostoli verba sunt: nostrum nihil adjungimus.
ipse de se dicit: *Non quod volo bonum hoc ago,*
sed quod nolo malum illud facio. Et nos culpatis,
XV. quia dicimus, * non vocantur nisi prædestinati?
XVI. * [2] Antecedit enim gratia Dei voluntatem homi-
nis. Prior est enim Deus in bono hominis: homo
autem, etiam si optimus sit, in omni bono vix
novissimus invenitur. Date primas partes Deo,
ut superbiam evacuetis humanam. Quod si volu-
eritis superbiam nutrire hominibus, apparet vos
ruinam generis humani perquirere, quia docetis, D
in bono opere non Deum antecedere, sed homi-
num voluntatem; ut ipsi videantur magis Deum,
ut bonum faciat, suis suggestionibus admonere, qua-
si qui non faceret bonum nisi ipsi dixissent: cum
constet Deum nullo suggerente, nullo rogante, bo-
na omnibus condonare. Non enim dicit Aposto-
lus, cum rogaremus; sed [d] *cum inimici*, inquit,
essemus, reconciliati sumus Deo, non per voluntatem
nostram, sed *per mortem filii ejus*. Ubi est ergo vo-
luntas hominis? exclusa est. quare? [3] quia non
omnis qui vult ipse salvatur: quia si omnis qui
vellet salvaretur, nullus a salute poterat effici alie-
nus. Omnis etenim homo salvari vult, sed non
omnis salvatur homo: salvatur autem is quem vo- E
luerit Deus: utique, inquam, is quem voluerit
Deus: ut exclusa hominis voluntate, suam [4] ple-
nam ex integro gratiam manifestet. Quod si ali-
quem vult Deus bonum esse & bonus non est,
XVII. * ergo homo vincit Deum. Vincit enim Deum,
si Deus eum vult esse bonum & bonus non est.

Dei. ergo voluntas & effectus est in bono homi-
nis. * Non enim cum rogaremus, neque cum pe-
teremus, sed *cum inimici*, inquit, *essemus, re-*
conciliati sumus Deo per mortem filii ejus. Cum
autem pro omnibus mortem filii ejus legitis, mi-
ror quomodo omnes intelligatis, cum paucos vix
ad salutem cernatis adtingere. * Ubicumque au- XVIII.
tem omnes legitis, generaliter omnes vultis [5] in- XIX.
telligi, cum omnes sæpe pro parte doceantur.
Nam cum dicitur: [e] *Omnes declinaverunt*, non ta-
men omnes declinaverunt; & [f] *omnis homo mendax*,
non tamen omnis homo mendax, quia de quodam
legimus: *Erat homo verax.* Et illud: [g] *Viri men-*
daces, non erunt illius memores: viri autem vera-
ces inveniuntur in ea. Pars ergo maxima omnes
videtur significare; cum utique constet, non de-
bere omnes intelligi. Et hoc miror, quod * clau- XX.
sis oculis transitis hostis insidias, vos qui dicitis
voluntatem hominis aliquid adquirere posse virtu-
tis: non adtendentes quantæ ruinæ castitatis per
diabolum fiant: quantaque crimina concupiscentiæ,
avaritiæ, livoris ac perfidiæ, quotidie perpetren-
tur. Quæ utique si videretis, non laboraremus vo-
bis ostendere damna virtutum, & victorias vitio-
rum. Si integra enim esset libertas arbitrii, ista
non fierent. * Per prævaricationem itaque primi XXI.
hominis periit ab hominibus libertas arbitrii. Sed
vos * hæresem Pelagianam iterum renovatis, cum XXII.
dicitis per libertatem arbitrii homines finem po-
nere posse peccatis. * Excluditis enim gratiam per XXIII.
libertatem arbitrii. Aut enim libero arbitrio libe-
ramur, aut gratia Dei eripimur. Eligite quid dica-
tis. Si gratiæ totum dederitis, unum sapimus: si
libero arbitrio, sciatis nos vobis consentire non
posse. * Unde autem illi major libertas arbitrii in XXIV.
bono, unde isti minor est, nisi quia Dei dispen-
satione [6] censentur? In alio enim tenuem se exhi-
bet gratia, in alio abundantem & largam, prout
ipsa vult gratia, non prout nos volumus, qui a
facturæ nostræ ordine recessimus. * In tantum de- XXV.
nique vitiatam per prævaricationem Adæ hominis
naturam agnovimus, ut instaurationem suam per
Christum non in re, sed in spe fuerit consecuta,
dicente Apostolo: [h] *Spe salvi facti sumus: spes au-*
tem quæ videtur, non est spes. Si ergo spe salvati
sumus, adhuc rem in præsenti sæculo non accepi-
mus. * Ideo denique baptizati iterum carnaliter XXVI.
concupiscunt, & illos motus corporis patiuntur;
quia spe, non re consecuti sunt instaurationis auxi-
lium. * Si enim re consecuti fuissent, post baptis- XXVII.
matis gratiam non esset peccati possibilitas, nec vo-
luntas. Verum quia virtus baptismatis tanta est,
ut universa peccata deleat, pullulatio tamen pec-
catorum baptismatis unda non abluitur: inesse enim
per Adam naturaliter perdocetur. Nam illa mem-
bra, quæ in baptismatis hora confusione carent,
postea confusionem recipiunt, qua evitant ubique
conspectum, & quærunt pudendo secretum. * Quæ XXVIII.
enim Deus membra fecerat, prævaricatio in pudenda
convertit, & non dicuntur membra, sed pudenda.
Quæ pudenda in puncto illo baptismatis membra fiunt,
sed mox iterum pudenda efficiuntur ex membris:
non enim re, sed spe instaurati sunt. * Concupi- XXIX.

a Rom. IX. 16. b Psalm CXXVI. 1. c Rom. VII. 19. d Rom. V. 10. e Psalm. XII. 3.
f Psalm. CXV. 11. g Eccli. XV. 8. h Rom. VIII. 24.

1. Ms. Augiense *posse gratiæ pervenire.*
2. Ms. idem *Antecedit gratia Dei.*
3. Abest totum hoc comma in ms. Augiensi *quia non omnis qui vult ipse salvatur.*
4. Ms. idem *plenam & integram gratiam manifestet.*
5. Ms. Augiense *intelligi*; ut & *irrogaret* pro *inrogaret*; *illiciens* pro *inliciens*; *subjicere* pro *subicere*; *corruere* pro *conruere*; *illustris* pro *inlustris*; *collatum* pro *conlatum*, cet. Ac vel hoc ipso se prodit ætas major codicis Remensis quo usus est Sirmondus.
6. In ms. Augiensi *censetur.*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 461.



scentia enim carnis, quæ per prævaricationem Adæ regnat in corpore tamquam lex peccati, iterum sibi vindicat baptizatum, totumque animum ejus conatur evertere. Hæc enim radix illius plagæ est, quam Christus salvavit. Salvavit autem sic, sicut Apostolus dicit, *Spe salvi facti sumus*. Et jubet nos animum ad invisibilia contemplanda transferre, nec de his quæ videntur præsumendo conruere: & ideo dicit, *Spes autem quæ videtur, spes*
XXX. *non est*. * Ne forte æstimarentur per baptismum ita tolli peccata, ut etiam radices ipsæ peccatorum pariter evellantur. Motus enim ille pollutionis, qui per prævaricationem naturam invasit, ita remanet in baptizato, sicut radix capilli, cum fuerit novacula in superficie emundatus & rasus. Rasus enim est, ut emundaretur locus: non est eradicatus, ne ulterius nasceretur. * Si enim ex in-
XXXI. A tegro per baptismum omnis prævaricationis Adæ fragilitas tolleretur, baptizati omnes nullo caloris motu traherentur ad crimina, nullus sordibus inquinaretur humanis, nullus concupiscentiæ stimulo pungeretur. Sed quia spe salvi facti sumus, quod adhuc non videmus, per patientiam exspectamus. [1] Venit tempus in quo [a] neque nubant, neque uxores ducant, sed sint sicut Angeli in cælis. [b] *Cum enim corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors* [2] *in victoriam. Ubi est mors contentio tua? ubi est mors stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum: virtus vero peccati lex.* Tunc dicemus: [c] *Deo gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum* B *Jesum Christum.*

a Matth. XXII. 30. *b* I. Cor. XV. 54-56. *c* Ibid. ℣. 57.

1. Ms. Augiense *Veniet tempus*.

2. Ms. Augiense *in victoria*.



[1] PROLOGUS
LIBRI SEQUENTIS.

Finitus est liber [2] inimicus hominum, contra fidem catholicam confictus: liber dolosus, circumdatus fallaciis, adulter integræ diffinitionis: quique, ut sanctus Cyprianus ait, falsa ostentat, ut vera subripiat. Qui sub specie pietatis editus, agit contra omnium instituta sanctorum. Hujus libri caussa, ut memoravimus in præfatiuncula, omnium hæreticorum in unum librum collegimus sectas, ut sciant defensores ejus cunctis nos hæresibus adversari, & nullius contra eos uti consensu. Itaque, o sancta mater ecclesia, puræ fidei genitrix, contra occultos hostes tuos, contra novos barbaros pacificum habitum mentientes, contra eos qui per te contra te arma corripiunt, nostras vires exalta, & volentes inire certamen adjuva: contra hos præcipue, contra quos adhuc nullus scribendo pugnavit, cum illi scriptis suis, sub sacerdotis Augustini nomine, totum pæne jam vulneraverint mundum, vitiatos libros proferendo, & varias epistolas dando quas memorati Hipponiensis episcopi esse confingunt. Et vos omnes catholicæ fidei defensores precibus exoramus, ut exclusa omni occupatione, intentius nostrum prœlium adtendatis: & futurum judicem judicii vestri ante oculos habentes, ex integro defendenda defendite, ex integro C damnanda damnate. Cur autem, intermissis aliis pravitatibus, hunc librum in medium adtulimus solum, hæc ratio est: quia in modum symboli eis quos deceperint tradunt. Hunc ergo totum per ordinem credidimus scribendum, ne videantur ea quæ facile vinci poterant, ex eorum libro fuisse discerpta, & illa callide prætermissa, quæ ipsum librum poterant ab accusationis nostræ injuria vindicare. Nihil ergo prætermisimus: sed omne corpus ejus his detegentes scriptis, gladium contra eum verbi Dei proferimus, atque in partes eum concidentes, singula quæque membra ejus catholicorum oculis denudamus: ostendentes quæ venena in capite habeat, quæ in ore contorqueat, quas ex pectore sagittas emittat: ac per singula membrorum officia D adversarietatis ejus arguentes astutias, & captivum eum ecclesiæ catholicæ pedibus prosternentes, omnibus eum facimus manifestum: ut ex hoc ipse sui damnator exsistat, qui catholicam doctrinam deferens, consensum suum hujus libri voluerit contagione violare. [3]

1. In ms. Augiensi post *Jesum Christum*, statim absque titulo, *finitus est liber*, cet.
2. In ms. Augiensi *inimicorum*.
3. In ms. Augiensi: *Finit liber hæreticorum sub nomine Augustini confictus de prædestinatis*. Tum, *Incipit liber catholicorum episcoporum contra eumdem librum hæreticorum, defendendo catholice, & orthodoxe refutando errores eorum.*

[1] L I B E R I I I.

Refutationem continens libri superioris sub S. AUGUSTINI *nomine conficti.*

HActenus hæreticorum omnium incensæ sunt silvæ, in quibus latrocinante perfidia divitiæ fidei pervasæ sunt, prædam passa ecclesia, animarum sangis effusus. Verum quia solitum est spinis, post incendium iterum pullulare, falcem divini judicii teneamus ut rediviva & contra cælum euntia spinarum capita amputemus. Non deerunt, procurante Deo, huic agro cultores, ut possint [a] *beati immaculati* [2] *in via*, immaculati in fide, *qui ambulant in lege Domini*, absque impedimento sentium pervenire quo pergunt. Nonagesimam hæresim Prædestinati fecerunt, ostendentes libros falsos quos Augustini confingunt, cujus dicta in multis locis leguntur istis libris valde contraria. Datur ergo catholicis vera suspicio, quod tam scelerata [3] dicta viri orthodoxi esse non possint, quæ dantes manus Mathematicis, dicunt humanum genus ita divinis prædestinationibus subjacere, ut mala omnia quæ geruntur in sæculo, Dei dicantur voluntate committi. Ne ergo participes nos eorum timor humanus aut verecundia faceret, omnium hæreticorum egimus curas, & invenimus neminem pejus potuisse errare, quam hos qui dicunt mala omnia & crimina Dei prædestinatione committi. Habeant ergo omnes hæretici unum librum, in quo eos non de potestate, sed de ratione vera damnavimus, ut sciant Prædestinati nulli nos consentire hæretico. Habeant & Prædestinati unum librum, in quo eos Deus ipse convincit, qui scit se nullum prædestinasse ad malum, omnes autem prædestinasse ad bonum: ut quod bonum est, ipsius comprobemus. Omnia enim bona quæ faciunt nunc homines, aut quæ ab initio fecerunt, vel facturi sunt, Dei gratia, Dei clementia, Dei dicimus auxilio, Dei etiam prædestinatione completa. Predestinatione autem, non qua vim faciat Deus bonum nolentibus, sed qua ipse numquam mutet sententiam bonitatis, & incessanter sit bonum volentibus promtus, malum autem volentibus imparatus. Siquidem venientibus ad bonum, fidei eorum statim remunerationem exhibeat, conferendo indulgentiam peccatorum, & Dei filios faciendo: euntibus autem ad malum non statim pœnam inferat quam merentur, sed exspectationis suæ pias largiatur inducias. Hoc propositum Dei prædestinatum confitemur & fixum. Ergo dum mala fiunt, non Deus suum propositum subduxit, sed homo suum contemtum induxit: nec Deo volente factum est aliquando peccatum, sed homine est negligente commissum. In tantum Deo nolente humanum deliquit genus, ut semper peccata exercentibus irasceretur, & justitiam agentibus subveniret. Denique dum totus mundus a justitia declinasset, & dignus esset diluvii perire naufragio, docetur Deus voluisse eum per suam correptionem salvari. Nam quid est quod Apostolus Petrus dicit? [b] *Exspectavit Dei patientia eos qui increduli fuerunt in*

A *diebus Noe, cum fabricaretur arca*. Dicite nobis, quid exspectabat Dei patientia? Numquid prædestinatam perditionem, an provocatam conversionem? Fabricatio itaque arcæ diluvii exstitit prædicatrix. Clamabat ascia, sonabat malleus, contestabatur serra, ipsa infidelibus prædicabant ferramenta diluvium. Datis itaque centum annorum induciis, præcessit lex, quæ perituros diceret posse pœnitendo evadere: quam non prædestinatio impediit, quæ negaret posse corrigendo salvari. Si enim prædestinatio finibus suis terminum fixit: injusta est lex, quæ fines cupit invadere alienos. Ergo ut prædestinationem constituas, præcepta convince: da legi repudium, ut regnum prædestinationi inducas:
B lex enim imperare omnibus semper voluit, & numquam [4] ulli servire. Si ergo prædestinatio imperium legis evacuat, & lex prædestinationis jura conturbat, [5] una e duabus tyrannidem gestat. Eligite nunc, catholici, cui colla subdamus. Si legi, negemus prædestinationem ab imperio suo legem excludere: quia lex dicit, Custodi præcepta mea, & vives: prædestinatio autem dicit, Vasa iræ jam aptata ad interitum, & vasa misericordiæ quæ vocantur ad vitam. Utrumque scriptum est: quid nunc faciamus, eligite. Si jam sunt vasa iræ aptata a Deo ut peccent, & sunt vasa misericordiæ aptata ad vitam ut vivant, fundamus nos omnes prædestinationis imperio, & legem cum suis prædica-
C toribus expellamus. Et ne forte hoc ausu facinoris [6] novum putetis esse peccatum, fecit hoc ab initio omnis turba peccantium. Nam ut quid interfecta est Prophetarum & Apostolorum, & omnium turba sanctorum, nisi hac de caussa, quia legem Dei humanis sensibus ingerentes, arguebant in peccatoribus vitia? Qui si voluissent adulationis voce regnum prædestinationis inducere, exclusa lege justitiæ, nullus fuisset occisus. Dicebant enim illis, sicut scriptum est: [c] *Nolite prædicare nobis dura*. Quid est, nolite prædicare nobis dura? Hoc est sine dubio, nolite nobis per legem comminantem prædicare supplicia. Illi ad hæc, si vos nostri temporis monitores audissent, habuerant illis in his
D verbis adulando servire, & sicut vos facitis, per legis eos testimonia male interpretata decipere. [7]

I. *Estote* [8] *securi de ordinatione Dei, quam prædestinando constituit. Cui vult Deus miseretur, & quem vult indurat. Non est enim volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Potestatem habet figulus luti ex eadem massa facere unum vas ad honorem, alium ad contumeliam. Caro adversatur spiritui, spiritus carni. Hæc invicem sibi adversantur, ut non quæ vultis ipsa faciatis. Jam prædestinavit Deus quos præsciit: & quos prædestinavit, hos vocavit: quos vocavit, hos justificavit: quos autem justificavit, hos magnificavit. Non est*
E *in homine via ejus*. Quod putatis vos in eo quod

a Psalm. CXVIII. 1. *b* I. Pet. III. 20. *c* Isa. XXX. 10.

1. In ms. Augiensi *Liber III. Primasii ad Fortunatum de hæresibus*.
2. Ms. Augiense *in via, id est immaculati*.
3. Ms. idem *dicti viri orthodoxi*.
4. Ms. Augiense *nulli servire*.
5. Ms. idem *unam e duabus*.
6. Ms. idem *novum putet esse*.
7. In ms. Augiensi; *Incipiunt verba libri hæreticorum de prædestinatione. Qui ipsum librum legit, usque dum catholicum incipiat, caute legat propter venena serpentis*. In Mabillonii autem apographo cujus jam meminimus, verba illa, *qui ipsum librum legit* cet. non heic, sed paullo ante, ad calcem Prologi libri tertii leguntur.
8. Ms. idem, I. HÆRETICI. *Estote*, cet.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 461.



bene agitis eſſe laudandos, cum ideo lex loquatur, A *ut timorem incutiat? Ceterum nihil fit, niſi quod voluerit Deus: quem voluerit eſſe ſanctus, ſanctus eſt; aliud non erit: quem præſcierit eſſe iniquum, iniquus eſt; non erit aliud. Prædeſtinatio enim Dei jam & numerum juſtorum, & numerum conſtituit peccatorum: & neceſſe erit conſtitutum terminum præteriri non poſſe.* [1] Hæc quæ dicitis ſi dixiſſent, [2] hominum quidem temporales evaſerant iras, ſed invenerant Dei æterna ſupplicia. Non ergo hoc dixerunt, ſed dixerunt: [a] *Hæc dicit Dominus: ſi volueritis & audieritis me, quæ bona ſunt terræ edetis: ſi autem nolueritis, neque audieritis me, gladius vos comedet. Os enim Domini locutum eſt hæc:* Et iterum, *Hæc dicit Dominus: Quia vos receſſiſtis* B *a me, & ego recedam a vobis, & tradam vos Aſſyriis* [3] *in deprædatione: filios veſtros in conſpectu veſtro occident gladio, & uxores veſtras abducent, quoniam contemſiſtis legem meam, & quæ ego nolui elegiſtis.* Et iterum, *Hæc dicit Dominus: Numquid opprobrium factus ſum domui Iſrael; quonium me dereliquerunt, & præcepta mea & legitima mea computaverunt pro nihilo?* Et iterum: [b] *Quoniam vacavi & contemſiſtis, ego quoque in veſtra perditione ridebo, & gratulabur* [4] *dum venerit ſuper vos repentina calamitas.* Hæc & his ſimilia dicentes, diverſis ſunt interfecti ſuppliciis. Unde & Dominus ad populum civitatis in qua prophetæ fuerant interfecti, clamat tam in prophetis, quam in evangeliis ſuis dicens: C [c] *Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt, quotiens volui congregare filios tuos, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alis ſuis, & noluiſti?* Noluiſti, inquit, quod volui; voluiſti quod nolui. Si ergo noluit Deus quod illi voluerunt, aut coactus a potentiore alio prædeſtinationem conſtituit, aut ſi ipſe conſtituit, calumniam fecit. Ut quid enim dicit homini, hoc volui quod noluiſti, ſi ſcit ſe eum prædeſtinaſſe ne vellet? Secundum veſtram blaſphemiam excluditur reatus hominis, & apparet calumnia Dei: & probatur innocens qui delinquit, & injuſtus qui punit. Dolendum enim eſt peccanti potius quam iraſcendum, quia vim paſſus eſt a prædeſtinatione divina, cum D rueret ad præcipitia criminum. Hoc enim voluit qui creavit: qui enim creavit, ipſe prædeſtinavit. Quod ſi ita eſt, conſtat non ſuum eſſe vitium omnino qui peccat. Si ergo non ſuum habet vitium omnino qui peccat, & conſtat a juſto Deo extranea eſſe univerſa quæ damnat, cujus invenitur factum, hujus invenietur eſſe peccatum. Nulla enim ratio patitur, ut ubi alter prædeſtinator eſt, ibi alter prævaricator eſſe dicatur: nec recipit hoc boni & juſti æquitas, ut prædeſtinationem ſuam crimen faciat alienum. Ergo ut peccantem punias oſtende prædeſtinantem: da auctorem prædeſtinationis, ut poſſis judicem monſtrare peccati; quia unum eumdemque oſtendere non potes prædeſtinantem [5] atque damnantem. Si enim Deus auctor eſt prædeſtinatio- E nis, & operum noſtrorum ipſe eſt conſtitutor, oſtendite alium qui puniat prædeſtinata peccata: aut ſi quaſi juſtus injuſta humani operis facta condemnat, hujus injuſtitiæ alium prædeſtinatorem oſtendite. Cui enim diſplicet factum, numquam potuit ab eo ut fieret [6] conſtitutum. Perquam enim ſtultum eſt,

A ſi ipſum prædeſtinatorem eumdem damnatorem operum confiteris. Nullus enim tam impius quam is qui rem a ſe præordinatatam exhorreat, & id puniat factum, quod ipſe præordinavit ut fieret. Niſi ſi forte, animo ad meliora converſo, mutabilitate conſilii, quod prius fecit judicat eſſe damnandum: quod qui agit doctrina melioris impellitur. Qui vero in omnipotentiæ virtute conſiſtit, & nec parem novit, nec ſuperiorem metuit, dicite nobis prædeſtinationem ſuam quo compellente damnavit? quia ſi prædeſtinati opera rea eſt, multo magis prædeſtinantis ordinatio criminoſa. Si enim is qui prædeſtinatus eſt, per prædeſtinationem ipſam reus eſt; quanto magis ille cujus prædeſtinatio facta eſt, B vocatur in culpam? Cavete, obſecro, ne hæc adulterini ſeminis zizania caſto eccleſiæ dogmati aſpergantur: quia peccatum non a prædeſtinante dirigitur, ſed a delinquente committitur. Recedant ergo vana argumenta verborum. Nihil habent omnino commune prævaricatio delinquentis & prædeſtinatio vindicantis: quia peccatum in voluntate tranſgreſſoris eſt, prædeſtinatio autem in redemtoris eſt ordinata virtute. Non enim aliud prædeſtinavit iſte qui condidit, niſi ut ſecundum ejus homo poſſit vivere voluntatem. Nefas eſt enim, & nimis eſt criminoſum, ut præſumtio hominis ex Dei credatur prædeſtinatione deſcendere, & delinquentis vitium præordinatio futuri judicis æſtimetur. [7] Occurrunt hoc lo- C co, & dicunt, per præſcientiam Deus prædeſtinationem ſuam conſtituit. Nam quos præſciit nullo modo converti, hos prædeſtinavit ad mortem: & quos præſciit omnimodo converti, hos prædeſtinavit ad vitam. [8] Videamus nunc, ſi non iniquis ambagibus judicium Dei ad præjudicium juſtitiæ trahitis. Ergo adhuc non ſunt creati homines, & jam a juſto Deo præjudicium patiuntur? Videtur mihi quod alterum vobis [9] inveniſſetis Deum, qui tam impius ſit, ut a præjudicio circumveniat humani generis maſſam, & nondum nati hominis merita diſpungendo conſtituat, ac prædeſtinationis ſuæ vinculo ad peccandum adſtringat: & cui adhuc conceptio non eſt, jam illi præparet æterna ſup- D plicia: & cui adhuc non dedit lucis hujus labentis tranſitoria munera, jam illi perpetuas tenebrarum præparet pœnas. Quærite vobis ut dixi, alterum Deum de quo iſta dicatis. Nam hunc pium & clementem [10] noſtrum numquam ad hoc provocabitis, ut [11] ſaltim blaſphemiis veſtris commotus, etiam vobis hoc faciat. Nam qui vos patienter tolerat, neſcio jam cui peccanti non parcat. Quotidie nobis injuſte agentibus ſubvenit, & recentioribus delictis ſubinde recentiora indulgentiæ ſuæ dona largitur: & vos dicitis, Jam ante mundi conſtitutionem indignatus nobis pro futuris peccatis prædeſtinavit ſententiam. In præſenti ſe blaſphemantibus veniam tribuit: & vos dicitis, Jam tunc indignatus eſt [12] E contra peccaturos, & prædeſtinavit eos ad mortem, quando prima liniamenta generationis humanæ formavit. Jam ergo tunc egit judicium mundi, ante quam ipſum mundum ſtatueret, ut jam poſt finem ſæculi non inveniat [13] quem punire. Laborem ſibi forte voluit tollere, & ne non occurret poſt facta ſua homines judicare, ante eos prædeſtinavit

a Iſa. I. 19-21. *b* Prov. I. 26. *c* Matth. XXIII. 37.

1. Ms. Augienſe, CATHOLICI. *Hæc quæ vos*, cet.
2. Ms. idem *hominum quidam temporales*.
3. Ms. idem *in deprædationem*.
4. Ms. idem *cum venerit*.
5. Ms. idem *atque peccantem*.
6. Ms. idem *conſtitui*.
7. Ms. Augienſe, II. HÆRETICI. *Occurrunt hoc loco*, cet.
8. Ms. idem, CATHOLICI. *Videamus nunc*.
9. Ms. idem *inveniſſemus Deum*.
10. Ms. idem *noſtrum tamen numquam*.
11. Ms. idem *ſaltem*.
12. Ms. idem *contra peccatores*.
13. Ms. idem *quem puniret*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 461.

ad mortem, quam crearentur ad vitam. Et tamen, si ipse creavit quos prædestinavit ad pœnas, prævenit meritum occidendi; & qui adhuc non cœpit vivere, sententiam jam æternæ mortis accepit. Hoc Deus noster numquam fecit: si vester est aliquis alius, ipsi istas inrogate blasphemias. De Deo autem nostro dicit propheta: [a] *Vivo ego, dicit Dominus; quia cum dixero peccatori, Morte morieris: & peccator se abstulerit a via sua mala, & ab studiis suis pessimis; vivo ego dicit Dominus, vita vivet, & non morietur in delicto suo quod fecit. Et si dixero justo: Vita vives; & recesserit posthac a justitia sua; vivo ego, dicit Dominus, quia morte morietur:* [1] *justitiæ ejus non liberabunt eum: in die qua recesserit a justitia, & fecerit iniquitatem: in iniquitate sua morietur.* Vides nostrum Deum, ex utroque latere & justum monere, ne per securitatem corruat, & peccatorem adloqui, ne [2] pro desperatione non surgat. Si alicubi vos legistis de Deo, Vivo ego, dicit Dominus, quia quem prædestinavi ad vitam, aliud non erit, & quem prædestinavi ad mortem, sine dubio morietur; quis vos ferret ista docentes? Ecce contra sententiam vestram Deus loquitur, & ipsi Deo de se testimonium danti non creditis. Nec justus securus sit, inquit, si dixero ei, Vita vives: quia si recesserit a justitia, in iniquitate morietur: & cum dixerim peccatori, Morte morieris, & conversus fuerit, Vivo ego, dicit Dominus, iniquitatum ejus non recordabor: vita vivet. Nolo enim mortem morientis: tantum ut convertatur & vivat. [3] Occurrunt nobis iterum clamantes, Hoc in veteri lege scriptum est, in novo autem Apostolus clamat: [b] *Vasa iræ aptata in interitum.* [4] Ergo si ante adventum pietatis pietas jam exuberabat; quanto magis nunc, ubi pietas ipsa pro impiis sententiam impietatis accepit, ut impios a reatu suo absolveret, & eos ad indulgentiæ gratiam revocaret? Videamus ergo vasa iræ quo ordine aptentur in interitum. Audi Apostolum, non Dei præordinationi hoc, sed hominis negligentiæ vel diligentiæ adplicantem. [c] *In magna, inquit, domo non sunt tantum vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: & quædam quidem sunt in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo mundaverit semet ipsum ab his, erit vas* [5] *in honore sanctificatum, utile Deo ad omne opus bonum paratum.* Ergo vasa aptata iræ in interitum, si se emundaverint ab his pro quibus aptata sunt in interitum, erunt vasa in honore sanctificata, & Deo utilia ad omne opus bonum parata: secundum quod supra dixit ad prophetam: [d] *Cum dixerim peccatori, Morte morieris*: hoc est, cum dixerim, Eris vas aptatum ad interitum; & hic peccator converterit se ab iniquitate sua, hoc est, cum sit vas aptatum ad interitum, mundaverit semet ipsum ab his, erit vas in honore sanctificatum. Postea quam hinc eos superaveris, ad obscuriora loca scripturarum confugiunt, ut sagittent in obscuro rectos corde.

II. * [6] *Nescitis, inquiunt, quia scriptum est, Jacob dilexi, Esau autem odio habui? Cum enim nondum nati fuissent, nec aliquid egissent boni vel mali, ex præscientia dictum est, ut unus habere-* A *tur odio, alius amaretur.* [7] Necesse nobis erit in hoc loco, de lumine sacræ legis interpretatiunculæ hujus lumen incendere, ut detegamini, non aliud in obscuris locis [8] vos figere, nisi ut simpliciter ambulantes exspolietis catholicos vestitu deaurato, & induatis eos pannis hæreticorum sordibus plenis. In Geneseos libro de Rebecca dictum est: [e] *Duæ gentes & duo populi de tuo utero prodient, & populus populum superabit, & major serviet minori.* Prophetia ergo non de his est qui secundum carnem nascebantur, sed de duobus populis Judæorum & gentium: in quo major populus Judæorum serviet minori, id est gentium. Sic enim & sequitur Apostolus, [f] *a præsciente*, inquit, *dictum est, quia major* B *serviet minori.* Ut quid hoc dixisti, o beate Paulle Apostole? peto ut respondeas. Numquidnam propterea hoc dixisti, ut prædestinatio præjudicium nascituris adferret? Respondet ita Apostolus: Ego propter hoc dixi, Major serviet minori, ut electio ex gentibus fieret. Ergo si prophetiæ hujus mysterium nobis interpretatur Apostolus, tu quis es qui aliter, quam explanavit nobis magister verus, istum sensum exponas: cum dictum ab eo, quod [g] *si Angelus de cælo evangelizaverit vobis præter quam evangelizavimus vobis, anathema sit?* [9] Occurrunt hoc loco renovato certamine dicentes:

III. * *Nos non dicimus præter quam evangelizavit Apostolus.* [h] *Per præscientiam Dei prædestinationem factam ipse commemorat:* C *de Deo ipse dicit, Quos vocavit, hos prædestinavit. Si præscientem & prædestinantem, & vocantem in Apostolo legitis, nobis ut quid impingitis crimen?* [10] Nos vobis crimen non impingimus, sed probamus. Sive enim vos peritos dicatis, arguimus non sic sensus apostolicos vos debere concidere: sive vos probetis imperitos, increpamus non scientes præsumere non debere, & ejus rei magisterium polliceri, cujus numquam voluistis esse discipuli. Vos enim, si voluissetis discere prius, & sic docere, ab istis interpretationibus fugientes, a Dei æquitate numquam [11] recesseratis nec diceretis, quia non omnes homines vult salvos fieri. Apostolus autem legis peritus noster, [i] omnibus se omnia factum D dicit, ut omnes lucrificaret peccatores. Jam enim didicerat, quia [k] conclusit Deus omnia in incredulitate, & vult ut omnibus misereatur. Didicerat quod [l] omne os deberet obstrui, & subditus deberet fieri omnis mundus Deo; & ideo dicebat: [m] *Dico autem per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui in vobis sunt.* Et iterum: [n] *Corripientes omnem hominem, & docentes.* Et iterum: [o] *Idem Deus dives in omnibus vobis.* Et iterum: [p] *Apparuit gratia Dei omnibus hominibus, erudiens nos & docens,* [q] *ut sit omnis homo perfectus in Christo.* Et quia sciebat Filium Dei pro omnibus natum, pro omnibus passum, ideo clamat, dicens: [r] *Hoc placitum est coram Salvatore nostro Deo, qui vult omnes homi-* E *nes salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Unde etiam quotidie nobis in evangeliis suis ipse Dominus clamat, dicens: [s] *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos requiescere faciam.* Unde ut doceret se nullum hominem a sua largitate repellere, promtus, liberalis, abundans,

a Ezech. XXXIII. 13. seqq. *b* Rom. IX. 22. *c* II. Tim. II. 20-22. *d* Ezech. XXXIII. 14. *e* Gen. XXV. 23. *f* Rom. IX. 12. *g* Gal. I. 8. *h* Rom. VIII. 30. *i* I. Cor. IX. 22. *k* Rom. XI. 32. *l* Rom. III. 19. *m* Rom XII. 3. *n* Coloss. I. 28. *o* Rom. X. 12. *p* Tit. II. 11. *q* II. Tim. III. 17. *r* I. Tim. II. 3. *s* Matth. XI. 28.

1. Ms. Augiense *justitia ejus non liberabit eum*.
2. Ms. idem *per desperationem*.
3. Ms. idem, III. HÆRETICI. *Occurrunt nobis*, cet.
4. Ms. Augiense, CATHOLICI. *Ergo si ante adventum pietatis*, cet.
5. Ms. idem *in honorem*.
6. Ms. idem, IV. HÆRETICI. *Nescitis*, inquiunt, *quia*, cet.
7. Ms. idem, CATHOLICI. *Necesse nobis erit*.
8. Ms. idem, *Vos fieri, nisi*.
9. Ms. idem, V. HÆRETICI. *Occurrunt hoc loco*, cet.
10. Ms idem, CATHOLICI. *Nos vobis*, cet.
11. Ms. idem *recessistis*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 461.

numquam minus faciens, loquitur in evangeliis suis dicens: [a] *Omnis qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur*. Nam & scriptura veteris Testamenti omnes ad audiendum gentes invitans, dicebat: [b] *Audite hæc omnes qui habitatis orbem, quique terrigenæ & filii hominum, simul in unum dives & pauper*. Et ideo idem Apostolus, videns quia omnes homines vult Deus, non tamen omnes homines Deum volunt, futurum judicium memorans clamat, dicens: [c] *Omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bona sive mala*. Unde & Apostolus Petrus, *Gratia* inquit, *Dei super omnes, & in omnibus vobis*. Prophetæ omnes vocant, Apostoli omnes vocant, Christum omnes vocat, in toto orbe terrarum sacerdotes Dei innumerabiles omnes vocant ad gratiam & ad misericordiam Dei & ad indulgentiam. Soli duo aut tres homunciones, cæcum habentes cor, egrediuntur cum his libris apostaticis, quos viri catholici esse confingentes, totum vulnerant mundum: quibus novum genus blasphemiæ inducentes dicunt, quod Deus non omnes homines vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: atque unius loci obscuritatem passi, [1] tanto lumini, tamque immenso splendori, tenebrarum suarum volunt inferre caliginem. Sed quia [d] lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non valent comprehendere, juvante Domino, ex ejus thesauris accipientes, locum quem putant hæresi suæ manum porrigere [2] explanavimus. Dicamus nunc & de præscientia & de prædestinatione. Præsciit Deus & prædixit quod in semine Abrahæ, hoc est in Christo, benedicerentur omnes gentes. Quod dum fieret, Judæi satis moleste ferebant. Nam ideo comprehendebant Apostolos, & in custodiis retinebant, dicentes eis: [e] *Prædiximus vobis ne prædicaretis hoc nomen: vos autem [3] replestis omnes doctrina vestra*. Apostolus autem Paullus, videns Judæos in eo deficere quod gentes introirent ad fidem, & excluderent Judæos a privilegio synagogæ per privilegium ecclesiæ, adloquitur eos ut non contristentur, dicens: [f] Quid nunc prohibetis nos gentibus loqui ne salvæ fiant, cum sciatis Deum dixisse ad Abraham, quod [g] *in semine tuo hereditabo omnes gentes*? Præsciit enim Deus, [4] quod Filium ejus essent negaturi Judæi, & essent ei gentium populi credituri. Et ideo ait: [h] *Quos præsciit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*. Judæi enim per circumcisionem filii Abrahæ docentur, gentes autem per baptismum filii Dei fiunt, & est illis frater primogenitus Filius Dei. Unigenitus inquam, specialiter Filius Dei, frater fit eorum qui generaliter filii Dei adoptantur: unde & dicit Patri: [i] *Narrabo nomen tuum fratribus meis*. Hos ergo gentium populos præsciit, ut diximus, quod Filium suum quem Judæi [5] crucifixuri erant, sincero corde susciperent, & ut decebat Dei Filium adorarent: [6] Quos ergo præsciit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut filius ejus esset primogenitus in multis fratribus: hos prædestinavit, quos autem prædestinavit, hos vocavit. [7] Si interrogas Apostolum, quando præ- A destinavit? dicit tibi, tunc quando dixit Abrahæ: *In semine tuo hereditabo omnes gentes*. Et ideo per Prophetam [8] dicit: [k] *Audite hæc omnes gentes*. Dicit ergo Judæis, Nihil novum vobis videatur fecisse Deus, qui voluit promissum patri nostro Abrahæ complere quod promiserat, ut in semine ejus hereditentur omnes gentes. Ergo quia omnes gentes prædestinavit, [9] omnes [l] gentes conclusit in incredulitatem ut omnibus misereatur. Ergo quos prædestinavit, hos vocavit; quos vocavit, hos justificavit auferendo universa peccata: quos autem justificavit, ipsos & magnificavit, id est filios Dei fecit. Quid ergo murmurantes estis o Judæi, prohibentes nos gentes adloqui? [m] *Si Deus pro nobis, quis* B *contra nos*? id est quid in nos mittitis manus, & in Apostolos Dei scandalum patimini? Si enim Deus filio suo non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit eum. Nota tibi, Prædestinate, quid dicat, sed pro omnibus tradidit eum. Dicendo pro omnibus tradidit eum, & Judæis amputavit scandalum, & vestram intentionem exclusit. Miror autem prudentiam vestram sic legisse locum istum, *quos prædestinavit hos vocavit*, ut ad unum versiculum qui inante est timuissetis accedere. [10] Quando enim venistis ad hunc locum, quasi satisfactum putantes intentioni vestræ, noluistis inante ad versiculum qui vos convincebat adspicere, id est, *pro omnibus tradidit eum*: sed clausistis codicem, & cœpistis C clamare, Non omnes vocat Deus ad gratiam suam, non omnes invitat: & dicentibus nostris, Ergo non omnes vocat? vos respondistis, Non omnes vocat. Stupentes itaque nostri atque anxiantes, eo quod audirent quod nullus umquam hæreticorum dixerat, interrogaverunt peritiam vestram dicentes, Unde probatis quia non omnes vocat Deus ad gratiam suam? Ipse Deus non vult eos vocare? an vult & non potest? an non merentur? Si vult & non potest, blasphematur impotens: si potest & non vult, videtur iniquus: si ipsi non merentur, ergo jam gratia non est gratia, & res meriti humani est vocatio, non gratiæ Dei: si autem gratiæ Dei est, [11] & non meriti hominis, omnes vocat. [n] *Omnes enim* D *peccaverunt & egent gloria Dei*, ut dicit Apostolus; & adjecit, [o] *Justificati itaque gratis in gratia ipsius in redemtionem quæ est in Christo*. Ecce gratis, ecce & redemtio. Audenter dico: ubi est præsumtio de merito humanitatis, non est gratia divinitatis: omnia enim quæ gratiæ Dei esse credimus, meritis nostris applicare non possumus. Ergo si gratiæ est & non meriti, quomodo vos dicitis aliquos non vocari, quia sunt ejus vocatione indigni? Si enim nullus ex suo merito vocatur, sed ex dono gratiæ Dei; & alius vocatur, alius recusatur: personarum Deus blasphematur acceptor. Arguuntur etiam Apostoli ejus falsi testes indicii. Nam beatus Apostolus Petrus clamat: [p] *In verita-* E *te*, inquit, *comperi, quia non est personarum acceptio apud Deum*: & beatus Paullus, [q] *Non est enim personarum acceptio apud Deum*: & iterum Dominus dicit de servis, [r] *Eadem*, inquit, *facite illis remittentes minas, scientes quia & vester & illorum Deus in cælis est, & non est apud illum personarum acceptio*. Si ergo ita est, immo quia ita

a Matth. VII. 8. *b* Psalm. XLVIII. 3. *c* II. Cor. V. 10. *d* Joan. I. 5. *e* Act. V. 28. *f* I. Thess. II. 16. *g* Gen. XXII. 8. Act. III. 25. *h* Rom. VIII. 29. *i* Psalm. XXI. 23. *k* Psalm. XLVIII. 2. *l* Rom. XI. 30. *m* Rom. VIII. 31. 32. *n* Rom. III. 23. *o* Ibid. ℣. 24. *p* Act. X. 34. *q* Rom. II. 11. *r* Ephes. VI. 9.

1. Ms. Augiense *tanto lumine, tamque immenso splendore*.
2. Ms. idem *Explanamus*.
3. Ms. idem *Repletis totum mundum*.
4. Ms. idem *Quod filium suum*.
5. Ms. Augiense *crucifixerant*.
6. Ms. idem, VI. HÆRETICI. *Quos ergo* cet.
7. Ms. idem, CATHOLICI. *Si interrogas*, cet.
8. Ms. idem *dicitur*.
9. Ms. Augiense *omnes conclusit in incredulitate*.
10. Ms. idem *Quod enim*.
11. Ms. idem *& non hominis*.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 461.



est, unde probatis quia non omnes vocat ad gratiam suam? aut quem non vult salvare, qui pro crucifigentibus orat? In hac hæresi diabolus tyrannidis suæ furore grassatur, ut letali plaga pæne universum vulneret mundum. Infert bellum creatura creatori, & dicit ipsum prædestinasse quod punit, ipsum ut fieret constituisse [1] quod prohibuit. Quod quam sit impium, quamque sacrilegum, quamlibet imperitus agnoscet. Omne enim peccatum tunc peccatum recte dicitur, cum & reatus delinquentis & æquitas judicantis ostenditur; quia peccati supplicium præcedit semper meritum facti: reum autem nemo facit, nisi eum qui potuit declinare peccatum. Peccatum ergo inter prædestinantem & operantem discerne, ut illius factum malum heic, quasi alienum a se, aut damnet, aut corrigat. A justo autem Deo aliena sunt universa quæ damnat. Unde si prædestinatio in peccantem ostenditur, nihil justo judici probatur debere peccator: quia cujus adseritur prædestinatio, hujus etiam operatio comprobatur. [2] Videtis ne, obsecro, quam graviter blasphemetur his adsertionibus Deus? Si enim prædestinationis ejus vis eo usque adducitur, ut ejus dicatur præordinatione peccatum; fructus malus non nisi ex impia radice procreatur. Erit ergo secundum Manichæum alius Deus malorum, alius bonorum: ut quæ bona sunt, bono adscribantur; & quæ mala sunt, malo: ne videamur pejus Manichæis inclamare blasphemium, cum unum eumdemque Deum quem bonum confitemur & justum, hunc prædestinasse omnia scelera æstimemus. Recedant igitur vana argumenta verborum. Nihil habet commune prævaricatio delinquentis & prædestinatio ulciscentis: quia peccatum in contemtu transgressoris est, ultio vero in judicis æquitate consistit. Tollite itaque e duobus unum, aut judici prædestinationem ut probetis justum, aut alterum judicem futurum ostendite. Nulla enim ratione constitutum suum poterit punire qui judicat: quia si malum prædestinationi dederis Dei, voluntati hominis dare non poteris. Aut enim accusa reatum in homine, & tolle te [3] a blasphemio Dei: aut si prædestinationem a Deo asseris constitutam esse peccanti, reatum quidem peccatori tulisti, sed Deo crimen impingis. Certe peccatum certum est nihil aliud esse, quam prævaricationem hominis, & prædestinationem nihil aliud, nisi ordinationem Dei. Quomodo ergo tam diversa sibimet tamque contraria ad unam compaginem venire potuerunt, ut quod bonum Dei est malum hominis fiat, & delinquentis vitium dicatur præordinatio prohibentis? Illud autem cur non consideratis, qui prædestinatione Dei putatis homines consentire peccatis? Omne certe peccatum vult & desiderat diabolus fieri: & creditis quod prædestinationem suam Deus ad diaboli desiderium & ad hominis interitum posuit, & voluit prædestinationem suam servire voluntati diabolicæ, ut [4] ad libitus dæmonum homines, ante propriæ voluntatis meritum, reos jam addiceret inimico? Hactenus blasphemias hujus loci detexisse sufficiat. Pavido enim corde intolerabili tremore deficio. Octoginta & novem hæreses in primo libello conscripsimus: nullam ita hominibus ad crimina frena laxasse conspeximus: nullam sic blasphemias in Deum adstruentem inve-

A nimus. Fateor, [5] catholici confessores, crescunt eis in hac defensione blasphemiæ. Peto itaque vestræ fidei puritatem, ut dimicantem me vestris precibus adjuvetis, contra hos agentem, quorum tota verba blasphemiæ sunt. Fateor, inquam carissimi, universa mei corporis membra torpescunt, animus deficit, auditus intremuit, facies pallore distabuit, capillorum seges in vertice riget, mens intus cum suis consiliis metu quassante adflicta est, lingua ipsa in suo atrio moveri non prævalet: quoniam contra eos loquimur, qui dicunt Deum diaboli voluntati servire. IV. *Jam enim*, inquiunt, *prædestinavit Deus homines, sive ad justitiam, sive ad peccatum: & idcirco quod eos voluit esse qui condidit, aliud esse* B *non possunt*. Cum interrogaveris eos, ut quid tantum blasphemiæ proferant, dicunt quia dixit Apostolus: [a] *Quos prædestinavit, hos vocavit*. V. Ideoque ajunt, [6] *quos semel Deus prædestinavit ad vitam, etiam si neglegant, etiam si peccent, etiam si nolint, ad vitam perducentur inviti; quos autem prædestinavit ad mortem, etiam si currant, etiam si festinent, sine caussa laborant*. [7] Quis non videat, quod hoc dicto tollatur solicitudo justis timendi ne corruant, & peccatoribus amputetur effectus sperandi ne surgent? Evasimus blasphemias Dei: ad ruinas hominum venimus. Si enim ita est, ut unusquisque hoc sit quod prædestinatus est, cessat lex, cessat sacerdos, cessat devotio populi, clauditur aula confugii, C evacuatur sinus ecclesiæ, nullus genu curvat Deo, nullus benedictionibus inclinat caput, clauduntur apices Dei, atque universa simul virtutum studia evanescunt. VI. [8] *Quantumvis enim*, ajunt, *quicumque studeat, & a Dei ecclesia, & a Dei sacerdotibus, & a divinis studiis non recedat, si semel eum Deus prædestinavit ad mortem, salvus esse non poterit. Judas cotidie verbum vitæ audivit, cotidie adhæsit Domino, cotidie virtutibus occupatus, cotidie ipsum Filium Dei monitorem audivit: & quia prædestinatus est ad mortem, uno ictu subito interiit. Saulus cotidie persecutor, cotidie lapidator Christianorum, cotidie vastator ecclesiarum: & quia prædestinatus est ad vitam, uno ictu subito vas electionis est factus.* D *Quid ergo*, inquiunt, *tu qui in peccatis permanes, expavescis? Si te Deus dignabitur, sanctus eris: aut quid tu qui in sanctitate vivis, solicitus redderis? si Deus noluerit, numquam corrues. Uterque de Deo securi estote. Numquid tu qui sanctus es, & solicitus es ne corruas, & die noctuque orationibus ades, occuparis jejuniis, & divinis lectionibus diligenter insistis, exhortationibus vacas, atque omnibus sanctis studiis quotidie immines, numquid tua voluntate salvus eris? Numquid sanctior eris Juda, qui accepit potestatem infirmos curandi, dæmonia fugandi, mortuos suscitandi, calcandi super serpentes & scorpiones, collega Apostolorum, Christi discipulus; & tamen quia prædestinatus est ad mortem, mortem æternam in-* E *venit? Cessa esse solicitus, & de Dei esto voluntate securus: quoniam si te dignatur Deus ut permaneas, sanctus eris. At tu qui peccator es, disce a Paullo Apostolo. Numquid tu aliquando pejora poteris committere quam ille commisit? & tamen quia prædestinatus est ad apostolatum, evasit subito universa peccata, & ab inferioribus inferiorum ad superna superiorum ascendit*. [9] Hic est omnis summa consilii vestri: hinc

a Rom. VIII. 30.

1. Ms. Augiense *quod prohibet*.
2. Ms. idem *Videsne*.
3. Ms. idem *a blasphemia*.
4. Ms. idem *ad libitum*.
5. Ms. idem *catholici aperte confessores*.
6. Ms. idem, VII. Hæretici, *quos semel Deus prædestinavit*, cet.
7. Ms. idem, Catholici. *Quis non videat*, cet.
8. Ms. idem, VIII. Hæretici. *Quantumvis enim*, cet.
9. Ms. idem, Catholici. *Hic est omnis*, cet.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 461.



decipitis mundum, hinc penetratis domos, [a] & captivatis mulierculas oneratas peccatis, quæ circumducuntur variis desideriis, semper discentes, & numquam ad scientiam Dei pervenientes. Juvante itaque Domino, spiritus ille qui [1] falsorum senum adversum Susannam agentium scidit consilia, hic spiritus nunc vos dividet adversum immaculatam Dei ecclesiam falsa tractantes. Et sicut illi de sua sibi accusatione inventi sunt pleni fallaciis, ita vos ex vestris vobis oppositionibus abscedetis superati. Ipsa itaque verba dicimus inter initia quæ ipsi dixistis: sed aliter eorumdem verborum finem colligimus. Dicimus enim justo, Certe Judas Apostolus fuit, & a Christi vestigiis non recessit, ex ore ejus die noctuque consilia salutis accepit, signa virtutum exercuit, & universa obtinuit apostolatus insignia; & tamen quia neglegens fuit, cecidit. Vigila ne corruas, esto solicitus, [b] quia adversarius tuus sicut leo rugiens circuit quærens ut transvoret. Hoc autem quod cecidit Judas, non putes fuisse impietatis Dei: neque enim Deus illum voluit esse malignum: sed quia [c] fur erat, & loculos habebat, & erat in corde ejus [d] radix omnium malorum avaritia; ideo corruit miser, & [e] crepuit medius, qui tanta dona divina neglexit, qui medico præsente, vulnera sua non solum non curare, sed etiam augmentare studuit. In peccato enim Judæ vos ipsos judices petimus. Ita enim vos juvante Christo concludimus, ut vos ipsos ex vestro judicio superetis. In peccato Judæ grande est sacrilegium, incomparabile facinus, crimen immensum. Dicite nobis, cui vultis hoc crimen adscribi? Ipsi Judæ traditori, an Deo prædestinatori? Si, quod dici pejus peccatum est, quam hoc quod Judas exercuit, hoc peccatum Dei prædestinatoris esse probaveritis; fateor, vicistis: si autem ipsius Judæ est traditoris, defensio nostra accepit palmam: non enim Deus ipsum talem vel prædestinavit, vel talem esse voluit. Defendamus ergo sanctum & immaculatum a crimine Dominum; ne quem ille tradidit per avaritiam, nos per injustitiam accusemus; & tollentes crimen Judæ, Dominum vocemus in culpam. Si enim ideo talis exstitit, quia talem illum Deus prædestinavit, non quia ipse neglexit; ipsum quidem liberamus ab omni pondere criminis, & tollentes nos ab increpatione traditoris hominis, prædestinatoris Dei astutiam accusamus: qui quasi voluerit Apostolum fieri, ut eum ex Apostolo faceret traditorem: quem quasi voluerit elevare ad cælos, ut eum ex alto jactaret: quem quasi voluerit dæmonia ejicere, ut eum dæmonum traderet potestati. Quid moras innectimus? ante oculos vestros utrosque habetis, o nostri temporis tractatores, servum & Dominum, Magistrum & discipulum, Deum bonum & hominem malum: unum accusate quem vultis, & unum laudate quem vultis. Si Deum prædestinantem, Judas immunis est: si Judam tradentem, crimen ejus Deum prædestinasse docere minime poteritis, quia Dei prædestinatio bona est, Judæ autem traditio mala. Bonus ergo rem bonam fecit, quia malum numquam fecisse credendus est. Et si prædestinatio Dei bona est, & Judæ traditio pessima; rei malæ Judæ, & rei bonæ Dei, convenire non potuit. Impossibile est enim, tenebris & lumini, bono & malo, vitæ & morti, veritati & mendacio, simul habere consortium. Reddentes ergo Judæ soli peccatum suum ex integro, & Deo honorem æquitatis suæ integerrimum exhibentes, nobis quoque reddite osculum caritatis. Laboratis enim vano certamine, qui per Judam omnes peccatores excusatis atque defenditis, Dei autem justitiam accusatis. Nunc veniamus ad magistrum bonum & vere beatissimum Paullum, & amota tergiversationis insania, quod verum & integrum negari non potest, explicemus. Aliud est, zelo malitiæ persequi aliquem innocentem, sicut fecit Cain, aliud est zelo Dei persequi, sicut fecit Helias: nec solum persecutus est, sed etiam in conspectu suo multum populum gladio jussit occidi. Cain unum occidit, & æterna damnatione punitur: Helias multos occidit, & ad gloriam rapitur sempiternam. Non ergo, sicut vos putatis, Cain imitatus est Paullus: sed zelo Dei ductus Heliam secutus est. Dicas forsitan, unde hoc probas? Lege ad Galatas eumdem sibi testimonium perhibentem, atque dicentem: [f] *Persequebar*, inquit, *ecclesiam Dei, & expugnabam illam super multos coætaneos meos in genere meo: abundantius*, inquit, *æmulator exsistens paternarum mearum traditionum*, Numquid non omnibus catholicis notum est, Deum Hebræorum hunc esse Patrem Domini nostri Jesu Christi? Quem ergo defendebat? Patrem sine dubio, quia sacerdotes sui ei dixerant hunc non esse filium Dei quem crucifixerant. Credens itaque legi suæ, credens sacerdotibus Dei vivi, [g] accepit ab eis epistolas, ut pergens Damascum ad synagogas, vinctos adduceret Christianos. Prudentissimus vir atque sapientissimus, qui sciebat se zelo Dei agere, sine dubio videbatur ei quod inimicos Dei persequeretur. Pro fide enim Dei, & pro veritate currebat. Non enim filium Dei esse Dominum Jesum Christum didicerat, sed seductorem & deceptorem populi sui, a magistris suis & a sacerdotibus suis ut audierat, æstimabat. Animum itaque Heliæ, non Cain habens, erga novos cultores Dei fortiter insistebat, & ignorans crimina pro virtutibus exercebat. Deus autem, cordis inspector & fidei contemplator, fecit eum misericordiam invenire, quia ignorantiam ejus innocentia comprobabat. Unde hoc probamus? Ipse dicit ad Timotheum: [h] *Fui*, inquit, *persecutor & injuriosus: sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci*. Vides ergo, quia ubi ignorantia est, invidia non est? A justitia enim Dei ignoranti doctrina traditur; scienti vero & contemnenti dictatur sententia. Unde per obscurum ignorantiæ ambulans Paullus, putabat se inimicum Domini sui persequi: ardebat [2] in persecutione, quia placere Domino bonus famulus studebat. Non quiescebat, furebat, abundantius omnibus zelator exsistens paternarum traditionum. Quorum patrum gerens zelum? sine dubio Abrahæ, & Isaac, & Jacob: & qui horum Deus? sine dubio Pater Domini nostri Jesu Christi. Ergo huic placere studens, putabat se ejus inimicum; passus obscuritatem sacerdotum suorum, quibus legis divinæ imperio fidem suam testimonium dantibus exhibebat. Omnibus notum est quid habeat obscuritas. Numquid non ipse usus nos poterit edocere, obscuritatis hanc esse naturam, ut notum & ignotum, parentem & extraneum, civem & barbarum, uno modo ante oculos adferat, qui nisi locutus fuerit, quis ille sit penitus sciri non poterit? Hic ergo, velut bonus custos vineæ Domini sabaoth domus Israel, velut bonus [3] circitor, adprehenso baculo, per noctem ignorantiæ circumibat, ut quoscumque inveniret

[a] II Tim. III. 6. 7. [b] I. Pet. V. 8. [c] Joan. XII. 6. [d] I. Tim. VI. 10. [e] Act. I. 18. [f] Gal. I. 13. 14. [g] Act. IX. 2. [h] I. Tim. I. 13.

2. Ms. Augiense *fatuorum senum*.
3. Ms. idem *in persecutionem*.
1. Ms. idem *circuitor*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 461.

legentes vindemiam Domini, Heliæ animo devastaret. Servo itaque bono, pro Domini sui vinea vigilanti, servo zelo fidei persequenti, servo Heliam imitanti, servo in tenebris ignorantiæ pro veritate certanti, servo cui se sciebat dixisse ut pro veritate certaret usque ad mortem: laboranti ergo, & in obscuro [1] fidei persequenti, & nescienti quod ipse esset Dominus suus, quem putabat inimicum Domini sui, succurrit dicens, Quiesce, ego sum Dominus tuus. Modo tu ipse judica de te ipso. Si introieris in vineam tuam nocte, numquid homo tuus aut servus tuus, in obscuro noctis dum te senserit, & cœperit venire ut te comprehendat, dic mihi obsecro, veritatem profer ex ore tuo; dic mihi, numquid taces, & permittis te teneri ab eo, quem probas quia non zelo, non inimicitiis facientibus te persequitur, sed te defendens, dum te æstimat furem, te ipsum pro te ipso persequitur? Huic tali servo & laus debetur & præmium. Denique, cum dixeris ei persequenti te & volenti percutere, Cessa, ego sum dominus tuus; statim abjecto fuste de manu sua, prosternens se pedibus tuis veniam postulat ignorantiæ: atque illa hora hoc faciet quod ei præceperis. Ita ergo tunc beatus Paullus, missus a sacerdotibus Dei, jam meritis apostolicis plenus, vas electionis erat: habens intra se spiritum Heliæ, persequebatur, ut ei videbatur, inimicos legis Dei, & quem putabat esse furem vineæ Domini sui, ipse erat Deus suus. Patiebatur enim noctem, cujus ei obscurum fecerat incredulitas sacerdotum. Justus vero Dominus in hac ipsa sibi persecutione, quam ipse patiebatur pro sua justitia, complacebat, quia ipse dederat legem quam ille servabat. Non ergo quasi personarum acceptor adprehendit nolentem & fecit volentem, adprehendit infidelem & fecit fidelem, adprehendit inimicum & fecit amicum, adprehendit malum & fecit bonum: sed suum fidelem, & pro se laborantem adloquitur, & dicit: [a] *Quid me persequeris?* At ille ipsa verba quæ solent in obscuro dici ait, *Quis es Domine?* & Dominus: *Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris.* Statim credit, statimque transfert se a synagoga ad ecclesiam, non mutando Dominum, sed ipsum esse quem semper coluit agnoscendo. Non ab alio Deo ad alterum Deum veniendo, sed eumdem esse Deum quem semper coluerat, comprobando. Non ab infidelitate ad fidem veniendo, sed ipsam fidem quam jure habuerat, possidendo. Justus ergo Dominus servum suum cognovit, secundum quod ipse Apostolus ad Timotheum dicit: [b] *Cognoscit Dominus qui sunt ejus.* His autem quos videt non veritatis defensione, sed vanæ gloriæ & cupiditate aliqua, ejus se servos esse jactantes, clamat eis dicens, [c] *Discedite a me, quia non novi vos.* Verum quid stamus in hoc loco, cum non solum has injurias Apostolo inrogetis, ut dicatis eum invitum tractum, cum ad unam vocem legatis eum de se dicentem: [d] *Si nolens hoc ago, dispensatio mihi credita est: si autem volens hoc ago, mercedem accipio.* Excludite eum a mercede sua, & dicite, Quia nolens hoc agis invitus tentus, invitus tractus, non tu curris: neque enim de cursu tuo proficis. esto jam securus. scias te etiam si volueris peccare non posse. Adhæc vobis ipse respondet: [e] *Ego sic curro, non quasi in incertum:* [f] *ego quotidie fe-* A *stino, & ad bravium supernæ vocationis extendor.* [g] *Et licet nihil mihi conscius sim, sed tamen non in hoc justificatus sum.* [h] *Nolite errare: Deus non irridetur.* Ego enim, nisi in jejuniis multis institero, & [i] maceravero carnem meam, & servituti tradidero, ipse reprobus efficiar. O magistrum bonum! o sapientem architectum, & bonorum omnium instructorem! Sic fabricat ecclesiam, qui vult exemplum salutis offerre. Non resupinat animos in bono cursu satagentes, ut putent se ita ad Deum pervenire, ut ab animis suis tollant studium placendi Deo, & dicant, Non ei placebimus de nostro studio, quid studemus? non ei placebimus de nostro cursu, quid currimus? non ei placebimus de no- B stra voluntate, quid volumus? non ei placebimus de nostra vigilantia, quid vigilamus? non ei placebimus de nostra oratione, quid oramus? si prædestinati sumus ad vitam, reprobi non erimus. Hoc excludens Petrus Apostolus clamat: [k] *Vigilate, quia adversarius vester sicut leo rugiens circuit aliquem vestrum transvorare festinans.* Et Apostolus Paullus: [l] *Nolite consentire operibus infructuosis tenebrarum: magis autem & redarguite.* Nolite, inquit, consentire. Vides consensum nostrum quam caute informat? Scit enim per consensum nostrum unumquemque decipi, unumquemque salvari. Consensum autem dico, in quo consentimus medico, qui nos gratis curare volens clamat ad C nos cotidie: [m] *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos requiescere faciam.* Ideo audis vocantem, ut te exhibeas respondentem. Hic qui clamat ut omnes ad eum veniant, ignoravit doctrinam vestram. Nam non diceret, *Venite ad me omnes*: sed diceret, veniant ad me qui sunt prædestinati ad salutem, ut salventur; recedant a me qui sunt prædestinati ad mortem, ut puniantur. Sed non ita est, ut ipsi docetis. Homo enim, si consensum suum a vocatione Dei subtraxerit, perit. Medicus hic noster gratis quidem curat, sed imperat observantiam. Qui non fuerit salvatus, aut vocantem contemsit, aut invitantem renuit, aut ab his quæ ei abstinere sunt mandata neglexit. D Hoc nos dicimus de medico perfecto. Vos quid dicitis? Dicite quod vultis: si laudatis medicum, & culpatis ægrotum, ostenditis medici diligentiam & negligentiam ægrotantis. VII. Non hoc dicitis, sed hoc dicitis quod habetis in fallaciæ vestræ libello conscriptum. [2] *Omnes quos scit dignos salute redemtionis suæ Deus, hos ad salutem prædestinavit: hos tantum salvat, quos se ad salutem prædestinasse cognoscit. Salus enim Dei non voluntati hominis servit. Ipse enim scit cui quid faciat. Nec enim antecedit arbitrii libertas gratiam Dei, sed antecedit gratia Dei libertatem arbitrii.* [3] Hæc vestra scripta sunt, vestra sunt dicta, veris falsa permixta. Respondemus ad singula. Si omnes quos scit E dignos vocat, ergo omnes ad salutem prædestinavit, quia omnes quotidie vocare non cessat. Si hos tantum salvat, quos se prædestinasse cognoscit, ergo omnes prædestinavit ad salutem, quia omnium Dominus & salvator est. Si salus Dei non voluntati hominis obtemperat, sed anticipat gratia Dei voluntatem hominis; ostendite nobis quis nolens consecutus sit baptismatis sacrosancta mysteria, & postea cœpit per gratiam velle quod noluit: aut quis umquam nolens egerit pœnitentiam, & postea

a Act. IX. 4. *b* II. Tim. II. 56. *c* Matth. VII. 23. *d* I. Cor. IX. 17. *e* Ibid. ℣. 26. *f* Philipp. III. 14.
g I. Cor. IV. 4. *h* Gal. VI. 7. *i* I. Cor. IX. 27. *k* I. Pet. V. 8. *l* Ephes. V. 11. *m* Matth. XI. 28.

1. Ms. Augiense *fidem persequenti*.
2. Ms. idem, IX. HÆRETICI. *Omnes quos scit*, cet.
3. Ms. idem, CATHOLICI. *Hæc vestra*, cet.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 461.



quam reconciliatus est, sic cœpit post indulgentiam pœnitere. Duæ istæ res sunt salutis humanæ, sacrificium & confessio. Sed & voluntarie sacrificamus Deo, & voluntarie confitemur. Sacrificium, quo sanguine Christi redimimur, & lateris ejus unda perfundimur: confessio vero, qua confitentes errorem, iterum meremur veniam peccatorum. Ergo duas istas species, quas solas scimus humano generi posse succurrere, quas dicit sanctus Spiritus voluntarie fieri; videamus utrum, ut vos dicitis, ab homine exigantur invito, an a voluntario flagitentur obsequio. Si ab invito & a nolente, damus vobis manus, vicistis; si a consentiente & a desiderante atque volente, consensus veritatis dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. Voluntarie enim sacrificamus Deo, & confitemur nomini ejus, quoniam bonus est.

VIII. [1] *Non ita est*, inquiunt: *Vana est & infructuosa voluntas hominis; vanum est humanæ voluntatis arbitrium*. [2] Si ad comparationem divinæ gratiæ hoc diceretis, unum diceremus. Non enim humanam voluntatem divinæ gratiæ præponimus: omnia enim quæ bona sunt, non homini superbienti, sed Deo adscribimus miserenti. Non tamen hæc dicentes, hoc possumus dicere quod vos & dicitis & scribitis, Vana voluntas est hominis. Nos autem dicimus, Voluntas hominis non est vana: quia si vana est, nec præmium consequetur digna, nec supplicium meretur indigna. Sed ne tam hebetes sitis, ut negligendo, nec audiendo ista quæ adserimus cognoscatis, Ite cum cathecumenis & cum pœnitentibus vestris, ad omnium ecclesiarum pontifices: & si videritis eos nolentibus gratiam baptismatis tradere, aut nolentibus pœnitentiæ imponere manum, sciatis vos esse catholicos. Sin vero, nec baptismatis gratiam ausi sunt tradere, nisi veram & integram exploraverint voluntatem: nec manum imponere pœnitenti, nisi confessionem voluntariam ostendenti; quid insaniæ vestræ vanitate adtracti dicitis hoc loco, Antecedit gratia voluntatem? Major quidem est gratia Dei quam voluntas hominis: sed prior est voluntas hoc loco quam gratia. Illa merito præcedit, hæc ordine. Scio hoc loco quas nebulas soleatis ignorantibus excitare, & calumnioso calliditatis ingenio in hac voce garrire. Ecce dicunt, Prior est voluntas quam gratia. Nos in his duobus locis dicimus priorem voluntatem quam gratiam, in baptismatis consecutione, & in pœnitentiæ conversione: ut non vestro consilio docti homines, incipiant declinare cor suum [a] ad excusandas excusationes in peccatis; dum unus dicit, Si vult Deus, veniet ad me indulgentia peccatorum: & si voluerit me in numero gregis sui addere Christus, fiet. Huic dicimus, nisi volueris ex toto corde tuo credere, non ad te veniet indulgentia, neque gratia hæc ut gregis divini particeps fias. Item in peccatis permanentibus si dicatur, [b] Pœnitentiam agite, [3] adpropinquat regnum Dei: hi cum dixerint, Si Deus dignatur dare veniam peccatis, in potestate ejus est; his dicimus, Nisi volueritis ex toto corde vestro pœnitentiam agere, ad vos Dei indulgentia numquam adtinget. In his ergo duabus caussis dicimus, Antecedit voluntas hominis gratiam Dei. Hanc ipsam rursus voluntatem hominis dicimus quomodo antecedit gratia Dei; quia non haberet hoc ipsum velle, nisi Unigenitus nobis de cælo veniens, omnibus

A officinam suæ gratiæ reserasset. Veniens enim, pro omnibus hominibus passus est. Ergo hoc ordine præcedit gratia Dei voluntatem hominis. Quod ideo dicimus, ut duobus capitibus vos excludamus. Qui enim dicitis, Antecedit gratia voluntatem, bene sonatis, sed male percutitis. Ideo enim dicitis, Antecedit gratia voluntatem, ut homo nec incipiat velle bonum, sed exspectet ut trahatur, exspectet ut nolens fiat bonus; & cum sit malus, dicat, Deus hoc vult, quia gratia ejus ad me non accedit. Nos in isto loco, & vobis & illi qui hoc dicit, occurrimus dicentes, Antecedit voluntas hominis gratiam Dei. Non enim dixit Dominus, accipietis prius, & sic petite; invenietis prius, & B sic quærite; aperietur vobis prius, & sic pulsate; sed dixit: [c] *Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit*. Dicendo *omnis*, generalem caussam instituit, & prædestinationis suæ specialitatem exclusit; & dicendo *qui petit accipit*, priorem voluntatem hominis, quam donum gratiæ demonstravit. Et tamen fit prior voluntas hominis quam gratia, fit & prior Dei gratia quam voluntas Non enim nos ivimus ad Sanctum peccatores, sed ad peccatores Sanctus advenit: nec nos rogavimus ut veniret, sed non rogatus advenit; & ut ascenderet ad Deum homo, Deus descendit ad hominem. exinanivit se, ut nos repleret; humiliavit C se, ut nos exaltaret: pauper factus est, ut nos divites faceret: esuriit panis vivus, ut nos reficeret: sitiit fons perennis, ut nos aridos melliflui & æterni fontis unda perfunderet: tentus est, ut nos dimitteremur: ligatus est, ut nos salvaremur: venditus est, ut nos redimeret: spineam coronam accepit in capite, ut spinas & tribulos primæ maledictionis eriperet: exspoliatus est, ut nos vestiret: in cruce suspensus est, ut nos a cruciatibus æternæ mortis auferret. Damnans de ligno crucis lignum concupiscentiæ, pandit immaculatas manus pro manibus incontinenter extensis: pro concupiscentiæ gustu esca fellis accipitur, & mors vitæ pro vita mortis infertur. Nobis enim vicit, non D sibi. Semper enim ipse victoriosissimus fuit, est & futurus est. Sed quia nos omnes in Adam perdidimus vitam & paradisum, per Christum & paradisum, & vitam æternam, & adoptionem filiorum Dei, & regnum consequimur sempiternum. Hoc loco eum qui dicit, Antecedit voluntas hominis gratiam Dei, exsecramur vehementer. Sic tamen exsecramur, ut dicamus jam ex tempore passionis & resurrectionis & in cælos ascensionis, quo jam gratia in mundo diffusa est, & in gremio ecclesiæ hæc dona omnia divinæ gratiæ conlocata; qui non cucurrerit ad ista tanta dona Dei, & ipse, non vadens ad ecclesiam Dei, exspectet ut ad ipsum veniat ecclesia Dei, dicimus hunc insanum. In hoc E loco dicimus his & talibus, Gratia Dei absque personarum acceptione, in gremio est conlocata ecclesiæ: si quis eam voluerit quærere, invenit: si quis ad eam pulsaverit, aperietur ei: nolentibus autem, aut tepide volentibus, gratia divina non datur; secundum id quod Philippus apostolus dicit spadoni, [d] *Si credis ex toto corde tuo, licet ut baptizeris*. Velle enim nostrum non exclusit gratia, sed incitavit, & dormientem quotidie excitat voluntatem. Jam ergo gratia posita, sicut scriptum est, in medio terræ clamat, [e] *Venite*: hic sermo

a Psalm. CXL. 4. b Matth. III. 2. IV. 17. c Matth. VII. 7. 8. d Act. VIII. 37. e Matth. XI. 28.

1. Ms. Augiense, Y. HÆRETICI. *Non ita est* cet.
2. Ms. idem, CATHOLICI. *Si ad comparationem*, cet.
3. Ms. idem *adpropinquabit enim*.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
461.

Dei anticipat venientem; petite, hic sermo anticipat petiturum; quærite, hic sermo anticipat quæsiturum: pulsate, hic sermo anticipat pulsaturum. Si quæsierit homo & invenerit, gratiæ Dei est: quia Deus invitavit ut quæreres, Deus fecit ut invenires: si non quæsieris, nec invenies; hoc liberi arbitrii tui est. Tantam enim habes liberi arbitrii potestatem, ut & vocantem Dominum tuum contemnere prævaleres. Quicumque ergo salvatur, gratiæ Dei est, qui ut velles instituit: qui & per prophetas, & per se, & per Apostolos suos cotidie te invitat ut velis: si volueris & audieris, quæ bona sunt terræ illius æterna suscipies. Ergo & quod vis Dei est, & quod petis Dei est, & quod consequeris Dei est, quia in hac parte anticipat gratia voluntatem. Nescires enim quid velis, nisi te ipse & per se, & per suos vocaret, & ut peteres, & qualiter peteres, edoceret. Si ita est, quid nunc faciemus de te qui non petis? Deus te noluit, aut tu noluisti Deum? Deus te noluit bonum operari, aut tu noluisti bonum operari? Deus te noluit esse justum, aut tu noluisti esse justus? Ideo te interrogo, o sanctissime prædestinator, ut unum e duobus facias. Aut enim fateberis te vinci, aut Deum blasphemare convinceris. Si enim permittis te vinci, dic nobiscum, Homo noluit bonum, & ideo malus est; quia si voluerit petere, dabitur ei gratia Dei. Cum hoc dixeris, das manus fraternitati, & per reverentiam te deitati concilias. Si autem dixeris, Ideo malus est, quia Deus hoc voluit, non quia homo noluit; probaris blasphemasse Deum, quem malum velle confirmas, & necesse erit ut blasphemantem Deum anathematizet ecclesia.

IX. Dicamus nunc quæ sequuntur libri vestri falsa commenta. [1] *Errat qui se putat volendo bonum pervenire ad Christum, cum ipse Christus dicat:* [a] *Nemo venit ad me, nisi quem pater adtraxerit. Qui melius a Christo sapitis, dicite si mentitus est Christus, & ita demum adserite nos contra Christi regulam istam* [2] *fixisse sententiam. Si enim verum dixit Christus, non mentimur quod dicimus prædestinatos trahi ad vitam, quia vita ipse est.* [3] Non est novum vocis sono decipi posse stultos. Sic vanus Arrius, secutus vocis sonum, dicit filio patrem ejus esse majorem. Et hoc dicit nobis, quod dicitis vos, Si ipsi filio creditis, ipsum audite. Dicit enim, [b] *quia pater major me est.* Vocis sonum qui adtendit, sicut Arrianorum hæresi, sic Prædestinatorum vanitati conjungitur. Quis enim nesciat, non posse venire ad filium, nisi quem pater adtraxerit? Tamen ante quam loci istius occultum mysterium per nos Dominus manifestet, sensum vestrum detegimus. Ideo enim dicitis hoc testimonium, ut nullus monita sacerdotum studiosa aure suscipiat, nullus festinet ad matris ecclesiæ gremium, & duorum testamentorum uberibus coalescat: omnes fugiant domum Dei, & quis ad quod voluerit vitium occupetur, exspectans quando mittat manum pater de cælis, ut eum trahat invitum & nolentem atque contradicentem, & non consentientem faciat electum & sanctum. Hæc vestra adsertio, vestrumque deprehenditur dogma. Nos autem dicimus, quod quamvis quicumque sanctus sit, ille sit Apostolus, ille sit martyr, ille propheta sit, ille sit justus, vires non habet proprias

A ut ad Christum ascendat. Solus enim Dominus sua virtute pro sua deitate ascendit in cælos, & sedet ad dexteram patris. Quamvis ergo quisque sit sanctus, quamvis amicus Dei sit, non habet vires ascendendi in cælos. Et quia filius dicit patri: [c] *Pater volo ut ubi sum, & isti sint mecum*, explanans concordiam deitatis ait, *Nemo venit ad me*, id est, virtute sua nemo potest venire ad me. Non est enim sanctitati hominis possibile ascendendendi ad me, ubi sedeo ad dexteram patris, nisi quem pater adtraxerit. Unde in unius persona omnis cœtus sanctorum dicit Deo: [d] *Tenuisti manum dexteram meam, in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria adsumsisti me.* Unde & adjecit: [e] *Quo-* B *niam qui se longe faciunt a te, peribunt.* Non dixit, quos tu longe facis a te; sed qui se longe faciunt a te, peribunt, ostendens non de Dei exsecratione, sed de elongatione hominis, homini interitum evenire. [4] Quid autem nunc dicat liber prædestinatus audite.

X. *Quod si adgravat vos vis testimonii evangelici, & non potestis adgravati pondere sententiæ nobis dare responsum, saltem Apostoli nobis explanate sententiam, qui dicit:* [f] *Non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* [5] Nos & evangelicum testimonium veris adsertionibus [6] declaravimus, & istam beati Paulli sententiam evidenti manifestamus instinctu. Prius tamen vestrum sensum detegimus, ut cur a vobis usur- C pentur sancta testimonia detestemur. Vultis enim ut nemo velit bonum, nemo currat ad bonum, sed dicat in corde suo, Quantumcumque velim, quantumcumque curram, nihil poterit prodesse volenti, nihil poterit prodesse currenti. Non est enim volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. Nos autem adserimus, neminem gratiam Dei consequi, nisi qui ex fide cucurrerit: quam dum fuerit consecutus, Apostoli monitis prohibetur extolli. Non enim secundum cursum & secundum voluntatem suam, accepit gratiam Dei. Cursus enim & voluntas ejus, quamvis in magno sint, quamvis in amplo sint, tamen mensuram habent: Dei autem gratia mensuram non habet. Et ideo, dum D etiam ad coronam pervenerit justus, non permittitur in sua corona extolli. Dicit enim Spiritus sanctus, [g] *Qui coronat te*, non in merito tuo, sed *in misericordia sua & miseratione sua.* Unde & Apostolus: [h] *Quid habes*, inquit, *quod non accepisti? Quod si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Ergo cursum suum & voluntatem suam ad hoc extendit, ut acciperet a donante: donum autem pro gratia donantis supergreditur meritum laborantis. Sic est enim velle nostrum inter nos & Deum, sicut est inter mendicantem atque donantem. Ille itaque qui donat eleemosynam, vult omnibus dare: si quidem hic noster largitor gratiæ clamat quotidie, *Venite ad me omnes.* Et iterum, E *Petite & accipietis.* Verbi gratia, cucurrit quispiam egenus, & a donante accepit, acceptisque divitiis cœpit esse locuples qui fuerat egenus & pauper: quid nunc dicturus est? Ego de labore meo dives sum, quia volui, quia cucurri? Non hoc dicit; sed dicit, Ego nihil pro merito voluntatis meæ aut cursus mei, aliquid habere me certus sum; sed ejus est totum gratiæ qui donavit. Et hoc dicto potest dicere cum Apostolo vere,

a Joan. VI. 44. b Joan. XIV. 28. c Joan. XVII. 24. d Psalm. LXXII. 24. e Ibid. v. 27.
f Rom. IX. 16. g Psalm. CII. 4. h I. Cor. IV. 7.

1. Ms. Augiense, XI. HÆRETICI. *Errat qui*, cet.
2. Ms. idem *finxisse sententiam*.
3. Ms. idem, CATHOLICI. *Non est novum*, cet.
4. Ms. idem, XII. HÆRETICI. *Quid autem nunc dicat liber prædestinatus*, cet.
5. Ms. idem, CATHOLICI. *Nos & evangelium*, cet.
6. Ms. idem, *declarabimus*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 461.

quia [a] *non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*. Ecce diximus de iſto qui voluit & cucurrit, quia tanta ſunt dona Dei, ut & curſum hominis & voluntatem ſuperent. Curſus enim & ſtudium hominis, niſi inviſibilibus Dei adminiculis juvati fuerint, evaneſcunt. Nam & Apoſtolus [b] certamen bonum certans, & curſum conſummans, & fidem ſervans, & jam tantummodo coronam exſpectans, dicit: [c] *Gratia Dei ſum id quod ſum*. Et iterum nobis dicit, [d] *Gratia ſalvi facti eſtis*. Magnus infelix eſt, qui putat donum Dei ſe merito ſuæ conſequi voluntatis. [e] Omne donum optimum deſurſum eſt a patre gloriæ: nihil vindicamus humanæ potentiæ: totum quidquid bonum eſt, Dei miſericordiæ applicamus. Sic tamen omnia bona dicimus Dei eſſe dona, ut omnia mala quæ agimus, noſtræ negligentiæ imputemus. Aliter enim veniam non meremur, niſi nos vere oſtendamus noſtra culpa peccaſſe, non præjudicio creatoris. Et ſicut diximus de bono, quia totum bonum quod fecerit, Dei eſt gratiæ: ita quidquid malum fecerit, ſuæ æſtimet neglegentiæ. Unde clamat Spiritus ſanctus: [f] *Si volueritis & audieritis me, bona terræ edetis: ſi autem nolueritis, gladius vos comedet. Os enim Domini locutum eſt hæc*. Per occaſionem itaque boni teſtimonii, ſed mali interpretis, vos dicitis, Nolite velle, quia non eſt volentis: ſanctus Spiritus dicit, ſi volueritis. Vos dicitis, nolite currere, quia non eſt currentis: ſanctus Spiritus [1] dicit, [g] *Currite ut omnes comprehendatis*. Dominus Jeſus Chriſtus clamat: [h] *Currite cum lucem habetis, ne vos tenebræ comprehendant*. Dantes ergo vobis repudium: ſancto Spiritui adhæremus. [i] *Melius eſt enim*, ut dicit Apoſtolus Petrus, [2] *obaudire magis Deo, quam hominibus*. Verum quid agimus? rurſus ad pejora veſtrorum creſcit dogma librorum, in quibus legitur.

XI. [3] *Quantumcumque ſtudii ſui vires ad ædificandum moveat humana voluntas, caſſo certamine nititur: aut quid vigilantiam ſuam putat hominis fragilitas æternis deſideriis profuturam, cum propheta evidentibus exclamet documentis, dicens:* [k] *Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, in vanum vigilaverunt qui cuſtodiunt eam? Quid eſt quod contra divinos apices, & contra conſcientiam ſuam ſperat ſe quiſpiam ædificationi ſtudere, cum his ſacris vocibus doceatur ædificatio hominis non eſſe certa, ſed vana?* [4] Primo omnium quæro, quam ædificationem dicatis. Si de cæmentis & luto agitis, cum Ægyptiis iſta tractate. Nos autem hoc loco ædificatiobem verbi Dei intellegimus. Verbum autem Dei in toto orbe terrarum a Dei ſacerdotibus ad ædificationem Dei eccleſiis exhibetur. Vanus eſt ergo ſermo pontificis? inanis doctrina? inane ſtudium? Et ſi vana eſt ædificatio hujus operis, ut quid ab Apoſtolo imperatur? Dicit enim Paullus Apoſtolus: [l] *Ædificate alterutrum: omnia veſtra ad ædificationem fiant*. Et iterum: [m] *Ut ſapiens architectus fundamentum poſui*. [n] *Si quis ſuperædificat ſupra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fænum, ſtipulam, uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit*. Et Dominus in Evangelio laudat [o] virum ſapientem, quia ædificat domum ſuam ſuper petram, quæ nec ventorum, nec fluminum dejiciatur impulſu. Ergo ne in vanum ædificant ſacerdotes eccleſiam; in vanum vigilant, ut ovium ſimplicitatem luporum morſibus tollant? Et quomodo omnes hæreticos æterno anathemate ferientes gregem Chriſti cuſtodiunt? Ubique catholicorum paſcuntur oves, & vernantibus puræ fidei paſcuis, [p] montes exſultant ut arietes & colles velut agni ovium. Ubique a ſolis ortu uſque ad occaſum, unus grex & unus eſt paſtor, a quo lupi interficiuntur, ne noceant gregi Dei: & adhuc non videtis ædificationem bonæ voluntatis vanam non eſſe, ſed certam? Cotidie ædificatur domus Dei per verbum bonum, per exemplum ſanctum, per ſtudium optimum. Cotidie clamat per prophetam Dominus: [q] *Ædificate vobis domos*, non luteas quæ a vento moveantur, ſed quæ maneant in ſoliditatem petræ. Sed vobis iſta omnia quæ diximus, inania videntur & vana. Dicunt enim libri veſtri, *Ædificatio hominis non eſt certa, ſed vana*. Ab initio omnes ſancti ædificationem mentibus contulerunt. Verbi cauſſa, primus Abel ædificavit juſtitiam, Noe innocentiam, Abraham fidem, Iſaac ſacrificium, Jacob ambitionem rerum ſanctarum, Joſeph caſtimoniam, Moyſes ſacerdotium, Jeſus filius Nave conſtantiam animi, David defenſionem populi Dei, Salomon ſapientiam, Joannes pœnitentiam. Hos carptim de multis memoravimus; ut per hos, ceteros quos ſiluimus, ad memoriam ſuam revocans lector, inquirat utrumnam homines fuerint. Si homines fuerunt, quomodo dicunt libri eorum, Ædificatio hominis non eſt certa, ſed vana? Unde agimus nunc concluſionibus catholicis dictum hæreticorum. Aut non fuerunt homines, quia manet ædificatio eorum: aut illi homines fuerunt, & iſtorum adſertio evanuit. [5] *Sed ſi contra nos venitis*, inquiunt, *non contra nos venitis, ſed contra eum qui dixit:* [r] *Niſi Dominus ædificaverit domum in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Et, Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, in vanum laboraverunt qui cuſtodiunt eam. Ergo neſciit, quia non erat utile populo Dei qui hæc fecit ſcribi, & ad poſteros uſque ad finem ſæculi dirigi? Vos itaque qui iſta reprehenditis, auferte hæc de libro pſalmorum, quia legentes & pſallentes hos verſiculos, ut dicitis, ædificari non poſſunt*. [6] Nos dictum prophetæ laudamus, probamus, confitemur, confirmamus & pſallimus, atque hoc ordine ſecundum regulam catholicam explanamus. Ab initio, ut diximus, a ſancto Abele juſto uſque ad Zachariam & Joannem, omnes ædificaverunt domum, non cæmentis, ut diximus, ſed ſanctis exemplis. Verumtamen niſi Dominus Jeſus Chriſtus veniſſet, & ipſe ædificaſſet domum hanc in qua illi laboraverunt, in vanum laboraverant qui ædificaverant eam. Nam & vigilanter inſtiterunt gregi: ſed niſi Dominus Jeſus Chriſtus ſuam cuſtodiam exhibuiſſet, in vanum laboraverunt cuſtodientes eum. Unde etiam ſequitur: [ſ] *In vanum eſt vobis ante lucem ſurgere*. Lux enim Chriſtus eſſe & a Prophetis, & ab Evangeliſtis, & ab Apoſtolis declaratur. Prophetæ ergo omnes ante lucem ſurrexerunt, id eſt ante nativitatem Chriſti. His in vanum fuit ante lucem ſurgere: non enim potuerunt noctem patientibus veritatem oſtendere. Sed venit lux, & manifeſtavit occulta tenebrarum: & tunc demum laus cœpit eſ-

XII.

a Rom. IX. 16. *b* II. Tim. IV. 7. *c* I. Cor. XV. 10. *d* Epheſ. II. 5. 8. *e* Jac. I. 17. *f* Iſa. I. 19. *g* I. Cor. IX. 14. *h* Joan. XII. 35. *i* Act. V. 29. *k* Pſalm. CXXVI. 1. *l* I. Theſſ. V. 11. *m* I. Cor. XIV. 26. *n* I. Cor. III. 10-12. *o* Matth. VII. 24. *p* Pſalm. CXIII. 4. *q* Jer. XXIX. 5. *r* Pſalm. CXXVI. 1. *ſ* Ibid. ℣. 2.

1. Ms. Augienſe *dicit ſic currite*.
2. Ms. idem *obedire magis*.
3. Ms. idem, XIII. HÆRETICI. *Quantumcumque*, cet.
4. Ms. Augienſe, CATHOLICI. *Primo omnium quæro*, cet.
5. Ms. idem, XIV. HÆRETICI. *Sed ſi*, cet.
6. Ms. idem, CATHOLICI. *Nos dictum*, cet.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 461.

ſe unicuique a Deo. Niſi ergo ipſe veniſſet & ædificaſſet domum, in vanum laboraverant ædificantes eam. Nunc ergo quia venit & ædificavit domum, jam non in vanum laborant qui ædificant eam. Et quia venit ut cuſtodiat civitatem, jam non in vanum vigilant qui cuſtodiunt eam. Et quia lux venit, & lucet in tenebris, jam non in vanum ante lucem ſurgimus. Et quia panis lætitiæ de cælo deſcendit, jam non manducamus panem doloris. Hinc enim ſequitur in pſalmo verſiculus. Vos, inquit, [1] in vanum ante lucem ſurgitis, qui manducatis panem doloris. Nos autem qui non manducamus panem doloris, ſed panem ſalutis, ædificemus domum noſtram ſuper petram, & [a] vigilemus exſpectantes Dominum, quia neſcimus diem neque horam. [b] *Beatus ille ſervus, quem dum venerit Dominus*, invenerit vigilantem. Si

XIII. videtur, accedamus ad reliqua. [2] *Sed quid putant iſti ſe voluntate ſua ad fructum ædificationis adtingere, cum nec ipſe vas electionis ſuam adſerat voluntatem implere potuiſſe? Dicit enim de ſe ipſe Apoſtolus:* [c] *Non quod volo bonum hoc ago, ſed quod nolo malum illud facio. Si ergo Apoſtolus quod vult bonum implere non prævalet, quomodo iſti dicunt per voluntatem ſuam ad fructum ſe poſſe gratiæ pervenire.* [3] Numquam feſtinat ad veniam, qui longum vult eſſe quod peccat. Da veniam, magiſter gentium quæſumus, ne nos participes injuriarum tuarum eſſe permittas. Videamus ergo quid volebat Apoſtolus & facere non valebat, & quid eſt quod cogebatur facere quod nolebat. Volebat verum loqui, mentiri autem penitus non volebat; ergo mentiebatur. Volebat pudicitiam, impudicitiam perhorrebat; ergo polluebatur. Volebat contemtum mundi, exſecrabatur omnem gloriam ſæculi; ergo cenodoxus, id eſt inanis gloriæ cupidus exſiſtebat. Poſtremo volebat omne bonum, omne autem quod eſt malum omnimodis exhorrebat; nihil ergo bonum quod volebat Apoſtolus operabatur, ſed omne quod eſt nequiſſimum perpetrabat. Dicitis enim, Dicit de ſe ipſo Apoſtolus: [d] *Non quod volo bonum hoc ago, ſed malum quod nolo illud facio*. Videtis ne, obſecro, in qua [4] blaſphemiorum fovea cæcus ſenſus veſter vos præcipites dederit? Apoſtolum criminibus occupatum fuiſſe vultis oſtendere, ut nemo ſe peccatorem eſſe ſuſpiret, nemo imi cordis gemitum pro ſuis ſceleribus reddat, nec ſtudeat quiſpiam flentibus lavare oculis quod concupiſcentibus inquinavit, cum audiat illum vas electionis, illum magiſtrum omnium eccleſiarum, non bonum quod voluiſſe ſe memorat, ſed malum quod noluiſſe ſe adſerit, perpetraſſe. Aperuiſtis portas, non juſtitiæ, ſed iniquitatis omnibus hominibus, & ex verbis Apoſtoli contra Apoſtolum bella ſumſiſtis, volentes eſſe magiſtri, cum numquam fuiſſe vos diſcipulos oſtendatis, & ſonum litteræ adtendentes ipſi vobis ſubito cœpiſtis eſſe doctores. Quid nunc facimus, qui veſtras blaſphemias non duramus? Si tacuerimus, vos videmini recte dixiſſe, nec ſolum dixiſſe, ſed etiam ſcripſiſſe. Loquimur juvante Domino, fugientes gloriam hominum, neſcios docentes, ſtudioſos inſtruentes, ſcientes lætificantes, vos detegentes. Scriptura libri veſtri eſt, quæ quod pejus eſt, vobis morientibus illa non moritur, & ad everten-

A dos incautos tamquam cancer ſerpit. Videamus quid ſequatur liber a veſtra vanitate conſcriptus. [5] * *Apoſtoli verba ſunt, noſtrum nihil adjungimus. Ipſe de ſe dicit:* [e] *Non quod volo bonum hoc ago, ſed quod nolo malum illud facio.* [6] Arrius in tertio libro ſuo epigramma hujuſmodi poſuit, dicens, Nos verba filii Dei accepimus, & vera credimus, vera etiam confitemur. Ipſe dicit, Pater major me eſt, &, Ego & pater unum ſumus, quia ego in patre, & pater in me. Noluit legere; jungere enim potuit duo iſta, id eſt, *Pater major me eſt*, & *Ego & pater unum ſumus*: & dum iſta duo junxiſſet, invenerat filium hominis & filium Dei. Omnia enim paſſibilitatis genera, a deitate ſublata, ſoli filio * XIV.

B hominis poterunt convenire. Deus enim nec minor, nec major eſt: ſed hoc eſt, quod eſt idem ſemper, carens incremento, carens detrimento. Numquam augmentando proficit, numquam deficit minuendo: ſed ante omnia idem qui poſt omnia, & in omnibus præteritis, præſentibus, & futuris immutabilis perſeverat. Hæc quaſi in alio opere dicta ſint. Memoravimus enim anathemabilem Arrium in tertii libri ſui capite hoc dixiſſe, ordine quo Prædeſtinati dixerunt, Apoſtoli verba ſunt, noſtrum nihil addidimus: ipſe dicit de ſe: [f] *Non quod volo bonum hoc ago, ſed quod odi malum hoc facio*. Veſtram nunc interrogamus prudentiam; Apoſtolum legimus dixiſſe: [g] *Vivo autem, jam non ego:*

C *vivit vero in me Chriſtus: quod autem nunc in carne vivo, in fide vivo Dei*. Quid nunc dicitis? Carnalis erat vir iſte, an ſpiritalis? Si dixeritis carnalis, convincemini; clamat enim, Vivo jam non ego, vivit vero in me Chriſtus. Si conſenſeritis quod ſpiritalis fuerit, nobiſcum iſtum locum explanabitis. Caput enim loci hujus in hoc ſermone reperies quod infit, [h] *Scimus quod lex ſpiritalis eſt, ego autem carnalis ſum*. Si carnalis es, beate Apoſtole, quomodo arguis carnales, dicens: [i] *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quaſi ſpiritalibus, ſed quaſi carnalibus*. Et iterum: [k] *Cum dicatur*, inquit, *in vobis zelus & contentio, nonne carnales eſtis?* & iterum, *Quotquot*, inquit, *ſpiritales*

D *ſumus, hæc ſapimus*. Docemur autem ſcriptis tuis, vir Dei, quod non ſolum ipſe ſpiritalis fueris, & in terra poſitus jure diceres converſationem tuam eſſe in cælis: verum etiam hoc docemur, quod & diſcipuli tui ſpiritales fuerint. Ais enim ad eos, [l] *Si præventus quis fuerit in aliquo delicto, vos qui ſpiritales eſtis, corripite hujuſmodi in ſpiritu manſuetudinis*. Quid ergo nunc nobis dicis: [m] *Scimus quia lex ſpiritalis eſt, ego autem carnalis ſum?* Ad hæc ipſe nobis dignabitur dare reſponſum. *Factus ſum carnalibus quaſi carnalis, ut eos qui* [7] *carnales erant lucrifacerem*. Aperuit ſe nobis veritas, & fallacia eſt a veritate excluſa. Perſonam itaque carnalis hominis in ſe magiſter ſpiritalis excepit. Et

E ne quaſi injurioſus doctor a ſe repelleret auditorem ſe increpat ut alium corrigat. Unde hoc ipſum alibi commemorat, dicens: [n] *Aut numquid peccatum feci me humilians, ut vos exaltemini?* Quid ergo? [o] *Ego*, inquit, *carnalis ſum*: * qui tu? *ego*, inquit, *qui venumdatus ſum ſub peccato*. Numquid tu, Apoſtole, venumdatus es ſub peccato, qui olim Chriſti ſanguine redemtus, innumerabilem per Chriſtum Deo populum redemiſti? Conſtat ergo, quod non

a Matth. xxv. 13. b Luc. xii. 37. c Rom. vii. 19. d Ibid. e Ibid. f Ibid. g Gal. II. 20. h Rom. vii. 14. i I. Cor. III. 1. k Ibid. v. 3. l Gal. vi. 1. m Rom. vii. 14. n II. Cor. xi. 7. o Rom. vii. 14.

1. Ms. Augienſe, *In vanum ædificatis, in vanum vigilatis, in vanum ante lucem*.
2. Ms. idem, XV. HÆRETICI. *Sed quid putant*, cet.
3. Ms. idem, CATHOLICI. *Numquam feſtinas*, cet.
4. Ms. idem, *blaſphemiarum*.
5. Ms. idem, XVI. HÆRETICI. *Apoſtoli Verba ſunt*, cet.
6. Ms. idem, CATHOLICI. *Arrius in tertio libro*, cet.
7. Ms. idem, *carnales ſunt*.

* *Qui tu?*] Forte, *quis tu?*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 461.

suam Apostolus, sed alterius, id est carnalis viri, A voluit hoc loco [1] declarare personam. Ille est venumdatus sub peccato, qui adhuc Christi sanguine redemtus non est; qui [2] adhuc carnalis: & ideo dicitur [a], *Quod operor non intelligo*. Non enim intellegit operationem suam gentilis contra salutem suam esse, qui licet sit gentilis, bonum sibi vult provenire, bonum adipisci, bonum possidere, bonum adquirere, bonum salutis suæ, bonum vitæ suæ: sed non quod vult bonum hoc exercet, sed quod odit malum hoc facit. Odit mortem, sed opera mortis exercet: odit periculum, sed operatio ejus plena est periculo: odit omnia mala, sed quæ odit hæc operatur. Quare? quia [b] *non habitat in carne mea*, inquit, *bonum*; id est non B habitat in me Deus verus. *Nam velle adjacet mihi*, Deum verum me velle certum est: sed hoc quod volo *non invenio*. Occurrunt enim mihi homini carnali, homini venumdato sub peccato, homini qui quod operor non intellego, homini qui non quod volo bonum hoc ago, sed quod nolo malum illud facio, homini in cujus carne non habitat bonum. Occurrunt mihi ista omnia, ut perficere bonum non inveniam. [c] *Condelector tamen legi Dei secundum interiorem hominem*: id est interior homo meus in quo est intellectus meus, condelectatur legi Dei, quæ dicit unum & invisibilem Deum debere adorari. Quamvis enim carnalis sim, scio lignum & lapidem Deum esse non C posse: sed video aliam legem contra sensum meum repugnantem legi mentis meæ, quæ dicit & probat hos deos esse non posse; repugnat tamen lex hæc carnalis legi mentis meæ, captivum me ducit in lege peccati, quæ lex non est in mente mea, sed in membris meis. Corpore enim ducor, ubi animo non consentio. *Infelix, ego homo!* Non hoc de se dicit Paullus. Non enim erat infelix, sed beatus & sanctus est. [d] *Infelix*, inquit, *ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per Dominum nostrum Jesum Christum*. Veniet ergo gratia baptismatis sacri, & carnalem hunc faciet spiritalem, & venumdatum sub peccato redimet a peccato: & jam non dicit, quod operor D non intellego. Non enim quod odit malum hoc agit, sed quod vult bonum hoc faciet. Scit enim quoniam jam habitat in carne ejus bonum, id est Spiritus sanctus, per quem & velle ei adjacet, & perficere inveniet pro sua bona voluntate. Jamque securus est, & condelectatur legi Dei secundum interiorem hominem: quia non videt aliam legem in membris suis. Solam enim legem Christi in se habet, quæ non repugnat legi mentis ejus, & non eum ducit captivum in lege peccati, sed liberum eum ducit ad vitam æternam. Et jam non infelix homo, sed felix ergo homo, quia hæc omnia mala evasi, & hæc omnia bona inveni. Quis autem hoc mihi præstitit, si requiris, Gratia Dei per Do- E minum nostrum Jesum Christum. Et ne remaneret expositionis hujus ambiguitas, qua putaretur Apostolus de se ista dixisse, ponit verba increpativo modo legenda, quibus ait: [e] *Igitur ipse ego mente servio legi Dei, carne autem legi peccati*. [f] *Nihil ergo damnationis est in Christo Jesu his qui secundum carnem ambulant*. Hoc est, si ego qui sum Apostolus, carnalis existimor; nihil habebunt damnationis hi qui carnaliter vivunt? & adjecit, [g] *Lex autem spiritus & vitæ liberavit te a lege peccati & mortis*. Unde & in alio loco dicit: [h] *Cum servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. Nunc autem liberati a peccato, servi facti estis Dei*. Deus autem in eo de servitiis omnium gloriatur; quia servitia quæ habet, nullis poterunt servitiis comparari. Universa enim servitia coactiva noscuntur: Dei autem servitia, nisi voluntaria fuerint, stare non possunt, secundum hoc quod scriptum est, *Pater neminem trahit invitum*. Unde propheta plenus Spiritu sancto clamat: [i] *Ex voluntate mea confitebor Domino*. Et iterum: [k] *Voluntarie sacrificabo tibi*. Sed his omnibus contrarii [3] librum nobis proferant cæcis ambagibus circumdatum, & quasi nescium sui, iterum eadem repetentem atque dicentem. * [4] *Non vocantur nisi prædestinati: antecedit enim gratia Dei voluntatem hominis: prior est enim Deus in bono hominis: homo autem in omni bono vix novissimus invenitur. Date primas partes Deo, ut superbiam evacuetis humanam. Quod si volueritis superbiam* [5] *nutrire hominibus, apparet vos ruinam generis humani perquirere, qui docetis in bono opere non Deum antecedere, sed hominis voluntatem, ut ipsi videantur magis Deum ut bonum faciat suis suggestionibus admonere, quasi qui non faceret bonum nisi ipsi dixissent; cum constet Deum nullo suggerente, nullo rogante, bona omnia hominibus condonare. Non enim dicit Apostolus, cum rogaremus, & peteremus, & curreremus, & vigilaremus, sed* [l] *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo: non per voluntatem nostram, sed per mortem filii ejus. Ubi est voluntas hominis? exclusa est. Non ergo omnis qui vult salvatur; quia si omnis qui vellet salvaretur, nullus poterat a salute effici alienus. Omnis itaque homo salvari vult, sed non omnis salvatur homo. Salvatur enim is quem voluerit Deus. Utique, inquam, is quem voluerit Deus: ut exclusa hominis voluntate, suam plenam ex integro gratiam manifestet*. [6] Beatos dico priores nostros, qui tantum facinoris usum minime cognoverunt. Quis umquam suspicaretur de rebus bonis contra bonitatem agendum, & contra justitiam armis justitiæ dimicandum? Non vocantur, inquit, nisi prædestinati. Et nos vobiscum dicimus, non vocantur nisi prædestinati. Nam qui omnes gentes jussit discipulis suis ut vocarent, dicens: [m] *Euntes baptizate omnes gentes*; omnes ipse ante adventum suum prædestinavit. Omnes ergo gentes prædestinavit ad vitam, quia omnes gentes vocavit ad vitam. Qui venerit, imputabit divinæ clementiæ prædestinanti pariter & vocanti: qui autem non venerit, imputet suæ negligentiæ contemnenti pariter & nolenti. Non est enim divinæ prædestinationis ut hominis perditio fieret: nec voluntas Dei est, quando diaboli voluntas impletur. Inimicæ enim sibi sunt istæ & contrariæ voluntates, & non potest una fieri absque contemtu alterius. Quod si non vocantur aliqui ad vitam, in illis qui non vocantur diaboli voluntas impletur. Et miror qua fronte ejus intretis ecclesiam, quem dicere non timetis diaboli voluntati subjectum: diaboli enim voluntatem implere probatur, qui non vult omnes homines pertingere ad salutem. Sicut enim in his quos vult salvare, suam creditur voluntatem implere:

XV.

a Rom. VII. 15. *b* Ibid ℣. 18. *c* Ibid. ℣. 22. *d* Ibid. ℣. 24. *e* Ibid. ℣. 25. *f* Rom. VIII. 1. *g* Ibid. ℣. 2. *h* Rom. VI. 20. *i* Psalm. XXVII. 7. *k* Psalm. LIII. 8. *l* Rom. V. 10. *m* Matth. XXVIII. 9.

1. Ms. Augiense *declarari*.
2. Ms. idem, *adhuc carnalis ideo dicitur quia filius carnis est, & ideo dicit quod operor*.
3. Ms. idem *librum hæretici nobis*.
4. Ms. idem, XVII. HÆRETICI. *Non vocantur nisi*, cet.
5. Ms. idem *nutrire hominis*.
6. Ms. idem, CATHOLICI. *Beatos dico*, cet.

ſic in iſtis quos non vult, diaboli voluntas impletur. Sed bonus Deus bonos eſſe vult omnes; & hinc errorem patimini, quia omnes quos bonos eſſe vult, boni non ſunt. Soletis enim dicere, Qui non ſunt boni, Deo eos a ſe repellente mali ſunt: ut hi qui peccant, videantur non ſuo vitio eſſe peccantes. Si ergo hinc errorem patimini, quod Dei voluntas non impleatur; cur non magis hinc judicium detis peccantibus, quo laudetur Deus de ſuæ patientia pietatis, & culpetur homo de impatientia propriæ voluntatis? [1]

XVI. *Dicitis enim, Ergo homo vincit Deum. Vincit enim Deum, ſi Deus eum vult eſſe bonum, & bonus non eſt.* [2] Quid ergo hoc loco adtenditis vos? Numquid luctantem videtis Deum & hominem, ut iſta dicatis? Si luctantem videretis, recte uni parti victoriam traderetis. Nunc autem, quia medici normam tenens Salvator hominum, dat monita, non ſuæ utilitati neceſſaria, ſed noſtræ ſaluti utilia: quædam fieri jubet ut vitam obtineas, quædam prohibet fieri ut mortem evadas: ſi audieris, imputabis Salvatori quod vives: ſi contemſeris, tuæ reputabis ignaviæ, dum cœperis mortis ſentire tormenta. Quod ſi tu dicas mortem ægroti medici imperitia eveniſſe; nos docemus medicum ex omni parte perfectum. Si autem dixeris, ejus voluntate mortis interitum devolutum, ipſe tibi exclamat, dicens: [a] *Nolo mortem peccatoris.* Quem ſi interrogare merearis, & dicas, Si hoc non vis, oſtende quid velis; reſpondebit, Volo ut convertatur & vivat. Unde facimus & nos clauſulam catholicam veſtris aſtutiis obviantem. Si poteſt homo Deo nolente delinquere, quanto magis poteſt Deo volente delictis finem imponere? Si poteſt homo velle quod Deus non vult, quanto magis poteſt homo velle quod Deus vult? Si poteſt homo Deo nolente perire, quanto magis poteſt Deo volente ſalvari? Si potuit homo Deo nolente implere voluntatem diaboli, quanto magis poteſt Deo volente implere voluntatem Dei? Si potuit homo prædeſtinationem Dei ſua averſatione contemnere, quanto magis poteſt prædeſtinationem Dei ſua converſione complere? Dixit itaque Deus, Hoc nolo, illud volo: id eſt, dixit, Nolo mortem morientis, volo ut convertatur & vivat. Quod dixit volo, hoc prædeſtinavit, nihil enim prædeſtinavit invitus: quod dixit nolo, deſtituit. Si poteſt homo velle & facere quod Deus non vult, quanto magis poteſt & velle & facere quod Deus vult? De perditione heic agitur hominis, & ſalute. Deus vult ut ſalvemur, diabolus vult ut pereamus. Si poteſt fieri perditio hominis quam vult diabolus, per noſtram negligentiam: quanto magis poteſt fieri liberatio hominis quam vult Deus, per diligentiam bonæ & fideliſſimæ voluntatis?

XVII. [3] Sed dicit liber veſter, *Antecedit gratia Dei voluntatem hominis.* [4] Nos dicimus, Non ſolum antecedit, ſed etiam ſequitur Dei gratia hominis voluntatem. Prius tamen quam oſtendamus quomodo antecedat & quomodo ſequatur, vos exponimus quid velitis oſtendere. Dicitis itaque, Antecedit gratia Dei hominis voluntatem, ut dum audierit homo tam dignam, tamque veram ſententiam, illud quod ſequitur non adtendat, ſed vobis exponentibus diſcatur ut ceſſet voluntas hominis: nedum cœperit velle, Deum excitare videatur in zelum: exſpectet ut prius gratia veniat quæ nolentem trahat, quæ cogat faſtidientem, quæ teneat fugientem. Volutetur homo in cœno, efficiatur fæx cloacarum, & criminum gurgitibus dimergatur, & ſit ſecurus ex vitio. Si enim venerit gratia antecedens, erit homo recedens a crimine. Non enim prior erit homo Dei gratiæ, ſed gratia Dei prior erit hominis voluntati. Deteximus hoc veſtrum ſtudium. Nunc contra hoc quid catholici teneamus, neceſſe eſt ut juſtis adſertionibus demonſtremus. Memores eſtote quia vobiſcum dicimus, Antecedit gratia Dei hominis voluntatem. Diximus itaque, Et antecedit, & ſequitur. Antecedit, quia non petentibus, non rogantibus, non etiam volentibus nobis, venit filius Dei univerſum mundum a morte eripere; & ut aſcenderet ad Deum homo, ſicut jam diximus, Deus deſcendit ad hominem. Venit invitare eſurientes ad epulas, ſitientes ad fontem, miſeros ad fortitudinem, mendicos ad divitias, triſtes ad lætitiam, venditos ad redemtionem, ſervos ad libertatem, captivos ad requiem. Ecce hoc loco docemus quod antecedit gratia Dei voluntatem hominis. Nunc videamus quomodo iterum ipſa ſequatur quæ anteceſſerat ſubſequendo. Gratia enim quæ anteceſſit, oſtendit quid petas, quem petas, & qualiter petas: oſtendit quid quæras, qualiter quæras, ubi quæras: oſtendit quid pulſes, ubi pulſes, qualiter pulſes; & ab hac indagine nullum excluſit. Non ſolum nullum excluſit, ſed etiam cunctos univerſaliter invitavit: [b] *Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur.* Et iterum dixit: [c] *Numquid filius ſi petit panem patrem ſuum, lapidem porrigit ei? aut ſi piſcem petierit, numquid ſerpentem porriget ei? Si ergo vos, cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris; quanto magis pater veſter qui in cælis eſt, dabit bona petentibus ſe?* Petentibus utique. Sicut ergo tecum dixi in ſuperiori loco, quia antecedit gratia Dei voluntatem hominis: ita nunc mecum dic in iſto loco, antecedit voluntas hominis gratiam Dei: non ſuperbiendo, ſed petendo, non extollendo ſed quærendo, non luctando ſed pulſando. Niſi enim ex fide voluerit, nullus ei baptiſmatis donum gratiæ divinæ impertit: niſi, inquam, ex fide voluerit credere, non erit particeps indulgentiæ: niſi ex fide deſideraverit, ad donum Dei pervenire non poterit. Si enim ad Chriſtum veniens dixerit gentilis, nolo baptizari, baptizari non poterit. Si ad pœnitentiæ fructum delinquens veniens dixerit, nolo reconciliari, reconciliari non poterit. Utroſque ſacerdotalis cenſura examinat, quibus nihil gratiæ conferre prævalet, niſi integerrimam ex ore eorum didicerit voluntatem: aut ſi auſus eſt, vos ipſi cognoſcite. Majus aliquid dicamus. Si etiam infirmitatis vis ſermonis auferat facultatem, nullatenus poterit tacenti gratiæ Dei copia miniſtrari. Mentis enim ſecretum niſi linguæ internuntio fuerit declaratum, conſequi non valebit gratiam. [d] *Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem fiet confeſſio ad ſalutem.* Dicente ergo Domino: [e] *Omnis qui petit accipit,* antecedere videtur voluntas petentis, ut poſſit concedi petentibus gratia retribuentis. Et ne forte fluctuantem te in iſto loco videar reliquiſſe, qui omne bonum gratiæ tribuis, non mecum laboras: non ſolum tunc dicam anteceſſiſſe gratiam, cum Deus adjungi homini non dedignatus, non peten-

[a] Ezech. XXXIII. 11. [b] Matth. VII. 7. [c] Ibid. ℣. 9-11. [d] Rom. X. 10. [e] Matth. VII. 7.

1. Ms. Augienſe, XVIII. HÆRETICI. *Dicitis enim,* cet.
2. Ms. idem, CATHOLICI. *Quid ergo,* cet.
3. Ms. idem, XIX. HÆRETICI. *Sed dicit,* cet.
4. idem, CATHOLICI. *Nos dicimus,* cet.

tibus nobis venire dignatus eſt: ſed & uſque hodie antecedit voluntas Dei voluntatem hominis. Vult enim ut ſalvemur, & nos nolumus. Væ autem mihi & mei ſimilibus, quia quotidie antecedit voluntates noſtras & gratia, & invitatio, & voluntas Dei, & compunctio, & promiſſio gaudii ſempiterni, & terror æterni ſupplicii. Quotidie ergo præcedit voluntates noſtras gratia Dei, innumerabilibus plena ſuffragiis: ſed noſtra voluntas univerſa iſta Dei dona non ſequitur. [1] *Quid ergo dicit liber veſter? præcedit voluntatem hominis voluntas Dei.* [2] Et nos quid diximus? & præcedit, & ſequitur. Quid ergo laboravimus loquentes: quia vos tantummodo *præcedit* dicitis, *ſequitur* denegatis. Ipſum autem quod dicitis quia præcedit, idcirco dicitis, ut homo in criminibus poſitus velle ſuum faciat quieſcere, & exſpectet ut veniat ad eum prior gratia, ne incipiat velle ſuum anteponere gratiæ Dei. Nos autem catholici hæc exſecramur, & dicimus, Antecedit gratia voluntatem hominum oſtendendo vitam æternam in qua delectentur, oſtendendo incendium ſempiternum in quo terreantur, ut a peccatorum delectationibus revocentur. Antecedit, inquam, quotidie gratia voluntates noſtras: ſed noſtra, quod eſt pejus, voluntas non ſequitur. Inde eſt quod flemus orantes, gemimus pœnitentes, quia antecedentem non ſequimur, invitantem contemnimus, & neque blandientem patrem ut filii honoramus, neque terrentem dominum timemus ut ſervi. Unde etiam ipſe ad nos loquitur per prophetam: [a] *Filius honorat patrem, & ſervus timet dominum. Si Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus? Si pater, ubi eſt honor meus?* Interrogamus nunc. Aliquid exigit a nobis antecedens gratia, an non exigit? procul dubio exigit. Quid exigit? hoc utique quod ipſi dicitis, voluntatem ipſam. Ergo antecedit gratia. Quid eſt gratia? ut quod petieris, gratis accipias. Et ideo non dixit, emite & dabitur vobis, ſed, petite & dabitur vobis. Et unde apertius fratrum ſimplicitas hunc ſenſum agnoſcat, aliquam ſimilitudinem offeramus. Oſtenſa eſt Salomoni ſapientia: ecce gratia: quid nunc dicat cui oſtenſa eſt, ipſum Salomonem loquentem auſculta. [b] *Amator*, inquit, *factus ſum formæ ejus, & hanc quæſivi adſumere mihi, & currebam poſt eam: eo magis illa elongabat a me.* Non tibi videtur puellam pulcherrimam inlicientem & provocantem amatorem in curſu? Ut quid nunc voluerimus hujus exempli facere mentionem? Audite gratiam Dei. Ponamus filiam patris. Hanc tibi, o homo ſcias evidentibus indiciis a ſuo patre manifeſtatam, ut videas & amator efficiaris pulcritudinis ejus. Oſtendit etiam quantæ ſint ejus divitiæ, quanta dilectio, quanta adfabilitas, quanta fides. Eſt ergo pulcra, eſt dives, eſt fidelis, eſt ſapiens, eſt etiam ſummi regis filia. Hanc tibi, o homo, ad hoc ante oculos tuos pater exhibuit, ut amator ejus factus petas eam tibi in matrimonio, & ex ea Deo filios facias, ſicut fecit ille qui dicebat: [c] *Si decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, non tamen habebitis multos patres: nam in Chriſto Jeſu per evangelium ego vos genui.* De qua conjuge nos genuit Paullus Deo? utique de gratia Chriſti: cujus amator factus, univerſa pro amore ejus ſuavia habere ſe adſerebat ſupplicia. Cape ergo a carnis exemplo comparationem puellæ, ut ad ſenſum melius ſpiritalem adtingas. Ergo eſt tibi oſtenſa puella a patre: ecce gratia patris anteceſſit voluntatem. Jam tu incipe velle. Oſtenſa utique gratia ejus qui oſtendit, ut quantum te amare credi debeat ex hoc conſideres, quia ut te ſuum faceret, filiam ſuam tibi oſtendit, pulcram, divitem, ſapientem, ad hoc ut amator ejus effectus poſſis eam adſumere tibi in matrimonio. Ecce gratia antecedens voluntatem, ecce gratia ſtimulans pectus, ecce gratia inliciens mentem, ecce gratia excitans dormientem. Quid nunc jubetis ut faciat pater non petenti, non roganti, non concupiſcenti, & calorem amoris tui non oſtendenti? Tollit filiam ſuam, & jungit eam tibi faſtidiis occupato, aut aliis amoribus circumdato? Non hoc facit. Sed niſi quæſieris eam ut argentum, & niſi ut theſaurum veſtigaveris eam, & niſi ex fide volueris, & niſi ex fide cucurreris, & niſi tuam veram dilectionem oſtenderis, non eam omnino percipies. Sufficiat tibi, quia cum tu mendicus ſis, & illa ſit dives, ſuis te divitiis locupletat, degener tu, illa ſummi imperii filia, & ſua te generoſitate nobilitat. Quid autem dicat pater ejus amatoribus filiæ ſuæ ſolicitus diligenter auſculta: [d] *Qui diligit*, inquit, *patrem & matrem plus quam me, non eſt me dignus.* Non dixit, qui pauper eſt, aut qui degener, aut qui miſer eſt: ſed qui diligit aliquid plus quam me, non eſt me dignus. [3] O gratia antedens voluntatem, amorem ſolum flagitans! o homo, ama & accipe: ſed ſi amas factis oſtende. Omnis qui amat, vult, cupit, rogat, vigilat, currit, feſtinat, ſatagit per amicos, [4] per natos, per familiares, per ſervos, per ſe ipſum opportune, importune, obſecrationibus, promiſſionibus, fixo pacto, integroque amoris indicio. Et ut aperiam tibi oculos, tu qui te putas invitum & nolentem gratiæ divinæ poſſe ſociari; quid eſt quod quando eam dat pater, per familiares ſuos gratia antecedens exprimitur? Inquiritur ab eo qui eam accipit, quomodo veniat: ſi abrenuntiet omnibus amoribus mundi, omnibus pompis inimici: qui niſi velle ſuum expreſſerit verbis, numquid datur ei gratia quam popoſcit? Quid ergo vult, quid cucurrit, quid deſideravit homo? gratiam conſequi: & quid promittit? abrenuntio omnibus pompis diaboli & voluptatibus ejus. Oſtendit ſe nolle quod voluit, & incipit velle quod noluit: & tunc jam gratiæ participio incipit delectari, per quam & dives & regis filius nuncupetur. Ecce gratiam Dei vobis & antecedentem & ſequentem oſtendimus. Antecedit, quia vocat, quia provocat, quia invitat ut venias: ſequitur, quia dum veneris, & volueris, & petieris, donat. Videamus nunc quo veſtra pergat intentio.

XVIII. Dicit enim anathemabilis liber a veſtra [5] vanitate conſcriptus. [6] *Non enim cum rogaremus neque cum peteremus, ſed cum inimici eſſemus reconciliati ſumus Deo, non per noſtram voluntatem, ſed per mortem filii ejus*, [7] Jubetis ergo, ut non rogent homines Deum ut reconcilientur ei, ſed efficiantur inimici ejus, ut poſſit ſtare Apoſtoli Paulli ſententia: neque voluntatem ſuam bonis niſibus tradant: quia hoc quod reconciliantur homines Deo, dicitis, Dixit nos Apoſtolus reconciliari Deo, non per voluntatem noſtram, ſed per mortem filii ejus. Ergo qui inimicus fuerit Deo, ipſe reconciliandus eſt Deo, ipſe ſalvandus ſecundum vos? hi qui Chri-

a Malach. I. 6. b Sap. VIII. 2. c I. Cor. IV. 15. d Matth. X. 37.

1. Ms. Augienſe, XX. HÆRETICI. *Quid ergo dicit*, cet.
2. Ms. idem, CATHOLICI. *Et nos quid diximus*, cet.
3. Ms. idem. *En gratia antecedens.*
4. Ms. idem *per notos.*
5. Ms. Augienſe *vanitate confictus.*
6. Ms. idem, XXI. HÆRETICI. *Non enim*, cet.
7. Ms. idem, CATHOLICI. *Jubetis ergo*, cet.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 461.

ſtum crucifixerunt hi ſalvandi ſunt, & qui dixerunt, Nolumus hunc, ipſi ſunt liberandi? hi autem qui inimici non fuerunt ſed amici, & voluerunt animam ſuam in amore ejus ponere, hi erunt in exſecratione Altiſſimo? Probatis vos omnibus hæreticis acrius blaſphemare, qui nolentes rectum tramitem ingredi, anfractibus vos plenis erroribus tradidiſtis. Non enim inimicitias noſtras ad Deum Apoſtolus, ſed caritatem invitat. Dicit namque. [a] *Commendat itaque caritatem ſuam Deus in nobis: quoniam ſi cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filii ejus; multo magis reconciliati ſalvi erimus ab ira per ipſum*. Commendat ergo hoc opere caritatem ſuam in nobis, ut vel ſic amorem noſtrum ei ex integro conferendo, videamur ſaltem amoris voto rependere quod viribus non valemus. Nam quod nos diligit Deus, nobis prodeſt: nos ſi diligimus Deum, illi prodeſſe non poſſumus. Deus enim nullius eget, nullo honorante ſublimatur, nullo contemnente dejicitur. Ergo ut quid commendat caritatem ſuam in nobis? Ut dicamus utique ſi cum inimici eſſemus ita nos dilexit, ut etiam unicum ſuum pro noſtra omnium pateretur ſalute interfici; quanto magis nunc jam reconciliatos ſibi ſalvos faciet in vitam ipſius? Unde excludens veſtram ſpecialem defenſionem, generalem gratiam introduxit, dicens: [b] *Conſiderantes hoc, quod unus pro omnibus mortuus eſt*. Et adjecit, *Ergo omnes mortui ſunt: quia pro omnibus mortuus eſt; ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro omnibus mortuus eſt*. Occurrit nobis hoc loco inſanus liber veſter, &

XIX. dicit: [1] *Vos*, inquit, *ubicumque omnes legitis, generaliter vultis intellegi, cum omnes ſæpe pro parte doceantur*. Nam cum dicitur: [c] *Omnes declinaverunt: non tamen omnes declinaverant*. Et: [d] *omnis homo mendax, non tamen omnis homo mendax: quia legimus de quodam; Erat homo verax. Pars ergo maxima omnes videtur ſignificare, cum utique conſtet non omnes intellegi*. [2] Nullum in libro veſtro locum ſine blaſphemiis invenimus. Hæc aſſertio ubi adtendit? Ut conſentientes vobis dicant Chriſtum non pro omnibus paſſum. Si hoc non vultis intellegi, ergo non pro parte hoc loco Apoſtolus nominavit omnes, ſed omnes generaliter memoravit. Corrigite ergo librum veſtrum, quia Chriſtus pro omnibus paſſus eſt, omnibus hominibus ſubvenire feſtinat. Omnes vocat, omnes invitat: qui ſalvatus fuerit, imputabit gratiæ Dei vocanti, invitanti, ſuccurrenti: qui non ſalvatus fuerit, imputabit ſibi neglegenti, contemnenti pariter & deſerenti. Omnia enim bona nobis a Domini gratia conferuntur petentibus: omnia autem mala a diabolo nobis Deum contemnentibus inrogantur. Non enim poterit poteſtatem ſuam exercere diabolus in his qui divinis defenſionibus vivunt. Numquid poteſt ſibi ſubjicere victoris ſui vaſa captivus? [e] *Nemo*, inquit Dominus, *intrat in domum fortis, & vaſa ejus diripiet, niſi prius fortem ligaverit, & tunc vaſa ejus diripiet*. Fortem vos ponitis inimicum: ſed nos religatum, & crucis tropæo credimus eſſe ſubjectum: inſidioſum, ſed inſidias ejus detectas oſtendimus. Numquid ſigno victoriæ munitum contingere prævalet victus? numquid [f] ſcuto Domini circumdatum, & lorica fidei indutum, & galea ſpei & ſalutis munitum, ictus poſſunt invadere ſagittarum? Non vincitur a diabolo homo, niſi quando a ſuo receſſerit defenſore, dicente Apoſtolo: [g] *Subditi eſtote Deo, reſiſtite autem diabolo, & fugiet a vobis*. Inviſibilis hoſtis eſt, ab inviſibili defenſore proſternitur. Sed contradicit heic etiam liber veſter inſanus, & auſus eſt dicere, tantum diabolum poſſe, ut homines trahat invitos, etiam hos quos Chriſtus ſuo cruore redimens Deo

XX. filios fecit. [3] *Dicitis, Clauſis oculis tranſiſtis hoſtis inſidias vos qui dicitis voluntatem hominis aliquid poſſe virtutis adquirere, non adtendentes quanta damna Deus quotidie* [4] *patiatur, quantæ ruinæ caſtitatis per diabolum fiant, quantæque criminum concupiſcentiæ. Quæ utique ſi videretis, non laboraremus vobis oſtendere damna virtutum, & victorias vitiorum*. [5] Dicite obſecro, damna quæ Deus quotidie patitur; diabolo vincente hæc patitur, an homine contemnente? Si diabolo vincente dicatis, [6] blaſphemia veſtra in caput veſtrum refundimus: ſi homine contemnente, adſertio noſtra victoriam cepit. Diabolus enim nec dominus, nec creator, nec pater eſt. Deus autem nobis & dominus, & creator, & pater eſſe dignatur. Corpus ſuum victorioſiſſimum noſtro corpori ſociavit, ut corporis noſtri fragilitatem excluderet. Sanguinem ſuum noſtro ſanguini miſcuit, ut fervor genuini caloris quieſceret divino ſanguine temperatus. Chriſmatis ſui virtute nos unxit, ut luctantem contra nos diabolum vinceremus. Scuto bonæ voluntatis ſuæ nos ſe protegere repromittit: [h] *Qui ſperat*, inquit, *in me, ego liberabo eum, protegam eum, quia cognovit nomen meum*. Unde & ſuperius ait propheta de eo, [i] *Qui habitat in adjutorio altiſſimi*, quod non eum poſſit invadere, nec ſagitta quæ volat per diem, nec negotium quod perambulat in tenebris, nec ruina aut dæmonium meridianum, & cetera. Unde his indiciis declaratur diabolus tunc habere virtutem, cum nos invenerit neglegentes, cum nos invenerit dormientes in fide. [k] *Omnis enim qui* ex fide *invocaverit nomen Domini, hic ſalvus erit*. Verum quid prodeſt, quod humanum genus oſtendimus per Dei victoriam a diabolo liberari, & ſuo vitio homines capi? Additur nobis alter oppoſitionis articulus.

XXI. [7] Dicit enim liber eorum, *Per prævaricationem primi hominis periit ab hominibus libertas arbitrii*. [8] Nos autem dicimus, Per prævaricationem primi hominis manifeſtata eſt libertas arbitrii, quæ potuit hominem facere velle quod Deus non vult. Si ergo periit libertas arbitrii, unde ſumus homines peccatores? Aliunde non ſumus peccatores, niſi quia volumus quod Deus non vult, & nolumus quod Deus vult: committimus quod fieri prohibet, & facere nolumus quod præcepit adimpleri. Per quid hoc tantum mali facimus, ſi nolentes hæc facimus? Alius eſt qui per nos operatur: ipſi ergo debuit lex dari, non mihi. Non lex gladio datur, ne occidat hominem: ſed illi datur lex, qui per gladium jugulat. Gladius enim, ſive occidat, ſive non occidat, idem eſt: nec laudem enim quieſcendo adquirit, nec occidendo culpam incurrit. Si ergo & nos agimur non agimus, excluſi ſumus a peccatis dum delinquimus, excluſi ſumus a fide dum

a Rom. V. 8. *b* II. Cor. V. 14. 15. *c* Pſalm. XIII. 3. *d* Pſalm. CXV. 11. *e* Matth. XII. 29. *f* Epheſ. VI. 16. 17. *g* Jac. IV. 7. *h* Pſalm. XC. 14. *i* Ibid. ℣. 1. *k* Rom. X. 13.

1. Ms. Augienſe, XXII. Hæretici. *Vos*, inquit, *ubicumque*, cet.
2. Ms. idem, Catholici. *Nullum in libro*, cet.
3. Ms. idem, XXIII. Hæretici. *Dicitis enim clauſis*, cet.
4. Ms. idem, *patiatur ab animarum caſu, quanta*.
5. Ms. idem, Catholici. *Dicite obſecro*, cet.
6. Ms. idem, *blaſphemiam veſtram*.
7. Ms. idem, XXIV. Hæretici. *Dicis enim liber*, cet.
8. Ms. idem. Catholici. *Nos autem*, cet.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 461.

credimus. Hinc itaque ſuperati ad calumniam convertuntur. Ait enim liber eorum, [1] *Hæreſem Pelagianam iterum renovatis, cum dicitis per libertatem arbitrii homines finem ponere poſſe peccatis.* [2] Pelagium non hinc condemnavit eccleſia. Objicit enim ei, quod in tantum exaggeraſſet libertatem
XXII. arbitrii, ut Dei adjutorium recuſaret. Nos autem dicimus, Per libertatem arbitrii peccatum omne committimus: ab omni autem peccato per Dei gratiam liberamur conſenſu arbitrii. Deum autem gratiam ſuam non petentibus non dare, ex iſto loco docuimus quod ipſe ait, [a] *Petite & accipietis.* Oſtenſum eſt nobis non petentibus quid petamus: oſtenſum eſt nobis non quærentibus quid quæramus: oſtenſum eſt nobis non pulſantibus quid pulſemus. Si noluerimus petere, non accipiemus; ſi noluerimus quærere, non inveniemus; ſi noluerimus pulſare, non aperietur nobis. [b] *Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur.* Libertas itaque [3] arbitrii ita in nobis viget, ut Deo poſſet obedire: ita infirmata eſt in nobis, ut etiam ipſum Deum poſſit contemnere, a quo ipſa libertas eſt data. Quæ utique ad hoc data eſt, ut de ea ſolus diabolus contemneretur. Si enim ceſſaſſet libertas arbitrii per prævaricationem primi hominis, ceſſaſſet utique lex, quæ non poteſt loqui niſi illi qui eam poteſt & contemnere & audire. Sed non ceſſavit lex, ſive naturalis, per quam placuit Abel, Enoch, Noe, Sem & Japhet, Melchiſedech, Abraham, Iſaac, Jacob, Joſeph & ceteri. Hi placuerunt, legis utique naturalis inſtinctu. E contra diſplicuerunt, ſive ii quos diluvii charybdis bibit, ſive ii quos ſulfurea flamma conſumſit. Nec illi enim placuerant, nec iſti diſplicuerant, ſi lex naturalis non exſtitiſſet, & libertas in eis arbitrii non fuiſſet. Quid ergo agimus? calumniam non e-
XXIII. vadimus, niſi Dei ſolam gratiam dixerimus. Latrat enim liber eorum dicens: [4] *Excluditis gratiam per libertatem arbitrii. Aut enim libero arbitrio liberamur, aut gratia Dei eripimur. Eligite quid dicatis. Si gratiæ totum datis, unum ſumus: ſi libero arbitrio, ſciatis, nos vobis conſentire non poſſe.* [5] Audite calumnioſi, & hoc quod timetis audite. Nos liberum arbitrium ibi dicimus eſſe, ubi divina gratia conſiſtit. Sine gratia enim Dei non eſt liberum, ſed captivum arbitrium. [c] *Ubi enim ſpiritus Domini, ibi libertas.* Nos libertatem iſtam non hominis ſuperbiæ tradimus, ſed gratiæ Dei & ejus gloriæ definimus: quæ tantum concedit, ut plus faciant alii quam præcepit bonum, ex quo etiam plus faciant alii quam prohibet malum. Manus enim quæ exſpoliare poteſt veſtitum quod prohibet Deus, hæc veſtire poteſt nudum quod præcepit Deus. Quid tu dicis? una manus eſt quæ nudum veſtivit, & quæ veſtitum exuit: culpatur cum exſpoliavit, quia veſtire potuit: laudatur cum veſtivit, quia potuit denudare. Tolle utriuſque rei arbritrium liberum, & neque ex vitio culpam incurrit, neque ex virtute laudem adquirit. Ut autem diſpungam tibi libertatem arbitrii, arbitrium in anima eſt, libertas in corpore. Libertas ſine arbitrio non peccat, cum arbitrium ſine libertate delinquat. Denique ſi aliquem furem tenueris clauſum, libertatem ei furandi [6] tuliſti, arbitrium

A non tuliſti: manus enim ejus ligaſti, non mentem. Si cæcus fiat aliquis, cum eſſet concupiſcentiis deditus oculorum, libertas quidem oculorum ejus eſt vincta, arbitrium in ſuo jure permanſit; animi enim arbitratu concupiſcentiis exercetur. Unde & non mœchantem mœchum Chriſtus appellat [d] eum, qui ad concupiſcendum viderit mulierem: arbitrium enim habet, licet non habeat libertatem. Fit per arbitrium ſuum ſine facto reus: voluntas enim perfecta pro facti opere a juſto judice reputatur: & impleſſe dicitur omnia, qui quod potuit fecit. Corpus enim prohibetur ab impoſſibilitate ejus rei, quia arbitrium animi non tenetur. Nunc ergo quid facit gratia? non tollit
B liberum arbitrium, ſed curat, ſed amplificat, ſed ornat, ſed inſtruit, & exaltat. Non tamen nolentem, ſed volentem exaltat. Niſi enim ex fide volueris, & ex fide cucurreris, aliter a gratia liberari non poteris. Certi ergo efficiamur, quod nos gratia non recuſat dum delinquimus, ſed nos recuſamus gratiam quando peccamus. Unum enim heic e duobus cenſura judicantis adtendit, aut gratiam recuſantem, aut hominem contemnentem. Si enim gratia recuſavit, hominem a peccato liberum fecit. Numquid culpandus eſt, qui non prandit apud eum, qui eum a ſuo convivio recuſaverit; & non potius miſeratione dignus oſtenditur, cum alios vocaverit & hunc recuſaverit? Immanis crudelitas eſt, ſi pro-
C hibitus eſt prandere cum prandentibus; & cur non pranderit, ab eo, qui eum ſimul prandere noluerit, jubeatur occidi. Tandem aliquando liber veſter, vanus effectus, concedere videtur libertatem arbitrii, ea tamen conditione, ut de menſuris agat, non de ſpecie. [7] *Unde*, inquit, *illi major libertas* XXIV. *arbitrii in bono, unde iſti minor eſt, niſi quia Dei diſpenſatione cenſetur? In alio enim tenuem ſe exhibet gratia, in alio abundantem & largam, prout nos volumus.* [8] Non tecum heic ego [9] concertor: heic te enim & Chriſtus vincit & Paullus. Nam Chriſtus dicit: [e] *Qui plus diligit, plus illi dimittitur: qui minus diligit,* [10] *minus.* Et Paullus adſerit, dicens: [f] *Qui parce ſeminat, parce metet.*
D Non ergo eſt gratia per perſonarum acceptionem in Deo, ſed per hominis dilectionem in mente; ſive ſit magna dilectio, ſive ſit parva. Quis enim plus diligens Deum, minus diligitur a Deo? Immo, ut verius dicam, non diligens Deum a Deo diligitur. Qualiter autem diligi Deus poſſit, ipſe Dominus edocet, dicens: [g] *Qui audit verba mea & facit ea, hic eſt qui diligit me.* Unde & diſcipulis ſuis ait: [h] *Si diligitis me, præcepta mea ſervate.* Videamus itaque, homo [11] ipſam libertatem arbitrii quid faciat, ut Dei gratiam perfecte conquirat. Exinanit libertatem ſuam, & ſervum ſe efficit Dei. Quod autem noſtro hæc arbitrio faciamus, ipſe Apoſtolus edocet dicens: [i] *Neſcitis quia cui vos ſervos exhi-*
E *betis ad obediendum, ſervi eſtis ejus cui obeditis, ſive iniquitatis ad peccatum, ſive juſtitiæ ad ſanctificationem?* Qui ergo ſe ſub jugum miſerit Dei, exinanivit ſui libertatem arbitri, ut per libertatem divini arbitrii liberetur. Non tibi videtur exinanire libertatem arbitrii ſui, qui ſibi eſurienti denegat panem, ſitienti denegat potum, dormitanti denegat ſomnum? Sed in his dignus eſſe non poterit,

a Matth. VII. 7. Joan. XVI. 24. *b* Matth. VII. 8. *c* II. Cor. III. 17. *d* Matth. V. 28. *e* Luc. VII. 47.
f II. Cor. IX. 6. *g* Joan. XIV. 21. *h* Ibid. ℣. 15. *i* Rom. VI. 16.

1. Ms. Augienſe, XXV. HÆRETICI. *Hæreſim Pelagianam*, cet.
2. Ms. idem, CATHOLICI. *Pelagium non*, cet.
3. Ms. idem, *arbitrii tam integra, tamque perfecta eſt in nobis.*
4. Ms. idem, XXVI. HÆRETICI. *Excluditis gratiam*, cet.
5. Ms. idem, CATHOLICI. *Audite calumnioſi*, cet.
6. Ms. idem, *detuliſti.*
7. Ms. idem, XXVII. HÆRETICI. *Unde*, inquit, *illi*, cet.
8. Ms. Augienſe, CATHOLICI. *Non tecum*, cet.
9. Ms. idem, *concerto.*
10. Ms. idem, *minus illi dimittitur.*
11. Ms. idem, *ipſa libertate.*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 461.

nisi se voluntarium comprobaverit. [a] *Non enim ex tristitia*, inquit Apostolus, *nec ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus*. Unde & propheta dicit Deo: [b] *Voluntarie sacrificabo tibi*. Et iterum: [c] *Refloruit caro mea*, inquit, *& ex voluntate mea confitebor illi*. De injusto autem legimus: [d] *Noluit intelligere ut bene ageret*. Unde & beatus Jacob: [e] *Simeon*, inquit, *& Levi fratres consummaverunt iniquitatem ex voluntate sua*. Si ergo ante quam vera & integra libertas nostra veniret, Dominus Jesus Christus, [1] justus voluntarie sacrificavit Deo, & ex voluntate sua confessus est, peccator ex voluntate deliquit: quanto magis nunc, instaurata nobis libertate per Christum, universa nostro jure sunt reddita, non natura dominante, ut Pelagius & Cælestius definivit, non natura hominis dominante, sed Christi gratia condonante? Non suis viribus imputando, sed de Dei adminiculis præsumendo: non sibi aliquid usurpando, sed totum Dei gratiæ imputando? Totum, inquam, totum dixi: totum repeto, totum, sed bonum: malum autem ex nostro vitio, ex nostra neglegentia, & ex nostra incurrimus voluntate. Quid convertitis caput ad calumnias, & Pelagii nobis dogma objicitis? [2] Anathemamus omnes qui dicunt, adjutorio Dei sublato, posse hominem sine peccato esse si velit: anathemamus qui dicunt, nec per Adam mors, nec per Christum vita: anathemamus qui dicunt, de duobus baptizatis qui nascitur baptismum indigere non posse: anathemamus qui dicunt, infantes non debere in remissionem peccatorum baptismatis sanctificatione censeri: anathemamus omnia quæ in omnibus hæreticis damnat ecclesia: anathemamus & librum vestrum vobiscum, qui dicit.

XXV. [3] *In tantum vitiatam per prævaricationem Adæ hominis naturam agnovimus, ut instaurationem suam per Christum non in re sed in spe fuerit consecuta, dicente Apostolo:* [f] *Spe salvi facti sumus: spes autem quæ videtur, non est spes. Si ergo spe salvi facti sumus, adhuc rem in præsenti sæculo non tenemus. Ideo denique baptizati iterum carnaliter concupiscunt, & illos motus corporis patiuntur, quia spe, non re consecuti sunt instaurationis auxilium. Si enim re consecuti fuissent, post baptismatis gratiam non esset peccati nec possibilitas, nec voluntas. Verum quia virtus baptismatis tanta est, ut universa peccata deleat, pullulatio tamen peccatorum baptismatis unda non abluitur: inesse enim per Adam naturaliter perdocetur. Nam illa membra quæ in baptismatis hora confusione carent, postea confusionem recipiunt, quæ vitant ubique conspectum, & quærunt pudendo secretum. Quæ enim Deus membra fecerat, prævaricatio in pudenda convertit; & non dicuntur membra, sed pudenda. Quæ pudenda in puncto illo baptismatis membra fiunt: sed mox iterum pudenda efficiuntur ex membris. Non enim re, sed spe instaurati sunt. Concupiscentia enim carnis quæ per prævaricationem Adæ repugnat in corpore tamquam lex peccati, iterum sibi vindicat baptizatum totumque animum ejus conatur evertere. Hæc est enim radix illius plagæ, quam Christus salvavit: salvavit autem sic, sicut Apostolus dicit. Spe salvi facti sumus. Et jubet nos animum ad invisibilia contemplanda transferre: nec de his quæ videntur, præsumendo corruere. Et ideo dicit: Spes autem quæ videtur, non est spes: ne forte æstimarentur per baptismum ita tolli peccata, ut etiam radi-*

A *ces ipsæ peccatorum simul putarentur auferri. Motus enim ille pollutionis qui per prævaricationem naturam invasit, ita remanet in baptizato, sicut radix capilli cum fuerit novacula in superficie emundatus & rasus. Rasus enim est ut emundaretur locus: non est eradicatus, ut ulterius non nasceretur. Si enim ex integro per baptismum omnis prævaricationis Adæ fragilitas tolleretur, baptizati omnes nullo caloris motu traherentur ad crimina, nullus sordibus inquinaretur humanis, nullus concupiscentiæ stimulo pungeretur; sed quia spe salvi facti sumus, quod adhuc non videmus, per patientiam exspectamus. Veniet tempus,* [g] *in quo neque nubant feminæ, neque viri uxores ducant, sed sint sicut Angeli in*

B *cælis. Cum enim corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est:* [h] *Absorpta est mors* [4] *in victoriam: ubi est mors victoria tua? ubi est stimulus tuus? stimulus autem mortis peccatum est: virtus vero peccati lex. Tunc dicemus: Deo gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.* [5] Hic est libellus vester, quem nulli datis legendum nisi sub sacramento. Vide ne prodas, ne des legendum imperitis: regnum Dei paucorum est. In hoc apparet quia te Deus prædestinavit ad vitam, si hunc libellum tu sicut tuam animam serves. Maxima pars mulicrcularum a vobis hunc meretur libellum accipere. Denique quæ

C eum prodidit, femina corpore sed vir animo, dum istum a vobis libellum sub sacramento suscepisset, scriptum legens exhorruit, & his quos catholicos noverat examinandum dedit. Legimus eum & nos, quod semper timuistis: & juvante Domino blasphemias ejus evidenter detegentes, omnes catholicos admonemus, ut hunc libellum fugiant, exsecrentur, & æterno anathemate feriant. Damnabilitas enim ejus eo usque pervenit, ut universa mysteria Salvatoris evacuet. Dicit baptismum Christi fructum ullum penitus, dum traditur, non habere. Spes, inquit, quæ videtur non est spes, id est, remissio peccatorum: & quidquid in præsenti promittitur, non est, quia in futuro servatur: heic tamen, id est

D in hoc mundo, non accipitur. Dicit enim Apostolus, *Spes quæ videtur non est spes*. Ergo ne hoc Apostolus ad istum vestrum sensum dixit? Prius itaque beati Paulli cum debita reverentia sensum exponemus: & ita demum per partes concidemus pedes libri vestri, in his quæ conclusio ejus circa nos finem se autumat invenisse perfectum. Apostolus consolationem filiis Dei adferens dicit, ut in isto mundo nihil quærant, ne forte considerantes impios & incredulos prosperis successibus gratulari, se vero adfligi, dicerent, Ecce hi [i] peccatores & abundantes in sæculo obtinuerunt divitias: nos autem [k] usque in hac hora, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur. Tollens er-

E go præsentis sæculi considerationem, gaudia futura promittit. Et quamvis magnis, inquit, passionibus fatigemini, [l] non sunt tamen condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Et ideo [m] *spe*, inquit, *salvi facti sumus*. Nota tibi *salvi facti*: non dixit salvandi, sed *salvi facti*. Præteritum fecit salutis: dum credidimus, salvi facti sumus. Quare spe? Speramus enim nos resurgere: non enim jam resurreximus. Quia ergo speramus nos pro bonis præmia acceptu-

a II. Cor. IX. 7. *b* Psalm. LIII. 8. *c* Psalm XXVII. 7. *d* Psalm. XXXV. 4. *e* Gen. XLIX. 5. 6. *f* Rom. VIII. 24. *g* Matth. XXII. 30. *h* I. Cor. XV. 54-57. *i* Psalm. LXXII. 13. *k* I. Cor. IV. 11. *l* Rom. VIII. 18. *m* Ibid. ℣. 24.

1. Ms. Augiense, *voluntarie confessus est peccato & voluntate*.
2. Ms. idem, *Anathematizamus*. Sed utrumque recte dicitur.
3. Ms. idem, XXVIII. HÆRETICI. *In tantum vitiatam*, cet.
4. Ms. Augiense *in victoria*.
5. Ms. idem, CATHOLICI. *Hic est libellus*, cet.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 461.

ros, & pro malis gehennæ posse incurrere supplicia; sperantes bona & timentes mala, salvi facti sumus: & qui [a] eramus filii iræ, facti sumus filii Dei. Unde & alius Apostolus clamat: [b] *Carissimi, filii Dei sumus*. Non ergo adoptio filiorum promittitur in baptismo, sed confertur. Vos autem de hoc quod jam accepimus, dicitis, Spes quæ videtur, non est spes. Nobis spes tota videtur in baptismatis sanctificatione constare: ergo quod nobis videtur spes, non est spes. In chrismatis Christi unctione spei nostræ cernimus firmamentum: ergo spes quæ videtur non est spes. Corpus Christi spem nostram videmus: ergo spes quæ videtur non est spes. Sanguinem Christi redemtionem nostram adtendimus: ergo spes quæ videtur non est spes. B Evacuastis omnia sacramenta, exinanistis mysteria, & quasi fidi & idonei metatores antichristi, locum ei ubi possit succedere ejectis nobis ab aliquibus præparatis. Nam hæc quæ Apostolus de mundi istius gaudiis dicit, *Spes quæ videtur non est spes*, vos ea ad divina mysteria transmigrastis. Quod ille de caducis rebus & labentibus memorat, hoc vos etiam ipsi sacro baptismati adscripsistis. Non habeamus partem vobiscum in æternum, nec sen-
XXVI. sus noster ultra his blasphemiis inquinetur. *Ideo*, inquiunt, *baptizati iterum polluuntur, & carnaliter concupiscunt, quia spe non re consecuti sunt instaurationis auxilium*. Nos autem sic [1] spem tendimus ad futura præmia, ut in præsenti quod ac- C cepimus non negemus. Non enim meretur consequi beneficia; qui non confitetur accepta. Si quod accepisti jam denegas, confutaris ingratus. Ergo si adhuc non estis gratiam consecuti, sed consecuturi estis, quid nobiscum clanculo communicatis? Exspectate alterum Christi corpus, alterum Christi sanguinem: istum enim non in re, sed in spe esse
XXVII. jactatis. [2] *Si enim re*, inquiunt, *consecuti essemus, post baptismatis gratiam non esset peccati nec possibilitas, nec voluntas*. [3] Ideo ergo vultis ostendere baptismatis gratiam non rem contulisse, quia iterum post baptisma possumus & velle malum, & operari malum. Et cui habebat dari lex Dei, si possibilitas mali fuisset ablata? Aut quis de custo- D dia mandatorum Dei præmium peteret, si prævaricari non posset? sicut nec mutus de taciturnitate, nec spado de virginitate laudatur. Carent enim laude in bono, quibus ad malum transitus denegatur. Nos ergo dicimus, possibilitatem mali bonam esse his qui eam contemnunt. Dabo his singulis titulis breve responsum. Potuit quis exspoliare vestitos: ecce malum potuit; sed quia noluit, facta est possibilitas mali bona, qui eam consilio prudentiore contemsit. Potuit quis creditam sibi pecuniam rapere, potuit adulteria perpetrare: ecce possibilitas mali; & qui eam contemsit, ipsa possibilitas eum fecit, tam de pecunia non furata laudari, quam coronari de castitate servata. Dixi- E mus unum titulum, id est de possibilitate mali, quod bona sit his qui eam contemserint. Nunc videamus quomodo e contrario possibilitas boni, mala in his qui eam contemserint. Habet quispiam pecunias positas: ecce possibilitas boni: potest enim cunctis necessitatem patientibus subvenire. Hanc autem possibilitatem boni dum contemserit, efficitur possibilitas mala & tam mala, ut [c] radix malorum omnium comprobetur. Verum quid agimus?

A Baptismatis nobis status in periculo ponitur? & nos de avaritiæ veneno tractamus. Omnibus notum est avaritiæ crimen satis esse gravissimum: baptismatis autem gratiam exinaniri ab hominibus perfidis, nuper cœpit innotescere, nuper cœpit catholicis propalari. [4] *Aiunt namque per baptismum* XXVIII.
ita tolli peccatum, ut capillum novacula erasum. Rasus enim est, inquiunt, *ut emundaretur locus: [5] non eradicatus est, ne ulterius nasceretur. Si enim ex integro omnis prævaricationis Adæ fragilitas tolleretur, baptizati omnes nullo caloris motu traherentur ad crimina, nullo concupiscentiæ stimulo pungerentur*. [6] Hinc ergo exinanitis baptismatis sacrosancta mysteria, quia concupiscentia, ut ipsi dici- B tis; lex peccati est, & ipsa sibi iterum vindicat baptizatum. De hac ergo concupiscentia si fueritis exclusi: integra erit in baptismo & peccatorum remissio & vera [7] consolatio gratiarum. Gratiarum autem ideo pluraliter posui, quia cum una sit gratia, ut vitis una palmitibus pluralis efficitur, & tot vires dicuntur, quot fuerint propagines de una vite compressæ. Datur ergo ex uno baptismatis fonte in præsenti peccatorum remissio, & regnum promittitur in futuro: efficitur filius hominis filius Dei: fit adoptione filius: fit consors regni: fit civis ex advena, fit ingenuus qui servus exstiterat inimici: fit locuples qui fuerat ante mendicus; & qui fuerat dudum ignobilis, incipit esse & inlu- C stris & magnus. Sed ista omnia evacuat liber vester, & dicitis. [8] *Si darentur quæ promittuntur in* XXIX.
baptismo, nullus post baptismatis undam concupiscentiæ stimulo pungeretur. [9] Videamus ergo utrumnam hæc concupiscentia, sicut dicitis, lex peccati sit. Nos concupiscentiam dicimus esse rem naturalis certaminis: & hanc dicimus ad propagationem hominum a Deo creatore visceraliter esse firmatam. Adhuc enim primi homines nondum de prævaricationis ligno gustaverant, quando eos benedixit Deus dicens: [d] *Crescite & multiplicamini, & replete terram*. Qui ergo ante peccatum benedicendo genus hominum multiplicari jussit, ipse sine dubio huic naturæ per quod propagari posset D inseruit. Dispar etenim sexus multiplicari minime potuisset, si incrementa naturalis concupiscentiæ non haberet. [e] *Non est bonum*, ait Dominus, *esse hominem solum: faciamus ei adjutorium*. Hoc adjutorium disparis sexus ad consolandum vultis esse factum a Domino, an ad generandum? Si enim concupiscentia mala est quæ materia generationis ostenditur, constat secundum vos a Deo mulierem non ad adjutorium boni, sed ad occasionem factam esse peccati. Quod si adjutorium mulieris, non ad reparationem, sed ad consolationem nescio quam dicatis fuisse concessum; dispar sexus sine caussa est conditus ab eo, de quo legimus [f] quod omnia in sapientia fecerit. Verum quia testamenti veteris E forte vos auctoritas non tenet, de primis hominibus quid ipse Dominus noster Jesus Christus dixerit auscultate. [g] *Qui fecit*, inquit, *masculum & feminam, benedixit eos & dixit: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*. Et his dictis adjunxit: *Quod ergo Deus junxit, homo non separet*. A Deo igitur factos, a Deo benedictos, a Deo legimus esse conjunctos. [10] *Et miror, qua fronte con-* XXX.
cupiscentiam istam per quam conjugia celebrantur,

a Ephes. II. 3. *b* I. Joan. III. 2. *c* I. Tim. VI. 10. *d* Gen. I. 28. *e* Gen. II. 18. *f* Psalm. CIII. 24. *g* Matth. XIX. 4-6.

1. Ms. Augiense *spe tendimus ad*.
2. Ms. idem, XXIX. HÆRETICI. *Si enim re*, cet.
3. Ms. idem, CATHOLICI. *Ideo ergo vultis*, cet.
4. Ms. idem, XXX. HÆRETICI. *Aiunt namque*, cet.
5. Ms. idem *non autem eradicatur*.
6. Ms. idem, CATHOLICI. *Hinc ergo exinanitis*, cet.
7. Ms. idem, *collatio gratiarum*.
8. Ms. Augiense, XXXI. HÆRETICI. *Si darentur*, cet.
9. Ms. idem, CATHOLICI. *Videamur ergo*, cet.
10. Ms. idem, XXXII. HÆRETICI. *Et miror qua fronte*, cet.

dicatis a diabolo esse humano generi inflictam. [1] Quis enim dubitet rem malam, si tamen mala est, a Deo bono homini non potuisse conferri? Si enim a Deo est data, bona esse dignoscitur: si autem mala est, constat a diabolo esse infusam. Sic enim
XXXI. dicit liber vester: *Quæ Deus membra fecit, illi prævaricando pudenda fecerunt*. Si hoc non est in membris quod Deus condidit, & super fabricam Dei inimicus apparuit, & Deo invito fecit creaturam ejus alterum ordinem continere, non quem ipse instituit; maledictæ sunt nuptiæ, & ex maledictione universa humani generis massa veniens diabolo auctore subsistit. Unum vobis eligite e duobus. Aut bona est generatio hominis, & bona est concupiscentia: aut malæ sunt nuptiæ, & iniqua concupiscentia. Emendate ergo ecclesiæ regulam: damnate qui in toto orbe fuit sacerdotes, nuptiarum initia benedicentes, consecrantes & in Dei mysteriis sociantes. Miror qua fronte intratis ecclesiam, ubi quidquid agitur contra vestras sectas venire cognoscitis. Negatis itaque Deum hanc, unde nascimur, dedisse concupiscentiam. Ergo non sumus creatura ejus, si non est ejus creatura concupiscentia conjugalis. Tollite enim hanc, quam vos dicitis legem esse peccati, & videamus quis adhærere possit uxori. Sed qui dederat virtutem seminis in benedictionem, ipse ob multiplicandam subolem concupiscentiæ inseruit caritatem, & amari voluit quod multiplicare constituit. Incrementum enim est generis concupiscentia naturalis. Quod si per hanc, ut dicitis, omnis constat esse caussa peccati; ipse crimen creavit in genere, qui posteritatem multiplicari voluit per amorem, & super paternæ pietatis jura diligi præcepit uxorem. Denique ipse Dominus noster Jesus cum dicit: [a] *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, tale est quasi qui diceret, Odisse tibi uxorem non licet, quam me auctore amare cœpisti. Zelabatur enim conjunctionem a se factam odiis [2] jugalibus maculari. Rerum nova perversitas! cum a Deo puniatur uxoris odium, damnatur ab hominibus concupiscentia maritorum. Sed justus judex non damnat desiderium naturale, qui ut multiplicaret prolem, ideo inseruit caritatem. Nam cum de conjugio & repudio tractaretur, tunc Dominus istam dictavit sententiam, dicens: *Quod Deus junxit, homo non separet*. Hoc autem ideo dixit, ut specialiter nuptiarum conjunctionem ex Deo esse monstraret. Nec enim esse potuit, aut sine conjunctione commixtio, aut absque commixtione conjunctio. Si non ex creatura factoris, sed ex peccato, inquiunt, concupiscentia maritalis: ergo secundum vos Deus hoc in benedictione conjunxit, quod diabolus per prævaricationem inseruit. Quod si ita est, non fuit adversarius sed adjutor Dei, si quos Deus in carne una esse voluit, per concupiscentiam inseparabiles fecit, & quod ille jussit augeri & crescere, hic per quod hoc ipsum quod jusserat ut impleretur invenit. O quam infelix impietas est a Prædestinatis inventa, ut ex prævaricatione dicatur evenisse hominis, quod est ex benedictione creatoris insertum! Hanc vos dicitis legem peccati: sed hanc nos legem generis comprobamus, quam vos criminis accusatis: & hanc nos dicimus caussam esse virtutum, quam vos vultis ostendere materiam vitiorum. Nam cum ejus adjutorium faciat parentes fecundos in subole, hujus certamen & continentes præstat & virgines gloriosos. Et ne alicubi hujus esse æstimes detrimentum, majora repugnando quam ad-

A juvando largitur: quia dum adjuvat, fructum exhibet generis; dum repugnat, confert præmium castitatis. Illic sine culpa operatur, heic exercet pugnam cum munere. Tolle concupiscentiam, & cessant conjugia; tolle concupiscentiam, & cessant præmia castitatis. Quale hoc rogo malum est, quod duplicis boni caussa esse monstretur? quod alios in generationis gaudio exhibet, alios in triumpho virtutis? Alii enim per eam operantur licite, alii per eam dimicant gloriose. Quod si etiam in omnibus hæc dicitur esse peccatum, constat & conjuges, & continentes, & virgines per hanc esse damnandos: omnibus enim inesse cognoscitur per naturam. Nos non ita esse sentimus: sed laudamus eam ordinem
B suum custodientem, & Deo reverentiam exhibentem. Et ideo in baptizatis etiam ipsa benedicitur, non fugatur, & ornatur magis quam tollitur. Qui enim fontem aquæ perennis nunc benedixit ut renasceremur spiritaliter, ipse tunc benedixit conjuges ut carnaliter nasceremur. Hunc ergo concupiscentiæ motum, sicut cetera alia membra, a creatore suscepimus. Si ideo est concupiscentia malum, quia per hanc aliquotiens adulterium geritur; ergo & manus mala est, quia per hanc homicidium perpetratur. Accusate & linguam, quia per ipsam blasphematur Deus: damnate & pedem, quod hominem duxerit ad lupanar. Sic fit ut non sola concupiscentia, sed universa a vobis membra damnentur. Re-
C spondeam vobis ore catholico, quoniam sicut manus facta est, non ad occidendum, sed ad operandum; & lingua non ad blasphemandum, sed ad gloriam creatoris & laudem; & membra omnia, non ut vitiis serviant, sed divinis præceptis insistant: ita & concupiscentia naturæ est insita, non ad adulterandum, sed ad generandum: quam utique comprobavimus non modo conjugibus fecunditatis adjutorium, sed etiam continentibus palmam posse adferre virtutis. Vultis nosse bonam hanc esse concupiscentiam? mysteriis eam comparabo divinis. Non enim solum adpetita mala, sed etiam bona præsumta condemnant. Pone aliquem ante baptismatis inluminationem corpus Domini præsumsisse: numquid
D non iste de boni præsumtione damnabitur? Quod enim aliis conlatum secundum ordinem confert salutem, hoc aliis damnationem facit extra ordinem, extra tempus acceptum. Similiter si usurpet laicus sacerdotium, vel si sacrificium offerre præsumat; numquid non iste de non concessa sibi potestate damnandus est? Quod si de tam sanctis rebus præsumtio reum facit, non actio; quanto magis in concupiscentia, non actio suum ordinem tenens, sed extra ordinem vadens, vocatur in crimine, & facit maledictum extra ordinem euntem, quem benedictum creator in suo ordine conlocavit? Quod si ita est, immo quia ita est, quid patimini infelices, qui volentes exinanire baptismatis restaurationem,
E dicitis hanc concupiscentiam ideo remansisse, ne tota ex amussim homini peccata viderentur indulta? Cur non magis hinc vobis debet esse suspicio, hanc non esse peccatum, quod in baptizatis hominibus non deletur? Si enim esset peccatum, utique sicut cetera tolleretur. Igitur qui per concupiscentiam baptismatis dona exinanire contenditis, conditorem concupiscentiæ diabolum esse monstratis: per quem docetis, & creatorem in sua operatione dum conderet defecisse, & baptismum tribuentem ex integro non potuisse succurrere. Habebunt vobiscum partem qui vos ad se libenter admittunt. Scriptum est enim [b], reos fore, non solum qui iniquitatem faciunt, sed etiam eos, quos eis constiterit consensisse.

a Matth. X. 6. b Rom. I. 32.

1. Ms. Augiense, CATHOLICI. *Quis enim dubitet*, cet. 2. Ms. idem *conjugalibus*.

Sæcul. V.
circa
Ann. Chr.
461.

ARNOBII EXCERPTA.

LECTORI.

Quæ ſequuntur, excerpta ex Arnobii junioris commentariis in pſalmos, cum iis collata quæ apud auctorem noſtrum de iiſdem capitibus leguntur, ſic pleraque inter ſe conſentiunt, ut operis utriuſque conditor idem videri queat, aut certe alter ab altero mutuatus.

ARNOBIUS IN PSALMUM CXLVII.

Objicitur huic loco, nos hoc ita dicere, ut videamur hominis voluntatem oſtendere quod Dei gratiam antecedat. Vigilanter age & non calumnioſe, & vides gratiam Dei generalem ſuper omnem hominum effuſam genus. Omnes antecedit gratia multiplici largitate diffuſa. Deſcendit de cælo Deus homine non volente, docuit exemplo & verbo homine non rogante, ſigna multa & virtutes ad ſe manifeſtandum exercuit homine etiam prohibente. Mortalitatem noſtram ſuſcepit homine ignorante: irriſus, crucifixus, inter homicidas mortuus, ſepultus, reſurrexit, & in cælos aſcendit. Hæc omnia ad hominis ſalutem, ad hominis liberationem, ad hominis redemtionem, ad hominis coronam, ad hominis gloriam exercuit Chriſtus. Nota tibi, calumnioſe, quod dico, ad hominis ſalutem, non volentis neque currentis. Quid eſt ergo quod egimus? Oſtendimus tibi antecedentem gratiam Dei generalem omnium hominum bonam voluntatem. Nota tibi, Prædeſtinate, quod loquor. Omnium generaliter bonam voluntatem Chriſti gratia hoc ordine quo diximus antecedit, ſi tamen pro omnibus natus, ſi tamen pro omnibus paſſus, ſi non negas pro omnibus mortuum, ſi cum Apoſtolo aſſeris quod [a] *omnes homines vult ſalvos fieri*. Age nunc, tolle te a generali gratia, ad ſpecialem accede, & ſimiliter cum Apoſtolo clama, Non omnis generaliter homo ſalvus erit, ſed [b] *Omnis homo quicumque invocaverit nomen Domini, hic ſalvus erit*. Vade ergo ad officinam medici, qui ultro venit ad civitatem non utique nobis rogantibus: omnibus nobis medicus ſupervenit, officinam aperuit, & vocem emiſit, qua ac ſi præco exclamans dixit: [c] *Venite ad me omnes*. Jam modo poſt hanc vocem antecedit voluntas gratiam. [d] *Si enim volueritis*, inquit, *& audieritis me, quæ bona ſunt terræ edetis: ſi autem*
A *nolueritis, gladius vos comedet*. Sicut ergo anteceſſit gratia voluntatem hominis in oſtenſione ſui, & in adapertione veritatis; ita antecedit voluntas hominis gratiam Dei. Non enim prius baptizaris, & ſic velle incipis credere: ſed prius voluntatem tuam perfectam exhibes ſacerdoti, & confeſſionem tuam tuis labiis pandis, & ita demum ad Dei gratiam ut conſequaris adtinges. Quam conſecutus confiteberis, quia omnia Dei dona credendo & deſiderando conſecutus es.

Idem in Pſalmum CXVII.

Nunc forte audiat me prædeſtinationem docens, & arbitrium hominum infringens, putet me libertatem arbitrii ita excludere, ut peccantes exiſti-
B mem Dei abjectione peccare. Quod peccamus noſtri arbitrii docebitur, qui contemnimus gratiam. Vide quanta libertas eſt arbitrii tui. Negatur a ſervo Dominus, ut dicat homo Deo, Nolo tibi credere: & faciat ſibi templum ubi idolum colat, aut ſynagogam ubi ſuum abneget ſalvatorem. Quod ergo malum facimus, per libertatem incurrimus, quia non dignatur Dominus juſtus coacta ſervitia. Si vero aliquid boni facimus, imputabitur largitori, qui bona omnia ad ſe confugientibus præſtat, ſecundum illud quod ipſe dignatus eſt repromittere: [e] *Omnis qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur*. Pulſemus ergo, & cum propheta in iſto pſalmo cantemus: [f] *Aperite mihi portas juſti-*
C *tiæ, & ingreſſus eas confitebor Domino*. Hæc nos clamamus adminiculis auxiliiſque divinis. Unde nobis vox reſponſionis eorum videtur audiri, Hæc porta quam pulſatis non eſt hominis libertati conceſſa, ſed eſt in Domini auxilio conſtituta, & ſoli juſti introibunt per eam. Confiteamur ergo Domino, quoniam ipſe exaudivit nos, & ipſe nobis efficitur in ſalutem.

a I. Tim. II. 4. *b* Rom. X. 13. *c* Matth. XI, 28. *d* Iſa. I. 19. *e* Matth. VII. 8. *f* Pſalm. CXVII. 19.

INDICULUS LOCORUM
PRÆDESTINATI, ET ARNOBIANI IN PSALMOS COMMENTARII:

quibus in locis ſic inter ſe concinunt libri illi, ut videantur ejuſdem eſſe auctoris.

AUCTOR PRÆDESTINATI.	ARNOBIUS JUNIOR IN PSALMOS.
Pag. 395. b. Corpus ſuum noſtro, *cet.*	in Pſalm. IV. Data eſt lætitia, *cet.*
384. a. Nam & ſcriptura *cet.*	in Pſalm. XLVIII. Sola Chriſti vox, *cet.*
399. b. Hunc ergo concupiſcentiæ, *cet.* *Ibid.* e. Cur non magis hinc, *cet.*	in Pſalm. L. Servavit in confeſſione, *cet.*
392. a. Dei ſervitia, aut voluntaria, *cet.*	in Pſalm. LXII. Et labia ejus non neceſſitate, *cet.*
389. b. *Quoniam qui ſe longe*, cet.	in Pſalm. LXXII. Non enim pereunt niſi, *cet.*
393. b. Nunc autem quia medici, *cet.*	in Pſalm. LXXIX. Alia enim ſpes noſtra eſt, *cet.*
397. b. Anathemamus omnia quæ, *cet.*	in Pſalm. LXXXIX. Anathemabiles eſſe, *cet.*
396. a. Pelagium non hinc condemnavit, *cet.* 378. b. Quem voluerit Deus, *cet.*	in Pſalm. XC. Multi putant libertatem, *cet.*
393. a. Sed bonus Deus bonos, *cet.* 398. a. Corpus Chriſti ſpem noſtram, *cet.*	
383. e. *Neſcitis*, inquiunt, *quia*, cet. 384. b. Nota tibi, Prædeſtinate, *cet.*	in Pſalm. XCI. Ea ergo quæ lucida ſunt, *cet.* in Pſalm. CXLVI. Nota tibi Prædeſtinate, *cet.* in Pſalm. CVIII. Nota tibi gratias non . . . Dilexit maledictionem Adæ . . . Nota, *cet.* in Pſalm. CXXVI. Multi iſtius pſalmi, *cet.*
390. c. Verum quid agimus? *cet.* *Ibid.* b Ab initio omnes ſancti, *cet.* *Ibid.* d. Vigilanter inſtiterunt gregi, *cet.*	*Ibid.* Ab initio ſæculi quicumque, *cet.*
393. d. Dixit itaque Deus, Hoc nolo, *cet.*	in Pſalm. CXXXVIII. Addo aliud certe, *cet.*
399. c. Vultis noſſe bonam concupiſcentiam, *cet.*	in Pſalm. CXXXIX. Et uſus conjugii in conjugibus, *cet.*

JACOBI
SIRMONDI
SOCIETATIS JESU PRESBYTERI
HISTORIA PRÆDESTINATIANA,
QUIBUS INITIIS EXORTA.

& per quos potiſſimum profligata Prædeſtinatorum hæreſis olim fuerit & oppreſſa.

ANNO MDCXLVIII.

L E C T O R I.

QUi post Prædestinati nostri editionem, qui cum antiquis Prædestinatianis primus omnium congressus est, & post epistolas Rabani qui eosdem in Gothescalco renascentes iterum oppressit, de his nunc etiam, ulli ne umquam fuerint quærendum putant, tam clara in luce ultro cæcutientes; non tam ipsi quid verum sit, opinor, non vident, quam videre se dissimulant. Quare quod hanc quoque illis operam tribuo, ut Prædestinatianæ historiæ præcipua quæque digeram, sub unumque aspectum subjiciam, non id ago, ut rei tamquam dubiæ apud ipsos fidem faciam: sed ut ipsi per se se, dum inter veterum testimonia qui Prædestinatos in hæreticis numerant, & inter concilia quæ illos condemnant, Augustinum audient horum errorem in ortu ipso castigasse, deque iisdem Prosperum & Hilarium, tum apud Augustinum per litteras, tum Romæ coram apud Cælestinum questos esse; vel nolentes agnoscant huic caussæ plura suffragari, pluribusque eam niti præsidiis, quam putarant: & qua de re aliter olim senserit nemo; (ecquem enim ex illorum temporum memoria proferent qui reclamarit?) solos pudeat ipsos reluctari. Non diffido futuros, qui tandem acquiescant, & manus dent veritati. Viderint, si qui obstrepere pergent, qua spe deinceps & quibus armis pugnaturi sint. Nam de Prædestinatis, quin & fuerint re ipsa, & hæretici fuerint, tuo; ut spero, *lector*, judicio dubium non erit nec obscurum, post tam multa & tam certa documenta quæ comprobant, vincere eos non posse qui contradicunt.



J A N S E N I I
I P R E N S I S
DE PRÆDESTINATORUM HÆRESI DIVINATIO.

Ex Augustini *ejus tom.* I. *lib.* VIII. *cap.* XXIII.

QUamobrem ut suspicionem meam libere dicam, & lectoribus dijudicandam offeram, existimo equidem numquam in rerum natura fuisse hæresim Prædestinatianam, vel hæreticos Prædestinatianos. Sed e contrario doctrinam catholicam quam S. Augustinus & Prosper docuerunt, sub nomine istius hæresis calumniose a Massiliensibus traductam esse. Itaque hæretici illi Prædestinatiani non fuerunt alii, quam S. Augustinus, Prosper, Hilarius, & quotquot eorum doctrinam sequebantur: quos eo nomine indigitarunt Semipelagiani, atque inter hæreticos nominibus eorum non expressis collocarunt: quibus credula posteritas quosdam tamquam hæreticos Prædestinatos aversata est.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 461.

HISTORIA PRÆDESTINATIANA.

CAPUT PRIMUM.

Prædestinatorum exordia in Africa in monachis Adrumetinis ab Augustino & ab Evodio deprehensa.

PRædestinatianam hæresim, quæ ex male intellectis S. Augustini verbis originem duxit, in Africa primum cœpisse auctor est Hincmarus in epistola ad Nicolaum papam [1], & in libro de Prædestinatione contra Gothescalcum. Idemque ipsum Prosper quoque indicarat, cum ad Augustinum scribens de iis quæ Gallos in ejus de prædestinatione sententia tunc movebant, quosdam ait intra Africam similia jam movisse. Ceterum quæ in Africæ parte dicerent neuter exposuit: docuit autem Augustinus in penultimo capite Retractationum. In Byzacena scilicet provincia, apud monachos Adrumetinos. Ad quos cum perlata fuisset epistola S. Augustini centesima quinta ad Sixtum ecclesiæ Romanæ presbyterum, eo ex hujus lectione adducti sunt nonnulli, ut persuasum haberent, sic in ea prædicari ab illo gratiam, ut negaret hominis esse liberum arbitrium, atque ad hoc ipsi dogma, quod deinceps Prædestinatorum fuit, adhærerent, ceteris contra pro liberi arbitrii defensensione pugnantibus. Quo ex dissidio & contentione turbato monasterio, profectisque ad Augustinum consilii caussa duobus monachis, & Floro qui pravæ interpretationis turbarumque auctor fuerat, ad eum misso; non satis habuit vir sanctissimus ac mitissimus, libri sui quem non intelligebant, veram rectamque sententiam eos edocere qui venerant; sed ut omnibus prodesset, binas per eosdem epistolas ad Valentinum abbatem & reliquos monachos scripsit, binosque una libros addidit, unum De gratia & libero arbitrio, alterum De correptione & gratia, in quibus illorum redarguens errorem, docet liberum hominis arbitrium Adæ peccato exstinctum non fuisse, sed sauciatum, nec divinæ in nobis gratiæ afflatu perimi, sed sanari. Fidem porro catholicam hanc esse, quæ neque liberum arbitrium neget, sive in vitam malam, sive in bonam: neque tantum ei tribuat, ut sine gratia Dei valeat aliquid: quorum in altero lapsi sunt Pelagiani, in altero errarunt Prædestinati. Proinde utrumque ut scopulum caveant, his illos verbis admonet in epistola XLVII. *Non declinetis*, ait, *in dexteram, neque in sinistram. Hoc est, non sic defendatis liberum arbitrium, ut ei bona opera sine Dei gratia tribuatis*, quod Pelagianorum fuit; *nec sic defendatis gratiam, ut quasi de illa securi, mala opera diligatis*, quod non horruerunt Prædestinati. Prædestinatorum ergo, quamquam, ut observat Hincmarus, nondum hoc illi nomen erat, prima hæc initia fuerunt in monachis Adrumetinis. De quibus etsi post certissimum Augustini testimonium alia quærere sit supervacaneum; alterum tamen, quod ultro succurrit, non abnuente, ut reor, Augustino subjiciam. Est enim hominis & moribus illi, & doctrina vitæque societate conjunctissimi, Evodii episcopi Uzalensis, cujus notæ sunt epistolæ aliquot inter Augustinianas, & cujus esse librum de fide contra Manichæos qui Augustino tribui vulgo solet, ex Corbejensi & ex aliis codicibus didicimus. Is igitur de Adrumetino quem dicimus tumultu certior factus, ad Valentinum eumdem ejusque monachos epistolam pariter scripsit, in qua, S. Augustini sensu vel exemplo, & de libero arbitrio sentire quid debeant breviter insinuat, & de majorum scriptis admonet, ut quæ non intelligunt non facile reprehendant. *Honorabiles* inquit, *fratres retulerunt nobis, quia nescio quæ ibi quæstiones inter vos natæ sunt de libero arbitrio, & de justitia Dei. Laudamus quidem studium vestrum, sed nolumus esse contentiosum. Contentio enim perturbationem excitat, sed studium pietatem requirit. Liberi arbitrii plenissimum affectum habuit homo primo procreatus, Adam dico. Sed ubi sauciatum est ipsum liberum arbitrium, infirmatum est. Ergo est in homine nunc liberum arbitrium, sed sauciatum. Inde dictum est:* [a] Infirmatus est in egestate vigor meus, & lumen oculorum meorum non est mecum. *Ad hoc recuperandum missus est medicus Salvator Christus, ut salvaret quod perierat, & curaret quod vitiatum fuerat.* ET POST ALIA. *Legant ergo sancti Dei majorum dicta, sicut jam dixi, qui habent divini muneris pium affectum: & quando non intelligunt, non cito reprehendant, sed orent ut intelligant.* Mitto cetera, quæ habentur in codice S. Maximini Trevirensis, non indigna luce omnia, nisi quod parum emendata. Sed ad rem nostram hæc satis. Nunc vero, cum Prædestinatorum hæresim deprehensam in monachis illis reprehensamque ab Augustino animadverterimus, quis falli eos non videat, qui hanc ipsam S. Augustini doctrinam fuisse contendunt, & cum male intellectum ab his librum suum ipsemet testetur, bene intellectum affirmare non dubitant? Hæc autem in Africa gesta, deinceps quæ in Gallia.

CAPUT II.

Prædestinatorum hæresi apud Gallos emergente, Prosper & Hilarius S. Augustini opem per litteras implorant.

QUi enim motus in Africa fuerant, iidem mox in Gallia haud paullo graviores ac diuturniores exorti sunt, anno Christi, ut conjectura est, CCCCXXIX. ob eamdem Augustini de absoluta Dei Prædestinatione sententiam: quam plerique, atque in his pietate doctrinaque præstantes non pauci, Massiliæ aliisque in locis magnopere aversabantur, tum quod nova, ut aiebant, & insolens videretur tum quod fovendæ firmandæque Prædestinatorum

a Psalm. XXX. 11. & XXXVII. 11.

1. Tom. II, epist. XVII.

hæresi quæ jam tum gliscere cœperat in Gallia, exposita in speciem & oonoxia. Hæc enim Prospero & Hilario præcipue caussa fuit, cur ad Augustinum dandas litteras putarint, ut ejus in re perplexa consilium opemque implorarent. Quod illa in primis demonstrant, quæ Prosper ex adversantium persona opponi & objectari solita, commemorat. *Hoc autem propositum*, inquit, *vocationis Dei, quo ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum & rejiciendorum dicitur facta discretio, & secundum quod placuit creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ sunt creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem teporis adferre: eo quod in utramque partem superfluus labor sit, si neque rejectus ulla industria possit intrare, neque electus ulla negligentia possit excidere. Quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos quam Deus definivit accidere; & sub incerta spe cursum non posse esse constantem; cum si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit adnitentis intentio. Removeri itaque omnem industriam, tollique virtutes, & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quamdam induci necessitatem.* Quæ omnia cum ad Prædestinatorum placita, quorum illi auctorem haberi volebant Augustinum, manifesto pertineant; de his nimirum sermonem fuisse perspicuum est, nec aberrasse Hincmarum, cum Prædestinatorum hæresim excitatam in Gallia, per Prosperum & Hilarium innotuisse Augustino, librosque de prædestinatione sanctorum, & de bono perseverantiæ, quibus Prospero & Hilario respondit Augustinus, contra hæresim eamdem editos ab eo fuisse testatus est. Quare in cassum dissimulant, qui Prædestinatis sæculo nostro ut faveant, callide rem alio transferre student, quasi turbæ illæ de quibus Prosper & Hilarius agunt, non ad prædestinationis quæstionem spectent, sed ad alia, de quibus posthæc cum reliquiis Pelagianorum fuit controversia. Nam futile id commentum, & Prosperi verba quæ protulimus & alia quibus epistolam concludit, cum ab Augustino quid cupiat exponit, apertissime revincunt. *Tribue*, inquit, *pater optime, ut quæ in istis quæstionibus obscuriora sunt, digneris aperire. Quomodo per istam præoperantem & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium; quemadmodum per hanc prædicationem propositi Dei, nemo eorum qui cohortandi sunt impediatur, nec occasionem negligentiæ habeant, si se prædestinatos esse desperent. Qualiter diluatur, quod retractatis priorum de hac re opinionibus, pæne omnium par invenitur & una sententia, qua propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt.* Quid enim aliud his verbis ab Augustino, totaque epistola sua Prosper efflagitat, quam ut divinæ prædestinationis nodos & difficultates explicet? De hac igitur agebatur, & de hac una omnes, aut pæne omnes, sunt Prosperi ad Gallorum objecta responsiones. Quod si Prosper atque Hilarius, & ceteri bonarum partium in Gallia, ægre ferebant Prædestinatorum dogmata quæ merito exhorrebant, S. Augustino adscribi, vel ex ejus libris derivari, in eoque laborabant, ut ab Augustino discerent, unde illum possent ab hac nota vindicare; quod illos judicium de his hodie facturos credimus, si viverent, qui Prædestinatorum hæresim ab Augustini doctrina non distinguunt? Non defuit illorum votis Augustinus, a quo binos in eam rem conscriptos libros jam diximus. Nec destitit Prosper, quamdiu superstes fuit Augustinus, & postquam in cælum est rece-

A ptus, partes illius agere tutarique pro viribus, singula quæ in ejus libris carpebantur, aut non intellecta docens, aut falso imposita. Sed invalescente malo, & post mortem Augustini liberius ac periculosius grassante, validiora sibi ex Urbe remedia conquirenda censuit.

CAPUT III.

Prædestinati a Cælestino papa, Prospero & Hilario suggerentibus, repressi per epistolam ad episcopos Galliæ.

De Romana Prosperi & Hilarii ad Cælestinum B profectione, cur suscepta, quidve in ea gestum sit, si ætatis nostræ Prædestinatianos, eorumque ante omnes primicerium percontemur, ad debellandas Pelagianorum reliquias profectos renuntiabunt. Sic enim passim jactitant, atque ita eos loqui susceptæ suæ caussa oportebat. Sed nos Hincmarum heic etiam malumus audire, qui Prædestinatorum gratia, ut de his expostularent adiisse, ab eoque ut novam hæresim damnaret impetrasse narrat in epistola ad Nicolaum papam, cujus ante jam facta est mentio [1]. *Ex veteri*, ait, *hæresi Prædestinatiana, quæ primum in Africa & postea in Gallia, per idem tempus, quando & Nestoriana hæresis est exorta, & tempore Cælestini papæ, ipsius auctorita-* C *te & instinctu sancti Prosperi est revicta*. Ubinam enim revicta, aut quo tempore apud Cælestinum institit Prosper, si hoc tempore negamus? Innotuisse namque Prædestinatorum hæresim Cælestino, ab eoque improbatam fuisse & explosam, ignorare non possumus. Nescire nos non patitur Prædestinati nostri quisquis est auctor, cum de pseudonymo illorum libro quem S. Augustino adfinxerant, in præfatione sua loquitur his verbis: *Tandem aliquando ad manus nostras pervenit liber, qui Augustinum mentitur in titulo, cum se hæreticum ostendat in textu. Quis enim nescit Augustinum orthodoxum semper fuisse doctorem? Hunc librum aliquando sibi oblatum beatissimæ memoriæ summus pontifex Cælestinus, ita* D *exsecrationi habuit, ut eum perpetuo damnari juberet silentio*. Dicite, oro vos, cur librum exhorruit, cur Augustino indignum judicavit, nisi ob hæresim quam continebat? Nunc epistolam ejus, quam audita legatione ad episcopos Galliæ conscripsit, alium in sensum detorqueri non posse ostendamus. Quid enim scribit? Dicam compendio, & quantum ad rem nostram sufficiat: *Filii nostri præsentes*, inquit, *Prosper & Hilarius, quorum circa Deum nostrum solicitudo laudanda est, tantum nescio quibus presbyteris illic licere, qui dissensioni ecclesiarum student, sunt apud nos profecuti, ut indisciplinatas quæstiones vocantes in medium, pertinaciter eos dicant prædicare adversantia veritati. Sed vestræ di-* E *lectioni justius imputamus, quando illi supra vos habent copiam disputandi. Ergo corripiantur hujusmodi. Desinat, si ita res sunt, incessere novitas vetustatem, desinat ecclesiarum quietem inquietudo turbare.* ET POST ALIA. *Nec tamen mirari possumus, si hæc erga viventes hi tentare nunc audent, qui nituntur etiam quiescentium fratrum memoriam dissipare. Augustinum sanctæ recordationis virum, pro vita sua atque meritis, in nostra communione semper habuimus, nec umquam hunc sinistræ suspicionis falsus saltem rumor aspersit. Quem tantæ olim scientiæ fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam ante a meis decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, ut pote qui ubicumque*

1. Epist. XVII. tom. II.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 461.

cunctis & amori fuerit & honori. Heic ego nunc, inquam, æquos judices appello, indisciplinatas quæstiones in medium ab his presbyteris vocatas quas dicat Cælestinus, præter illas de quibus ad Augustinum scripserat Prosper, & de quibus idem ad Gallorum capitula responderat, quas omnes ad unam pertinuisse prædestinationem significavimus? aut quæ porro ista novitas vetustatem, ut ait, incessens, si ea non erat, quæ nova & inaudita de prædestinatione docentibus imputabatur? Quod denique Augustini partes suscipiens, nullo umquam sinistræ suspicionis rumore adspersum, hoc est nullius insimulatum hæresis fuisse testatur, quis propter Prædestinatorum hæresim dictum non videt, cujus illi auctorem sibi Augustinum, & vulgo jactabant, & confictis libris mentiebantur? Sed Photium quoque patriarcham heic audiamus. Hujus enim hac de re verba sunt capite LIV. bibliothecæ. Μετὰ μέντοιγε θάνατον τοῦ ἐν ἁγίοις Αὐγουστίνου, ἤρξαντό τινες τῶν ἐν τῷ κλήρῳ, τὸ μὲν δυσσεβὲς κρατύνειν δόγμα· κακῶς δὲ λέγειν Αὐγουστῖνον, καὶ διασύρειν, ὡς ἀναίρεσιν τοῦ αὐτεξουσίου εἰσηγησάμενον. ἀλλὰ καὶ Κελεστῖνος ὁ Ῥώμης ὑπέρ τε τοῦ θείου ἀνδρὸς, καὶ κατὰ τῶν ἀνακινούντων τὴν αἵρεσιν, τοῖς ἐγχωρίοις γράφων ἐπισκόποις, τὴν κινουμένην πλάνην ἔστησε. *Mortuo*, inquit, *sancto Augustino, cœperunt quidam ex clero impium dogma statuere, ac de Augustino male loqui, eumque insectari, quasi liberi arbitrii interitum induxisset. Verum Cælestinus pontifex, & pro sancto viro, & contra hæresis incentores scribens ad episcopos ejus regionis, nascentem errorem compescuit*. Non sum nescius hæc a Photio cum iis quæ Pelagianorum erant commemorari. Sed de Pelagianis, quorum ut alia omittam, novus error hoc tempore non erat, intelligi hæc non posse planum est. Prædestinatorum autem adversus Augustinum propriam fuisse calumniam nemo nescit, liberum in homine arbitrium illius sententia nihil esse, liberum ab illo arbitrium penitus submoveri. Quare ad hos prorsus referenda sunt. Maneat ergo quod posuimus, de Prædestinatis sermone heic esse, illosque a Cælestino, Prosperi & Hilarii impulsu, missa ad Galliæ præsules epistola damnatos.

CAPUT IV.

Prædestinatorum hæresim primus impugnat auctor Prædestinati, cujus nomen in codice Remensi nullum, in Augiensi falsum expressum est.

Tacite hactenus, ac re potius quam verbo, actam vidimus caussam Prædestinatorum. Quamquam enim in Africa & in Gallia, ventilata & rejecta horum dogmata fuerunt, nondum tamen hæresis nomen audiebatur, nec Prædestinati horum sectatores vocabantur. Post hæc in apertum res erupit, palamque in hæreses relata, & multorum scriptis confutata, synodalibus demum decretis damnata est & oppressa. Primus in illos, ipso teste, stilum exseruit auctor Prædestinati, cujus liber paucis ab hinc annis in lucem prodiit ex bibliotheca S. Mariæ Remensis. Hos enim ille cum inter catholicos quibus immixti erant, latentes deprehendisset, ac librum ab his sub Augustini nomine ad asserendam hæresim falso confictum, qui apud illos instar symboli habebatur, nactus esset, integrum edidit & refutavit, præmisso hæresum omnium elencho, adjectaque ad ceteras Prædestinatiana, quam his verbis describit.

Nonagesima *hæresis, quam in præfatione nostra diximus de nomine Augustini episcopi esse mentitam, Prædestinatorum nomen accepit.*

Hi electionem bonorum, & recusationem malorum, Deo decernente definiunt, non homine vel studente, vel negligente. Nolunt Dei jura vel ab studentibus custodiri, vel a negligentibus violari.

Dicunt etiamsi voluerit bonum facere qui ad malum prædestinatus est, ad bonum pervenire non poterit: nam qui ad bonum prædestinatus est, etiam si negligat, ad bonum perducetur invitus.

Dicunt baptismatis undam non universa peccata mundare.

Dicunt, ita antecedit gratia liberum arbitrium, ut ante accipiat homo quam petat, ante inveniat quam quærat, ante ei aperiatur quam pulset.

Dicunt nullum ad Christi fidem accedere, nisi fuerit a patre tractus invitus, illud adtendentes: [a] Nemo venit ad me, nisi quem pater adtraxerit.

Dicunt omnia non in re, sed ita in spe fieri, ut quod dicit Apostolus, [b] Spes quæ videtur non est spes, *etiam hoc mysteriis applicent, & dicant, ea quæ percipiuntur, videntur quidem esse, sed non sunt.*

Dicunt, plus obfuit ad nocendum Adam generi humano, quam Christus in subveniendo. Nam Adam ajunt quod nocuit ita manet, ut hoc nec passio Christi, nec baptismatis sanctificatio possit auferre.

Tam luculento contra se testimonio perculsi & attoniti, hoc unum quo infirmarent habuerunt Prædestinatiani dogmatis defensores, quod auctoris sit, ut volunt, Semipelagiani, qua nota ceteros etiam inurunt qui huic adstipulantur. Nec sentiunt homines cordati, nihil hoc ad quæstionem nostram pertinere, in qua id unum quærimus, fuerint ne aliquando in hæreticorum numero Prædestinati. Quod etsi cum ab orthodoxis adseritur, religiosius amplectimur; non eo tamen statim falsum est, si falsi dogmatis sint qui affirmant. Quid enim; an inter ecclesiasticæ historiæ scriptores, fidem omnem abrogabimus Eusebio Cæsariensi, aut Socrati & Sozomeno, propterea quod Arrianus ille fuerit, hi vero Novatiani? Quod si hos in iis historiis quas narrant non respuimus, cur Prædestinati auctorem ac reliquos, tametsi ii essent quos fingunt, in re historica non recipiamus? Denique, ut nunc non dicam a labe immunes fuisse quos accusant, quid his præcipue Prædestinatorum caussa succensent, si qui horum de Prædestinatis sensus fuit, eumdem aliorum fuisse constat quos ipsi suspectos habere non possunt? Nisi forte parum orthodoxum fuisse existimant S. Augustinum, qui Adrumetinos monachos, ut dictum est, liberum in homine arbitrium negantes redarguit: aut triginta episcopos, qui ad condemnandum prædestinationis errorem in Arelatensi concilio congregati sunt: aut Cæsarium & socios, qui aliquos ad malum prædestinari credentibus anathema in Arausicano II. dixerunt. Quod si hos reprehendere non audent, desinant auctori nostro conviciari, ac doleant potius ejus adhuc nomen, quod luce dignum erat, ignorari. Nam quod Hyginus ab Hincmaro est appellatus, error est. Hincmari quippe codex quem in editione nostra expressimus, auctoris nomen nullum habuit. Hygini vero nomen quod in primi libri fronte legitur, non auctoris, ut præfati sumus, sed unius est ex iis qui hæresum catalogos contexuerunt. At in Augiæ divitis exemplari, cujus antigraphum Romæ postea vidimus, nomen quidem adscriptum est auctoris, sed falsi, hoc est Primasii. Neque error hic recens, sed, quod exemplaris antiquitas testatur,

a Joan. VI. 44. b Rom. VIII. 24.

jam olim per critici alicujus oscitantiam natus: qui cum apud Isidorum in libro de viris illustribus observasset Primasium episcopum Africanum de hæresibus libros tres edidisse ad Fortunatum episcopum, de his tribus Prædestinati nostri temere auguratus, codicem illum Augiensem ita digessit, ut singulos libros Primasii ad Fortunatum titulo prænotaret: quod absurdissimum fuit, cum toto sæculo posterior sit Primasius, & diversissimam utriusque operis rationem fuisse Isidori verba declarent. Tertium in Dunensi Flandrorum monasterio exstare exemplar ferunt, sed sine inscriptione, ut opinor. Quare quis Prædestinatum nostrum scripserit, nihildum hactenus compertum est.

CAPUT V.

Prædestinatorum hæresis nomen & origo in Chronico Prosperi, non Tironis Aquitani, sed alterius ejusdem nominis & ætatis.

EOrum qui Prædestinatianam inter hæreses collocarunt; secundo loco sit Prosper in Chronico Pithœano, id est Pithœi cura edito. Idem ne is fuerit cum Prospero Aquitano, an alius, mox viderimus: nunc certum est idem illi nomen fuisse. Hoc enim agnoscunt vetera exemplaria, & sic appellatur a Sigeberto Gemblacensi, ubi de sancti Martini obitu scribit. Hujus ergo de Prædestinatis, eorumque exordio verba sunt: *Prædestinatorum hæresis, quæ ab Augustino accepisse dicitur initium, his temporibus serpere exorsa*. Omnium oculis patet codex bibliothecæ S. Victoris, unde Pithœi prodiit editio: & cum hoc codice Parisiis item, ne externa quærantur, congruit alterum exemplar, quod Antonii Oiseli olim fuit, nunc in heredum est potestate. At cur, inquiunt, pro eo quod in manuscripto legitur *ab Augustino*, Pithœus *ab Augustini libris male intellectis* edendum curavit? Equidem, si dicendum est, factum nolim. Ceterum quod vir acris judicii, cum in Oiselino codice lectionem utramque reperisset, atque unam utriusque sciret esse sententiam, lectionem illam prætulit, quæ calumniæ minus foret obnoxia, quid est tantopere quod reprehendant? Quasi bardum adeo & incautum Chronici hujus auctorem credant fuisse, ut quam hæresim ipse appellaret, ejus ducem ac principem haberi vellet Augustinum. Verum hi lectionem quæ male ab ipsis intelligi doceat Augustinum, ferre scilicet non possunt. Nobis vero, post Adrumetensium monachorum exemplum, fixum ratumque est, quamlibet sibi de recte intellectis S. Augustini libris blandiantur, atque illius placita & sententias fingant refingantque pro arbitrio, numquam obtenturos, ut erroribus hunc suis, nisi falsa & vitiosa interpretatione, faventem habeant. Sed ut ad Pithœi Chronicum redeamus, quid iis dicemus qui Prosperi esse negant? Quo autem negant argumento? quia hic, inquiunt, Tiro nuncupatur. Et nesciunt qui sic ratiocinantur, Prosperi Aquitani cognomen id fuisse, Pithœumque rei haud ignarum, tametsi in codice S. Victoris quo usus est, solum Prosperi nomen erat, Tironem de suo adjecisse, quia eumdem ipsum utriusque Chronici auctorem fuisse in animum induxerat. In quo sane, quamquam ægre a tanti viri sententia discedimus, adstipulantes nos potius habent qui adversantur. Tironis enim Prosperi Chronicum hoc non fuit, sed tamen Prosperi, ut dictum est. Nec enim caussæ

A satis apparet, cur bis idem eorumdem temporum Chronica scriberet; nec credibile, si scriberet, tam diversa scripturum: ut non dicam, quæ de Prædestinatis ab hoc Prospero referuntur, ea in Aquitanum cadere eique convenire non posse. Quare duo fuerunt. Duo inquam Prosperi, eadem ætate, eademque in Gallia, Chronicum ambo scripserunt, eumdemque ambo ad terminum, hoc est ad Valentiniani Aug. VIII. & Anthemii consulatum, Urbemque a Genserico captam perduxerunt. Sed hoc Chronici utriusque discrimen, quod Prosper Pithœanus appendicem dumtaxat Eusebio & Hieronymo videtur adjecisse, hoc est non amplius composuisse, quam quod a Pithœo in lucem est datum: Tiro autem Prosper,
B Victorii, Gennadii & Cassiodori testimonio, ab Adam mundique principio exorsus, ad Vandalicam usque direptionem opus suum deduxerat. Chronicum hoc, ut res docet, Chronici Eusebiani, quousque cum Hieronymi supplemento porrigitur, mera est Epitome: unde & Epitomem Chronicorum interdum vocant, aut Excerpta ex Chronicis, quia inde Prosper omnia decerpserat: nisi quod consulum fastos quibus illi carebant, a Christi usque baptismo suis Prosper locis inseruit, ac cetera quoque deinceps usque ad operis finem de suo contexuit. Quemadmodum autem Eusebii & Hieronymi Prosper, ita Prosperi prosecutus est historiam Victor Tononensis in Africa episcopus, appendicem inde suam ordiens,
C ubi Prosper in prima Chronici sui editione desierat, hoc est a Theodosii Aug. XVIII. & Albini consulatu, qui Christi annus censetur CCCCXLIV. Nam ultra eum non processisse primam editionem, ut testis non esset Victor, qui Prosperum in hoc consulatu reliquisse docet, fidem facerent hactenus vulgata ejus exemplaria, quæ ibidem omnia consistunt. Quare qui reliqui ad captam Urbem sunt anni undecim, altera post editione adjectos fatendum est.

CAPUT VI.

Gennadii Massiliensis de Prædestinatorum hæresi testimonium, & Jansenii Gennadium frustra insectantis refutatio.

D PRospero succedet Gennadius Massiliensis, qui licet non ante omnes scripsit, primus tamen in publicum prodiit, ex iis qui Prædestinatos hæresis nota confixerunt. Horum autem dogmata his verbis complexus est. PRÆDESTINATIANI *sunt, qui dicunt quod Deus non omnes homines ad hoc crearit, ut omnes salventur, sed ut multitudine hominum ornetur mundus. Quod etsi generali prædicatione dicat:* [a] Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, *non tamen omnes ea voluntate vocet, ut omnes sequantur vocem ejus. Sed nec omnes qui ipso inspirante obediunt vocatio-*
E *ni, dicunt accipere exsequendi in bono opere perseverantiam: sed post multos labores & justitiæ fructus, si non sunt de salvandorum numero, subtrahendas eis vires agendi, ne perdurent in bono; & e contrario, illos qui prædestinati sunt ad vitam æternam, etiamsi in perfidia vel in omni genere peccati longo tempore volutentur, accepturos occasionem, qua & credant in Deum, & secundum Dei præceptum vivant, & possideant societatem justorum. Tali definitione id docere student, quod Deus personas hominum accipiat, quod alios etiam invitos post multa mala opera attrahat ad salutem, alios post bona rejiciat, & compellat in malum, quo pereant in æternum.*

a Matth. xi. 28.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 461.



Simul ac in lucem prolatum est hoc elogium, A incredibile dictu, quos tumultus & quas consternationes apud novos vetusti erroris patronos excitarit: nihil ut intentatum reliquerint, quo Gennadii fidem, quia de testimonio fallere non poterant, auctoritatemque extenuarent. Quid vero tandem habent quod opponant? Si principem scholæ interroges, Gennadium accusat, quod primus omnium Prædestinatos in hæreticorum album referre ausus sit. At hoc falsum est: quia ante illum retulerant, ut de aliis taceam, & Prosper & auctor Prædestinati. Deinde quid culpæ est, id quod verum sit, ante alios profiteri? Verum, inquiunt, non esse ostendit Isidorus, qui Gennadii librum hoc nomine improbavit & correxit. *Qua de caussa*, B inquit Jansenius, *sanctus Isidorus Hispalensis episcopus, cum librum istum vidisset, atque inde plures hæreses iisdem omnino verbis descripsisset, Pelagianos a Gennadio prætermissos addidit, & Prædestinatos a Gennadio positos prætermisit*. Hæc ille tomo I. libro VIII, cap. XXIII. Quam multa in paucis verbis frivola & commentitia! quæ uno statim verbo revicta evanescunt: quia Gennadium constat librum de hæresibus nullum edidisse, sed quatuor tantummodo hæresum appendicem ad S. Augustini librum adjecisse. Hincmarum audiamus haud paullo notiora sibi & veriora narrantem in libro de Prædestinatione cap. I. *Sed & de Hæresibus* XXCVIII. inquit, C *idem doctor mirificus Augustinus conscripsit: quibus novissime hæresim Pelagianorum subjunxit. Inde Gennadius Massiliensis sacerdos valde doctus, hanc Prædestinatianam nonagesimam hæresim sectæ Pelagianæ supposuit: deinde nonagesimam primam Nestorianam ponit, sicque Eutychianam, & post hanc Timotheanam*. Quamquam quid heic opus est Hincmari suffragium expetere, cum idoneos testes habeamus veteres libros, atque in his codicem bibliothecæ S. Victoris Parisiensis? In quo, post finem libri S. Augustini de hæresibus, subjuncta est Gennadii appendix, quam diximus, in hunc modum. *Finit relatio S. Augustini episcopi de Hæresibus. Hæc vero quæ sequuntur, a sancto Gennadio Massiliensi presbytero sunt posita*. D

XC. Prædestinatiani sunt, qui dicunt, quod Deus, *cet.*
XCI. Nestoriani dicunt sanctam Virginem, *cet.*
XCII. Euthychiani dicunt Dominum Jesum, *cet.*
XCIII. Timotheani dicunt filium Dei verum quidem hominem ex Virgine Maria natum, sed non ita unam *cet.*

Tum deinde, *Explicit liber de Hæresibus*. Ut dubium non sit Gennadium ultra non processisse, & has tamen quatuor complexum esse. Quam ob rem mirari equidem satis non possum, quo casu vel consilio factum sit, ut in celeberrima S. Augustini operum editione Lovaniensi, cum ex codice Gemblacensi Gennadiana hæc appendix, tacito licet auctoris nomine, proferretur, omissa Prædesti- E natiana, tres tantum reliquæ sint expressæ. Porro cum ex superioribus liqueat Gennadium, etsi hoc illi fortasse in animo fuerat, librum de hæresibus re ipsa nullum scripsisse; apparet qua fide Jansenius librum qui numquam fuit, ab Isidoro dicat expilatum. Quo jure Pelagianos a Gennadio, tamquam de hac hæresi suspecto, non positos cavilletur: cum ab Augustino positos repeti a Gennadio non oportuerit, nec Gennadio caussæ quidquam fuerit, cur Pelagianam hæresim commemorare cunctaretur, qui Pelagium ipsum in illustrium ecclesiæ scriptorum catalogo hæresiarcham non dissimulanter appellarat [1]. Quam futili demum atque inani divinatione, Prædestinatianos ab Isidoro quos apud Gennadium repererat, prætermissos pronuntiet? Ubinam enim repererat? Non in libro de Hæresibus, quem nullum ediderat. Ergo in Appendice. At ne Appendicem quidem viderat. Lege & confer quæ de Nestorianis & de Eutychianis ab utroque sunt scripta, ne apicem quidem offendes, quem a Gennadio magnus ille tuo judicio Gennadii æmulator mutuatus sit. Cur ergo Prædestinatianæ inter hæreses Isidorus non meminit? Quia Gennadium non legerat. Nugæ itaque fallaces ac ridiculæ sunt istæ. Quæ si paullo cautiores non decipient, at miseræ profecto Marcellinarum Priscillarumque sunt aures, quæ istiusmodi apud illos fabulis adsuefiunt.

1. Cap. XLII.

CAPUT VII.

De Arelatensi concilio, in quo Prædestinatorum hæresis XXX. *episcoporum decreto damnata est, & de Lugdunensi a quo iterum proscripta.*

Omnium quæ Prædestinatis inflicta sunt gravius nullum vulnus fuit, quam quo a triginta episcopis affecti sunt in synodo Arelatensi, atque iterum postea in Lugdunensi. Et quamquam neutrius hodie concilii acta restant (quod his commune est cum aliis quamplurimis) supersunt tamen ex Arelatensi nonnulla, quæ fidem quoque adstruunt Lugdunensi. Epistola nempe Fausti Rejensis episcopi ad Lucidum presbyterum e secta Prædestinatorum, tum scripta, cum celebraretur Arelate concilium, sub annum, ut conjectura nostra fuit, CCCCLXXV. Deinde Lucidi libellus eidem oblatus concilio. Postremo Fausti ejusdem altera epistola ad Leontium Arelatensem, qui concilio præfuit. Tria hæc quæ Actorum jacturam supplere quoquomodo possunt, ordine subjiciemus. Ac primo quidem Fausti quam diximus ad Lucidum epistolam, qua illum hortatur, ut errores suos revocet, futurum alioqui denuntians, ut a concilio damnetur. Sic ergo se habet.

EPISTOLA FAUSTI REJENSIS ad Lucidum Prædestinatianum, ut errores suos revocet.

Domino devinctissimo, & mihi speciali affectu venerando ac suscipiendo fratri Lucido presbytero Faustus.

Grandis caritas est, parum cauti fratris errorem per Dei auxilium & gratiam magis velle curare, quam sicut summi antistites meditantur, ab unitate suspendere. Quid possum de hoc sensu, sicut ais, cum unanimitate tua per litteras loqui, cum te præsens multa & blanda & humili conlocutione numquam potuerim ad viam veritatis attrahere? Loquentes ergo de Dei gratia & obedientia hominis, id omnimodo statuere debemus, ut neque proni in sinistram, neque importuni in dexteram, regia magis gradiamur via. Illud autem venerationem tuam dixisse miratus sum, quod nullus umquam sub religiosa professione contra catholicam fidem vel scripserit, vel prædicaverit: cum plurimi multiplices & profanos errores suos etiam scriptorum monimentis crediderint inferendos, qui tamen Christiano nomine gloriabantur. BREVITER ergo dicam, quantum cum absente loqui possum, quid sentire cum catholica ecclesia debeas. Id est, ut cum gratia Domini operationem baptizati famuli semper adjungas, & eum qui prædestinationem excluso labore hominis asserit, cum Pelagii dogmate detesteris.

Anathema ergo illi, qui inter reliquas Pelagii impietates hominem sine peccato nasci, & per solum laborem posse salvari damnanda præsumtione contenderit, & qui eum sine gratia Dei liberari posse crediderit. Item

Anathema illi, qui hominem cum fideli confessione solemniter baptizatum, & afferentem catholicam fidem, & postmodum per diversa mundi hujus oblectamenta & tentamenta prolapsum, in Adam & originali peccato periisse asseruerit. Item

Anathema illi, qui per Dei præscientiam in mortem deprimi hominem dixerit. Item

Anathema illi, qui dixerit illum qui periit non accepisse ut salvus esse posset, id est de baptizato, vel de illius ætatis pagano, qui credere potuit & noluit. Item

Anathema illi, qui dixerit quod vas contumeliæ non possit adsurgere ut sit vas in honorem. Item

Anathema illi, qui dixerit quod Christus non pro omnibus mortuus sit, nec omnes homines salvos esse velit.

Cum autem ad nos in Christi nomine veneris, aut cum a sanctis sacerdotibus evocatus fueris, tunc opportuna, si Dominus jusserit, locis suis testimonia proferemus, quibus & quæ catholica sunt manifestentur, & quæ catholicis contraria destruantur. Nos autem per inluminationem Christi veraciter & confidenter asserimus, & eum qui periit per culpam, salvum esse potuisse per gratiam, si gratiæ ipsi famuli laboris obedientiam non negasset: & eum qui per gratiam ad bonæ consummationis metas servitio obsequente pervenit, cadere per desidiam, & perire potuisse per culpam. Nos ergo per medium Christo duce gradientes, post gratiam sine qua nihil sumus, laborem officiosæ servitutis asserimus. Sed omnimodo arrogantiam & præsumtionem laboris excludimus: ut totis viribus desudantes, ne gratia in nobis evacuetur, quidquid de manu Domini susceperimus, donum pronuntiamus esse, non pretium. Scientes laboris ipsius fructum officii rem esse, non meriti; cum Evangelista dicentes: [a] *Servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.* Hæc quæ strictim pro epistolæ brevitate memorata sunt, aut recipere se, aut respuere, unanimitas tua recurrente sermone respondeat. Ceterum qui hanc veritatis mensuram gratia præcedente & conatu adsurgente non sequitur, dignus erit qui a sacris liminibus arceatur. Ego tamen individuam bonitatem tuam toto sinceræ benignitatis amplexu in via retinens, intra matris ecclesiæ gremium permanere repudiato hoc errore desidero. Qui si cito respuatur, ignorantia fuisse videbitur, blasphemia vero reputabitur, si pertinaciter defendatur. Gravem namque in auctorem retorquemus invidiam, si dicamus quod ei possibilitatem capessendæ salutis noluerit dare qui periit, ei dumtaxat, qui capere jam posset arbitrii libertatem: cum minime negare possimus, quod mandati prævaricatorem in judicii sui examinatione damnabit. Qui enim non est obnoxius de suscepto, nescio quomodo reus possit esse de perdito: ac sic peccantes in Deum cujus in primis asseruimus gratiam, in postremis ejus videbimur impugnare justitiam. Hujus autem epistolæ exemplar mecum retineo, in conventu sanctorum antistitum, si ita necesse fuerit, proferendum. Quam si suscipiendam putaverit fraternitas tua, aut subscriptam manu propria mox remittat, aut sequentibus scriptis omnino se improbasse respondeat. Quod si eam subscriptam, ut dixi, transmittere nolueris, aperte adhuc te in errore persistere ipso silentio comprobabis: ac proinde jam necessitatem mihi facies ad personam tuam publicis conventibus exponendam. Et ideo secundum hæc quæ a me sunt directa rescribe, utrum ea remotis circuitionibus, aut agnoscas aut respuas. *Et alia manu*, Faustus exemplar epistolæ meæ relegi & subscripsi.

Hæc enim vera & germana epistolæ est subscriptio, unicum auctoris nomen præferens, quod solum pariter & Hincmarus, & veteres optimi quique libri repræsentant. Altera autem, vulgatis hactenus editionibus, quæ Auxanii aliorumque cum Fausto novem episcoporum nomina subnotat, etsi veterum quorumdam codicum suffragio non caret, spuria tamen est haud dubie & aliena. Quæ & in errorem nonnullos induxit, ut ab Arelatensi concilio, vel a Lugdunensi subscriptam Fausti epistolam crederent; & adversariis nostris calumniæ ansam præbuit, ut nos concilii nomen huic uni Fausti epistolæ dicerent tribuere: quod est falsissimum. Hac igitur Fausti epistola excitatus Lucidus ad se rediit, & quod diu cunctatus fuerat,

A errorem agnovit, atque ex concilii sententia retractavit, libellum illi offerens hujusmodi.

EXEMPLAR LIBELLI LUCIDI presbyteri pristinos errores revocantis.

Dominis beatissimis & in Christo reverentissimis patribus, Leontio, Eufronio, Fonteio, Viventio, Mamerto, Patienti, Veriano, Auxanio, Fausto, Paullo, Megethio, Græco, Eutropio, Leontio, Claudio, Marcello, Croco, Basilio, Claudio, Ursicino, Prætextato, Pragmatio, Theoplasto, Leontio, Viventio [1], *Juliano, Amicali, Joanni, Opilioni & Licinio episcopis Lucidus presbyter.*

B Correptio vestra salus publica, & sententia vestra medicina est. Unde & ego summum remedium duco, ut præteritos errores accusando excusem, & salutifera confessione me diluam. Proinde juxta prædicandi recentia statuta concilii, damno vobiscum sensum illum: qui dicit humanæ obedientiæ laborem divinæ gratiæ non esse jungendum: qui dicit post primi hominis lapsum ex toto arbitrium voluntatis exstinctum: qui dicit quod Christus Dominus & salvator noster mortem non pro omnium salute susceperit: qui dicit quod præscientia Dei hominem violenter compellat ad mortem, vel quod cum Dei pereant voluntate qui pereunt: qui dicit quod post acceptum legitime baptismum in Adam moriatur quicumque deliquerit: qui dicit alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædestinatos: qui dicit ab Adam usque ad Christum nullos ex gentibus per primam Dei gratiam, id est per legem naturæ, C in adventum Christi fuisse salvatos, & quod liberum arbitrium in primo parente perdiderint: qui dicit patriarchas ac prophetas, vel summos quosque sanctorum, etiam ante redemtionis tempora intra paradisum deguisse. Hæc omnia, quasi impia & sacrilegiis repleta condemno. Ita autem assero gratiam Dei, ut annisum hominis & conatum gratiæ semper adjungam, & libertatem voluntatis humanæ non exstinctam, sed attenuatam & infirmatam esse pronuntiem, & periclitari eum qui salvus est, & eum qui periit potuisse salvari. Christum etiam Deum & Salvatorem, quantum pertinet ad divitias bonitatis suæ, pretium mortis pro omnibus obtulisse, & quia nullum perire velit qui est salvator omnium, maxime fidelium, dives in omnibus qui invocant illum. Et quia in tantis rebus conscientiæ satisfaciendum, memini me ante dixisse, quod Christus pro his tantum quos credituros præscivit, advenisset, sententias dominicas sequens, quibus ait: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & animam* D *suam redemtionem dare pro multis.* Et illud: *Hic est calix sanguinis mei novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Vel illud Apostoli: *Sicut statutum est hominibus mori, ita & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Nunc vero, sacrorum testimoniorum auctoritate, quæ abunde per spatia divinarum inveniuntur scripturarum, ex seniorum doctrina ratione patefacta, libens fateor Christum etiam pro perditis advenisse, quia eodem nolente perierunt. Neque enim fas est, circa eos solum qui videntur esse salvati, immensæ divitias bonitatis ac beneficia divina concludi. Nam si Christum his tantum remedia attulisse dicimus qui redemti sunt, videbimur absolvere non redemtos, quos pro redemtione contemta constat esse puniendos. Assero etiam, per rationem & ordinem sæculorum, alios lege gratiæ, alios lege Moysi, alios lege naturæ quam Deus in omnium cordibus scripsit, in spe adventus Christi fuisse salvatos: tamen ab initio mundi ab originali nexu, nisi E intercessione sacri sanguinis, non absolutos. Profiteor etiam æternos ignes & infernales flammas factis capitalibus præparatas: quia perseverantes humanas culpas merito sequitur divina sententia, quam juste incurrunt qui hæc non toto corde crediderint. Orate pro me, domini sancti & apostolici patres. *Lucidus presbyter hanc epistolam meam manu propria subscripsi, & quæ in ea adstruuntur assero, & quæ sunt damnata damno.*

Ex hac Lucidi ad synodum Arelatensem epistola, non triginta solum episcoporum, qui in ea fuerunt, nomina didicimus: sed dogmatum etiam ca-

[a] Luc. XVII. 10.

1. *Leucadio*, ut legitur tom. I. Con. Galliæ & Hincmar. cap. 1. lib. de Prædestinat.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 461.

pita quæ sanxerunt contra Prædestinatos. Restat quam tertio loco statuimus, Fausti episcopi ad Leontium Arelatensem epistola, seu præfatio librorum ejus de gratia & libero arbitrio: quæ & synodum hanc adversus Prædestinatos coactam docet fuisse, & Fausti libros, Leontii ac synodi mandato, ad ea quæ synodus protulerat digerenda & explicanda compositos: quibus proinde titulum Faustus præfixit, qui Prædestinatos eorumque errores designat his verbis: *Professio fidei contra eos qui dum per solam Dei voluntatem alios dicunt ad vitam trahi, alios in mortem deprimi, hinc fatum cum gentibus asserunt, inde liberum arbitrium cum Manichæis negant*. Præfationis igitur hoc est exordium.

Domino beatissimo & reverentissimo Leontio papæ Faustus.

Quod pro solicitudine pastorali, beate pater Leonti, in condemnando prædestinationis errore concilium summorum antistitum congregastis, universis Galliarum ecclesiis contulistis. Quod vero ad ordinanda quæ collatione publica doctissime protulistis, operam infirmis humeris curamque mandastis, parum sanctæ existimationi vestræ consuluistis, & me judicio caritatis, vos periculo electionis onerastis. *His autem verbis clauditur*. In quo quidem opusculo, post Arelatensis concilii subscriptionem, novis erroribus deprehensis, adjici aliqua synodus Lugdunensis exegit.

Ex his perspicuum est, trium illorum quæ ad concilium Arelatense attinere dicebamus, Fausti ad Lucidum epistolam inchoato jam concilio scriptam esse, Lucidi libellum durante adhuc concilio porrectum, Fausti vero libros cum præfatione sua post concilii finem exaratos.

CAPUT VIII.

De Fausto Reiensi ejusque libris de gratia & libero arbitrio, deque nota qua inuri a quibusdam solent, quid sentiendum.

Admonet hoc loco studium veritatis, amorque innocentiæ, ut Fausti Reiensis vicem doleamus, sanctoque & clari nominis antistiti reverentiam qua fas est deprecemur. Quis enim ægre non ferat, Faustum illum, qui in admiratione omnibus ætate sua fuit & honore, quem doctrinæ salutaris singularisque virum Sidonius [1], doctorem eximium, pastorem egregium Ruricius appellabat, quem adhuc abbatem Hilarius Arelatensis ita honoravit, ut inter se ac Theodorum & Maximum episcopos medium locaret, episcopum vero & episcopi collegæ omnes reveriti sunt, & Hilarus pontifex dignum censuit, qui in synodo Romana secum una præsideret: Faustum hunc, inquam, quis æquo animo ferat, librorum nunc istorum nomine, quod Prædestinatorum in his errores ex synodi sententia refellerit, vexari passim a multis traducique tamquam hæreticum? Idque auctore, quod dissimulare non possunt, ac duce Joanne Maxentio, Scyta monacho, ex eorum numero qui Eutychis hæresim clam foventes, synodum Calchedonensem adversus Hormisdam ejusque legatos occultis artibus impetebant. Hic enim est Maxentius, qui Constantinopoli, annis post Arelatense concilium amplius quadraginta, de Fausti libris turbas primus excitavit, hæreticos illos esse clamitans; cum alii contra, quorum princeps Possessor episcopus Africanus, esse docerent orthodoxos: cumque a Possessore de his libris consultus Hormisda mitius quam pro Maxentii voto respondisset, sic homo amens efferatus est, ut Hormisdam quoque ipsum incesseret, atque hæreticum dicere non dubitaret. Nec vero hic illius sociorumque odia conquieverunt. Quin & episcopos Africæ in Sardinia exsules in Faustum acuere conati, hos etiam ejus libros per Fulgentium refutandos in Sardiniam miserunt. Difficile videlicet non erat ab Afris id sperare, apud quos nata, ut dictum est, Prædestinatorum hæresis, in multorum adhuc mentibus hærebat: qui vero ab hac labe immunes erant, sic tamen affecti erant plerique, ut quæcumque contra Prædestinatos dicerentur, ea perinde ac si Augustinum peterent suspecta & odiosa haberent omnia. Quid enim aliud vehementius urgebant, qui Fausti libris infesti erant, quam quod Petrus diaconus, ceterique cum eo, in epistola sua criminantur, contra prædestinationis illos sententiam scriptos esse? Quid hoc autem ad Augustinum? Nam contra prædestinationis sententiam scriptos a se Faustus non abnuebat: sed contra illam dumtaxat, quæ vel fatum afferat, vel liberum arbitrium neget: quorum utrumque ab Augustini sensu abhorrere, nec infitias ierint ipsi, & utrumque Augustino per calumniam imponi solere testis est Prosper in epistola ad Rufinum. Callidum præterea & subdolum Fausti sermonem aiunt fuisse, Pelagianæ pravitati consentientem, detectum convictumque a Fulgentio, ab Avito & ab aliis. Quid heic aptius veriusque pro Fausto responderi queat, quam solenne illud Fausti ipsius, NON ITA EST? Etenim quos in ejus scriptis dolos deprehenderit Fulgentius, & quo pacto profundam illius quam exprobrant calliditatem libris suis septem detexerit, divinare, cum hi non exstent, non possimus. Avitum Viennensem in aliis Fausti libris scimus aliqua non laudasse: contra hos vero libros an quidquam scripserit, quod existimasse Ado videtur, incertum est. Maxentii porro in Faustum objectiones fallaces ac minime sinceras multorum judicio habitas quis nescit, nec caussæ quidquam esse, cur illum de Fausto potius audiamus quam Gennadium vel Possessorem, quorum alter opus egregium, alter catholicos libros istos pronuntiavit? Quin & hac ætate nostra non desunt, & proximo ante sæculo non defuerunt viri doctissimi exactique judicii, qui in illorum irent sententiam, atque in his, ne plures commemorem, clarissima Lovaniensis Academiæ duo lumina, Joannes Driedo & Ruardus Tapper, qui Faustum ambo, nec sine honore, catholicum ecclesiæ doctorem nominant. Non quod, opinor, ea in Fausti libris non animadverterent, in quibus naturæ nostræ ad fidei initium & alia plus aliquanto tribuere visus est quam par erat: sed quod hæc quæ ab illo tunc scribebantur, quando ita loqui fas fuit, ejusmodi non esse intelligebant, propter quæ catholici nominis jacturam fieri oporteret. Quid enim alioqui futurum tot patribus, tum Græcis, tum Latinis, quorum par sit ratio? quid Augustino ipsi, qui de sanctorum prædestinatione scribens eadem se olim de ortu fidei sensisse confessus est [2]? Nam aut eadem cum Fausto tabella damnandi sunt, aut quæ illos absolvet, eadem Faustum absolvi necesse erit, aut discrimen ostendi. Quæ cum ita sint, videant nunc quo se adigant ex ævi nostri theologis ii, qui cum Maxentio Maxentiique æmulo Gothescalco, Faustum hæreticis adcensere non extimescunt: ac pro ea quam veritati sanctoque antistiti debent, reverentia, si de Fausti libris decernendum est, ne supra sedem apostolicam, Gelasiumque & Hormisdam sapere velint,

1. Lib. IX. epist. VIII.

2. Cap. III.

quibus satis fuit non primæ illos auctoritatis, hoc A est apocryphos dicere, non hæreticos.

CAPUT IX.

De synodo Arausicana II. in qua Prædestinatorum quoque hæresis damnata est.

INter eos qui Prosperi exemplo, post ejus excessum, divinæ gratiæ partes susceperunt in Gallia, princeps fuit Cæsarius Arelatensis antistes, sancti Augustini non doctrinæ modo studiosissimus, verum etiam personæ: adeo ut præ Augustini amore, morti vicinus, extremum vitæ diem proximum illi qui ultimus Augustino fuerat, sibi con- B tingere optaret, quod obtinuit. In hanc ergo curam enixius incumbens, ad illorum errores exstirpandos se convertit, qui reliquiæ Pelagianorum a Prospero dicti, Semipelagianorum postea nomen in scholis theologorum sortiti sunt. Qui etsi Pelagiani prorsus non erant, eisque prorsus adversabantur; libero tamen arbitrio plus æquo indulgentes, de gratia & libero arbitrio, ex superioribus conciliis sedisque apostolicæ responsis, atque ex diversis S. Augustini operibus, sententias ad hos revincendos vel informandos idoneas, convocatis per dedicandæ basilicæ occasionem vicinis episcopis, optimatibusque, comprobandas obtulit, manuque ab eis subscribendas curavit. Hæc nimirum illa est C synodus Arausicana posterior, anno Christi DXXIX. celebrata: quam fortuito licet aliaque de caussa coactam, ecclesia sic probavit, ut præcipuam apud omnes auctoritatem obtineat. Quamquam enim Cæsarii de gratia doctrinæ qui obsisterent diversæ sententiæ complures non deerant, irriti tamen & inanes omnium conatus fuere, Bonifacio pontifice, ut Cyprianus in Cæsarii vita docet, Cæsarii & synodi hujus decreta confirmante [1]. Sic enim ille narrat: *Et multi quidem æmuli surrexerunt, qui ejus resisterent doctrinæ de gratia. Sed o felicitas æmulanda! Etenim susurris & mala interpretatione quorumdam oboritur in Galliarum partibus contra prædicationem hominis Dei frustra sinistra suspicio. Ob* D *hoc antistites Christi ultra Isaram consistentes caritatis amore collecti in Valentina civitate conveniunt. Ubi etiam beatus Cæsarius, infirmitatis solitæ caussa, sicut disposuerat properare non potuit. Misit tamen præstantissimos viros de episcopis, cum presbyteris & diaconibus. Inter quos etiam sanctus Cyprianus Tolonensis antistes magnus & clarus enituit, omnia quæ dicebat de divinis utique scripturis firmans, & de antiquissimis patrum institutionibus probans, nihil per se in divinis profectibus quemquam arripere posse, nisi fuerit primitus Dei gratia præveniente vocatus. Sed dum suam justitiam quærebant statuere, justitiæ Dei non erant subjecti: non reminiscentes Dominum dixisse:* [a] Sine me nihil potestis facere. E *Et:* [b] Nemo habet quidquam, nisi illi datum fuerit desuper. *Et Apostolum Paullum:* [c] Gratia Dei sum id quod sum. *Et alium:* [d] Omne datum optimum desursum est. *Et prophetam:* [e] Gratiam & gloriam dabit Dominus. *Et quod tunc vere liberum homo resumet arbitrium, cum fuerit Christi liberatione redemtus, sub qua absolutione valeat consequi perfectionis effectum. Quorum intentionibus homo Dei dedit veram & evidentem ex traditione apostolica rationem. Nam bonæ memoriæ Bonifacius Romanæ ecclesiæ papa, eadem colluctatione cognita, calcata intentione jurgantium, prosecutionem S. Cæsarii apostolica auctoritate firmavit. Ita, donante Christo, paullatim ecclesiarum antistites receperunt quod optaverat diabolus repentina animositate cessare.* Ceterum in hac ipsa synodo quæ tota ex Augustini placitis conflata est, damnati sunt etiam & anathemate percussi Prædestinati: ut stuporem vel hinc suum sentiant ii, qui Augustini sententiam a Prædestinatiana hæresi non secernunt. *Aliquos vero*, synodi verba sunt cap. XXV. *ad malum divina potestate prædestinatos esse non solum non credimus, sed etiam, si qui sunt qui tantum malum credere volunt, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* At quorsum, inquies, tam alieno ut apparet loco, cum de Pelagianorum reliquiis agitur, perstricti etiam Prædestinati? Ideo, ni fallor, quod quemadmodum Prædestinati, cum oppugnabantur, invidiam adversariis, quasi Pelagium saperent, solebant concitare: ita vicissim Semipelagiani cum urgebantur, Prædestinatorum hæresis suspicionem in eos movere qui urgebant. Quare synodus, ut hanc a se suspicionem amoliatur, quod teterrimum hæresis illorum caput fuit, exsecratur: de quo & auctor Prædestinati his verbis: *Dicunt, etiam si voluerit bonum facere qui ad malum prædestinatus est, ad bonum pervenire non poterit.* Atque ita inter synodos quæ Prædestinatorum hæresim damnarunt, Arausicana quoque merito & sine controversia numeranda est.

CAPUT X.

Prædestinatorum error de libero arbitrio tunc quoque in Italia confutatus ab Ennodio Ticinensi.

ETsi Prædestinatos extra Galliam persequi animus non erat, invitat tamen occasio, ut in proximam Cisalpinam tantisper digrediamur. Paucis namque annis ante synodum Arausicanam vivere desiit Ennodius episcopus Ticinensis, cujus exstat inter ceteras libro II. epistola [2] ad Constantium: in qua tacito nomine quemdam refellit, qui asserebat liberum arbitrium homini deteriorem tantum in partem datum. Prædestinatorum hic error erat, quem in ipso hæresis ortu in monachis Adrumetinis, ut dictum est, reprehenderat Augustinus in libro de correptione & gratia, liberum & ad bonum & ad malum faciendum habere nos docens. Quod ipsum quia scire pariter fuseque in ea quam dixi epistola probat & confirmat Ennodius, locum integrum hoc loco inferendum putavi. *Ergo*, inquit, *ut scriptione testamini, inventus est homo qui servos Christi, quemadmodum ipse promisit esse faciendum, sub hac occasione cribraret, asserens de arbitrii libertate in una tantum parte quæ deterior est, eligendi datam esse licentiam. O schismaticam propositionem, quæ juxta Apocalypsim* [f] *scriptas habet in fronte blasphemias! Quæ ista est libertas si vales edisseras, ubi hoc datur solum velle quod puniat: aut quare electionem nominet, ubi unam tantum partem asseris fuisse concessam. Quod si veritate subsisteret, locum divina judicia non haberent. Quid enim boni a nobis Deus noster recte quæreret,*

a Joan. XV. 5. 16. b Joan. XIX. 11. c I. Cor. XIII. 10. d Jac I. 17. e Psalm. LXXXIII. 12. f Apoc. XIII. 1.

1. Vitæ Cæsar. lib. I. 2. Lib. II. epist. XIX.

SÆCUL. V CIRCA ANN. CHR. 461.

qui appetentiam ejus de voluntate subtraxeras? Sed juxta Apostolum: [a] Numquid iniquus est Deus? absit. *Inter homines a recti discordat affectu, qui a subjectis exigit quod in potestate non tribuit: hoc de Deo qua conscientia sentiatur advertite. Ubi est illud Apostoli clamantis, & pro arbitrii libertate testantis:* [b] Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio? *Quid est aliud nisi dicere, Novi dextrum iter eligere: sed nisi ingredientem juverit gratia superna, lassabor. Nemo dubitat, nemo condemnat, quod auctore gratiæ præstante, & ipse æquitatis divinitus callis aperitur. Dux enim bonorum & præcessor est gratia, quando multiplici ad requiem invitamur hortatu, quando nobis dicitur:* [c] Venite filii, audite me. [d] Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum: [e] Ubi ego sum, ibi erit & minister meus. *Sed nisi talibus monitis, & voluntas nostra quæ libera est, & labor præstet obsequium, ad periculum & gehennam, non imperio aliquo, sed sponte devolvimur. Itaque aut præmium devotio, aut pœnam contemtus operatur. Alioqui non erit justa retributio, quæ aut per supplicia refertur necessitate peccantibus, aut bonam mercedem offert operi ad quod trahuntur inviti. Ergo debemus gratiæ, quod occultis itineribus, nisi resistamus, sapor nobis vitalis infunditur: nostræ tamen electionis est, quod beneficia monstrata sectamur. Via enim scelerum non imperatrix nostra legitur esse, sed famula, cum de peccatis dicitur:* [f] Sub te erit appetitus eorum. *Quid enim sibi vult universa Prophetæ quasi sertis redimita elocutio:* [g] Noli æmulari inter malignantes: [h] Nolite confidere in principibus. [i] Nolite fieri sicut equus & mulus? *& Apostolus:* [k] Nolite fieri servi hominum. *Toties* NOLI *in superna admonitione quid respicit, si aliud velle non licuit? Deinde quamvis in persona Christi, tamen pro arbitrii adstipulatur ejusdem prophetæ nobis libertate testimonium:* [l] Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui. *Et alibi:* [m] Voluntarie sacrificabo tibi. *Et:* [n] Vota mea Domino reddam. *Et iterum:* [o] Vovete & reddite. *Illud autem beati Apostoli quo se muniri credit exemplum nobiscum facit, si quæ sequuntur advertit, cum inimicus arrogantiæ dixit:* [p] Gratia Dei sum quod sum. *Mox enim, ne sic fugax gloriæ mederetur, ut longo intervallo a veritate descisceret, sapiens architectus adjunxit:* Abundantius omnibus laboravi, & gratia Dei in me egena non fuit: *quod dixisse est, Christus in me quem digne aut abundanter remuneraretur, invenit. Non enim pauper est divina gratia; sed meritorum nostrorum putatur quadam macie aut exilitate tenuari. Quæ tunc non suis æstimatur meatibus fluere, quando de ejus cursibus ariditatis nostræ vena nihil recipit. O si epistolaris pateretur angustia sacrorum voluminum arcana reserari! Sed timeo ne qui nullam poterit Deo inspirante in fide nostra invenire calumniam, de paginæ prolixitate caussetur. Quid illud qua mente suscipit:* [q] Ecce aquam & ignem, ad quod vis porrige manum? *Quid alia, quæ copiosus assertor ipse replicasti? Credo more aspidis clausa ut ajunt aure transivit. Video quo se toxica Libycæ pestis extendant. Arenosus coluber non hæc sola habet perniciosa quæ referat: ad æstimationem occultorum facinorum ferenda sunt quæ fatetur. Vult enim ad illud pertingere, neminem suo vitio aut negligentia perire, si homo utriusque boni & mali potestate concessa privatur. Hos tantum jactat potuisse salvari, sine labore ullo, sine mandatorum amicitia, quos peregrinantes a merito favor tantum cælestis eripuit. Proinde, quod in ipsum referatur, illos periisse intelligit, quos gratia noluit divina liberare.*

CAPUT XI.

Prædestinatiana hæresis in Gallia per Gothescalcum renovata, & a Rabano atque Hincmaro in duabus synodis iterum oppressa.

TRecentis amplius annis conticuerat in Gallia Prædestinatorum hæresis, cum iterum Caroli Calvi sæculo excitata est a Gothescalco presbytero. Monachus hic fuit Orbacensis in Suessionica diœcesi. Qui relicto monasterio in Italiam transgressus, cum perversæ doctrinæ semina in agro Veronensi spargeret, binis a Rabano epistolis quæ nuper editæ sunt, est confutatus: una ad Notingum Veronensem episcopum, altera ad Eberardum ejusdem oræ comitem, in qua de Gothescalco inter cetera hæc leguntur: *Divulgatum*, inquit, *in istis partibus constat, quemdam sciolum, nomine Gothescalcum, apud vos manere, qui dogmatizat, quod prædestinatio Dei omnem hominem ita constringit, ut etiam si quis velit salvus fieri, & pro hoc fide recta atque bonis operibus certet ut ad vitam æternam per Dei gratiam veniat, frustra & in cassum laboret, si non est prædestinatus ad vitam. Quasi Deus prædestinatione sua cogat homines interire, qui auctor est salutis nostræ, non perditionis. Et jam hinc multos in desperationem sumet hæc secta perduxit: ita ut dicant, Quid mihi necesse est pro salute mea & vita æterna laborare; quia si bonum fecero, & prædestinatus ad vitam non sum, nihil mihi prodest: si autem ego malum egero, nihil mihi obest, quia prædestinatio Dei me facit ad vitam æternam pervenire.* Ex Italia in Germaniam profectus, Rabano eidem libellum erroris sui obtulit, ab eoque & ab episcopis Germaniæ damnatus est, & ad metropolim Remensem remissus, in concilio Moguntino anni DCCCXLVIII. Synodicæ vero quæ damnationis sententiam continet, hoc est exemplum.

Reverentissimo fratri consacerdoti Hincmaro archiepiscopo Rabanus servus Christi & servorum ejus in Domino salutem.

Notum sit dilectioni vestræ, quod quidam gyrovagus monachus, nomine Gothescalc, qui se asserit sacerdotem in vestra parochia ordinatum, de Italia venit ad nos Moguntiam, novas superstitiones & noxiam doctrinam de prædestinatione Dei introducens, & populos in errorem mittens: dicens quod prædestinatio Dei sicut in bono sit, ita & in malo; & tales sint in mundo quidam, qui propter prædestinationem Dei qua eos cogat in mortem ire, non possint ab errore & peccato se corrigere: quasi Deus eos fecisset ab initio incorrigibiles esse, & pœnæ obnoxios in interitum ire. Hanc opinionem nuper in synodo apud Moguntiam habita ab eo audientes, & incorrigibilem eum reperientes, annuente atque jubente piissimo rege nostro Hludovico, decrevimus eum cum perniciosa sua doctrina damnatum mittere ad vos, quatenus eum retineatis in vestra parochia unde primum inordinate recessit, & non sinatis eum amplius errorem docere & seducere populum: quia jam multos seductos ut audivi habet, & minus devotos erga suam salutem, qui dicunt, Quid mihi proderit laborare in servitio Dei? quia si prædestinatus sum ad mortem, numquam illam evadam: si autem male egero, & prædestinatus sum ad vitam, sine ulla dubitatione ad æternam requiem vado. Hæc ergo paucis vobis scripsimus, intimantes qualem ejus doctrinam reperimus. Vos etiam valebitis de ore ejus quid

a Rom. III. 5. *b* Rom. VII. 18. *c* Psalm. XXXIII. 12. *d* Matth. XXIV. 34. *e* Joan. XII. 26. *f* Gen. IV. 7. *g* Psalm. XXXVI. 15. *h* Psalm. CVIII. 2. *i* Psalm. XXXI. 9. *k* I. Cor. VII. 23. *l* Psalm. XXXIX. 9. *m* Psalm. LIII. 8. *n* Psalm. CXV. 5. *o* Psalm. LXXV. 12. *p* I. Cor. XV. 10. *q* Eccli. XV. 17.

sentit plenius audire, & quid inde agendum sit juste decernere. Dominus omnipotens sanctitatem vestram bene valentem, & pro nobis orantem in æternum conservare dignetur.

Inde subsecuta est synodus altera contra Gothescalcum in Carisiaco palatio habita: in qua iterum auditus, damnatusque iterum est ab episcopis, & prolata in eum sententia hujusmodi.

Ecclesiastica sententia in pertinacissimum Gothescalcum, propter incorrigibilem obstinationem illius, in synodo apud Carisiacum habita a duodecim episcopis ecclesiastico rigore prolata.

Frater Gothescalc, sacrosanctum sacerdotalis mysterii officium quod irregulariter usurpasti, & in cunctis moribus ac pravis actibus atque perversis doctrinis, eo hactenus abuti non pertimuisti, judicio Spiritus sancti cujus gratiæ munus est sacerdotale officium, per virtutem sanguinis Domini nostri Jesu Christi, noveris tibi esse, si quo modo suscepisti, sublatum, & ne ulterius eo fungi præsumas penitus interdictum. Insuper, quia & ecclesiastica & civilia negotia, contra propositum & nomen monachi, conturbare contemnens, jura ecclesiastica præsumsisti, durissimis verberibus te castigari, & secundum ecclesiasticas regulas ergastulo retrudi auctoritate episcopali decernimus; & ut de cetero doctrinale tibi officium usurpare non præsumas, perpetuum silentium ori tuo virtute æterni Verbi imponimus.

In eadem quoque synodo, aut in eodem certe loco, constituta sunt quatuor Capitula, totidem Gothescalci Capitulis quæ ad stabiliendam hæresim suam condiderat, opposita. Quod vero silentium illi est a synodo impositum, cum eo convenit, quod Rabanus privatim de eodem Gothescalco suadebat scribens ad Hincmarum. *Ego autem quantum præsumo*, inquit, *admoneo, ut has contentiones in populo Christiano fieri probibeatis, & ipsum Gothescalcum, hujus erroris auctorem, nec scribendo nec loquendo ultra multis nocere permittatis. Miror enim prudentiam vestram, quod istum noxium virum, hoc est Gothescalcum, qui in omnibus vituperabilis inventus est, qui nec monachi votum, nec sacri ordinis vitam, sed neque prædicando officium legitime observavit, scribere aliquid permisistis. In quo officio magis nocere potuit, quam viva voce loquendo. Unde etiam in plurimis locis, ut audivi, sui veneni poculo non paucos inebriavit, & in erroris insaniam vertit.*

CAPUT XII.

Lugdunensem ecclesiam, synodumque Valentinam, in caussa Gothescalci Prædestinatorum erroribus minime suffragari.

Movet quosdam, cum Gothescalci caussam a Lugdunensi ecclesia susceptam, duabusque synodis quæ illum Moguntiæ & Carisiaci damnarant, duas ex adverso, Valentinam & Lingonensem, oppositas eique faventes vident. Ac merito sane moverentur, si favor hic ad Prædestinatorum usque patrocinium hæresisque defensionem pertineret. Sed aliter res habet. Utcumque enim in aliis fortasse diffideant, in eo tamen conspirant, quod utrique hostes sunt Prædestinatorum. Et quamquam quatuor Hincmari Capitulis, quibus quatuor Gothescalci Capitula eliserat, contraria quatuor synodus Valentina opposuerit, atque hæc ipsa synodi Valentinæ Capitula, in synodo Lingonica post hæc confirmata, & in Tullensi apud Saponarias oblata & relecta, cum ad Hincmarum pervenissent, accurate ab eodem confutata fuerint, suaque ipsius quæ illi oppugnabant, constabilita: nusquam tamen in tam varia & ancipiti contentione dissimulatum a Lugdunensibus, veterum Prædestinatorum errores quos Hincmarus in Gothescalco reprehendebat, sibi pariter probari aut placere non posse. Errores hi duo erant præcipue: quorum alter prædestinationem ipsam spectabat, alter arbitrii libertatem. Prædestinatos quippe a Deo reprobos ad interitum docebat Gothescalcus: falso id dici contendebat Hincmarus: & cur ita sentiret, caussam exponens in Operis sui [1] capite XV. *Veteres*, ajebat, *Prædestinatiani reproborum prædestinationem ad interitum confitentur, quos sicut dicunt a Deo prædestinatos ad interitum, ita etiam ad peccatum. Hoc moderni Prædestinatiani colore mutant, sed odoris & saporis intelligentia redolent. Dicunt enim, Prædestinavit Deus reprobos ad interitum, non ad peccatum; cum non nisi per peccatum perveniri valeat ad interitum.* Ideo ergo prædestinatos ad interitum dici non probabat, quia hoc posito consequens arbitrabatur, ut etiam ad peccatum prædestinati crederentur; qui error fuerat veterum Prædestinatorum. Valentinæ porro synodi auctores, etsi, quia id consequi non censebant, prædestinari ad mortem impios cum Gothescalco dicere non refugerent, prædestinationem tamen ad peccatum quam inducebant Prædestinatiani, sic exhorrebant, ut Arausicanam synodum secuti [2], anathema in eos pronuntient, qui ad malum prædestinari a Deo quemquam credunt.

Quin & eadem rursus ecclesia Lugdunensis, ejusque antistes Remigius, in libro de tribus epistolis, Hincmari contra Gothescalcum epistolæ respondens, etsi quod ille de prædestinatis ad interitum dixerat, molliorem in partem interpretari studet, necessitatem tamen male agendi, prædestinationemque ad peccatum, quam Prædestinatiani docebant, & quam non abs re Gothescalco imputabat Hincmarus, respuit pariter penitusque aversatur [3]. *Si qui sunt*, inquit, *qui ex hoc scandalizari videantur, tamquam per istud prædestinationis verbum necessitas male agendi cuiquam imposita esse significetur; instruendi potius fuerunt, quod Deus neminem prædestinet ad peccatum, sed ad luendum supplicium pro peccato, nec ista prædestinatione aliquem cogat ad male agendum.* Ex quibus liquet Lugdunenses, quod ad hoc caput attinet, Prædestinatorum erroribus haudquaquam suffragari. De altero, quod liberum arbitrium labefactat, an fatebimur suffragatos? At illi usque adeo huic etiam errori non favent, ut illum detestentur, & in Gothescalcum cadere potuisse non credant. Sic enim ratiocinantur [4]. *Additur*, inquiunt, *in illa epistola, dixisse illum miserabilem monachum, quod postquam primus homo libero arbitrio cecidit, nemo nostrum ad bene agendum, sed tantum ad male agendum libero potest uti arbitrio: quod est utique non solum mirabile & inauditum, sed quantum nobis videtur, etiam incredibile, ut homo inter fideles & a fidelibus nutritus & eruditus, & in ecclesiasticorum patrum scriptis non parum exercitatus, hoc dicere vel sentire potuerit, quod post primi hominis lapsum, nemo fidelium ad bene agendum libero possit uti arbitrio, sed tantum ad male agendum. Tamquam in nobis non sit liberum arbitrium nisi ad malum; ad bonum autem sola in nobis Dei gratia absque libero arbitrio operetur. Si enim dixisset generaliter*, Nemo hominum, *& addidisset*, sine Dei gratia, *& ita subjungeret*, libero bene uti potest arbitrio, *es-*

1. De Prædestinatione. 2. Can. III. synodi Valentinæ III. 3. Cap. VIII. 4. Cap. XXI.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 461.

set catholicus sensus, & catholica omnino assertio. Cum autem dixisse arguitur, quod nemo nostrum, id est fidelium, nisi tantummodo ad male agendum uti possit arbitrio; quid aliud tali dicto & tali novitatis præsumtione asseritur, nisi quod humanæ mentis arbitrium, quod ante peccatum ad verum bonum amandum & desiderandum & fruendum erat liberum, ita primo homine peccante vitiatum sit & perierit, ut deinceps tantummodo ad malum remanserit in homine liberum arbitrium: ad bonum vero agendum, sive habendum, nullum sit hominis liberum arbitrium, sed tantum divinæ gratiæ donum? Quod genus erroris, nec apud hæreticos, nec apud quemquam catholicum nos cognovisse vel audisse meminimus: ita ut etiam de isto hoc nobis, ut jam diximus, incredibile videatur. Qui tanta verborum copia, per tot ambages & circuitus, errorem hunc exaggerant, & A tam studiose hunc refellunt, eos ne credat quisquam patronos illius aut defensores videri voluisse? Cumque in explicanda de libero arbitrio catholica doctrina id ipsum illi tradant quod Hincmarus; quis non intelligit in hac illos altercatione, seu Ebonis Gratianopolitani privato in Hincmarum odio incitatos seu alia re quapiam adductos, redarguendi Hincmari, tuendique Gothescalci, caussas quæsiisse potius & captasse, quam re ipsa nactos esse? In cassum ut proinde operam nunc ponant, qui collatis & oppositis inter se, Lugdunensium & Rabani, vel Hincmari assertionibus, id enituntur, ut Prædestinatorum errores quos Hincmarus in Gothescalco notat, male ab eo reprehensos, & a Lug- B dunensibus pro catholicis dogmatibus habitos ac defensos fuisse, nobis persuadeant?



INDEX CAPITUM DE HISTORIA PRÆDESTINATIANA.

MAMERTI CLAUDIANI
QUÆ EXSTANT OMNIA:

NIMIRUM:

I. Libri III. de ſtatu animæ, ex editione ANDREÆ SCHOTTI, pluribus in locis emendata & reſtituta.

II. Epiſtolæ II. quarum altera ad Sidonium: altera ad Sapaudum, haud ita pridem STEPHANI BALUZII ſtudio evulgata.

III. Hymnus de paſſione Domini.

MAMERTI CLAUDIANI
PRESBYTERI VIENNENSIS
IN LIBROS III. DE STATU ANIMÆ
PRÆFATIO.



[1] *Præfectorio patricio, doctissimo & optimo viro*
C. SOLLIO SIDONIO CLAUDIANUS S.

EDitionem libellorum quos de Animæ Statu condidi, reticendi cautus & loquendi perfusus arbiter, mihi imperasti. Fas fuit memet doctissimi atque amantissimi vel peritiæ cedere, vel credere amicitiæ. Sed, ut tute egregie compertum tenes, multi hoc idem mihi, & idem ipsi tecum magni admodum viri negotium dedere, quod egomet haud temere suscepissem, nisi id spernere periculosius, quam agere laboriosius judicassem. Quamquam pro virili parte meum quoque fuerit, vel non admonitum, prout posse subest, afferere veritatem. Scripsi igitur pauca hæc, veluti quædam rationum semina: quæ studiosus quisque, si non otiose capessat, ut ego arbitror, multa exinde derivare poterit: quæ etsi angustis emanantia venulis, in magnos tamen amnes longiore procursu exuberabunt. Ego vero & fraudatus [2] temporis, & occupatus animi, satis habui, quantum ad negotii præeminentiam spectat, quam succinctim atque uti digito, vel denotare vitanda, vel ostendere sequenda. Sane opusculum illud sine auctore proditum, & usquequaque perquiritatum, toto agmine sui in aciem eductum, & conserta nobiscum manu congressum, vicerit ne, cesseritve, tu potissime disertorum ferto sententiam. Sed ut quisque lecturus e præfatione percipiat stili nostri seriem:

Primus liber in sui primordio breviter adstruit, impassibilem divinitatem nulli prorsus affectui subjacere. Post, de Animæ statu varium cum adversario luctamen alternat. Ab hinc itidem ad erudiendum in ea quæ sunt obscuriora, lectorem, quippiam ex Geometricis & Arithmeticis atque etiam ex Dialecticis, & nonnullis prout interfuit usui, Philosophomenon regulis, modeste ac moderate, & quam potuit parciter prælibavit, habita idemtidem cum adversa parte congressione: Sicque adjectis nostris aliquot sine alienorum interpolamento, finem liber accepit.

Secundus post principium, de mensura, numero & pondere non otiose, & ut autumo, non infructuose differtat: ubi si cognitor adsit intentus, sub adminiculo pietatis per differentium creaturarum gradus, ad usque nonnullam creatricis omnium Trinitatis, si non jam felicitate contemplandæ, certe robustius credendæ perveniet firmitatem. Post hinc totus usque ad metam sui, liber testibus utitur.

Tertius aliquantulum in sui primordio argumentatur. Post, faucios ex adversa acie palantes insequitur. Demum vero nec aspernatur pacem, nec conflictum metuit adversantis ignoti. En legisti eruditissime virorum quod lectitabis: tu modo faxis, uti memineris, non absque cura tui prodire oportere, quod publicari jubes. Neque ego de negotii pondere, sed de actionis levitate dubitaverim. Proinde consilium tuum afferito & defensitato: quoniam si in his secus aliquid ego [3] conscriptionis periclitabor; tu editionis. Vale, & vige bonis viribus, veteris reparator eloquentiæ.

1. *Præfectorio*] Censuere nonnulli legendum *præfecto prætorio*. Sed nihil mutandum. Sidonius lib. I. epist. VII. pag. 858. *Abite degeneres, &* PRÆFECTORIIS *patribus indigni*. Neque aliter legit eamdem inscriptionem Sirmondus ad Sidonii opera sub initium & alibi.
2. *Temporis — animi*] Al. *tempore — animo*.
3. *Conscriptionis — editionis*] Al. *conscriptione — editione*.

MAMERTI CLAUDIANI
DE STATU ANIMÆ
LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

De opinionibus imperitorum & pervicaci in defensionibus pertinacia.

MAgnum in genere humano, Solli Sidoni, frater amantissime, multorum vitium est arrogans imperitia, & pervicax in defendendis perperam præsumtis opinionibus pertinacia. Nam plerique mortalium aut per sensus corporis corporearum rerum haustis imaginibus, veluti quibusdam rerum umbris, obtutum mentis illudunt, aut tenellis adhuc infantiæ quondam suæ persuasionibus in senectute puerascunt. Si qua illis dicendi copia est, neglectis rerum caussis, rationis animam spernunt, & verborum corpora diligunt. Cumque duplici ad veritatem veniatur via, ut aut præjudicatæ auctoritati credulitatem subdamus, aut ad scientiam ratiocinatione tendamus; nihil quod vel auctoritas jubeat, vel ratio suadeat, potissimum ducentes, spreta paucitate doctorum, illudunt imperitos, quæ maxima turba est. Sed & ipsi ab eisdem quos fallunt, reciproca il-

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 470.



lusione falluntur. Laudantur namque, falsoque laudantibus credunt; quo mentis sanitas maxime periclitatur. Accedit ad hoc etiam lacessentis semper livoris intentio, invidentis animi crimen & pœna. Nam si quid ab his quos iniquo lacessunt odio, ad utilitatem publicam veri prodatur, diversum protinus adstruunt, etsi idem sentiant. Ac sic inexhausto firmatoque odio, cum his quos sibi odisse institutum est, nequaquam metuunt veritatis fecisse jacturam. Oderunt igitur proximum, oderunt & Deum. Atque in his duobus præceptorum omnium totiusque legis spreta plenitudine, non mirandum est, si vel de Deo vel de homine probe non sentiant, qui utrumque a se odio mediante longinquant. Sed istuc eorumdem quamquam plectibili vitio moveor, exilius tamen; quia etsi malivolentiæ in alios tela moliuntur, ipsi magis propriis transfixi ictibus, vulnera quæ inferre conantur, excipiunt: namque odiorum stimulis, eorumdem prius puniuntur auctores. Illud multo maximum, & longe periculosius crimen est: quod catholicæ sanitati opiniones inimicas stulte concipiunt, vane proferunt, superbe adstruunt, cum temeritate scribunt, cum prava intentione defendunt. Et quoniam humanitus per imprudentiam lapsi sunt, eligunt audaciæ suæ culpam pervicaci obstinatione defendere, ne videantur potuisse peccare. Ita enim palam sententias suas adstruunt, ut clam nihilominus mussitantes, blandimentis lenocinantibus, ignaros rerum sedulo precentur, ut suæ potissimum sententiæ adquiescant, sibimet assentiantur: Illud veri plenum, illud esse salutiferum, quod ipsi doceant, etiam delirando confirmant. Si auctoritatem quæras, subjiciunt istiusmodi caussarum secreta adiri nequaquam posse, nisi subtilissima rerum indagatrice ratione. Si eamdem in articulo reposcas, adjiciunt auctoritati potius oportere concedi, neque naufragosum propter argumentorum latentes quosdam scopulos pelagus disputationis intrare. Ita auctoritate rationem, ut auctoritatem objectu rationis eludunt, & utroque horum ad id utuntur, ut neutro utantur. At si eosdem paullo strictius arctum disputationis includat, ajunt quosdam esse sanctorum, quibus hujuscemodi sit facillimum solvere quæstiones; se ab aliena magis auctoritate pendere; illud se maxime, quod alius sanxerit esse secuturos. Hæc quis ferat, ulloque ferri pacto posse judicet, hominum quempiam & infitiari scientiam, & vindicare doctrinam? Cogitata sua, si discussor absit, adstruere; si adsit, operire? At, inquis, quorsum sermo progreditur? Ego vero longiuscule quam volui præfatus sum, dum præsumentium piget tædetque. Nuper etenim offendi quosdam, qui chartulam quamdam oppido studiose lectitabant. Et quia mortalium generi mos est novi operis agnitione pellici, ad id percipiendum sedulo animum intenderant: hoc idem mihi ac si cognitu necessarium ultro ingerentibus, inspicere plane non abnui.

CAPUT II.

Se in librum sine auctore incidisse.

PRima opusculi facies de ingenito genitoque Deo sublimissimæ quæstionis vix foribus oberrans, non parum catholicam præ se ferebat, & si longe impari disputatione sententiam: ita penes me ratiocinandi levitatem gravis caussa pensavit. Ubi legendi progressu reliquum lectionis accessi, animadverti quibusdam circumlocutionibus id impendio molientem

A afferere opellæ ipsius auctorem, ut divinitas passibilis crederetur. Percontor de nomine: nec responso nec scripto proditur. Cœpi, fateor, talis equidem paginæ stilum oppido ferre suspectum, & ut in eis solemus locis, quæ vel humoris assidui subterluvione cedentia, vel levi prono lubrica, vel cavo pendula, vel sudibus aspera sunt, suspenso vestigio iter incognitum potius tentare quam currere; donec tertiæ, ut illic est, partem quæstionis ingredior. Heic jam non exploranda, sed explodenda sententia nequaquam pensi sermonis apparuit: satis sedulo efficere cupiens, si quo pacto queat, ut anima corpus esse videatur. Nulla igitur argumentandi virtute, nulla jubente lege, nulla persuadente ratione, in B hoc nequidquam videlicet negorio tritus sermo finitur. Ac mihi primum quærere cordi est, quidnam rationis exstiterit, ut tantas initurus caussas, deque tam sublimibus locuturus, sciri vitaverit. Si bene conscius disputas, cur nomen occultas? Si agnosci metuis, cur opus prodis? ne dicam, cur ista conscribis? An majorum super hoc forsitan exempla sectaris? Sed video Prophetas, Evangelistas, Apostolos, post etiam authenticorum [1] plurimorum tractatores, sua propriis voluminibus nomina prænotasse: alios etiam operum suorum propriis vocabulis inchoasse principia, ut est illud; *Petrus Apostolus Christi, & Paullus*; nec non alii atque alii fundatores ecclesiæ atque eruditores: videlicet præcavenda fore no- C verant apocryphorum vana vel noxia. Sed ne sic quidem fallacium temerariorum vitari figmenta potuerunt. Hinc est quod pleraque Paulli, multorumque sanctorum vocabulis prænotata, sanitas [2] catholicæ ecclesiæ nostræ non recipit: quia non lenocinio nominis operis meritum pensat, sed auctorem sibi stili veritate conciliat. Enimvero illud quod ista pagina propalatur, ejusdemque auctor occulitur, evidens facit indicium, eumdem, scilicet a quo sit composita, fuisse damnatum. Nemo enim studet occultari, nisi qui formidat agnosci. Ego tamen satis mirari nequeo, cur in eodem vitandæ noxæ non fuerit studium, in quo supprimendi nominis potuit esse judicium. D

CAPUT III.

Quod divinitas impassibilis nulli prorsus affectui subjaceat.

I. SEd ad propositum revertentes, ipsa præfati operis verba ponamus: ad illum videlicet cui talia destinat, quem perinde atque se celatum esse studuit, sic ait; *Quæris a me quomodo juxta substantiam Dei in epistola quadam dictum sit.* Et heic, nec cujus, nec ad quem, nec de quo epistola foret indicatum voluit. Continuatque de Deo: *Nil sensit patientis sensu, sed compatientis affectu.* Subiunxit: E *Istud nec philosophos ignorasse*: *quia*, inquit, *in homine diversæ actiones, id est, justitia, misericordia, sanctitas, res accidentes sunt; & ideo affectus vocantur. Deus vero his non passibiliter afficitur.* O non passibiliter! o afficitur! Quo afficitur, si non patitur? Cur tam celer est memoria tua ad oblivionem eorum etiam quæ ipse protuleris? Justitiam & misericordiam, quia in homine accidentiæ sint, affectus esse dixisti. Ergo si in homine, quia accidentiæ sunt, affectus sunt; in Deo quia accidentiæ non sunt, affectus non sunt. Non ergo sensit compatientis affectu: in quo quia accidentia non fuit, affectus esse non potuit. Sed adjicis, Ergo quod in homine affectus & gratia, in Deo virtus est & na-

1. *Plurimorum*] Al. *plurimos*.

2. *Sanitas cath.*] Al. *sanitas fidei nostræ catholicæ non recipit.*



tura. Et quæ in Deo virtus est, cum data fuerit A homini, non est virtus. Deus enim procul dubio virtus est; qui si immutabilis est, etiam cum se homini dederit, virtus in homine est. Ergo quod in Deo virtus est, & in homine virtus est: hoc tantum differens, quod illic substantialiter, heic accessibiliter. Unde Dominus ad Apostolos: [a] *Sedete*, inquit, *in civitate, quoad usque induamini virtute ex alto*. Et propheta: [b] *Diligam te Domine virtus mea.* Tu vero Deum in se virtutem esse, & in homine dicis non esse. Sed talis sententiæ caussa luce liquidior est. Sequitur scilicet, ut quem dicis affici, adstruas commutari.

II. Ac mihi primum proprietas hujus nomi- B nis maxime discutienda est. Affectus nempe ab eo dicitur quod aliquid afficiat. Quidquid autem afficitur, patitur. Pati vero non est nisi passibilis creatæque substantiæ. Quæ [1] quoniam a summa essentia quæ Deus est, ut exsisteret, vocata de nihilo est; inter illud de quo facta, & illud a quo facta, est media: ita superioribus affici potest ut proficiat, sicut inferioribus ut deficiat. De anima quippe loquor humana. Igitur nec nihilum affici aliquo pacto potest, quia substantiam non habet: nec Deus, quia detrimenta non sentit, augmentave non recipit. Afficiuntur autem media, sicut supra dictum est, vel pro affectu vel defectu. Enimvero quidquid afficitur, patitur, & quidquid patitur non C esse Deum nemo sanorum infitias iverit: quia utrumque mutuo reciprocatur. Ut nec mutabile nisi passibile; nec passibile possit esse nisi mutabile. Quod autem philosophorum testimonio, misericordiam atque justitiam & istiusmodi bonas affectiones passibilis dicit esse creaturæ, easdemque in Deo essentialiter, non accessibiliter; haud intendit animo sibi semet adversa proferre; quia affectio accessio est. Non autem aliquid Deo accidit: igitur affectioni non subjacet. Nam quidquid afficitur, contrariis congruentibusque pariter obnoxium ambifarie subditur passioni. Quocirca si summa divinitas sensit compatientis affectu, etiam malæ passionis subjacet stimulo. *Sensit*, dicis; utique sentire accidens ejus est, D qui ante non sensit. Æternitati autem quia passionem Christi sempiterne scivit, utpote quam ipsa disposuit, passionis tempore novi nihil, quod nosset, ne dicam quod sentiret, accessit.

III. Sed quid nunc ego de affectu disseram; eumdemque impassibilem fore disputando convincam; cum is ipse cui contradicimus, haud dubie fassus sit crucifixo homini Deum fuisse compassum. Quidnam quæso istud est, Non sensit patientis sensu, sed sensit compatientis affectu? Quid est *sensit* quidve *non sensit*? Aut quomodo passus est, si non sensit? Numquid si quispiam dicat, Ambulat ille, & ille coambulat: aut lo- E quitur ille, & ille colloquitur; nonne & colloquentem loqui, & coambulantem ambulare significat? Aut si quis ajat: Mortuus ille est, & ille commortuus; nonne utrumque mortuum fuisse confirmat? Nam qui commoritur, utique moritur. Ergo & qui compatitur, utique patitur. Passa est igitur, si compassa divinitas, Ergo & fortassis mortua. At si istud etiam cogitatu nefas est: non ergo passus est Deus: igitur nec affectus. Ubi est nunc compatientis affectus?

IV. Post subjicit: Quid prophetico spiritu veterum quique sanctorum proterendis coercendisque carnaliter humanitusque sapientibus tropice prophetaverunt; inquiens scriptum: [c] *Domine, ne in ira tua arguas me*. Et: [d] *Juravit Dominus, nec eum pœnitebit*. Ab hinc superius etiam per philosophos accidentias Deo non objicit, & heic per Prophetas etiam vitiorum necessitates imponit. Quia res quæ figuraliter accipiendæ sunt, nisi solicite intro inspiciantur, non ad vivificantem spiritum pervenitur, sed in occidente littera remanetur. Sequitur scilicet, ut incontaminabilem præcelsæ divinitatis essentiam passibilem fore credamus, si vaticinia Prophetarum allegoricis animata secretis in litteræ tantum corpore cogitemus. Quia cum propheticis oraculis vel irasci vel pœnitere memoratur, effectus harum videlicet passionum considerandi sunt, non affectus. Porro quia neotericus scriptor juxta propheticæ locutionis exemplum, meditatiunculas suas autumat debere pensari; non tractatorem profitetur se iste, sed vatem, cum virginis [2] partus ore vatum observaverit, ut vaticinia referarit. Secus igitur est ac ratio postulat, mystico Prophetarum stilo texere periodos oratorias. Quo fit ut ille qui aliena expositurum se spondet, non possit exponi. Igitur aut vatum verbis non utere, aut vaticinare. Nequaquam profecto conducit vel præsenti vaticinium tempori, vel prophetica locutio tractatori. Quocirca quidquid in defensionem tui ex prophetico sermone mutuatus es, adversatur tibi potius quam opitulatur; quia vel quæsita defensio fatetur imbecillitatem, vel incongruens patrocinium non purgat errorem.

V. Intemerabilis ergo divinitas haudquaquam recte affici dicitur, quia effectus est ab opifice, affectus ab opere. Quando enim Deus quempiam temporaliter punit, æterno consilio ille utique patitur qui punitur. Pateretur aliquid & Deus, si vel temporaliter cujuspiam peccata cognosceret, vel eumdem ad exercendam justitiam iracundia commoveret. Omne enim temporaneum mobile atque mutabile immutabilis & stans sempiternitas includit, afficiens aliqua salubriter, aliqua judicialiter, aliqua affici sinens, ipsa ab omni affectu vel motu temporis & loci satis aliena, prædita illo tantum motu qui stabilis dicitur, ex qua, & per quam, & in qua est omne quod solo tempore & ab ipsa tantum movetur, & omne quod & per tempus & locum ab illa movetur, non solo tantum tempore. Sed isthæc alias. Nunc autem missa facientes, quæ talia profecto sunt merito vel viribus, ut eadem improbari sit justum, impugnari non necessarium: ad testimonia illa veniamus, quæ ex Apostolo in patrocinium sui mutuatus est. Ait enim: Cur dici non possit, *sensit compatientis affectu*, quando Apostolus dicendum putavit: [e] *Numquam Dominum gloriæ crucifixissent*? Cum sicut lux nullam sentire possit plagam vulneris, ita & auctor lucis nullam pœnam senserit passionis. Potest ergo dici, *sed sensit compatientis affectu*? potest quidem, quia [f] *omnia licent*; sed non debent, quia *non omnia ædificant*.

VI. Risum tamen in isto comparationum ac prolocutionum tuarum genere tenere vix possum. Paullo prius adstruxeras Deum desinere esse virtutem,

a Luc. xxiv. 49. b Psalm. xvii. 2. c Psalm. xxxvii. 2. d Psalm. cix. 4. e I. Cor. II. 8. f I. Cor. vi. 12

1. *Quoniam*] Al. *quemadmodum*.

2. *Partus*] An *partum*? Statim vero al. *ora vatum*.

idcircoque mutari; nunc itidem sententia flaccente declamas, quod sicut lux nullam sentire possit plagam vulneris, ita & auctor lucis nullam pœnam senserit passionis. Ergo plagam lux sola non sentit. Numquidnam terra, aut aqua, aut aer cujuspiam vulneris plagam sentit? Aut lux fortassis animata sit? Aut quodlibet corpus inanimum sentire potest? Aut corpus est ullum, quod etsi vulnus non sentit, vulnerari non possit? Vulnerari igitur lux potest, etsi sentire non potest: quia sicut nox immissu luminis rumpitur, ita lux tenebris vulneratur. Unde jocundissime Asclepiades lusit poeta notissimus, dicens:

Absentemque diem nox agit æmula,
Quam lux cum lacero victa fugit peplo.

Quid dicis, ut lux plagam non sentit, ita divinitas vulnus in passione non sensit? Si ita est, vulnerari ergo potuit, etsi sentire non potuit; unumque fuit insensibilitatis, aliud corruptibilitatis. Non enim pro incorruptibilitate non doluit: si vulnerari (non) potuit, quia lux & insensibilis est, pariter & vulnerabilis. Vide ne forsitan iste sit quem nobis obprobrandum rere, altiore prolapsus errore. Tu dicis lucem corpoream homini communem simul & pecori, eatenus, ut Deum non sentire vulnus inflictum & quomodolibet pulcrum corpus; corpus tamen summo incorporeo non assimilas, sed exæquas, & in tam plectibili sententia non innocentiæ tantum privilegium tibi, sed laudis arrogas. Et nos, quia similitudinem Dei, ut ejus sicuti est similitudo, sic incorpoream dicamus, extra fidem fore pronuntias. Sed hæc postmodum.

VII. De affectu interim differamus. Ergo ne sic crucifixus est Christus, ut summæ divinitatis universo [1] modo intemerabilis incorruptibilitas crucifixa credatur; dicas velim, nisi injuriosum est. Quem post humilitatem mortis a summo Deo, id est, ipsa Trinitate exaltatum esse credi sit licitum, cui [a] *nomen quod supra omne nomen sit*, fuisse collatum, illi nempe arbitror, qui *obediens factus usque ad mortem* propter ineffabilis humilitatis obedientiam ineffabiliter sublimatus in gloriam est Dei patris; audebis non fateri eumdem gloriæ Dominum, quem fateris hominis filium? Verum tu illo quod dictum est, [b] *Numquam Dominum gloriæ crucifixissent*, in id uti voles, ut haud dubie credatur, quod ipsa divinitas queat affici, si potuit crucifigi. Igitur aperto proloquio manifestasti sententiam tuam. Nam cum idcirco affici Deum inreprehensibiliter te dixisse arbitreris quoniam gloriæ Dominum crucifixum Apostolus dicit, & crucifixum gloriæ Dominum sic accipi veritas suadeat, ne divinitas crucifixa credatur: tu vero affici divinitatem obnixius argumentare, defensitandi erroris studio. Haud animadvertis pœnale illud quod in homine Christo persequentium scelus exercuit, ipsi inviolabili divinitati inflictum fuisse te dicere. Quod si ita est, pati pro hominibus Deus, & non assumto potuit homine. Quia si in homine passibilis, & extra hominem potuit esse passibilis. Sed eumdem forte contendas substantiæ humanæ contagione mutatum, idcircoque post assumtum hominem factum fuisse passibilem. Non igitur incorruptibilis est Deus.

A Quia quidquid deteriorari potest, & corrumpi profecto potest. Sed corrumpi divinitas non potest, nec commutari; igitur nec pati potest.

VIII. Nunc porro superest, ut [2] quoniam Christus homo verus & Deus verus, ex duplici substantia una persona, & Deus homo & homo Deus est; idem gloriæ Dominus, & non sit crucifixus pro inviolabili divinitate, & crucifixus sit in homine pro unitate personæ. Itaque miro atque incogitabili modo passus est homo Deus, & non est passa divinitas. Cerne nunc igitur, in id tantum temet Apostoli testimonium vindicasse, non ut ex eodem robur sententia tua capesseret, sed ut sævæ sententiæ pravitas non lateret. B Tu scilicet velut stipulante tibi per Apostolum veritate, affici divinitatem dicis; sed Apostolus *crucifixum gloriæ Dominum* in ea sui parte cogit intelligi, qua potuit crucifigi. Tibi igitur, tibi admodum soli hæc relicta sententia est, ut intemerabilis atque inæstimata divinitas flagellis cæsa, clavis transfixa, lancea transfossa, doloribus affecta, morte consumta sit: quia in uno eodem Christo [3] credi renuit aliud subditum morti, aliud passioni. Sed premente veritate verba commutas, inquiens; quod quibus afficitur creata substantia, substantialiter in Deo sint, non accessibiliter. Perge sic dicere; non in te respergat sinceritatem veritatis ignorantia, præsumC tio & mendacium. Humanum est nempe delinquere: humanum est pro delicto pœnitere. Nemo periculosius peccaverit, quam qui peccata defendit. Namque impassibilem, nullique affectui subjacentem summæ divinitatis essentiam, ut tute pronuntias, cum philosophis non recusas. Proinde intestinum bellum pelle ab animo. Certum tibi sit veritatem falso, sicut essentiam nihilo, haudquaquam posse misceri. Tu autem dicis affici, quem negas pati. Si enim affectu non caret, impassibilitatis de eodem fallax professio est: Alterum alteri immodice impugnat: qui ait, *sensit compatientis affectu*, non ait, quod in passione nihil senserit. Porro tu dicis, quod Deus non afficitur passibiliD ter; ergo afficitur non passibiliter: quod ita est ac si quispiam dicat: Stat iste currens, dormit ille vigilans: quod utique non finit contrariorum discrepantia. Quid igitur proficit quod adjicis, *passibiliter*, cum dici verissime plenissimeque possit, *non afficitur Deus*? Non caret nævo suspicionis biceps ista prolocutio. Deum non dicis pati, quem dicis affici. Affectio & passio unum idemque significat. Aut utrumque sustuleris, aut in altero utrumque servaveris. Non igitur dicendum est, Non afficitur passibiliter Deus, sed, *non afficitur Deus*. Si non afficitur, non sensit compatientis affectu. Si sensit compatientis affectu, consequenter afficitur.

E IX. Ajo ego, Nullis afficitur divina substantia: inquis tu, Deus non afficitur. Redeamus in gratiam. Pessumdetur e medio, qui te fortassis ignarum, quod certe patet, aut incautum respergit infamia. Sed superadjicis, & Apostolum dixisse pronuntias de Christo jam in cælis posito; [c] *Habemus talem pontificem, qui possit compati infirmitatibus nostris*. Et tamquam nihil heic sit pertractandum discutiendumque, satisfecisse te proposito gloriaris, transiturus ad tertiam quæstionem. Igitur ut quam brevissime responsum referam, *Ponti-*

a Philipp. II. 9. *b* I. Cor. II. 8. *c* Hebr. IV. 15.

1. *Modo*] Al. *mundo*. 2. *Ut quoniam*] Al. *quemadmodum*. 3. *Credi renuit*] Al. *crederemus*.

fex ille; credo, eſt qui principaliter apud divinitatem ſummæ Trinitatis humani generis oblata ſacrificat, peccata expiat, vota commendat. Ipſe ergo verus ſacerdos eſt; quia ſi Filius Dei, ſecundum id quod æqualis eſt Patri, non tam preces fundit, quam precantes exaudit: homo potius heic intelligendus eſt, quem Pontificem Apoſtolus dicens, noſtriſque infirmitatibus compati pronuntians, de ipſo itidem dicit: [a] *Jeſus Chriſtus, qui mortuus eſt, immo etiam qui & reſurrexit, qui eſt in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis*. Ille ergo Pontifex compatitur nobis, qui & interpellat pro nobis. Ille vero qui interpellanti annuit, ipſa Trinitas non haberet utique quem ſibi interpellare neceſſarium foret, ſi pati aut affici ullatenus poſſit. Jam ne intelligis, adverſum potius veritatis teſtimonium in patrocinium falſitatis aſſumi? Quoniam ſi quid hujuſmodi, ſicut ſupra diximus, in divinis voluminibus invenitur, ad unitatem perſonæ referendum eſt. Quia ſicut anima & corpus ex diverſa ſubſtantia unus eſt homo, ita Deus & homo ex diverſa ſubſtantia unus eſt Chriſtus. Ac per hoc cum ſit unus ex diverſa ſubſtantia, ipſe ſe quodammodo petit; ipſe ſe quodammodo pro nobis exaudit. Innumera ſunt quæ ſuper hoc dici promtiſſimum ſit. Sed quoniam non impendio emolienda ſunt, quæ per ſe labaſcunt; in præſentiarum de his iſta ſufficiant.

CAPUT IV.

De animæ humanæ ſtatu.

Status nunc animæ humanæ, hoc eſt, imaginis divinæ vocatur in dubium. Hæc nempe eſt tertia illa quæſtio, qua iſte neceſſarius meus diſcernendarum naturarum cauſſas ingreſſus, ſpiritum vitæ corpus eſſe pronuntiat: adſtruens ſe ſuper hoc præjudicatæ auctoritatis patrum ſcita proferre; quos quidem non tam aliquid ſibi perceptu mentis cognitum definiſſe, quam quædam opinatos fuiſſe commemorat. Et quia ipſe, quantum loquitur, non tam probatæ rationi aut intemeratæ auctoritati, ſed humanæ magis opinioni conceſſit; id impenſo opere nititur, ut ſpreta auctoritate divina, omiſſa quoque ratione perſpicua, clauſis, ut ajunt, oculis ſibimet aſſentiamur. At quicumque de Deo veraciter ac pie ſenſerunt, nihil ab eo non creatum quod creari oportuerit, conſequenter intelligunt. Cauſſa enim creandarum rerum bonitas creatoris eſt. Qui creare potens univerſa quæ velit, nihil bonitatis exercuiſſet ſi nihil creaſſet: ita ſemiplena benignitate uſus eſſet, ſi ſemiplenum aliquid condidiſſet. Mirum autem videtur ſupplemento rerum defore aliquid, ſi roſæ floſculus non exſiſteret, & non defore ſi incorporea ſubſtantia non eſſet creata. Ne ergo non minimum aliquid, ſed vel potiſſimum non deforet creaturæ plenitudini, debuit incorporea quoque ſubſtantia creari. Sed ad creatoris forte referatur injuriam, ſi incorporeum aliquid ac ſibi ſimile condidiſſe dicatur; quia ſimile Deo nihil invenitur in corpore. Sed ab ipſo Deo ſimilitudo Dei anima dicitur humana: in corpore autem nulla eſſe poteſt ſimilitudo divina. Incorporeum ergo erit, quod Deo ſit ſimile: Humanus vero animus ad ſimilitudinem Dei factus eſt: Incorporeus igitur eſt animus humanus.

CAPUT V.

Quod incorporeus corporeo, & illocalis locali dignitate præponitur, deque bono magno & bono ſummo.

Omne autem incorporeum corporeo, & illocale locali, & inſecabile ſecabili, & vivens non viventi in naturæ dignitate præponitur. Enimvero creator omnipotentiſſimus idemque benigniſſimus ſi ſubſtantiam omni corpore potiorem, ſibique ſimilem, non creavit quam creari debuiſſe jam conſtitit; aut noluit, aut certe non potuit. Si voluit & non potuit, omnipotentia caruit. Si potuit & noluit (quod etiam cogitatu eſt nefas) invidit. Non autem poteſt vel omnipotentia non poſſe, vel bonitas invidere. Creare ergo incorporeum & potuit & voluit; igitur & creavit. Niſi forte dicas, fieri non debuiſſe, quod ille potuit velle, qui non potuit velle, niſi quod debuit facere. Quid mihi nunc creatum non eſſe contendas quod creari debuiſſe non dubitas? Creari certe conſtat debuiſſe, quia cum creator incorporeus maximum bonum ſit, & creatum incorporeum magnum bonum ſit, & creatum corpus [1] quod niſi creatum non eſt, aliquod bonum ſit a ſummo Deo qui eſt maximum bonum: ſicut creatum eſt corpus aliquod bonum, ita creari debuit incorporeum aliquod magnum bonum: Quia non conveniret omnipotenti bono [b] qui fecit omnia bona valde, perfectionem plenitudinis rerum vel in minimis truncam facere, non dicam potiſſima non creare. Sed fortaſſis adſtruatur, aut incorpoream creaturam [2] bonum non eſſe, aut bonum creari non oportuiſſe, aut quod oportuerit fieri nequiviſſe. Sed ſummum bonum incorporeus creator eſt; magnum bonum incorporea creatura. Oportuit igitur a ſummo bono fieri magnum bonum. Et potuit omnipotens facere, quod debuit bonus velle. Creavit ergo incorpoream ſubſtantiam, qui non facere non potuit, quod fieri debuit. Niſi forte dicatur, aliquid [3] debuiſſe fieri, quod ille non fecerit. Conſequens ergo erit, aliquid illum feciſſe, quod non debuerit.

II. Sed dices mihi: Si aliquid incorporeum creatum eſt, æquiparat ergo creatorem. De vero homine, hoc eſt, de hominis anima quærimus. Non eſt hæc æqualis Deo, ſed ſimilis: itaque ſimilis, quantum incorporea incorporeo inferior, quantum creata creatori: Similis quantum intellectualis lux luci intelligibili: diſſimilis quantum mutabilis creatura immutabili creatori diſſimilis. Aliud namque eſt veritas, aliud imago veritatis. Sed ſicut rei corporeæ nulla imago eſſe poteſt, niſi corpus; ita nequaquam imago incorporei invenitur in corpore. Nam illic ubi de creatione hominis Moyſi loquitur, ſic ait: [c] *Et dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Et fecit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. Ad imaginem Dei creavit eum, maſculum & feminam.* Divinæ iſtud auctoritatis oraculum, nec eloquio eludi poteſt, nec argumento falli, nec virtute vinci, nec arte vitiari. Si imago Dei eſt humana anima, incorporei videlicet imago eſt. Si incorporei imago eſt, incorporea utique ipſa eſt. At ſi incorporea non eſt, incorporei prorſus imago non eſt. Sed incorporei imago eſt, incorporea

a Rom. VIII. 34. b Gen. I. 31. c Gen. I. 26. 27.

1. *Quod niſi creatum non eſt*] Hæc al. omittunt. 2. *Bonum*] Al. *bonam*. 3. *Debuiſſe*] Al. *decuiſſe*.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 470.

igitur est. Nam quia creata est, non est Deus. Quia imago Dei est, non est corpus.

CAPUT VI.

Quod cum omne incorporeum invisibile sit, non tamen omne corporeum visibile sit.

I. SEd subjicis a nescio quibus quorum tamen nominum nobis notitiam subripis, sic doceri, ut alia dicant esse incorporea, alia invisibilia. Tremendæ scilicet peritiæ tractatores, qui usque ad hoc penetravere secretum. Si alia incorporea sunt, alia invisibilia, ergo incorporea non sunt invisibilia. Postponendum est igitur incorporeum omni corporeo, quia dicit per Apostolum Veritas: [a] *Quæ videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt.* Verum tu creatricem creatamque substantiam ita discernis, ut alia sint incorporea, alia invisibilia. Invisibile igitur omne corporeum, & incorporeum omne visibile. Istic egomet audeo sciscitari: Invisibilis ne sit Deus, an ne visibilis? Si corporeum negas, visibilem non recusas. Si invisibilem dicis, corporeum confiteris. Secundum hanc ergo sententiam tuam (quæ tibi nobisque sit procul) æternus, invisibilis, incorporeus Deus, aut incorporeus erit & visibilis erit, aut corporeus erit & æternus non erit. Quidam tamen cogitare valuit, sed eloqui non valuit. Patentium nempe caussarum doctor ignarus, quem dicere nisum reor, esse quædam corporea quæ videri nequeant; cum sit universo incorporeo proprium, non videri. Ac per hoc corporea quæpiam invisibilia esse posse; porro incorporea nisi invisibilia esse non posse. Nam cum omne incorporeum invisibile sit, non omne invisibile incorporeum est. Vox enim non videtur, & corpus est. Quamquam propter eminentiam visus, etiam quæ ad reliquos pertinent sensus, videre dicamus, sicut sæpe dicimus, *vide quid sonat*: cum sonus ad auditum pertineat, non ad visum. Nec tamen ita dicimus, *audi quid lucet*; quia præeminentior ceteris sensibus visus, quæ inferiorum sunt, abusive sibi vindicat, cum potestatibus eorum potentiam suam non misceat. Quocirca & visibilia sunt omnia quæ sentiri quocumque sensu corporis possunt, si ad visum cuncta referamus. Et non omnia visibilia sunt, si unicuique sensui, quod sibi est speciale reddamus. Hinc omnia scilicet principalia corpora quæ dicuntur elementa, procul dubio visibilia sunt, sicut experimur. Ex quorum metrica proportione, confectis rite dimensionibus, vegetante anima vivens corpus efficitur. Quamquam multa sint, quæ animata non sunt, & vivere negari non possunt. Sed de his loquimur, quæ non solum vivunt, sed etiam sentiunt, sicut sunt animata ratione expertia. De quibus paullulum disputatione dilata, de nobis loquamur.

II. Igitur cum ex anima simus & corpore, atque ut corpus animus esse non potest, sic animus corpus esse non possit: Animus qui sentit in corpore, etsi per visibile sentit, invisibiliter sentit. Aliud enim est visus, aliud oculus. Aliud auris, aliud auditus. Nares aliud, aliud odoratus. Et os aliud, aliud gustus. Nec hoc idem, manus & tactus. Igitur tactu calentia frigentiaque discernimus, ipsum vero sensum tangendi non tangimus. Nec frigus namque illic, nec calor est. Et gustatu dulcia atque amara sentimus, sed gustatum gustare non possumus. Nihil enim vel amarum in illo vel dulce est. Naribus odores accipimus; olfactu tamen olfactum non capimus, quia nihil olet olfactus. Et auribus voces haurimus, sed cum nihil sonet auditus, ipsum non audimus auditum. Coloratas oculis formas aspicimus, & oculis quia coloratæ formatæque sunt, cernimus: sed visum, quia nec coloratus nec formatus est, non videmus: jugiter namque videremus si luceret visus; & audiremus semper si sonaret auditus; & perpetuo odoraremur, si fragraret olfactus; & indefessim gustaremus, si saperet gustatus; æternumque tangeremus, si se ipsum tangeret tactus. Atque ut de ceteris taceam, si gustari posset gustatus; nemo posset esse jejunus, nec extrinsecus adhibenda forent in quæ semet sensus exerceret, si se ipse sentiret. Aliud est ergo membrum per quod sentimus, & sensus aliud quo sentimus. [1] Quia inter invisibile incorporeum & corpus visibile, est illud invisibile corporeum, quod in nobis visus, odoratus, gustus, auditus & tactus est: quæ quoniam non nisi in animato sunt corpore, ex utriusque diversi commercio, eadem & corporea sunt & invisibilia trahentia de corpore visibili ut corporea sint: de incorporeo animo ut sint invisibilia. Non igitur juxta sententiam tuam, illud erit invisibile, quod incorporeum non erit, tamquam incorporeo visibile, & corporeo invisibile esse sit proprium: quandoquidem nihil invisibile corporis foret, nisi visibile illud incorporei invisibilitas faceret. Quia in eodem, sicut supra diximus, homine & incorporeum invisibile est anima; & invisibile corporeum, quod de corpore visibili invisibiliter agit anima.

CAPUT VII.

Quod ex quatuor elementis constet corpus, & quomodo quinque sensibus conveniant.

I. JAm vero quæcumque corporis sensibus tangimus, ita ad quosque eorum quæque ex illis specialiter pertinent, ut in communionem propriorum alios non admittant. Est ergo inter universa corporea, solis lux sine dubitatione præstantior. Hæc ad illud supremum in universo corporeo pertinet elementum, quod ignis dicitur. Hinc est quod etiam in corpore humano principalem præ omnibus sensibus locum visus accepit; ab interno scilicet calore cordis ac iecoris, igniculi quidam indefessim scintillantes, in cameram capitis, quasi in cælum nostri corporis subvolant. Ex quibus radii per oculorum media profusi ac lumini extero commixti, corporum in quæ inciderint repercussu, retroversim cedentes eorumdem colores ac formas hauriunt. Animadvertis igitur summum in elementis ignem, pulcherrimam in coloribus lucem, præcipuum in sensibus visum. Hunc merito atque potentia auditus insequitur: illi elemento [2] compar, quod Græci vocant *æthera*: qui licet ex aeris sit natura, tamen quia quasdam quasi fæculentias e supremis suis deorsum versus velut in fundum digerit, purior atque subtilior hunc procellosum aerem & naturaliter nubigenum & loco & dignitate supereminet. Hinc est quod purissimus aer faciliorem &

a II. Cor. IV. 18.

1. *Quia inter visibile* cet.] Orthodox. *inter invis.* Bibliotheca PP. Parisiensis, prout edidimus. At Lugdunensis: *Quia inter visibile incorporeum est, & corpus visibile est illud visibile corporeum*, cet. 2. *Compar*] Al. *compos*.



longius patentem facit auditum. Nam ficut oculi sine formis corporum atque extrario lumine contemplari nequeunt; sic aures nisi aere aut percusso aut flante non sentiunt: ita & narium sensus. Nam sicut aer sonis inficitur, ut in auribus operetur auditum; sic itidem ipse inficitur odoribus, ut in naribus faciat odoratum; [1] quibus inesse naturaliter, nisi attracto aere non sentitur. Gustandi vero sensus absque humoris adminiculo nequaquam agere se posse, hinc evidens facit judicium, quod nihil sapidum, si accipitur lingua arente, sentitur. De tactu vero dubitari non æstimo, elemento terræ esse simillimum.

II. Age nunc ad illud propter quod ista tractavimus, revertamur. En visus & lucem & alia per eamdem corpora contemplata videt ac sentit. Numquidnam sibi aliquid hinc usurpat auditus? Rursum meatus aurium sonos & formatas accipiunt voces. Numquid hinc aliquid sibi vindicat visus? Per antra narium generis innumeri capimus odores. Nihil certe de his sentire valet auditus. Forte in saporum exploratione odoratui communicat gustus? Aut ad sentienda aspera vel levia gustatui permittit aliquid tactus? Ecce vox, visu sensu eminentiore non cernitur: lux perinde non auditur: vox naribus certe non capitur: gustu fragrantia non accipitur: sapor tantum in ore sentitur.

CAPUT VIII.

Quod omnis anima ex nullo prorsus elemento, aut quolibet corpore sit facta.

ECce habes omnigenum corpus ex omnibus elementis in fabricam corporis humani æternæ illius musicæ vix cogitabilibus modis atque harmoniæ ratione permixtum. Elige nunc ex quo corporum genere anima sit, si corpus est anima. Quia si est, aut ex uno horum, aut ex aliquibus, aut ex omnibus corporibus est anima, aut non est corpus. Sed quid nunc faciam? quo me vertam, acutissimi & doctissimi disputatoris ingenio & arte præventus? Qui scilicet intelligens nullum corpus esse posse, nisi aut principaliter ex nihilo creatum, sicut corporum sunt elementa, aut ex his analogica ratione formatum, animam corpus esse decernens; maluit eamdem ex uno principalium corporum æstimare factam, quam ex omnibus fuisse compositam. Callido videlicet cautus ingenio, noluit animæ substantiam multorum corporum congregare mixtura, ne ex iisdem contracta principiis quibus corpus extrarium, si perinde diceretur potuisse formari, eatenus videretur posse dissolvi. Quapropter aerem delegit, ex quo aut cui animam similem fore decernat; adiiciens testimonium sui nescio cujus auctoris, cujus hæc verba sunt: *Nonnullæ sunt*, inquit, *spiritales naturæ, ut Angeli, Archangeli ceteræque Virtutes: ipsa quoque anima nostra, vel certe aer iste subtilis, tamen incorporeæ nullatenus æstimandæ*. Hæccine mandantur verba membranis? Et istud agitur negotium, quod agimus? Missis omnibus, hac tantum lance pendebat, ut si animam aut ex aere factam, aut aeri similem ratio discussa patefecerit; nunc in adversarii, tunc in magistri sententiam pedibus ut ajunt, transeam; [2] veniam deprecatus, erroris mei egomet nuntius. Sin autem propalatæ veri- A tatis jure mihi vindico, quod non humana tantum, sed omnis omnino anima non solum non ex aere, sed ex nullo prorsus consistat corpore ratiocinando probabitur; fas erit ut nobis aut consentias, aut ignoscas.

CAPUT IX.

Animam ex nullo prorsus corpore constare.

JAm superius patuit, ignis elementum elemento aeris sicut loco, ita etiam potentia præeminere. Quod evidenter ostendit ignis iste terrenus, qui mobilitate vix comprehensibili, velut in regionem suam B sursum versus naturali pondere rapitur. Quod si etiam ex hoc non daretur agnosci, vel hinc manifesto possit intelligi, quod omnis aer solis præsentia clarescit, & tenebrescit absentia. Sed & illud maximæ rationis est, quod aer ignem patitur ut caleat, nec tamen ab aere aliquid patitur ignis ut frigeat. Aer quibuslibet vasculis includi & contineri potest; cum hoc prorsus igni non accidat. Est ergo ignis aere perspicua ratione præstantior. Visus vero nobis ex igne est, qui utique sensus homini belluæque communis est: sic tamen ut nonnullæ irrationales animantes præ hominibus vigeant acumine videndi. Si ergo negari nequit quod visus ex igne est, & secundum tuam rationem anima ex aere; C eminentior ergo est dignitate substantiæ oculus pecudis, quam anima hominis. Quia ille ex igne, & hæc ex aere. Non ergo immerito animam localem putat, & claustro corporis confirmat includi, qui eamdem aeriam judicat. Alterutrum nunc igitur eligas oportet: aut deteriorem visu pecudis animam, si aeriam; aut non aeriam, si præstantiorem. Cernis quam facile indoctæ figmentum præsumtionis evanuit, præterquam innumera super hoc argumentari promtissimum est? Nempe si aeria est, ergo tenebræ illius, corporei hujus solis abscessus; & lux ejus, hujus ipsius itidem solis adventus est. Falsumque erit illud, quod Evangelista pronuntiat, dicens: [a] *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem ve-* D *nientem in hunc mundum*. Et illud quod Propheta sub peccatorum persona loquitur: [b] *Lumen ergo justitiæ non luxit nobis, & sol non est ortus nobis.* Numquid isti hunc corporeum solem viventes in hoc mundo non viderunt? Sed incorporales oculi solem incorporeum requirebant. Valde autem mirum videtur, si lux ista habeat oculos quos illuminet; illa autem vera non habeat. Aut si habeat, sicuti vere habet, unde videri incorporeum potest; non solum non aerium, sed arbitror non esse corporeum.

CAPUT X.

E *Quod jam forma aut substantia non potest dici materia.*

ILlud jam quale est, quod in ipso disputationis tuæ principio admonendum credidisti esse lectorem, ut ad subtiliora cogitanda animum præpararet; & nunc a summis ad ima, ab incorporeis ad corporea rationale nostrum conaris abducere? Et quasi docens nos ad subtilia mentis oculum præparare, paullo post adjicis, & dicis: Quidquid creatum est, materiam videri, qua cor-

a Joan. I. 9. b Sap. V. 6.

1. *Quibus — non sentitur*] Al. *quibus inesse naturaliter constat, nisi attracto aere non sentiri.*

2. *Veniam deprecatus — nuntius*] Al. *nec deprecatus, errorem postponam.*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 470.

poream esse decernis. Si adhuc creatura materia est, nondum ergo formatus es. Quia dicitur Deo: [1] *Qui creasti hominem ex materia informi*. Formarum autem sive minus sive amplius pro qualitate vel genere speciosarum plenus est mundus. Materia vero informis est, mundusque formatus. Non est ergo creatura materia.

CAPUT XI.

Quod omne quidquid incorporeum sive corporeum est, increatum dici non potest.

Post hæc argumentaris ac dicis: Idcirco incorporeum creatum nil esse. Quia quidquid factori suo comprehensibile sit, incorporeum esse non possit. Sub hac ergo ratione ipse sibi Deus ignotus est: qui si idcirco incorporeum nihil creavit, nec aliquid creatum notitiam creatoris excederet, cum vel corporeum vel incorporeum nihil nisi præcedente scientia creantis exstiterit, videlicet quia nihil nesciens fecit. Se ipsum ergo præ omnibus nescit, qui incorporaliter antecellit omnem substantiam quam creavit. Ac per hoc major se ipso est, qui sui capax non est. Quod quia dici ratione non finitur, consequens est, ut ideo incorporeum quippiam [2] creaverit, ne sibi creatum aliquid incomprehensibile esse possit; cum ipse summus incorporeus sibi ignotus esse non possit. Vide quam parvo negotio veritatis calor frigentium verborum pruinas liquefaciat. Et cum discernere nequeas a creato materiam, ab informi formatum, ab aere spiritum; in imaginem Dei pronuntias, tamquam potissimorum scitor, qui minorum probaris ignarus. Jam nunc testimoniorum vel maxime penuria coactus, de quodam opere sancti Hieronymi capitulum quoddam (quod quidem te constat non intellexisse,) subjungis, qui ait: *Globos siderum corporatos esse spiritus arbitrantur*. Omnem qui *arbitratur*, nutare non dubium est. Beatum vero Hieronymum de spiritibus corporatis quorumdam referre dicis arbitrium; qui si arbitrantium, hoc est, dubitantium sequitur forte sententiam, cum eodem quoque tu sequere. Cumque non nisi ab ignorantia proficiscatur dubietas arbitrantis, agnoscis te nobis quærentibus veritatem, pro una quam polliceris scientia, multorum nescientias attulisse. Nam cum quasi probatissimo testimonio ejus utaris, qui de eis dubitans quorum testimoniis utitur, & eos dubitantes affert quos testes adhibet; quid te posse pronuntiare censendum est, qui ab auctoris tui dubitantis auctore dubio, tertius ipse jam dubitas?

CAPUT XII.

Quod auctor operis illius philosophos non intelligens, globos siderum corporatos spiritus arbitratus sit, & Angelos corpora esse decernat; contra quæ Apostoli testimonio de resurrectione utitur.

I. Istud ego tamen philosophos reperio dicere, qui nonnullis disputationibus adstruunt, & ipsos lunæ vel solis globos incorporeis videlicet spiritibus sub divina quadam mente vegetari. Sed oportet agnoscas hoc idem testimonium, non solum pro sententia tua contra nos nihil, sed adversus eamdem pro A nobis valere plurimum. Quod eo tibi accidit, quia philosophicam non intelligendo sententiam, illud pro tua videlicet parte posuisti, quod probe intellectum non nisi nostris tantum possit partibus suffragari. Si enim corporeos spiritus esse philosophi dixissent, in eorumdem non definientium, sed arbitrantium potius auctoritate: totus nihilominus argumentationis tuæ cardo titubaret. Cum vero illi non dubitanter, sed scienter, non corporeos, sed corporatos spiritus dixerint; nonne dinoscitur quodcumque est corporatum, non esse corporeum? Alioquin corporeos, non corporatos spiritus esse dixissent: quia illud est corporeum, quod incorporeus spiritus animat; illud autem incorporeum, quo corpus anima- B tur. Quapropter cum dilucide vivificatum corpus ab incorporeo vivificante discreverint, videtur mihi quod iste corporis advocatus, aut philosophicam de substantia incorporali sententiam non intellexerit, aut nequaquam pro se objectare debuerit sub ipso sancti Hieronymi nomine.

II. Sequitur, & adjungit: *Si Angeli*, inquit, *cælestia etiam corpora ad comparationem Dei immunda esse dicuntur; quid putas homo existimandus est?* Quantum video violentissimus disputator nec istud intelligit. Angelos enim unius credit esse substantiæ, ut melius de sideribus sentiat, quæ corporatos spiritus judicat. Numquid heic aliud vir C doctus Hieronymus dixisse censebitur, nisi Angelorum corpora habilitate sui atque potentia, humanis longe præstare corporibus? Pariter cum dixit: *Si Angeli*, & adjecit, *cælestia etiam corpora*; duo quædam intelligi voluit, *Angelos* & *cælestia corpora*. Quia cum angelici spiritus corporati sint, sunt in cælo quædam quæ sola sunt corpora. Igitur evidenter ostendit nullum corpus quamlibet supremum loco, quamlibet potens motu, incorporeis posse præponi. Rursum ex comparatione gradum faciens dicit: Adeo divinis hominem comparari non posse, vt nec Angelis possit. Discernit præterea corpus & carnem, quia cum omnis caro etiam corpus sit, non omne corpus est caro. Unde Apostolus: [a] *Alia ca-* D *ro volucrum, alia caro piscium, alia autem hominum. Et corpora cælestia, & corpora terrestria*: evidenter ostendens, terrenum corpus etiam carnem fore, cæleste vero non etiam carnem. Ne forte heic aptari conveniat illud quod eumdem Hieronymum dicere meminit; *globos siderum corporatos esse spiritus arbitrantur*. Ut ipsa sidera sive Angelorum corpora, corpora utique cælestia sint: cum illi spiritus qui istis corporati sunt, corporei non sint. Sicut & Deum dicimus incarnatum, & sicut ipsa anima humana incarnatur, utique cum administrandam suscipit carnem. Cui quamlibet illud accidat, quod Scriptura testatur, dicens: [b] *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam*: non tamen in corpus converti credendum E est, quamlibet pondere carnis oneretur; quia nec corpus umquam in animæ naturam commutabitur, quamlibet eadem vegetante moveatur; alioquin non erit corpus. Unde illud quod Apostolus dixit: [c] *Et corpora cælestia & corpora terrestria*: utrumnam de Angelis an de sideribus, an terrenis quibusque corporibus de quibus non est quæstio, intelligi voluerit, ex consequentibus apparebit. Indisjunctim namque mox adjicit ac dicit: [d] *Alia cælestium gloria, alia autem terrestrium*. Et quæ illa cælestia essent

a I. Cor. xv. 39. 40. *b* Sap. ix. 15. *c* I. Cor. xv. 40. *d* Ibid.

1. *Qui creasti* cet.] Locus exstat *Sap.* xi. 18. sed alio sensu. Sic enim ibi de omnipotenti manu Dei: κτίσασα τὸν κόσμον ἐξ ἀμόρφου ὕλης. Quæ creavit mundum ex materia *informi*, seu *invisa*, ut habet Vulgata.

2. *Creaverit*] Al. *non creaverit*.



corpora, ut evidenter oſtenderet: [a] *Alia*, inquit, *claritas ſolis, & alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum. Stella enim ab ſtella differt in gloria; Ita & reſurrectio mortuorum*. Eamdem ſcilicet docens, quæ eſt in ſiderum qualitate diſcrepantiam, reſuſcitatorum corporum fore pro meritorum diverſitate diſtantiam. Heic utique abſque ambiguo doctor gentium de ſola reſurrectione humanorum corporum diſputans, hujuſmodi comparationibus uſus eſt. Nam ſic cauſſam loci hujus ingreditur: [b] *Dicet aliquis, Quomodo reſurgent mortui? quali autem corpore venient?* Et ab hoc loco uſque ad iſtam de ſideribus comparationem, id ipſum ſine alterius cujuſquam cauſſæ interjectione perſequitur, nullam faciens de anima mentionem; ne ſcilicet illud quod de ſolis, lunæ ſtellarumque, corporum ſcilicet cæleſtium, differentiis diſſeruit, [1] ſævo forte judicio de animabus dictum quiſque ſentiret.

CAPUT XIII.

De reſurrectione plenius.

NUnc ergo ſi humanum corpus, terrenum ſcilicet atque moribundum, in id gloriæ transformabitur, ut fiat de carnali ſpiritale, ſecundum Apoſtolum, qui ait: [c] *Seminatur corpus animale, reſurget corpus ſpiritale*; & anima humana ſic nunc ſpiritalis eſt, ut tamen corpus ſit: Ergo humana caro transferetur in animæ dignitatem, cum facta fuerit corpus ſpiritale. Et anima quæ corpori juſte dominata, quæ Domino pie famulata eſt, quæ Deum fideliter credidit, aut fortaſſis & ſcivit; exæquata ſibi carne ſua, ipſa quoque nihil pro ſubſtantiæ qualitate promovebitur. Et ubi eſt illud, non qui oculum carnis, ſed qui oculum cordis mundaverit, Deum videbit? Nam [d] *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. Ergo forſan beatificabitur corpus pro modo ſuo, & anima itidem pro modo ſuo. Illud immutabitur, ut ſpiritui per omnia ad nutum ſerviat, cui contumax ſæpe reſtitit. Et hæc immutabitur, ut Deum videat, quem flagrantia caſtæ caritatis inhiavit. Et quoniam Apoſtolus ſpiritum, animam corpuſque diſcrevit, inquiens, [e] *ut integer ſpiritus veſter, & anima & corpus*, quia poſt reſurrectionem non animaliter vivendum eſt; ſcilicet ubi non edendum vel bibendum, ubi non dormiendum neque coeundum eſt: tranſibit totum animale corpus in ſpiritale corpus, quia & anima tota tranſibit in ſpiritum, & erit totum ſpiritale corpus propter inhabitantem ſpiritum. Qui utique ſpiritus ſi in hac vita concupivit adverſus carnem, & concupiſcenti adverſum ſe carni non ceſſit; jure in æternum nihil illud difficultatis ſentiet, cujus difficultates cæleſtis auxilii virtute ſuperavit. Nec par erit ut exæquetur Domino qui eidem ceſſit invitus, & in ſervi ſtatu remaneat qui vicit voluntarius. Quocirca datur intelligi, quod ſicut in hac vita animæ humanæ ſubſtantia incorporaliter dignitate ſui anteit corpus animale; ita poſt reſurrectionem remunerationemque anteibit corpus ſpiritale. Omne autem quod ſpiritali corpore potius eſt, corpus ut arbitror non eſt: ergo juxta hujus neceſſarii mei tractatum, qui Angelos ſola eſſe tantum corpora decernit, humana ſubſtantia angelica natura erit inferior. Certum namque divina auctoritate retinemus, ſanctorum corpora quæ immutari merebuntur, in gloriam angelicis exæquanda corporibus, dicente Domino: [f] *Et erunt ſicut Angeli in cælo*. Si igitur Angeli ſpiritalia tantum corpora ſunt uniuſque ſubſtantiæ, & provehetur corpus humanum ad angelici corporis dignitatem: homo Angelo qualitate corporis exæquabitur, dignitate ſpiritus præminebit. Quod ſi, ut eſt utique, videtur abſurdum: duplex ergo eſt angelica, ſicuti eſt humana, ſubſtantia, habens corpus totius facilitatis maximæque pulcritudinis, quod hominibus cum jubetur appareat: habens incorporeum, quo Deum ſemper videat. Juxta illud evangelicum quo dictum eſt: [g] *Quia Angeli eorum ſemper vident faciem patris mei*.

CAPUT XIV.

Spiritualia corporeis oculis videri non poſſe.

VAlde autem ſtupeo quomodo quiſpiam Chriſtianus, doctoris præſertim loco, definiat, cuilibet pulcro, cuilibet ſublimi corpori, corpori tamen contemplabilem Deum fore, & univerſalem videri localiter poſſe; cum Deum videre hoc ſit intelligere. Intellectum vero localem non eſſe, vel intelligendo cognoſcimus. Quia ſi intellectus localis eſt, locale erit & quod intelligitur. Nihil enim locale eſt, quod non & ipſum locus eſt. At ſi intellectus localis; & in hoc Deus, quia hoc intelligitur Deus: ergo localis eſt Deus. Quod quia repugnat, intelligere nos oportet, conſtare hominem ex corporeo & incorporeo, utroque in melius reformando: conſtare Angelum ex corpore & ſpiritu, præcipua inter creaturas dignitate formato: [2] Spiritus illi namque eſt omni ſpiritu creato potentior; corpus illi potiſſimo omnium elemento ſublimius, ſecundum illud propheticum, ubi angelica ſubſtantia duplex ſine dubitatione perhibetur, quo dictum eſt: [h] *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem urentem*. Ignem vero non eſſe ſpiritum, & ſpiritum perinde ignem non eſſe, manifeſtum eſt. Quia non iſtic allegorice aliquid accipiendum eſt, ſicut illud ubi ait Dominus: [i] *Ignem veni mittere in terram*, cum de ſancto Spiritu diceret. Non enim credi fas eſt animas humanas ad amorem divinum participatione angelici ſpiritus inflammari; quia eodem dono bonus eſt homo, quo bonus eſt Angelus, & eodem dono uterque beatus eſt. Ambo id ipſum eadem voluntate; eodem ſcilicet ſpiritu [3] cupiunt. Ambo hoc idem incorporea capacitate percipiunt. Et fit homo, Angelus, & Deus unus Spiritus, juxta Apoſtolum dicentem: [k] *Qui adhæret Deo unus ſpiritus eſt*. Non autem video quo pacto corpus incorporeo contemperari queat, ut unus ſpiritus jure dicatur. Si enim corpus eſt anima, immutabitur ergo corporeum, ut eſſe cum incorporeo unum poſſit. Atque ita ad illam rationem neceſſario reditur, qua incorporeum aliquid creari potuiſſe dicitur. Nam ſi poteſt ex corporeo incorporeum fieri, potuit & ex nihilo creari. Niſi forte dicatur incommutabilis Deus veluti corporaſcere, ut unum poſſit eſſe cum corpore. Sed hoc perditorum quorumpiam fides habeat; quia ſi vel angelo vel homini adhærere Deo bonum eſt, non ad creaturam deteriorabitur creator incommutabilis, ſed ad crea-

a I. Cor. xv. 41. 42. b Ibid. ℣. 35. c Ibid. ℣. 44. d Matth. V. 8. e I. Theſſ. V. 23. f Matth. xxii. 30. g Matth. xviii. 10. h Pſalm. ciii. 4. i Luc. xii. 49. k I. Cor. vi. 17.

1. *Sævo*] Al. *ſervo*. Forte *lævo*.
2. *Spiritus illi — corpus illi*] Utrobique *illi*, ſcilicet Angelo. At al. *Spiritus ille — corpus illud*.
3. *Cupiunt*] Al. *capiunt*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 470.

torem mutabilis creatura proficiet. Unde in Evangelio Dominus dicit: [a] *Pater, sint isti in nobis unum, sicut & nos sumus unum.*

CAPUT XV.

Quod corporea omnia adjunctione sui majora fiant & multa quam pauca; incorporea vero anima nec augeatur in multis, nec minuatur in singulis.

NEc vero credi licet quorumque conjunctionem corporum unitatem Trinitatis imitari, aut eidem inconfusibiliter posse misceri. Patet enim liquido, quodlibet unum corpus paris corporis adjunctione duplicari. Esse illic sursum, deorsum, dextrum, sinistrum, anterius atque posterius. Esse illic pro modo magnitudinis, longitudinem, latitudinem, altitudinem. In Deo vero ipsa Trinitate hujus secabilitatis & localitatis partes & spatia esse non dicimus, ad cujus similitudinem unum nos esse secumque uniri nos posse, dicit ipse qui fecit, sicut in Apostolicis Actibus legimus, quod [b] *unus credentium, unusque volentium erat animus & cor unum.* Non tamen reor multas animas ita sibi fuisse conjunctas, ut major quædam ex multis animabus anima fieret, quia Trinitas per quam & cum qua omnes bonæ animæ fiunt unum. [1] Nec in ulla ex eadem Trinitate persona minor est quam in tribus, nec in tribus major est quam in singulis. Sic & animæ humanæ substantia ad ejus imitationem cujus imago est, nec in multis secundum aliquam molem major est, nec in singulis secundum aliquam molem minor. Quia videlicet potentiæ sunt illæ, non corpora. Creatas autem potentias creatrix utique potentia jure supereminet, eo ipso vel maxime quo creavit. Nam & animam anima præstantiorem sæpe & experimur & dicimus. Nec tamen eamdem quam secundum potentiam præstantiorem dicimus, secundum molem quæ nulla illi est, credimus esse majorem. Illud etiam nec te arbitror diffiteri, quamlibet multas animas perfecte sapientes non plus sapere idem anima perfecte sapiente: nec quod una omnimodis volet anima, multas id omnimodis volendo plus velle: nec quod quæcumque optime meminerit, multas melius memoriæ tenacitate meminisse. Corpus vero & plus habet ponderis magnum quam parvum, & validior corporum multitudo quam paucitas, & fortius quippiam manus multæ, quam singulæ vel retinent, vel sustinent, vel propellunt. Nunc consequentia disquiramus.

CAPUT XVI.

Animas esse incorporeas.

HAbent, inquis, animæ secundum se corpus quo subsistunt, licet multum & incomparabiliter tenujus quam nostra sunt corpora. Accipiatur ita, si ita est. Illud respondeas velim, quis est iste qui dicit; Habet anima corpus incomparabiliter tenujus, quam nostra sint corpora? Si animæ verba ista sunt, quod corpus esse suum dicit quod ipsa est, aut istud quod sentificat, vegetatque carnale: (Ipsa enim dicit anima: Tenujus est corpus animæ, quam corpus meum) Quod est corpus quod *suum* dicat anima, nisi illud quod ipsa est, si corpus est anima? Aut igitur anima corpus est, nec recte corpus istud carneum suum dicit, quia potius illud est suum quod ipsa est; aut si istud corpus animæ corpus est, ipsa, ut datur intelligi, non est corpus. Post itidem consultori suo sic loquitur: *Objicis mihi ideo animam non esse corpoream, quia nec localis sit, nec qualitate, aut quantitate subsistat: Quod cujus periculi sit credere, in consequentibus demonstrabimus. Nunc vero in hoc tractatus nostri statu habita discussione pendebit, ut si nec localis sit nec quantitati subjaceat, esse eam indubie incorpoream credas. Si vero eam demonstraverimus quantitate determinari locove concludi; consequenter eam etiam corpore contineri, nec ipse jam dubites.* Statum nempe tractatus tui in articuli istius conditione posuisti, ut si localis & quantitati subjacens anima probari possit; consequenter etiam corporea crederetur: quam tamen paullo post intra pectoris officinam varietates cogitationum suarum fingere, & motus agitare pronuntias.

CAPUT XVII.

Animam sine ulla differentia locali, vitam corpori tribuere.

AC primum quæso respondeas; ipsa anima quo in loco sit corporis: in toto est, an in parte? Si in parte est, quemadmodum universum ubique corpus movet atque sentificat? Si in toto est, quomodo intra solius pectoris officinam cogitationes suas fingit & motus exercet? An forsitan non solum in pectore est, sed etiam in capite: nec in capite tantum, sed in planta atque in ossibus? Et ubicumque animam localiter esse credis, illic etiam localiter sapere & localiter cogitare fateberis. Et quoniam si corporea est, eatenus inest corpori, ut sicut aqua utrem minore sui parte minores partes ejus impleat, & majore majores; necessario sequitur, ut & major illi cogitatio in pectore sit, & minor in digito: atque ita quotam partem quisque corporis viventis absciderit, totam quoque partem animæ vegetantis abscidit. Ac per hoc non tanta erit in anima utique debili vel cogitandi vis, vel potentia reminiscendi. Aerem namque (ex quo aut cui similem animam esse pronuntias,) dividuum secabilemque nemo dubitat. Nam & cum flamus & reflamus, particulas ejus haurimus & reddimus, quas in pastum totius corporis venæ illæ capiunt quas ἀρτηρίας Græci vocant; per quas idem aer in temperamentum trium elementorum pulmonum quoque indefessa agitatione dispergitur. Sed si haustus aer juxta sententiam tuam, ad animæ pertinet pastum, quia scilicet res aeria convenienter alitur aere: ergo sicut supra dictum est, cum corpore quod vegetat recipit sectionem. Vis certe memoriæ ad totam sine quæstione pertinet animam. Omne porro corpus quamlibet magnum, quamlibet parvum, secari profecto potest: quod idcirco illi accidit, quia partibus constat. Nam quidquid partem habet, potest utique dividi, quia pars potest a parte divelli. Quapropter si corpus est anima, recipit utique sectionem: si recipit sectionem, recipit imminutionem: si imminutionem recipit, perdita quisque vivi corporis parte, animæ quoque perdit partem. Cum parte vero animæ perit pars memoriæ. Anima ergo cujus imminuta substantia est, minus debet utique meminisse. Ac per hoc si localis est anima, multimoda potest sectione comminui, & frequentia comminutionis aboleri. Sed quia istud mens sana, ne dicam docta, non recipit; ut illocalitas animæ quantum per nos sub ope divina proferri potuerit, magis appareat, de motibus differamus: quia dubium

a Joan. XVII. 21. b Act. IV. 32.

1. *Nec in ulla*] Orthodox. *Nec nulla*.



non erit, ficut corpus eft quod movetur localiter, ita non effe corpus quod localiter non movetur.

CAPUT XVIII.

Tres effe motus.

I. Tres ergo motus effe, *ftabilem*, *illocalem*, *localemque*, jam notum eft. Stabilis motus Dei eft, Illocalis animæ, Localis corporis. Stabilis motus eft, quod Deus creaturam non femper fecit; fed tamen eamdem non nova voluntate tunc creare voluit cum creavit, quia femper tunc voluit creare cum fecit. *Tunc*, temporis fignificatio eft. *Semper*, B non ad tempus pertinet. *Tunc* ergo iftud ad principium temporis pertinet, non ad tempus, quia temporaneum motum ftabilitas fempiternæ voluntatis includit. Ac per hoc femper tunc velle ftabilis motus eft. Heic oportet accipias, nihil moveri poffe nifi ab immoto. Atque ut id doceamus exemplo, digitum certe nifi ftante manu movere non poffumus: motus autem brachii ab humeri ftabilitate eft. Et ut non diutius immoremur, in gradiendo utique pes unus figendus eft, ut alter promoveri queat. Tene iftud: [1] paullifper animi motum a corporis motu difcernimus. Nam ficut ut fupra dictum eft, Deus ftabiliter movetur, fic anima temporaliter. Temporale eft autem, quod paul- C lo ante fuperba, nunc humilis; prius læta, nunc triftis; dilexit ante, nunc odit; prius aliquid oblita, nunc meminit. Hujufmodi autem motibus anima non communicat corpori, quibus immoto nihilominus corpore movetur. Unde datur intelligi, animam per tempus illocaliter moveri, atque ab eadem corpus & temporaliter & localiter moveri; eamdem vero a corpore localiter non moveri.

II. Atque ut hoc ipfum, fi quo modo queam, verbis planum faciam, attentiore mihi lectore opus eft. Ecce ad aliquid fcribendum vel fabrefaciendum, ut manus moveatur, animæ nutus intenditur. Anima confpicatur incorporeas illocaliter for- D mas, quibus indiffociabiliter juncta, five fuperjecta fubjectis, five fubjecta fuperjectis, & membrum tota movet, & formarum varietatem tota fentificat. Cum ergo, ut dictum eft, æternis illis eisdemque femper formis intenta, ad exempla earumdem formarum tetragonum, five hexagonum vel rotundum corporeum per corpus efficere molitur; certe fi aliorfum mentem, oculum fcilicet fuum, verterit, ut puta volens quadrum facere rotundum cogitet; aut volens fcribere Paulli nomen, cogitet nomen Simonis: nonne protinus ad id exprimendum five figurandum agitur motus membri, ad quod cogitandum tranfiit nutus animi? Stabit ergo anima in contemplatione formarum, ut moveat cor- E pus in figuratione formabilium. Quæ formarum veritas nifi rationali confpicabilis non eft. Stat enim omnis anima in appetitu rationali & in confilio. Non autem credibile eft, quod cum nutu animæ fcriptoris manus ad fcribendum movetur, anima quoque manus agitatione moveatur: quæ nifi litterarum formas immobiliter atque illocaliter afpiceret, eafdem motu digitorum localiter formare non poffet.

III. Sed forfitan dicis: Illa pars animæ quæ in fcribentis digitis eft, movetur, & reliqua non mo- A vetur. Hoc illi porro contendunt, qui animam partilem putant, quamquam indiffociabili confequentia, fi corporea foret, partilis foret. Quia & partile quod corporeum, & corporeum omne quod partile. Inquiramus igitur fi difcindi in partes animus queat, & amoveri parte fui pro corporis parte poffit, nec ne, videamus. Ac primum illud excutiendæ quæftionis hujus potiffimumque fit nobis, ut fi habet partes animus, fecari poffit in partes. Advertamus ergo animo, quod nullum corpus aut tangi fimul totum, aut fimul tangere totum poteft. Et anima in fuis quibufque motibus vel actibus tota fimul eft. Nam, ut fupra difputavimus, omne corpus quamlibet magnum, quamlibet minimum, B habet longitudinem & altitudinem. Subjacet autem pro numero partium fex utique motibus. Movetur autem omne corpus furfum, deorfum: in dextrum ac finiftrum: priorfus & retrorfus. Movetur autem etiam motu feptimo, ficut eft rotæ & fphæroidi: qui profecto motus ad æternitatis indicium a fe, & per fe, & in fe peragitur. Omne igitur corpus, ut diximus, fex partes habens, fex motibus fubjacens, habet utique pro craffitudine fui aliquid etiam medium. Exteriora namque in corporibus omnino nulla effent, fi interna quoque non effent. Quodlibet ergo corpus etiam fi [2] claufum manu in exterioribus fuis per totum tangatur, in interioribus certe non tangitur. Hinc pa- C tet omne corpus totum fimul tangi non poffe. Nec uno in loco effe quamlibet minimum, totum poffe: ut puta granum papaveris aut quotalibet pars grani ipfius: quod illic non habet inferiora fua ubi fuperiora, nec illic dextra ubi finiftra, nec anteriora illic ubi pofteriora. Anima vero & tota per corpus videt, & tota viforum recolit, & tota audit, & tota fonorum reminifcitur, & tota odoratur, & tota odorum meminit, & tota per linguam, atque, ut volunt alii, per palatum fapores fentit eofdemque difcernit, & tota tangit lenia quæque & afpera; tota probat atque improbat. Mirum autem videtur juxta neceffitatem localitatis temporum, ficut fupra differui, quod ani- D ma totum corpus tota vegetat, & toto nihilominus vivente corpore totoque fentiente, per minimam partem corporis, quod eft vifus, tota fimul accipit formas. Et per ejufdem corporis partem quod eft auditus, tota fimul accipit voces. Et per exiguum narium membrum fentit tota fragrantias. Et per guftandi fenfum tota dijudicat faporum differentias. Et calida vel frigida fummo tantum digito tota difcernit. Si ergo localiter tota adeft oculo ut videat, quomodo omnibus fimul fenfibus tota non deeft, ut ubique tota fentiat, & fingulas corporis partes non partibus fuis, fed tota [3] vegetet, & per diverfum fimul tota fentificet? Cum ergo hæc animam localiter actitare perfuafe- E ris, tunc localem mihi eamdem vel partilem perfuadebis. Et tamen hæc adhuc omnia homini belluæque communia funt.

CAPUT XIX.

Anima quantitati non fubjacet.

Igitur fi illocalitas animæ vel aliquatenus apparuit, cum nondum de principali, hoc eft, de rationali noftro difputaverim; in quo utique incorporalitas atque illocalitas clarius elucebit: quate-

1. *Paullifper*] Al. CUM *paullifper*. Forte *dum*. 2. *Claufum manu*] Orthodox. *plaufu manuum*. 3. *Vegetet*] Al. *&* *vegetet*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 470.

nus anima nec quantitati subjaceat, differamus. A [1] Quamlibet ubi localitas non est, quantitas esse non possit, quia sibi ita mutuo hæc eadem nexa sunt, ut aut utrumque in aliquo esse possit, aut neutrum. Ex illis Aristotelicis Categoriis nulli prorsus subjacet essentia divina. Rursus anima humana non omnibus subjacet. Porro corpus quodlibet subjacet omnibus. Nam de Deo non dicimus qualis est, quia non potest comparari quasi ad aliud, ut dicatur, talis est. Nec dicimus, quantus est, quia non mole magnus est. Nec quid habet, quia nihil non habet. Nec quomodo est, quia ipse modus est. Nec habitum ejus inquirimus, quia continet omnia. Nec locum, quia non nisi corpus in loco est. Nec tempus, quia sempiternitas est. B Nec actum, quoniam quietus agit. Nec passionem, quia non patitur. Jam decima, immo prima est ipsa substantia, de qua hæc prædicamenta texuntur.

CAPUT XX.

Animam qualitati subjacere.

Humana vero anima sicut quantitatem non recipit, ita subjacet qualitati. Nam si de quopiam quale sit corpus ejus inquirimus, sic videlicet qualitas corporis indicatur. Flavus est ille, oculatus est, pallet ille vel niger est. Sin vero de C anima consulamus, ita nobis qualitas ejus ostenditur: superba est, humilis est, iracunda, tranquilla est: valde meminit, aut celeriter obliviscitur. Quantitas itidem corporis si quæratur, jure nobis dicitur, illius in pedes quinque protenditur longitudo, latus est duobus itidem pedibus, habet in crasso tantumdem. Num quantitas animæ istis signatur indiciis, aut in illa longum vel latum vel spissum aliquid invenitur? Quod si ita est, tanto quisque majoris erit animæ, quanto corporis capacioris. Nec umquam perexigui corporis hominem magnanimem vere diceremus, cum ingentis corpulentiæ pusillanimes plerumque dicamus. Sicut dicimus, Magnanimus Moyses [a] cum rubri maris D vias intrepidus ductor intravit; & parvi animi populus, qui hoc ipsum facillimum factu fore Deo promittente non credidit. Ecce populi totius animo unius hominis animum sine ambiguitate majorem dicimus: videlicet virtute, non mole. Quoniam si mole, major moles esset, vel duarum animarum quam unius, non dico multarum. Est ergo in anima qualitas, sed quantitas non est: quoniam quod affectuum mutabilitati subjacet, qualitatem recipit; quod vero non habet molem, non habet quantitatem. Hinc est quod emoriens omne corpus animatum non amittit animam, sed dimittit: quia non egreditur quod non includitur: nec amittitur, quod non tenetur. Si enim tenetur, E non amittitur: & si non amitteretur, nemo moreretur. Unde non poetice, sed philosophice Papinius ait [2]:

> —— *Odi artus fragilemque hunc corporis usum,*
> *Desertore animi.*

Quod ut magis pateat, hoc ipsum diligentius ventilemus, atque ab extremo viventium genere ad rationalem quoque vitam ordinatim gradatimque veniamus. Ut tria illa *memoriam*, *consilium*, *voluntatem*, quibus humanæ animæ constat unitas, videre possimus, quamlibet rationali atque irrationali meminisse commune sit.

CAPUT XXI.

Memoriam rationali & irrationali animæ commune esse: quodque omnis creatura sit homo.

I. Unde non absque vero dicitur: In memoria esse hominis pecudisque confinium. Nam & nidos ciconiæ atque hirundines post annum revisunt, & equi stabula repetunt, & canes dominos recognoscunt. Sed quoniam animæ belluarum etsi imagines locorum naturaliter retinent, ipsius tamen substantiæ suæ scientiam non habent; in recordatione corporalium rerum quas per corporis sensus hauserunt, necessario remanent: & ratiocinandi non habentes oculum; non dicam supra se aliquid, sed se ipsas videre non possunt. Gratias ergo si non quantas debet, at quantas potest, creatori suo totus homo referat, qui illi ineffabilis benignitatis largitate essentiam cum lapidibus: vitam seminalem cum herbis & arboribus: vitam sensualem eamdemque animalem cum pecudibus: vitam rationalem cum angelis dedit. Igitur ut herbarum quoque & fruticum vitam incorpoream esse pateat, eamdemque non amitti a corpore, sed dimitti: quæro a te, herbas & arbusta utrum ne neges vivere, an forsitan dicas his ipsis viventibus aliquibus ut vivant animas inesse. Sed animata si essent, motu proprio non carerent, quia sunt quæ moventur motu non proprio. Sentirent etiam vulnus inflictum. Sed hæc talibus non inesse vel de ossium sectione, & capillorum atque unguium præcisione cognoscimus, quæ sine ullo sensu doloris abscindimus. Est ergo etiam ibi vita, ubi non est anima.

II. Aspice nunc ad conficiendam hanc ipsam arboris vitam, omnium elementorum particulatim semina convenisse. Est illi videlicet terra in crassitudine, aqua in humore, aer in progressione, ignis in germine. Si autem de aere est anima, aut aeri similis, ut tu pronuntias: ergo arborem non negabis animatam; quia perspicuum est aeri similem inesse naturam. Inferiora temperato rerum ordine superioribus afficiuntur, transacto scilicet frigore brumali per conversionem cæli, recursu siderum, calor superveniens, aerem sibi & loco & natura proximum prius afficit. Qui quoniam tanto gradu igni cedit, quanto ipse aquis eminet; per radices arborum vel quorumpiam germinum de terræ intimis aqua attrahit: eo quod ignis elementum omnia naturaliter rapiens, tepefactum aerem ad se cogit: perque arboris medullam sic ipse haurit aerem, sic aer aquam, sic aqua terram. Unde est quod etiam nos per fistulam, vel cujuscemodi tibiam attracto aere, aquas indifficulter haurimus. Et e puteorum profundis artificiose compacto machinamento quodam sursum versus unda gravior ob naturam cogitur, & aeris adminiculo in angustos tuborum meatus, vi compulsa labro tenus supra summum putei expressa prolabitur. Hæc ergo dissonantia contrariorum sibi corporum, ut quodlibet vivens corpus exsistat, in quamdam concinentiam cogitur nutu creatoris. Ex his autem elementis quatuor quæ moderate musiceque in arboris vitam sibi concinunt, si quid contra mensuram vel superfuit forte vel defuit, ægrescit arbor ipsa primum, dehinc emoritur, veluti victa languore. Cernis istic disso-

a Exod. XXI. 22.

1. *Quamlibet*] Al. *Licet & ubi* cet.

2. Statius Papinius lib. VIII. Thebaidos extremo.

nantibus ab unitatis concinentia corporis partibus, A vitam potius a corpore deferi quam dimitti a vita corpus. Constat igitur omnem vitam nec localiter abscedere a corpore, nec in corpore velut in loco esse, nec localiter corpori accedere.

III. Heic si caussalium rationum secreta rimare animadvertas, licet defore vix his viventibus animam, sed non defore incorpoream vitam. Atque ut unum aliquod ex omni seminum genere deligamus, granum certe tritici quantæ sit magnitudinis scimus: & ejusdem capacitate sui [1] modum mole metimur. Cujus si quid internum corporeum videre velimus, scisso eodem nihil nisi tantum candentis farris aspicimus, quantum brevis capacitas te- B nuissimæ cutis includit. Ecce tibi in spatio corporali summam grani triticei. Da tu nunc in hoc eodem granulo, corporaliter mihi tumores germinum, herbarum virentia, calamos stipularum, spicarum hispida, levia palearum, pinguia frugum, atque ex his indefessis multiplicandorum semina seminum, quæ omnia in illo sunt granulo, caussalibus reposita secretis. Nunc igitur aut cuncta quæ de seminibus prodeunt, intra eadem semina corporaliter ostende, aut herbarum quoque vitam incorpoream confitere. Et pronuntia, si placet, corpoream hominis animam, & corpoream fruticis vitam. Quod quia nemo hominum incolumi potest ferre judicio, transeamus ad animata viventia, C quæ non solum vivunt, sed etiam sentiunt.

IV. Est ergo in pecude corruptibile corpus, & mortalis anima, quæ vitam corporis nec anticipat nec [2] posticipat. Vides ergo quod vitæ seminali quam in herbis arbustisque reperimus, in corpore pecudis per appetitus animæ sensum motumque tribuat; sic tamen si ipsum corpus convenienter elementis analogice concinentibus probe valeat, & nutibus animæ consentaneo motionis concordet obsequio. Quomodo autem fit ut anima eodem nutu sanum infirmumque membrum dispariliter moveat? Ecce ille lævæ manus vigore valet, usum dextræ ictu ut assolet humoris amisit: manus reli- D quo adhærens corpori, etsi non in eodem vigore in eadem permanet specie, nec tamen servit nutibus animæ. Quid dicemus, pulsa exinde localiter cessit anima? & quo abiit? quo inde discessit? Sed forte ad reliquam partem sui se contulit, sed jam totum corpus implebat anima. Non potest adjici pleno quippiam, quin supereffluat. Ergo fortassis exhalandum est aliquid animæ vel eructandum, aut quoquo modo digerendum, eo quod non integrum corpus non integram capiat animam. Hæc certe absque ambiguo consequi necesse est, si corpus est anima. Quod quoniam fieri nequaquam potest, illud potius intuere quod non anima imperandi vim perdidit, sed vires serviendi manus ami- E sit. Illo enim ut puta sanguinis impetu conniventium elementorum harmonia turbata, corpori adimitur serviendi possibilitas, & animo dominandi accedit difficultas, & incipit esse oneri quod erat usui. Non tamen anima movendi vim perdidit, si membrum convenienter se necessariæ motioni non præbuit. Et in quolibet oculis capto, quantum ad animam spectat, remanet vis videndi corporalia per corpus, sed organa membrorum deficiunt, quibus potentias suas exserat ad sentienda corporea. Sicut ergo ratione perspicua claret liquido, non animam membro debili localiter pulsam, sed ab animæ intentione vivaci membrum languore torpens, velut quadam mortis vicinia diffidentem: ita cum animalis cujuspiam corpus dissonantia sui desiderit, recurrentibus ad regiones suas elementorum particulis, anima non habens quo intentiones suas explicet, pecudis deperit, humana requiescit. Ab his tamen tantum motibus quibus corpus movebat per loca, ipsa per tempus illocaliter mota.

V. Non se nunc aliqua veluti corpuscula oculis mentis objectent, ut animas positis corporibus quædam loca aeris aut cujuslibet elementi occupare credamus. Intellectum tuum si potes intellige, cui soli cum angelo hæc videre concessum est. Num quippiam in intellectu tuo longum, latum aut altum vides? Num splendor ullius corporeæ lucis ibi rutilat? Num aliquis cantilenæ modificatus & per tempus fluens canor illic insonat, aut evanescentis fragrantiæ suavitas halat, aut aliquid istic corpulentum sapit, aut aliquid molle vel durum localiter tangitur? Visus illius clarescit sapientia, tenebrescit insipientia. Auditus illius fallacia offenditur, veritate mulcetur. Illocaliter illic fragrat æquitas, fœtet iniquitas: vanitate tabescit, virtute pinguescit. Miser est contubernio stultitiæ; beatus complexu sapientiæ. Totus igitur oculus est, quia totus videt, & totum quod inspicit videt. Quodlibet autem corpus nec totum videtur, nec totum videt. Totus auditus est, quia totum quod audit totus audit. Corpus autem nihil totum audit. Et totus odoratur, gustat ac tangit, cum hujusmodi unitas & potentia in corpore esse non possit. Hoc autem idcirco illi suapte natura est, quia ibi hoc est videre quod audire; hoc audire quod olfacere, hoc olfacere quod gustare, hoc gustare quod tangere. Sed occurrunt animæ phantasiæ corporum, quibus per sensus corporis affecta, non locis, sed fallaciis circumscribitur. Et quia illorum tantum meminit quorum species per corpus accepit, nihil esse credit quidquid tale non fuerit. Nec suspirare potest illi patriæ, de qua in hanc peregrinationem merito præcipitata est, cum peregrinari se nesciat. Peregrinari se vero in corpore scire non poterit, si corpus esse se credit. Unde vir ille, quem sui jam substantia non latebat, sic ait: [a] *Cum sumus in corpore, peregrinamur a Domino. Audemus autem & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præsentes esse ad Dominum.* Quid quæso dici clarius potest? Omnia corpora sive crassa vel gravia, ut est aqua vel terra, sive tenuia & levia, ut est ignis & aer, sive illa quæ ex his confiunt seminaliter coeuntibus, corporis nomine includi non ambigitur. Quidquid autem qualelibet corpus est, dici potest levius corpus, tenuius corpus, habilius corpus, sublimius corpus, clarius corpus: non tamen potest dici nisi corpus. Apostolus autem quid dicit? *Cum sumus in corpore, peregrinamur a Domino.* Videtur mihi quod nequaquam peregrinari in corpore animam diceret, si eamdem corpus esse censeret. Quia si anima corpus est, & peregrinatur in corpore: in sua ergo substantia peregrinatur, nec umquam poterit non peregrinari, quæ sine se esse non poterit. Nulla autem res se ipsam ullatenus amittit, quia non potest quidquam esse post se. Facilius enim est aliquid prorsus aboleri ne quidquam sit, quam

a II. Cor. V. 6. 8.

1. *Modum mole*] Al. *modi molem*.
2. *Posticipare* nove dictum. Hujusmodi Claudiani locus Cangio animadversus in Glossario.



se & amittere & sibi superesse. Aut igitur anima A corpus est, & fefellit Apostolus; aut si peregrinatur in corpore, anima non est corpus.

CAPUT XXII.

Quomodo anima peregrinatur in corpore.

I. SUbjicias his fortassis ac dicas; Quomodo heic tantum peregrinari dicitur anima, eo quod sit in corpore? Si resurrectionem probe credimus, in illa quoque æterna patria non sine corporibus futuri sumus. Heic respondeas velim, utrumnam idcirco nunc anima peregrina dicatur, quia in corpore moratur, an quia in tali sit corpore? Istud B nempe corpus, ut supra memoravi, [a] *aggravat animam*, non illo utique pondere quod pendi potest: quia si illo quo quisque viribus plus valebit, eo magis corpus inedia vel ægritudo [1] tenuaverit. Unde hoc quoque multum nostris adstipulatur rationibus, quod liquido claret secundum illam vitam quæ nobis cum pecudibus est, hominis animam exeso atque arido quam pasto ac succulento corpore magis onerari. Quod eo fit, quia fessum corpus non ita valet animi nutibus facili motu servire; & onerosa illi est, non ponderis gravitas, sed agendi difficultas. Ac perinde si belluinam vitam quam nobis istic inesse manifestum est, cogitamus, corpus istud non adgravat animam. Si ve- C ro illam quæ cum angelis erit aspicimus, adgravat animam occupando eam atque illiciendo vel necessariis, vel voluptuosis defigendo eamdem in pulcra corpora, & a contemplatione summæ pulcritudinis abducendo. Isto ergo quod vel esui aut potui necessario in salutem corporis opus impenditur, vel superflue voluptatum nugis animus occupatur, vel plagis ac doloribus per corpus affligitur, aggravare eamdem & pro multitudine ac difficultate actionis onerare perspicuum est. Et hæc est illa peregrinatio, de qua dicit Apostolus: *Cum sumus in corpore, peregrinamur a Domino*. Cum vero ad illam corporis permutationem pervenerit, qui meruerit, de qua idem dicit: [b] *Omnes resur-* D *gemus, sed non omnes immutabimur*; non obviabit tunc nutibus animæ corpus animale quod non erit, sed per omnia serviet spiritale corpus quod erit. Sed nec illud quippiam concupiscet indignum: nec hæc aliquid imperabit injustum. Et quoniam sancta anima affectu casto in Deum rapitur, animadverte nec peregrinationem illi localem esse nec patriam. Numquid in hac vita Deus cum anima non est, etiam si ipsa cum Deo non sit? Aliud enim est esse cum Deo, aliud non esse sine Deo: quia non localiter ad illum venitur, nec localiter ab illo disceditur. Proinde anima illa cum Deo est, quæ videt, hoc est, intelligit Deum. Et illa cum Deo non est, quæ utique non intelligit Deum. E Deus autem & intelligenti & non intelligenti adest illocaliter. Sed in tantum istic peregrinatur, in quantum per voluptatem ac dolores corporis per loca vel tempora, per phantasias & phantasmata a summi boni contemplatione revocatur, quod tunc [2] ad plenum non erit, [c] *cum corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem, & mortale induerit immortalitatem.*

II. Quæ cum ita sint, peregrinatur anima in corpore, cujus corruptione, debilitate atque indigentia a patria, hoc est, a Deo separatur. Puto autem substantiam cujus peregrinatio locale est atque corporeum, & cujus patria incorporeum & illocale, non veraciter dici vel corpoream vel localem. In illo autem peregrinatio non erit, cujus nullo appetitu prolicietur, nullo renisu occupabitur, nullo pondere præpedietur. Patet, ut arbitror, animam non in omni corpore, sed in carnali tantum corpore peregrinari; quia carnale corpus obviat; & spiritale proximat incorporeis. Ergo, ut aliquando de nostra tantum, sicut prolocuti sumus, substantia differamus, quis potest abyssos memoriæ solius intueri & antra penetrare? In ista mihi est, quidquid usquam colorum formarumque vidi: in hac quidquid verborum vel sonorum per aures accepi: in hac quidquid odorum per nares attraxi: in hac quidquid saporum diversitate cognovi: in hac quidquid tactu nuntiante discrevi: in hac mihi reposita quodammodo sunt & Grammatica cum de Dialecticis differo, & Rhetorica cum de Geometricis, & Astrologica cum de Musicis; & hæc simul omnia cum de Arithmeticis juxta formas partium mundi quas video, de his quas non video adminiculante ratione cognoscens, incorporea mundum capacitate complector.

CAPUT XXIII.

Quod anima incorporea videat per se, corporea vero per corpus.

SEd dicis mihi: Non mundum memoria complecteris, sed figuram mundi. Vel ex hoc intellige animam non esse corpoream, quia vides eamdem nec corporalia corporaliter posse conspicere. Huic ergo superpositus est non loco, sed vi ac potentia oculus quidam, qui sive spiritus, sive mens, sive intellectus, unum atque idem est, etsi diverso nomine dicitur. Ergo quod est lapis ad inanimum vivens, hoc est inanimum vivens ad animatum vivens. Et quod est inanimum vivens ad animatum vivens, hoc est animatum vivens ad viventem & intelligentem. Administrat irrationalis anima corpus animale, in salutem scilicet ejus: & administrat animam rationalem intellectus rationis capax, in salutem videlicet animæ rationalis operante atque administrante Deo principali potestate & stabili motione, atque initiato substantiarum cardine: primum ut sint, deinceps ut pro modo vel merito taliter sint qualiter esse debere ille constituit, qui non nisi juste universa disponit. Nam sicut de corporibus ibi vel ibi esse propter localitatis necessitatem congrue dicitur: ita de animabus propter illocalitatem vel qualitatem talis esse vel taliter jure pronuntiatur. Quia sicut viventi corpori jucundum est, luculentus locus vel temperatus aer: ita vivificanti animo tranquillitas in cogitatione & securitas a timore. Itidem, sicut pœnalia sunt corpori tenebrosus locus & asper attactus: sic animo cogitanti instabilitas & angustiæ formidandi. Agitur ergo anima non per locum, sed pro affectuum diversitate & delectabiliter & pœnaliter. Illud tamen liquet, animam sine corpore incorporaliter per affectus pie vel mulceri vel affligi posse: corpus sine anima vel suavia vel pœnalia sentire non posse. Animæ igitur corporatæ, est per corpus sentire corporea, eidemque sine corpore videre incorporea. Ergo ut corpus inani-

a Sap. IX. 15. *b* I. Cor. XV. 51. *c* Ibid. ℣. 53.

1. *Tenuaverit*] Al. *tenuerat*.

2. *Ad plenum*] Al. *adplene*.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 470.

rum nihil sentit, ita animus sine corpore corporea universa non sentit. Hinc est quod etiam dum corpus administrat atque sentificat, si quando in summa eademque semper attollitur, ita quodammodo corporeos deserit sensus ab iisdemque illocaliter abscedit, ut coram posita non videat, ut juxta sonantia non audiat, ut percursam legendo paginam non intelligat. Adest anima ut per oculum litterarum signa colligat, eademque in syllabas sociata conjungat, ac per verba distinguat: & non adest ut quid per hæc [1] fecerit sciat. Lego clare aliquid, pronuntiante me alter intelligit, qui in id mentis oculum figit: ego vero ipse quid legerim nescio, quia in aliud anima illocaliter intenta discessit. Denique cum ad memet ipsum vel admonitus redeo, ego ipse sum qui utique redeo, & ego ipse sum ad quem redeo. Et mecum non fui, quia ad me per intervallum, non loci, sed temporis redii. Et extra me non fui, quia sine me esse non potui. Ipsa [2] istic est anima, ut per oculum quæ leguntur, videat; & ipsa istic non est, ut quæ leguntur non intelligat. Aut non sæpius hoc evenit, ut sive hujuscemodi lectionibus accommodantes visum, sive relationi cujuspiam adhibentes auditum, cum hæc eadem non minus intelligi quam videri atque audiri facillimum sit, utroque tamen sensu sonos ac signa capiamus; cum quidem hæc eadem significent non intelligamus? Et tamen rursum in id quod intellectum non erat, animi referentes obtutum, absque ulla hoc idem difficultate comprehendimus.

CAPUT XXIV.

Quod non est aliud anima, aliud memoria, cogitatio vel voluntas, cum hæc eadem una sit anima.

I. SEd subjungis ac dicis: Aliud est animæ status, aliud is qui de anima nascitur cogitationis affectus. Quamobrem aut hoc potius æstimandum est, quod si quando sibi aliquid imaginatur, magis [3] cum suis intra semet ipsum motibus occupetur. Et si quid aliud est quod aspicere videtur, magis ei in recordationis speculo describatur. Istud naturam tu putas ejus esse, non pœnam. Idcircoque anima tua in recognitione sui fallitur, quia sibi adversantia pro se amplectitur, & per sensus corporis fallaciarum affecta ludibriis, eatenus implicatur errore, ut tamquam absens sibi se quærat, cum ipsa sit quærens se. Non enim illud est anima quod quæritur, sed quod quærit; quidquid enim quærit, extra se est. Nec quærere illi opus est, nisi quod secum non est. Ipsa autem secum est, quia sine se nihil est. Quærere se ergo non debuit, quia sine se esse non potuit. Quapropter cum se non sine se quærit, necessario in aliud incurrit, quia non potest se invenire sine se. Hæc est illa illusio, quam qui intelligit dolet, ac dolens gemit, & cum Propheta plangit ac dicit: [a] *Tota die contristatus ingrediebar, quoniam anima mea completa est illusionibus.* Sed istiusmodi illusiones in memoria patitur anima, ex qua nihil phantasiarum reventilare ac proferre possit, nisi easdem a formis corporum per corporeos sensus hausisset. Sive enim eadem quæ per corpus attraxit, sibimet imaginatur; sive ex his quæ vidit, illa quæ non vidit conjectat atque confingit. Certum tamen est, imaginari illam intra quemdam ventrem memoriæ nequaquam posse, nisi ea quæ per corpus accepit. Et hæc illi non naturalia, sed pœnalia sunt. Ut quoniam a summo bono quod ei Deus est, illecebris pellecta corporeis defluxit in corpus, patiatur illud intra semet ipsam juste quod extra se dilexit injuste. Non ergo mihi tu illud esse animam persuadere velis, quo perturbari potius eamdem vides. Illa namque si in status pristini sublimitate mansisset a quo sponte dilapsa est, numquam contra spiritum caro, nec contra carnem spiritus concupisset. Et si homo verus, hoc est, anima rationalis, honorem suum, imaginem scilicet Dei intellexisset, numquam [b] *insipientibus* fuisset *comparata jumentis*, videlicet ut animaliter viveret. Hinc est ille præ oculis ejus imaginum corporearum tumultus, se semper objectans, ut si quando vel ad se vel ad Deum suum ratiocinando nititur, semper ad corporea phantasiis corporeis avocetur.

II. Tu enim cum dicis, aliud esse animam, aliud animæ cogitationem; melius fortasse dixisses: illa de quibus cogitat anima, cum de se non cogitat, non esse animam; ipsam vero cogitationem non esse nisi animam: quia illud quod subjiciendum esse dixisti, eatenus animam solere requiescere, ut prorsus cogitet nihil, caret vero. Anima nempe variare cogitata potest, non cogitare non potest. Quid autem illud est, quod somniare dicimur, nisi quod ne fesso quidem corpore in somnosque resoluto animæ vis a cogitationibus vacat? Tota vero ibi est ubi cogitat, quia tota cogitat. Verum tu idcirco vel maxime de animæ statu falleris, quia aliud animam, aliud esse animæ potentias credis. Quod enim cogitat, accidens ejus est; substantia vero quæ cogitat. Hoc equidem de voluntate oportet agnoscas. Nam sicut tota anima cogitatio est, ita anima tota voluntas est; & quæ perfecte vult, tota vult. Et, ut supra dictum est, quæcumque illi velle accidentia est, ipsum vero velle substantia est. Hinc etiam in sacris litteris voluntatis perfectæ definitio, prout illud est, quod ita vel ita voluit, damnabilis laudabilisque censetur. Sic in Evangelio Dominus: [c] *Qui viderit*, inquit, *mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Et in bonam partem loco alio angelorum vocibus dicitur: [d] *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Ecce dilectio, ut tu arbitraris, animi quædam portio est: ut ratio docet, animus totus est. Si quid ergo toto amore amo, non id ipsum toto animo diligo? & ubi vacat illud quod dicitur: [e] *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua*, si animæ pars putatur esse dilectio? Si enim parte sui diligit anima, non utique tota diligit. Sin vero tota diligit, tota absque ambiguitate dilectio est. Dicitur enim, vereque dicitur, quoniam [f] *Deus dilectio est.* Sed dilectio illa talis est, ut nec ipsa diligere nisi bonum, nec per eam diligi possit nisi bene. Hæc autem dilectio quod est anima humana, propter affectuum mutabilitatem potest & in superiora, quod ei solus Deus est, cælesti caritate flagrare, & in inferiora damnabilia amore diffluere. Quodlibet tamen diligat, si toto amore diligit, tota diligit. Et cum tota diligit, tota dilectio est; quæ unitas in corpore scilicet non est.

a Psalm. XXXVII. 7. 8. b Psalm. XLVIII. 13. 21. c Matth. V. 28. d Luc. II. 14. e Matth. XXII, 37. f I. Joan. IV. 8.

1. *Fecerit*] Al. *defecerit*.
2. *Istic*] Al. *ista*, tum heic, tum paullo post.
3. *Cum suis*] Al. *cujusvis*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 470.

CAPUT XXV.

Exemplum de Geometrica, Arithmetica atque Dialectica ad erudiendum lectorem in ea quæ obscura sunt, quid videat anima per se, quid per corpus.

I. SEd dicis, Quando absentem carum suum cogitat, numquid velut ipso conspecto desideriis satisfecit? Ista ut ego conjicio atque ut plane probo, potissima admodum caussa est, quæ te tuimet ignarum perpulit animam reri esse corpoream. A sensibus quæso corporis paullisper attollere, ac si vales, perspice, quæ vel quanta vis videndi sit animo: &, si quid potes, animi visum corporisque B discerne. Corpus certe nihil videt, quia nihil utique sentit absque anima. Ac per hoc animus corporea per corpus videt, incorporea per se. Hæc ipsa nunc quantum inpræsentiarum res postulat, sequestremus, ut quæ sint animi visa per corpus, quæ sine corpore, evidenter appareant. Nam velut qui vel aliquid eruditus est, credo noverit in Geometrica disciplina quid sit punctum, quidve linea. Sed quia inter eos qui ista dignabuntur legere, esse potest qui nesciat; de hoc ipso paullulum differendo quæramus. *Linea* est (ut doctissimi atque excellentes viri non dixere solum, sed ratiocinando probavere) longitudo simplex, quæ in corpore prorsus nequeat inveniri, eo quod omne cor- C pus longitudine longum sit, non tamen ipsa sit longitudo; neque possit sic esse longum, ut non latum simul altumque sit. Quocirca, sicut ajunt, etiam si araneæ filum cogitaveris, quia utique corpus est, non solam longitudinem cogitasti. Habet enim pro modo suo indissociabilem longitudinis suæ latitudinem atque altitudinem. Igitur si, ut fateri veritas cogit, aliud est longitudo quam altitudo, seposita latitudine solam longitudinem cogitemus. Scio autem hanc eamdem liquido conspici non esse multorum, quam cum Marcius quoque philosophus negaret mathematico Adrasto se videre, cum lineas fabrorum videret: utique non mirum est, inquit Adrastus, quod habes oculos si- D miles fabrorum, ingenium dissimile Pythagoræ: sed non idcirco tardioribus desperandum est, modo vel auctoritati cedamus, qui rationem forte non capimus.

II. Hæc ergo de qua loqui institueram, longitudo cum fuerit puncto inchoata, punctoque finita, a Græcis γραμμή, a nostris *linea* dicitur. Jam nunc si quid sit longitudo sine longitudine cognoscere voluisti, & lineam longitudine finitam formasti, duas æquales lineas sibimet ἀντιςάτας e regione constitue; quod cum feceris intellige te figuram duabus lineis paribus non fecisse. *Figura* enim dicitur cum paribus imparibusve lineis capitibus se se contingentibus E locus ambitur. Duabus ergo paribus lineis sive adversim positis, sive a capite contingentibus figura non clauditur. Tribus vero æqualibus lineis figura fit trigona: & hoc æterna atque indemutabilis ratio est, omni humanæ menti vel non admonitæ clarens liquido. Numquid ergo tribus lineis paribus quæ semet mutuo capitibus tangunt, fieri umquam figura, nisi trigona poterit? Aut istud magis nunc verum est quam fuit, aut esse hoc verum aliquando cœpit, aut aliquando desiit, aut non est facilius corporeum interire mundum, cujus utique tumidæ localesque formæ istarum illocalium incorpo- A raliumque sunt & imago formarum, quam ut aliquid ex his vel variari specie, vel transmoveri loco, vel senio veterascere, vel quoquo pacto mutari queat? Ne ergo per omnes te disciplinæ istius minutias traham, neve intentionem tuam in adspectandis planarum figurarum vel cuborum vel pyramidarum rationibus teneam propter circuli perfectionem; de una tantum figura, ut adhuc fecimus, breviter colloquamur.

III. *Circulus* fit ex una linea. Sed jure nunc illud admoneberis, quod linea sine altitudine atque latitudine perfectior est, quæ tamen habet aliquid se ipsa perfectius. Punctum [1] nempe principaliter est, origo lineæ: ab ipso incipitur, ipsoque finitur: cum punctum nec oriri a quoquam pateat, nec finiri. Hoc namque continet in figuris punctum, quod unus in numeris. Ista ergo linea quæ transversim secari potest, scindi per longum non potest. Quia utique si scinditur, habet latitudinem; cum secanda est, puncto cæditur; cum punctum scilicet non cædatur. Perfectior ergo longitudo latitudine, quia latitudo & transversim & directim recipit sectionem. Perfectior latitudo altitudine, quia altitudo non solum findi ac secari, verum & a latere cædi potest. Ergo altitudo sine latitudine & longitudine esse non potest. Et ubi hæc tria sunt, haud dubie corpus est. Latitudo sine longitudine esse non potest. Longitudo sine his omnibus esse potest, sed sine puncto esse non potest. Sine his vero punctum semper est, nec cujuspiam, ut sit, indiget, quia unius nullum potest esse principium. Circulus igitur una eademque circumflexa fit linea: sed sicut in trigonis & tetragonis per angulos puncta sunt, quibus figurarum ratio consistit; sic in circulo ejus medium puncto possidebitur, ut circulus rata dimensione formetur. Nam cum unum circini radium fixeris, atque alium a centro extrinsecus circumduxeris; attende, quantum potes, centri potentiam ab stabili radio, illum qui circumagitur radium regere, & illic ubi localiter non est, potentialiter circulum figurare.

IV. Heic si purgata mentis intendas acie, subrutilare tibi jam debet, quid sit anima. Illud etiam quale est, quod si sensum corporis consulamus, per medium circulum duæ pares lineæ junctim duci posse credantur; cum ratio manifesta convincat, nequaquam per eumdem medium duci duas posse, nisi una sit brevior? Videtur mihi, sicut superius de trigono patuit, istic quoque circuli ratio insolubilibus atque æternis manere legibus stabilis. Tu mihi nunc dicas velim, si ista localiter conspicit anima, quid caussæ est, ut mihi aliquod rotundum trigonum vel tetragonum in occidente de corporibus formare molienti, eadem sine tumore vel motu, ratio rotundi vel quadri non desit, cum eodem temporis puncto secundum eamdem rotundi & quadrati legem in oriente alius paria de corporibus valeat fabricare? Vides ne vel de his quæ conspicatur anima, quid sit visus animi? Intelligis ne intelligibile & intelligens nequaquam posse sejungi? Animadvertis ne etiam quid intersit inter illas formas quas corpore cernimus, & istas quas mente conspicimus? Istas esse sempiternum mundum, cujus hic mundus imago sit: unde divinitus dictum est: [a] *Præterit figura hujus mundi*. Vides etiam quod cum longitudines, latitudines & altitudines corporum scire nullius propemo-

a I. Cor. VII. 31.

1. *Nempe*] Al. *neque*.

dum sit momenti, satis esse aliud, unde dicit A- A postolus: [a] *Oportere nos nosse quid sit latitudo & longitudo, sublimitas & profundum?* Quid enim mihi proderit uspiam altitudinem corporei cæli quærere, planorum siderum διαστήματα, vel circulorum vias, vel singulorum intervalla rimari? quid spatia terræ cognoscere, vel abyssi profunda penetrare? Non de his me, ut reor, Apostolus commonitum voluit, quæ non solum laboriosa sunt, sed etiam noxia; si quum per hæc ad æterna semperque manentia transeundum sit, in his hæreatur atque remaneatur.

V. Revertere nunc atque intuere omne longum longitudine longum fieri, ipsam vero longitudinem B longam dici non posse; ut omne castum castitate castum fieri, ipsam vero castam non dici ullatenus castitatem. Cum ergo meram longitudinem contemplari cupis, aut cum in trigonum vel hexagonum mentis oculum figis, projice, quantum vales, ac refuge non solum omne corporeum, sed quidquid simile esse potest corporeo. Et cum trigonam, vel tribus punctis ac tribus lineis, vel rotundam puncto vel linea conformari incorporaliter atque illocaliter videris; vim quoque ac supereminentiam conspice numerorum, & intellige universum corporeum numerabile per numeros fieri; ipsos vero numeros non posse numerari. Nam quis non dicam eloqui, sed cogitare digne valeat, quod numerus cum [1] ex uno & C per unum, & in uno sit, principium tamen ac finis illius non sit? Si enim dixerimus unum numeri esse principium, ipsius unius quod dicemus esse principium? Ecce habes principium numeri in principio, ut ex ipso sit numerus. Jam vero si numerare velimus, adjicis unum uni, ut fiant duo, & unum duobus ut fiant tria, & unum tribus, ut fiant quatuor; & deinceps quoties unum multiplicaverimus, totiens quasi multis singulis in summa ducuntur, ut decies ducti decem, & vicies viginti, & centies centum, & millies mille nominentur: ut agnoscas omnem numerum ita per unum esse, sicut ex uno procedere. Illud vero patet ad finem numeri, qui nullus est prorsus, veniri non D posse; quia trans omnem numerum qui ex uno, & per unum, & in uno est, semper est unus. Tria tamen ista sunt cum dicimus, ex uno, & per unum, & in uno pariter æterna. Proinde illocalia ubique tota. Eidem infinito semper æqualia, quia nullum vere unum majus, unumve minus est. Hæc sunt numerorum inchoantia, ducentia, perficientia: ipsa nec inchoata, nec numerata, nec finita. Credo, quia [b] *sapientiæ Dei non est numerus*. Nam cum ex uno, & per unum, & in uno sit numerus, nec numerari nisi trifariam possit (ut per eumdem numerum ordiamur, numeremus & finiamus) ipse est ternarius totus, per quem omnis est numerus. Ecce quid habitat in anima E humana: ecce quod oculo cordis videre concessum est. Quo diffugimus, quo distrahimur, cur in nobismet ipsis extra nos sumus? Cur patriam nostram localiter quærimus, de qua utique non ambulando, sed peccando discessimus? Cur tenebras splendere credimus, quas videre ipsum est utique non videre? Veritatem certe [2] quærimus: non illam per spatia locorum oportere quæri, non per corporeum aliquid æstimes inveniri. Satis ex corpore non solum tangendo, sed etiam cogitando se separabit, qui huic adhærebit. Illocale certe quærimus, non illud quæso per locale quæramus. Fecit sibi ipsa veritas sui compotem similitudinem. Hoc in nobis offeramus illi quod fecit. Non conviciemur Deum nostrum, dicentes illi: Non potuisti facere aliquid simile tui. Quia si corpus sum, similis tui non sum, quia de nobismet ipsis nos ille convincet.

CAPUT XXVI.

Secreta Dei locutio ad animam, qualiter se debeat sciscitari.

I. Loquitur enim in silentio mihi veritas, & dicit mihi: Tu certe qui corpus esse te credis, unde incorporeo verbo uteris? Aliud credo est verbum tuum, id est, consilium tuum, aliud vox verbi; aliud quod sonat, aliud quod intelligitur. Nam sicut vox potest esse sine verbo, ita est verbum sine voce. Utitur tamen quodam indumento vocis verbum tuum, ut insonet auribus; sicut ego indumento carnis, ut viderer hominibus. Et cum loqueris obsequium vocis aure tenus meat, verbum vero illocaliter ad animam permeat; quia sic ad illum cui loqueris accedit, quod a te utique non recedit. Et si loquentem te unus audierit, totum verbum tuum penes te est, totum penes illum. Et si duo audierint, totum audiunt. Et si multi, totum; & omnibus totum, & singulis totum, & tibi totum est. Noli in te perdere tam magnum munus meum; similitudinem meam, quam tibi benignissime tribui, ut qualiter ad me tenderes, non extra te quæreres. [c] *Nemo venit ad patrem, nisi per me*; & [d] *Nemo ad me, nisi quem pater meus attraxerit*. Et nemo ad me vel ad patrem venit, nisi caritas diffundatur in corde ejus per Spiritum sanctum, qui non nisi bene credenti, bene speranti & bene quærenti dabitur. [3] Ad istam qua unus Deus est, sumus, tu homo factus es, ad Trinitatem, cum dictum est: [e] *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Introspice te de te ipsa, o humana anima, & te ad me nitere. Vide mentem tuam, vide verbum tuum, vide voluntatem tuam. Nam totum est in mente quod cogitas; & quod totum simul meministi, totum simul cogitas; & vis cogitare atque meminisse, hoc est, amas habere mentem & cogitationem. Cogitationem ergo tuam cum mente complecteris, hoc est, cum cogitare te memineris; totam certe cogitationem tota mente comprehendis. Et totum amorem tuum vel mentem tuam tota cogitatione tua cogitas, cum amare vel meminisse te cogitas. Et toto amore tuo eamdem totam mentem atque eamdem totam cogitationem tuam diligis, cum meminisse & cogitare te diligis. Nullus est tamen qui meminisse & cogitare & hoc ipsum amare non diligat: cum autem tibi in mente est memoria cogitationis & amoris tui, si tanta illa meministi quanta sunt, tanta est mens tua quanta sunt illa. Et cum dilectionem vel mentem tuam cogitas, si tanta ea quanta sunt cogitas, tanta est cogitatio tua quanta illa sunt. Et si mentem vel cogitationem tuam pro sui modo diligis, hæc & amor tuus æqualia certe sunt. Et si se singula tota simul vel ament

a Ephes. III. 18. b Psalm. CXLVI. 5. c Joan. XIV. 6. d Joan. VI. 44. e Gen. I. 26.

1. *Ex uno*] Al. *ex eo*. 2. *Quærimus*] Al. *credimus*. 3. *Ad istam — ad Trinitatem*] Sic editio Parisiensis. At Lugdunensis & Orthodox. *Ad istam, quod unus Deus sumus, tu homo factus es, Trinitatem*, cet.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 470.

vel cogitent vel meminerint, non majora erunt tota simul tria, quam vel mens tota pariter recolens, vel cogitatio tota cognoscens, vel amor [1] tota diligens. Hæc & in te esse ac potius ista te esse, me tibi radiante cognoscis, si illos mihi oculos quibus me videri dignor attuleris; nequaquam me vel incorporeus nisi purgatus videt; quo minus videri me a te putes posse, si corpus? Ego & pater & caritas nostra unus Deus sumus: tu mens rationalis & verbum vel dilectio tua unus es homo, ad similitudinem auctoris tui factus, non ad æqualitatem, creatus nempe, non genitus. Formatus es ipse, non formator. Recede ab his quæ infra te sunt, minus utique formata; hoc est minus formosa, quam tu es. Accede formatrici formæ, quo possis esse formosior, eidemque semper adjungere: quia tanto ab illa speciei amplius capies, quanto te illi caritatis pondere magis impresseris. Ab illa scilicet obtinebis imaginis hujus indemutabilem statum, a qua sumsisti principium. Hæc & talia loquitur Veritas ad aurem cordis intrinsecus, admonens nos, ut quod ad similitudinem incorporei Dei, non ad similitudinem corporei mundi facti sumus, incorporeos nos esse cognoscamus, non solum quia Deo incorporeo similes sumus, sed etiam quia corporeo mundo dissimiles.

CAPUT XXVII.

Quod quilibet absens corpore carum suum mente videat.

Ecce de statu vel visione rationalis animæ infinitarum pro quæstionis magnitudine rationum, tactis breviter potius caussis quam satis usque discussis, arbitror me de illocalitare atque incorporalitate animæ sufficiens dedisse responsum. Tu nunc ita longe disparilem infraque positam evidenter intelligens corpoream visionem, non ulterius isto jacteris incerto, ut si carum tuum, sicut ipse dicis, absentem cogitas, idcirco eumdem quia tibi corporaliter non apparet, credas absentem; D quia si tibi in illa sui parte carus est, qua uterque homines estis, & qua vosmet vicario amore diligitis: ita tibi ille præsens est, ut tu ipse tibi. Quidquid enim tu es substantialiter, hoc ille est. Visio vero intellectus est animæ. Si te vides, illum vides, qui nihil est aliud quam tu; qui si corporaliter assisteret, per signa certe corporis agnitionem sui tibi faceret. Per quæ si illud forte cepisses indicium, quo eumdem tibi inimicum potius esse cognosceres, reverberata utique affectuum disparilitate anima tua ab ejus anima quodammodo resiliret, & in uno corporaliter loco, atque in eodem, si potest dici, vestigio, satis scilicet effetis voluntatum diversitate sejuncti. Quod cum ita sit, non arbitror animos sequestratione disjici, quos videmus junctis corporibus posse separari. Ac perinde parum est, quod efficiunt corpora mutuis animorum repræsentationibus, si non aut per eadem in se imago Dei quæritur, aut ipsa quærantur. Miserum namque est multumque vero contrarium, ut imago Dei, id est, verus homo, per corpus potius quam per se quæratur. Per se autem quæritur atque cognoscitur, si per imaginem Dei quæritur. Imago autem Dei, omnis anima rationalis est. Proinde qui se imaginem Dei quærit, tam se quam proximum quærit. Et qui illam in se quærendo cognoverit, in omni eamdem homine recognoscit. Tu autem non immerito carum tuum absentem te habere caussaris, in quo corpus diligis. Nec aliud quam corpus diligere in illo potes, quem non credis esse nisi corpus. Dilige Deum tuum, dilige in Deo carum tuum, imaginem Dei tui. Ille te perinde diligendo, Deum in Deo diligat. Si uterque unum quæritis, ad unum tenditis; semper apud invicem eritis, quia in uno consistitis. Non autem video quod fieri queat, ut corpora in unum posita præsentia sibi esse possint, & animi in uno præsentes sibi esse non possint. Sed quoniam liber iste finem flagitat, eo quod aliquibus superficie tenus attactis, quamlibet multa brevitatis studio missa fecerim, non tamen omnibus pro caussæ excellentia supersedi: quæ post hinc disputanda sunt, principio secundi voluminis ordiamur.

1. *Tota*] Al. *totus*.



MAMERTI CLAUDIANI

DE STATU ANIMÆ

LIBER II.

CAPUT I.

Cur Deus tam sæpe oppugnari veritatem patiatur.

SÆpenumero mecum reputanti mihi, quonam pacto excellentissima Veritas tantum inimicorum semet habere sciverit, post multum de hac eadem quæstione tractatum non improbabilis ratio, sicuti reor, apparuit: omnia scilicet dignoscuntur melius contrariorum comparatione. Sic equidem lumen tenebris, sic vita morti, sic veritas falsitati composita plus delectat. Oportuit igitur hasce distantias pro suis qualitatibus sibi compotes sortiri patronos, ut nec falsi lateret defensor, nec veri vacaret assertor. Itaque fieret, ut nec ille magis noceret occultus, nec otiosus iste torperet.

CAPUT II.

E *Quomodo philosophi mundi indagaverint veritatem, gradatimque ad Deum usque pervenerint.*

I. ET quoniam mortalium generi natura datum est, ut abstrusa fortius quærat, ut negata magis ambiat, ut tardius adepta plus diligat; & eo flagrantius ametur veritas, quo vel diutius desideratur, vel laboriosius quæritur, vel tardius invenitur: hinc factum est, ut philosophi quoque excellentibus ingeniis, multimodis doctrinis, pugnantibus sententiis, longis sæculis de eadem veritate quærentes, ab usque Pythygora Italico vel Jonico Thalete semper exstiterint, qui diffidentibus aliis vel in parte operis aliquid dignum tanta indage sentirent. Unde

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 470.

etiam Doctor gentium non tam ignaros veri philoſophos judicat, quam cogniti contemtores accuſat, inquiens: [a] *Inviſibilia Dei, a creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque virtus ejus & divinitas; ut ſint inexcuſabiles: quod cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum magnificaverunt.* Ergo cognoverunt, & ingreſſa eſt divinitatis abditæ mens humana ſecretum, tranſſcenſiſque corporeis omnibus emetita, ita illum videlicet univerſitatis vidit eſſe creatorem, qui non ſolum corporea univerſa præiret, ſicut irrationalis anima; neque hanc etiam, ſicut rationalis antecelleret, ſed qui his ſimul omnibus longe incorporali potentia præſtaret. Videbat enim moveri corpus per loca & tempora, cum vel de loco in locum cederet, vel ætatem temporis tranſcurſione mutaret. Apud ſe itaque paullulum conſtitit, potentiamque ſui non ſine horrore ſuſpiciens, quærendum ne ſupra ſe aliquid, an in ſe eſſet conſiſtendum ſibi, dubitavit. Sed dubitantem ſe non eſſe Deum, dubitare non potuit, cui cauſſa dubietatis ignoratio eſſet: non autem niſi ignarus ambigeret, Deus vero nihil ignoraret, ac per hoc dubitare non poſſet.

II. Porro autem ſe animadvertebat & ignorare neceſſario & conſequenter ambigere, adjecto eo, quod & ſi non ſubderetur motioni per locum, moveretur tempore per affectum. Nec principale rerum ſtabilimentum foret, quod vel loco vel tempore poſſet, quia niſi per aliud moveri nihil poſſet. In quo autem univerſum ſtaret, id in ſe ipſo conſiſteret: ſic in auctore ſuo altius ratiocinata, cognovit illud quod in ſuperiore libro memoravi: viditque niſi ab immoto moveri nihil poſſe. Itaque neceſſario ſtare animam ut corpus moveat per tempus & locum. Stare vero in ſe ipſo Deum, qui moveat animam per tempus, corpus vero per locum pariter & per tempus. Et quoniam principio nullum poteſt eſſe principium, quod juxta de immenſitate ac ſempiternitate cogitandum eſt. Quia ſicut a nullo cœpit, ita in nullo conſiſtit, non ſine quodam medio ab imis quod omne corpus eſt, ad ſumma quod Deus eſt, tranſeundum rata: ſe ſcilicet inter extrema mediam reperiit, eo quod nec cuiquam corporum ſimilis exſiſteret, quia ſimilitudo Dei eſſet; nec itidem æquari Deo poſſit, quia etſi ab illo cœpiſſet, de illo non eſſet.

III. Animadvertit etiam in rerum plenitudine, aliud eſſe [1] ſecundum veritatem quod judicaret, nec judicaretur: aliud quod judicaret & judicaretur: aliud quod judicaretur nec judicaret. [2] Secundum veritatem Deum judicare, de quo non judicaretur; animam judicare & judicari; corpora judicari nec judicare. Tunc autem minime falli judicantem, cum adhæret illi ſecundum quod judicat: tunc maxime cum collabitur ad illud de quo judicat. Intellexit quoque propter immutabilem vim contrariorum, ſicut tenebras luci, ſicut eſſentiæ nihilum; ita incorporeo corpus eſſe contrarium. Et vidit ſimilitudinem cujuſque rei in contraria eſſe non poſſe; quia videlicet immota rerum ratio non ſinat, ut aliquid vivat mortuum, videat cæcum, ſubſtantia ſit ſimul & nihilum. Heic igitur intelligens nonnihil in anima humana eſſe Deo ſimile, quia ſit ille lumen illuminans, & hæc lumen illuminabile; incorpo-

A ream ſe non dubie decrevit, illud adjiciens: quod ſi anima corpus eſſet, & hæc eadem ſimilitudo Dei eſſet, corporeus ergo Deus eſſet: juſteque maluit propter ſimilitudinem creatoris ſublimare creaturam, quam propter eamdem ſimilitudinem humiliare creatorem: certo cognoſcens indiſſolubiliter nexum, ut duo ſimilia, aut utraque incorporea ſint, aut utraque corporea. Eſſe quoque in rebus ſubſtantivis quædam non ſolum ſpecie diſſimilia, ſed etiam naturali vigore contraria, ut aqua vel flamma eſt, & hæc tamen eſſe corporea. Atque hinc mirum fore, ſi duo diſſimilia eademque contraria, ut eſt aqua vel flamma, corporea ſimul eſſe poſſint; & duo ſimilia eademque convenientia, quod eſt Deus

B & anima, incorporea ſimul eſſe non poſſint.

CAPUT III.

Philoſophis Græcis utitur teſtibus de corporeis vel incorporeis: exemplum cameli & formicæ proponens.

I. HUjuſmodi igitur rationibus utentium philoſophorum, quoad potui, voluminibus perdagatis, ignobilium plebe rejecta, potiores quoſque delegi, qui veritati inpræſentiarum teſtificarentur, quorum quidem ex abundanti eſt proferre ſententias; non quod propriis deficiamus, ſed quod magis mi-

C rum ſit, adverſum nos dimicare noſtros, & extraneos pugnare pro nobis. Neque mihi profecto cordi foret, mutuum ex his capere quippiam, niſi iſte corporis amicus ſola philoſophici nominis mentione, terriculamenta quædam nobis ſcientiæ profundioris oſtentaviſſet. Ex his igitur quos contra veritatem vocat, vocem veritatis accipiat, & geminæ primum Græciæ claſſicum multiſonam Pythagoreorum tubam & lituum Platonis exaudiat. Nec tumeſcat ſola vanitate nominum, ſed pingueſcat multimoda veritate rationum. Pythagoræ igitur, quia nihil ipſe ſcriptitaverit, a poſteris quærenda ſententia eſt. In quibus vel potiſſimum floruiſſe Philolaum reperio Tarentinum, qui multis voluminibus de intelligendis

D rebus, & quid quæque ſignificent oppido obſcure diſſertans, prius quam de animæ ſubſtantia decernat, de menſuris, ponderibus & numeris juxta Geometricam, Muſicam atque Arithmeticam mirifice diſputat: per hæc omne univerſum exſtitiſſe confirmans, illi videlicet ſcripturæ conſentiens, qua Deo dicitur: [b] *Menſura, pondere & numero omnia diſpoſuiſti.* Quam quidem ex divina lectione ſententiam, nobis ab adverſario miror objectam. Dicit enim verbis his: *Deus quidem ex nihilo fecit omnia, qui ſicut opere inſtituit, ita materiam incorporavit rebus omnibus, inter quas & anima cenſetur. Sicut diſtribuit pondus, numerum atque menſuram, ita poſuit quantitatem.*

E II. Animadverte, noſtri bone cognitor, præſentis ſæculi peritum facundumque doctorem, nihil incorporeum vult creatum, & incorporatum dicit omne corporeum. Cui incorporatur quæſo, quod corpus eſt? Si *in*, pro *non*, forte poſuiſti, ut *incorporatum* pro *non corporato* velis intelligi: plus nobis quam volumus ſponte largiris. Quia ſi auctor rerum qui fecit omnia, non corporavit; ſine corpore ſunt ergo quæcumque ſunt. Enimvero quod eſt, & abſque

a Rom. I. 20. 21. *b* Sap. 11. 21.

1. *Secundum —— judicaret*] Al. *ſecundum quod judicaveris & judicares.*

2. *Secundum —— judicare*] Al. *ſecundum veritatem judicantem judicari.*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 470.

corpore est, incorporeum esse necesse est: quod Græci elegantius ἀσώματον vocant. Si autem istiusmodi propositione simpliciter usus es, incurristi nescius veritatem. Per eamdem tamen ignorantiam uno tantum lapsus articulo, quod omnia incorporata dixisti, cum satis constet duplicis creaturæ substantiam sic ordinatissima lege compositam, ut omne creatum incorporeum & incorporatum sit, non autem omne corporeum sit & animatum. Ac per hoc incorporatum corpus dici non potuit, velut in corpus missum: quia incorporatio ad illam pertinet absque ambiguitate naturam, quæ & prius quam incorporata est, non fuit corpus; & postquam incorporata est, non est corpus. Si vero incorporata omnia eo forsitan sensu dixisti, quo dici plane potuit, etsi non debuit, omnia facta esse corporea; excidisti pariter & a proprietate verbi, & a ratione veri. Quia si omnis creatura corporea est, nihil incorporatum est: si autem incorporeum quid creatum est, non est omnis creatura corporea.

III. Sed una hæc eademque caussa est, quæ te multiplici involvit errore: magna videlicet rerum ignoratio, & scientiæ mira præsumtio. Hinc quippe fit, ut vel spiritus corporatos corpus esse credas, vel item corpora incorporata definias. In istis tam dialecticis conclusionibus tuis, semper tibi veniat in mentem illius quam inurendam ducis aliis, alti erroris infamia. Divinus quoque temet sermo commoneat: [a] oportere prius deponi trabem propriam, ut possit alienam quis auferre festucam. Proinde quia non lacessis quasi dubios prœlii, sed percellis quietos mucrone convicii; & cunctis creaturæ partibus, mensuram, pondus & numerum indita esse dixisti, quoniam hæc simul omnibus constat inesse corporibus, & animam corpus esse decernis; quæ hujus mensura sit, qui numerus, quod pondus inquiro. Si modum vegetanti animæ viventis corporis modus facit, quia corpus extrarium quasi vas aliquod, animam veluti minus quoddam corpus includit: ergo animæ, ut tu ais, quantitas pro corporis quantitate censenda est.

IV. O si mihi de his loqui tecum cominus palamque proveniret, liberaliter videlicet agerem, nonnulla tibi de meo jure concederem. Neque protinus de homine quærerem, sed prius precario poscerem, ut rerum callens evidenti faterere responso. Formicæ & cameli animas, utrumnam providentia an mole censeres? Si providentia, luce liquidius esset, animæ cameli sic animam præstare formicæ, ut camelus tanto pæne minor formicæ sit animo, quanto major est corpore. Si moles tibi in istiusmodi comparatione placuisset, eadem nempe replicarem, & nihilo secius quærerem: Si modus animæ corporis modus est, cur infra corporis modum camelus brutescat, & supra corporis modum formica vigeat? Sisterent verba fortassis quæ tuto tibi magna volant. Ista hæc ipsa duplici sorte proponerem, utrius malles tibi copiam facerem. Si molem corporis elegisses, perexiguum formicæ corpus opponerem. Sin animi vigorem, hunc eumdem nullum secundum molem fore convincerem, cujus esse nihil in illa corporea cameli magnitudine comprobarem. Heic etiam tibi Maronianum illud objicerem, quod verissime de apiculis dictum est [1]:

Ingentes animos angusto in pectore versant.

V. Jam cum super statu hominis differtare cœpissem, a te scilicet novo Geometra, ut ingenia quorumcumque dignoscerem, decempedam in judicium flagitarem. Ubi si illo forsitan voluisses uti perfugio, ut diceres invisibilia visibilibus non posse metiri; e vestigio responderem, ex magnitudine corporis quod animum includeret, posse metiri animum qui corpus impleret. Si non posse dixisses, instantissime quærerem, cur fieri de corporis genere uno non posset, quod de omnibus possit? Si adnuisses posse, tibi dicerem sermone prophetico: [b] *Vade ad formicam o piger, & æmulare, videndo vias ejus*, id est, providentias ejus. Nisi forte credendum est ob id nos oraculo cælesti commonitos, ut gradiendi scientiam a formica quæreremus. Non te in hac prolocutione solicitet ambulandi cura, sed agendi sollertia [2]:

Ac veluti ingentem formicæ farris acervum
Cum populant hiemis memores, tectoque reponunt.

Sic homo omnis in comparationem irrationalium protoplasti lapsus peccato, [c] ne hieme fuga tua fiat, fidei calore & operis devotione procures, ac pariter intelligas formiculæ & apiculæ ingentes animos parvo corpore includi. Nihil enim magnum locale capitur exigua re locali: & parvum corpus atque ingens animus est apiculæ. Non ergo capitur corpore extra se; igitur est; sed extra se nihil esse potest. Est ergo totus in corpore, sed magnum corporeum corporeo parvo non capitur, quia tam magnum replet locum, quam magnum quidque locale est. Aut igitur anima illocalis est, & per hæc incorporea erit, aut secum tota non erit. Sed nihil esse nisi secum potest. Illocaliter ergo in re parva res magna est. Non igitur localis est animus, & nihil illocale corporeum: corporeus igitur non est. Quidquid autem corporeum non est, non mole censendum est. Non ergo ex magnitudine corporis animi magnitudo.

VI. Quorsum autem evadas, nunc videamus. Apicula tibi corporis, camelus animi magnitudinem negat. Videris ne istiusmodi rationibus sententia tibi placita labascat? Ne secundum corporeas quantitates, numeris, ponderibus & mensuris animi magnitudo subjaceat, qui & parvus in magno totum tenet, & magnus in parvo non effluit. Sed forte corporaliter metiri animus non potest, & pendi potest. Is dicere audeat scire se posse, quot animus secundum pondus possit esse librarum, qui comprehensum tenet quot sit secundum longitudinem pedum. Vestigia vero numerorum in corporibus trifaria dinoscuntur. Loco etenim primo, ut sit corpus maximum vel minimum, unum id esse necessum est, quod scilicet a numero ille est. Secundo, quot partibus constat; quæ profecto partes, ut jam diximus, dextra & læva, sursum ac deorsum, ultro & citro sunt. Tertio, quot juxta præfatam diversitatem partium, secari omne corpus in partes potest; quarum item pars qualibet partium corporis propter vim primigeniam numeri & unum corpus erit, & totidem partibus constabit, & perinde in partes secari poterit. Modo tu videris utrumnam cum cujuslibet animantis una sit anima, dividi hæc eadem possit ut iterum quotalibet pars animæ anima sit, sicut quotalibet pars corporis corpus est. Quod quia sanorum neminem reor posse dicere, terendum tempus non est in earum discussione caussarum, quæ

a Matth. VII. 3-5. Luc. VI. 41. 42. b Prov. VI. 6. c Matth. XXIV. 20.

1. Virgilius *Georg.* IV. ℣. 23. 2. Virgilius *Æn.* II. ℣. 402.

suapte natura tam claræ sunt, ut obscurari potius disputatione minuta videantur.

A

CAPUT IV.

De mensura, numero & pondere corporis.

I. IN illud nunc magis, nisi contemnis, advertas animum, ut tibi, in quantum se videri dignabitur, mensuræ, ponderis & numeri vis divina pandatur. Dici nempe de Deo legimus: [a] *Mensura, numero & pondere omnia disposuisti*: quo potissimum testimonio in id scilicet usus es, ut exin probatum velles, animabus quoque nostris corporeas quasdam inditas quantitates. Videamus igitur: B mensura hæc, pondus hoc, numerus hic ubinam loci fuerint, quandove esse cœperint, ut ad istorum quasi exemplar Deus universa formaret? Si nihil increatum nisi creator est; hæc ergo creata sunt. Si creata sunt; non igitur omnia Deus mensuris, numeris ponderibusque disposuit. Quandoquidem hæc ipsa non secundum ista formavit. Sed auctoritati divinæ obviare nefas est. Numeris ergo, ponderibus & mensuris universa creata sunt. Mensura ergo, pondus & numerus non creata sunt: quia non secundum eadem creata sunt omnia, si & ipsa creata sunt. Heic omnibus cogitandi viribus enitendum est, ut quoquo modo possit agnosci, non hoc esse pondus principale quod penditur, sed quo C penditur: nec eumdem esse numerum qui numeratur, sed quo numeratur: nec mensuram quæ metitur, sed qua metitur. Sicut item non hoc est magnitudo quod magnum: nec hoc æquale quod æqualitas, nec hoc pulcritudo quod pulcrum. Nihil enim creatum per se magnum est; sed ex minoris comparatione magnum aliquid dicitur. Hinc est quod montem parvum dicimus, & grande milium. Grandem quoque muscam, & bovem parvum. Cum vero ad ipsam creatricem venitur magnitudinem, quia comparari non potest, nec major nec minor est. Sic & in his principalibus formis ratio par est, quas Plato ideas nominat. Nam secundum eamdem quadrati legem fabricamus & quadratam tabulam & D forum quadratum. Et cum forum majus quadratum sit, non tamen magis quadratum est. Hinc capias oportet indicium illius non pensi ponderis & immensurabilis mensuræ, & innumerabilis numeri: quæ tria simul æquiterna, semper individua, ubique & ubicumque tota, unus Deus sunt.

II. Omnia etenim corpora quibus quidquam vel numeramus, vel pendimus, vel metimur; numerabilia sunt, & ponderabilia, & mensurabilia. Nam & numeri in corporibus certus est modus, & ponderculi trutinæ certum est pondus, & decempedæ certa mensura est. A cujus magnitudine & citra recurri licet usque ad uncias, & semiuncias, & E usque ad minimum, citra quod nihil est. Et ultra item progredi usque ad maxima, & ipsius quoque mundi inaccessa nunc sensibus spatia. Habet enim certum magnitudinis modum, quidquid finale est. Proinde mundi moles universa, quoniam ex finitis est compacta corporibus, quippe cum alterum corpus alteri finem faciat; procul dubio ipsa finalis est, proptereaque mensurabilis. Trans quam si quid spatiorum humana mens cogitat, in ea certe ratione mensuræ per corporales formas mitti posse non dubitat: quod quidem ita posse fieri veritate claret, si ullus extra mundum locus est. Sed quoniam extra omnem locum locus esse non potest, localis mensura ubi locus est, non accedit: & quum desit quod metiri possit, quo possit metiri superest, quia finito mensurabili immensurabilis mensura non deficit. Eatenus equidem ratio ponderis, eo quod pendi potest, cessante non interit. Et numerus finito numerabili non finitur. Igitur si immensæ lucis splendor aliquo nobis fulgore subrutilat, necessario scilicet istinc admonebere, ut paullulum seposita carnalium fallacia visionum, dicas nobis decempedæ forma corporeæ [1] cui nostrum visibilis sit? Sed quia hanc, nisi nimium fortasse succenseas, corpori contemplabilem non negabis: consequenter quæro, illam immensurabilem de qua supra sumus locuti, mensuram, animo ne an corpori dicas esse conspicuam? Sed non ita quempiam veritas deserat, ut divina corpori visibilia fore contendat, cum nec corpora videri ab hoc nisi animato cognoscat, aut, ut dicam verius, animam potius per corpus, quam quidquam per se sentire corpus intelligat. Duplex est ergo videndi vis animæ. Videt mensuram, pondus & numerum per se: videt mensurabilia, numerabilia & ponderabilia per corpus. Ergo per corpus videt quæ sunt similia corpori, id est, corpora; incorporea vero per se, quibus est ipsa similis.

III. Nunc si placet, quoniam mensuris, ponderibus & numeris omnia disposita sunt, eorumdem in creaturis signa quæramus. Imum certe elementorum omnium terra est: in rotundo scilicet illud imum constat esse, quod medium est, quia in rotundi extimis imum non est. Quælibet ergo terræ pars magna vel minima, ut lapillus exiguus, vel minutissimus pulvisculus qui puncto visibili contingi non queat, habet & mensuram pro modulo sui, & numerum pro ratione partium, quibus distant superiora ab inferioribus, dextra a sinistris, a posterioribus priora. Unde etiam quamlibet minimum dividi in duo potest, quia corpus est. Pondus vero illius hinc animadvertitur, quod ipsum minimum ab origine sua sublatum, & in aqua, superiore videlicet elemento dimissum, motu infatigabili non quiescit, donec naturali pondere ad solum terræ pervenerit. Hunc ad modum rationis tramitem in reliquis oportet tenere corporibus, quia & aquæ guttulam quam digito tincto sustuleris, habentem scilicet pro magnitudinis modo mensuram, pro partium distantia numerum; lege ponderis si dimittas in aerem, non residet nisi ad sua pervenerit. Aeris quoque ratio par est, cujus nihil vel sub aqua contineri, vel supra ignem ferri potest. Quod si quo pacto fiat, necessitate ponderis vel hinc naturaliter erumpat, vel inde sponte decidat. Mensurabilem vero aerem & pro numero partium numerosum, vel hinc, ut arbitror, liquet, quod corporeum metiri posse mundum sciant, cujus aer tertia pars est. Sic etiam ignis elementum quarto jam constitit loco, quod & pro partibus suis recipit numeros, & pro spatio, quia finale est, mensuris subditur. Pondus autem ignis iste terrenus quasi quoddam semen ignium supremorum sursum versus habet; qui quanto majore fomento pastus, majorum fuerit virium: velut in patriam tendens subtili natura magnas partes stipati aeris irrumpit, & nisi eumdem elementi alterius profundum vinceret, quo per naturam rapitur perveniret.

a Sap. X. 11.

1. *Cui nostrum*] Al. *cui non*.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 470.



CAPUT V.

De mensura, numero & pondere animæ.

I. Ecce patuit nihil esse corporeum, cui non sit mensura, pondus & numerus. Nunc quoniam eorumdem est & partilis unitas, & locale pondus, & magnitudo mensurabilis: utrum tria hæc eatenus in anima, ut in corpore, sint quæramus. Magnum certe corpus longitudine & latitudine & altitudine dicimus, cujus utique spatium grande vel parvum pro sui capacitate censemus. Ergo tantum quidquid corporis quodcumque corpus recipit, quantum pro amplitudine capax est. Sic equidem transcenso inferioris creaturæ gradu sublimiorem creaturam cerne, & animi magnitudinem sui capacitate metire. Ecce capax est anima humana sapientiæ: capax namque est ejus, qua intelligens est. Ergo ut ante indeptam sapientiam, sapientiæ capax dici non potest; sic ante quam particeps ejus fiat, sapiens dici non potest. Istic ergo percunctatum venio: spatium ne loci fore judices, an illocale aliquid quo capitur sapientia? Ego sic censeo, quod si secundum spatium sapientis anima sapientiæ capax est, ergo secundum molem magna est sapientia. Quod [1] quia non sinit dici veritas, illocale est quod capit, ut illocale possit esse quod capitur. En tibi humani animi sine mole magnitudinem. Numeri nunc intuere rationem.

II. Animadvertisti, ut arbitror, hæc esse in corporibus signa numerorum, quod scilicet numerosa sint corpora, quæ sibi secundum præstantissimam numeri æqualitatem partium parilitate respondeant: ut quoniam unius ad unum, & duorum ad duo, & ad tria trium summa æqualitas est; sic itidem illud numerosum corpus esse dicamus, quod rata dimensione formatum, ut verbo tenus humanum, quæ sunt bina sic habeat ex adverso posita, ut sibi nec magnitudine, nec spatio, nec loco differentiant, ut sunt aures & oculi. Quæ item singula, ut nasus & os medium locum teneant. Atque ut esse pulcra possint, concinentiam summæ æqualitatis imitentur. Quatenus igitur numeri veritatem in anima reperiamus humana, primum debet ipsa sibimet actitandi rationem pro virtutum parilitate concinere, ut sapientiæ justitia, temperantiæ fortitudo respondeat; quæ parilitas utique numerosa est, quia tanto est numeris vicinius, quanto est quidquam concinentius. Sed illud in anima numerosum potius arbitror, quo eadem scientialiter compos est numeri; ut non partibus, sicuti corpus, numerosa sit, sed ipsum dignoscat, & secundum eumdem judicet numerum. Nam tria & quatuor septem fore; & hæc tria & septem decem, nulla præter humanam animam vel potest scire vel poterit. Sicut igitur de mensura claruit, ita & de numeris satis apparet, esse hos in corpore visibiliter, in anima intellectualiter.

III. Restat nunc ut de pondere disputemus. Corporum pondus illud esse patuit, quo eadem in regiones suas unde primordialiter exsistunt, naturaliter feruntur: nec quiescunt, quoadusque transmisso elementi alterius spatio, in sua perveniant. Animæ vero pondus voluntas est ejus, quæ proprie magis amor dicitur, quo scilicet vel se ipsam, vel alia A quælibet amat: sive enim sibi incorporea diligat, ut est vera sapientia; sive corpori corporea concupiscat, ut pulcra sunt corpora: illocali amoris pondere rapitur, donec amatorum adeptione potiatur. Igitur pondus corporis quocumque corpus tulerit, mensuras ejus & numeros indissociabiliter secum trahit. Item pondus, hoc est, amor animæ, in id quod diligit, & memoriam & consilium secum cogit; quia nihil aliud meminisse vel cogitare valet, nisi illud cujus amore fervescit. Unde divinitus homini dicitur: [a] *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.* Videlicet ut sicut corpus pondere cogitur in propria, sic anima pondere referatur in patriam. Hoc pondere suo ta- B men anima non solum aliis jungitur, sed ipsa quoque solidatur; quia consilii ac mentis amore medio, & mens consilio, & consilium mente diligitur.

CAPUT VI.

De mensura, numero & pondere divinæ Trinitatis: quomodo hæc tria ipsa Trinitas sit.

Sic & incorporalier cuncta supereminens unitas præcelsissimæ Trinitatis mensura est, ut ajunt, sine mensura, & pondus sine pondere, & numerus sine numero. Pondus ergo quo hæc eadem secum ineffabiliter unum sunt, caritas est Patris & Filii, C quem Spiritum sanctum Apostolus proprie insinuans, [b] *Caritas*, inquit, *Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*: evidenter ostendens, isto pondere, divina scilicet caritate, illum ineffabilem numerum illamque mensuram illo stabiliter ferri quo tale pondus accesserit. Igitur tria hæc inseparabilia sunt in corpore, sed multo magis in anima; & individua sunt in anima, sed multo magis in se. Et sicut nihil sine uno creatore, hoc est, ipsa Trinitate exstitit; ita nihil omnino esse potest, quod non & trifariam subsistat, & unum sit: omne scilicet corpus, & unum erit, & mensurabile erit, & numerabile, & ponderabile. Et omnis anima rationalis tribus individuis, *memoria*, *consilio*, *volun-* D *tate* subsistit, quibus capax est mensuræ, ponderis & numeri. Secundum hæc de mensurabilibus quibusque, ponderabilibus & numerabilibus, hoc est, de corporibus judicans; quæ si corpus esset, incorporea certe non caperet, sicut corpus etiam judicari posset, & de corporibus judicare non posset. Permanat ergo a summo quod Deus est, per medium quod anima, [2] ad imum quod est corpus, unitæ specimen Trinitatis, corporibus signa sui imprimens, animabus etiam notitiam tribuens: illa formans visibiliter, has intelligibiliter. Cum ergo [3] nihil substantia nisi absentia capiat, & nihil nisi tribus, sicut supra differuimus, unum fiat; quando tanta est unitas in corpore, hoc est in vestigio Trinitatis, E quanta est in anima, hoc est in imagine Trinitatis; & item cum tanta sit in imagine, quanta est in ipsa Trinitate.

CAPUT VII.

Paganis utitur testibus, nullas in anima corporeas esse mensuras vel localia pondera.

I. Sed quoniam nunc tempus aliud est, quam ut de quæstionis hujus præeminentia copiosius disputemus; tantum scilicet in his moratus sum, quan-

a Matth. xxii. 37. *b* Rom. V. 5.

1. *Quia non sinit*] Al. *quia sinit*.
2. *Ad imum cet.*] Al. *ad imum quod corporea*.
3. *Nihil subst.*] Orthodox. *nihil substantiam nisi essentia cap.* Forte leg. *nihil substantiæ nisi essentia cap.*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 470.



tum prudentibus ſatis arbitror, quoad plene cogno- A ſcant nullas in anima corporeas eſſe menſuras, vel localia pondera, vel partium ſpatia; ſed illud ab ea percipi, quod nec locus capit, nec pondus movet, nec diviſio minuit. Modo tu, arbiter docte, probaveris [1] juſtam gnarus ferre ſententiam, anne ſit locus quod illocale recipit, an partile quod ſecari nequit, an menſurabile quod infinitum capit. Nunc ad Philolaum redeo, a quo dudum magno intervallo digreſſus ſum, qui in tertio voluminum quæ περὶ ῥυθμῶν καὶ μέτρων prænotat, de anima humana ſic loquitur: *Anima inditur corpori, per numerum & immortalem eamdemque incorporalem convenientiam.* Item poſt alia: *Diligitur corpus ab anima, quia ſine eo non poteſt uti ſenſibus. A quo poſt-* B *quam morte deducta eſt, agit in mundo incorporalem vitam.* Non ego nunc rationum tramitem per nexuoſiſſimas quæſtionum minutias revolvo, quibus hæc probabilia, quo voles adverſante, Philolaus effecit. In quæ ſi quis vel curioſitate, vel ſtudio forte flagraverit, de ipſo ſcilicet fonte hauriat. Enimvero memet cauſſa auctoritatis in eumdem tanti teſtimonium philoſophi jeciſſe ſufficiet, ſicuti ceterorum poſt hinc ſtrictim proferre conveniet. Injuria nempe a quoquam poſcitur, & argumentum pariter & teſtimonium.

II. Archytas perinde Tarentinus, idemque Pythagoricus, in eo opere quod magnificum *De rerum* C *natura* prodidit, poſt multam de numeris ſubtiliſſimamque diſputationem, *Animam*, inquit, *ad exemplum unius compoſita eſt, quæ ſic illocaliter dominatur in corpore, ſicut unus in numeris.* Quid quæſo præcelſius dici poteſt? quid verius? *Ad unius* videlicet *exemplum compoſita*, quia ad unius imaginem facta eſt. Et idcirco unus eſt, exemplum principale formarum, quoniam formabilia ab illo formas capiunt, qui non cepit. Eromenes Tarentinus ex eadem ſchola Pythagoræ, præmiſſis pro ſtatu ſententiæ ſuæ inſolubilibus argumentis, de anima ſic pronuntiat: *Longe aliud anima, aliud corpus eſt, quæ & corpore torpente viget, & cæco videt, & mortuo vivit.* Unde autem, ſi hoc eſt, quo prin- D cipio neſcire ſe dicit? Sed non ita nunc omnium philoſophorum Pythagoricæ familiæ ſententias perſequor, ut eaſdem copioſius aggerando, de alienis admodum voluminibus meum faciam, ſatis arbitrans memet principium Pythagorici gymnaſii de præſenti quæſtione ſcita evidentia protuliſſe. Certus ſcilicet neminem refutare doctorum, quin hoc idem ſenſerint ſcriptoque prodiderint, Archippus, Epaminondas, Ariſteus, Gorgiades, Diodorus & omnes Pythagoræ poſteri: quorum videlicet nominum, ne dicam ſententiarum multitudinem, ſi eadem prodita velim, volumen efficerem.

III. Igitur Plato procedat in medium, a quo ve- E re claret, quam magnum in ſemet bonum genus humanum negligat noſtro præſertim ſæculo, quo dictis factiſque cælitus editis, eatenus religio conclamata eſt, ut pæne jam credentibus labore ſubmoto, tempore fidei ſcientiæ fructum capeſſat laboriſque mercedem opere non patrato percipiat. Quo fit ut mirari admodum digne nequeam hujus Platonis animam, qui tantis equidem ſæculis ante puerperium Virginis, ante incarnationem Dei, ante hominis reſurrectionem, ante prædicatam ſummæ Trinitatis in gentibus unitatem ineffabilem, Unum, tres in divinitate perſonas, laudabili auſu, mirabili ingenio, inimitabili eloquio quæſivit, invenit, prodidit, Patrem Deum paternamque mentem, artem ſive conſilium, & utriuſque horum amorem mutuum, unam, ſummam, æquiternam, indiviſam divinitatem, non ſolum ita credi oportere docuit, ſed ita eſſe convicit. Perſuadere mihi non poſſum, quod philoſophi hujus anima corporea fuerit: ac ſi forſan præcipiti lapſu ſtultitiæ, ulla anima corpus eſſe judicanda eſt, illas equidem corporeas judicaverim, quæ ſe corpus eſſe credunt. Non per hoc animarum generi derogans, ſed quoſdam ſententiæ ſuæ improbitate, non mea ſponte denotans, & quid de hominibus fiat, quos cum eouſque inſcitia teneat, ut indoctos ſe eſſe neſciant, ſcientiæ nihilominus privilegium ſibi vindicant: dumque in imperitas aures verborum puerilium ſpumas exſpuunt, uno eodemque mendacio ſemet ſcientiæ fallunt, alios docendo decipiunt; Lyſiæ ſimiles, quem Plato idem caſſa rerum verba fundentem, in Phœdro eatenus increpat, ut eſſe deterius adſtruat gnarum verborum, ignarum eſſe cauſſarum, quam neſcientem rerum verba neſcire, potius arbitrans imperitum ſilentium loquaci imperitia. Unde etiam Tullius libro de Oratore primo: *Eloquentia eſt*, inquit, *ſcientia comprehendendarum rerum plurimarum, ſine qua verborum volubilitas inanis atque irridenda eſt.* Et paullo poſt: *Etenim ex rerum cognitione efflorescat & redundet oportet oratio; cui niſi ſubeſt res ab oratore percepta & cognita, inanem quamdam habet locutionem & pæne puerilem.* Sed hinc alias.

IV. In Phædro autem Plato de anima ſic pronuntiat: *Anima*, inquit, *immortalis eſt, quæ ſemper a ſe ipſa movetur, & aliis cauſſa motus eſt.* Corpus autem per ſe non movetur. Non ait tantum, *movet alia*, ſed, *aliis cauſſa motus eſt*; animadvertens equidem vir excellentis ingenii, fore nonnulla quibus ſit moveri proprium, cauſſa motus alieni. Quidquid enim voluntarie movetur, ipſum fere ſibi cauſſa motus eſt. Quod autem movetur vel neſciens vel invitum, penes ſcientem vel cogentem cauſſas motus habet. Nec repugnat anterioribus noſtris diſputationibus, quod iſtic a ſe moveri animam dicimus, cum principalem motionum cardinem in Deo eſſe dicamus. Quoniam id ipſum fere a Deo illi eſt, ut ſponte moveatur; videlicet ut ſicut cauſſa motus animi voluntas eſt ejus, ſic ſubſtantiæ quæ utitur voluntate, cauſſa ſit Deus. Quia etſi poſſe velle nobis ex Deo eſt, non omnis voluntatis noſtræ motus erit ex Deo. Vel tunc reor: cum voluntate peccamus, noſtri cauſſa motus ex nobis eſt, ne peccatorum Deum faciamus auctorem. Quocirca ſi corpus a ſe non movetur, & corpus non eſt quod ſibi cauſſa motus eſt: quia in ſe motus ſui cauſſas habet anima, non eſt corpus.

V. Idem Plato in libro quem περὶ φύσεως ſcripſit: *Anima*, inquit, *animantium omnium corporalis non eſt, ipſaque ſe movet, aliorum quoque agitatrix quæ naturaliter mota ſunt.* In Phœdone autem ſic apud eumdem Platonem, cum Simmia & Cebete aliiſque philoſophis Socrates loquitur: ut cum videamus illic valde conſentanea noſtriſque oppido convenientia pronuntiari, quæ non ſolum præjudicio auctoritatis utuntur, ſed virtute rationis adminiculantur; animadvertamus præter nativum humanæ mentis vigorem, haſce videlicet animas, quæ tam remota perſecutæ ſunt, tam clauſa adierunt, tam perita viderunt, idcirco ſcilicet lumine veritatis afflatas, ut in ſalutem generis humani, toti quandoque mundo divinitus [2] ederetur dogma; apud

1. *Juſtam gnarus*] Al. *juſta ignarus*.

2. [illegible]] Al. [illegible] *tum*. Al. *editum eſſet*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 470.



rudes vero gentium mentes, gentilium testimo- A niis uterentur; quo magis ignorantiæ nubilo cæcata, & infidelitatis frigore in quamdam glaciem durata gentilitas, evangelicæ veritatis calori cederet, si eadem veritas adversantium quoque sibimet ore sonuisset. Aut cur non hæc eadem per philosophos nobis in usum veri cælitus procurata credamus, quæ ad redarguendam nostrorum quoque imperitiam utilia fore cognoscimus? Persuadens igitur in Phœdone Socrati sic ait vera ratio: *Donec corpus habeamus, permixtusque sit tali malo noster animus, numquam nos, id quod jam olim concupiscimus, satis plene consecuturos. Concupiscimus autem veri scientiam. Corpus enim nobis primum innumerabiles & infinitas occupationes infert, quibus conterimur ob* B *necessarium victum & alimentum quotidianum. Deinde si qui morbi ingruerunt, impedimento sunt quo minus inquirere & invenire veritatem possimus. Nam cupiditatibus & timoribus innumerabilibus, variarum rerum appetitionumque visionibus, & infinita quadam dementia corpus oneratur, ut præ illo ne sapere quidem ulla in re possimus. Et si quando tempus aliquod ad philosophandum vacuum vel habuerimus vel fecerimus, tunc quoque in ipsis cogitationibus nostris corpus intercurrit, turbam errorum inferens menti, ut obcæcante illo veritatem pervidere non possimus. Itaque unum hoc in omni quæstione nobis, & id quidem evidentissime probatur. Si quid umquam bona fide scire volumus, recedendum* C *esse a corpore, & in ipso animo res considerandas. Tunc enim videmur consecuturi quod concupiscimus, & cujus rei amatores nos profitemur, cum defuncti erimus: nam dum vivimus, desperandum est. Etenim si constat nihil sinceri mixtum corpori animum pervidere posse; sequitur alterutrum, aut nullo tempore nec usquam contingere homini veram scientiam posse, aut tunc demum cum excesserimus e vita. Defunctorum enim animus liber est, & solutus a corpore. Eo autem tempore quo vivimus, ita demum appropinquabimus applicabimurque scientiæ, si nihil aut quam minimum corpore utamur, neque in societate ejus, nisi quatenus necesse est, animum dimittamus. Ita enim minime replebimur vitiosa turbulen-* D *taque natura corporis, sed puri a contagione ejus, in quantum facere possumus, erimus. Et si ita fecerimus, incorrupti sincerique digredientes, ad omnia incorrupta sinceraque veniemus.*

VI. Hæc ad verbum ex dialogo philosophi admodum principis excerpenda, atque huic nostro inserenda volumini ratus sum. Non arbitrans fore quempiam illectamentis fallaciarum corporalibus obsistere solitum, qui hasce repugnantias in semet ipso sentiens, disparium naturarum corporis atque animi, teste se in hoc ipsum sibi, indiscussis equidem longe maximi inter philosophos viri disputationibus assentiatur, E interque animum corpusque suum præside ratione disceptet: Quidnam sit illud quod, ut ajunt, corporeus animus ab omni inventione occursante sibi semper extrarii corporis præpediatur obstaculo: Aut cur extrarium corpus in reatum vocet, quod semet a contemplatione veri revocet, cum sibi ipse sit impedimento, si corpus est. Sed super his non argumentabor. Ipsa per se nimirum veritas claret, nec ornamento aut adjumento extrinsecus indiget, quæ & pulcrior & fortior nuda est. Hinc egomet testium meorum indefensis hactenus mihi testimoniis utendum ratus sum; quia penes illos tantum, qui toto sui admodum corpus sunt, de hisce veritatis vadibus dubitabimus.

VII. Verum quid hic idem Plato in Hipparcho, quid in Lachete, in Protagora, in Symposio, in Alcibiade, in Gorgia, in Critone; quid in Timæo, etiam arce quadam [1] & quodam philosophiæ vertice, de anima pronuntiaverit, placitæ brevitatis gratia missum facio. Neque enim refert ad agnitionem veri, quid de eodem sæpius quisque dixerit, quam quid senserit quærere. Quia in sæpe dictis nec uberior est cognitio rerum, quam sit prolixitas onerosa verborum. Quapropter in adstructionem veri magis considerandum est, quid unum multi senserint, quam quid unus sæpe dixerit. Ego tamen Platonem, prout mea opinio est, philosophorum omnium merito principem, in negotium præsens admiratione sui pellectus, testem sæpe vocitavi; quamlibet quæ plura istic ejusdem legas, innumeris comparata quæ super anima dissertavit, pauca admodum censeas. Sed nec Porphyrius Platonicus, multis post Platonem sæculis, a magistro uspiam in hac eadem caussa dissensit. Illustri quippe voce genus humanum suæ dignitatis admonuit: *Si beati*, inquit, *esse volumus, corpus est omne fugiendum.* Est ergo incorporeum quiddam in nobis, cui adversa corporis universi contagio est. Et quid istud erit, nisi imago Dei; & quid imago Dei, nisi humanus animus? qui si in corpore beatus esse non potest, & incorporeus non est, numquam beatus erit, qui sine se non erit.

CAPUT VIII.

Romanis philosophis utitur testibus de animæ incorporalitate.

PLurimorum in negotium præsens philosophorum plurimis testimoniis usi sumus, multosque ex eadem Græcia, si vel caussa posceret vel ratio sineret, proferre possemus. Sed ne localiter veritatem quæsisse videamur, ut hæc eadem ab una tantum videri gente quiverit, & aliis ignorata sit; cum veri compos humana substantia non sit regione, sed genere: Romanos etiam eosdemque philosophos testes citemus, apud quos Sextius pater Sextiusque filius propenso in exercitium sapientiæ studio apprime philosophati sunt, atque hanc super omni anima attulere sententiam. *Incorporalis*, inquiunt, *omnis est anima, & illocalis atque indeprehensa vis quædam, quæ sine spatio capax, corpus haurit & continet.* Acrius isti, ni fallor, abstrusas rerum rationes ingressi sunt, quam nonnulli nostrates, qui cubiculariis disputationibus de sublimium indage caussarum aliquid soporiferum in lectulis oscitantes, perpellente copia tepentium næniarum, stolido laudatore veternosas anilium opinionum suspiciones edormiunt, innexamque visceribus animam, corporis claustris includi & contineri decernunt. Sed istuc imperitiæ veri vacuæ figmentum, prout locorum ratio poposcit, & superiore libro discussimus, & prolatis nunc summorum magnis auctorum testimoniis, in rem sui nobis opitulante veritate, rationis quoque [2] viribus refellimus. M. Varro, sui sæculi peritissimus, & teste Tullio omnium sine dubitatione doctissimus, quid in Musicis, quid in Arithmeticis, quid in Geometricis, [3] quid in φιλοσοφουμένων libris divina quadam disputatione contendit, nisi ut a visibili-

1. *Et quodam philos.*] Al. omittunt *quodam*.
2. *Viribus*] Al. *verberibus*.
3. *Quid in φιλοσ.*] Al. omittunt *quid in*.

bus ad invisibilia, a localibus ad illocalia, a corporeis ad incorporea, miris [1] æternæ artis modis abstrahat animum, & in corpora, hoc est in adversa sibi dilapsum sui compotem faciat? Cui si corpus esset, corpus adversum esse non posset. Quid ego nunc Zoroastri, quid Brachmanum ex India, quid Anacharsis e Scythia, quid vero Catonum, quid M. Ciceronis, quid Chrysippi, (qui ab ipso pæne principio sui operis animo dominandi jus tribuit, corpori legem servitutis imponit) in defensionem veri sententias afferam? Quid orbis universi de animæ statu nobis concrepare judicium, in his dumtaxat qui merito enituere, convincam?

CAPUT IX.

Ecclesiasticis doctoribus utitur testibus de animæ incorporalitate.

I. Facile profecto hoc idem factu mihi esset, nisi adjici quæpiam, coacta testium turba non fineret, & divina jam nunc oracula pandere vel tempus foret, vel ratio commoneret. Atque ut ad ipsos cælestium voluminum fontes illis fere ducibus qui ex eisdem largius hausere veniamus, Gregorius Nazianzenus in Apologetico, magnum videlicet inter animam & corpus clamat esse discrimen; atque ut corpus corporalibus pasci, sic animam C incorporeis saginari. Beatus Ambrosius ad Mediolanensem in ecclesia populum verbo doctissimo atque eruditissimo: *Sequestremus nos*, inquit, *a corpore, contra quod nobis, si salvi esse volumus, juge certamen est*. Una præcellentium eademque sententia non nisi eodem intellectu animadvertenda est, eodemque tractanda sermone. Dicam nunc igitur quod sæpe me, dum ad id locorum ventum esset, dicere memini. *Sequestrari nos a corpore*, Ambrosius oportere persuadet. Quis ergo iste sit, cui a corpore sequestrare conveniat quæro? Ex anima enim sumus & corpore. Ac per hoc cum sequestrari a semet ipso nequeat animus, nihil in nobis est quod sequestrari possit a corpore, si corpus est animus. D Cur, sancte Ambrosi, cur taliter doces? Cur sponsam Christi cœno falsitatis oblinis? Cur eamdem a via veritatis sævæ prædicationis impulsu, in devia abrupta propellis? Cur sequestrari oportere a corpore corpus perhibes? Quidnam istud quæso proderit homini? Num quia hominis interioris est natura subtilior, quæ tamen non est nisi corpus; idcirco eamdem disjici convenit atque separari? Numquid quoniam in hac structura mundanæ molis quædam subtiliora & leviora, quædam crassiora atque graviora sunt, idcirco tenuioribus universam solidi hujus convenit rupisse compagem? Aut beatior aer erit, si cum aqua ac terra non fuerit? Hisce falsiloquiis circumgarrientibus, istiusmodi fert E ille responsum: Quædam nobis oboritur verborum nuda, virtutis cassa, rationis aliena, veritatis vacua, vanitatis cava, superbiæ tumida, novelli hujus schismatis sine auctore doctrina, elata supercilio, abjecta mendacio, referta convicio, creatori potestatem subripiens, imagini dignitatem, quam miro stultitiæ genere comparationibus substantiæ corporalis infamat. Afferens scilicet tam nihil animo profore quod valeat corpore secerni, quam non sit aeri conducibile crassioribus mundanæ molis corporibus separari. Porro si qui estis uspiam gentium, quorum ingeniis cesserint arcana caussa-A rum, adeste præpetes, vosmet ignorantiæ plectite. Novum dogma miramini: Animæ dignitatem cæpessit in solido mundi, portio corporis quarta mundani. Hæc ergo nimirum animarum omnium major est anima, proque sui mole magis sapiens. Itaque nunc tanto potius quispiam prudentiæ compos erit, quanto aeris hujus pro sui capacitate plus hauserit. Nec injuria genus humanum naturam incusavit, quæ quanto majores hominibus boves lucas edidit; eo videlicet beatiores, quo capaciores. Sed hactenus satis Ambrosius, qui vel solus profecto sit satis. Faxim tamen & aliis testificandi locum.

B II. Aurelius Augustinus, & acumine ingenii, & rerum multitudine, & operis mole veluti quidam Chrysippus argumentandi virtute, aut Zeno sensuum subtilitate, aut Varro noster voluminum magnitudine, & qui profecto talis natura, attentione, disciplinis exstiterit, ut non immerito ab istis corporalibus nostri sæculi Epicureis aut Cynicis, spiritalis sophista dissenserit, libro ad Hieronymum de origine animæ sic pronuntiat: *Incorpoream esse animam etsi difficile tardioribus persuaderi potest, mihi tamen fateor esse persuasum*. Cumque id ita fore rationibus magnis atque insolubili argumentatione convincat, ac super hoc Hieronymi sententiam poscat, laudis suæ tantum a Hieronymo scripta recuperat: quin haud dubie Hieronymus nihil de anima sentiri dicit verius, nihil disputare posse perfectius. En tibi duos præclarissimos virtutum doctrinarumque præminentia longe porro præditos super statu animæ sentire nobiscum, inermemque te auctoritatis pondere & rationis viribus prosternere, qui disparatis corporibus vanitate sapientiæ, duas animas vis unam facere. Unde multum miror Hieronymum tibi testem citatum, quum potissimus tractatorum minime potuerit & pro anima & in animam disputare. Quamquam quæ ex eodem adversum nos haud intellecta posuisti, nos eo usque conducant, uti quam callide non adversarius, verum prævaricator subornatus esse videaris, qui velut assentante colludio feceris nos tuis admodum testibus vincere. Quippe gloriosum victoriæ genus est, ab eo cum quo decertes arma capere, quæsitumque adversario testem illinc stare, & istinc dejicere.

III. Ne quid tamen segnem me redhibendæ vicissitudinis arbitreris, prout locus est moneo, consentaneum magis tibi super sententia tua Pictavum Hilarium esse potuisse, qui scilicet inter complura præcelsarum disputationum suarum quiddam secus sentiens, duo hæc veris adversa differuit: Unum quod nihil incorporeum creatum dixit; aliud, quo nihil doloris Christum in passione sensisse. Cujus si vera passio non fuit, redemtio quoque nostra vera esse non potuit. Sed quoniam beatus Hilarius opinionis hujusce vitium virtute confessionis abolevit, sic sustinet reprehensionis stilum, quod non patitur detrimenta meritorum. Quapropter eatenus divinarum tractatoribus scripturarum fidem adhiberi par est, quoadusque eidem tenori veritatis adstipulantur. Sed quamquam nonnullis dissertatoribus proferendis necessario supersederim, dum ad oracula divina ex quibus eorumdem pendet auctoritas, jure festino; haudquaquam tamen Eucherium præterierim, mihimet viventem doctrina & præsentaneis coram disputationibus cognitum, non

1. *Æternæ artis*] Al. *æternitatis*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 470.

porro nuntiis aut lectione compertum: qui scilicet A viridis ævi, maturus animi, terræ dispuens, cæli appetens, humilis spiritu, arduus merito, ac perinde ingenii subtilissimus, scientiæ plenus, eloquii profluus, magnorum sæculi sui pontificum longe maximus, editis in rem fidei multijugis variorum operum voluminibus, ad populum quoque his super statu animæ concionatus est. *Quærere*, inquit, *quidam solent, quomodo in Christo misceri potuerit homo & Deus. Quærunt & rationem hujus mysterii quod semel factum est, cum ipsi reddere rationem nequaquam possint ejus rei quæ fit semper, quomodo societur anima corpori, ut fiat homo. Ergo quomodo corporea res incorporeaque conjungitur, & corpori anima miscetur ut homo efficiatur; ita homo* B *conjunctus est Deo, & factus est Christus: & tamen ut fieret Christus, duo illa incorporea; id est anima & Deus, facilius conjungi permiscerique potuerunt, quam miscetur una incorporea aliaque corporea, id est, anima & corpus, ut persona hominis exsistat.* Credo mihi nunc illos, qui æque talibus instituti, ab hisce doctrinis degeneraverunt; pessum facientes salubria sua, & alienis semet noxis obnoxiantes, injusto amantium sui odio eo usque prolapsi, ut extraneos mallent cum falsitate præligere, & Eucherium cum veritate damnare.

IV. Videas hinc alios quiddam socordi trutinare judicio, alios id ipsum aut nescios stulto laudare C præconio, aut sciolos subdolo ridere consensu; hos inter placere sibi illum, quem nemo, nisi aut ignarus laudavit aut callidus. Heic jam feruntur de singulis non pro meritorum, sed pro votorum qualitate sententiæ. Ob laudem præsentium quarumpiam fabularum longe maximi damnantur auctores. Iste ille laudatus ne infra laudantium videatur stare judicium, panniculos quosdam ex diversorum varia lectione concerpit, eosdemque vilibus suis, veluti quibusdam stuppeis adsuit, laceroque vestitu turpior nudis absque furaci meditatione mutus eloquentia palliatus incedit. Cernas hinc alium, situ fœtidarum, turpium ex olenti cænis suis ac tenebris cloaca ventris & oris inhalare sentinam, in- D terque ructandum quasdam suggillatiunculas fringultientem ab alio, qui stipem suam variis conlucernationibus dilapidavit, parasitico more laudari. Inter has hujusdemque modi quisquilias aliquid tu sobrium tuto dixeris ne? Porro magnum aliquod e socordi turba periculum periclitabere: [1] qui dum (*Imperio* [2] *quippe nihil quidquam injustius*) hos ac tales tamen egomet non pavesco. Ac si quis nunc monendi locus est, moneo atque denuntio: quique isti quique sunt alii, qui vel in magnos viros obloquia, vel de rebus summis deliramenta quædam cum computoribus mussitant, aut palam loquantur, aut taceant. Enimvero eruentur mihi atque extrahentur etiam nuncupatim ex abditis te- E nebellarum, qui hactenus delituere. Prænosci vero licet, tacere ne habeam facta quorum nomina non tacebo. Faxint tamen isti quod foret libitum, salubresque monitus spernant, haud impune scilicet. Ego vero præeligerem ab istis cum Eucherio rejici, quam cum istis a veritate damnari. Sed istic nunc locus & tempus est, ut sicut a philosophis ad tractatores, sic a tractatoribus ad authenticos gradum consequa ratione faciamus, suadente modo, scilicet plerisque testium tacitis.

CAPUT X.

Teste utitur ipsa divina sapientia.

I. Audiamus igitur quid imaginis suæ pronuntiet inimicis divina Sapientia: [a] *Dixerunt*, inquit, *impii cogitantes non recte: exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ; & exstinctus cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur tamquam mollis aer.* Impii hæc dixerunt, super quos paullo post eadem Scriptura sic loquitur: [b] *Excæcavit enim illos malitia eorum; quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem suæ similitudinis fecit illum.* Istic ergo temet in defensionem tui acrius permovendum credo, proque caussæ merito in me etiam istiusmodi ferme verba facturum: Quid tu, unde unde contractis testificationibus uteris, haudquaquam tamen veritate pulsantibus conscientiæ nostræ sincerum? Quid autem mea refert; quid porro attinet, impios ob detractam divinæ imagini dignitatem divinitus plecti, cum memet impietatis hujusce laqueis noverim non teneri? Proinde moneo facessas, nec sententiæ talis infamiam mihi mendaciter inuras. Nunc ego nisi renuis, in tua tecum redeo, ex queis arbitrabere, utrumnam istud in impios prophetici sermonis oraculum, [3] an in te sit porrectum? te scilicet, te magis perstringit, qui prætento scientiæ privilegio, contra famam deditus sententiæ, & contra sententiam solicitus famæ, eadem quæ istic velut aliena renuis, & illic itidem veluti propria defendis.

II. Ne quis sit tamen vel mihi secus interpretandi, vel tibi forsan infitiandi locus, inpræsentiarum super quibus agimus utraque videamus. Propheta nempe dicit, Impios dicere, *Exstinctus cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur tamquam mollis aer.* Enimvero tute quid dicis? Nonnullæ sunt, inquis, spirituales naturæ, ut Angeli, Archangeli ceteræque virtutes, ipsa quoque anima nostra vel certe aer iste subtilis, tamen incorporeæ nullatenus æstimandæ. Intende quæso, animum pro te quisque nostri arbiter, ferque judicium, sit ne aliquod prolocutionum harumce discrimen: Impii de humano spiritu, de humana videlicet anima dixerunt, quod diffundatur spiritus tamquam mollis aer. Necessarius hic noster adjungit, quod anima humana & aer iste subtilis æque spiritualia sunt, sed perinde incorporea non sint. Verba nunc eadem, & sensum expende: nam quod illic spiritus dicitur humanus, heic anima. Ita profecto concordat, atque si uterque animam aut spiritum uterque dixisset; qui scilicet illic in mollem fundi aerem dicitur, sicut itidem subtili istic aeri comparatur. Quod ergo diffundi spiritus dicitur tamquam mollis aer, tale est ac si diceretur, Spiritus hoc est quod mollis aer. Itemque, spiritalis est anima nostra & aer iste subtilis; ita est ac si diceretur, Anima nostra hoc est, quod aer iste subtilis. Cumque [4] ex his duobus quod ante dictum est, impiorum blasphemia sit, quod postpositum tua sententia, duoque ista eatenus uniantur, ut sint & negotio & sensu & verbo indiscriminabilia: quid potissimum consequitur, nisi ut aut pro similitudine sententiæ tuæ, si eamdem defensitandum credis,

a Sap. II. 1. 3. b Ibid. ℣℣. 21. 23.

1. Heic deesse aliquid videtur.
2. Terent. *Adelph.* Act. I. Scen. II. ℣. 18.
3. *An in te sit porrectum*] Hæc præterit editio Lugdun.
4. *Ex his duobus*] Hæc item omittit eadem editio.

impiorum quoque sententia laudabilis sit; aut quia plectibilis illa est, tua quoque sit pro ejus parilitate damnabilis?

III. Sed quid diutius vel argumentantes allucinamur, cum super hoc Propheta censuerit. *Dixerunt*, inquit, *impii apud se cogitantes non recte: Exiguum est tempus vitæ nostræ; & exstinctus cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur tamquam mollis aer*. Postque paullulum sententiam quoque interfita disputatione subjungit: *Hæc*, inquit, *cogitaverunt, & erraverunt: excæcavit enim illos malitia eorum*. Et tamquam diceres, Quid in eis culpæ vertitur, quid erroris? ille respondit. Hominem animam corpoream cogitaverunt, & erra- B verunt: ac velut rogaret [1] geminantem; & quid in hoc veritas claudat, ut animam corpus esse quis sentiat, iterat Propheta responsum: *Erraverunt* videlicet, *erraverunt, quia Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem suæ similitudinis fecit illum*. Id est dicere: Adeo tenus non est corpus anima; ut sit imago divina. Est ne aliquid quo ab hinc locorum uspiam progrediaris, tuomet indicio proditus, veritatis viribus captus, Prophetæ testificatione convictus? Sed viderit quisque quod sentiat: prout mea tamen opinio fert, hoc saltem probum quod eatenus differtavimus adversum corporales, pro spiritalibus sat foret, ni par esse ducerem, apostolica quoque aut C etiam evangelica in rem controversiæ præsentis adhibere.

CAPUT XI.

Paullo Apostolo teste pro illocalitate animæ utitur.

IGitur quamquam nonnullis locorum sicubi conduxit, quarumpiam scripturarum testimoniis usus sim; fas tamen est multimodo veritatis gaudio falsiloqui cerviculam salubri concisione concipilare. Paullus doctor gentium, vas electum: [a] *Omne peccatum*, inquit, *extra corpus est. Qui autem* D *fornicatur, in corpus suum peccat*. Si excepto crimine fornicationis, extra corpus est omne peccatum; in anima ergo est. Porro si in anima est, & corpus est anima, non ergo extra corpus est omne peccatum. Sed Apostolus dicit, præter fornicationem extra corpus esse omne peccatum. Incorporea ergo est anima, ut sit aliquid in quo extra corpus possit esse peccatum. Itemque ad Corinthios in eum qui scelere pollutus incesti, novercalem torum pæne matris stuprator illuserat, sententiam promulgaturus sic ait: [b] *Et si absens corpore, præsens autem spiritu, eum qui hoc opus fecit jam judicavi*. Quid istud Apostole Paulle, quid istud est? Quomodo absens corpore es, ubi E spiritus præsens? Si corpus est spiritus, cur non potius ex duobus [2] compactus corporibus, uno absentem, alio præsentem te esse dicis? [3] Aut si unum corpus es totus, cur non parte corporis abesse te, & parte corporis adesse profers? Ut enim corpore Corinthiis te dicas absentem, eo videlicet ferri potes, quia totus in universo tuo corporeus es: verum quod corporeus totus, & per hoc quia absens corpore, absens totus; nescio, quo tui, quo non es, adesse te dicis. Aut mendacii te ar- A guis, aut corporales istos de animæ incorporalitate convincis. Est ne aliquid istic creperum, aut fortassis obscurum, quin quantum corporeus est, absens Corinthiis est? Aut nullo sui, aut per incorporeum præsens est. Incorporeus ergo est spiritus humanus, per quem Paullus Apostolus absens toto corporeo sui Corinthiis potuit præsentari. Hæc & alia ex omni ferme authenticorum voluminum corpore innumera proferre possemus.

CAPUT XII.

De eo quod Apostolus raptum se usque ad tertium dicit cælum.

I. SAna quippe catholicæ fidei doctrina ita tenus intersito gradu ab imis ad media, a mediis ad summa conscenditur, ut rato judicio corpoream creaturam incorporali creaturæ subdens, & summo incorporeo creatori hanc eamdem cum sui inferiori subjiciens in tertium cælum Paulli pedissequos rapiat, qui solidum sensibilis mundi penetrabili mente transmiserint; intentamque aciem ex imo cæli tergo sistentes, redintegratis viribus omne incorporeum creatum potiore nisu pro substantiæ excellentioris dignitate tranaverint, atque hinc redactis paullulum respiraculo pausæ viribus, in suprema incorporea creatoris agnitione constiterint. Quocirca nunc locorum percunctari sedulo corporales istos velim, quæ vera illis super hac apostolica sententia sit. Nam cum se dicat Apostolus raptum usque ad tertium cælum, primum quæro, localiter, an illocaliter sit raptus: & qui tres isti cæli sint, an ne plures horum, an omnes corporei, an ne incorporei quippiam; ut quoniam nos ad id usque loci disputationis ordo devexit, quid istinc sequendum sit, nobis consulta veritate, videamus.

II. Ac primum non usque facile de cælorum numero quæstionem paullo scrupulosius ventilemus. Nempe legimus: [c] *Laudate Dominum cæli cælorum*. Sed istuc & de multis & de binis licet intelligi, ut & plures cæli plurium cælorum, & duo cæli duorum cælorum tacito numeri articulo accipi posse videantur. Ecce terræ contiguis aere tenus aquarum elementum est. Exin profundum aeris usque ad lunaris sideris citimum lumen. Ab hinc ignium ætheriorum spatia usque in extima transmundana, qua σφαιροειδὴς globo mundus includitur. Ubinam nunc exacta universitate corporum quæramus cælum trans omne mundanum? Sed in hoc opaco rerum caligantium nubilo ex adytis supercælestium doctrinarum consulta reperiamus. [d] *In principio*, (inquit principium Geneseos,) *creavit Deus cælum & terram*. Si opinionibus missis, veri fidem quæramus, ecce tibi creaturarum testem ipsum creationis auctorem; qui cum ante omne tempus creaverit cælum & terram, postque die uno fecerit lucem & firmamentum, secundo itidem die condiderit, idque cælum abusivo nomine vocitaverit, cui ratis intervallorum limitibus loco vel modo variantium porro siderum ornamenta subtexuit. Animadverti promtum est hoc visibile firmamentum tanto intervallo substantiæ cælo invisibili cedere, quanto idem terræ imis locorum intercapedine præeminere. Quocirca alieno ac translatitio

a II. Cor. VI. 18. b I. Cor. V. 3. c Psalm. CXLVIII. 4. d Gen. I. 1.

1. *Geminantem*] Al. *geminanti*. 2. *Compactus*] Al. *compacto*. 3. *Aut si*] Al. *At si*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 470.



nomine firmamentum istud *Cælum* dici potest: cum vere esse cælum illi creato ante tempora cælo sit proprium. Enimvero istud stelligerum quod cælum dicimus, in Scriptura Geneseos cæli dicitur firmamentum quippe ubi luminarium creationem retexit: *Fecit*, inquit, *Deus duo luminaria magna, & posuit ea in firmamento cæli*: qua videlicet auctoritate verum illud unum ante temporaneum cælum credere sinimur, quamquam istud de quo agimus firmamentum, *cælum* dicere non inhibeamur, eo videlicet, quia Deus firmamentum vocaverit cælum.

III. Sed movet iterum, quod cæli in authenticis voluminibns non duali tantum, sed plurali numero sæpe vocitantur. Vero autem subjicitur, quod terræ corpus unum in Scripturis dicitur orbis esse terrarum. Ita igitur forsan dicantur *cæli* multi cum duo sint, sicut *terræ* dicuntur esse, cum exsistat haud dubium quod una sit. Ad quod ergo tertium cælum raptus est Paullus? Eja nunc sedes egredere, & elemensorum molibus excussis, trutinaque judicii corporum ponderibus impositis, appende mundum: quippiam fortasse cæli nobis undeunde prosilient. Aut si unus mundus plures porro non habet cælos, aliquos tibi cum Epicuro mundos atomorum minuta parturiant, ut tertium cælum Paullus inveniat. Sed quid ad beatitudinem spectat, ut de uno corporeo ad aliud, aut ab hoc ad tertium æque corporeum quisque ascendat, cum non id sit merito beatius, quod loco sublimius? Alioquin cedent aviculis homines, atque ad æternitatem non profectibus ibit quisque, sed passibus.

IV. Quapropter cum nec præminentia localis beatum faciat, nec tres idemtidem cælos anima corporales inveniat, ut tandem defecta corporibus incorporeis cedat; juxta prælibatam tacita discussione rationem, ternarium cælorum numerum differentiamque videamus. Quia cum differentia dignitatum sit distantiæ locorum, si distant magis quam differant inter primum secundumque cælum, quæro, quid rei sit? Aut substantia videlicet illic, aut nihil est? Si nihil, nulla creati cæli caussa suberit, cum hæc in infimis terræ quippiam, nisi præcedentibus porro apud ævum caussis exstiterit. Sin autem est illic quædam terrenis potior viventium multitudo, [1] substantia ergo supercælestis ista sub cælo est, hauriens videlicet a superno sui vibrantium siderum flammas & liquidiores auras aeris, cujus elementum replet intercælestis vacui concavum, quod scilicet a cælo tertio alii viventium populi atque alia intersiti aeris profunda discriminant.

V. Nunc igitur si per hæc raptatus Apostolus usque in tertium cælum venit, quid istinc potissimum reperit? Quod si localiter quærendum fuit, & in primo cælo invenire non potuit, sed ipse dicit raptum se se usque in tertium cælum, nescio quid audisse divinum quod homini loqui non liceat, ait. Ita ne tandem Apostole per loca Deus quæritur, aut non nisi in loco veritas invenitur? Si istuc ita est, & Deus igitur localis erit, & tu Deum quem localiter invenis, localiter amittis; qui si non nisi in tertio cælo est, ibi ergo tibi relictus, ubi repertus est. At cum non de cælo corporeo, sed de cæli Domino sis beatus, & totus ubique sit Dominus cæli, qui nec localiter quæritur, nec localiter invenitur: hæc vera profecto ascensionis tuæ caussa dabitur, si ab inferioris substantiæ cælo ad cælum substantiæ potioris ascendis. Quia quærentibus Deum a corporeis ad corporea nullus ascensus est, qua versum nunc corporalitas inclusa diffugiet? Ecce & raptum fuisse Paullum usque in tertium cælum verum est; & rursum tres esse cælos corporeos verum non est. Igitur aut incorporeum quid creatum confitebere, aut tres cælos infitiabere. Sed quoniam & tres esse cælos, & non omnes corporeos, vel indiscussibilis auctoritas docet, vel ratio manifesta convincit; sub unius ope veritatis sicut fallentia discussimus, sic vera quæramus.

VI. Legimus in Propheta: [a] *Qui fecit cælum & terram. Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum*. Istic animadvertendum est; aliud esse *cælum* & aliud *cælum cæli*. Quippe cum *cælum cæli* dicitur, tale est, ac si *cælum ac terra* dicatur. Imum nempe siderei cæli hæc terra est. Sed cum ante omne temporaneum creaverit Deus cælum & terram, secundoque die hoc visibile cælum fecerit; est ergo cælum ævo terræ posterius, cum tanto sit qualitate præstantius. Sed quoniam vices & spatia temporum, & moras dierum, momentaria mundi creatio non admittit, quia de sex dierum numero magis, quam spatio nullum differendi nunc tempus est: illud intelligere debemus quod Propheta inter *cælum* & *cælum cæli* tantam differentiam fecit, quanta ferme est inter hoc *cælum* & *terram*. Ut sicut terra hujus scilicet cæli terra est; ita hoc cælum illius cæli porro sit terra. Unde conjiciendum est, mundi corpus universum divinitus *terram* dici, & illud quod Domino datum est, proprio nomine *cælum* vocari. Scriptura namque sic loquitur: *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum*.

VII. Quid ergo dicimus? Numquid hoc cælum visibile non hominibus datum est, aut solaris fulgor & calor, vel lunaris globi per incrementa ac detrimenta variatio, vel astrorum vagus ratusque circuitus, vel per magnos orbes congressus siderum & statuta progressio, sive cum dierum noctiumque vices variant, sive quia caloris ac frigoris alterno sotu mundum temperant, seu quod dimensis limitibus articulos temporum signant, eodemque intermino linearum tramite in id ipsum sine fine redeuntia, per easdem circulorum vias revehunt, vel quod distinctis numeris & horis, & musicis intervallis ætherem pingunt? Sunt ne hæc omnia genti mortalium vel convenientia usui vel jocunda spectamini? Ac per hoc ita tenus corporeum cælum, quia videlicet hominibus datum est, *terra* dicitur; sicut aquarum & aeris corpora, non utique ejusdem corpulentiæ cujus est terra; tamen quia filiis hominum data sunt, *terra* dicuntur, adiecto eo quod omnium sensualiter viventium principaliter tactus ex terra est. Porro autem sicut sine igne videri nihil, sic tangi absque terra nihil potest: quia & ignis tactui subjacet, & æther ignis est; non abhorret aliquid illic esse terrenum. Quapropter omne corporeum terræ nomen includit, ratoque judicio in corporeis compositum terra dicitur omne corporeum: quia hic sensibilis mundus cum visibili cælo terra est, quæ filiis hominum data est.

a Psalm. CXIII. 15. 16.

1. *Substantia ergo* cet.] Al. *substantia erunt supercælestis*. *Ista sub cælo* cet.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 470.

VIII. Quid de illo cælo dicemus, quod Domino datum est, non filiis hominum? ergo idemtidem ad eloquia divina recurramus. Idem nempe Psalmographus dicit: [a] *Confitemini Domino, qui fecit cælos in intellectu*. Quocirca si in intellectu sunt cæli quos habitat Deus, nec nisi incorporeum cælum est quod Domino datum est, videlicet cui terra est omne corporeum; liquido claret, omne quod intelligit non esse corporeum. Porro substantialiter humanus animus intelligit: incorporeus igitur est animus humanus. En tibi terram, omnem corpoream creaturam: en tibi cælum, incorpoream intellectualemque substantiam. Nunc igitur ut possis per duos cælos usque in tertium cælum Paullo præeunte raptari, incorporeo tui universum transmitte corporeum. Postque etiam incorporeum creatum idemque mutabile, acriore admodum nisu & volatu perniciore transscende; atque ab hinc in tertium cælum, in ipsius immutabilis incorporei beatissima contemplatione requiesce, teque humana anima incorpoream nosce. Cui pro naturæ excellentia promtum est simul & congruum inter ima vel summa tui tamquam mediante substantia, vel infra despicere corpus imum, vel supra conspicere Deum summum.

IX. Nunc egomet sciscitor, afferas ne nobis aliam de ternario numero cælorum ac diversitate rationem. Quam quidem cupio, sed liquet haudquaquam dari a quoquam posse, nisi inter corpus & Deum natura se substantiæ corporalis interferat. Quia si nihil absque Deo nisi corpus est, non tres ergo cæli, sed duo sunt; ut unum ferme cælum sit omne corpus, & creator corporis aliud. Verum quoniam non trans tertium, sed in tertium cælum raptus est Paullus, transeundi sunt velut duo cæli, omnis corporea atque incorporea creatura: ad creatorem vero quasi in tertium cælum, non transeundi, quod non potest; neque redeundi, quod non debet, sed standi & manendi caussa veniendum est. Hinc autem cursus atque status profectus est atque perfectio, quæ scilicet virtutum est, non locorum: quoniam qui proficit, currit; & qui perficitur, pervenit.

X. Nunc quoniam amplissimos campos latissimæ quæstionis brevi admodum calle transmisimus, datis aliquot, ut reor, indiciis, quæ scilicet a recto veritatis tramite errorum devia secernunt; quid sibi velit illud quod Apostolus sive in corpore sive extra corpus, raptum se esse dicit, inquiro. Quippe sic ait: [b] *Scio hominem raptum; sive in corpore, sive extra corpus, nescio*: & reliqua de quibus quod attinuit diximus. Ac primum adhibita discussione, videamus quid certum istic sibi beatus Apostolus, quidve fateatur incertum; raptum esse hominem scit: in corpore an extra corpus nescit. Animadverte jam aliud heic dici hominem, aliud corpus. Ecce tamen discretum est, quid nescire Apostolus, quid scire se dicat. Excutiamus igitur utrum ex incorporeo corporeove, an ex utroque sit, ita tenus nesciat, sicuti cum corpore, an sine corpore sit raptus ignorat. *Scio*, inquit, *hominem raptum; sed sive in corpore, sive extra corpus, nescio*. Istic nunc animadverti licet, quod is qui raptus est, & raptum esse se novit, sentiens tamen non ipsum se esse corpus suum, & sic cum eodem ne, an sine eodem raptus sit hæsitat; se ipsum tamen esse non dubitat. Et quum istuc omne patescit obscurum, nempe is qui seu cum corpore sit raptus, incertus est. Incorporeum tamen esse & corpus se habere certus est; qui si non sine corpore raptus est, corpus cum illo raptum est; non tamen hoc est ipse quod corpus, cum quo raptum est corpus. Si sine corpore, multo potius intelligitur non esse corpus, quod potest esse sine corpore. *Scio*, inquit, *hominem raptum*; *sed sive in corpore, sive extra corpus, nescio*. Quod tale est ac si diceret: Raptum me scio, sed cum corpore an sine corpore, nescio. Ergo & si cum corpore raptus es, rapi tamen sine corpore potuisti. Incorporeus igitur es etiam in corpore, si potuisti rapi sine corpore. Quippe incorporeum corpori salva sui substantia, vivificandi ejusdem caussa miscetur. Ut autem corpus sine corpore sit, statuta rerum lege non finitur.

CAPUT XIII.

Ex evangelio, Deo de incorporalitate animæ teste utitur.

SEd jam nunc testibus meis, præconibus scilicet veritatis, ad indubitatam fidem veritas ipsa testificabitur. Dicit in evangelio Dominus: [c] *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*. Cur quæso te, animam occidere non potest, qui occidere corpus potest? nisi quia forte anima non est corpus. Tu vero dicis: Corpus est quidem, sed tenuius; corpus est quidem, sed levius. At egomet responsum refero: Tenuius sit licet & levius; sed tamen si corpus est, occidi potest ab eo, a quo corpus occidi potest. De his nempe duobus agimus, anima videlicet & corpore, quibus consit homo visibilis. Qui enim dixit: *Nolite timere eos*, non dixit, qui occidunt spissius corpus, gravius corpus; sed *qui occidunt corpus*. Et item non dixit, tenuius & levius corpus; sed *animam non possunt occidere*. Hoc nempe corporis nomine vivens profecto corpus inclusit, quia nec occidi quid nisi vivum potest: ac per hoc si anima corpus est vivum, occidi ab illo potest a quo potest corpus occidi. Veritas dicit: *Qui occidunt corpus, animam non possunt occidere*. Non est igitur corpus anima, quæ occidi non potest, a quibus corpus occidi potest. Verum quoniam levanda est perpetuæ lectionis onere legentis intentio, hujusce jam voluminis iste sit finis.

a Psalm. cxxxv. 3. 5. b II. Cor. xii. 2. c Matth. X. 28.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 470.

MAMERTI CLAUDIANI
DE STATU ANIMÆ
LIBER III.

CAPUT I.

De Lazari corpore exanimi.

EDitis in adstructionem veri, & merito pariter & numero satis ut arbitror, idoneis vadibus; restat nunc ut quæ ex opusculo hujus patroni corporis supersunt indiscussa, videamus; qui cum temeraria persuasione decernat animam localem, assumto in hoc idem evangelicæ auctoritatis exemplo, tamquam peremtorie argumentatur, dicens; Corpus Lazari cum fuit mortuum, fuisse sine vita, idemque redivivum fuisse cum vita, ut per hoc anima localis esse credatur, quæ recesserit a corpore, rursusque ad corpus accesserit. Atque ut B universo animarum generi in commune præscribat, ipsam nostri Redemtoris animam localem esse pronuntiat.

CAPUT II.

De anima, in quo similitudinem Dei gerat.

I. FOrmidabili scilicet, atque ut autumat, insolubili syllogismo; ut anima ubi est, sit; & non sit, ubi non est; tamquam nos eamdem aut ubique, aut nusquam esse dicamus. Cum si ubique esset, Deus esset: si nusquam, nihil esset. C Illa quidem non in toto mundo est tota, sed sicut Deus ubique totus in universitate est, ita hæc ubique tota invenitur in corpore. Et sicut Deus nequaquam minore sui parte, minorem mundi partem replet, majore majorem, sed totus in parte, totus in toto est; ita & hæc non pro parte sui est in parte corporis. Nec alia pars animæ sentificat oculum, & alia vivificat digitum: sed sicut in oculo tota vivit, & per oculum tota videt; ita & in digito tota vivit, & per digitum tota sentit. Aut si fortassis sic tota in digito sentit, ut tota non sit in digito; sentit ergo tota ubi tota non est, & est ubi non est. Aut igitur tota erit anima in corporis parte minima, cum nihilominus D in toto sit tota, aut cum tota sentiat ubi tota non est. Est ergo tota ubi non est tota. Sed de hoc & in primo libro quam plura differui, & in secundi principio non pauca præmisi: in quæ si quispiam sollerter intenderit, ad hunc videlicet locum non rudis accedet: difficillimum namque est incorporea contemplari, quia fallax visus corporalium sensuum ita peccato oculum imbecillæ mentis obnubit; ut cum se vel Deum contemplari vult, imaginum corporearum velamen quod sibi prætexitur, solum videat, cum trans illud videre non possit. Quisquis ergo difficultate visionis hujus offenditur, studium atque opus insumat, non ut calumniatum eat, sed ut purgari valeat.

II. Nec tamen egomet ita sum oblitus mei, ut non languoris quam sanitatis amplius inesse mihi A sentiam. Verumtamen hanc me opinionem qua corpus creditur anima, cum puerilibus annis evasisse delectat; quia tunc cum opinabar, utique nesciebam. Opinari autem ignorantis est: ignorantia vero contraria est scientiæ: nescit ergo quisquis opinatur. Hinc equidem factum est, ut scientiam præ opinione concupiscerem, sciens nescire me, quoad usque opinabar. Tu autem dicis, Cum de animæ substantia quærimus, quod supra nos est, nobis videri non posse, cum supra nos ipsos ipsi non simus. Et item quod agnosci posse negas, quasi cognitum judicas, animamque corporis corpus esse confirmas. Quod si sciens dicis, quia falsa sciri nequeunt, verum dicis; & si hoc verum dicis, animæ substantiam nosci non posse, mentiris. Aut igitur falsum est animam corpus esse, aut falsum est animæ substantiam cognosci non posse. Vides quo perducat opinio sequaces sui? Nam quoniam nemo nisi ignarus opinatur, & ignorantia est adversa scientiæ; tu qui ex opinionis incerto vis certam ferre sententiam, & de his velut sciens pronuntiare quæ nescis, convinceris docere quod nescis. Nescire igitur doces; cumque quod nesciri posse dicis, docere præsumis. Da nobis quæsumus veniam nolentibus discere nescientiam.

CAPUT III.

Animam corpore non contineri localiter.

I. DIcis ergo animam corpore contineri. Numquidnam vel apostolicum illud tibi in mentem venire non debuit, quod dictum est: [a] *Et si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur?* Omne quod est, ut breviter dicam, aut in se est, aut subiectum, aut in subiecto est. In se est Deus. In rebus corporalibus subiectum est corpus, & color corporis in subiecto. In incorporeis animus & disciplina; quæ ita sibi nexa sunt, ut nec sine colore corpus, nec sine disciplina sit rationabilis animus. Modo tu videris, qui animam corpus esse, & eamdem superiectam in subiecto corpore contineri credis; utrumnam probare valeamus manere quod in subiecto est, ipso intereunte subiecto. Quia si corpore continetur, ipsa in suo superiecta subiecto est, nec manere poterit quæ continetur, illo pereunte qui continet. Sed dicit Apostolus: veterascente corpore renovari animam: [1] corrupto, æque solidari. Non ergo corpore continetur.

II. Vereor ne & istic opinatus videaris novus Academicus, qui & cum Academicis nihil scias, & de his quæ nescis sine cunctatione definias. Vide ne non corpus contineat animam, sed contineatur ab anima. Hoc nempe corrupto illa solidatur, sicut illud itidem hujus amissione dissolvitur. Illa sine hoc vivit melius, hoc sine illa nec pejus. Atque ut ex his duobus quibus constit humana substantia, quid in quo sit non argumento so-

a II. Cor. IV. 16.

1. *Corrupto, æque solid.*] Al. *corruptoque solid.*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 470.

lo vigeat, sed etiam auctoritate clarescat; prophe- A ticum quoque testimonium proferamus. Ait namque: [a] *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam*. Ac nobis primum videndum est, utrumnam illud aggravet, quod in quoquam; an illud in quo quidque est. Si illud in quo aliquid est, levatur; [1] ergo pondere quidque oneratur. Sin vero illud aggravat quod in aliquo, non illud in quo aliquid est; magis in anima est corpus quod aggravat animam, quam in corpore anima quæ gravatur a corpore: onus videlicet in portitore, non portitor in onere. Quæ cum ita sint, magnam animæ auctoris sui inesse similitudinem, maximo illud indicio est, quod pro similitudine sicut illocaliter mundus in Deo est, sic illocaliter corpus in anima.

III. Nunc sciscitanti mihi peto respondeas: Si localiter intra corpus est anima, quomodo continet corpus? Notum nempe est, corpore contineri nihil posse corporeum, nisi quod continet exterius sit, & quod continetur interius. Anima vero, ut affirmas ipse, corporea quomodo intra corpus est ad id vivificandum, & extra corpus ad continendum? An forsitan sic exterius continet, ut exterius non sit? Rursus igitur in illam redigimur difficultatem, ut aut sit illocaliter extra corpus, ut contineat corpus; aut si continet ubi non est, sit ubi non est. Sed ratio hæc te forsitan sui novitate solicitet. Evigila paullisper, ac, si potes, intuere: si non potes, admirare incorporei potentiam, ut corpus moveat stantem, & non locis loca quælibet adeuntem, in iisdemque locis illocaliter agentem. Istud si cernere quiveris, non nobis animam Lazari pro quadam abscedendi redeundique localitate, veluti quoddam corpus oppones; sed eamdem corpus ejus incorporeo vegetasse motu & illocaliter excessisse, rursumque ad illud illocaliter rediisse cognosces.

IV. Jam si tibi visionis hujusce sincerum veritate claruerit, nulla quæstionis difficultate jactabere; quatenus anima corpore posito illocaliter esse possit in mundo. Quia sic erit illocaliter in qualibet mundi parte, sicut illocaliter fuit in corpore. Tu vero in præjudicium generis animarum omnium, Christi quoque animam localem corporeamque pronuntias, & corpus dicis esse animam redemtoris, cum non sit anima pecudis. Sed si forte contendas, quomodo anima & in loco est, & localis non est; & ego te mutua consultatione percunctor, quomodo corporeus mundus & localis est, & in loco non est. Quod si mundum in loco esse responderis, nihilo segnius quæro: Locus in quo est mundus extra mundum, anne de mundo sit. Si de mundo, [2] non in illo mundus, sed in alio ipse cum mundo est. Si extra mundum, rursus quæro: utrum locus in quo est mundus, in loco sit. Aut igitur loca, hoc est, corpora infinita fateberis; itaque Deo qui solus infinitus est, corpus æquaveris, aut mundum non in loco esse concedas. Istam nunc ergo rationem mente pertracta, & sicut tantum locorum, tantumque spatiorum esse perspicis non in loco: ita illud quod nullius est molis, nullius est spatii, intellige in loco esse posse sine loco. Quia si illud quod locale est, in loco est; multo minus in loco non est, quod locale non est.

CAPUT IV.

Sicut anima illocaliter discedit a corpore, ut moriatur corpus; sic divinitas Christi illocaliter discessit, ut moreretur filius Dei Christus in cruce.

SEd istud quamlibet clareat, intelligas, [3] nec ne, dubitaverim: illud vero quod eo usque est simplicis consequentiæ, ut agnitio ejus, non dicam, in promtu sit, sed ne vitari quidem facile valeat, sic elapsum tibi satis mirari nequeo. [4] Dicis itaque corpus Christi cum patibulo sublatum est, animatum fuisse: exanimum vero cum sepulcro man- B datum: propterque hoc quod negandum non est, acuminis argumento tui localis erit animus, quia vivificare Christi corpus alternaverit. Sub hujus ergo necessitate sententiæ Deum quoque profano ausu localem credemus, qui & in Christo cum crucifixus est, fuit, & eumdem in passione dereliquit. Ipse quoque Dominus de cruce clamavit: [b] *Deus meus, quare me dereliquisti?* Si enim non discessit, non dereliquit; si dereliquit, utique discessit. Objice nunc igitur localitatem Deo. Contiguus videlicet gradus est, ut ab injuria similitudinis Dei feraris in Deum; & qui infamas imaginem, lacessas auctorem. Sicut ergo illocalitas Deo non adimitur, quod hominem Christum discedendo deseruit; sic anima C illocalitatis privilegium non amittit, cum corpore moriente discedit.

CAPUT V.

Non Maria Gabrielem Angelum in ea substantia qua spiritus est, vidit, sed ex eo, quod de aere corpus visibile temporaliter sumsit.

I. HEic jam nunc ad Angelorum statum superbus orator inveheris, & Gabrielem tibi quasi quoddam linguæ prælüdium deligis, & declamas. Ipse beatissimus Gabriel, qui se ante Deum adstare testatur, cum cælorum Dominum Mariæ infun- D dendum visceribus nuntiaret, cumque sub dominicæ oculis genitricis adstaret; sine dubio cælo deerat, maria non supervolabat, vacua atque diffusa vasti aeris non implebat; sed ipsum tantum locum in quo aderat, occupabat. Dilata hujus paullulum discussione sententiæ, tantam adversantium repugnantiam prolocutionum stupere me fateor. Nunc aerem subtilem, nunc eumdem vastum dicis: nunc magnum mundi locum, quem proportione aeris elementum replet, poetica quadam licentia vacuum perhibes, nec intelligis vacuum prorsus esse non posse, quia ubi est aliquid, non nihil est. Aer vero nihil non est; igitur ubi aer est, vacuum non est. Sed nec illud vacuum recte posse dici, quod E nihil est; quia quod nihil est, recipere aliquid non potest. Proinde vacuum non est, quod nullius capax est. Illud vero quo spectat, quod matrem Domini appellare mavis poetarum more Genitricem, & absque versibus poetice orationem texis? Ego tamen non qualiter, sed quid loquaris inquiro; atque ut respondeas quæso.

II. Cum beatissimus Gabriel ante oculos dominicæ matris assisteret, illud ne in Gabriele Maria

a Sap. IX. 15. b Psalm. XXI. 11. c Luc. I.

1. *Ergo pondere quidque oneratur*] Al. *ergo pondere quidquam non oneratur*.
2. *Non in illo mundus*] Al. *non in mundo*.
3. *Nec ne dubit.*] Sic locum distinximus. Al. *nec ne dubitaverim illud, quod* cet.
4. *Dicis itaque*] Ita rescripsimus, ubi al. *Dicisque*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 470.

vidit, quo Gabriel Dominum videt? quia si Mariæ illud visibile fuit, est ergo illocale locali contemplabile. Quod si est, illocale non est: quia si quisque localis est, localiter videt; & aspiciens respicere non potest nisi partem. Videt igitur locum, quia localiter videt, quia pars locus est, & locus locorum utrique pars est, & loca corpora sunt. Et qui partem videt, partem sui videt, nec videri parte, nisi pars potest. Pars vero Dei nulla est, quia impartilis non habet partem. Aut igitur Gabriel Deum non videt, aut solidum videt: nec integrum nisi de integro videri potest. Corpus vero nec integrum videri, nec videre integrum potest. Non igitur corpus est, unde Gabriel Deum videt; quia quo localiter Mariam Gabriel vidit, & eum Maria localiter vidit, videre illocaliter nequit. Sed ut tecum verbo congrediar, si totus Gabriel non nisi corpus est pro distantia partium; nec totus est pes, nec totus est os, nec totus est oculus. Quocirca quando Mariæ visus est, nec pede locutus, nec ore vidit, nec oculo stetit; sed pars unaquæque membrorum qualitati suæ conveniens gessit officium. Ergo sicut localiter stetit, & localiter sonuit, ita & localiter vidit.

III. Heic nunc pro fine quæstionis inquiro; utrumnam Gabriel Angelus, ut tu autumas, solum corpus in contemplatione Mariæ corporaliter occupatus, uno eodemque visu, uno atque eodem tempore illocalem Deum illocaliter viderit, quo localem Mariam localiter vidit. Quod quia fieri pro corporei atque incorporei diversitate non finitur, restat ut Mariam Gabriel numquam viderit, aut Deum videre cessaverit. Sed huic falso sententiæ veritatis obsistit, qua dictum est: [a] *Quia Angeli eorum semper vident faciem patris mei qui in cælis est*. Si semper vident, numquam non vident. Sin autem quando Gabriel Mariam vidit, Deum videre destitit; non ergo semper Angeli Deum vident. Igitur aut quando Gabriel Mariam vidit, Deum videre destitit; aut verum non erit, quod Veritas dixit. Quapropter indissolubili, ut patet, ratione concluditur. Quod quia locali visu eodemque in Mariæ contemplationem defixo, Angelus Deum videre non potuit, & tamen tunc quoque Gabrieli Deum visum negare non licet, [1] ne juxta diaboli casum, in miseria scilicet umquam videndi non Deum immutabilis jam beatitudinis Angeli natura deciderit; sit in eo corporea incorporeaque substantia: una qua vel videatur corpori vel corporaliter videat; altera qua incorporaliter incorporeum sine fine conspiciat.

CAPUT VI.

Quantum distet materia informis a nihilo, vel jam formata ab informi.

I. Age nunc pro acumine excellentis ingenii, proque caussarum rerumque notitia indaga, distingue, pronuntia, quo differat materia informis a nihilo: Quid sit inanimum idemque formatum: Quid & formatum pariter & animatum: Quid sit locus & tempus: Qualiter localis motus subdatur etiam temporali, cum temporalis tantum non subjaceat etiam locali: Quid sit stabilis motus, quidve sit æternitas: Quid sit nusquam esse, & numquam non esse: & de omnibus his rationis abditum quærito, quibusque substantia omnis includitur. Aliquid delige quid Angelos esse decernas: Nihilum certe non sunt, quia non nihil est quidquid est aliquid. Informis materia non sunt, quia inter aliquid & nihil est informis materia. Ecce a nihilo vix discessimus.

II. Jamque de inanimo formato unde tibi Angelos placet esse, tractemus. Animadverte nunc quod sicut informis materia quæ formabilis est, præstat nihilo: ita quod jam formatum est melius illo est, quod etsi formari potest, formatum non est. Itemque sicuti id quod formatum est, anteit illud quod formatum non est: ita inanimum quodcumque formatum, cedit illi quod & formatum est pariter & animatum; quia sicuti formatum proximat formæ, sic animatum proximat vitæ. Ac sicut tria sunt, *informis materia*, *formatum exanime*, *rerum forma*: sic itidem tria sunt, vivificatum, vivificans, vita. Aliud est vita corporum, aliud vita vitarum. Corpus est vivens, anima viva, Deus est vita; ita scilicet, ut anima quæ in se viva est, corpori vita sit: ut sic corpus sine [2] anima non vivat, sicuti ipsa sine Deo. Intellige nunc Angelis sanctis corpora tribuere, vitam negare. Ac per hoc cum quodlibet animatum duplicis constet esset substantiæ, & solum esse corpus Angelis sentias; melior ergo vermiculus Angelo, quia etsi habet Angelus corporis formam, non habet vel sicut vermiculus vitam. Nullum porro corpus ipsum sibi vita est. Aliud namque est corpus, aliud vita corporis. Aut igitur in Angelo est vivificans spiritus, aut Angelus omni est vivente deterior: aut cum omni creato vivente sit potior; non quæcumque vita, sed beatissima illi vita est.

CAPUT VII.

Angelos bonos sive malos tantum spiritus esse, non [illegible] corpora.

I. Est igitur in Gabriele & incorporeum quo incommutabiliter Deum videat, & corpus quod vel Maria viderit, vel per quod Maria videretur, quodque subditum spiritui localiter gereret, quod gerendum in ipsa veritate illocaliter spiritus cognovisset. Satis ut arbitror, patet, beatos Angelos utriusque substantiæ & incorporeos esse in ea parte sub qua ipsis visibilis Deus est, & in ea itidem parte corporeos qua hominibus sunt visibiles; quoniam nec Deus ab Angelo per corpus, nec Angelus ab homine sine corpore videri potest. Quæ cum ita sint, negari nequit, diabolum quoque ex incorporeo corporeoque factum, utpote sanctis Angelis concreatum, duplicis esse substantiæ: qui postquam hydrope superbiæ tumuit & invidiæ febre tabuit, sponte illocaliter sanctitate prolapsus, eaque [3] localiter de cælo, non sponte dejectus; cum non Angelus, sed bonus esse cessaverit, innocentiam perdidit, non naturam. Proinde sicut Angelorum multitudo quæ [4] perstitit, in utroque sui beatificabitur; ita quæ destitit, in sui utroque punietur. Igitur haudquaquam recte duas

a Matth. XVIII. 11.

1. *Ne juxta diaboli casum* cet.] Sic editio Parisiensis. At Lugdunensis: *ne juxta diaboli causam, in miseria scilicet umquam non videndi Deum* cet.

2. *Anima*] Al. *ipsa*.

3. *Localiter*] Al. *illocaliter*.

4. *Perstitit*] Al. *persistit*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 470.

in diabolo substantias infitiabere : quia etiam me- A met spreto, necessarium profecto erit, ut tute cedas tibi, & partem prosecutionum tuarum parte supplodas, falsumque vero diruas. Habet ergo diabolus, ipse tamen incorporeus, corpus suum, quia & sentire sine corpore corporea tormenta non poterit. Et [1] iterum : qui sentit, aliud est ; & per quod sentitur, est aliud. Quippe si animadvertis, tuomet veritatem proloquio docebere. Nempe dixisti; Si ex hoc concreto aere diabolus corpus traxit, ergo alienum corpus ad tormenta portavit : tamquam egomet istud umquam uspiamve dixerim. Sed non infitias eo debitum, quod hoc argumento victoriam nobis non sponte tribuisti. Nempe cum dicis, quod diabolus non alienum corpus ad tor- B menta portavit ; fateris scilicet, quod portavit suum. Mea vero non refert, suum ne alienumve corpus habeat : sed habeat ne corpus, id refert mea. Tu vero diabolum non tantum habere corpus, sed proprium habere, nec fateris solum, sed etiam argumentaris. Hæc quippe sententia tua est: Si ex hoc concreto aere diabolus corpus traxit, ergo alienum corpus ad tormenta portavit. Certe qui portat est aliquid, & quod portatur est aliquid. Et cum dicitur, portat suum, aliud qui portat, & aliud significatur esse quod portat. Ex duplici igitur diabolus ac diversa substantia est; quia cum corpus suum portat, non est ipse quod portat. Aliud quippe est onus, & portitor aliud. Quocirca non ultra oblu- C ctabere nobis, si credas tibi, quoniam corpus & qui habet corpus, substantialiter duo sunt, & hæc duo diversa sunt. Atque ut diversa sint, unum erit incorporeum, aliudque corporeum. Igitur diabolus ex duplici diversaque substantia & corporeus est & incorporeus.

CAPUT VIII.

Spiritaliter, non corporaliter intelligendum, cum Lazarus in sinu Abrahæ & dives in inferno, chao interposito, invicem loquerentur.

I. SEd si super his redhibuimus vel aliqua ex D parte rationem, illud chaos quod inter sontes innoxiasque animas, sicut argumentaris, intersitum locis merita secernit, sub ipsius capituli tui discussione videamus. Sic namque differtas : Si locales non sunt animæ, quomodo peccatores a cœtibus consortiisque justorum vacuum illud chaos tristi interjectione discriminat, ut neque hinc illo possint accedere, neque inde huc transmeare? Istud evangelicæ lectionis exemplum ademta dominici simplicitate sermonis, pro adstruenda videlicet animarum localitate posuisti. Sed oraculi divini sincerum in sui veritate prolatum oppido patefaciet, quid istic sermo tuus variaverit, vitiaverit, texerit. Dicit in Evangelio Dominus : [a] *Mortuus est* E *pauper, & sublatus est ab Angelis in sinum Abrahæ : mortuus est & dives, & sepultus est in infernum. Cumque esset in tormentis, vidit Abraham a longe & Lazarum in sinu ejus, & dicit : Pater Abraham, mitte Lazarum ut intingat minimum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et respondit Abraham: Memento fili, quia recepisti bona in vita tua : similiter & Lazarus mala : & ideo nunc hic consolatur, tu vero cruciaris. Et in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum est, ut neque hinc ad nos quisquam possit ire, neque inde huc transmeare.* Istud nunc mihi secundum loca & corpora differe : istic sine alternamento reciproci aeris, & organo pectoris, & tibia gutturis, & oris cavo, & linguæ plectro per quamlibet corporalem, ut autumas, animam verba vocibus effice : heic animæ manum, cujus digiti minimum ambusti divitis linguam refrigeraturus Lazarus aquæ immergat, ostende : heic de illo memet quasi corporeo Abrahæ gremio, corporale aliquid doce ; ut & pro modo humani corporis sit angustum, & capax possit esse multorum : & chaos illud vel tam exiguum, ut mutua quos dirimit verba miscere queant, vel tam immensum ut transmeari nequeat. Illud autem vel maximum quæro: Dives ille qui penes inferos gehennæ incendiis æstuat, quei congredi Abraham sermone quiverit, si locale beatitudinis non accessit? quid porro Abraham cum divite sermocinatur, si inferna non adiit ? Animas nempe sanctorum in intimis paradisi sedibus non usquequaque improbabili sententia dicis habitare. Proinde cum Abraham in paradiso, & dives in inferno sic immenso quodam intransmeabili ab invicem disparati sint, ut itidem mutuo tamquam nihil intersit, non contemplentur solum sed etiam colloquantur : si hæc localiter æstimanda sunt, alterutrum fateri cogeris, aut Abraham & divitem nec sermocinatos invicem nec ab invicem visos, aut vel infernum in paradiso, vel in inferno esse paradisum.

CAPUT IX.

Quod multum distet inter visionem oculorum & visionem animæ : cum animæ visio intellectus sit. Quod si per se vidisset corporalia, interna viscera sua primum vidisset.

I. SEd qnoniam nec auctoritati divinæ pervicaciter obsisti potest, nec miseris beatitudo misceri; proloquiique hujusce perplexum, quia cum lippo imaginationum corporalium intro inspicere nequimus, semotis paullulum locis corporibusque videamus, & ubi ita tenus inter quospiam judicio discretos immensum dicitur spatium, ut etiam sermonis possit esse commercium, animadvertamus non locorum distantiam, sed differentiam meritorum. Cum justo namque, quantum ad corpus spectat, localiter esse injustus potest; injustus vero esse in innocentia justi, quoad usque injustus est, non potest. Unde quia post mortem nec pœnitere cuiquam, nec peccare possibile est, inter salvatos & perditos intransmeabile dicitur chaos, indemutabilis status. Tua igitur adversus te fertur oratio. Nempe testimonium quod a nobis [2] disparasceie arbitrabaris, animadvertis nobiscum profectu disputationis unescere, tibique tenuissimos sui tramites ad infinita illocalium regionum spatia ducentes obverso poste claudere : quia corporeæ amplitudinis angustum incorporalium subtilitatum immensa non capiens, nec distantiam sine loco, nec verbum sine strepitu, nec gremium sine spatio complecti potest. Porro autem corporea non sunt, quæcumque ita sunt. Animæ vero Abrahæ, Lazari & divitis ita sunt : corporeæ igitur non sunt. Sed quæ post hinc hisce similia sequuntur, minus profecto in confutationem sui penes consilii

a Luc. XVI. 22-26.

1. *Iterum*] Al. *item*.

2. *Disparascere*] Al. *dispar afferere*. Et mox *bene stare*, pro *unescere*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 470.

[1] vigiles habere laboris debent. [2] Cordatus quippe judex rite victum cenſet, quod pro ſui imbecillitate par victis eſt. Unde non ſine pudore ſtupeo, quod pro comprobanda animæ corporalitate ſubjungis: Ecce anima ſi Alexandriam vel Hieroſolymam cogitat, & ſi per cogitationem tota ſui præſentia illic interfuit, referat nobis ſitus locorum, vultus hominum, motus actuſque populorum. Nunc diſpudet auctorem hujus ſententiæ exemtæ animæ corporalitatis capeſſere indicium, unde incorporalitatis videri debuit argumentum.

II. Hactenus quidem de animi incorporea atque illocali viſione diſſerui, ac liquido patuit eumdem nulla mediante ſubſtantia, æterna ſimul atque immutabilia contueri. Igitur cum rationalis anima per ſe incorporeum atque illocale conſpiciat, & veritatem quæ Deus eſt, a falſitate longe incorporea viſione diſcernat, & niſi per corpus localia corporeaque non videat; [3] quænam ratio eſt, illis eamdem credi ſimilem ad quæ conſpicienda interprete corpore utitur, & illis quæ per ſe contemplatur judicari diſſimilem? Animæ viſio, ut ſæpe dictum eſt nec iterare piget, intellectus eſt. Enimvero corporea intelligi nequeunt; ſentiri ab anima per corpus queunt. Anima vero ſicut per corpus ſentit, ita per ſe intelligit. Eorum quæ ſentiuntur atque intelliguntur, ſubſtantia longe diverſa eſt. Quo fit ut anima, quia non eſt corpus, quæque corporea niſi per corpus ſentire non poſſit, videre autem per ſe quæ intelligenda ſunt, poſſit. Tu vero nimis repugnante ſententia, corporea voles intelligi, & incorporea videri? Sed ne tibi animus humanus quem corporeum credis, aut nihil, aut non niſi corporea aut incorporea forte ſola per ſe ſe, ſicut naturæ ejus eſt proprium, videre poſſe videatur; trigeminum quæſtionis hujus, quoad ſtrictim poſſumus, ventilemus obſcurum. Ergo videat ne per ſe ſe humanus animus nec ne, videamus. Sed quoniam pæne ſummum iſtiuſce negotii iſtuc in loco vertitur, [4] vigilacem vigilantemque ſimul quæro lectorem. Viſus animi per corpus qui homini belluæque communis eſt, intendit ſe ſe atque exſerit per iſta hæc puncta pupillarum vaporato cerebri anteriore ventriculo, inviſibilibus viſcerum flammis; inque radios poroſque promanans, ſi quid coloris aut formæ obvium ceperit, concipit, & uti curſu ita etiam recurſu rapidis linearum meatibus recipit. Itaque hoc illud eſt quod vocatur Viſus, ſicut in primo libro diſſeruimus. Per hunc ergo cum bellua humanus quoque animus nota ab ignotis, alba ab atris corpora ſecernit. Huccine tenus eſt humani viſus animi? Quo igitur juſta ab injuſtis, a falſis vera dijudicat? An forſan vecordes oculati corporaliter judicio credentur cæcos anteire ſapientes? Sed vel Appium de Romano ſenatu, vel Hermophilum de Græco gymnaſio, vel Tobiam de prophetarum numero ſuper ambiguo præſenti teſtes habeamus: quorum vel Appius eis qui exterius clarerent oculis, & interius cæcutirent, conſilii lumen præbuit: vel Hermophilus Theopompum Geometricam ſine radio docuit: vel Tobias filio dum cæli iter prævius pandit, Angelum comitem dedit. Videt igitur animus abſque corpore, nec corpulentum aliquid aut coloratum aut per loca diſtentum, ſed ipſam veritatem, (quæ ſumme incorporea Deus eſt,) incorporeo contemplatur

A obtutu. Patet, ut arbitror, animum & per ſe incorporea, & per corpus videre corporea.

III. Sed illud adhuc propter tepidi jecoris homunculos diſcuti ſupereſt, utrumnam corporea per ſe poſſit humanus animus videre ſine corpore. Nunc igitur adeſto totus, & quam potis es præſens ſito. Nempe, ut adſtruis, humanus animus & ipſe corporeus, & ſepto corporis exterioris incluſus, ſi quid per ſe videre corporeum poteſt, nihil illi ſcilicet videre promtius eſt, quam corporis interna queis clauditur. Age quæſo intende in viſcera tua & in omnes admodum corporum partes, & iſtum quem dictitas animi corporalem viſum, de temet ipſo
B renuntiato [5] mihi, nobiſque dicito, quibus modis, quove ſitu triformitas cerebri coeat, jecoris maſſa jaceat, regula lienis hæreat, ſtomachi libra pendeat, cordis plectrum feriat, qui venarum tramites, quæve textura, quæ nervorum origines, quæve compages, quæ oſſium coitio, quæve compactio, quæ pulmonum cava, quæ tortuoſæ batulorum enodibus, quæ ligaturis explicitæ inflexiones ac reflexiones. Ecce quid negas, arbitror, ſuper his reſponſa redhibere. Cur igitur negas? quia videlicet animus per ſe ſe corporea nequaquam videt. Sed cur videre corporea nequaquam poſſit, quem non ſine viſu eſſe jam conſtitit? Nemo quidquam corporeum videt, qui corporalem viſum non habet. Animus au-
C tem qui habet viſum, & corporale nihil videt, incorporalier videt; & incorporaliter videre poſſe, incorporalis eſt viſus; & incorporeum viſum niſi incorporeus non habet; & incorporaliter humanus animus videt: incorporeus igitur eſt humanus animus. Non ergo hiſce frivolis ſoliciteris amplius, ut reare animum non eſſe illic ubi cogitat: quia contemplari per naturam nequit ſitus locorum, vultus hominum, motus actuſque populorum: hæc namque corporea ſunt. Porro autem animus incorporeus, quod contra naturam ſui eſt, videre non poteſt. Eatenus tamen adeſt ubi cogitat, ut loca quæ cogitat corporali viſione non cernat: ſicut adeſt ubi vivificat, ut ipſa quæ vivificat ſui corporis interna non vi-
D deat. Ac ſi uſquequaque patet, animum & corporea non poſſe videre ſine corpore, & incorporea cum corpore videre non poſſe; non diutius ad Alexandriam peregrinemur, ſed ab Ægypto redeuntes transmiſſo errorum mari, & emenſa ignorantiæ eremo, veritatis patriam atque uti terram repromiſſionis intremus; non otioſi neque inertes, neque vero trepidantes. Ut ſi quid falſiloquæ vanitatis vitio progenitum aut latere tenus obſtrepuerit, aut obvium ſe ſe dederit, Jeſu prævio & adjutore feriatur.

CAPUT X.

Contra eos qui dicunt: Anima ſibi incorporea eſt, Deo corporea.

E

I. SEd en aliquorumpiam qui interimunt animas garrientibus nugis, etſi non ſiſtimur ab itinere, lentamur tamen. Sed inſumere puſillum temporis intertrimenti nihil eſt: quin porro juvat modo, quid obverſum vero, quidve diverſum, eadem veritas aut depellat, aut proterat. Et cum audio dicere quoſpiam, qui & corporeas eſſe volunt animas, & eaſdem incorporeas negare non poſſunt, aliud

1. *Vigiles*] Ita Pariſ. editio. At Lugdun. *vigidos*. Quæ quidem lectio repetitur infra cap. XI. §. II. ſub finem.
2. *Cordatus*] Sic eadem edit. Pariſ. Al. *cordax*: cujus vocis ſignificatio non eſt hujus loci, ut lexica docent.
3. *Quænam*] Al. *quæ horum*.
4. *Vigilacem*] Vox uſurpata *Colum.* lib. VII. cap. XII. & *Ovid.* II. Metam. ỷ. 779. *Sidonius* item hac voce uſus ſemel iterumque, ut animadvertit Cangius in Gloſſario. Non erat igitur cur Pariſienſes reſcriberent *prudentem*.
5. *Mihi*] Al. *tibi*.

ipsas animas sibi, aliud esse creatoris. Deo, inquiunt, A animæ corporeæ sunt, verum sibimet incorporeæ: quod ita est ac si dicant, animas & corporeas esse & incorporeas. Æternitatem porro testor, quod eo mihimet hisce inanibus respondere admodum labori est; quia nihil istic, quicum congrediar, nihil quod medullitus eruam, nihil quicum certavisse exercitis, nihil profecto est, quod vicisse victoriæ sit. Ergo anima corporea creatori, & incorporea sibi est? Sed duo hæc quam sollerter discuti ratio indagandæ veritatis exposcit. Aut verum re vera est, quod incorporea sit anima, si hoc ipsum de se ipsa veraciter novit: aut item verum est, quod corporea sit anima, si id penes animæ constat auctorem. Isti verum dicunt, & verum est, quod anima incorporea sit, B quia & ipsum in veritate cognoscit: & item verum est quod anima corporea sit, quoniam animæ creator id novit. Duo quidem & contraria usquequaque sibi, & utraque vera esse contendunt: cum verum nisi falso contrarium non sit. Illustris admodum ac præclara disputatio, quæ dum unam solamque veritatem spernit, duas sibi veritates invenit: ut tamen istos professionis suæ nexibus teneam pedes hominum, ipsis fatentibus incorporeus est humanus animus.

II. Quoniam igitur super hac nobis quæstionis parte convenit, restat ut doceant quatenus incorporalis substantia illi corporea sit, qui eamdem in- C corpoream creavit. Nec primum dico, ita sit, nec ne, sed inpræsentiarum ita esse concedo: unde tamen ita esse noverint quæro. Si id divinorum voluminum litteræ continent, legant. Si quæpiam ratiocinatio suadet, doceant. Si Dialecticen juvat exercere, convincant. Si horum nihil est, saltem sententiæ concedant suæ ut qui in se incorporei sunt, non extra se corporeos se esse credant. Quia aliud extra se esse non potest, qui extra se nihil esse potest. Proinde animus qui in se ipso incorporeus est, nequaquam potest extra se esse corporeus. Quia nec auctor ejus aliud illum novit esse quam fecit, nec ille aliud se potest nosse, quam factus est. Ac per hoc si verum novit, cum se incorporeum novit: ergo fallitur D Deus, si animum qui vere incorporeus est, corporeum novit: sed falli Deus non potest. Incorporeum igitur esse novit animum: ne falsum sit verum, quo se animus veraciter incorporeum novit. Incorporeus ergo animus idcirco sibi est, quia & creatori. Sicut enim terra idcirco homini terra, quia & Deo terra est. Et sicut aqua, aer & ignis idcirco hoc ipsum homini sunt, quia & ipsum Deo sunt. Et sicuti omnia quæ veraciter innotuere homini, hoc sunt in hominis notitia, quod sunt: Ita scilicet humanus animus nequaquam potest & aliter esse, & aliter Deo notus esse. Non enim ex rerum notitia est creatoris scientia, sed exsistentia rerum ex notitia creatoris. Quocirca humanus ani- E mus nisi Deo incorporeus esset, incorporeus esse non posset. Quidquid enim quoquo modo incorporeum est, nullo modo potest esse corporeum. Sed ne istis supra justo diutius immoremur, cedo, & jam de illo quæramus, quod nulla ex parte discussimus.

CAPUT XI.

Quod ex duabus substantiis constat homo, immortali & illocali anima, & mortali & locali corpore. Et sicuti immortaliter anima patitur, sic immortaliter & illocaliter gloriatur.

I. Dicis etenim, cum verbi gratia, Petri vel Paulli sibi speciem animus intra mentis arcana depingit; numquid statim intimas paradisi sedes ubi eos esse novit, penetravit? Aut cum sibi in corde divitis illius flammas ex lectione proposuit, numquid jam ad tormentorum ejus loca ac vivis inaccessibilia inferi profunda descendit? Jam scilicet tibi, prout par fieri fuit, de incorporalibus animarum locis, & de inferno atque paradiso, & de animæ sine corpore in corporali contuitu, cum de divite illo & paupere verba fecimus, vel cum de animæ duplici visione tractavimus [1], responsa redhibui. Quia vero nunc illud, quod inferna vivis inaccessibilia esse dixisti [2], indiscussum restat, quatenus dixeris quæro, scilicet *ex anima constamus & corpore*. Ac licet ambigat nemo quid immortale in nobis, quidve mortale sit; ego tamen tecum sic agam, ut de utra mavis respondeam. Si ex neutra nostra substantia morimur, nihil nostrum ad inferna descendit: quia inferos vivis inaccessos esse dixi [a]. Si utraque morimur, ergo & corpus ad inferna descendit. Nec longe nobis corporea hæc inferna quærenda sunt, quandoquidem ipsum sepulcrum Domini est locus inferni. Sed hanc utramque absurditatem sententia sana respuit. Ergo nec in utraque substantia morimur, nec in utraque non morimur. Vivitque anima etiam posito corpore, quamlibet, si per peccata Deo suo privetur, mortua jure dicatur. Credibile tamen prorsus non erit, quod peccatrix anima id ipsum ut anima sit, amittat, cum etiam corpori mortuo corpus esse non pereat. Ut enim moriatur corpus, cum vita omni amittit animam; anima vero [3] animam non amittit. Quocirca anima immortalis est, corpus vero mortale. Quod si corpus inferna non ingreditur, utpote sepulcro mandatum, atque in diversas mundi partes pro elementorum quæ sibi in illud [4] concitaverant diversitate discretum, & animus non accedit ad inferna, quia sententia tua inferos viventibus claudit: aut nulli ergo sunt inferi, aut ad eos hominum nemo descendit. Atque ita fidei nostræ ratio periclitabitur, si nec Redemtoris anima inferos adeundo redeundoque reseravit. Satis est dici potuisse, quæcumque illa inferna sunt, viventibus inaccessa fore, cum constet eadem nisi viventibus adiri non posse.

II. Reminiscere nunc in id te statum tui posuisse tractatus, ut si quantitati vel localitati subjacere animam probare potuisses, de corporalitate ejus tecum pars etiam diversa sentiret. Verum si bene scriptorum tuorum recolis, animadvertere simul potes proposuisse te potius, de quibus disputandum foret, quam de propositis disputasse. Nec te Academicorum seniorum more nescientiam tuam scisse, sed juxta sectæ ipsius juniores, utrum scires aliquid ignorasse. Quis autem positis temere duobus in quibus necessario operis universi corpus omne consistat, non utrumque primum si queat, alterutrumque, scilicet si utrumque nequeat, enisu quopiam si non proba-

a Psalm. xv. 10.

1. Lib. III. cap. I. II. & IX. 2. Ibid. cap. VI. & VIII. Orthodox. *corpus vero non animam non amittit*.
3. *Animam non amittit*] Al. *non animam non amittit*. 4. *Concitaverant*] Al. *continuerant*.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 470.



bile, certe credibile faciat? Duo hæc in victoriam A nempe conveniunt, ut [1] auctori probo caussæ probitas compos sit. Horum minus uno virtus actionis infringitur; si desit utrumque, caussatur. Sic nunc equidem obliviosum te pariter & ignarum defensorem nacta fallacia penes intellectus [2] vigidos, non solum illud negotium facessivit, ut tibi super his credi non oportere pateat, sed ut veritas cui credendum semper est, clarior illustriorque sub necessitate conflictus & comparatione falsitatis appareat.

CAPUT XII.

Quod anima in corpore non teneatur inclusa, nec moveatur de loco ad locum, cum moveatur temporaliter per affectum.

I. Igitur qualitatem, quantitatem & localitatem animæ daturum te sponte professus es, moxque subjungis: Quomodo non localis sit, quæ inserta membris & illigata visceribus, solis motibus vaga conditione substantiæ tenetur inclusa? Vix sane ut aliquid perperam forte sentires, atque id ipsum verisimile videri contenderes, error unum veniabile facere potest, aliud ignoratio erroris. Verum nunc mirimodis stupeo, te tam diffidentia tamque diversa, uno propemodum momento atque eodem pæne verbo dixisse: Ergo illigata membris vaga est mo- C tibus. Et item: Motibus vaga conditione substantiæ tenetur inclusa. Si intra septum corporis, ut tu ais, anima movetur, videlicet stans movetur; quod dici ratione non finitur. Sin vero extra corpus motibus defertur, inclusa igitur conditione substantiæ non tenetur. Quis autem dicit solis motibus vaga? quasi quidquam vagari possit immotum; aut non sit facilius moveri & non vagari, (quod facit animus per affectum, quia subjacet utique motui non secundum locum) quam vagari quippiam, nec moveri; quod est utique proprium corporis, quia subjacet motioni per locum. Tu vero illam & stare vagam, & vagari dicis inclusam; cum, sicut supra jam constitit, & moto corpore D consistere, & moveri possit immota.

II. En quatenus de localitate animæ disputavisti; in hoc tamen temet ignaviæ non arcesso. Illud equidem nequivisti, scilicet quod in hoc præsenti loco ne potissimus orator quisque potuisset. Quantalibet enim dicendi copia præditus assertor falsi contra perspicuam veritatem mentiri potest, fallere non potest. De quantitate autem cur te disputaturum spoponderis, nihilque de eadem differueris, non possum oblivionis fuisse dicere; cum satis constet, [3] ne nomen ejus, nisi ex memoria potuisse proferri. Illud ergo magis credendum est, te non voluisse, aut oblitum fuisse dicere, sed nihil E quod diceres invenisse. Quid itidem congruit, vel in disputationem vocare dicenda, vel reticere proposita? Jam de qualitate controversia non erit, cui animam subjacere non [4] renui; quæ si scilicet, sicut quantitatis, ita etiam qualitatis expers esset, profecto Deus esset. Identidemque si ut qualitati, ita etiam quantitati cederet, corpus esset. Nunc vero medioximum quiddam naturæ incorporeæ, sed creatæ sortita, nec Deus est, quoniam qualitatem habet, nec corpus, quia non habet quantitatem.

CAPUT XIII.

Quia sol & luna vel sidera corpora tantum sunt, non habent spiritus: & sicut corpus meliori corpori præponitur, ita spiritus melior inferiori spiritui.

Et quoniam uti agitatis retro disputationibus edocuimus, nimis late patet hujusce quæstionis immensum, principalium origines complexa caussarum: inspici porro intus usque nequaquam potest, nisi duplicis creaturæ substantiam quoad homini posse fas [5] finit, adhibito judicii libamine B secernas ea; & aut usquequaque cessandum est, aut istis illuc lineis adeundum, ut primum ab incorporeo corpus dirimas: dehinc sicut in ipso omnimodo corporum genere atris splendentia, sublimia depressis, pretiosa vilibus anteponis; ita etiam in incorporeis quæ creata sunt, humanas belluinis: in ipsis itidem quæ humanæ sunt, prudentes stolidis: in his porro itidem quæ natura vigent, doctas indoctis animas antevertas. Sicuti enim sol corpus est, & saxum quodlibet longe disparile huic, perinde tamen corpus est: sic equidem omnigenum natura vitarum incorporea scilicet omnis est. Sed sicut corpus corpore præcellitur, cum tamen utrumque sit corpus: sic animus antefertur, cum tamen utrumque sit animus. Et iterum opulens negotium, & dites caussæ ad dicendum proliciunt & pæne blanditer obviæ suapte specie describi se se quæsunt, atque etiam cogunt. Sed hasce excellentias & præeminentias ac supremitates illi potissimum adeant, si qui illi sunt quos [6] *ardens evexit in æthera virtus*. Verum enimvero mihi inpræsentiarum huic de Statu Animæ quæstioni, (prout ille proposuit quocum congressi sumus,) & aliquanto forsan plusculum respondere mihi provincia fuit: quod recte ne, an secus fecerim, æquus & doctus arbiter judicabit.

CAPUT XIV.

Superiorum brevis recapitulatio librorum.

Verum quoniam multa quæ sub hujusce quæstionis ubiubi disputavimus, non usque faciliter memoria complecti cognitor potest, quæ sparsim & differtata, quæque, uti arbitror, evicta sunt; collectim strictimque & veluti punctatim sub mentis oculo redegi, & revisenda simul regnoscendaque congessi.

I. *De incorporeo.*

Deus incorporeus est: imago autem Dei est humanus animus: quoniam ad similitudinem & imaginem Dei factus est homo. Enimvero imago incorporei corpus esse non potest. Igitur quia imago Dei est humanus animus, incorporeus est animus humanus.

II. *De vita.*

Omne illocale incorporeum quoque est. Porro vita corporis anima est, & in corpore vivente tam vivit pars minima corporis, quam totum corpus. Tantum ergo vitæ in parte corporis est, quantum in toto corpore: & vita hæc anima est. Nec locale est quod tam magnum est in toto quam in

1. *Auctori*] Al. *victori*.
2. *Vigidos*] Editio Paris. cum Orthodox. *rigidos*. Vox hujusmodi lexicographis invisa. Recurrit supra cap. ix. §. I. hujusce libri, ubi eadem Paris. editio habet *vigiles*, ut ibidem monuimus.
3. *Ne nomen ejus*] Orthodox. *neminem ea*.
4. *Renui*] Al. *tenui*. Mox *quæ scilicet*. omisso *si*.
5. *Sinit*] Al. *fuit*. Mox, *aut usqueq.* omisso *&*.
6. Virgil. *Æn.* vi. ℣. 130.

aliquo, & tam magnum in parvo quam in magno. Non igitur localis eſt animus. Et quidquid illocale eſt, corporeum non eſt: igitur anima corpus non eſt.

III. De ratione.

Item ratiocinatur anima rationalis, & ſubſtantialiter ineſt animæ ratiocinari: & ratio incorporalis atque illocalis eſt. Igitur incorporalis eſt anima.

IV. De voluntate.

Item voluntas animæ ſubſtantia ejus eſt; & ſi tota vult anima, tota voluntas eſt, & voluntas corpus non eſt: igitur anima non eſt corpus.

V. De memoria.

Item memoria illocalis quædam capacitas eſt, quæ nec multitudine recordabilium diſtenditur, nec paucitate tenuatur, & incorporaliter etiam corporalium reminiſcitur. Et cum meminit animus, totus meminit & totus memoria eſt qui meminit totus, & memoria corpus non eſt: non igitur corpus eſt animus.

VI. De tactu.

Item corpus in parte ſui tactum ibi ſentit, ubi tangitur; animus autem per non totum corpus, hoc eſt, per partem corporis totus ſentit. Hujuſmodi vero ſenſus illocalis eſt, & omne illocale incorporeum eſt: incorporea ergo eſt omnis anima.

VII. De acceſſu ac receſſu.

Item corpus nec appropinquat Deo, nec recedit a Deo. Animus autem & proximat & longinquat illocaliter. Igitur animus corpus non eſt.

VIII. De motu.

Item corpus movetur per locum, animus autem per eumdem non movetur. Animus igitur non eſt corpus.

IX. De menſura.

Item longitudo, latitudo, & altitudo in corpore ſunt: & quidquid hiſce caret, corpus non eſt. Hiſce autem caret animus: corpus igitur non eſt.

X. De dextro & ſiniſtro.

Dextrum, ſiniſtrum; ſurſum, deorſum; anterius & poſterius in omni ſunt corpore; in nulla autem ſunt anima. Incorporea igitur omnis eſt anima.

II. En quouſque ex omni ſcilicet diſputationum noſtrarum parte contraximus, quidquid toto opere moliti ſumus; quoniam quod iſtic quam breviſſime A recapitulavimus, niſi præmiſſis diſputationibus fieri probabile non quivit. Quamquam ſi negotium tantum aſſertor idoneus nactus eſſet, non, ſicuti egomet, dignitatem cauſſæ admodum impari oratione dehonoraviſſet. Neque vero ipſe aliquanto latius prolixiuſque hanc eamdem quæſtionem agitare non potui. Verum ſcilicet par fuit quoad adverſarius reniti valuit, eo uſque prœliari; aut quoad in fugam ceſſit, tergum præbere, & manu captum plumbeis pegionibus exarmare. Ulterius porro progredi & in auras tela jacere, & ſine hoſte pugnare; caſſa contentio eſt, & virium fruſtratio; quod ita erit inglorium, ut laborioſum. Quid tu igitur, ait aliquis, per hæc tria volumina adverſus brevem pa- B ginam ſpatiatus es, ſi verbum verbo ſatis? Sed non id negotii eſt fallaciam ſtruere, quod deſtruere. Neget quiſpiam ſphæram eſſe mundum. Uno quidem hoc ille verbo negaverit; ſed non id uno item verbo vel Timæus adſtruxerit. Proinde quidquid illud ampliuſcule ſermocinati ſumus, non modo ſola falſi confutatio, ſed veri etiam coegit adſtructio. Quippe diverſum eſt dedocere noxia, & utilia docere. Nec hoc idem eſt, ſentem ſolo vellere, quod frugem jacere. Non ergo id ipſum eſt eruere vitium, quod ſerere virtutem. Multo igitur amplius operæ inſumendum eſt in utroque horum, quam in alterutro. Porro autem cum utraque agitare mihi provincia fuerit, in tam [1] præpedito negotio, præſer- C tim magis mira eſt parcitas quam prolixitas. Nam cum ſe ſe undecunde clareſcentes atque oſtentantes proderent, aliaſque multiplicter progignerent; latius dicendæ cauſſæ præſcripſi numerum, modum ſtatui, limitem fixi, ne vel in aciem plures neceſſario proferrem, vel diutius rato certarem, vel longius juſto procederem.

CAPUT XV.

Veniam auctor a ſuo petit conflictore, & inter utrumque certamen ipſum deligit judicem.

TE nunc, quiſquis ille es adverſus cujus ſcripta noſmet injuria ſcriptorum tuorum dicere com- D pulit, oro quæſoque non obiraſcaris mihi. Neque enim convicium retuli, neque rependi maledictum. Solam tibi pro falſitate veritatem haud pari viciſſitudine reponderavi. Illis [2] egoque quæ magis tua tibi noxia ſunt, adverſarius ſum, eroque. Atque uti eiſdem ipſe quoque [3] adverſare cauſſis tuis ſuadeo. Pauca hæc & exilia, prout arctum temporis ſinit, reſponſa redhibui. Tu tecum utrumque penſato, & inter me teque perſonam judicis ſumito, adhibitoque juſtitiæ libram. Si lanx noſtra pronior & vero gravior, non pigeat neque pudeat a transfugio [4] refugium facere, & a falſitate ſub veritate cedere. Sin, quod ego nolim, [5] nefaſtis iſtis perſuaſum eſt uti, obſtinatio eſt: edito pro ſententia E aliquid publicitus lectitandum, neque nomen occulito: reſpondebimus, modo compos noſtri Deus & vita ſit. [6] Quoniam altrinſecus continuati viarum periculum fecimus, experire ſcilicet, veritatis vis quanta ſit in excidio falſitatis.

1. *Præpedito*] Al. *prædicti laboris*. Et mox *unde clar.*
2. *Egoque* cet.] Sic editio Pariſ. cum Orthodoxographis. At Lugdun. *ego quo magis tua tibi magis noxia* cet.
3. *Adverſare cauſſis tuis*] Ita eædem editiones. Lugdun. vero, *adverſari, cauſſa tui.*
4. *Refugium*] Lugdun. *repudium.*
5. *Nefaſtis iſtis* cet] Sic utraque Ortodoxographa. Lugdun. editio: *nec faxis iſtuc perſuaſu, uti obſtinatio eſt, edito pro me ſententiam liquido publicitus lectitandam. Neque nomen occulito. Quoniam quomodo compos noſtri Deus & vita ſit, altrinſecus centenarum periculum faciemus, experiere ſcilicet* cet. Felicior magis Pariſienſis lectio: ſed & ipſa mendoſa.
6. *Quoniam* cet.] Pariſ. *Quoniam altrinſecus contentionum tibi batum periculum fecimus:* quod fortaſſe melius.

CLAUDIANUS C. SOLLIO APOLLINARI, S.

SI non hæc quæ ad te ſcribo, venerande vir, diſcutienda & emendanda tranſmitto, rite potuit videri ſuperfluum, & elatum docere velle, quem ſentiam noſſe, & ex paupertatis inopia dare dragmam ei, qui multo ſcientiarum abundat talento. Hinc accidit quod libellorum a me tranſmiſſorum editio, quos philoſophicæ artis ſubtiliſſima diſputatione diſpoſui, me fecit cautum atque ſolicitum, ut eorumdem intelligentiam judicio non committerem modo, ſed ad potioris peritiam deſtinarem; & non tantum ea quæ nunc ex eorum lectione percepi, verum etiam quæ inde jam pridem memoriæ reſervanda mandavi, judicio tuo probanda tranſmiſi. Bene etenim ſcit dignatio tua, minime nos habere quorum collatione de eis quæ ambigimus, firmi ſtabileſque reddamur. Omnis natura quæ ad Deum pervenit notitia proprio nomine compellatur, & ideo nomen naturæ uniuſcujuſque rei oſtenditur.

Nomen ergo dixere priores, quod rem notam faciat, quod ipſius rei imagines quas per ſenſus corporiſque dirigit memoria, in auribus intromittit; ac ſic loquentibus nobis, intelligimus; & abſentias rerum & imagines memoriæ retentas, cum voluntas fuerit, cogitamus. Sed duplex rerum natura, & corporalis & ſpiritualis. Omnis quippe creatura aut ſpiritus aut corpus eſt. Corporalia ſcilicet per corpus ſentimus: intellectualia intellectu percipimus. Ergo duobus modis, quantum in hac vita datur, omnis rei habetur notitia. Quod ſit ergo, quod dicitur tria eſſe genera quæſtionum, An ſit, Quid ſit, Quale ſit. Cur quæſo dicitur, An ſit, cum omnis notitia rem oſtendens, ambiguitatem tollat, & dubitare non ſinat? Sed ego puto ita poſitum eſſe hoc ambiguum, quia non omnia ſubſtantiarum ſunt, ſed reperiuntur aliqua quæ probationes earum oſtendunt: verbi cauſſa: Si requiratur, Utrum bonum ſubſtantia eſt, an non? reſpondemus, non eſſe ſubſtantiam, ſed privationem mali. Recte enim quæritur in quæſtione prima, utrum corpus ſit an ſpiritus? Et in ſubſequente requiritur, quale ſit, utrum corpus animale ſit an ſpirituale, ſpiritus rationalis an irrationalis? Recte igitur definita ſunt, tria eſſe genera quæſtionum, de quibus jam ſatis breviter, ut arbitror, diximus. Nunc etiam videamus quot genera ſunt corporum, quamvis innumerabiles ſpecies ſub ſe habeat.

Trita tamen ſunt genera, hoc eſt, corpus quod vivit & ſentit, corpus quod vivit & non ſentit, corpus quod nec vivit nec ſentit. Sed hoc genus corporis quod nec vivit nec ſentit, quatuor elementa eſſe puto, terram, aquam, aerem & ignem; quæ principalia ſunt & ſimplicia, ex quibus omnia quæ compacta ſunt corpora, id eſt animalium viventia & ſentientia, arborum, fruticum & herbarum viventia, ſed non ſentientia.

Quamobrem quid differant inter ſe evidentiſſime liquet: quæ ſint eorum communia, Deo juvante, intentius inquiramus. Sic enim volumus, inſpirante Domino & auxiliante, ut non tantum creaturam ipſius ſcrutemur, verum etiam aſcendentes ad creatricem ſubſtantiam per ea quæ facta ſunt, intellectu conſpiciamus; & quamvis non perveniamus ad id, ut ejus ſubſtantiam intelligere valeamus, & quid ſit, ſciamus; ſaltem id quod non ſit, evidentiſſime teneamus. Igitur omne corpus quantitati & qualitati ſubjectum eſt.

In ſubjecto autem corpore corpus non eſt. Corpus enim ſubjectum eſt, non in ſubjecto, quia corpus ſubſtantia eſt, non accidens. Accidentia autem in ſubſtantia ſunt, non ſubſtantiæ. Accidit ergo corpori quantitas & qualitas.

Quantitas enim in menſuris eſt, qualitas in coloribus. Non hoc eſſe ipſum corpus quod quantum eſſe, nec hoc eſſe ipſum quod quale eſſe; quia & colore mutato corpus manet, & in diminuto corpore quantitas quæ prius fuerat non eſt. [1] Aut per hoc non eſſe magnum quod magnitudo, nec longum quod longitudo, nec hoc latum quod latitudo, nec coloratum quod color. [2] Ipſe eſt etiam corpori menſura, numerus & pondus. Unde etiam ſancta ſcriptura ait: [a] *Deum omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſſe*. Sed heic alio modo ad ſpiritum rationalem referri, quod in conſequentibus dicendum video. Nunc vero de corpore quæ cœpimus, explicemus. Sicut enim diximus, non hoc eſſe magnum quod magnitudo; ſic nec menſura quod menſurabile, nec numerus quod numerabile, nec pondus quod ponderabile. Minuitur igitur, quoniam in tota parte habet ſurſum & deorſum, habet dextram & ſiniſtram, habet ante & retro. Movetur per tempus & locum, nec judicat & judicatur partibus ſecatur infinite.

Age nunc videamus quid ſit quod corpus vivificat & non ſentificat. Melius enim coæquatum eſt vita, & quod accipit, & quod dat. Vita enim quæ non eſt minor in parte quam in toto, & non parti minori minor eſt, nec partem præbet majori majorem & minori minorem, non eſt corpus, ſed ſpiritus. Spiritus pecoris qui non ſubſiſtit poſt corpus, prætermittendus eſt, ut ad rationalem ſpiritum veniamus. Igitur ſpiritus quantitatem non habet. Si vero longus eſſet aut latus, quantus rite utique diceretur. Prudenter enim ſecernitur & ſegregatur a corpore, quia quantitati non ſubjacet, quamvis ſubjaceat qualitati. Accidunt animo diſciplinæ, accidit juſtitia & injuſtitia, caſtitas & libido. Quatuor enim ſunt virtutes principales, id eſt, prudentia, temperantia, fortitudo & juſtitia. Non enim hoc eſt [3] anima quod prudentia, nec juſtus quod juſtitia, nec temperatus quod temperantia, nec fortis quod fortitudo. Aliud eſt eſſe animum, aliud juſtum animum. Cum enim dico juſtum animum, duo quædam intelligo: hoc enim de prudentia & temperantia & fortitudine dixerim, quia poteſt eſſe animus, ut nullatenus ſit virtutibus præditus; ſed ſi eas non habuerit, conſequens eſt, ut vitium habeat. Colligitur enim ſubjectum ſemper eſſe animum aut vitiis, aut virtutibus; ſubjectum eum eſſe, ſicut diximus, diſciplinis quæ ſine eo eſſe non poſſint. Verum enim ratio numeri diſciplina eſt. Numquam enim erit ut quatuor & duo ſeptem faciant, aut ſeptem & tres undecim. Similiter & figura circuli non recipit contrarietatem. Numquam erit ut figura circuli ex duabus aut tribus lineis fiat, aut quadrigona ex tribus, aut trigona ex quatuor. Si enim addideris vel minueris aliquid, jam nec trigona, nec quadrigona erit; manet enim æterna & incommutabilis. Harum rationes diſciplinarum & in ſubjecto ſunt animo, & ſine eo eſ-

[a] Sap. xi. 21.

1. *Aut*] Al. *An*. 2. *Ipſe*] Forte *ipſi* — *corpori*. 3. *Anima*] Al. *animi*.

ſe non poſſunt. Colligitur æternum eſſe illud in quo eſt, ſicut illud quod in eo eſt. Ergo immortalis eſt anima; & id quod vivit ſcit, ſemper & cernit. Sed non ſemper hoc cogitat: quia cum ſit ſecura de ſe quod amittat ſe in multis cogitationibus, diſtendit ſe ac ſi per tempus non per locum mota; movet tamen & corpus per tempus & locum, ſcilicet judicat & judicatur. Vide ergo, anima humana quam magnum bonum ſit, dum de corporibus judicas, dum & rationi conjungeris, dum æternæ veritatis ſis particeps. Non enim a te diligenda ſunt quæ infra te ſunt; & quamvis menſura inſit, tu tamen menſura non es. Cogitationi tuæ numerus, voluptatique tuæ pondus: tu ſcilicet nec numerus, nec pondus es. Refer voluntatem tui amoris ad illum numerum ſine numero, de quo Pſalmiſta dicit: [a] *& ſapientiæ ejus non eſt numerus*; ad illam menſuram ſine menſura, ad illud A pondus ſine pondere, a quo omnia ponderantur & menſurantur. Ipſum eſt ſummum bonum a quo facta ſunt omnia corporum genera bona. Ipſum rationalium magna bona, re utique bona & magna bona ſummum bonum ama, ſimplexque bonum, id eſt, Pater & Filius & Spiritus ſanctus. Trinitas hæc unus Deus. Et tamen ſic diligendum eſt corpus & ſpiritus, ſecundum quod diligenda ſunt, ſicut quidam nobiliſſimus tractator ſanctarum ſcripturarum dixit: Quatuor pones dilectionis regulas. Quod ſupra nos, quod juxta nos, quod nos, quod infra nos. Diligamus ergo illud ſummum bonum quod ſupra nos eſt, non loco ordinis, ſed naturæ, quia non poteſt coæquari creatura creatori. Solus enim filius B coæquatur patri, ſimiliter & Spiritus ſanctus: quia non ſunt creatura, ſed inter eos una natura. Hæc quæ brevi ſermone digeſſimus, ſuppoſita figura demonſtrat.

Deus	Summum bonum ſine qualitate. Movetur ſine tempore & loco. Judicat & non judicatur.	Spiritus	Magnum bonum cum qualitate. Movetur in tempore, ſine loco. Judicat & judicatur.	Corpus	Bonum cum qualitate & quantitate. Movetur localiter & temporaliter. Nec judicat & judicatur.

a Pſalm. CXLVI. 5.

MAMERTI CLAUDIANI

EPISTOLÆ II.

I.

CLAUDIANUS SIDONIO *papæ ſalutem*.

[1] SI poſſibile factu eſſet, ut te dominum meum vel aliquoties aliquantulum convenirem, non undeunde quarumpiam perſonarum aut voluntates aut neceſſitates inquirerem, ſed quæ in rem debiti mei uſu mihi eſſe poſſent. Quippe reviſionis poteſtas multimodis, ac miſeris perinde cauſſis intercluditur. Enimvero ſcribendi facultas aut raro idonea ſuppetit, aut nec ſuppetit. Iſta hæc eadem remiſſibilia ſint, nec ne, tute judicaris. Porro autem quod ſæpenumero ſcriptis veſtris alii impartiuntur, qui id ipſum nec ambiunt, quam egomet forſan nec merentur amplius; non arbitror amicitiæ legibus impune committi. Illud etiam non dolenter faxo tacitum, quod libellos illos quos tuo nomine nobilitari non abnuis, nullo umquam impartiviſti reſcripto. Sed vacuum forte non ſuppetit, quod tute modicum magnæ admodum impendas amicitiæ. Ecquo tam ex occupatu umquam uſpiamve implicabere, quin illud in aliorum commoda revergat? Cum precatu Deum placas, eumdem non modo amicis, ſed C ignotis quoque concilias. Cum ſcripturarum cæleſtium myſteria rimaris, quo te ſtudioſius imbuis, eo doctrinam ceteris copioſius infundis. Cum tuas opes in uſus inopum prodigis, tibi quidem maxime, ſed aliis quoque conſultum facis. Proinde nihil videlicet, profecto nihil eſt tam infecundum actionum tuarum omnium, quod tibi uni ſoli tantum, & non aliis quoque multis tecum uberiorem fructum ferat. Nulla ergo cujuſquam præpedimenti occaſio prætendi vel falſo poteſt, cur egomet ſpecialis atque intimus tuus nihil ab ſpeciali meo fructi feram, a quo ignoti quoque multum capiant plurimi. Sed, uti ego autumo, juxta formam evangelici largitoris, quod non das amico eſurienti, dabis D improbo pulſatori. Porro ſi etiam nunc ſolito obdurueris, faxim egomet quod te te pœniteat: quoniam ſi peccaris ultra reticendo, ego protinus ulciſcar ſcribendo. Porro enim ambiguo caret, tam te puniendum ſcripto meo, quam punior egomet ſilentio tuo. Vale.

1. Hæc Claudiani epiſtola eſt II. inter Sidonianas lib. IV.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
470.



[1] SIDONIUS CLAUDIANO *suo salutem*.

COmmitti, domine major, in necessitudinis jura pronuntias, cur quod ad salve tibi debitum spectat, a stilo & pugillaribus diu temperem, quodque deinceps nullas viantum volas me papyrus oneraverit, quæ vos cultu sedulæ sospitatis impertiat. Præter æquum ista conjectas, si reare quemquam mortalium (cui tamen sermocinari latialiter cordi est) non pavere, cum in examen aurium tuarum, quippe scriptus adducitur: tuarum inquam aurium, quarum peritiæ, si me decursorum ad hoc ævi temporum prærogativa non obruat, nec Frontonianæ gravitatis, aut ponderis Apulejani flumen æquiparem: cui Varrones, vel Atacinus, vel Terentius, Plinii, vel avunculus, vel Secundus, compositi inpræsentiarum rusticabuntur. Adstipulatur judicio meo volumen illud quod tute *super statu animæ* rerum verborumque scientia divitissimus propalavisti. In quo dum ad meum nomen prooemiaris, hoc munus potissimum cepi, ut meæ fama personæ, quam operæ pretium non erat, librorum suorum titulis inclarescere, tuorum beneficio perpetuaretur. At quod Deus magne, quantumque opus illud est, materia clausum, declamatione conspicuum, propositione obstructum, disputatione reseratum, & quamquam propter hamata syllogismorum puncta tribulosum, vernantis tamen eloquii flore [2] mellitum. Nova ibi verba quia vetusta: quibusque collatus merito etiam antiquarum litterarum stilus antiquaretur: quodque pretiosius, tota illa dictio sic cæsuratim succincta quod profluens: quam rebus amplam strictamque sententiis, sentias plus docere quam dicere. Denique & quondam nec injuria, hæc principalis facundia computabatur, cui paucis multa cohibenti, curæ fuit caussam potius implere quam paginam. At vero in libris tuis jam illud quale est, quod & teneritudinem quamquam continuata maturitas admittit, interseritque tempestivam censura dulcedinem, ut lectoris intentionem per eventilata disciplinarum philosophiæ membra lassatam repente voluptuosis excessibus quasi quibusdam pelagi sui portubus foveat. O liber multifariam pollens! o eloquium non exilis, sed subtilis ingenii! quod nec per scaturigines hyperbolicas intumescit, nec per tapinomata depressa tenuatur. Ad hoc unica singularisque doctrina, & in diversarum rerum assertione monstrabilis, cui moris est de singulis artibus cum singulis artificibus philosophari, quæque si fors exigit, tenere non abnuit cum Orpheo plectrum, cum Æsculapio baculum, cum Archimede radium, cum Euphrate horoscopium, cum Perdice circinum, cum Vitruvio perpendiculum; quæque numquam investigare destiterit, cum Thalete tempora, cum Atlante sidera, cum Zeto pondera, cum Chrysippo numeros, cum Euclide mensuras. Ad extremum nemo sæculo meo quæ voluit, affirmare sic va-
A luit. Siquidem dum se adversus eum quem contra loquitur, exsertat, morum ac studiorum linguæ utriusque symbolam jure sibi vindicat. Sentit ut Pythagoras, dividit ut Socrates, explicat ut Plato, implicat ut Aristoteles, ut Eschines blanditur, ut Demosthenes irascitur, vernat ut Hortensius, ut Cethegus, incitat ut Curio, moratur ut Fabius, simulat ut Crassus, dissimulat ut Cæsar, suadet ut Cato, dissuadet ut Appius, persuadet ut Tullius. Jam si ad sacrosanctos patres pro comparatione veniatur, instruit ut Hieronymus, destruit ut Lactantius, adstruit ut Augustinus, attollitur ut Hilarius, summittitur ut Joannes, ut Basilius corripit, ut Gregorius consolatur, ut Orosius affluit, ut Rufinus strin-
B gitur, ut Eusebius narrat, ut Eucherius solicitat, ut Paullinus provocat, ut Ambrosius perseverat. Jam vero de *Hymno* tuo si percunctere quid sentiam, commaticus est, copiosus, dulcis, elatus; & quoslibet lyricos dithyrambos amœnitate poetica & historica veritate supereminet. Idque tuum in illo peculiare, quod servatis metrorum pedibus, pedum syllabis, syllabarumque naturis intra spatii sui terminum, verba ditia versus pauper includit: nec arctati carminis brevitas longitudinem phalerati sermonis eliminat. Ita tibi facile factu est minutis trochæis, minutioribusque pyrrichiis, non solum molossicas anapæsticasque ternarias, sed epitritorum etiam pæonumque quaternas supervenire juncturas. Excre-
C scit amplitudo proloquii angustias regulares, & tamquam parvo auro grandis gemma vix capitur: emicatque ut equi potentis animositas, cui frementi si inter tesqua vel confraga frenorum lege teneatur, intelligis non tam cursum deesse quam campum. Quid multis? arbitro me in utroque genere dicendi, nec Athenæ sic Atticæ, nec Musæ sic musicæ judicabuntur, si modo mihi vel censendi copiam desidia longior non ademit. Nam dum impactæ professionis obtentu novum scribendi morem gradatim appeto, & veterem saltuatim dedisco; de bono oratore nil amplius habeo quam quod malus poeta plus esse cœpi. Proin, quæso, delicti hujus mihi gratiam facias, quod aliquantisper mei me-
D minens, arentem venulam rarius flumini tuo misceo. Tuam tubam totus qua patet orbis jure venerabitur: quam constat geminata felicitate cecinisse, quando nec æmulum reperit, nec æqualem, cum pridem aures & ora populorum, me etiam circumferente, pervagaretur. Nobis autem grandis audacia, si vel apud municipales & cathedrarios oratores, aut forenses rabulas garriamus: qui etiam cum perorant, (salva pace potiorum) turba numerosior, illiteratissimis litteris vacant. Nam te, cui seu liberum seu ligatum placeat alternare sermonem, intonare ambifariam suppetit, pauci quos æquus amavit [3] Juppiter, imitabuntur. Vale.

1. Hæc vero est III. ejusdem libri IV. qua Sidonius præcedenti respondet.

2. *Mellitum*] In aliquibus libris *mollitum*.

3. *Juppiter*] Incommode, ut videtur, deest hæc vox in præclara editione Sirmondiana.

I I.

[1] MAMEETI CLAUDIANI [2] *epistola ad* SAPAUDUM *rhetorem*.

Doctissimo viro SAPAUDO *rhetori* CLAUDIANUS.

Disciplinarum omnium atque artium magistra A Græcia idcirco maxime nobilibus studiis provecta est atque orbem pæne totum multiplicibus complexa doctrinis, quoniam nemo illic omnium fuit qui quidquam bonæ frugis ferret cui non par merito honos fiet. Hinc nonnulli mortales naturam pæne supergressi mortalium, extentis usquequaque excellentium ingeniorum viribus, infatigabilibus curis rerum abdita rimantes, repositas originalium primordiorum caussas & temporaliter fluctuantium substantiarum præfixos terminos indage & arte complexi, non modo intra mundanum sed super cæleste etiam introiere secretum. Quod mihi inpræsentiarum usus est dicere, quoniam bonarum artium jam inde a proavorum nostrorum sæculis facta jactura, B & animi cultum despuens, quo solo præstat pecudi gens humana, deliciis & divitiis serviens ignaviæ & inscitiæ famula, [3] pessum porro dedit cum doctrina virtutem. Nam quod non modo ad innovandum quippiam, sed ne ad dediscendum quidem absque te uno disciplinæ nobilis ullus aspirat, negligentiæ id humanæ adscribimus an naturæ? Si malum istoc naturæ vitio vertimus numquidnam a genere humano differre dici potest genus humanum, aut ingenia eadem non sunt quæ fuere prius, aut Cicero sui sæculi summus orator nata secum bona accepto habuit, & non mage parvi pendens domestica & civica, ad usque Græciam capessendæ opulentioris scientiæ gratia peregrinatus est, aut forsan Platon C apex culmenque philosophiæ privo naturæ bono contentus, post Socratis dogmata angustiorem credens Græciam doctrinarum quam esse virtutum, non usque ad Ægyptum & ad usque Bragmanos Indorum & ad usque Pythagoricarum doctrinarum per heredes indefessus rerum scrutator accessit? Taceo ceteros, quia nec tempus nec opus hujusce rei capax est. Unum illud procul ambiguo dixerim, nostro sæculo non ingenia deesse, sed studia. Quorum egomet studiorum quasi quamdam mortem flebili velut epitaphio tumularem, nisi tute eadem venerabili professione, laudabili solertia, acri ingenio, profluente eloquio resuscitavisses. Quod equidem bonum eo admirabilius est mihi quo desperatius fuit. Video enim D os Romanum, non modo negligentiæ, sed pudori esse Romanis, grammaticam uti quamdam barbaram barbarismi & solœcismi pugno & calce propelli, dialecticem tamquam Amazonem stricto decertaturam gladio formidari, rhetoricam ac si grandem dominam in angusto non recipi, musicem vero & geometricam atque arithmeticam, tres quasi furias, despui; post hinc philosophiam atque uti quoddam ominosum bestiale numerari. Sed hæc in laudem tuam suggestui sunt; quia si multi quorum tu es studiorum forent, futurus eras scilicet, etsi non omnium potior, unus ex multis. Hinc vero, procul injuria, ceterorum penes Galliam nostram professionis tuæ par unus & solus es. Neque dictum istuc aut assentationi aut adulationi detur. Nequaquam profecto vel egomet adulari possum, vel tu indiges falso laudari. Sed erui atque avelli infixa animo meo nequit declamationum tuarum suavitas mixta virtute, Attici more mellis, cui suapte natura indita sunt medela, fortitudo, dulcedo, quod in hyblæ jugis volucris atque opifex apicula cælitus deciduum haustu capiens fabrefactis manso florigeris infundit, filiorumque fabricatrix virginitatis suæ feturam alit atque imbuit ubere favorum: ita tu scilicet e summis auctoribus velut e magnis montibus doctiora quæque velut thymia [4] fragrantia & fecundiora veluti quædam florida præcerpens, quos ingenii melle repleas, eloquentiæ conficis favos, e quibus item discipulorum tibimet velut filiorum numerositas dilecta formatur; quæ Græcarum quoque disciplinarum nectare imbuta, ac si melle Attico pasta, ut occœperit pennis strepere, eloquentiæ favos & ipsa conficiet. Modo tu fac memineris docendi munus tibi a proavis & citra hereditarium fore, eoque copiosius te adniti oportere scientiæ, quo multiplex in te a majoribus profecta tuis doctrina confluxit. Admonitus quoque sis oportet Viennensis urbis nobilitatis antiquæ, cujus tu civis & doctor non otio duplex debitum solves, a quo bifariam quæritur vel patribus respondere vel patriæ. Illud jam in fine sermonis perquam familiariter quæso, ut spretis novitiarum ratiuncularum puerilibus nugis, nullum lectitandis his tempus insumas, [5] quasdam resonantium sermunculorum taureas rotant, & oratoriam fortitudinem plaudentibus concinentiis evirant. Nævius & Plautus tibi ad elegantiam, Cato ad gravitatem, Varro ad peritiam, Gracchus ad acrimoniam, Chrysippus ad disciplinam, Fronto ad pompam, Cicero ad eloquentiam capessendam usui sint. Quisquis enim recentiorum aliquid dignum memoria scriptitavit, non & ipse novitios legit. Illi ergo reventilandi memoriæque mandandi sunt, de quibus isti potuere proficere quos miramur. Istoc ego tamen amicitiæ testimonium aliquo forsitan plusculum familiariter intuli. Sed benivolentiæ tuæ venia impertiet amoris audaciam.

1. Exstat hæc epistola inter *Miscellanea Baluzii* tom. VI. pagg. 535-538.
2. Huic Sapaudo inscribitur epistola X. Sidonii lib. V.
3. *Pessum*] Baluz. *passum*.
4. *Fragrantia*] Baluz. *flagrantia*.
5. *Quasdam*] Forte *quæ dum*. Atque ita legit Fabricius Bibl. med. tom. I. pag. 1078.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 470.



HYMNUS

De passione Domini.

Pange lingua gloriosi prœlium certaminis,
Et super crucis tropæo dic triumphum nobilem:
Qualiter redemtor orbis immolatus vicerit.

De parentis protoplasti fraude [1] factor condolens,
Quando pomi noxialis [2] morsu morte corruit,
Ipse lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret.

Hoc opus nostræ salutis ordo depoposcerat,
Multiformis proditoris arte ut artem falleret,
Et medelam ferret inde, hostis unde læserat.

Quando venit ergo sacri plenitudo temporis,
Missus est ab arce Patris natus, orbis conditor,
Atque ventre virginali carne factus prodiit,

Vagit infans inter arcta conditus præsepia,
Membra pannis involuta virgo mater alligat;
Et pedes, manusque, crura, stricta cingit fascia.

A Lustra sex qui jam [3] peracta, tempus implens corporis,
Se volente natus ad hoc passioni deditus,
Agnus in crucis levatur immolandus stipite.

Hic acetum, fel, arundo, sputa, clavi, lancea,
Mite corpus perforatur: sanguis unda profluit.
Terra, pontus, astra mundus quo lavantur flumine!

Crux fidelis inter omnes arbor una nobilis:
Nulla talem silva profert fronde, flore, germine.
Dulce lignum, [4] dulce signum, dulce pondus sustinet.

Flecte ramos arbor alta, tensa laxa viscera,
Et rigor lentescat ille quem dedit nativitas,
B Ut superni membra regis miti tendas stipite.

Sola digna tu fuisti ferre pretium sæculi,
Atque portum præparare nauta mundo naufrago,
Quem sacer cruor perunxit, fusus agni corpore.

1. *Factor*] Al *facta*.
2. *Morte morsu*] Al. *morsu in mortem*.
3. *Peracta*] Al. *per acta*.
4. *Dulce signum*] Al. *dulces clavos*. Et mox *sustinens*.

INDEX CAPITUM
IN LIBROS III. DE STATU ANIMÆ
MAMERTI CLAUDIANI.

LIBER I.

LIBER II.

L I B E R III.

MAMERTI CLAUDIANI

Epistolæ II.

H Y M N U S

C. SOLLII APOLLINARIS SIDONII

ARVERNORUM EPISCOPI

OPERA

EX PRÆCLARA EDITIONE SIRMONDIANA;

Ab eodem Sirmondo recognita.

[1] C. S O L L I I
APOLLINARIS SIDONII
ARVERNORUM EPISCOPI,
E P I S T O L A R U M
L I B E R I.

E P I S T O L A I.

Sidonius [2] *Conſtantio ſuo ſalutem.*

DIu præcipis, domine major, ſumma ſuadendi A auctoritate, ſicuti es in iis quæ deliberabuntur conſilioſiſſimus, ut ſi quæ litteræ paullo politiores varia occaſione fluxerunt, prout eas cauſſa, perſona, tempus elicuit, omnes retractatis exemplaribus, enucleatiſque uno volumine includam, Q. Symmachi rotunditatem, C. Plinii diſciplinam, maturitatemque veſtigiis [3] præſumtioſis inſequuturus. Nam [4] de Marco Tullio ſilere me in ſtilo epiſtolari melius puto, quem nec [5] Julius Titianus totum ſub nominibus illuſtrium feminarum digna ſimilitudine expreſſit. Propter quod illum ceteri quique [6] Frontonianorum, utpote conſectaneum æmulati, cum veternorum dicendi genus imitaretur, oratorum ſimiam nuncupaverunt. [7] Quibus B omnibus ego, immane dictu eſt, quantum ſemper judicio meo ceſſerim, quantumque ſervandam ſingulis pronuntiaverim, temporum ſuorum meritorumque prærogativam. Sed ſcilicet tibi parui, tuæque examinationi has non recenſendas (hoc enim parum eſt) ſed defæcandas, ut ajunt, limandaſque commiſi, ſciens te immodicum eſſe fautorem non ſtudiorum modo, verum etiam ſtudioſorum. Quamobrem nos nunc perquam hæſitabundos in hoc deinceps famæ pelagus impellis. Porro autem ſuper hujuſmodi opuſculo tutius conticueramus, contenti [8] verſuum felicius quam peritius editorum opinione, de qua mihi jam pridem in portu judicii publici, poſt lividorum latratuum ſcyllas enavigatas, ſufficientis gloriæ ancora ſedet. Sed ſi & hiſce deliramentis genuinum molarem invidia non fixerit, actutum tibi a nobis volumina numeroſiora percopioſis ſcaturentia ſermocinationibus multiplicabuntur. Vale.

E P I S T O L A II.

Sidonius [9] *Agricolæ ſuo ſalutem.*

SÆpenumero poſtulaviſti, ut quia [10] Theodorici regis Gothorum commendat populis fama civilitatem, litteris tibi formæ ſuæ quantitas, vitæ qualitas ſignificaretur. Pareo libens, in quantum epiſtolaris pagina ſinit, laudans in te tam delicatæ ſolicitudinis ingenuitatem. Igitur vir eſt & illis dignus agnoſci, qui eum minus familiariter in-

1. *C. Sollii Apollinaris Sidonii*] Quidam codices *Modeſti* quoque nomen addunt, hoc modo, C. Sollii Apollinaris Modeſti Sidonii: nec inſolens fuit ea ætate, ut quinque unius eſſent vocabula: ceterum hujus prænominis nulla uſquam eſt mentio apud Sidonium: niſi eo forſan alludere videatur, cum ad Oreſium ſcribens ſignificat, C malle ſe modeſtum quam facetum exiſtimari, lib. IX. epiſt. XII. Sidonii vero nomen ultimo loco poſitum, ut verum & proprium. Quare qui ordine inverſo Sidonium Apollinarem vocant, Angelum Politianum & alios quoſdam ſecuti, qui ante centum fere annos ita primi appellarunt, præter morem faciunt ſæculi Sidoniani. Eodemque in errore verſantur qui Proſperum Tironem ſcribunt, cum Tiro Proſper dicendus ſit, atque ita in antiquis exemplaribus inſcribatur.

2. *Conſtantio*] Lugdunenſi, poſtea presbytero: cujus exſtant libri duo de vita S. Germani Antiſiodorenſis. Hunc eumdem multis ſæpe laudibus ornat Sidonius, tum in ceteris quas ad ipſum alioſve ſcribit, tum maxime in poſtrema omnium epiſtola ad Firminum. Apud Iſidorum de viris illuſtribus in mentione Paullini epiſcopus appellatur, ſed perperam ni fallor.

3. In aliquibus mss. *præſumtuoſis*.

4. *De M. Tullio ſilere me*] Non quod Ciceronis ſtilum D in epiſtolis non probet, ut Petrarcha & Politianus cenſuerunt: ſed quod ſuperbum ducat Ciceronis imitationem ſibi polliceri, quam ne Titianus quidem pro dignitate expreſſerit.

5. *Julius Titianus*] Senior, pater Titiani alterius, quo magiſtro uſus eſt filius Maximini Aug. Capitolinus: *Oratore uſus eſt Titiano filio Titiani ſenioris, qui Provinciarum libros pulcherrimos ſcripſit, & qui dictus eſt ſimia ſui temporis, quod cuncta imitatus eſſet.* Julium Titianum utroque nomine vocat etiam Auſonius ad Probum epiſt. XVI. Julium oratorem Caſſiodorus lib. I. divinarum Inſtitutionum XXV. Cujus quidem varia fuerunt opera, quæ ab antiquis ſcriptoribus commemorantur: ut libri Provinciarum, ſeu Coſmographiæ, a Capitolino, Servio & Caſſiodoro: fabulæ Æſopiæ ab Auſonio; libri de agricultura a Diomede; artis rhetoricæ præcepta ab Iſidoro; themata Virgiliana a Servio eodem. Sidonius hoc loco epiſtolas etiam a Titiano editas ſignificat; non veras, ſed fictas nominibus illuſtrium feminarum, quales ſunt Ovidii quæ Heroidum nuncupantur.

6. *Frontonianorum*] Sectatorum Cornelii Frontonis, qui princeps fuit oratorum ſui ſæculi, τὰ πρῶτα, ut eſt in Dionis epitome, τῶν τότε Ῥωμαίων ἐν δίκαις φερόμενος. Diverſæ enim per ſingulas ætates fuerunt philoſophorum, poetarum, oratorum ſectæ & familiæ. Ut igitur poetæ alii Virgiliani, alii Ovidiani, & juriſconſulti alii Caſſiani, alii Proculiani: ſic oratores ea ætate Frontoniani dicti, qui Frontonis imitationem profitebantur, & Feſtiani fortaſſe, qui Poſtumii Feſti. Vetus inſcriptio, *Poſtumio Titiano oratori pronepoti & ſectatori M. Poſtumii Feſti oratoris.*

7. *Quibus omnibus*) Non ſolum Ciceroni, verum etiam Plinio & Symmacho. Ad illos enim redit, poſt ea quæ de Frontonianis inſeruit. Etſi ſentio, inquit, quam impar illis omnibus ſim, qui epiſtolas ſuas ſuperioribus ſæculis ediderunt, tibi tamen parui, & has meas vel famæ periculo emiſi.

8. *Verſuum editorum*] Hinc apparet poemata Sidonii haud paullo ante epiſtolas in lucem exiiſſe.

9. *Agricolæ*] Sidonii ſororio, Papianillæ uxoris fratri, ut docebit epiſtola XII. lib. II.

10. *Theodorici regis*] Junioris. Duo enim hujus nominis Veſogothorum in Gallia reges fuerunt: prior Valliæ ſucceſſor, qui in pugna Catalaunica occubuit: alter ejus filius, poſt Thoriſmodi fratris cædem, anno a pugna tertio regnum adeptus. Hujus ergo adhuc ſuperſtitis formam, mores, actiones omnes graphice deſcribit.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.



tuentur: ita personam suam Deus arbiter & ratio, naturæ consummatæ felicitatis dote sociata, cumulaverunt. Mores autem hujuscemodi, ut laudibus eorum [1] nihil ne regni quidem defraudet invidia. Si forma quæratur, corpore exacto, longissimis brevior, procerior, eminentiorque mediocribus. Capitis apex rotundus, in quo paullulum a planitie frontis in verticem cæsaries refuga crispatur. Cervix non sedet nervis. Geminos orbes hispidus superciliorum coronat arcus. Si vero cilia flectantur, ad malas medias palpebrarum margo prope pervenit. [2] Aurium legulæ, sicut mos gentis est, [3] crinium superjacentium flagellis operiuntur. Nasus venustissime incurvus. Labra subtilia, nec dilatatis oris angulis ampliata. Si casu B dentium series ordinata promineat, niveum protinus repræsentat colorem. Pilis infra narium antra fruticantibus quotidiana succisio. Barba concavis hirta temporibus, quam in subdita vultus parte surgentem stirpitus tonsor assiduus genas ad usque forpicibus evellit. Menti, gutturis, colli non obesi, sed succulenti, lactea cutis, quæ propius inspecta juvenili rubore suffunditur. Namque hunc illi crebro colorem non ira, sed verecundia facit. Teretes humeri, validi lacerti, dura brachia, patulæ manus, recedente alvo pectus accedens. Aream dorsi humilior inter excrementa costarum spina discriminat. Tuberosum est utrumque musculis prominentibus latus. In succinctis regnat vigor ilibus. C Corneum femur, internodia poplitum bene mascula. Maximus in minime rugosis genibus honor. Crura suris fulta turgentibus, & qui magna sustentat membra pes modicus. Si actionem diuturnam, quæ est forinsecus exposita, perquiras: antelucanos [4] sacerdotum suorum cœtus minimo comitatu expetit, grandi sedulitate veneratur: quamquam, si sermo secretus, possis animadvertere, quod

A servet istam pro consuetudine potius quam pro [5] ratione reverentiam. Reliquum mane regni administrandi cura sibi deputat. Circumsistit sellam comes armiger, pellitorum turba satellitum ne absit admittitur, ne obstrepat eliminatur: sicque pro foribus immurmurat [6] exclusa velis, inclusa cancellis. Inter hæc intromissis gentium legationibus, audit plurima, pauca respondet. Si quid tractabitur, differt: si quid expedietur, accelerat. Hora est secunda? surgit e solio, aut thesauris inspiciendis vacaturus, aut stabulis. Si venatione nuntiata procedit, arcum lateri innectere citra gravitatem regiam judicat: quem tamen, si cominus avem feramque aut venanti monstres, aut vianti sors offerat, manui post tergum reflexæ puer inserit, nervo lorove fluitantibus: quem sicut puerile computat gestare thecatum, ita muliebre accipere jam tensum. Igitur acceptum modo insinuatis e regione capitibus intendit, modo ad talum pendulum nodi parte conversa, languentem chordæ laqueum vagantis digito superlabente prosequitur: & mox spicula capit, implet, expellit: quidve cupias percuti, prior admonet: eligis quid faciat, quod elegeris ferit: & si ab alterutro errandum est, rarius fallitur figentis ictus, quam destinantis obtutus. Si in convivium venitur, quod quidem diebus profestis simile privato est, non ibi impolitam congeriem liventis argenti mensis cedentibus suspiriosus minister imponit. Maximum tunc pondus in verbis est: quippe cum illic aut nulla narrantur, aut seria. [7] Toreumatum peripetasmatumque modo conchyliata profertur suppellex, modo byssina. Cibi arte, non pretio placent: [8] fercula nitore, non pondere. Scyphorum, paterarumque raras oblationes facilius est ut accuset sitis, quam recuset ebrietas. Quid multis? Videas ibi elegantiam Græcam, [9] abundantiam Gallicanam, celeritatem Italam,

1. *Nihil regni defraudet invidia*] Hoc addit, quia rarum est, ut principes suis invisi non sint. Seneca Thyeste: *Simul ista mundi conditor posuit Deus, odium atque regnum.* Cicero pro Flacco: *Fæcem civitatum quid est negotii concitare? in eum præsertim, qui nuper summo cum imperio fuerit, summo autem in amore esse propter nomen ipsum imperii non potuerit?*

2. *Aurium legulæ*] Notæ sunt ligulæ in mensæ vasculis instar cochlearium. Aliud est cochlear, aliud ligula: sed nos hodie cochlearia vocamus, quæ ligulæ sunt verius. Ab harum similitudine aurium legulas dixit, quia curvæ & cavæ sunt: lolliginum item ligulas eamdem ob caussam Apulejus: ut contra, lienis regulam alibi Sidonius & Alcimus Avitus dixerunt, patuli & recti. Nec minus eleganter Severianus Gabalensis, qui cymbalum auribus tribuit homilia V. in Hexaemeron. *ἡ ἀκοὴ ἔχει τὴν χρῆσιν· ἔχει τὴν ὄψιν. τὸ γὰρ περικείμενον κύμβαλον κοσμεῖ τὸ ζῶον.* Legulam autem pro ligula agnoscunt etiam Glossaria, quæ *μύστρον* interpretantur.

3. *Crinium flagellis*] Gothicæ gentis mos fuit cæsariem discriminare, atque implexa crinium flagella in aures & terga demittere. Isidorus originum XIX. *Nonnullæ gentes non solum in vestibus, sed & in corpore aliqua sibi propria quasi insignia vendicant, ut videmus cirros Germanorum, granos & cinnabar Gothorum.* Ubi cirros intelligo in nodum coactos: quod proprium Suevorum, qui majorem Germaniæ partem obtinebant, insigne facit Tacitus: granos vero hæc ipsa crinium flagella: de quibus & synodus Bracarensis, cum de Lectoribus cavet, *ne granos gentili ritu dimittant.* Sic enim legendum recte monuit Garsias Loaysa: sed perperam exposuit de veste laica & oblonga, cum ex ipsis Isidori verbis liqueat granos ad vestes minime pertinere. Crinium porro flagella Francis etiam, regis præsertim stirpe natis, in usu fuisse docent Agathias lib. V. & Gregorius Turonensis lib. VI. cap. XXIV. & aliis locis.

4. *Sacerdotum suorum*] Suos dixit, Arrianos denotans, quales erant omnes Gothi.

5. In poster. edit. *religione*. Sic & Savaroniana, ac mss. aliqui.

6. *Exclusa velis, inclusa cancellis*] Sic & Corippus lib. III. Justini minoris consistorium describens, protectores extra velum collocat his versibus:

Nobilitas medios sedes Augusta penitus,
Quatuor eximiis circumvallata columnis.

Et post alia.

Vela tegunt postes: custodes ardua servant
D *Limina, & indignis intrare volentibus obstant,*
Condensi numeris fastu nutuque tremendi.

Consistorii regii fores velis prætendebantur: proxima huic statio cancellis septa & clausa erat. Intra velum, hoc est in consistorium ipsum, admissi comites & participes consilii: satellites inter cancellos & vela substitere. De his cancellis quibus Judicum item omnium secretaria vallabantur, Cassiodorus senator XI. Variarum VII. & Glossæ antiquæ: *Caula, cancelli ante Judicem. Extra caula, foris versus atria.* Græci *κιγκλίδας* vocant, hoc est, *θύρας δικτυωτὰς τῶν ἀρχείων, ἢ δικαστηρίων*, Suida teste.

7. *Toreumatum conchyliata supellex*] Libro II. epistola ad Serranum, *sericatum toreuma*, & lib. IX. in carmine Anacreontico, *rutilum toreuma bysso*. Quibus omnibus locis toreumata pro toralibus posuit, & voce abusus est, Prudentii exemplo in Psychomachia:

— — — *uda ubi multo*
Fulcra mero veterique toreumata rore rigantur.

E Et Salviani lib. IV. ad ecclesiam. Toreumata enim proprie sunt Thericlea vasa cælata, quibus nihil commune cum purpura & bysso. At toralia, stragulæ vestes lectorum tricliniarium: quæ vulgo ex pellibus erant, pro facultatum luxusque modo purpurea fiebant & serica. Cicero Philippica II. *Conchyliatis Cn. Pompeii peristromatis servorum in cellis lectos stratos videres.* Martialis lib. III.

Cubitis trudit & inde convivas,
Effultus ostro, sericisque pulvinis.

8. *Fercula nitore, non pondere*] Plerique *pondere* legunt: alii *splendore*, ut Pithœi codex, quod non minus arridet. Eadem enim conjunxit Plinius de Carmaniæ murrhinis agens lib. XXXVII. cap. II. *Splendor his sine viribus, nitorque verius, quam splendor.*

9. *Abundantiam Gallicanam*] Quam in dialogis non semel sugillat Sulpicius Severus: & Francis familiarem testatur Luitprandus Ticinensis lib. I. cap. VI. *Metensis*, ait, *episcopus cibaria ei multa secundum Francorum consuetudinem ministraret.*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.



publicam pompam, privatam diligentiam, regiam A diſciplinam. De [1] luxu autem illo ſabbatario narrationi meæ ſuperſedendum eſt, qui nec latentes poteſt latere perſonas. Ad cœpta redeatur. Dapibus expleto ſomnus meridianus ſæpe nullus, ſemper exiguus. Quibus horis viro tabula cordi eſt, teſſeras colligit rapide, inſpicit ſolicite, volvit argute, mittit inſtanter, [2] joculanter compellat, patienter exſpectat. In bonis jactibus tacet, in malis ridet, in neutris iraſcitur, in utriſque philoſophatur. Secundas faſtidit vel timere, vel facere: quarum opportunitates ſpernit oblatas, tranſit oppoſitas. Sine motu evaditur, ſine colludio evadit. Putes illum & in calculis arma tractare. Sola eſt illi cura vincendi. Cum laudandum eſt, regiam B ſequeſtrat tantiſper ſeveritatem, hortatur ad ludum, libertatem, communionemque. Dicam quod ſentio: timet timeri. Denique oblectatur commotione ſuperati: & tunc demum credit ſibi non ceſſiſſe collegam, cum fidem fecerit victoriæ ſuæ bilis aliena. Quodque mirere, ſæpe illa lætitia, minimis occaſionibus veniens, ingentium negotiorum merita fortunat. Tunc petitionibus diu ante per patrociniorum naufragia jactatis, abſolutionis ſubitæ portus aperitur. Tunc etiam ego aliquid obſecraturus feliciter vincor, quando mihi ad hoc tabula perit, ut cauſſa ſalvetur. Circa nonam recrudeſcit moles illa regnandi. Redeunt pulſantes, redeunt ſummoventes, ubique litigioſus fremit ambitus: qui tractus C in veſperam, cœna regia interpellante rareſcit, & per aulicos deinceps pro patronorum varietate diſpergitur, uſque ad tempus concubiæ noctis excubaturus. Sane intromittuntur, quamquam raro, inter cœnandum mimici ſales, ita ut nullus conviva mordacis linguæ felle feriatur. Sic tamen quod illic nec organa hydraulica ſonant, nec ſub phonaſco vocalium concentus meditatum acroama ſimul intonat. Nullus ibi lyriſtes, choraules, [3] meſochorus, tympaniſtria, pſaltria canit: rege ſolum illis fidibus delinito, quibus non minus mulcet virtus animum, quam cantus auditum. Cum ſurrexerit, inchoat nocturnas aulica gaza cuſtodias, armati regiæ domus aditibus aſſiſtunt, quibus horæ primi ſoporis vigilabuntur. Sed jam quid meas iſtud ad partes, qui tibi indicanda non multa de regno, ſed pauca de rege promiſi? Simul & ſtilo finem fieri decet; quia & tu cognoſcere viri non amplius quam ſtudia perſonamque voluiſti, & ego non hiſtoriam, ſed epiſtolam efficere curavi. Vale.

EPISTOLA III.

Sidonius [4] Philimatio ſuo ſalutem.

I Nunc, & legibus me ambitus interrogatum [5] ſenatu move, cur adipiſcendæ dignitati hereditariæ curis pervigilibus incumbam: [6] cui pater, ſocer, avus, proavus, præfecturis urbanis prætorianiſque, [7] magiſteriis palatinis militaribuſque micuerunt. Et ecce Gaudentius meus hactenus tantum Tribunitius, oſcitantem noſtrorum civium deſidiam [8] Vicariano apice tranſſcendit. Muſſitat quidem juvenum noſtrorum calcata generoſitas: ſed qui tranſit derogantes, in hoc ſolum movetur, ut gaudeat. Igitur venerantur huc uſque contemtum, ac ſubitæ ſtupentes dona fortunæ, quem conſeſſu deſpiciebant, ſede ſuſpiciunt. Ille obiter ſtertentum oblatratorum aures rauci voce præconis everberat: qui in eum licet ſtimulis inimicalibus excitentur, ſcamnis tamen amicalibus deputantur. [9] Unde te etiam par fuerit

1. *Luxu ſabbatario*] Feſtorum dierum, per quos publicis privatiſque conviviis major luxus: adeo quidem ut Cynico dente Antiſthenes ἑορτὴν γαστριμαργίας ἀφορμὴν vocitaret. Quin dies feſtos intelligat, dubium eſſe non poteſt. Hos enim profeſtis opponit, quorum convivia ſine luxu fuiſſe dixit. Sacrarum nempe litterarum more locutus eſt, quæ feſta omnia, quoſcumque in dies incidant, ſabbata vocant. σάββατον πᾶσαν ἑορτὴν καλῶν, ait Iſidorus D Peluſiotes lib. III. c. x. Conſtat quidem orientales olim in eccleſia etiam ſabbatis, perinde ac dominicis, feriari ſolitos, conventuſque ſacros agere: quam ob cauſſam Aſterius, Amaſeæ Ponti epiſcopus, in Homilia de repudio καλῶ τὴν συνωρίδα τοῦ σαββάτου καὶ τῆς κυριακῆς; & Gregorius Nyſſenus in oratione quadam dies illos fratres vocat, luxumque adeo & delicias ſabbatarias reprehendit: cum occidentales contra dominico contenti, ſabbati ferias, ut Judæorum proprias, neglexerint. Unde & Tertullianus in Apologetico: *Secundo loco ab iis ſumus, qui diem ſabbati otio & luxui diſcernunt*: id eſt dominico feriamur, ut illi ſabbato. Licet ergo potuerint fortaſſe Gothi, ut Græcorum diſciplinæ alumni, ſabbatis quoque Græcorum ritu feriari: aptius tamen eſt quod diximus, ſabbati nomine hoc loco dies feſtos omnes intelligi.

2. In aliquibus mss. *jocylariter*.

3. *Meſochorus*] Pertinet ad Pantomimos cordaciſtas, qui E cordacem αἰσχρὰν καὶ ἀπρεπῆ ὄρχησιν ſaltabant. His enim qui crotalis vel manuum plauſu ſigna dabat, quia in medio choro erat, meſochorus dicebatur, ut docuit nos vetus ſcholiaſtes Juvenalis ad ſatiram XI. Quo ſpectans Plinius junior lib. II. epiſtolas ad Maximum, meſochorum non inepte dixit eum, qui in auditorum corona ceteris ad laudandum oratorem conductis plaudendi ſignum dabat.

4. *Philimatio*] Lugdunenſi cauſſidico, de quo lib. V. epiſt. XVII. ad Eriphium ejus generum.

5. *Senatu move*] Lege Calpurnia ſancitum olim fuerat ambitus damnatos μήτε ἄρχειν, μήτε βουλεύειν, ita ut aditu curiæ honorumque perpetuo arcerentur. Lex Julia pœnam mitigavit, eamque redegit ad quinquennium: auctor Dio lib. XXXVI. & LVI. Verum lex Julia, ut Modeſtinus docet, in urbe ceſſavit, poſtquam magiſtratus a principe creari cœpti; & pœnæ in eos qui apud principem ambirent aliæ poſtea decretæ, ut lib. I. cod. Theod. ad legem Juliam de ambitu. Quare Sidonius, cum ſenatu movere leges ambitus dixit, non ad ſui, ſed ad ſuperiorum temporum morem reſpexit.

6. *Cui pater, avus, ſocer, proavus*] De proavo Sidonii, ejuſque honoribus nihil lectum memini. Apollinaris avus Præfectus prætorio Galliarum fuerat principe Honorio, pater imperante Valentiniano. Avitus denique ſocer, & præfectus item, & magiſter utriuſque militiæ, ut ſuis locis oſtendetur.

7. *Magiſteriis Palatinis*] Officiorum: quæ palatii magiſterii Eumenio rhetori pro ſcholis Aeduorum. Magiſter officiorum totam palatii diſciplinam, omneſque ſcholarum ordines & officia regebat. Inde nomen illi, vel ab officiis vel ab aula ipſa & palatio. Rutilius Numatianus:

Officiis regerem cum regia tecta magiſter,
Armigeraſque pii principis excubias.

Græci quoque nunc ἡγούμενον τῶν βασιλείων, ut Theodoretus lib. V. nunc ἡγεμόνα τῶν ἐν αὐλῇ τάξεων, ut Zoſimus lib. II. Gloſſæ noſtræ, μάγιστρος ὀφφικίων ὄνομα εἰδέν. ἦττον τὸ ἡγεμόνα τῶν αὐλικῶν καταλόγων διασημαίνων.

8. *Vicariano apice*] Vicariæ præfecturæ: qui Vicarianus honor, & Vicariana dignitas paſſim, aut etiam Vicaria abſolute, ut de Magiſteria dicebamus. Vicarii ergo erant, qui pro præfectis prætorio ſibi creditas aliquot provinciarum diœceſes adminiſtrabant: ut præfecti prætorio Italiæ Vicarii tres fuerunt, urbis Romæ, Italiæ & Africæ: totidem Præfecti prætorii Galliarum Vicarii, unus Hiſpaniarum, alter Britanniarum, tertius ſeptem provinciarum per Gallias, de quo heic agi cenſeo. Non enim audiendi ſunt, qui tres Vicarios in una Gallia ponunt, cum recte in Notitia ſcriptum ſit, Vicarios in occidente ſex tantum fuiſſe; hos nimirum quos enumeravimus. Quia igitur Vicarii proximo gradu erant a præfectis, Auſonius in Moſella Vicariam ſecundam præfecturam vocat, Vicarioſque Italiæ, & Britanniarum deſignat his verbis:

Aut Italum populos, Aquilonigenaſque Britannos
Præfecturarum titulo tenuere ſecundo.

9. *Unde te etiam par fuerit*] Suadet ut præfecturæ adſeſſionem ſibi oblatam recipiat, atque hujus muneris privilegio antiquati honoris, alterius fortaſſe adſeſſionis quam apud Vicarium geſſerat, jacturam reſarciat. Adſeſſores conſiliarii præfectorum peracta militia multis privilegiis ornabantur, ac Vicariis denique ipſis æquabantur, cod.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.

privilegio consiliorum præfecturæ, in [1] quæ par- A ticipanda deposceris, antiquati honoris perniciter sarcire dispendium: ne si extra prærogativam consiliarii in concilium veneris, solas vicariorum vices egisse videare. Vale.

EPISTOLA IV.

Sidonius [2] *Gaudentio suo salutem.*

MActe esto, vir amplissime, fascibus partis dote meritorum: quorum ut titulis apicibusque potiare, non maternos reditus, non avitas largitiones, non uxorias gemmas, non paternas pecunias B numeravisti: quia tibi e contrario [3] apud principis domum, inspecta sinceritas, spectata sedulitas, admissa sodalitas laudi fuere. O terque quaterque beatum te, de cujus culmine datur amicis lætitia, lividis pœna, posteris gloria: tum præterea vegetis & alacribus exemplum, desidibus & pigris incitamentum: & tamen si qui sunt, qui te quocumque animo deinceps æmulabuntur, sibi forsitan, si te consequantur, debeant: tibi debebunt procul dubio, quod sequuntur. Spectare mihi videor, bonorum pace præfata, illam in invidis ignaviam superbientem, & illud militandi inertibus familiare fastidium, cum a desperatione crescendi, inter bibendum philosophantes, ferias inhonoratorum laudant, vitio C desidiæ, non studio perfectionis. Cujus appetitus, ne adhuc pueris usui foret, majorum judicio rejiciebatur: sic adolescentum declamatiunculas pannis textilibus comparantes, intelligebant eloquia juvenum laboriosius brevia produci, quam porrecta succidi. Sed hinc quia ista hæc satis, quod subest, quæso, reminiscaris, velle me tibi studii hujusce vicissitudinem reponderare, modo me actionibus justis Deus annuens & sospitem præstet, & reducem. Vale.

EPISTOLA V.

Sidonius [4] *Heronio suo salutem.*

LItteras tuas Romæ positus accepi, quibus an secundum commune consilium se se peregrinationis meæ cœpta promoveant, solicitus inquiris. Viam etiam qualem qualiterque confecerim, quos aut fluvios viderim poetarum carminibus illustres, aut urbes mœnium situ inclytas, aut montes nominum opinione vulgatos, aut campos prœliorum replicatione monstrabiles: quia voluptuosum censeas, quæ lectione compereris, eorum qui inspexerint fideliore didicisse memoratu. Quocirca gaudeo te, quid agam, cupere cognoscere: namque hujuscemodi studium [5] ex affectu interiore proficiscitur. Ilicet, & si secus quæpiam, sub ope tamen Dei ordiar a secundis; quibus primordiis majores nostri etiam sinisteritatum suarum relationes evolvere auspicabantur. Egresso mihi [6] Rhodanusiæ nostræ mœnibus publicus cursus usui fuit, [7] utpote sacris apicibus accito, & quidem per domicilia sodalium, propinquorumque: ubi sane moram vianti non veredorum paucitas, sed amicorum multitudo faciebat: quæ mihi arcto implicita complexu, itum reditumque felicem certantibus votis comprecabatur. Sic Alpium jugis appropinquatum: quarum mihi citus & facilis ascensus, & inter utrimque terrentis latera prærupti cavatis in callem nivibus itinera mollita. Fluviorum quoque si qui non navigabiles, vada commoda, vel certe pervii pontes, quos antiquitas a fundamentis ad usque aggerem calcabili silice crustatum crypticis arcubus fornicavit. [8] Ticini cursoriam (sic navigio nomen) ascendi: qua in Eridanum brevi delatus, & cantatas sæpe comessaliter nobis Phaethontiadas, & commentitias arborei metalli lacrymas risi. Ulvosum Lambrum, cœrulum Adduam, velocem Athesim, pigrum Mincium, qui Ligusticis Euganeisque montibus oriebantur, paullum per ostia adversa subvectus, in suis etiam gurgitibus inspexi: quorum ripæ torique passim quernis acernisque ne- D moribus vestiebantur. Heic avium resonans dulce concentus, quibus nunc in concavis arundinibus, nunc quoque in juncis pungentibus, nunc & in scirpis

Theod. de comitibus qui inlustribus adsederunt. Qua prærogativa carebant, qui Vicariis tantum aut aliis minoribus judicibus adsederant. Ideo verendum ait Philematio, ne si extra præfectorianæ adsessionis prærogativam in concilium venerit, re ipsa sentiat se nullum fructum ex Vicariorum adsessione cepisse.

1. In poster. edit. *quam participandam*. Sic in aliis libris editis.

2. *Gaudentio*] Vicario VII. provinciarum, ejus honoris apices codicillosque tunc adepto.

3. *Apud principis domum*] Anthemii Aug. Vicarii a principe ipso creabantur, non a Præfectis. Cassiodorus senator in Formula Vicarii urbis, *Propria est jurisdictio, quæ datur a principe*. Proinde Maximinus ferox ille Præfectus prætorii, de quo Marcellinus lib. XXVIII. cum Vicariam Doryphoriano delatam cuperet, non eam detulit ipse, sed a principe impetravit. Secus rectores provinciarum, qui a Præfectis ipsis mittebantur removebanturque sine speciali auctoritate principis, ut patet ex lib. III. de officio PP. orientis & Illyrici, & lib. IX. de advocatis diverſ. judicum. Propterea vice tantum Præfectoria judicare dicebantur: Vicarii autem vice sacra, ut qui a principe jurisdictionem haberent. Senator idem, *vice sacra sententiam dicis*. Et lib. I. cod. de officio Vicarii, *Vicaria dignitas sacræ cognitionis habet potestatem, & judicationis nostræ solet repræsentare reverentiam*.

4. *Heronio*] Lugdunum ab urbe missa, ut duæ præcedentes, ac reliquæ hujus libri omnes præter ultimam. Hæc vero elegantissimam continet totius itineris Romani descriptionem.

5. In aliis in libris *de*.

6. *Rhodanusiæ nostræ*] Lugduni, patriæ utrique communis. Ut Rhodanusia Sidonio, sic Araria interdum aliis, quod ad utriusque fluminis confluentes posita sit. Alias quoque urbes ad Rhodanum sitas Rhodanitidas dixit in carmine anacreontico. Irenæus vero rationem ipsam tractumque circa Rhodanum Ῥοδανουσίαν, Rhodanusiam appellavit.

7. *Ut pote sacris apicibus accito*] Alioqui privato veredis publicis uti non licuisset, cum lex Honorii hoc excepto capite interdicat. *Ne quis*, ait, *sibi deinceps cursum publicum privatus usurpet, nisi cum aut a nobis evocatur, aut a clementiæ nostræ veneratione discedit*. Moris autem fuisse, ut quos ad se accirent principes, evectionem illis concederent, indicant litteræ Constantii Aug. S. Athanasium E evocantis apud Theodoretum lib. II. & Juliani ad Eustochium his verbis, ἧκε μεθέξων ὑπατείας. ἄξει δέ σε δημόσιος δρόμος ὀχήματι χρώμενον ἑνὶ, καὶ παρίππῳ.

8. *Ticini cursoriam*] Ostendit hic locus, cursum publicum non equis tantum vehiculisque stetisse, sed navigiis etiam ac dromonibus per flumina, lacus, sinus, ut res tulit, distributis. Quod sane verum est. Nam id satis quoque apparet ex tabula itineraria, quæ iter Verona Ravennam per Hostilias designans, Hostiliis Ravennam per Padum iter faciendum notat: & ex Senatore, apud quem Theodoricus rex dromonariis Hostiliensibus in hunc modum scribit lib. II. Variarum. *Et ideo comiti sacrarum largitionum nostra præcepit auctoritas, ut in Hostiliensi loco constitui debeatis: quatenus fiscali humanitate recreati, excursus cum veredariis per alveum Padi more solito faciatis: ut diviso labore equis publicis debeat subveniri, quando cursus vester non atteritur, qui per vias liquidas expeditur*. Dromonari remiges erant dromonum: dromones autem, δρόμωνες, cursoriæ, expediti cursus navigia huic rei destinata.

enodibus, nidorum strues imposita nutabat: quæ cuncta virgulta tumultuatim super amnicos margines soli bibuli succo fota fruticaverant. Atque obiter Cremonam pervectus adveni, cujus olim est Tityro Mantuano larium suspirata proximitas. Brixillum dein oppidum, dum succedenti [1] Æmiliano nautæ decedit Venetus remex, tantum ut exiremus, intravimus, Ravennam paullo post cursu dexteriore subeuntes: quo loci veterem civitatem, novumque portum, [2] media via Cæsaris ambigas utrum connectat, an separet. Insuper oppidum duplex pars interluit Padi certa, pars alluit: qui ab alveo principali molium publicarum discerptus objectu, & per easdem derivatis tramitibus exhaustus, sic dividua fluenta partitur, ut præbeant mœnibus circumfusa præsidium, infusa commercium. Huc cum peropportuna cuncta mercatui, tum præcipue quod esui competeret deferebatur: nisi quod, cum se se hinc salsum portis pelagus impingeret, hinc cloacali pulte fossarum discursu lintrium ventilata, & ipse lentati languidus lapsus humoris nauticis cuspidibus foraminato fundi glutino sordidaretur, in medio undarum sitiebamus: quia nusquam vel aquæ ductuum liquor integer, vel cisterna defæcabilis, vel fons irriguus, vel puteus illimis. Unde progressis ad Rubiconem ventum, qui originem nomini de glarearum puniceo colore mutuatur: quique olim Gallis Cisalpinis, [3] Italisque veteribus terminus erat, cum populis utriusque Adriatici maris oppida divisui fuere. Hinc Ariminum, Fanumque perveni, illud Juliana rebellione memorabile, hoc Asdrubaliano funere infectum. Siquidem illic Metaurus, cujus ita in longum felicitas uno die parta porrigitur, ac si etiam nunc Dalmatico salo cadavera sanguinolenta decoloratis gurgitibus inferret. Hinc cetera Flaminiæ oppida, statim ut ingrediebar, egressus, lævo Picentes, dextro Umbros latere transmisi. Ubi mihi seu Calaber Atabulus, seu pestilens regio Tuscorum, spiritu aeris venenatis flatibus inebriato, & modo calores alternante, modo frigora, vaporatum corpus infecit. Interea febris, sitisque penitissimum cordis medullarumque secretum depopulabantur. Quarum aviditati non solum amœna fontium, aut abstrusa puteorum, (quamquam hæc quoque) sed tota illa vel vicina vel obvia fluenta, id est vitrea Fucini, gelida Clitumni, Anienis cærula, Naris sulphurea, pura Fabaris, turbida Tiberis, metu tamen desiderium fallente, pollicebamur. Inter hæc patuit & Roma conspectui: cujus mihi [4] non solum formas, verum etiam naumachias videbar epotaturus. Ubi [5] prius quam vel pomœria contingerem, triumphalibus Apostolorum liminibus affusus, omnem protinus sensi membris male fortibus explosum esse langorem. Post quæ cælestis experimenta patrocinii, conducti diversorii parte susceptus, atque etiam nunc ista hæc inter jacendum scriptitans, quieti pauxillulum operam impendo. Neque adhuc principis, aulicorumque tumultuosis foribus obversor. Interveni etenim [6] nuptiis patricii Ricimeris, cui filia perennis Augusti in spem publicæ securitatis copulabatur. Igitur nunc in ista non modo personarum, sed etiam ordinum partiumque lætitia, Transalpino tuo latere conducibilius visum: quippe cum hoc ipso tempore quo hæc mihi exarabantur, vix per omnia theatra, macella, prætoria, fora, templa, gymnasia, [7] talassio fescenninus explicaretur. Atque etiamnum e contrario studia sileant, negotia quiescant, judicia conticescant, differantur legationes, vacet ambitus, & inter scurrilitates histrionum totus actionum feriarum status peregrinetur. Jam quidem virgo tradita est, jam [8] corona sponsus, jam palmata consularis, jam cyclade pronuba, jam toga senator honoratur, jam penulam deponit inglorius: & nondum tamen cuncta thalamorum pompa defremuit, quia necdum [9] ad mariti domum nova nupta migravit. Qua festivitate decursa, cetera tibi labo-

1. *Æmiliano nautæ decedit Venetus remex*] Quemadmodum in viis militaribus statæ mutationes erant vehiculorum equorumque qui cursui publico serviebant; sic in fluviis dromonum. De Ticinensi & Hostiliensi vidimus: nunc de Brixillensi docemur. Significat enim Brixilli, quod oppidum in dextra Padi ripa Æmiliæ fuit provinciæ, mutationem remigum fuisse, ac Venetis Æmilianos successisse; ita videlicet, ut supra Brixillum supernates dromonarii Veneti fuerint; deinceps vero infernates Æmiliani.

2. *Media via Cæsaris*] Quæ & ipsa tertii oppidi speciem gessit. Triplex enim Ravenna Jornandi in Geticis. Prima Ravenna, ultima Classis, media Cæsarea, Itaque *urbs vetus* Sidonii, est Ravenna, *πόλις ἀρχαία* Zosimo. *Novus portus*, Classis, nomen hoc a classe nacta, quam Augustus ibi collocavit. *Via Cæsaris*, Cæsarea ipsa, media inter urbem & mare. Quod sequitur *oppidum duplex*, non ad tria hæc membra, sed ad veterem tantum Ravennam referendum, quam Padi pars influens duplicem faciebat.

3. *Italis veteribus terminus*] Olim Rubico finis Italiæ. Cicero in Antonium Philip. VI. *ut exercitum citra flumen Rubiconem, qui finis est Galliæ, educeret*. Italiam enim a Gallia Cisalpina dirimebat. Post Augustum, qui Cisalpinam Italiæ adjecit, Italiæ finis Alpes fuere, non Rubico. Strabo lib. V. *Μετὰ δὲ τὴν ὑπώρειαν τῶν Ἄλπεων, ἀρχὴ τῆς νῦν Ἰταλίας*. *Post Alpium*, inquit, *radices initium nunc Italiæ*.

4. *Non solum formas*] Aquæ ductus. Cassiodorus in Comitiva Formarum urbis: *In formis Romanis utrumque præcipuum est, ut fabrica sit mirabilis, & aquarum salubritas singularis*. Cum tribus generibus ductus aquæ fiant, auctore Vitruvio, rivis per canales structiles, aut fistulis plumbeis, seu tubulis fictilibus; qui structiles fiunt rivorum canales, Formæ proprie nuncupantur. Nomen inde, ut apparet, quod subditis formis instruebantur. Qua ratione formacei quoque Afrorum Hispanorumque ex terra parietes dicti, quoniam in forma circumdatis duabus tabulis inferciantur, ut docet Plinius lib. XXXV. cap. XIV.

5. *Prius quam pomœria contingerem*] Extra pomœrium erat divi Petri basilica: nec clausa fuit ante Leonis papæ IV. tempora, qui novam nominis sui urbem mœnibus cinxit, quæ basilicæ præsidio esset adversus Sarracenos.

6. *Nuptiis patricii Ricimeris*] Harum etiam meminit epist. IX. & in Panegyrico Anthemii: *Sic socer Augustus genero Ricimere beatus*. Infaustæ nuptiæ: quas ingrato genero exprobrat Anthemius apud Ennodium in vita Epiphanii. *Quis*, inquit, *hoc veterum retro principum fecit umquam, ut inter munera quæ pellito Getæ dari necesse erat, pro quiete communi filia poneretur? Nescimus parcere sanguini nostro, dum servamus alienum*. Anthemii filiæ nomen Ascilam non fuisse, ut quidam censuerunt, monuimus in Notis ad Ennodium, simulque erroris fontem indicavimus ex verbis Gregorii Turonensis. Et quidem animadverti potuerat barbarum Ascilæ nomen Græcæ puellæ non convenire, cum Græcorum mos fuerit patriis & significantibus nominum vocabulis uti.

7. *Talassio Fescenninus*] Sic libri optimæ notæ. Alii *thalassia*, quod ad rem nihil facit. Talassionis autem & vox & carmen notum in nuptiis.

8. *Corona sponsus*] Primi Christiani corona in nuptiis usi non sunt. Nam cum in numinis alicujus tutela coronæ omnes essent, ideo abstinebant, ne profanæ religionis participes viderentur. Tertullianus de corona militis: *Coronant & nuptiæ sponsos: & ideo non nubimus ethnicis, ne nos ad idololatriam usque deducant, a qua apud illos nuptiæ incipiunt*. Postquam desiit hoc periculum, pristinum morem amplexi sunt: quem antiquissimum apud Hebræos fuisse testis est Esaias, qui sponsum corona decoratum describit cap. LXI. Basilius Seleuciæ in Tecla. *χορεύσω γὰρ ἐπὶ τῷ σῷ γάμῳ. κἀγὼ δὲ πλεκτήσω μέν σοι, περιθήσω δὲ τῷ νυμφίῳ τῷ σῷ τὸν πολύδακρυν στέφανον*. Theophanes Chronici auctor in Copronymo. *ἔζευξεν Εἰρήνην Λέοντι τῷ υἱῷ αὐτοῦ, στέψας αὐτοὺς ἐν τῷ ναῷ τοῦ ἁγίου Στεφάνου τῷ τῆς βασιλείας καὶ τοῦ γάμου*. *Irenen Leoni filio copulavit, coronans illos in sancti Stephani templo imperii simul ac nuptiarum corona*.

9. *Ad mariti domum*] Ducendæ ad maritum sponsæ primum exemplum, legemque a Deo manasse, qui Evam ad Adamum deduxit, probat Severianus hom. V. in Hexa-

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 472.

rum meorum molimina referabuntur, si tamen vel A consummata solemnitas aliquando terminaverit istam totius civitatis occupatissimam vacationem. Vale.

EPISTOLA VI.

Sidonius [1] *Eutropio suo salutem.*

OLim quidem scribere tibi concupiscebam, sed nunc vel maxime impellor, id est, cum mihi ducens in urbem, Christo propitiante, via carpitur. Scribendi caussa vel sola, vel maxima, qua te scilicet a profundo domesticæ quietis extractum ad capessenda [2] militiæ palatinæ munia vocem. His additur, quod munere Dei tibi congruit ævi, cor- B poris, animi vigor integer: dein quod equis, armis, veste, sumtu, famulitio instructus, solum, nisi fallimur, incipere formidas: & cum sis alacer domi, in aggredienda peregrinatione trepidum te iners desperatio facit: si tamen senatorii seminis homo, qui quotidie trabeatis proavorum imaginibus ingeritur, juste dicere potest semet peregrinatum, si semel & in juventa viderit domicilium legum, gymnasium litterarum, curiam dignitatum, verticem mundi, patriam libertatis, in qua unica [3] totius [4] mundi civitate soli barbari & servi peregrinantur. Et nunc (proh pudor!) si relinquare inter bussequas rusticanos, subulcosque ronchantes. Quippe si & campum stiva tremente proscindas, aut C prati floreas opes panda curvus falce populeris, aut vineam palmite gravem cernuus rastris fossor invertas; tunc est tibi summa votorum beatitudo. Quin potius expergiscere, & ad majora se pingui otio marcidus, & innervis animus attollat. Non minus est tuorum natalium viro, personam suam excolere, quam villam. Ad extremum quod tu tibi juventutis exercitium appellas, hoc est otium veteranorum, in quorum manibus effetis enses rubiginosi sero ligone mutantur. Esto, multiplicatis tibi spumabunt musta vinetis, innumeros quoque cumulos frugibus rupta congestis horrea dabunt, densum pecus gravidis uberibus in mulctram per antra olida caularum pinguis tibi pastor includet: quo spectat tam D fæculento patrimonium promovisse compendio; & non solum inter ista, sed quod est turpius, propter ista latuisse? Non nequiter te concilii tempore, post sedentes censentesque juvenes, inglorium rusticum, senem stantem, nobilem latitabundum pauperis honorati sententia premet, cum eos quos esset indignum si vestigia nostra sequerentur, videris dolens antecessisse. Sed quid plura? Si pateris hortantem conatuum tuorum socius adjutor, prævius particeps ero. Sin autem illecebrosis deliciarum cassibus involutus, mavis, ut ajunt, Epicuri dogmatibus copulari, qui jactura virtutis admissa, summum bonum sola corporis voluptate determinat, testor ecce majores, testor posteros nostros, huic me noxæ non esse confinem.

EPISTOLA VII.

Sidonius Vincentio suo salutem.

ANgit me [5] casus Arvandi, nec dissimulo quin angat. Namque hic quoque cumulus accedit laudibus imperatoris, quod amare palam licet & capite damnatos. Amicus homini fui, supra quam morum ejus facilitas varietasque patiebantur. Testatur hoc, propter ipsum mihi nuper invidia conflata, cujus me paullo incautiorem flamma detorruit. Sed quod in amicitia steti, mihi debui. Porro autem in natura ille non habuit diligentiam perseverandi: libere queror, non insultatorie: quia fidelium consilia despiciens, fortunæ ludibrium per omnia fuit: denique non eum aliquando cecidisse, sed tam diu stetisse plus miror. O quotiens sæpe ipse se adversa perpessum gloriabatur! cum tamen nos ab affectu profundiore ruituram ejus quandoque temeritatem miseraremur, definientes non esse felicem, qui hoc frequenter potius esse, quam semper judicaretur. Sed gubernationis suæ ordinem exposcis. Salva fidei reverentia, quæ amico etiam afflicto debetur, rem breviter exponam. Præfecturam primam gubernavit cum magna popularitate, consequentemque cum maxima populatione. Pariter onere depressus æris alieni, metu creditorum successuros sibi optimates æmulabatur. Omnium colloquia ridere, consilia rimari, officia contemnere, pati de occurrentum raritate suspicionem, de assiduitate fastidium: donec odii publici mole vallatus, & prius cinctus custodia, quam potestate discinctus, captus, destinatusque pervenit Romam: illico tumens, quod prospero cursu procellosum Tusciæ litus enavigasset, tamquam sibi bene conscio ipsa quodammodo elementa famularentur. In Capitolio custodiebatur ab hospite [6] Flavio Asello, comite sacrarum largitionum, qui adhuc in eo semifumantem præfecturæ nuper extortæ dignitatem venerabatur

emeron. Καὶ ὅρα τὸν νόμον. πᾶσα γὰρ Θεοῦ φωνὴ ἀρχαία κανὼν ἦν τῆς φύσεως. ἤγαγεν ὁ Θεὸς τὴν γυναῖκα πρὸς τὸν Ἀδάμ. καὶ ἔμεινεν οὗτος νόμος ἕως σήμερον, τὴν γυναῖκα ἄγεσθαι τῷ ἀνδρί, οὐ τὸν ἄνδρα πρὸς τὴν γυναῖκα. *Legem inspice: omnis quippe antiqua vox Dei regula est naturæ. Duxit Deus uxorem ad Adam; & manet hodieque lex illa, ut ducatur uxor ad virum, non vir ad uxorem.*

1. *Eutropio*] Viro nobili, adhuc quidem privato, postea præfecto prætorio Galliarum, lib. III. epist. VI.

2. *Militiæ palatinæ*] Non veræ militiæ, sed quo sensu militare palatio dicti omnes qui in aula versantur, etiam E si arma non tractent, ut notarii, scriniarii, largitionales & ceteri, de quibus titulus de privilegiis eorum qui sacro palatio militant. Quin immo militiam palatinam veræ & armatæ leges opponunt. Tria enim omnino militiæ genera distinguunt. Armatam seu militarem, quæ ita vocari cœpit, postquam militiæ nomen ad alia translatum. Palatinam eorum qui intra palatium merebant. Tertiam reliquorum omnium, qui diversis judicibus potestatibusque apparebant, qualis quæ militia proconsularis aut præfectiana dicebatur. Honorius Imp. de diversis officiis & appar. *Cujuslibet judicis apparitores, inter quos etiam præfectianos locamus, ad quamcumque aliam militiam vel palatinam vel militarem transierint, retrahendi hos copiam illis quos deseruere tribuimus.*

3. *Totius mundi civitate*] Orbis scilicet Romani, post Antoninum Pium, qui quod Augusto, si Dioni fides, suadebat Mecenas, re perfecit, ut jus Romanæ civitatis commune fieret omnibus subjectis. Novella LXXVIII. Justiniani. Quo factum ut Roma una omnium patria & civitas esset: in qua soli, quod ait Sidonius, peregrini censerentur aut servi, in quos jus illud cadere non poterat, aut barbari qui non parebant imperio.

4. In aliquibus libris *orbis*.

5. *Casus Arvandi*] Arvandi hujus præfecti prætorii Galliarum, & judicii quo majestatis Romæ damnatus est ab Anthemio, meminere veteres plerique Chronograghi, sed nomine interpolato. Cassiodorus, eumque secuti Marianus & Hermannus Aravundum vocant. Paullus diaconus Servandum: quo etiam modo Sigebertus, Otho, Conradus abbas & alii: verum nomen cum integra historia Sidonio debetur.

6. *Fl. Asello, comite sacrarum largitionum*] Qui in antiqua Inscriptione Fl. Eugenius Asellus. Hoc tempore comes erat largitionum: postmodum præfectus urbi fuit, in eoque magistratu in basilica S. Paulli aræ maximæ tholum cum quadrato circum aram exedræ ambitu reparavit. Vidimus ipsi, cum opus adhuc restaret (nunc enim eversum est) subjectas porphyreticis columnis bases marmoreas, atque in his binas ad utrumque aditum his verbis inscriptas.

FL. EUGENIUS ASELLUS
V. C. PRÆF. URBI
V. S. I. REPARAVIT.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.



tur. Interea legati provinciæ Galliæ [1] Tonantius A Ferreolus præfectorius, [2] Afranii Syagrii consulis e filia nepos, [3] Thaumastus quoque & Petronius, maxima rerum verborumque scientia præditi, & inter principalia patriæ nostræ decora ponendi, prævium Arvandum publico nomine accusaturi [4] cum gestis decretalibus insequuntur. Qui inter cetera quæ sibi provinciales agenda mandaverant, interceptas litteras deferebant, quas Arvandi scriba correptus dominum dictasse profitebatur. Hæc ad [5] regem Gothorum charta videbatur emitti, pacem cum Græco imperatore dissuadens, [6] Britannos super Ligerim sitos impugnari oportere demonstrans, [7] cum Burgundionibus jure gentium Gallias dividi debere confirmans, & in hunc ferme modum plurima insana, quæ iram regi feroci, placido verecundiam inferrent. Hanc epistolam læsæ majestatis crimine ardenter juris consulti interpretabantur. Me & [8] Auxanium, præstantissimum virum, tractatus iste non latuit, qui Arvandi amicitias, quoquo genere incursas, inter ipsius adversa vitare, perfidum, barbarum, ignavum computabamus. Deferimus igitur nihil tale metuenti [9] totam perimachiam, quam summo artificio acres & flammei viri occulere in tempus judicii meditabantur: scilicet ut adversarium incautum, & consiliis sodalium repudiatis sibi soli temere fidentem professione responsi præcipitis involverent. Dicimus ergo, quid nobis, quid amicis secretioribus tutum putaretur. Suademus nil quasi leve fatendum, si quid ab inimicis etiam pro levissimo flagitaretur: ipsam illam dissimulationem tribulosissimam fore, quo facilius persuasionis securitatem inferrent. Quibus agnitis, proripit se se; atque in convicia subita prorumpens, Abite degeneres, inquit, & præfectoriis patribus indigni, cum hac superforanea trepidatione: mihi, quia nihil intelligitis, hanc negotii partem finite curandam. Satis Arvando conscientia sua sufficit: vix illud dignabor admittere, ut advocati mihi in actionibus repetundarum patrocinentur. Discedimus tristes, & non magis injuria, quam mærore confusi: quis enim medicorum jure moveatur, quotiens desperatum furor arripiat? Inter hæc reus noster aream Capitolinam percurrere albatus: modo subdolis salutationibus pasci, modo crepantes adulationum bullas ut recognoscens libenter audire, modo serica, & gemmas, & pretiosa quæque trapezitarum involucra rimari, & quasi mercaturus inspicere, prensare, depretiare, devolvere, & inter agendum multum de legibus, de temporibus, de senatu, de principe queri, quod se non prius quam discuterent, ulciscerentur. Pauci medii dies: it in tractatorium frequens senatus: sic post comperi: nam inter ista di-
B scesseram. Procedit noster ad curiam paullo ante detonsus pumicatusque, cum accusatores semipullati atque concreti, nuntios [10] a decemviris operirentur, & ab industria squalidi præripuissent reo debitam miserationem sub invidia sordidatorum. Citati intromittuntur: partes, ut moris est, e regione consistunt. Offertur præfectoriis, ante propositionis exordium, jus sedendi. Arvandus jam tunc infelici impudentia concito gressu mediis prope judicum finibus ingeritur. Ferreolus, circumsistentibus latera collegis, verecunde ac leniter in imo subselliorum capite consedit, ita ut non minus legatum se quam senatorem reminisceretur: plus ob hoc postea laudatus, honoratusque. Dum hæc, & qui
C procerum defuerant, affuerunt, consurgunt partes, legatique proponunt. Epistola, post provinciale mandatum cujus supra mentio facta est, profertur: atque cum sensim recitaretur, Arvandus necdum interrogatus se dictasse proclamat. Respondere legati, quamquam valde nequiter constaret, quod ipse dictasset. At ubi se furens ille, quantumque caderet ignarus, bis terque repetita confessione transfodit, acclamatur ab accusatoribus, conclamatur a judicibus, reum læsæ majestatis confitentem teneri. Ad hoc, & millibus formularum juris id sancien-

1. *Tonantius Ferreolus præfectorius*] Præfectus fuerat prætorii Galliarum. In carmine Propemptico.

Hic docti invenies patrem Tonanti,
Rectorem columenque Galliarum,
Prisci Ferreolum parem Syagri.

Sed de Ferreolo Sidonii affine plura ad epistolam XII. lib. VII. Nunc satis sit monere, falli eos qui hoc loco Tonantium a Ferreolo distinguunt, quasi duo sint, cum unicus sit Ferreolus prænomine Tonantius; sicut Afranius Syagrius non duorum, sed unius est appellatio. Alioqui quatuor ab una provincia legati essent, cum plures quam ternos mitti leges vetent.

2. *Afranii Syagrii consulis*] Syagrii consulatum quem Gratiano imperante cum Antonio gessit, fasti omnes loquuntur, Afranii prænomen unus habet Sidonius. Quod vero Postumum Syagrium in commentariis suis appellat Onufrius, suo nimirum more facit, quo solet vir diligentissimus, nomina quæ semel in uno quopiam conjuncta meminerit, in omnibus copulare quos eorum aliquo affectos videt. Sic enim post aliquot annos Atticum qui collega fuit Cæsarii, Pontium cognominat, quia Pontium Atticum per ea tempora virum clarissimum legerat: cum tamen ex lapide sepulcrali qui Romæ visitur, certum sit Attici hujus consulis cognomen Nonium fuisse, non Pontium. Sic & Mariniani, Asclepiodoti collegæ, nomina concinnans, Rufium Prætextatum Marinianum finxit pro Fl. Avito Mariniano, ut in alio marmore appellatur: & pro Petronio Maximo Sidonii nostri, Anicium Maximum. Eodemque modo in aliis compluribus, quos heic persequi consilium non est. De Syagrio autem dicetur ad librum V.

3. *Thaumastus quoque & Petronius*] Thaumasto Apollinaris fratri scribit lib. V. epist. VI. Petronio Arelatensi, ut reor, jurisconsulto lib. II. V. & VIII.

4. *Cum gestis decretalibus*] Quæ provincialium decretum de Arvandi accusatione continebant: quod infra provinciale mandatum, pagina decretalis dicitur in concione Bituricensi. Legati enim sine civitatis aut provinciæ a qua missi fuerunt, decreti tabulis non audiebantur. L. II. cod. Theod. de legatis.

5. *Regem Gothorum*] Euricum, qui Theodorico fratri, de quo epist. II. dictum, successerat ante biennium. Græcus autem imperator quocum pacem fieri nolebat Arvan-
D dus, non est Leo, qui procul a Gothis in oriente regnabat, sed Anthemius qui Romam e Græcia venerat, ideoque ab Arvando Græcus imp. per ludibrium vocatur, ut a Ricimere Galata & Græculus apud Ennodium in Epiphanio.

6. *Britannos supra Ligerim*] Armoricos. Ne quis de Britannia Insula cogitaret, notam adjecit qua Britones Gallicos designavit. Horum, cum scriberit Sidonius, rex fuit Riothimus, is quem Euricus, ut Jornandes in Geticis narrat, Anthemio Aug. suppetias ferentem ad Bituricas profligavit.

7. *Cum Burgundionibus*] Ut Britanni in Armoricis, sic Burgundiones in Sequanis & finitimis Galliæ populis sedes fixerant. Rex autem illorum hoc tempore Gundeucus, opinor, seu Gunduicius, Gundobaldi & fratrum parens.

8. *Auxanium*] Præfectorio patre natum Arvandi verbis mox docebit. Sed Auxanios in Gallia præter hunc insignes duos eadem ætas habuit. Unum episcopum, qui cum
E Fausto Rejensi Romam de Hermetis Narbonensis caussa legatus Hilari papæ synodo interfuit, ut Hilari epistolæ testantur. Alterum abbatem, Sidoniani Abrahæ apud Arvernos successorem: de quo lib. VII. epist. XVII. ad Volusianum.

9. *Totam perimachiam*] Totum susceptæ accusationis ordinem & apparatum. Legati enim, cum duplici actione Arvandum aggredi liceret, majestatis ob litteras ad Euricum datas, & repetundarum ob notas posterioris præfecturæ populationes; solam hanc præ se ferebant, de majestate studio dissimulabant, ut incautum in judicio imparatumque opprimerent.

10. *A decemviris*] Quidam legendum conjiciunt *a quinque viris*: quia scilicet de capite senatoris cum præfecto urbis judicabant quinque senatores sorte ducti, ex lege ultima cod. Theod. de Jurisdictione: & l. XIII. de accusationibus. Quod sane post Sidonii etiam tempora observatum, prodit judicium Basilii & Prætextati apud Cassiodorum IV. Variarum. Sed in Decemviris hoc loco libri omnes consentiunt.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 472.

tum jugulabatur. Tum demum laboriosus tarda pœnitudine loquacitatis impalluisse perhibetur, sero cognoscens posse reum majestatis pronuntiari etiam eum, qui non affectasset habitum purpuratorum. Confestim privilegiis geminæ præfecturæ, quam per quinquennium repetitis fascibus rexerat, exauguratus, & plebejæ familiæ non ut additus, sed ut redditus, publico carceri adjudicatus est. Illud sane ærumnosissimum, sicut narravere qui viderant, quod quia se sub atratis accusatoribus exornatum ille, politumque judicibus intulerat, paullo post cum duceretur addictus, miser, nec miserabilis erat. Quis enim super statu ejus nimis inflecteretur, quem videret accuratum delibutumque latomiis aut ergastulo inferri? Sed & judicio vix per hebdomadem duplicem comperendinato, capite multatus, in [1] insulam conjectus est serpentis Epidaurii: ubi usque ad inimicorum dolorem devenustatus, & a rebus humanis veluti vomitu fortunæ nauseantis exsputus, nunc [2] ex vetere senatus consulto Tiberiano triginta dierum vitam post sententiam trahit, uncum & gemonias, & laqueum per horas turbulenti carnificis horrescens. Nos quidem, prout valemus, absentes præsentesque vota facimus, preces supplicationesque geminamus, ut suspenso ictu jam jamque mucronis exserti, pietas Augusta seminecem, quamquam publicatis bonis, vel [3] exsilio muneretur. Illo tamen, seu exspectat extrema quæque, seu sustinet, infelicius nihil est, si post tot notas inustas contumeliasque, aliquid nunc amplius quam vivere timet. Vale.

EPISTOLA VIII.

Sidonius [4] Candidiano suo salutem.

Morari me Romæ congratularis: id tamen quasi facete, & fatigationum salibus admixtis. Ais enim gaudere te, quod aliquando necessa-A rius tuus videam solem, quem utique raro bibitor Ataricus inspexerim. Nebulas enim mihi meorum Lugdunensium exprobras, & diem quereris nobis matutina caligine obstructum vix meridiano fervore reserari. Et tu mihi hæc ista Cæsenatis furni potius quam oppidi verna deblateras? De cujus natalis tibi soli, vel jocunditate, vel commodo; quid etiam ipse sentires, dum migras, indicasti: ita tamen quod te Ravennæ felicius exsulantem, auribus Padano culice perfossis, municipalium ranarum loquax turba circumsilit. In qua palude indesinenter rerum omnium lege perversa, muri cadunt, aquæ stant, turres fluunt, naves sedent, ægri deambulant, medici jacent, algent balnea, do-B micilia conflagrant, sitiunt vivi, natant sepulti, vigilant fures, dormiunt potestates, [5] fenerantur clerici, Syri psallunt, [6] negotiatores militant, milites negotiantur, student pilæ senes, aleæ juvenes, [7] armis eunuchi, litteris fœderati. Tu vide qualis sit civitas, ubi tibi lar familiaris incolitur, quæ [8] facilius territorium potuit habere, quam terram. Quocirca memento innoxiis Transalpinis esse parcendum, quibus cæli sui dote contentis, non grandis gloria datur, si deteriorum collatione clarescant. Vale.

EPISTOLA IX.

C *Sidonius [9] Heronio suo salutem.*

Post nuptias patricii Ricimeris, id est, post imperii utriusque opes eventilatas, tandem reditum est in publicam serietatem, quæ rebus actitandis januam, campumque patefecit. Interea nos [10] Paulli præfectorii tam doctrina quam sanctitate venerandis laribus excepti, comiter blandæ hospitalitatis officiis excolebamur. Porro non isto quisquam viro est in omni artium genere præstantior. Deus

1. *Insulam serpentis Epidaurii*] Æsculapii. Triplex itaque in hoc judicio Arvandi custodia. Primum enim liberæ custodiæ traditur hospiti Asello: quod hominis dignitati tributum est judicio nondum constituto, ex L. I. d. de custodia reorum. Reos enim dignitate conspicuos, ut senatores, ante probationes carceri non addicebant. Quo alludens Hieronymus adversus Vigilantium, *Senatoriæ videlicet dignitatis sunt*, inquit, *ut non inter homicidas teterrimo carcere, sed in libera honestaque custodia, in fortunatorum Insulis, & in campis Elysiis recluduntur.* Post hæc comperto jam crimine publico carceri addicitur. Venulejus d. cod. L. v. *Si confessus fuerit reus donec de eo pronuntietur, in vincula publica conjiciendus est.* Nunc denique judicum sententiis damnatus in insulam Tiberinam conjicitur, donec ad principem referatur.

2. *Ex senatus consulto Tiberiano*] Quod Tiberii Augusti jussu factum est, ut pœnæ damnatorum a senatu in decimum semper diem differrentur; ut narrant Tacitus III. Annal. & Dio lib. LVII. Verum Arvando pœna non x. sed xxx. dierum spatio dilata. Quare Justus Lipsius Sidonium memoria lapsum censuit, qui senatusconsulto Tiberiano tribuat quod proprium erat legis Theodosianæ, Si vindicari cod. de pœnis, quæ dies xxx. pœnam suspendi jussit. Sed nos politissimo viro assentiri res ipsa vetat. Etenim lex Theodosii, ut verba declarant, solius principis sententias coercuit, senatusconsultum sola senatus judicia, ut Dio notat. Arvandi vero judicium senatorium fuit, ac proinde ex senatusconsulto, non ex lege moderandum. Quod igitur xxx. dies senatusconsulto adscribit, argumento est, ad dies x. veteris senatusconsulti accessisse postea (quo tempore incertum) dies alios xx. & tamen eidem senatusconsulto tributos fuisse, quo more legibus Juliis, aliisque multa quæ illis postea adjecta fuerunt, tribui solere juris interpretes observarunt.

3. *Exsilio muneretur*] Hoc Sidonii precibus concessisse videtur Anthemius. Nam Cassiodorus, Paullus diaconus & alii; Arvandum jussu Anthemii non morte, sed exsilio multatum scribunt.

4. *Candidiano*] Fuit is Cæsenas patria, sed domo Ravennas. Ravennam enim migrarat. Huic vero cognominis, & qui per ætatem avus esse potuit, Candidianus alter, qui contra Joannem tyrannum ad Ravennam multa fortiter gessit: de quo inter alios Olympiodorus in excerptis Photii.

5. *Fenerantur clerici, Syri psallunt*] Procul erant a fe-D noris quæstu clerici; quos quoquo modo fenerentur ordine moveri, καθαιρεῖσθαι τοῦ κλήρου, canones jubent. At Syrorum ars propria fenerari. Quare Syrorum nomine feneratorum genus omne complexus est, ut Salvianus lib. IV. de Providentia: *Consideremus solas negotiatorum & Syricorum omnium turbas, quæ majorem ferme civitatum universarum partem occuparunt.*

6. *Negotiatores militant, milites negotiantur*] Non solum armata, sed omni prorsus militia negotiatores prohibiti. Cod. Negotiatores ne militent. Militibus rursum non sola mercatura, sed alia quoque privati usus negotia interdicta. Ambrosius lib I. de Officiis: *Etenim si is qui imperatori militat a susceptionibus litium, actu negotiorum forensium, venditione mercium probibetur humanis legibus; quanto magis qui fidei exercet militiam ab omni usu negotiationis abstinere debet?*

7. *Armis eunuchi, litteris fœderati*] Militare eunuchos jure non potuisse arguit lex IV. d. de re militari: &
E Claudianus in Eutropium, *Arma relinque viris*. Fœderati autem, quos iterum nominat lib. II. epistola XIII. militum genus erant e barbaris gentibus, quæ pro Romanis principibus militabant. In quibus facile principes Gothi, qui a Constantino primum conducti Fœderatorum inde nomen sortiti sunt. Γότθοι φοιδεράτοι in epitome Novellæ Græcæ XI. Sed fœderatos ex aliis etiam gentibus dictos docet Olympiodorus in excerptis Photii, & Novella XXXI. Theodosii, quæ Sarracenos fœderatos commemorat. Item Procopius I. belli Persici.

8. *Facilius territorium quam terram*] Propter circumfusas paludes, quæ terræ partem occupant, ejusque usum negant. Est enim proprie terra quæ aratur & colitur: territorium quoquo civitatis fines & jura tenduntur.

9. *Heronio*] Ad quem scripsit epistolam V. cujus hæc quodam modo succidanea est, reliqua persequens Romanæ narrationis, cum præfecturam urbis adeptus jam esset.

10. *Paulli præfectorii*] De hoc Sidonii hospite Paullo quem tantopere laudat, nihil compertum.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.

bone, quæ ille propositionibus ænigmata, sententiis A schemata, versibus commata, digitis mechanemata facit? Illud tamen in eodem studiorum omnium culmen antevenit, quod habet huic eminenti scientiæ conscientiam superiorem. Igitur per hunc primum, si quis quoquo modo aulam gratiæ aditus, exploro: cum hoc confero, quinam potissimum procerum spebus valeret nostris opitulari. Nec sane multa cunctatio, quia pauci, de quorum eligendo patrocinio dubitaretur. Erant quidem in senatu plerique opibus culti, genere sublimes, ætate graves, consilio utiles, dignitate elati, dignatione communes: sed servata pace reliquorum, duo fastigatissimi consulares, [1] Gennadius Avienus, & [2] Cæcina Basilius præ ceteris conspiciebantur. Hi in amplissimo ordine, B seposita [3] prærogativa partis armatæ, facile post purpuratum principem principes erant. Sed inter hos quoque, quamquam stupendi, tamen varii mores, & genii potius quam ingenii similitudo. Fabor namque super his aliqua succinctius. Avienus ad consulatum felicitate, Basilius virtute pervenerat. Itaque dignitatum in Avieno jocunda velocitas, in Basilio sera numerositas prædicabatur. Utrumque quidem, si fors laribus egrediebantur, arctabat clientium prævia, pedissequa, circumfusa populositas: sed longe in paribus dispares sodalium spes & spiritus erant. Avienus si quid poterat, in filiis, generis, fratribus provehendis moliebatur; cumque semper domesticis candidatis destringeretur, C erga expediendas forinsecus ambientium necessitates minus valenter efficax erat: & in hoc Corvinorum familiæ Deciana præferebatur, quod qualia impetrabat cinctus Avienus suis, talia conferebat Basilius discinctus alienis. Avieni animus totis, & cito, sed infructuosius; Basilii paucis, & sero, sed commodius aperiebatur. Neuter aditu difficili, neuter sumtuoso: sed si utrumque coluisses, facilius ab Avieno familiaritatem, a Basilio beneficium consequebare. Quibus diu utrimque libratis; id tractatus mutuus temperavit, ut reservata senioris consularis reverentia, in domum cujus nec nimis raro ventitabamus, Basilianis potius frequentatoribus applicaremur. Ilicet dum per hunc amplissimum virum aliquid de legationis Arvernæ petitionibus elaboramus, ecce Calendæ Januariæ, quæ [4] Augusti consulis mox futuri repetendum fastis nomen opperiebantur. Tunc patronus, [5] Eia, inquit, Solli meus, quamquam suscepti officii onere pressaris, exseras volo in obsequium novi consulis veterem musam, votivum quippiam vel tumultuariis fidibus carminantem. Præbebo admittendo aditum, recitaturoque solatium, recitantique suffragium. Si quid experto credis, multa tibi seria hoc ludo promovebuntur. Parui [6] ergo præceptis: favorem ille non subtraxit injunctis: & impositæ devotionis astipulator invictus, egit cum consule meo, ut me [7] præfectum faceret senatui suo. Sed tu, ni fallor, epistolæ perosus prolixitatem, voluptuosius nunc [8] opusculi ipsius relegendis versibus immorabere, scio; atque ob hoc carmen ipsum loquax in consequentibus charta deportat, quæ pro me interim dum venio diebus tibi pauculis sermocinetur. Cui si exa-

1. *Gennadius Avienus*] Collega Valentiniani Aug. septimo ejus consulatu, anno Christi CDL. Vetus Inscriptio Romæ in basilica D. Paulli.

FL. CELERINUS V. D. SCRINIARIUS INL. PATRICIÆ SEDIS DEP. ID. NOVEMB. D. N. FL. VALENTINIANO AUG. VII. ET AVIENO V. C. COSS.

Idem biennio a consulatu honorifica cum Leone magno ad Attilam regem legatione functus est, ut ex Prosperi chronico didici: cujus verba hoc loco propterea subjiciam, quod memorabilis & hactenus inauditæ rei notitiam continent, cum in vulgatis Prosperi editionibus desideretur: sic autem habent in antiquo exemplari:

HERCULANO ET SPORATIO COSS.

Attila redintegratis viribus quas in Gallia amiserat, Italiam ingredi per Pannonias intendit: nihil duce nostro Aetio secundum prioris belli opera prospiciente; ita ut ne clusuris quidem Alpium quibus hostes prohiberi poterant, uteretur: hoc solum spei suis superesse existimans, si ab omni Italia cum imperatore discederet. Sed cum hoc plenum dedecoris & periculi videretur, continuit verecundia metum, & tot nobilium provinciarum latissima eversione credita est sævitia & cupiditas hostilis expleta. Nihilque inter omnia consilia principis ac senatus populique Romani salubrius visum est, quam ut per legatos pax truculentissimi regis expeteretur. Suscepit hoc negotium cum viro consulari Avieno, & viro præfectorio Trigetio beatissimus papa Leo auxilio Dei fretus, quem sciret numquam piorum laboribus defuisse. Nec aliud secutum quam præsumserat fides. Nam tota legatione dignanter accepta, ita summi sacerdotis præsentia rex gavisus est, ut bello abstineri præciperet, & ultra Danubium promissa pace discederet.

2. *Cæcina Basilius*] Quinto ante hæc anno consul cum Viviano. Fuerat idem & præfectus præt. Italiæ per aliquot annos, & patricius, ut testantur Novellæ Majoriani & Severi. Post hunc autem Basilium, duo alii ejus nominis consules fuere: unus ultimo anno Odoacris, qui ad hujus nostri discrimen Basilius junior dicitur a Cassiodoro, qui & ipse præfectus prætorio Italiæ ac patricius fuit: alter anno XV. Justiniani, ordinariorum consulum postremus.

3. *Prærogativa partis armatæ*] Pars armata est, cui opponitur civilis. In Panegyrico Majoriani, de Petro magistro epistolarum ejus:

Qui cum civilis [illegible] partis habenas,
Sustinet armati curas.

Vegetius item Renatus lib. I. *[illegible] armatam: necdum enim pars [illegible]* juventutem. In illa censentur qui arma tractant; in hac qui leges, & reliqua studia pacis. Ut ergo duplicem hoc loco senatum distinguit Sidonius, sic duplicem Maximi imp. aulam Paullinus lib. III. de vita S. Martini.

Adduntur lecti proceres, quos regia juxta
Culmina vicini splendor connectit honoris,
Insignes trabeis, legum armorumque tenentes
Arbitrium, vel jura fori, vel classica belli.

4. *Augusti consulis mox futuri*] Anthemii, qui jam antea consul fuerat in oriente, sed privatus, nunc iterum suscepto imperio futurus, ut novis principibus mos erat. Solebant enim novi imperatores proximis post imperii auspicia Calendis Januarii consulatum edere, quod Fasti omnes ostendunt, & Sidonius de Avito carmine VIII.

Principis anterior, nunc consulis iste coruscat
Annus, & merita trabeis diademata crescunt.

D Plinius quoque junior Trajani moderationem laudat, quod hunc annum qui ejus fascibus de more debebatur, privatis consulibus credere maluerit: cum ab aliis principibus tanta aviditate ambiretur, ut illum plerique destinatis consulibus præreptum in se transferrent. Hinc est quod post tempora Justiniani, cum sublatis consulibus ordinariis, in publicis monimentis imperii simul & consulatus principum notæ jungerentur, anno uno posterior erat æra consulatus, hoc modo, *Data Calendis Maii C. P. imperante Augusto Fl. Heraclio anno* IX. *& post consulatum ejusdem anno* VIII. quia imperium Heraclius Martio mense inierat, sequenti deinde Januario consulatum. At in synodo VI. actione I. Constantini imp. annus XXVII. cum anno post ejus consulatum XII. comparatur, magno numeri utriusque intervallo, propterea quod in annis imperii omnes ii computantur, quibus cum patre superstite ante consulatum suum regnarat.

E 5. *Eia, inquit, Solli*] De panegyrico Anthemii quem Basilii hortatu dictum ait, dicetur suo loco: de more autem novos consules per panegyricos salutandi, lib. VIII. epist. VI.

6. In aliquibus libris *ego*.

7. *Præfectum senatui suo*] Hinc liquet Sidonium præfectura urbis donatum ab Anthemio II. consule, hoc est anno CDLXVIII. Præfectum urbis præfectum senatus vocat, quia senatus princeps erat, patres consulebat, de illis judicabat, illorumque jura tuebatur. Senator in Formul[illegible]. Symmachus lib. X. Epist. Numatianus ex præfecto urbi

Si non displicui, regerem cum jura Quirini,
Si colui sanctos consuluique patres.

Et Sidonius ipse suam hanc præfecturam in Sapphico sic describit:

— — — [illegible] honorem,
Qui patrum ac pl[illegible],
Jura gub[illegible].

8. *Opusculi ipsius*] Panegyrici Anthemiani, quem cum h[illegible].

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.

minis tui quoque puncta tribuantur, æque gratum A mihi, ac si me in comitio vel inter rostra concionante, ad sophos meum, non modo lati clavi, sed tribulium quoque fragor concitaretur. Sane moneo, præque denuntio, quisquilias ipsas Clius tuæ hexametris minime exæques. Merito enim collata vestris mea carmina, non heroicorum phaleris, sed epitaphistarum næniis comparabuntur. At tamen gaude, quod hic ipse panegyricus, & si non judicium, certe eventum boni operis accepit. Quapropter, si tamen tetrica sunt amœnanda jocularibus, volo paginam glorioso, id est, quasi Thrasoniano fine concludere, Plautini Pyrgopolynicis imitator. Igitur cum ad præfecturam, sub ope Christi, stili occasione pervenerim, jubeas ilicet [1] pro B potestate cinctuti, undique omnium laudum convasatis acclamationibus, ad astra portare, si placeo, eloquentiam; si displiceo, felicitatem. Videre mihi videor ut rideas, quia perspicis nostram cum milite Comico ferocissimo jactantiam. Vale.

EPISTOLA X.

Sidonius [2] Campaniano suo salutem.

Accepi [3] per præfectum annonæ litteras tuas, C quibus eum tibi sodalem veterem mihi insinuas judici novo. Gratias ago magnas illi, maximas tibi, quod statuistis de amicitia mea, vel præsumere tuta, vel illæsa credere. Ego vero notitiam viri familiaritatemque, non solum volens, sed & avidus amplector: quippe qui noverim mihi fore copulatiorem quoque gratiam hoc obsequio meo fore copulatiorem. Sed & tu vigilantiæ suæ me, id est, famæ meæ statum caussamque commenda. Vereor autem ne [4] famem populi Romani theatralis caveæ fragor insonet, & infortunio meo publica deputetur esuries. Sane hunc ipsum e vestigio ad portum mittere paro, quia comperi naves quinque Brundusio profectas cum speciebus tritici ac mellis, ostia Tiberina tetigisse. Quarum onera exspectationi plebis, D si quid strenue gerit, raptim faciet offerri, commendaturus se mihi, me populo, utrumque tibi. Vale.

EPISTOLA XI.

Sidonius [5] Montio suo salutem.

Petis tibi, vir disertissime, Sequanos tuos expetituro satyram nescio quam, si sit a nobis perscripta, transmitti: quod equidem te postulasse demiror. Non enim sanctum est, ut de moribus amici cito perperam sentias. Huic eram themati scilicet incubaturus, id jam agens otii, idque habens ævi, quod juvenem militantemque dictasse præsumtiosum fuisset, publicasse autem periculosum. Cui namque grammaticum vel salutanti Calaber ille non dixit;

Si mala condiderit in quem quis carmina, jus est,
Judiciumque?

Sed ne quid ultra tu de sodali simile credas, quid fuerit illud, quod me sinistræ rumor ac fumus opinionis afflavit, longius paullo, sed ab origine exponam. Temporibus Augusti Majoriani, venit in medium charta comitatum, sed carens indice, versuum plena satyricorum mordacium: sane qui satis invectivaliter abusi nominum nuditate, carpebant plurimum vitia, plus homines. Inter hæc fremere Arelatenses, quo loci res agebatur, & quærere quem poetarum publici furoris merito pondus urgeret, iis maxime auctoribus quos notis certis auctor incertus exacerbaverat. Accidit casu, ut [6] Catullinus illustris tunc ab Arvernis illo veniret, cum semper mihi, tum præcipue commilitio recenti familiaris. Sæpe enim cives magis amicos peregrinatio facit. Igitur insidias nescienti, tam Pæonius, quam Bigerus has tetenderunt, ut plurimis coram tamquam ab incauto sciscitarentur, hoc novum carmen an recognosceret. Et ille: Si, inquit, dixeritis. Cumque frustra diversa, quasi per jocum effunderent, solvitur Catullinus in risum, intempestivoque suffragio clamare cœpit, dignum poema, quod apicibus perennandum auratis juste [7] tabula rostralis acciperet, aut etiam Capitolina. Pæonius exarsit, cui satyricus ille morsum dentis igniti avidius impresserat: atque ad astantes circulatores, Injuriæ communis, inquit, jam reum inveni. Videtis, ut Catullinus deperit risu? Apparet ei nota memorari. Nam quæ caussa compulit festinam præcipitare sententiam, nisi quod jam tenet totum, qui de parte sic judicat? Itaque Sidonius nunc in Arverno est: unde colligitur auctore illo, isto auditore, rem textam. Itur in furias, inque convicia absentis, nescientis, innocentisque

1. *Pro potestate cinctuti*] Mea nimirum præfectoria. Cinctuti, hoc est cincti erant præfecti, & alii omnes magistratus, quibus gladii jus erat, quorum insigne cingulum οἱ ἀρχῶ ἄρχοισι μετὰ ξίφυς καὶ τελαμῶνος, ut loquitur Gregorius Nazianzenus epistola ad Africanum: qui honor cinguli in Jure passim. Hinc illa superius, *cinctus Avienus, Basilius discinctus*: & lib. v. ep. VII. *cinctis jura, discinctis privilegia*.

2. *Campaniano*] Sic veteres libri, non *Campanio*: quomodo & Julius Ferox Campanianus v. c. præfectus urbi temporibus Diocletiani in antiquæ basis inscriptione: & Campanianus vir disertissimus apud Cassiodorum lib. IX. Variar. IV.

3. *Per præfectum annonæ*] Erat is sub præfecti urbis potestate. Quare paullo post ad portum Ostiensem mittitur a Sidonio, ut frumentum quod naves Brundusinæ advexerant, per caudicarios in urbem subvehendum curet. Etsi enim augere urbis copias propria erat cura præfecti annonæ, eadem tamen ad præfectum quoque urbis tamquam ad superiorem potestatem pertinebat, L. I. cod. de officio Præfecti urbi. Itaque & Sidonius hoc loco, & Symmachus lib. X. ep. XLVIII. præfectura urbica fungentes communem cum præfecto annonæ commeatus curam gerunt.

4. *Famem theatralis fragor*] Querelæ panis, per quas populus ingruente fame tumultuabatur, præfecti urbis capiti sæpe imminebant, ut Tertulli exemplum docet apud Marcellinum lib. XIX. Hæ autem in theatris maxime circisque audiebantur, ubi & populus frequens, & major licentia. Tacitus v. Annal. in Domitii & Scribonis consulatu: *Iisdem consulibus gravitate annonæ juxta seditionem* E *ventum: multaque & plures per dies in theatro licentius efflagitata*. De circensi alio tumultu qui Constantinopoli accidit, Eunapius in Sopatro: de Romano Zosimus lib. V. quando Heracliano comite Africæ occupatos portus tenente feralis illa vox in circo audita, *Pone pretium carni humanæ*.

5. *Montio*] Sequano, ut prima statim verba indicant. Scripta est epistola temporibus Anthemii; sed ea narrat quæ Majoriano regnante acciderant, anno, ut Severini consulatus ostendit, CDLXI.

6. *Catullinus illustris*] In epigraphe carminis XII. non amplius quam clarissimus appellatur. Honore igitur aut privilegio quopiam ornatus postea fuerat, quo fieret illustris.

7. *Tabula rostralis aut Capitolina*] Digna, inquit, satyra, quæ in æs incisa pro rostris vel in Capitolio inter legum ac publicorum monumentorum tabulas collocetur.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.

conscientiæ: fidei quæstioni nil reservatur. Sic levis turbæ facilitatem, qua voluit, contraxit persona popularis. Erat enim ipse Pæonius populi totus, qui tribunitiis flatibus crebro seditionum pelagus impelleret. Ceterum si requisisses, qui genus, unde domo; non eminentius, quam [1] municipaliter natus: quemquem inter initia cognosci, claritas vitrici magis quam patris fecerit. Idemtidem tamen per fas nefasque crescere affectans; pecuniæque per avaritiam parcus, per ambitum prodigus. Namque ut familiæ superiori per filiam saltim quamquam honestissimam, jungeretur, contra rigorem civici moris, splendidam, ut ferunt, dotem Chremes noster Pamphilo suo dixerat. Cumque de capessendo diademate [2] conjuratio Marcelliana coqueretur, nobilium juventuti signiferum se se in factione præbuerat: homo adhuc novus in senectute, donec aliquando propter experimenta felicis audaciæ, natalium ejus obscuritati dedit hiantis interregni rima fulgorem. Nam vacante aula, turbataque republica, solus inventus est, qui ad Gallias administrandas, fascibus prius quam codicillis ausus accingi, mensibus multis tribunal illustrium potestatum spectabilis præfectus ascenderet: anno peracto militiæ extremæ terminum circa vix honoratus, [3] numerariorum more, seu potius advocatorum, quorum cum finiuntur actiones, tunc incipiunt dignitates. Igitur iste sic præfectorius, sic senator, (cujus moribus quod præconia competentia non ex asse persolvo, generi sui moribus debeo) multorum plus quam bonorum odia commovit adhuc ignoranti mihi, adhuc amico, tamquam sæculo meo canere solus versu valerem. Venio Arelatem, nihil adhuc suspicans: unde enim? quamquam putarer ab inimicis non affuturus; ac principe post diem viso, in forum ex more descendo; quod ubi visum est illico expavit, ut ait ille, nil fortiter ausa seditio. Alii tamen mihi plus quam deceret ad genua provolvi; alii ne salutarent, [4] fugere post statuas, occuli post columnas; alii tristes, vultuosique junctis mihi lateribus incedere. Heic ego, quid sibi hæc vellet in illis superbiæ nimiæ, in istis humilitatis forma, mirari, nec ultro tamen caussas interrogare, cum subornatus unus e turba factiosorum dat se se mihi consalutandum. Tunc procedente sermone, cernis hoc? inquit. Et ego, Video, inquam, gestusque eorum miror equidem, nec admiror. Ad hæc noster interpres: Ut satyrographum te, inquit, aut exsecrantur, aut reformidant. Unde? quando? respondi: quis crimen agnovit? quis detulit? quis probavit? Moxque subridens: Perge, inquam, amice, nisi molestum est, & tumescentes nomine meo consulere dignare, utrumnam ille delator aut index, qui satyram me scripsisse confinxit, & perscripsisse confinxerit: unde forte sit tutius si retractabunt, ut superbire desistant. Quod ubi nuntius retulit, protinus cuncti non modeste, neque singuli, sed propere & catervatim oscula ac dexteras mihi dederunt. Solus Curio meus, in transfugarum perfidiam invectus, cum advesperasceret, per cathedrarios servos vespillonibus tetriores domum raptus ac reportatus est. Postridie jussit Augustus, ut epulo suo circensibus ludis interessemus. [5] Primus jacebat cornu sinistro consul ordinarius Severinus, vir inter ingentes principum mo-

1. *Municipaliter natus*] Cujus nimirum majores publicam nullam dignitatem attigerant, sed intra municipiorum suorum honores ac jura consenuerant. Quomodo & Augusti avum municipalibus magisteriis contentum vixisse narrat Svetonius cap. II. Cicero pro Sylla: *Est enim ipse a materno genere municipalis*. Eodemque sensu, quia in municipiis humiliora & obscuriora sunt omnia, *municipalem scholam* Ausonius ad Gratianum, & Sidonius lib. IV. 3. *municipales oratores*, in carmine ad Felicem *municipales poetas* dixit ignobiles & obscuros.

2. *Conjuratio Marcelliana*] Marcelliani Patricii, Aetii quondam familiaris; quem auctor est Procopius I. Vandalici, cæso Aetio rebus novis in Dalmatia studuisse, potentiamque sibi comparasse utrique imperio formidabilem. Quod Prisci etiam rhetoris excerpta confirmant. Interregnum vero, cujus occasionem nactus Pæonius præfecturam Gallicanam arripuit, non post Maximi cædem cui Avitus mox successit, sed ante Majoriani auspicia, post ereptum Avito imperium. Nam decem amplius mensium fuit intervallum, & turbata Ricimeris factionibus respublica.

3. *Numerariorum more, seu potius advocatorum*] Numerariorum munus dignitas non est, sed officium dignitatis. Principes tamen numerariis qui in officio præfecti præt. militiam deponerent, honoris prærogativam decreverunt. Ac Sidonii quidem ætate tribuni prætoriani fiebant: postea vero Anastasius Aug. eos honore comitivæ dignitatis ornavit, L. ultima cod. de Numerariis. Idem judicium de Advocatis præfecturæ utriusque, qui post officium expletum dimittebantur cum comitiva consistoriana, L. VIII. de Advocatis diverf. judicum. Cum his ergo Pæonium comparat, qui præfecturæ quam usurparat, codicillos circa finem tantum administrationis acceperat.

4. *Fugere post statuas, occuli post columnas*] Quibus videlicet refertum erat forum Arelatense, ut aliarum fere civitatum. Joannes Maxentius in Apologia: *In publicum usque prodiere, circa regum etiam statuas inclamantes*. Ad hunc vero morem occultandi se post columnas alludit Basilius de feneratoribus agens, quorum occursum declinant debitores: *οὐδεὶς τόκους ἔσω τὰς πύλας σου ἀνταγωνιστοῦ ὑποφεύγει, ὡς ὁ δανειζόμενος τοῦ χρήστου τὰς συντυχίας πρὸς κίονας καὶ τοίχους ἐπισκιάζων τὴν κεφαλήν*. Et Ambrosius Basilii imitatione lib. de Tobia cap. VII. *Ille gressus delatoris singulos numerat, aucupatur deflexus: iste continuo post columnas caput obumbrat.*

5. *Primus in cornu sinistro*] Operæ pretium est quo quisque loco jaceat observare, ut hoc exemplo doceamur, qui olim accumbendi ordo fuerit in sigmate, hoc est in stibadio seu lecto semirotundo. In sigmate enim fuit epulum Majoriani. Sigmatis porro duo erant extrema velut cornua. Cum igitur in dextro stibadii cornu collocet Majorianum, in sinistro consulem Severinum; dubium non est, quin primus ille locus habitus sit quem occupat imperator, proximus quem consul. Neque in his opinor est, quod miremur. Hi duo etiam apud nos primi & eximii accubitus. Summa cornua Juvenco lib. III.

Si vos quisque vocat cœnæ convivia ponens,
Cornibus in summis devitat ponere membra
Quisque sapit.

Id novum potius videri queat, & ab usu nostro remotius, quod tertius, quartus ac reliqui deinceps illum ordine subsequantur qui primus est in cornu sinistro. Nam post Severinum consulem sequitur Magnus ex consule, tum Camillus, Pæonius, Athenius, Gratianensis, ultimusque Sidonius ad dextrum cornu vergens, in quo jacebat Majorianus. Itaque in pleno stibadio ultimus primo proximus erat, a primo eodem remotissimus ex adverso secundus. Nec alius ordo fuit in Maximi convivio cui interfuit S. Martinus, apud Sulpicium Severum & alios. In dextro enim cornu Maximus Aug. in sinistro consul Evodius, dein comites Maximi frater ac patruus, & reliqui ordine proceres describuntur, atque inter hos medius presbyter Martini: extra stibadium vero in sella Martinus ad dextram Maximi. Paullinus lib. III. de vita Martini, cum proceres commemorasset,

Hos inter medius, qua sigma flectitur orbe,
Presbyter accubuit: dextra lævaque potentum
Ordo ducum, membris super aurea fulcra locatis
Pressit subjectum pretiosi velleris ostrum.
Ad dextram regis sancto venerabilis ore
Consedit senior.

Quo profecto ad dextram Maximi sedere non poterat, nisi Maximus in dextro cornu accumberet. Honoratissimus ergo stibadii locus cornu dextrum, ut diximus, proximus sinistrum. Quare apud Gregorium Turon. I. Mirac. LXXX. Arrianus ille, qui dextræ partis cornu occupat, & catholicum sacerdotem hospitem suum in sinistro statuit, ludibrio illum hac etiam in re ut in ceteris habet. Sed admonet nos stibadii mentio & ordo accumbentium, ut de Christi quoque Domini suprema cœna disquiramus *, quam in stibadio itidem strato celebratam

* Sunt & duæ in eamdem rem epistolæ Sirmondi Josepho Mariæ Suaresio inscriptæ: exstantque inter opp. Sirmondiana tom. IV. pag. 665. seqq. ubi quoque Cœna Domini, nec non convivii apud Simeonem Pharisæum typi comparent, quos in ipsius Sirmondi scriniis reperit cl. Baunius.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.



tus atque inæqualem reipublicæ ſtatum gratiæ ſemper æqualis. Juxta eum Magnus, olim ex præfecto, nuper ex conſule, par honoribus perſona geminatis: recumbente poſt ſe Camillo filio fratris, qui duabus dignitatibus & ipſe decurſis, pariter ornaverat proconſulatum patris, patrui conſulatum. Pæonius hinc propter: atque hinc Athenius, homo litium temporumque varietatibus exercitatus. Hunc ſequebatur Gratianenſis omni ab infamia vir ſequeſtrandus, qui Severinum ſicut honore poſt ibat, ita favore præceſſerat. Ultimus ego jacebam, qua purpurati lævum latus in dextro margine porrigebatur. Edulium multa parte finita, Cæſaris ad conſulem ſermo dirigitur, iſque ſuccinctus: inde devolvitur ad conſularem, cum quo ſæpe repetitus, quia de litteris factus, ad virum illuſtrem Camillum ex occaſione transfertur, in tantum ut diceret princeps, Vere habes patruum, frater Camille, propter quem me familiæ tuæ conſulatum unum gratuler contuliſſe. Tunc ille, qui ſimile aliquid optaret, tempore invento, Non unum, inquit, domine Auguſte, ſed primum. Summo fragore, ut nec Auguſti reverentia obſiſteret, excepta ſententia eſt. Inde neſcio quid Athenium interrogans ſuperjectum Pæonium compellatio Auguſta præteriit, caſu an induſtria, ignoro. Quod cum turpiter Pæonius ægre tuliſſet, quod fuit turpius, compellato tacente reſpondit. Subriſit Auguſtus, ut erat auctoritate ſervata, cum ſe communioni dediſſet, joci plenus: per quem cachinnum non minus obtigit Athenio vindictæ, quam contigiſſet injuriæ. Colligit itaque ſe ſe [1] trebaciſſimus ſenex, & ut ſemper intrinſecus æſtu pudoris excoquebatur, cur ſibi Pæonius anteferretur, Non miror, inquit, Auguſte, ſi mihi ſtandi locum præripere conetur, qui tibi invadere non erubeſcit loquendi. Et vir illuſtris Gratianenſis, Multus, inquit, ſatyricis hoc jurgio campus aperitur. Hic Imperator ad me [2] cervice converſa, Audio, ait, [3] comes Sidoni, quod ſatyram ſcribas. Et ego, inquam, hoc audio, domine princeps. Tunc ille, [4] ſed ridens, parce vel nobis. At ego, inquam, quod ab illicitis tempero, mihi parco. Poſt quæ ille: Et quid faciemus his, inquit, qui te laceſſunt? Et ego: Quiſquis eſt iſte, domine imperator, publice accuſet. Si redarguimur, debita luamus ſupplicia convicti: ceterum objecta ſi non improbabiliter caſſaverimus, oro ut indultu clementiæ tuæ, præter juris injuriam, in accuſatorem meum quæ volo ſcribam. Ad hoc ipſe Pæonium conſpicatus, nutu cœpit conſulere nutantem, placeret ne conditio. Sed cum ille confuſus reticuiſſet, princepſque conſuleret erubeſcenti, ait, Annuo poſtulatis, ſi hoc ipſum e veſtigio verſibus petas. Fiat, inquam: retrorſumque converſus, tamquam aquam poſcerem manibus, tantumque remoratus, quantum ſtibadii circulum celerantia miniſteria percurrunt, cubitum toro reddidi. Et imperator, Spoponderas te licentiam ſcribendæ ſatyræ verſibus ſubitis poſtulaturum. Et ego,

Scribere me ſatyra qui culpat, maxime princeps,
Hanc rogo decernas, aut probet aut timeat.

Sequutus eſt fragor, niſi quod dico jactantia eſt, par Camillano: quem quidem non tam carminis dignitas, quam temporis brevitas meruit. Et princeps, Deum teſtor & ſtatum publicum, me de cetero numquam prohibiturum, quin quæ velis ſcribas: quippe cum tibi crimen impactum probari nullo modo poſſit: ſimul & perinjurium eſt, ſententiam purpurati tribuere privatis hoc ſimultatibus, ut innocens ac ſecura nobilitas propter odia certa crimine incerto periclitetur. Ad hanc ipſe ſententiam cum verecunde, capite demiſſo, gratias agerem, concionatoris mei cœperunt ora pallere, in quæ paullo ante poſt iram triſtitia ſucceſſerat: nec ſatis defuit, quin gelarent, tamquam ad exſertum præbere cervices juſſa mucronem. Vix poſt hæc alia pauca, ſurreximus. Paullulum ab aſpectu imperatoris proceſſeramus, atque etiamnum chlamydibus induebamur, cum mihi conſul ad pectus, præfectorii ad manus cadere, ipſe ille meus amicus crebro & abjecte miſerantibus cunctis humiliari: ita ut timerem ne mihi invidiam ſupplicando moveret, quam criminando non concitaverat. Dixi ad extremum, preſſus oratu procerum conglobatorum, ſciret conatibus ſuis verſu nil reponendum, derogare actibus meis ſi tamen in poſterum pepercisſet; etenim ſufficere debere, quod ſatyræ objectio famam mihi paraſſet, ſibi infamiam. In ſumma pertuli quidem, domine major, non aſſertorem calumniæ tantum, quantum murmuratorem. Sed cum mihi ſic ſatisfactum eſt, ut pectori meo, pro reatu ejus, tot poteſtatum dignitatumque culmina & jura ſummiterentur, fateor exordium contumeliæ talis tanti fuiſſe, cui finis gloria fuit. Vale.

conſtat, ἐπὶ στιβάδος, ut loquitur Chryſoſtomus homilia XXVII. in I. ad Corinthios, ſive in lectulo, ut Tertullianus de Corona. *Agnoſcam*, inquit, *neceſſe eſt & recumbentem in lectulo Chriſtum*. Recubuiſſe autem in ea Chriſtum, non in medio ſtipantibus latera hinc inde Apoſtolis, ut noſtri vulgo pictores repræſentant, ſed dextro in cornu, quo loco Maximum, Majorianumque jacentes vidimus, tum alia in libris tabuliſque antiquis monimenta oſtendunt, tum muſivum Capuæ opus, a Deſiderio Caſinenſi abbate, qui Victor II. poſtea fuit, dedicatum. Quæ quidem ſi ad veram imaginem expreſſa ſunt, (nec certe apparet cur videri non debeat) haud difficile fuerit intelligere, cur aut Joannes, qui per ætatem fortaſſe ultimus erat, Chriſto proximus in ejus ſinu accubuerit, aut Petrus qui remotior innuiſſe Joanni dicatur, ut Chriſtum de proditore interrogaret.

1. *Trebaciſſimus ſenex*] Exercitatiſſimus. Supra de eodem, *homo litium temporumque varietatibus exercitatus*. Vox Græcæ originis ab eo quod eſt τρίβαξ: qua ratione Demoſthenes Æſchinem περίτριμμα τῆς ἀγορᾶς appellavit, qui in foro verſatus uſuque tritus eſſet. Quo ſenſu & Martialis lib VII. de Pompejo Avito: *Jure madens, varioque togæ limatus in uſu*. Neque alia eſt notio τῷ trebaciter lib. IX. epiſt. XI. *malui factum confiteri ſimpliciter, quam trebaciter diffiteri*, hoc eſt callide & aſtute. Ut ergo legula ſuperius pro ligula, ſic trebaciſſimus nunc item pro tribaciſſimus; facilis enim harum litterarum permutatio.

2. *Cervice converſa*] Reflexa. Ambroſius in Lucam cap. XV. *Nonne tibi videtur Chriſtum cecidiſſe in collum Joannis, quando erat Joannes in ſinu Jeſu cervice recumbens reflexa?*

3. *Comes Sidoni*] Ex eo genere comitum, ut opinor, qui honorarii tantum & ſine adminiſtratione fuerunt, Conſtantini Aug. vetere inſtituto, ut docet Euſebius de Vita ejus lib. IV.

4. In ms. *ſubridens*.

C. SOLLII APOLLINARIS SIDONII ARVERNORUM EPISCOPI, EPISTOLARUM LIBER II.

EPISTOLA I.

Sidonius [1] *Ecdicio suo salutem.*

DUo nunc pariter mala sustinent Arverni tui. Quænam? inquis: præsentiam [2] Seronati, & absentiam tuam. Seronati, inquam, de cujus ut primum etiam nomine loquar, sic mihi videtur quasi præscia futurorum lusisse fortuna, sicuti ex adverso majores nostri prœlia quibus nihil est fœdius, bella dixerunt: quique etiam pari contrarietate, fata, [3] quæ non parcerent, Parcas vocitavere. Rediit ipse Catilina sæculi nostri, nuper [4] Aturribus, ut sanguinem fortunasque miserorum, quas ille ibi ex parte propinaverat, hic ex asse misceret. Scitote in eo per dies spiritum diu dissimulati furoris aperiri: aperte invidet, abjecte fingit, serviliter superbit: indicit ut dominus, exigit ut tyrannus, addicit ut judex, calumniatur ut barbarus, toto die a metu armatus, ab avaritia jejunus, a cupiditate terribilis, a vanitate crudelis, non cessat simul furta vel punire, vel facere: palam & ridentibus convocatis ructat inter cives pugnas, inter barbaros litteras: epistolas, ne primis quidem apicibus sufficienter initiatus, publice a jactantia dictat, ab impudentia emendat: totum quod concupiscit, quasi comparat, nec dat pretia contemnens, nec accipit instrumenta desperans: in consilio tacet, in concilio jubet, in ecclesia jocatur, in convivio prædicat, in cubiculo damnat, in quæstione dormitat: implet quotidie silvas fugientibus, villas hospitibus, altaria reis, carceres clericis: exsultans Gothis, insultans Romanis, illudens præfectis, colludensque numerariis: [5] leges Theodosianas calcans, Theodoricianasque proponens, veteres culpas, nova tributa perquirit. Proinde moras tuas citus explica, & quidquid illud est quod te retentat, incide. Te exspectat palpitantium civium extrema libertas. Quidquid sperandum, quidquid desperandum est, fieri te medio, te præsule, placet. Si nullæ a republica vires, nulla præsidia, si nullæ quantum rumor est. Anthemii principis opes: statuit te auctore nobilitas, [6] seu patriam dimittere, seu capillos.

EPISTOLA II.

Sidonius [7] *Domitio suo salutem.*

RUri me esse caussaris, cum mihi potius queri supperat, te nunc urbe retineri. Jam ver decedit æstati, & [8] per lineas sol altatus extremas, in axem Scythicum radio peregrinante porrigitur. Heic quid de regionis nostræ climate loquar?

1. *Ecdicio*] Sororio suo: sic enim appellat carmine XX. Papianillæ scilicet uxoris fratrem, Aviti Aug. filium: qui primum sub Anthemio comes & magister militum fuit in Gallia, deinde patricius creatus est a Nepote. Verum ejus nomen Ecdicius: quo modo in codice & in epistolis Juliani, Ἐκδικίῳ ἐπάρχῳ Αἰγύπτου. Sic & Alcimus Ecdicius episcopus Viennensis. Quin recte quoque Ecdicius hic ipse appellatur & scribitur apud Gregorium Turonensem lib. II. cap. XXIV. truncata voce Decius apud Jornandem.

2. *Seronati*] Hujus patriæ pestis solus omnium meminit Sidonius: ex quo tamen non facile deprehendas quemnam gesserit magistratum. Publicis tributis præfuisse constat, iisque indicendis vel exigendis in provincialium viscera sævisse. Quo nomine aliisque delatus ab Arvernis, Romæ tandem capitis damnatus est, ut scribit lib. VII. epist. VII. Contrarium Seronato nomen est Citonatus apud Gregorium Magnum.

3. In aliquibus libris *quia*.

4. *Aturribus*] Recte ex manuscriptis hanc lectionem asseruit Joannes Savaro v. c. nos enim fugerat emendatio. Sunt autem, ut idem docuit, Aturres in Novempopulis ad Aturrum fluvium qui Adures postea dici cœperunt: quo etiam modo Aduris legitur in verbis Aniani post auctoritatem Alarici, quæ codici Theodosiano præfixa est. Ceterum Aturres, seu Adures, nomen primum fuit populi, non oppidi. Oppidi enim Aturrensium nomen Vicus Julius, cujus mentio apud Gregorium Turonensem lib. IX. capp. VII. & XX. & de gloria Confessorum cap. LII. Quare Rusticus Vicojuliensis episcopus, qui concilio Matisconensi II. subscribit, episcopus est Adurensis: idemque judicium in vita S. Philiberti, cum a Vici Julii civibus expetitus dicitur. Sed ut in eadem Novempopulania, quæ Cossio Vassatum olim erat, Vasates postea de gentis nomine nuncupata est: sic Vicus Julius Aturres. Erant autem Aturres hoc tempore cum tota vetere Aquitania in potestate & imperio Gothorum. Itaque a Gothis redibat Seronatus.

5. *Leges Theodosianas calcans*] Theodosianæ leges sunt Romanæ redactæ in codicem Theodosianum, qui tum vigebat: Theodoricianæ Gothicæ, a Theodoricis regibus Gothorum. Quamquam enim Anthemii temporibus, cum hæc scriberet Sidonius, Gothis in Gallia præfuit Euricus Theodorici fratris successor, Theodoricianas tamen dicere maluit ob paronomasiam cum Theodosianis. Ex his porro conjectura est, cum Euricus in Isidori chronico legum instituta Gothis primus tradidisse dicitur, non sic esse accipiendum, quasi ante Euricum leges Gothicæ nullæ fuerint: sed quod earum corpus & codicem primus collegerit Euricus: quod perspicue docent verba Isidori ejusdem in Leuvigildo.

6. *Seu patriam dimittere, seu capillos*] Aut spontaneum exsilium subire, aut clericatum. Hoc malebat videlicet Averna nobilitas, quam Gothorum partibus, si in illorum potestatem veniret, militare. Clerici enim a militia immunes. Porro qui clerici fiebant, tondebantur, ut notum est: interdum vero dimittere capillos dicebant non tondere, sed demittere & prolixos nutrire, ut Gregorius Turon. non semel. Quo more si loqui placeat Sidonium, ita quoque deditionem Gothicam intelliget, quia Gothi criniti.

7. *Domitio*] Grammatico doctori: de cujus doctrina & censoria severitate in carmine Propemptico: *Ac primum Domiti larem severi Intrabis, trepidantibus Camœnis*, cet.

8. *Per lineas sol altatus extremas*] Cum vergit ad Tropicum solstitii æstivi: quo spectant etiam illa Plutarchi ad principem indoctum. *ἥλιος ὅταν ὕψωμα λάβῃ μέγιστον, ἐξαρθεὶς ἐν τοῖς βορείοις.*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.

cujus spatia divinum sic tetendit opificium, ut magis vaporibus orbis occidui subjiceremur. Quid plura? Mundus incanduit, glacies Alpina deletur, & hiulcis arentium rimarum flexibus terra perscribitur, squalet glarea in vadis, limus in ripis, pulvis in campis, aqua ipsa quæcumque perpetuo labens, tractu cunctante languescit. Jam non solum calet unda, sed coquitur: & nunc dum in carbaso sudat unus, alter in bombyce, tu endromidatus exterius, interius fasciatus; insuper & concava [1] municipii Camerini sede compressus, discipulis non æstu minus, quam timore pallentibus, exponere oscitabundus ordiris, *Samia mihi mater fuit*. Quin tu mage, si quid salubre tibi cordi, raptim subduceris anhelantibus angustiis civitatis, & conturbernio nostro aventer insertus, fallis clementissimo recessu inclementiam canicularem? Sane si placet, quis sit agri in quem vocaris, situs accipe. [2] Avitaci sumus; nomen hoc prædio: quod quia uxorium, patrio mihi dulcius. Hæc mihi cum meis, præsule Deo, nisi quid tu fascinum verere, concordia. Mons ab occasu quamquam terrenus, arduus tamen inferiores sibi colles tamquam gemino fomite effundit, quatuor a se circiter jugerum latitudine abductos. Sed donec domicilio competens vestibuli campus aperitur, mediam vallem rectis tractibus prosequuntur latera clivorum, usque in marginem villæ, quæ in Boream Austrumque conversis frontibus tenditur. Balneum ab Africo radicibus nemorosæ rupis adhærescit; & si cædua per jugum silva truncetur, in ora fornacis lapsu velut spontaneo, deciduis struibus impingitur. Hinc aquarum surgit cella coctilium; quæ consequenti unguentariæ spatii parilitate conquadrat, excepto solii capacis hemicyclio: ubi & vis ferventis undæ per parietem foraminatum flexilis plumbi meatibus implicita singultat. Intra conclave succensum solidus dies, & hæc abundantia lucis inclusæ, ut verecundos quosque compellat aliquid se plus putare, quam nudos. Hinc frigidaria dilatatur, quæ piscinas publicis operibus exstructas non impudenter æmularetur. Primum tecti apice in conum cacuminato, cum ab angulis quadrifariam concurrentia dorsa cristarum tegulis interjacentibus imbricarentur; ipsa vero convenientibus mensuris exactissima spatiositate quadratur: ita ut ministeriorum se se non impediente famulatu, tot possit recipere sellas, [3] quot solii sigma personas. Fenestras e regione conditor binas confinio cameræ pendentis admovit, ut suspicientum visui fabrefactum lacunar aperiret. Interior parietum facies solo lævigati cæmenti candore contenta est. Non heic per nudam pictorum corporum pulcritudinem turpis prostat historia; quæ sicut ornat artem, sic devenustat artificem. Absunt ridiculi vestitu & vultibus histriones, pigmentis multicoloribus [4] Philistionis supellectilem mentientes. Absunt lubrici, tortuosique pugillatu & nexibus palæstritæ: quorum etiam viventum luctas, si involvantur obscenius, casta confestim [5] gymnasiarchorum virga dissolvit. Quid plura? nihil illis paginis impressum reperietur, quod non vidisse sit sanctius. [6] Pauci tamen versiculi lectorem adventitium remorabuntur, minime improbo temperamento; quia eos nec relegisse desiderio est, nec perlegisse fastidio. Jam si marmora inquiras, non illic quidem Paros, Carystos, [7] Proconissos, Phryges, Numidæ, Spartiatæ, rupium variatarum posuere crustas: neque per scopulos Æthiopicos, & abrupta purpurea genuino fucata conchylio, sparsum mihi saxa furfurem mentiuntur. Sed & si nullo peregrinarum cautium rigore ditamur, habent tamen tuguria seu mapalia nostra civicum frigus. Quin potius quid habeamus, quam quid non habeamus, ausculta. Huic basilicæ appendix piscina forinsecus, seu si græcari mavis, baptisterium ab oriente connectitur, quod viginti circiter modiorum millia capit. Huc elutis e calore venientibus triplex medii parietis aditus per arcuata intervalla reseratur: nec pilæ sunt mediæ, sed columnæ, quas architecti peritiores [8] ædificiorum purpuras nuncupavere. In hanc ergo piscinam [9] fluentum de supercilio montis elicitum, canalibusque circumactis per exteriora natatoriæ [10] latera curvatum, sex fistulæ prominentes leonum simulatis capiticuli, ipso in risu mortui, ut refert Suidas. Eusebius in Chronico sub Tiberio, *Philistio mimographus natione Magnesianus, Romæ clarus habetur*. Mimorum inventorem facit Cassiodorus lib. XIV. Variarum ultima. Epiphanius de Manichæis. *τὰ δὲ ἄλλα εἰπεῖν τίς οὐκ ἂν γελάσειε; ὡς τάχα τὰ τοῦ Φιλιστίωνος εἶναι ἀναγκαιότερα, ἢ τὰ τῆς τούτου μυθολογίας. Cetera sine risu quis commemoret? cum verisimiliora quodam modo videantur, quæ Philistion, quam quæ hic fabulis suis commentus est.*

1. *Municipii Camerini*] Abest a nonnullis codicibus vox *Camerini*: in quibusdam aliis expungitur: ut addita videri possit, tamquam glossema municipii. Sunt in quibus legatur *Amerini*, ut jam suspicari liceat, a glossographo scriptum fuisse municipii Arverni. De Arverno quippe oppido agi videtur.

2. *Avitaci*] Ita scribunt antiqui libri fere omnes. Nomen ab Avito ductum, Papianillæ prædii dominæ patre: ut apud Ausonium Paulliacus & Lucaniacus a Paullo & Lucano. Eodemque modo ex antiquis exemplaribus restituimus carmine XVIII.

Si quis Avitacum dignaris visere nostram.

Hujus autem prædii, quod elegantissime copiosissimeque describitur a Sidonio, reliquiæ aliquando creditæ sunt exstare ad Serlievam lacum, qui a municipio Arvernorum modico spatio aberat. Verum is paucos ante annos derivatis quæ illic stagnabant aquis penitus exhaustus, opinionis hujus vanitatem ostendit. Sunt qui Papianillæ lacum de Cambonensi accipiant: verisimilius aliquanto. Sed ne huic quidem, mea sententia, satis congruit Sidoniana descriptio.

3. *Quot solii sigma personas*] Ita prorsus legendum, non *quot solet*, ut in vulgatis hactenus. Cyprianus epist. LXXVI. ad Magnum: *Et solio & piscina opus sit, quibus ablui & mundari corpusculum possit*. Sermo enim est, non de sigmate seu stibadio, sed de solio cellæ caldariæ, quod paullo ante solii hemicyclium dixit, nunc eodem sensu solii sigma a figura semirotunda: a qua & tori accubitales seu stibadia sigmata nuncupantur: quemadmodum porticus Constantinopolitana Juliani apud Zosimum lib. III. sigma quoque dicta est a semicirculi figura. In balneis qui lavabant, a cella caldaria ejusque solio transibant ad frigidariam, ibique in sellis considebant. Tot igitur in frigidaria sellas esse oportebat, quot personis locus erat in caldaria.

4. *Philistionis*] Poetæ mimographi, γελωτοποιοῦ, ridi-

5. *Gymnasiarchorum virga*] Βάτων γυμνασίαρχος in marmore Anconitano. De virga autem Servius in I. Æneidos: *Hodieque tam athletarum, quam gladiatorum certamina virga dirimuntur*. Sed lanistarum virga, qua gladiatoribus modum adhibebant, rudis proprie dicta. Glossæ veteres: *Rudis ῥάβδος, ἡ τῶν ἐπιστατῶν τῶν μονομάχων.*

6. *Pauci tamen versiculi*] Tetrasticum nempe hujus piscinæ foribus impositum, quod inter Sidonii carmina exstat. Tit. XIX. *Intrate algentes post balnea torrida fluctus*, cet.

7. *Proconissos*] Res exigit ut Proconnesos scribatur, Προκόννησος. Insula maris Ægæi, candidi marmoris fodina celebris, ut auctor est Strabo lib. XIII.

8. *Ædificiorum purpuras*] Ornamenta. Sicut enim vesti affert lumen clavus purpuræ, ut Fabii verbis utar, sic ædibus columnæ. Purpuræ nomen scriptores ad omnia transferunt, quæ ornatum decoremque significant. Sidonius infra epist. X. *Omnes nobilium sermonum purpuræ*. Cicero in Oratore: *Quos numeros cum quibus tamquam purpura misceri oporteat*. Lucianus in Hippia de membris balnei. *ὁ δὲ ἔνδον οἶκος κάλλιστος, φωτός τε πολλοῦ ἀνάμεστος, καὶ ὡς πορφύρᾳ διηνθισμένος*. In onyche demum gemma quam Baronii cardinalis optimi beneficentiæ debemus, artificis manu sculpta hæc leguntur, ΕΥΤΥΧΕΙ ΜΑΚΕΔΟΝ, Η ΠΟΡΦΥΡΑ ΤΩΝ ΑΔΕΛΦΩΝ. *Sis felix Macedo, purpura*, hoc est decus & gemma *fratrum*.

9. In aliquibus libris *fluvium*.

10. In aliquibus libris *litora*.

bus effundunt; quæ temere ingressis veras dentium crates, meros oculorum furores, certas cervicum jubas imaginabuntur. Heic si dominum seu domestica, seu hospitalis turba circumstet, quia præ strepitu caduci fluminis, mutuæ vocum vices minus intelliguntur, in aurem sibi populus confabulatur: ita sonitu pressus alieno ridiculum affectat publicus sermo secretum. Hinc egressis frons triclinii matronalis offertur; cui continuatur vicinante textrino cella penuaria, discriminata tantum pariete castrensi. Ab ortu lacum porticus intuetur, magis [1] rotundatis fulta [2] collyriis, quam [3] columnis invidiosa monubilibus. A parte vestibuli longitudo [4] tecta interius patet, mediis non interpellata parietibus: quæ quia nihil ipsa prospectat, & [5] si non hypodromus, saltim cryptoporticus meo mihi jure vocitabitur. Hæc tamen aliquid spatio suo in extimo deambulacri capite defrudans, efficit membrum bene frigidum, ubi publico lectisternio exstructo, clientarum sive nutricum loquacissimus chorus receptui canit, cum ego meique dormitorium cubiculum petierimus. A cryptoporticu in hiemale triclinium venitur, quod arcuatili camino sæpe ignis animatus pulla fuligine infecit. Sed quid hæc tibi, quem nunc ad focum minime invito? quin potius ad te, tempusque pertinentia loquar. Ex hoc triclinio fit in diætam sive cœnatiunculam transitus, cui fere totus lacus, quæque tota lacui patet. In hac stibadium, & nitens abacus: in quorum aream, sive suggestum, a subjecta porticu sensim, non breviatis angustatisque gradibus ascenditur. Quo loci recumbens, si quid inter edendum vacas, prospiciendi voluptatibus occuparis. Jam si tibi ex illo conclamantissimo fontium decocta referatur, videbis in calicibus repente perfusis nivalium maculas ac frusta nebularum; & illam lucem lubricam poculorum, quadam quasi pinguedine subiti algoris hebetatam. Tum respondentes poculis potiones, quarum rigentes cyathi siticuloso cuique, ne dicam tibi granditer abstemio, metuerentur. Hinc jam spectabis, ut promoveat alnum piscator in pelagus; ut stataria retia suberinis corticibus extendat, aut signis per certa intervalla dispositis, tractus funium librentur hamati: scilicet ut nocturnis per lacum excursibus rapacissimi [6] salares in consanguineas agantur insidias. Quid enim hic congruentius dixerim, cum piscis pisce decipitur? Edulibus terminatis, excipiet te diversorium, quia minime æstuosum, maxime æstivum. Nam per hoc, quod in aquilonem solum patescit, habet diem, non habet solem, interjecto consistorio perangusto, ubi somnolentiæ cubiculariorum dormitandi potius, quam dormiendi, locus est. Heic jam quam volupe est auribus insonare cicadas meridie concrepantes, ranas crepusculo incumbente blaterantes, cycnos atque anseres concubia nocte clangentes, intempesta gallos gallinaceos concinentes, oscines corvos voce triplicata puniceam surgentis auroræ facem consalutantes; diluculo ante philomelam inter frutices sibilantem, [7] prognem inter asseres minurientem? Cui concentui licebit adjungas fistulæ septiforis armentalem ca-

1. *Rotundatis fulta collyriis*] Collyria quid sint hoc loco, non capio. Scriptum crediderim a Sidonio *coluriis*. Intelligit enim pilas ex pluribus saxis in orbem accisis exstructas: quas ideo columnis opponit, ut paullo superius, *nec pilæ sunt mediæ, sed columnæ*; quia columnæ ex unico fiunt lapide, pilæ e multis. Saxa autem in orbem cæsa non poterant aptius appellari, quam rotundata coluria. Colura enim dicuntur, quæ extrema sui parte truncantur. & *κολουραίαν πέτραν* interpretatur Suidas e Callimacho *κοίλῃ κεκαμμένῃ ἢ στρογγύλῃ*: & *κολουρίαν* Hesychius *ἀποτομίαν*. Par pilarum columnarumque, sed conversa antithesis Natali x. Paullini:

Nam steterant vasto deformibus agmine pilis,
Nunc meliore datis eadem vice fulta columnis
Et spatii cepere & luminis incrementum.

2. *Coluriis*.

3. *Columnis invidiosa monubilibus*] Insignibus: quales adhiberi solent in monimentis. Cyprianus diaconus in vita S. Cæsarii lib. I. sub finem: *Et ut conferret sacris virginibus quas congregaverat curam necessariam sepulturæ, monubiles arcas corporibus humandis de saxis ingentibus noviter fecit excidi*.

4. In quibusdam libris *intrinsecus*.

5. *Si non hypodromus*] Certa emendatio, quam libri omnes scripti afferunt, pro quo mendose vulgati exhibent hippodromum, id est Circum. Non enim Circum intelligit, qui quorsum in ædium vestibulo, aut quid habet cum cryptoporticu commune? sed tectam ut dicit longitudinem, & clausum undiquaque deambulacrum: qualia sunt in vestibulis magnatum, aut qualia quæ stadia opaca vocat Tertullianus in libello ad martyres. Hypodromus autem ex eo dictus, quod sub eo incedatur, sicut peridromis in xysto hypæthra ambulatio a circumitu, & diadromis a transitu: balnei membrum in Hippia Luciani. Non latuit ea vox Angelum Decembrium, qui lib. V. Hypodromum distinguit ab Hippodromo: nec sæculi sui eruditissimum Aldelmum, apud quem in libro de virginitate Babylas martyr *ad palatinas ducitur zetas, & imperialis vestibuli hypodromum*. In quibus verbis imaginem vides porticus Sidonianæ: & si suam Sidonius, quia nihil prospectabat, cryptoporticum appellare malit. Plinius vero junior, a quo vocem hanc haud dubie mutuatus est, in descriptione Tuscanicæ villæ suæ lib. V. epist. VI. hypodromum vocat nativam porticum, consertis inter se ac reflexis arborum fruticumque ramis contextam: quales quæ in hortis natura vel arte fieri solent; & qualem in Voroango Apollinaris sui prædio depingit Sidonius in Propemptico. Talis & vitea porticus Cypriano in epistola ad Donatum. *Dant*, inquit, *secessum vicina secreta: ubi dum erratici palmitum lapsus nexibus pendulis per arundines bajulas repunt, viteam porticum frondea tecta fecerunt*. Plinii verba interpretatione non egent: adscribam tamen, ut ex iis statim liqueat, jure illi per Sidonium reddendam esse vocem, quam ex ejus scrinio depromserat. Nam apud Plinium quoque hippodromus inepte legitur pro hypodromo. Sic igitur habent. *Hanc dispositionem amœnitatemque tectorum longe lateque præcedit Hypodromus. Medius patescit, statimque intrantium oculis totus offertur. Platanis circuitur: illæ hedera vestiuntur, utique summæ suis, ita imæ alienis frondibus virent. Hedera truncum & ramos pererrat, vicinasque platanos transitu suo copulat. Has buxus interjacet: exteriores buxos circumvenit laurus, umbræque platanorum suam confert. Rectus hic Hypodromi limes. In extrema parte hemicyclo frangitur, mutatque faciem: cupressis ambitur & tegitur, densiore umbra opacior nigriorque*. Ac hujusmodi porticum Plato *κατάστεγον δρόμον* dicere videtur in Euthydemo, *ἀπελθόντι δὲ*, inquit, *περιπατείτην ἐν καταστέγῳ δρόμῳ*. Porro autem ut hippodromus in his locis pro hypodromo, sic apud Plinium alterum lib. V cap. XXXII. *Hippius mons*, & apud Ptolemæum in descriptione Bithyniæ *Ἵππιος ποταμὸς*, *Hippius fluvius* perverse legitur pro *Hypius*. De Prusa enim urbe agunt, quæ duplex erat in Bithynia; una sub Olympo monte, altera ad Hypium fluvium. Sic enim scribendum hoc nomen docet inscriptio veterum nummorum L. Veri & Diadumeniani ΠΡΟΥΣΙΕΩΝ ΠΡΟΣ ΥΠΙΩ. & vetus quoque lapis Romæ in quo distinguuntur ΠΡΟΥΣΑΕΙΣ ΑΠΟ ΟΛΥΜΠΟΥ, & ΠΡΟΥΣΑΕΙΣ ΑΠΟ ΥΠΙΟΥ.

6. *Salares*] Hujus piscis meminit Ausonius in Mosella: *Purpureisque salar distinctus tergora guttis*. Quo indicio purpurearum notarum, & quia ex salare farionem, ex farione salmonem fieri docet, salares tructas esse multi conjiciunt, quo salmonatæ vocantur, & in salmonem transire creduntur. Alanus ab Insulis de planctu naturæ: *Illic tructula sinus marinos ingrediens in æquore baptizata salmonis nomine censebatur*.

7. *Prognem minurientem*] Minuriunt hirundines Sidonio, Spartiano in Geta palumbes. Scite utrumque: nam minuritio & minorum avium cantum omnem significat, & flebilem, qualis est gemitus palumbium. Ita grammatici Græci *μινυρίζειν* exponunt *τὸ ἠρέμα καὶ λεπτὸν ᾄδειν, ἢ θρηνεῖν*. Cicero. I. de Oratore: *Hoc nos*, inquit, *si facere velimus, ante condemnentur ii quorum caussas receperimus, quam toties quoties præscribitur pæana aut minuritionem citarimus*: duo genera conjunxit, pæana qui concitatioris vocis est cantus, & minuritionem, quæ remissioris. Plutarchus de discrimine adulatoris & amici. *οἱ πολλοὶ βασιλεῖς ἐκ ἀπόλλωνος μὲν ἂν μινυρίσωσι, διόνυσοι δὲ ἂν μεθυσθῶσιν, ἡρακλεῖς δὲ ἂν παλαίωσι*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.



mœnam, quam ſæpe nocturnis carminum certami- A nibus inſomnes noſtrorum montium Tityri exercent, inter greges tinnibulatos per depaſta buceta reboantes: quæ tamen varia vocum cantuumque [1] certamina, profundius confovendo ſopori tuo lenocinabuntur. Porticibus egreſſo, ſi portum litoris petas, in area virenti, vulgare quamquam, non procul nemus: ingentes tiliæ duæ, connexis frondibus, fomitibus abjunctis, unam umbram non una radice conficiunt: in cujus opacitate, cum me meus Ecdicius illuſtrat, pilæ vacamus: ſed hoc eo uſque, donec arborum imago contractior, intra ſpatium ramorum recuſſa cohibeatur; atque illic aleatorium laſſis conſumto ſphæriſterio faciat. Sed quia tibi ſicut ædificium ſolvi, ſic lacum debeo, quod B reſtat agnoſce. Lacus in Eurum defluus meat, ejuſque arenis fundamenta impreſſa domicilii, ventis motantibus æſtuans humectat alluvio. Is quidem ſane circa principia ſui, ſolo paluſtri voraginoſus, & veſtigio inſpectoris inadibilis eſt: ita limi bibuli pinguedo coaleſcit, ambientibus ſe ſe fontibus algidis, litoribus algoſis. Attamen pelagi mobilis campus cymbulis late ſecatur pervagabilibus, ſi flabra poſuere. Si turbo Auſtrinus inforduit, immane turgeſcit; ita ut arborum comis quæ margini inſiſtunt, ſuperjectæ aſperginis fragor impluat. Ipſe autem ſecundum menſuras quas ferunt nauticas, in decem & ſeptem ſtadia procedit. Fluvio intratur, qui ſalebratim ſaxorum obicibus C affractus ſpumoſo caneſcit impulſu, & nec longum ſcopulis præcipitibus exemtus, lacu conditur: quem fors fuat, an incurrat, an faciat, præterit certe, coactus per cola ſubterranea deliquari, non ut fluctibus, ſed ut piſcibus pauperaretur: qui repulſi in gurgitem pigriorem, carnes rubras albis abdominibus extendunt. Ita illis nec redire valentibus, nec exire permiſſis, quemdam vivum & circumlatitium carcerem corpulentia facit. Lacus ipſe qua dexter, inciſus, flexuoſus, nemoroſuſque; qua lævus, patens, herboſus, æqualis. Æquor ab Africo viride per litus, quia in undam fronde porrecta, ut glareas aqua, ſic aquas umbra perfundit. Hujuſmodi colorem ab oriente par ſilvarum corona continuat: D per Arctoum latus, ut pelago natura, ſic ſpecies; a Zephyro plebeius & tumultuarius frutex, frequenterque lemborum ſuperlabentum ponderibus inflexus. Hunc circa lubrici ſcirporum cirri plicantur ſimulque pingues ulvarum paginæ natant, ſalicumque glaucarum fota ſemper dulcibus aquis amaritudo. In medio profundi brevis inſula, ubi ſupra molares naturaliter aggeratos, per impactorum puncta remorum navalibus trita gyris meta protuberat, ad quam ſe jocunda ludentum naufragia collidunt. Nam moris iſtic fuit ſenioribus noſtris [2] agonem Drepanitanum Trojanæ ſuperſtitionis imitari. Jam vero ager ipſe, (quamquam hoc ſupra debitum) diffuſus in ſilvis, pictus in pratis, pecoroſus in paſcuis, in paſtoribus peculioſus. Sed non amplius moror, ne, ſi longior ſtilo terminus, relegentem te autumnus inveniat. Proinde mihi E tribue veniendi celeritatem, nam redeundi moram tibi ipſe præſtabis: daturus hinc veniam, quod brevitatem ſibi debitam paullo ſcrupuloſior epiſtola exceſſit, dum totum ruris ſitum ſolicita rimatur, quæ tamen ſummovendi faſtidii ſtudio nec cuncta perſtrinxit. Quapropter bonus arbiter, & artifex lector, non paginam quæ ſpatia deſcribit, ſed villam quæ ſpatioſa deſcribitur, grandem pronuntiabunt. Vale.

EPISTOLA III.

Sidonius [3] Felici ſuo ſalutem.

GAudeo te, domine major, ampliſſimæ dignitatis infulas conſequutum. Sed id mihi ob hoc ſolum deſtinato tabellario nuntiatum non minus gaudeo. Nam licet in præſentiarum ſis potiſſimus magiſtratus, & in lares Philagrianos patricius apex tantis poſt ſæculis, tua tantum felicitate remeaverit: invenis tamen, vir amicitiarum ſervantiſſime, qualiter honorum tuorum creſcat communione faſtigium, raroque genere exempli altitudinem tuam humilitate ſublimas. Sic quondam Q. Fabium magiſtrum equitum dictatorio rigori, & Papirianæ ſuperbiæ favor publicus prætulit. Sic & Cn. Pompejum ſuper æmulos extulit numquam faſtidita popularitas. Sic invidiam Tiberianam preſſit univerſitatis amore Germanicus. Quocirca nolo ſibi de ſucceſſibus tuis principalia beneficia plurimum blandiantur; quæ nihil tibi amplius conferre potuerunt, quam ut ſi id noluiſſemus, [4] tranſiremur inviti. Illud peculiare tuum eſt, illud gratiæ ſingularis, quod jam qui te æmulentur non habes, quam non invenis qui ſequantur. Vale.

EPISTOLA IV.

Sidonius Syagrio ſuo ſalutem.

VIr clariſſimus Projectus domi nobilis, & patre patruoque ſpectabilibus, avo etiam præſtantiſſimo ſacerdote conſpicuus, amicitiarum tuarum, niſi reſpuis, avidiſſime finibus infertur: & cum illi familiæ ſplendor, probitas morum, patrimonii facultas, juventutis alacritas, in omne decus pari lance conquadrent: ita demum ſibi tamen videbitur ad arcem faſtigatiſſimæ felicitatis evectus, ſi gratiæ tuæ ſodalitate potiatur. Optantii clariſſimi viri nuper vita functi filiam (quod Deo proſperante ſuccedat) licet in conjugium petierit, obtinueritque a matre pupillæ; parum tamen votorum ſuorum promotum cenſet effectum, niſi aſſenſum tuum ſuper his omnibus, ſeu ſedulitate ſua, ſeu precatu noſtræ interceſſionis adſpicitur. Namque ipſe quantum ad inſtitutionem ſpectat puellæ in locum mortui patris curarum participatione ſuccedis, conferendo virgini parentis affectum, patroni auctoritatem, tutoris officium. Quocirca quia dignus es, ut domus tuæ celeberrimam diſciplinam, etiam procul poſitorum petat ambitus, ſicut decet bonarum partium viros, benignitate reſponſi proci ſupplicis verecundiam munerare; & qui ita expetitus deberes illi expetere pollicendam, ſecurus permitte promiſſam: quia ſic te conditioni huic meritorum ratio præfecit, ut nec ſuperſtiti Optantio in liberos ſuos decuerit plus licere. Vale.

1. In aliquibus libris *modulamina*.

2. *Agonem Drepanitanum*] Ludricam naumachiam, qua Æneas ad Drepanum Siciliæ, patri parentavit, de qua Æneid. V.

3 *Felici*] Magno Felici, Magni exconſulis filio. Hos enim a Philagrio patricio oriundos diſerte ſcribit in Propemptico, ut Avitum quoque Auguſtum in panegyrico. Sed de Felice plura carmine xx. quod totum illi dicatum eſt. Ampliſſima porro dignitas quam Felici gratulatur, non eſt conſulatus ad quem Felix numquam pervenit, ſed patriciatus, cujus præterea teſtis eſt Gennadius in Fauſto.

4. *Ut tranſiremur inviti*] Fuit tamen poſtea patricius & ipſe Sidonius, ut patet ex epiſt. xiv. ad Papianillam lib. V. & ex Mamerti Claudiani dedicatoria ad Sidonium.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 472.



EPISTOLA V.

Sidonius Petronio suo salutem.

JOannes familiaris meus inextricabilem labyrinthum negotii multiplicis incurrit, & donec suarum merita chartarum, vel vestra scientia, vel si qua est vestræ, si tamen est ulla, similis inspexerit, quid respuat, quidve optet ignorat. Ita se quodam modo bipertitæ litis forma confundit, ut propositio sua, quem actionis ordinem propugnatura, quem sit impugnatura, non noverit. Pro quo precem sedulam fundo, ut perspectis chartulis suis, si quid jure competit, instruatis: quæ qualiterve sint objicienda, quæ refellenda monstrantes. Non B enim verebimur, quod caussæ istius cursus, si de vestri manaverit fonte consilii, ulla contrastantium derivatione tenuetur. Vale.

EPISTOLA VI.

Sidonius Pegasio suo salutem.

PRoverbialiter celebre est, sæpe moram esse meliorem: sicuti & nunc experti sumus. Menstruanus amicus tuus longo istic tempore inspectus, meruit inter personas nobis quoque caras devinctasque censeri: opportunus, elegans, verecundus, sobrius, parcus, religiosus, & his morum dotibus præ- C ditus, ut quoties in boni cujusque adsciscitur amicitias, non amplius consequatur beneficii ipse, quam tribuat. Hæc tibi non ut ignoranti, sed ut judicio meo satisfacerem, scripsi. Quamobrem triplex caussa lætandi: tibi prima, cui amicos sic aut instituere, aut eligere contingit: Arvernis secunda, quibus hoc in eo placuisse confirmo, quod te probasse non ambigo: illi tertia, de quo boni quique bona quæque judicaverunt. Vale.

EPISTOLA VII.

Sidonius Explicio suo salutem.

QUia justitia vestra jure fit universitati per complura recti experimenta venerabilis, idcirco singulas quasque personas id ipsum efflagitantes in examen vestrum libens & avidus emitto, quam primum ambiens, me discussionis, illos simultatis onere laxari: quod demum ita sequetur, si non ex solido querimonias partium verecundus censor excludas: quamquam & hoc ipsum, quod copiam tui jurgantibus difficile concedis, indicium sit bene judicaturi. Quis enim se non ambiat arbitrum legi, aut pretio aliquid indulturus, aut gratiæ? Igitur ignosce ad tam sanctæ conscientiæ prærogativam raptim perniciterque properantibus: quandoquidem sententiam tuam, nec victus ut stolidus E A accusat; nec victor ut argutus irridet; veritatisque respectu dependunt tibi addicti reverentiam, gratiam liberati. Proinde impense obsecro, ut inter Alethium & Paullum, quæ veniunt in disceptationem, mox ut utrimque fuerint opposita, discingas. Namque, ni fallor, supra Decemvirales, Pontificalesque sententias, ægritudini hujus prope interminabilis jurgii, sola morum tuorum temperantia solita judicandi salubritate medicabitur. Vale.

EPISTOLA VIII.

Sidonius Desiderato suo salutem.

MÆstissimus hæc tibi nuntio. Decessit nudius tertius, non absque justitio, [1] matrona Filimatia, morigera conjunx, domina clemens, utilis mater, pia filia: cui debuerit domi forisque persona minor obsequium, major officium, æqualis affectum. Hæc cum esset unica jam diu matri amissæ, facile diversis blandimentorum generibus effecerat, ne patri adhuc juveni sobole, sexus alterius desideraretur. Nunc autem per subita suprema virium cælibatu, patrem orbitate confodit. His additur, quod quinque liberum parens immaturo exitu reddidit infortunatam fecunditatem. Qui parvuli, si matre sospite perdidissent jam diu debilem patrem, minus pupilli existimarentur. Hanc tamen, si quis haud incassum honor cadaveribus impenditur, non vespillonum sandapilariorumque ministeria ominosa tumulavere: sed cum Libitinam ipsam flentes omnes externi quoque prensitarent, remorarentur, exoscularentur, sacerdotum propinquorumque manibus excepta, perpetuis sedibus dormienti similior illata est. Post quæ, precatu parentis orbati, næniam funebrem, non per elegos sed per hendecasyllabos, marmori incisam, planctu prope calente dictavi. Quam si non satis improbas, ceteris epigrammatum meorum voluminibus applicandam mercenarius bibliopola suscipiet. Si quid secus, sufficit saxo carmen D saxeum contineri. Hoc enim epitaphium est.

OCcasu celeri feroque raptam
Natis quinque, patrique, conjugique,
Hoc flentis patriæ manus locarunt
Matronam Philimatiam sepulcro.
O splendor generis, decus mariti!
Prudens, casta, decens, severa, dulcis,
Atque ipsis senioribus sequenda:
Discordantia quæ solent putari,
Morum commoditate copulasti.
Nam vitæ comites bonæ fuerunt,
Libertas gravis, & pudor facetus.
Hinc est quod decimam tuæ saluti
Vix actam trieteridem dolemus,

1. *Matrona Filimatia*] Pro Philematia. Priscum & verum nomen erat Philematium: quomodo a Luciano scribitur in dialogo Charmidis & Tryphænæ, quem claudit his verbis φιλημάτιον δὲ πολλὰ χαιρέτω. Dicta enim Philematium ὑποκοριστικῶς ab osculo: quod innuit Lucretius illo versu lib. IV.

Simula σιλήνη ac satyra est, labiosa φίλημα: eadem forma qua Chelidonium, Eustochium, Glycerium, Musarium, Cymbalium, & alia seu vera seu ficta nomina mulierum: quæ posterior ætas aliter inflexit, ut Philematia, Chelidonia, eodemque modo ceteræ appellarentur. Sed pro Philematia Filimatia, & pro Philematio Filimatius tandem scribi cœpit, retento Græcæ vocis sono, non orthographia & quantitate. Ita enim Filimatius in codice Theodosiano legitur comes sacrarum largitionum sub Gratiano: item apud Sidonium lib. I. epist. III. & lib. V. epist. XVII. ubi Filimatii mentio est hujusce, opinor, Filimatiæ nostræ patris. Jam vero non solum Philematium apud veteres femina dicebatur, verum etiam Philematio. Sicut enim Venuleia Philematium, sic Aelia Philematio in antiquis lapidibus reperitur, & Titia Philematio in hoc Uceciensi,

TITIA
PHILEMATIO
VIVA SIBI
ET SUIS FECIT.

Utriusque autem exemplum exstat in altero lapide pervetusto, nostra memoria in urbe ad portam Salariam effosso: in quo exsculpti sunt duo conjuges colliberti, & sub utraque effigie singula epitaphia rudi opere incisa. Muliebris autem hoc est initium.

AURELIA L. L. PHILEMATIO

Viva Philematium sum Aurelia nominitata,
Casta, pudens, volgei nescia, feida viro.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.

Atque in temporibus vigentis ævi,
[1] Injuste tibi justa persoluta.

Placeat tibi carmen nec ne, tu propera, civitatemque festinus invise. Debes enim consolationis officium duorum civium domibus afflictis. Quod ita solvas, Deum quæso, ne unquam tibi redhibeatur.

EPISTOLA IX.

Sidonius [2] *Donidio suo salutem.*

QUæris cur ipse jam pridem Nemausum profectus vestra serum ob adventum desideria producam. Reddo caussas reditus tardioris, nec moras meas prodere moror, quia quæ mihi dulcia sunt, tibi quoque. Inter agros amœnissimos, apud humanissimos dominos Ferreolum & Apollinarem tempus voluptuosissimum exegi. Prædiorum iis jura contermina, domicilia vicina, quibus [3] interjecta gestatio lassat peditem, nec sufficit equitaturo. Colles ædibus superiores exercentur vinitori, & olivitori. Aracynthum & Nysam, celebrata poetarum carminibus juga, censeas. Uni domui in plana patentiaque, alteri in nemora prospectus: sed nihilominus dissimilis situs similiter oblectat. Quamquam de prædiorum quid nunc amplius positione, cum restat hospitalitatis ordo referandus? Jam primum sagacissimis in hoc exploratoribus destinatis, qui reditus nostri iter aucuparentur, domus utraque non solum tramites aggerum publicorum, verum etiam calles compendiis tortuosos, atque pastoria diverticula insedit, ne quo casu dispositis officiorum insidiis elaberemur. Quas incidimus, fateor, sed minime inviti: jusquejurandum confestim præbere compulsi, ne prius quam septem dies evolverentur, quidquam de itineris nostri continuatione meditaremur. Igitur mane cotidiano, partibus super hospite prima & grata contentio, quænam potissimum anterius edulibus nostris culina fumaret: nec sane poterat ex æquo divisioni lancem ponere vicissitudo, licet uni domui mecum, alteri cum meis vinculum foret propinquitatis: quia Ferreolo, præfectorio viro, præter necessitudinem sibi debitam, dabat ætas & dignitas primi invitatoris prærogativam. Illicet a deliciis in delicias rapiebamur. Vix quodcumque vestibulum intratum, & ecce huc sphæristarum contrastantium paria inter rotatiles catastropharum gyros duplicabantur, huc inter aleatoriarum vocum competitiones, frequens crepitantium fritillorum tesserarumque strepitus audiebatur. Huc libri affatim in promtu: videre te crederes aut grammaticales pluteos, aut [4] Athenæi cuneos, aut armaria extructa bibliopolarum. Sic tamen quod qui inter matronarum cathedras codices erant, stilus iis religiosus inveniebatur: qui vero per subsellia patrumfamilias, ii cothurno Latialis eloquii nobilitabatur. Licet quæpiam volumina quorumpiam auctorum servarent in caussis disparibus dicendi parilitatem. Nam similis scientiæ viri, hinc Augustinus, hinc Varro; hinc Horatius, hinc Prudentius lectitabantur. Quos inter Adamantius Origenes, Turranio Rufino interpretatus, sedulo fidei nostræ lectoribus inspiciebatur. Pariter & prout singulis cordi diversa censentes sermocinabantur, cur a quibusdam protomystarum, tamquam scævus cavendusque tractator improbaretur: quamquam sic esset [5] ad verbum sententiamque translatus, ut nec Apulejus Phædonem sic Platonis, neque Tullius Ctesiphontem sic Demosthenis in usum regulamque Romani sermonis exscripserint. Studiis hisce dum nostrum singuli quique prout libuerat, occupabantur, ecce & ab archimagiro adventans, qui tempus instare curandi corpora moneret: quem quidem nuntium [6] per spatia clepsydræ horarum incrementa servantem, probabat competenter ingressum [7] quinta digrediens. Prandebamus breviter,

1. *Injuste tibi justa persoluta*] Communis hæc querimonia in morte immatura sublatis. Hinc illa in antiquis monumentis, *Male judicantibus fatis*, &, *Sublata est oculis fato dictante iniquo*. Elegans est in hoc genere * Abgari regii juvenis epitaphium, quod Romæ paucis ab hinc annis ad D. Paulli basilicam erutum meminimus, dignumque videtur, quod huic loco intexatur. Est ergo hujusmodi,

Ἕκτον ἐπ' εἰκοστῷ πλήσας ἔτος Ἄβγαρος ἔνθα
Ταρχύθη, μοιρῶν ὡς ἐπέκλωσε μίτος.
Ὧι φθόνος ὥς ἄδικός τις ἀπέσβεσεν ἀρχόμενον φῶς,
Λυπήσας τὸ γένος καὶ φιλίους ἑτάρους.
Τύμβον δὲ Ἀντωνεῖνος ἑῷ θέτο τοῦτον ἀδελφῷ,
Οἷσιν ὁ πρὶν βασιλεὺς Ἄβγαρος ἦν γενέτης.

Hoc est.

Qui sex, bisque decem compleverat Abgarus annos,
Parcarum duro est heic situs imperio.
Primævam extinxit lucem cui livor iniquus,
Mærore afficiens & genus & socios.
Germano hunc tumulum fratri dedit Antoninus,
Abgarus olim rex queis genitor fuerat.

2. *Donidio*] Viro spectabili, civique Arverno, ut conjectura est ex epist. V. lib. III. Hæc autem scripta est in agro Nemausensi, e villis Apollinaris & Ferreoli, quas describit.

3. *Interjecta gestatio*] Nunc locus & spatium in quo gestari licet: sicut in Romana inscriptione, IN HOC POMARIO GESTATIONIS PER CIRCUITUM QUINQUIENS EFFICIT PASSUS MILLE. Alias gestatio est ipsa exercitatio, qua gestamur aut vehimur, equo, lectica, vel quovis genere vehiculi. Sed Sidonius præterea transfert etiam ad ambulationem, cum alii distinguant. Seneca epist. LV. *A gestatione cum maxime redeo, non minus fatigatus, quam si tantum ambulassem, quantum sedi: labor enim est, diu ferri*. Et Plinius lib. XXVII. *In primis vero prodest ambulatio, gestatio, & ea pluribus modis*.

4. *Athenæi cuneos*] Lib. IX. epist. XIV. *Athenæi subsellia cuneata*. Fuit autem Athenæum publicum urbis gymnasium litterarum, quod Hadrianus Aug. ut Aurelius Victor tradit, Græco ritu constituit. Qua in urbis parte non indicat: fortasse in Regione VIII. Fori Romani. Nam eo sane loco ludos litterarios collocat P. Victor. & manet illo in tractu ad radices Aventini scholæ Græcorum nomen in Æde S. Mariæ: ubi & B. Augustinum docuisse ferunt, quem in Athenæo Romano rethoricam professum fuisse obscurum non est. Athenæi autem meminit inter ceteros Dio apud Xiphilinum de Didio Juliano. *συναγαγὼν ἡμᾶς εἰς τὸ Ἀθήναιον καλούμενον ἀπὸ τῆς ἐν αὐτῷ παιδευομένων ἀσκήσεως. Nos consul*, inquit, *in Athenæum convocat: cui loco nomen est ab exercitatione eorum, qui in ipso erudiuntur.*

5. *Ad verbum sententiamque translatus*] Origenis plurima interpretatus est Rufinus. Cujus versionem mirum est tantopere a Sidonio laudari; cum Hieronymus de libris *περὶ ἀρχῶν* testetur multa ab illo interpolata, detracta, addita, infamemque eam interpretationem appellet in epitaphio Marcellæ. Sed mirari desino, cum redit in mentem nostros fere Gallos & occidentales omnes in Rufinum propensiores fuisse.

6. *Per spatia clepsydræ*] Geminum antiqui moris vestigium, clepsydra & horæ inæquales. Horarium ex aqua, id est clepsydram Romanis primus fecit Nasica Censor, ut notat Censorinus: nominat iterum Sidonius epist. XIII. ad Serranum. Cassiodorus in ea quam pro Theodorico rege scripsit ad Gundobaldum. *Horologium aliud*, inquit, *ubi solis meatus sine sole cognoscitur, & aquis guttantibus horarum spatia terminantur*. Aquatile vocat in divinis Institutionibus. Græci *ὑδρεῖα ὡροσκοπεῖα*, ut Hero Alexandrinus *πνευματικῶν* I. *ἀκόλουθον εἶναι νομίσαντες τῇ τῶν ὑδρίων ὡροσκοπείων ἕξει, ἥ τις ἡμῖν ἐν τέτρασι βιβλίοις προσαναγέγραπται.*

7. *Quinta digrediens*] Hoc est undecima nostra. Horarum apud veteres usus erat inæqualium: quæ duodenæ in dies singulos ab exortu solis ad occasum numerabantur, totidem in singulas noctes. Quo fiebat ut pro dierum modo vel noctium inæquales essent, nunc breviores, nunc longiores. Quod spectans Augustinus de vera reli-

* De isto *Abgaro regio juvene* cujus epitaphium heic exhibet Sirmondus, vide sis quæ conjecerit eruditus Franciscus Wise in epistola ad V.C. Joannem Masson *de nummo Abgari regis*, edita Oxoniæ 1736. pag. 21.

copiose, senatorium ad morem, quo insitum in- A stitutumque, multas epulas paucis paropsidibus apponi: quamvis convivium per edulia nunc assa, nunc jurulenta varietur. Inter bibendum narratiunculæ, quarum cognitu hilararemur, institueremurque, quia eas bifariam orditas, lætitia peritiaque comitabantur. Quid multa? Sancte, pulcre, abundanter accipiebamur. Inde surgentes, [1] si Voroangi eramus, (hoc uni prædio nomen) ad sarcinas & ad diversorium pedem referebamus: si Prusiani, (sic fundus alter nuncupabatur) Tonantium cum fratribus, lectissimos æquævorum nobilium principes, stratis suis ejiciebamus, quia nec facile crebro cubilium nostrorum instrumenta circumferebantur. Excusso [2] torpore meridiano, paullisper equitabamus, quo facilius pectora marcida cibis cœnatoriæ fami exacueremus. B Balneas habebat uterque hospes in opere, in usu neuter: sed cum vel pauxillulum bibere desiisset asseclarum meorum famulorumque turba compotrix, quorum cerebris hospitales crateræ nimium immersæ dominabantur, vicina fonti aut fluvio raptim scrobs fodiebatur, in quam forte cum cumulus lapidum ambustus demitteretur, antro in hemisphærii formam corylis flexilibus intexto, fossa inardescens operiebatur: sic tamen ut superjectis Cilicum velis, patentia intervalla virgarum, lumine excluso, tenebrantur, vaporem repulsura salientem, qui undæ ferventis aspergine flammatis silicibus excuditur. C Heic nobis trahebantur horæ, non absque sermonibus salsis jocularibusque: quos inter halitu nebulæ stridentis oppletis, involutisque saluberrimus sudor eliciebatur: quo prout libuisset effuso, coctilibus aquis ingerebamur, harumque fotu cruditatem nostram tergente resoluti, aut fontano deinceps frigore, putealique, aut fluviali copia solidabamur. Siquidem domibus medius it Vuardo fluvius, nisi cum deflua nive pastus impalluit flavis ruber glareis, & per alveum perspicuus, quietus, calculosusque, neque ob hoc minus piscium ferax delicatorum. Dicerem & cœnas, & quidem unctissimas, nisi terminum nostræ loquacitati quem verecundia non adhibet, charta posuisset. Quarum quoque replicatio fieret amœna narratu, nisi epistolæ ter- D gum madidis sordidare calamis erubesceremus. Sed qui & ipsi in procinctu sumus, teque sub ope Christi actutum nobis invisere placet, expeditius tibi cœnæ amicorum in mea cæna tuaque commemorabuntur: modo nos quam primum hebdomadis exactæ spatia completa votivæ restituant esuritioni: quia disruptum ganea stomachum nulla sarcire res melius, quam parsimonia solet. Vale.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.

EPISTOLA X.

Sidonius [3] Hesperio suo salutem.

AMo in te quod litteras amas, & usquequaque præconiis cumulatissimis excolere contendo tantæ diligentiæ generositatem per quam nobis non solum initia tua, verum etiam studia nostra commendas. Nam cum videmus in hujusmodi disciplinam juniorum ingenia succrescere, propter quam nos quoque subduximus ferulæ manum, copiosissimum fructum nostri laboris adipiscimur. Illud appone, quod tantum increbuit multitudo desidiosorum, ut nisi vel paucis- B simi quique meram Latiaris linguæ proprietatem de trivialium barbarismorum rubigine vindicaveritis, eam brevi abolitam defleamus interitamque: sic omnes nobilium sermonum purpuræ per incuriam vulgi decolorabuntur. Sed isthæc alias. Interea tu quod petis accipe. Petis autem, ut si qui versiculi mihi fluxerunt, postquam ab alterutro discessimus, hos tibi pro quadam morarum mercede pernumerem. Dicto pareo. Nam præditus es, quamquam juvenis, hac animi maturitate, ut tibi etiam natu priores gerere morem concupiscamus. [4] Ecclesia nuper exstructa Lugduni est, quæ studio papæ Patientis summum cœpti operis accessit, viri sancti, strenui, severi, misericordis, quique per uberem C munificentiam in pauperes humanitatemque, non minora bonæ conscientiæ culmina levet. Hujus igitur ædis extimis, rogatu præfati antistitis, tumultuarium carmen inscripsi trochæis triplicibus, adhuc mihi jamque tibi perfamiliaribus. Namque ab hexametris eminentium poetarum [5] Constantii & Secundini vicinantia altari basilicæ latera clarescunt: quos in hanc paginam admitti nostra quam maxime verecundia vetat, quam suas otiositates trepidanter edentem meliorum carminum comparatio premit. Nam sicuti novam nuptam nihil minus quam pulcrior pronuba decet: & sicuti si vestiatur albo quisque fuscus, fit nigrior: sic nostra, quantulacumque est, tubis circumfusa potioribus stipula vilescit: quam D mediam loco, infimam merito, despicabiliorem pronuntiari, non imperitia modo, sed & arrogantia facit. Quapropter illorum justius epigrammata micant, quam ista hæc, quæ imaginarie tantum & quodam modo umbratiliter effingimus. Sed quorsum ista? quin potius paupertinus flagitatæ cantilenæ culmus immurmuret.

QUisquis pontificis patrisque nostri
Collaudas Patientis heic laborem,

gione, *Hora*, inquit, *brumalis æstivæ comparata minor est*. Ceterum quia sexta illorum hora in meridiem terminabatur, eo fiebat ut quinta undecimæ affinis semper esset. Hanc igitur eamdem denotat Persius sat. III. *quinta dum linea tangitur umbra*: in solario scilicet heliotropio scioterico, in quo ejusmodi horæ notabantur. Quinta autem, hora prandii. Martialis lib. VIII.

Horas quinque puer nondum tibi nuntiat, & tu
Jam conviva mihi, Cæciliane, venis.

Ausonius in Ephemeride:

Sosie, prandendum est: quartam jam totus in horam
Sol calet, ad quintam flectitur umbra notam.

1. *Si Voroangi*] Prædium id Apollinaris. In Propemptico: *Lassum se Voroangus obtinebit. Nostrum heic invenies Apollinarem.* Prusianus erat Tonantii Ferreoli. Utraque villa ad Wardonem fluvium, qui per Volcas Arecomicos evolvitur in Rhodanum, vetusto ponte & aquæductu structuræ Romanæ nobilis: quorum adhuc reliqua sunt vestigia.

2. *Torpore meridiano*] [illegible] lib. I. epist. II. de Theodorico. *Dapibus ex* [illegible] *semper exiguus, sæpe nullus.* Meridiationem [illegible] de qua intelligendus

E est Juliani locus ad Libanium. *Ἀνέγνων χθὲς τὸν λόγον πρὸ ἀρίστου σχεδόν. ἀριστήσας δὲ, πρὶν ἀναπαύσασθαι, τὸ λοιπὸν ἀποδέδωκα. Hesterno*, inquit, *die orationem legi ante prandium prope integram: post prandium vero, ante somnum quod deerat absolvi.*

3. *Hesperio*] Is videtur quem lib. IV. epist. XXII. virum magnificum appellat, gemmam amicorum litterarumque. Huic ergo Hendecasyllabos mittit, quos de basilica Lugduni extructa condiderat.

4. *Ecclesia Lugduni exstructa*] Quænam illa fuerit incertum est. Nam quo minus S. Irenæi basilica videatur, facit quod ab Arari procul absit, parumque ei conveniat situs ecclesiæ Sidonianæ. Papirius Massonus de S. Stephani ecclesia quæ metropolitana sedes olim fuit, interpretatur. Quæ cum inter Ararim aggeremque publicum posita sit, Sidonii descriptionem facile recipiet, si exstructa constet a Patiente, a quo sane multas plurimis locis fundatas restitutasque testis est epistola ultima lib. VI.

5. *Constantii & Secundini*] Constantius notus est ex epistola I. & aliis passim. Secundini ut poetæ meminit iterum lib. V. epist. VIII.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 472.



Voti compote supplicatione
Concessum experiere quod rogabis.
Ædes celsa nitet, nec in sinistrum
Aut dextrum trahitur, sed arce frontis
[1] Ortum prospicit æquinoctialem.
Intus lux micat, atque bracteatum
Sol sic sollicitatur ad lacunar,
Fulvo ut concolor erret in metallo.
Distinctum vario nitore marmor,
Percurrit cameram, solum, fenestras:
Ac sub versicoloribus figuris
Vernans herbida crusta sapphiratos
Flectit per prasinum vitrum lapillos.
Huic est porticus applicata triplex
[2] Fulmentis Aquitanicis superba:
Ad cujus specimen remotiora
Claudunt atria porticus secundæ:
Et campum medium procul locatas
Vestis saxea silva per columnas.
Hinc agger sonat, hinc Arar resultat.
Hinc se se pedes, atque eques reflectit,
Stridentum & moderator essedorum:
Curvorum hinc chorus helciariorum,
[3] Responsantibus alleluja ripis,
Ad Christum levat amnicum celeuma.
Sic sic psallite nauta, vel viator:
Namque iste est locus omnibus petendus,
Omnes quo via ducit ad salutem.

Ecce parui tamquam junior imperatis. Tu modo fac memineris multiplicato me fenore remunerandum: quoque id facilius possit voluptuosiusque, opus est ut sine dissimulatione lectites, sine fine lecturias. Neque patiaris, ut te ab hoc proposito propediem conjunx domum feliciter ducenda deflectat: sisque oppido meminens, quod olim Martia Hortensio, Terentia Tullio, Calpurnia Plinio, Pudentilla Apulejo, Rusticiana Symmacho legentibus meditantibusque candelas & candelabra tenuerunt. Certe si præter rem oratoriam, contubernio feminarum poeticum ingenium, & oris tui limam frequentium studiorum cotibus expolitam, querenis obtundi, reminiscere quod sæpe versum Corinna cum suo Nasone complevit, Lesbia cum Catullo, Cesennia cum Gætulico, Argentaria cum Lucano, Cynthia cum Propertio, Delia cum Tibullo. Proinde liquido claret, studentibus discendi per nuptias occasionem tribui, desidibus excusationem. Igitur incumbe, neque apud te litterariam curam turba depretiet imperitorum: quia natura comparatum est, ut in omnibus artibus hoc sit scientiæ pretiosior pompa, quo rarior. Vale.

EPISTOLA XI.

Sidonius [4] Rustico suo salutem.

SI nobis pro situ spatiisque regionum vicinaremur, nec a se præsentia mutua vasti itineris longinquitate discriminaretur, nihil apicum raritati licere

1. *Ortum prospicit æquinoctialem*] Christianorum ædes sacræ ab exordio in orientem converti solitæ. Clemens lib. II. Constitutionum ὁ οἶκος ἔστω ἐπιμήκης, κατὰ ἀνατολὰς τετραμμένος. Paullinus epistola XII. ad Severum, *Prospectus basilicæ non, ut usitatior mos est, orientem spectat*. Quod si quid interpellaret, altare saltem eo dirigebant: quo situ Romæ plurima visuntur. Ideo notati quondam ὡς ἰδιόνομοι Antiocheni, quod ab usitato ritu discederent. Socrates lib. V. cap. XXI. ἐν Ἀντιοχείᾳ δὲ τῆς Συρίας ἡ ἐκκλησία ἀντίστροφον ἔχει τὴν θέσιν. οὐ γὰρ πρὸς ἀνατολὰς τὸ θυσιαστήριον, ἀλλὰ πρὸς δύσιν ὁρᾷ. Judæorum vero templum ad obeuntem cæli plagam spectabat: quod divinæ litteræ docent, observatque inter alios Theodoretus. Nec repugnat Aristeas & Josephus qui ναὸν πρὸς τὴν ἕω καὶ τὴν ἀνατολὴν τετράφθαι, ad auroram, & orientem conversum fuisse scribunt: quia de vestibuli non de frontis prospectu loquuntur.

2. *Fulmentis Aquitanicis*] Columnis e marmore Aquitanico in Pyrenæi jugis cæso: quarum etiam mentio in vita Hilari papæ, in qua nominantur columnæ Aquitanicæ, Tripolitæ & porphyreticæ. Aliud est scriptoribus Græcis marmor Ἀκυτανὸν, ut Theophani & Cedreno de funere Anastasii Aug. ab Acyto Sporadum una.

3. *Responsantibus alleluja ripis*] Dum nautæ, inquit, alleluja decantant, id ipsum echo in ripa resonat. Et cantici ergo lemma expressit, & voce usus est propria. Est enim proprie celeuma carmen nauticum; quod proinde qui canunt nautæ, κελεύοντες Longo dicuntur lib. III. Ποιμενικῶν, ubi & celeusma elegantissime describit, & echo in proxima valle ut Sidonius in ripis, celeusmati responsantem. Sed celeumatis Sidoniani argumentum, Alleluja & Dei laudes erant. Quo more veteres Christiani modulos suos & cantica in Christi sanctorumque honorem sæpe vertebant. Ac ne a nautis discedamus, Paullinus de reditu Nicetæ:

Navitæ læti solitum celeusma
Concinent versis modulis in hymnos,
Et piis ducent comites in æquor
Vocibus auras.

Item Asterius Amaseæ episcopus in Phocam martyrem. ναῦται δὲ καὶ πλωτῆρες οἱ πανταχοῦ, τὰ συνήθη κελεύσματα, οἷς τὸν πλοῦ πόνον προσαναπαύουσιν, εἰς κοινὴν τὴν μάρτυρος μετέβαλον εὐφημίαν. καὶ διὰ γλώσσης ἐστὶν ὅλως ὁ Φωκᾶς αὐτοῖς ἐπαδόμενος. *Nautæ, inquit, & remiges ubique gentium consueta celeusmata, quibus navigationis tædium consolantur, ad communem martyris laudem transferunt, unoque prorsus omnium ore Phocas decantatur.* Augustinus de cantico novo: *At sit nostra tutela Christi gratia, celeuma nostrum dulce cantemus Alleluja, ut læti ac securi ingrediamur sempiternam ac felicissimam patriam.*

4. *Rustico*] Burdegalensi. Lib. VIII. epist. XI. Sed alii præterea ejus nominis in Gallia paullo ante Sidonium illustres vixerunt, ut Decimius Rusticus, de quo lib. V. epist. IX. & Rusticus episcopus Narbonensis, ad quem Leo papa scribit. Quorum utri, an alii potius cuipiam Rustico tribuenda sit epistola ad Eucherium, quæ in codice Corbeiensi post ejus Quæstiones in scripturam subjicitur epistolis Salviani & Hilarii ad Eucherium eumdem, nescio. Hoc tamen loco, ne diutius lateat, non ingratum ut spero lectori embolum producenda putavi.

Epistola Rustici ad Eucherium.

Domino vere sancto papæ Eucherio Rusticus. Transscriptis exsultanter ac raptim quæ, deprecante me exemplanda misisti, illico ad beatitudinem vestram volumen utrumque direxi. Unica vero illa ac sine comparatione doctrina, quæ ex utroque Testamento magnorum ænigmatum absolutissime aperiens quæstiones, amoto velamine oculis cordis verum spiritalis intelligentiæ lumen infundit, quam admirationi mihi fuerit, manifestius declarasse non potui, quam ut eam a me fatear non digne posse laudari. Quamquam quid ego ad attollendum quæ edidisti solum me esse imparem dicam? Pace dictum sit omnium, qui sunt optime his quæ liberalia appellant studia instituti, nec ab his quidem mira librorum tuorum præconia satis digne excoli posse existimo. Quia licet facilius esse decernam judicare quam dicere: mihi tamen adeo persuasum est non esse hoc facile, ut merito definiam, quod nemo rectius tam præclari operis prædicator exsisteret, quam jus inventor & cognitor; quia quod nemo sic potuit invenire, utique nemo sic laudare. Sed dum hæc tacitus mecum volvo, occurrit mihi quod in bibliotheca studiosi sæcularium litterarum puer quondam, ut se ætatis illius curiositas habet, prætereundo legissem. Nam cum supra memoratæ ædis ordinator ac dominus, inter expressas lapillis aut ceris discoloribus, formatasque effigies vel oratorum, vel etiam poetarum, specialia singulorum autotypis epigrammata subdidisset; ubi ad præjudicati eloquii venit poetam, hoc modo orsus est:

Virgilium vatem melius sua carmina laudant,
In freta dum fluvii currunt, dum montibus umbræ
Lustrabunt convexa, polus dum sidera pascet,
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.

Et vere, dummodo orationibus tuis culpa non teneat, quod inter sacros apices commemorationesque sanctorum mundialium a me scripturarum ponuntur exempla, merito mihi dominum Eucherium mente recolenti memoratum in memoriam opus recurrit. Nam dum erunt superius comprehensa, omnium Christianorum ore & amore celebraberis, prædicandus in posterum dum doces posteros. Ora pro me, vere sancte atque amice Dei, & mihi in Christo omni cultu suscipiende papa.

in cœptæ familiaritatis officia permitterem: neque jam semel missa fundamenta certantis amicitiæ, diversis honorum generibus exstruere cessarem. Sed animorum conjunctioni separata utrimque porrectioribus terminis obsistit habitatio, equidem semel devinctis parum nocitura pectoribus. Sed tamen ex ipsa communium municipiorum discretione procedit, quod cum amicissimi simus, raritatem colloquii de prolixa terrarum interjectione venientem, in reatum volumus transferre communem, cum de naturalium rerum difficultate nec culpa nos debeat manere nec venia. Domine illustris, gerulos litterarum de disciplinæ tuæ institutione formatos, & morum herilium verecundiam præferentes, opportune admisi, patienter audivi, competenter explicui. Vale.

EPISTOLA XII.

Sidonius [1] *Agricolæ suo salutem.*

Misisti tu quidem lembum mobilem, solidum, lecti capacem, jamque cum piscibus. Tum præterea gubernatorem longe peritum, remiges etiam robustos expeditosque, qui scilicet ea rapiditate prætervolant amnis adversi terga, qua defluit. Sed dabis veniam, quod invitandi tibi in piscationem comes venire dissimulo. Namque me multo decumbentibus nostris validiora mæroris retia tenent; quæ sunt amicis quoque & externis indolescenda. Unde te quoque puto, si rite germano moveris affectu, quo temporis puncto paginam hanc sumseris, de reditu potius cogitaturum. Severiana, solicitudo communis, inquietata primum lentæ tussis impulsu, febribus quoque jam fatigatur, iisque per noctes ingravescentibus: propter quod optat exire in suburbanum: litteras tuas denique cum sumeremus, egredi ad villulam jam parabamus. Quocirca seu tu venias, seu moreris, preces nostras orationibus juva, ut ruris auram desideranti salubriter cedat ipsa vegetatio. Certe ego, vel tua soror, inter spem metumque suspensi, credidimus ejus tædium augendum, si voluptati jacentis obstitissemus. Igitur ardori civitatis atque torpori, tam nos quam domum totam, prævio Christo, pariter eximimus: simulque mediocrum consilia vitamus assidentum diffidentumque; qui parum docti & satis seduli languidos multos officiosissime occidunt. Sane contubernio nostro jure amicitiæ [2] Justus adhibebitur, quem, si jocari liberet in tristibus, facile convincerem, [3] Chironica magis institutum arte, quam Machaonica. Quo diligentius postulandus est Christus obsecrandusque, ut valetudini cujus curationem cura nostra non invenit, potentia superna medeatur. Vale.

EPISTOLA XIII.

Sidonius Serrano suo salutem.

Epistolam tuam nobis [4] Marcellinus Togatus exhibuit, homo peritus, virque amicorum: quæ primoribus verbis salutatione libata, reliquo sui tractu qui quidem grandis est, patroni tui [5] Petronii Maximi imperatoris laudes habebat. Quem tamen tu pertinacius aut amabilius quam rectius veriusque felicissimum appellas, propter hoc quippe, cur per amplissimos fascium titulos fuerit evectus usque ad imperium. Sed sententiæ tali numquam ego assentior, ut fortunatos putem, qui reipublicæ præcipitibus ac lubricis culminibus insistunt. Nam dici nequit, quantum per horas fert in hac vita miseriarum vita felicium istorum, si tamen sic sunt pronuntiandi, qui sibi [6] hoc nomen, ut Sylla, præsumunt: nimirum qui supergressi jus fasque com-

1. *Agricolæ*] Ad quem libri I. epist. II. Papianillæ fratrem conjicere licet ex his verbis: *Ego vel tua soror*, quibus intelligit Papianillam. Severiana vero Sidonii filia, de qua, aut altera cognomine, Alcimus Avitus ad Fuscinam sororem.

2. *Justus adhibebitur*] Admonet Justi hujus medici commemoratio perantiqui & elegantis epitaphii L. Primigenii medici περιοδευτοῦ, hoc est circumforanei, quod Iguvii apud Umbros ante biennium hoc effossum est. Ejus porro exemplum, quod ex Urbe ad nos misit Petrus Marionus, præstanti juvenis ingenio & doctrina, sic habet:

L. SABINUS L. L.
PRIMIGENIUS
ORTUS ABIGUVIO MEDICUS FORA MULTA SECUTUS
ARTE FEROR NOTA NOBILIORE FIDE.
ME CONSURGENTEM VALIDA FORTUNA JUVENTA
DESTIVIT RAPIDIS IMPOSUITQUE ROGIS.
CLUSINO CINERES FLAMMÆ CESSERE SEPULCRO
PATRONUS PATRIO CONDIDIT OSSA SOLO.

3. *Chironica magis quam Machaonica*] Uterque insignis: ac Chiron quidem adeo præstans medicus, quod Junius Philargyrius observat, ut Æsculapium ipsum docuisse dicatur. Quare Sidonius de Chironis arte nihil detrahit: sed ut imperitiam Justi medici notet, jocum captat ex altera notione vocis χείρων, qua deteriorem significat, & multis sæpe similes argutias præbuit. Ita enim Diogenes Cynicus, auctore Laertio, ἰδὼν ποτὲ δύο κενταύρους κάκιστα ἐζωγραφημένους, ἔφη, πότερος τούτων χείρων; *Conspicatus aliquando duos centauros pessime pictos, Uter, inquit, horum est Chiron?* hoc est pejor & ineptior: non centauri nomen, sed picturæ vitium designans. Par etiam, & Sidoniano propior Aristidis rhetoris jocus Oratione in Asclepiadas, quos ait a patre Æsculapio medicinam edoctos. Nec enim opus fuisse, ut in Chironis disciplinam traderentur, cum domi magistrum haberent, quo Chiron juxta nomen suum longe inferior erat. Sed Aristidem ipsum audiamus: Τεκμαίρεται δὲ αὐτοὺς τρέφει ὁ πατὴρ ἐν ὑγιείας κόλποις. καὶ ἐπειδὴ ἐδέχετο ἡ ἡλικία· οὐκ ἐδιδάξατο τὴν τέχνην ἰατρικήν. ἀλλ' ἐδίδαξεν αὐτός. οὐ γὰρ ἔτι ἦν χείρων ἔδει βαδίζειν ἔχοντας οἴκοι ἐπιστάτην, οὐ πολὺ δὴ κατ' ἐπωνυμίαν χείρων ἤδη ἦν δάτερος.

4. *Marcellinus Togatus*] Caussidicus, advocatus: ut lib. VI. epist. III. de advocatis Arelatensibus: *Togatorum illic perorantum peritiam consulere perrexit*. In antiquo marmore, quod ad Ennodium produximus, *Petilius Processus V. S. Togatus inlustris præfecti prætorio*: & Togati prætorianæ atque urbicariæ præfecturæ in codice passim. Quomodo & toga ipsa pro advocatione & caussidicina. Constantius in vita Germani: *Tribunalia præfecturæ professione advocationis ornavit. Togæ præconiis præminentem protinus respublica ad honorum præsumsit insignia*. Fuit autem Marcellino patria Narbo Martius. Quare inter claros Narbonenses laudatur carmine XXIII.

5. *Petronii Maximi*] Qui cæso Placido Valentiniano imperii sedem invasit anno Christi CDLV. Res nota ex omnibus historicis. Sed quod vulgatis hactenus scriptoribus intactum, filium quoque Cæsarem habuit Maximus nomine Palladium. Quod uni debemus Idacio nostro integro. Nam quod Idacii titulo excusum est Chronicum, Idaciani Chronici tantum est Breviarium. In nostro igitur exemplari, post Valentiniani Aug. cædem hæc leguntur. *Post quem mox Maximus ex consulibus* XLIII. *Romæ Augustus appellatur. Qui cum imperator factus relictam Valentiniani sibi duxisset uxorem, & filio suo ex priori conjuge Palladio quem Cæsarem fecerat, Valentiniani filiam in conjugium tradidisset, magnorum motuum quos verebatur, perturbatione distortus, & quia in occisorum per Valentinianum, & in ipsius interitum Valentiniani, ambitu regni consilia scelesta patrata contulerat, cum imperium deserere vellet & Romam, vix quatuor regni sui mensibus expletis, in ipsa Urbe tumultu populi & seditione occiditur militari.*

6. *Hoc nomen, ut Sylla, præsumunt*] Jussit enim se Felicem appellari. Plutarchus, ἐκέλευσεν ἑαυτὸν εὐτυχῆ προσαγορεύεσθαι. τοῦτο γὰρ ὁ Φῆλιξ μάλιστα βούλεται δηλοῦν. Quo nomine Sullam exagitarunt multi: sed ad Sidonii mentem Paterculus lib. II. *Felicis nomen assumsit: quod quidem usurpasset justissime, si eumdem & vincendi & vivendi finem habuisset.* Non enim est felix, qui non semper felix. Boetius de Consolatione I.

Quid me felicem toties jactastis, amici?
Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.



mune; summam beatitudinem existimant, summam potestatem: hoc ipso satis miseriores, quod parum intelligunt inquietissimo se subjacere famulatui. Nam sicut hominibus reges, ita regibus dominandi desideria dominantur. Heic si omittamus antecedentium principum casus, vel sequutorum, solus iste peculiaris tuus Maximus, maximo nobis ad ista documento poterit esse: qui quamquam [1] in arcem præfectoriam, patriciam, consularemque intrepidus ascenderat, eosque quos gesserat magistratus, ceu recurrentibus orbitis inexpletus iteraverat: cum tamen venit omnibus viribus ad principalis apicis abruptum, quamdam potestatis immensæ vertiginem sub corona patiebatur, nec sustinebat dominus esse, qui non sustinuerat esse sub domino. Denique require in supra dicto vitæ prioris gratiam, potentiam, diuturnitatem, eque diverso principatus [2] paullo amplius quam bimestris originem, turbinem, finem: profecto invenies hominem beatiorem prius fuisse, quam beatissimus nominaretur. Igitur ille, cujus anterius epulæ, mores, pecuniæ, pompæ, litteræ, fasces, patrimonia, patrocinia florebant, cujus ipsa sic denique spatia vitæ custodiebantur, ut per horarum dispositas clepsydras explicarentur; is nuncupatus Augustus, ac sub hac specie palatinis liminibus inclusus, ante crepusculum ingemuit, quod ad vota pervenerat. Cumque mole curarum pristinæ quietis tenere dimensum prohiberetur, veteris actutum regulæ legibus renuntiavit, atque perspexit pariter C ire non posse negotium principis, & otium senatoris. Nec fefellerunt futura mærentem. Namque cum ceteros aulicos honores tranquillissime percurrisset, ipsam aulam turbulentissime rexit, inter tumultus militum, popularium, fœderatorum, quod & exitus prodidit novus, celer, acerbus: quem cruentavit fortunæ diu lenocinantis perfidus finis, quæ virum, ut scorpius, ultima sui parte percussit. Dicere solebat vir litteratus, atque ob ingenii merita quæstorius, partium certe bonarum pars magna, [3] Fulgentius, ore se ex ejus frequenter audisse, cum perosus pondus imperii, veterem securitatem desideraret, Felicem te, Damocles, qui non uno longius prandio regni necessitatem toleravisti. Iste enim, ut legimus, Damocles provincia Siculus, urbe Syracusanus, familiaris tyranno Dionysio fuit: qui cum nimiis laudibus bona patroni, ut cetera, scilicet inexpertus, efferret: Vis, inquit Dionysius, hodie saltem in hac mensa bonis meis pariter ac malis uti? Libenter, inquit. Tum ille confestim lætum clientem, quamquam & attonitum, plebejo tegmine A erepto, muricis Tyrii, seu Tarentini, conchyliato ditat indutu: & renidentem gemmis, margaritisque aureo lecto, sericatoque toreumati imponit. Cumque pransuro Sardanapalicum in morem, panis daretur e Leontina segete confectus: insuper dapes cultæ ferculis cultioribus apponerentur, spumarent falerno gemmæ capaces, inque crystallis calerent unguenta glacialibus: hinc suffita cinnamo ac ture cœnatio spargeret peregrinos naribus odores, & madescentes nardo capillos circumfusa florum serta siccarent: cœpit supra tergum sic recumbentis repente vibrari mucro districtus e lacunaribus, qui videbatur in jugulum purpurati jam jamque ruiturus: nam filo equinæ setæ ligatus, & ita pondere minax, ut acu- B mine gulam formidolosi Tantaleo frenabat exemplo, ne cibi ingressi per ora, per vulnera exirent. Unde post mixtas fletibus preces atque multimoda suspiria, vix absolutus emicatimque prosiliens, illa refugit celeritate divitias deliciasque regales, qua solent appeti; reductus ad desideria mediocrium timore summorum, & satis cavens, ne beatum ultra diceret duceretque, qui septus armis ac satellitibus, & per hoc raptis incubans opibus, ferro pressus, premeret aurum. Quapropter ad statum hujusmodi, domine frater, nescio an constet tendere beatos: patet certe miseros pervenire. Vale.

EPISTOLA XIV.

Sidonius Maurusio suo salutem.

AUdio industriæ tuæ, votisque communibus, uberiore proventu quam minabatur sterilis annus, respondere vindemiam. Unde & in [4] pago Vialoscensi, qui Martialis ætate citeriore vocitatus est propter hiberna legionum Julianarum, suspicor diuturnius te moraturum. Quo loco tibi cum ferax vinea est, tum præterea prædium magno non minus domino, quod te tuosque plurifaria frugum mansionumque dote remoretur. Ilicet si horreis apothecisque, seu penu impleta, destinas illic usque ad adventum hirundineum, vel ciconinum, Jani D Numæque ninguidos menses in otio fuliginoso, seu tunicata quiete transmittere, nobis quoque parum in oppido fructuosæ protinus amputabuntur caussæ morarum; ut dum ipse nimirum frueris rure, nos te fruamur, quibus ut recognoscis, non magis cordi est aut voluptati ager cum reditibus amplis, quam vicinus æqualis cum bonis moribus. Vale.

1. *In arcem præfectoriam*] Præfecturæ Urbicariæ, quam pæne adhuc adolescens anno & sex mensibus Honorio regnante gessit, testis est, præter statuæ Petronianæ Inscriptionem, hæc altera brevior, quæ Romæ in basilica S. Mariæ majoris exstat, sed a paucis observatur.

PETRONIUS
MAXIMUS V. C.
PRÆF. URBI
CURAVIT.

Prætorianam quam sub Valentiniano principe iteravit, & patriciatum indicat Novella Valentiniani ejusdem XXXI. quæ inscribitur Maximo II. præfecto præt. & patricio. Consulatuum denique indices sunt Fasti ad annos Christi CDXXXIII. & CDXLIII. Itaque in Tironis Prosperi Chronico Pithœano Maximus vir dicitur gemini consulatus, & patriciæ dignitatis. Præter hæc omnia, novum & privatis inusitatum honoris genus Petronio Maximo tributum a Valentiniano vidimus in nummo æreo prægrandi, in quo antica facies Valentiniani vultum exhibet cum solita inscriptione, D. N. PLA. VALENTINIANUS P. F. AUG. altera Maximum senatorio habitu in sella sedentem, & volumen in ejus dextera, in læva scipionem cum aquila, nomine hinc inde adscripto, PETRONIUS MAXIMUS V. C. CONS.

2. *Paullo amplius quam bimestris*] Pæne trimestris. Chronicum anonymum Cuspiniani: *Post interitum Valentiniani imp. levatus est Maximus imp.* XVI. *Kal. Aprilis: & occi-* E *sus est prid. Idus Junias.* Tres ergo pæne menses: recteque Marcellinus comes tertio tyrannidis mense membratim discerptum scribit: male Cassiodorus, qui intra duo menses, & Idacius, qui quarto expleto.

3. *Fulgentius quæstorius*] Qui sacri palatii quæstor fuerat. Quæstura autem, quia litteratos postulat, dignitas dicta est litterarum, a Senatore I. Variar. XII.

4. *Pago Vialoscensi*] Ita libri omnes, quos vidimus. Ceterum vici hujus nomen hodiernum adhuc incertum. Cum autem significet antiquum illius nomen fuisse Vialoscum, postea ob hiberna Julii Cæsaris dictum fuisse Martialem, non aspernanda est Savaronis conjectura, qui Martiacum esse putat, vicum agri Ricomagensis, Volvico finitimum.

C. SOLLII APOLLINARIS SIDONII ARVERNORUM EPISCOPI, EPISTOLARUM LIBER III.

EPISTOLA I.

Sidonius [1] *Avito suo salutem*.

MUltis quidem vinculis caritatis ab ineunte pueritia, quidquid venimus in juventutem, gratiæ se se mutuæ cura nexuerat. Primum quia matribus nostris summa sanguinis juncti necessitudo. Dein quod ipsi iisdem temporibus nati, magistris usi, artibus instituti, lusibus otiati, principibus evecti, stipendiis perfuncti sumus: & quod est ad amicitias ampliandas his validius efficaciusque, in singulis quibusque personis, vel expetendis æqualiter vel cavendis, judicii parilitate certavimus. Propter quæ omnia, præter conscientiam quæ interius tibi longe præstantior eminentiorque, multum voluntates nostras copulaverat decursarum forinsecus actionum similitudo. Sed quod fatendum est, diu erectis utriusque amoris machinis, ipse culmina pretiosa posuisti, ecclesiam [2] Arverni municipioli, cui præpositus & si immerito videor, peropportuna oblatione locupletando: cujus possessioni plurimum contulisti Cuticiacensis prædii suburbanitate, non minus nostræ professionis fraternitatem loci proximitate dignatus ditare, quam reditu. Et licet sororiæ hereditatis duo consortes esse videamini, exemplo tamen fidei tuæ, superstes germana commota est ad boni operis imitationem. Itaque tibi cælitus jure redhibetur tui facti meritum, alieni incitamentum. Quo fit ut reperiare dignissimus, quem divinitas inusitato successionum genere sublimet: quæ tamen A nec diu distulit religiosam devotionem centuplicatis opulentare muneribus: quæque ut confidimus, nihilo segnius cælestia largietur, cum terrena jam solverit. Nicetiana namque, si nescis, hereditas Cuticiaci supernum pretium fuit. Quod restat exposcimus, ut sicut ecclesiæ nostræ, ita etiam civitatis æque tibi sit cura communis: quæ cum olim, tum debebit ex hoc præcipue tempore, ad tuum patrocinium vel ob tuum patrimonium pertinere. Quod cujus meriti esse possit, quippe si vestra crebro illud præsentia invisat, vel [3] Gothis credite, qui sæpenumero etiam [4] Septimaniam suam fastidiunt vel refundunt, modo invidiosi hujus anguli etiam desolata proprietate potiantur. Sed fas est, præsule Deo, vo- B bis inter eos & rempublicam mediis, animo quietiora concipere. Quia & si illi, veterum finium limitibus effractis, omni vel virtute vel mole, possessionis turbidæ metas in Rhodanum Ligerimque proterminant: vestra tamen auctoritas pro dignitate sententiæ sic partem utramque moderabitur, ut & nostra discat, quid debeat negare cum petitur, & poscere adversa desinat, cum negatur. Vale.

1. *Avito*] Consobrino, ut videtur: cui gratias agit de Cuticiacensi prædio suburbano, quod ille Arvernorum ecclesiæ cujus episcopus jam erat Sidonius, ex sororia hereditate donaverat.

2. *Arverni municipioli*] Quæ *urbs Arverna* epist. XII. *oppidum Arvernum* lib. VI. epist. ultim. & lib. VII. epist. V. Sic etiam Gregorius Turon. *urbem Arvernicam* vocat. Jornandes *urbem Arvernatem*, & *civitatem Arvernam*, omnes cum adjecto. Arvernam absolute, ut Romam, quomodo nunc a quibusdam usurpari cœpit, veterum, opinor, nemo dixit, sed Arvernos integro gentis vocabulo, ut Parisios, Petrocorios, Remos, postquam usus invaluit, ut princeps cujusque populi & civitatis oppidum communi ejus nomine ornaretur. Ita enim Plinius, Marcellinus, Orosius, Paullinus, Notitia occidentis & alii Arvernorum urbem, quam Clarum Montem dicimus, Arvernos appellant, Arvernam numquam.

3. *Gothis credite*] Quæ de Vesogothorum in Gallia motibus sparsim a Sidonio sequentibus libris commemorantur, ea fere pertinent ad Julii Nepotis imperium, hoc est ad annum Christi CDLXXIV. quo tempore Arverni ab Eurico rege obsessi. Euricus enim, ut Jornandes narrat, cum paucis annis crebras principum Romanorum mutationes videret, rei bene gerendæ spem adeptus, continuo in eorum fines irrupit. Missus est a Nepote Aug. legatus Epiphanius episcopus Ticinensis qui pactione cum Eurico feliciter, ut videbatur, inita rediit ad Nepotem. Acta legationis persequitur Ennodius in vita Epiphanii. Verum Euricus rupto mox fœdere, cum imperium in Rhodanum Ligerimque promovere statuisset, interjectas gentes armis aggressus, earum episcopos odio catholicæ partis homo barbarus & Arrianus partim exsilio, partim ferro multat. Arvernos, C qui reliqui erant in Romanorum fide obsidet, fortiter propugnante Ecdicio comite & magistro militum, Sidonii sororio. Soluta jam obsidione hostes in hiberna discesserant: cum Licinianus quæstor ad Gothos Roma missus, Arvernos ex pacto dedi jubet, Sidonio frustra reclamante, qui solum vertere coactus aliquamdiu abfuit a suis. Ecdicius ad Burgundionum reges se contulit. Euricus Victorium comitem Arvernis imposuit. Hæc Sidonius epistola I. III. IV. VII. hujus libri, & lib. VII. epist. I. VI. VII. XVII. Lib. VIII. epist. IX. Lib. IX. epist. II.

4. *Septimaniam suam*] Imperii sui fines. Gothorum in Gallia primæ sedes in Septimania. Quo nomine primum dictus est pagus & ager Biterrensis. Nam ut Arelate Sextanorum, & Forum Julium Octavanorum cognomen tulerunt a militaribus coloniis sextæ vel octavæ legionis; sic Biterræ seu Bætiræ Septimanorum, Plinio teste, & subditus urbi ager Septimaniæ. Atque hoc sensu Aphrodisium D Bitterrensium in Septimania primum episcopum memorant antiqua martyrologia, & vita Ludovici Pii Vadalam monasterium in Septimania. Porro Gothos in eo primum provinciæ Narbonensis tractu consedisse, nec desunt qui scribant, & fidem faciunt quæ de illis narrat Olympiodorus Thebæus apud Photium. Quare hæc primum fuit Septimania Gothorum: postea nomen ad totam primam Narbonensem transfusum est, quam hodieque Linguadociam a Gothis dici volunt, quasi Landgothiam. In testamento Karoli magni: *Partem Burgundiæ cum provincia, & Septimania sive Gothia, usque ad Hispaniam Pippinus accipiet*. Ita & Gregorius Turonicus, Jonas Aurelian. Nithardus, Joannes VIII. epist. CII. & alii, Septimaniam perpetuo sumunt pro prima Narbonensi.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.

EPISTOLA II.

Sidonius [1] *Constantio suo salutem.*

SAlutat te populus Arvernus, cujus parva tuguria magnus hospes implesti, non ambitus comitatu, sed ambiendus affectu. Deus bone! quod gaudium fuit laboriosis, cum tu sanctum pedem semirutis mœnibus intulisti? quam tu ab omni ordine, sexu, ætate stipatissimus ambiebare? quæ salsi erga singulos libra sermonis? quam te blandum pueri, comem juvenes, gravem senes metiebantur? Quas tu lacrymas, ut parens omnium, super ædes incendio prorutas & domicilia semiusta fudisti? quantum B doluisti campos sepultos ossibus insepultis? quæ tua deinceps exhortatio, quæ reparationem suadentis animositas? His adjicitur, quod cum inveneris civitatem non minus civica simultate, quam barbarica incursione vacuatam, pacem omnibus suadens, caritatem illis, illos patriæ reddidisti. Quibus tuo monitu non minus in unum consilium, quam in unum oppidum revertentibus, muri tibi debent plebem reductam, plebs reducta concordiam. Quocirca satis te toti suum, satis se toti tuos æstimant: &, quæ gloria tua maxima est, minime falluntur. Obversatur etenim per dies mentibus singulorum; quod persona ætate gravis, infirmitate fragilis, nobilitate sublimis, religione venerabilis, solius dilectionis obtentu, abrupisti tot repagula, tot objectas veniendi difficultates: itinerum videlicet longitudinem, brevitatem dierum, nivium copiam, penuriam pabulorum, latitudines solitudinum, angustias mansionum, viarum voragines, aut humore imbrium putres, aut frigorum siccitate tribulosas: ad hoc aut aggeres saxis asperos, aut fluvios gelu lubricos, aut colles ascensu salebrosos, aut valles lapsuum assiduitate derasas: per quæ omnia incommoda, quia non privatum commodum requirebas, amorem publicum retulisti. Quod restat, Deum precamur, ut ævi metis secundum vota promotis, bonorum amicitias indefessim expetas, capias, referas: sequaturque te affectio, quam relinquis: & initiatæ per te ubicumque gratiæ, longum tibi redhibeantur quam fundamenta, tam culmina. Vale.

EPISTOLA III.

Sidonius [2] *Ecdicio suo salutem.*

SI quando, nunc maxime Arvernis meis desideraris, quibus dilectio tui immane dominatur, & quidem multiplicibus ex caussis. Primum quod summas in affectu partes jure sibi usurpat terra quæ genuit. Dein quod sæculo tuo solus ferme mortalium es, qui patriæ non minus desiderii nasciturus, quam gaudii natus feceris. Adstipulantur assertis materni quondam puerperii tempora, quæ proficiente conceptu concordantibus civium votis numerabantur. Omitto illa communia quidem, sed quæ non mediocria caritatis incitamenta sunt, istius tibi reptatas cæspitis glebas. Prætereo quod hæc primum gramina incessu, flumina natatu, venatu nemora fregisti. A Omitto quod heic primum tibi pila, pyrgus, accipiter, canis, equus, arcus ludo fuere. Mitto istic ob gratiam pueritiæ tuæ undique gentium confluxisse studia litterarum, tuæque personæ quondam debitum, quod sermonis Celtici squamam depositura nobilitas, nunc oratorio stilo, nunc etiam camœnalibus modis imbuebatur. Illud in te affectum principaliter universitatis accendit, quod quos olim Latinos fieri exegeras, barbaros deinceps esse vetuisti. Non enim potest umquam civicis pectoribus elabi, quem te, quantumque nuper omnis ætas, ordo, sexus e semirutis murorum aggeribus conspicabantur, cum interjectis æquoribus in adversum perambulatis, & vix [3] duodeviginti equitum sodalitate comitatus, aliquot millia Gothorum; non minus die, quam campo medio (quod difficile sit posteritas creditura) transisti. Ad nominis tui rumorem personæque conspectum, exercitum exercitatissimum stupor obruit: ita ut præ admiratione nescirent duces partis inimicæ, quam se multi, quamque te pauci comitarentur. Subducta est tota protinus acies in supercilium collis abrupti: quæ cum prius applicata esset oppugnationi, te viso non est explicata congressui. Interea tu cæsis quibusque optimis, quos novissimos agmini non ignavia, sed audacia fecerat, nullis tuorum certamine ex tanto desideratis, solus planitie quam patentissima potiebare, cum tibi non daret tot pugna socios, quot solet mensa convivas. Hinc jam per C otium in urbem reduci, quid tibi obviam processerit officiorum, plausuum, fletuum, gaudiorum, magis tentant vota conjicere, quam verba referare. Siquidem cernere erat refertis capacissimæ domus atriis, illam ipsam felicissimam stipati reditus tui ovationem: dum alii osculis pulverem tuum rapiunt, alii sanguine ac spumis pinguia lupata suscipiunt, alii sellarum equestrium madefacta sudoribus fulcra resupinant, alii de concavo tibi cassidis exituro flexilium laminarum vincula diffibulant, alii explicandis ocrearum nexibus implicantur, alii hebetatorum cæde gladiorum latera dentata pernumerant, alii cæsim atque punctim foraminatos circulos loricarum digitis livescentibus metiuntur. Heic licet multi complexibus D tuorum tripudiantes adhærescerent, in te maximus tamen lætitiæ popularis impetus congerebatur: tandemque in turbam inermem quidem veneras, sed de qua te nec armatus evolveres: ferebasque nimirum eleganter ineptias gratulantum; & dum irruentum tumultuoso diriperis amplexu, eo conditionis accesseras, piissimus publici amoris interpres, ut necesse esset illi uberiorem referre te gratiam, qui tibi liberiorem fecisset injuriam. Taceo deinceps collegisse te privatis viribus publici exercitus speciem, parvis extrinsecus majorum opibus adjutum, & inferiores hostium ante discursus castigatis coercuisse populatibus. Taceo te aliquot superventibus cuneos mactasse turmales, e numero tuorum vix binis terE nisve post prœlium desideratis: & tantum calamitatis adversæ partis inopinatis certaminibus inflictum, ut occulere cæsorum numerositatem consilio deformiore meditarentur. Siquidem quos humari nox succincta prohibuerat, decervicatis liquere cadaveribus: tamquam minoris indicii foret, quam villis agnosci crinitum, dimisisse truncatum. Qui postquam luce

1. *Constantio*] Lugdunensi, ut adnotatum est lib. I. epist. I. Scripta post obsidionem urbis Arvernæ, cum eo Costantius Lugduno venisset. Quare iter asperum quod describit, illud est quod Lugdunum & Arvernos interjacet: quod quidem in Tabula Peutingeriana, sed longiore, ut in viis militaribus mos est, anfractu designatur hoc modo: *Lugduno, Foro Segusianorum* XVI. *Mediolano* XV. *Raidomna* XXI. *Ariolica* XII. *Vorogio* XIV. *Aquis calidis* VIII. *Augustonemeto* XII.

2. *Ecdicio*] Arverno, Aviti imp. filio, ut dictum est lib. II epist. I. Is comes hoc tempore magisterque militum Arvernorum urbem a Gothis obsessam propugnarat, multaque adversus Gothos fortiter gesserat, quæ a Sidonio laudantur.

3. *Duodeviginti equitum*] Apud Gregorium Turon. decem tantum numerantur. Sic enim de hac ipsa Gothorum fuga scribit lib. II. cap. XXIV. *Quem Ecdicium mira velocitatis fuisse multi commemorant. Nam quadam vice multitudinem Gothorum cum decem viris fugasse perscribitur.*

revoluta, intellexerunt furtum ruinæ suæ crudeli vilitate patuisse; tum demum palam officiis exsequialibus occupabantur, non magis cladem fraude, quam fraudem festinatione celantes: sic tamen, quod nec ossa tumultuarii cæspitis mole tumulabant: quibus nec elutis vestimenta, nec vestitis sepulcra tribuebant, juste sic mortuis talia justa solventes. Jacebant corpora undique locorum plaustris convecta rorantibus: quæ quoniam perculsis indesinenter incumberes, raptim succensis conclusa domiciliis culminum superlabentium rogalibus fragmentis funerabantur. Sed quid ego ista hæc justo plusculum garrio? qui laborum tuorum non ex asse historiam texere, sed pro parte memoriam facere præsumsi, quo magis crederes votis tuorum; quorum exspectationi ægrescenti B nulla salubrius ocyusque, quam tui adventus remedia medicabuntur. Igitur si quid nostratium precatibus acquiescis, actutum in patriam receptui canere festina, & assiduitatem tuam periculosæ [1] regum familiaritati celer exime; quorum consuetudinem spectatissimus quisque flammarum naturæ bene comparat, quæ sicut paullulum a se remota illuminant, ita satis sibi admota comburunt. Vale.

EPISTOLA IV.

Sidonius Felici suo salutem.

[2] GOzolas natione Judæus, cliens culminis tui, C cujus mihi quoque esset persona cordi, si non esset secta despectui, defert litteras meas, quas granditer anxius exaravi. Oppidum siquidem nostrum, quasi quemdam sui limitis oppositi obicem, circumfusarum nobis gentium arma terrificant. Sic æmulorum sibi in medio positi populorum lacrymabilis præda, suspecti Burgundionibus, proximi Gothis, nec impugnantum ira, nec [3] propugnantum caremus invidia. Sed isthinc alias. Interea si vel penes vos recta sunt, bene est. Neque enim hujusmodi pectore sumus, ut licet apertis ipsi pœnis, propter criminum occulta, plectamur; non agi prospere, vel ubicumque velimus. Nam certum est, non minus vitiorum, quam hostium esse captivum, D qui non etiam inter mala tempora bona vota servaverit. Vale.

EPISTOLA V.

Sidonius Hypatio suo salutem.

SI vir spectabilis, morumque vestrorum suspector admiratorque Donidius solam rationem domesticæ utilitatis habuisset, satis abundeque sufficeret fides vestra commodis suis, & si nullus intercessor accederet. Sed amore meo ductus est: ut quod ipse per se impetraverat, me faceret postulare. Itaque nunc honori vestro hic quoque cumulus accrescit, E quod duo efficimur debitores, cum tamen unus e nobis beneficium consequatur. [4] Eborolacensis prædii etiam ante barbaros desolatam medietatem, quæ do- A mus patriciæ jura modo respicit, suffragio vestro juri suo optat adjungi. Neque ad hanc nundinationem stimulo cupiditatis, sed respectu avitæ recordationis adducitur. Siquidem fundi ipsius integritas familiæ suæ dominium, usque in obitum vitrici nuper vita decedentis, adspexit. Nunc autem vir alieni non appetens, sui parcus, possessionis antiquæ a se alienatæ non tam damno angitur, quam pudore: quam ut redimere conetur, non avaritiæ vitio, sed verecundiæ necessitate compellitur. Tribuere dignare votis suis, precibus meis, moribus tuis, ut ad soliditatem ruris istius te patrocinante perveniat, cui rem parentum, sibique non solum notam, verum etiam inter lactentis infantiæ rudimenta reptatam, B sicut recepisse parum fructuosum, sic non emeruisse nimis videtur ignavum. Ego vero tantum obstringar indultis, ac si meæ proficiat peculiariter proprietati, quidquid meus ætate frater, professione filius, loco civis, fide amicus, acceperit. Vale.

EPISTOLA VI.

Sidonius [5] Eutropio suo salutem.

SI veteris commilitii, si deinceps innovatæ per dies gratiæ bene inpræsentiarum fides vestra reminiscitur, profecto intelligitis ut vos ad dignitatum, sic nos ad desideriorum culmina ascendere. C Ita namque fascibus vestris gratamur omnes, ut erectam per illos non magis vestram domum, quam nostram amicitiam censeamus. Testis est ille tractatus, in quo exhortationis meæ non minimum incitamenta valuerunt: quibus vix potuistis adduci, ut præfecturam philosophiæ jungeretis, cum vos consectanei vestri Plotini dogmatibus inhærentes, ad profundum intempestivæ quietis otium Platonicorum palæstra rapuisset: cujus disciplinæ tunc fore adstruxi liberam professionem, cum nil familiæ debuisset. Porro autem desidiæ vicinior putabatur contemtus ille militiæ, ad quam jactitant lividi, bonarum partium viros non posse potius, quam nolle conscendere. Igitur quod loco primore fieri par est, agi- D mus gratias uberes Christo, qui statum celsitudinis tuæ, ut hactenus parentum nobilitate decorabat, ita etiam nunc titulorum parilitate fastigat: simul & animorum spebus erectis fas est de cetero sperare meliora. Certe creber provincialium sermo est, annum bonum de magnis, non tam fructibus, quam potestatibus æstimandum. Qua de re vestrum est, domine major, exspectationem nostram competentibus dispositionibus munerari. Nam memor originis tuæ nobilium sibi persuasit universitas: quamdiu nos Sabini familia rexerit, Sabiniani familiam non timendam. Vale.

1. *Regum familiaritati*] Burgundionum, quibus familiaris erat Ecdicius: Itaque in Burgundiam postea, urbe Gothis dedita secessit, in eaque habitavit, ut ostendunt quæ de eo narrat Gregorius loco supra scripto.

2. *Gozolas*] Per quem Felici eidem scribit lib. IV. epistola V. Narbonensis ergo patria fuit, ut Magnus Felix.

3. *Propugnantum*] Burgundionum item, qui Romanorum in fide steterant post pacem ab Aetio duce datam. Itaque Aetio adfuerant in pugna Catalaunica; & nuper sub Anthemio Riothimum regem reipublicæ fœderatum, a Gothis acie fusum fugatumque exceperant: ut hoc etiam bello Arvernis auxilio fuisse mirum non sit. Propterea Euricus gentibus ad Rhodanum usque potitus, mox Burgundiones quoque armis appetiit; teste Jornande.

4. *Eborolacensis prædii*] Ebrolium hodie oppidulum Arvernorum ad Sicaulam fluvium, vetusto Benedictinorum cœnobio notum. Hinc oriundus erat Donidius, tunc clericus, & incola urbis Arvernæ. Ideo Sidonius episcopus loco civem, professione filium dicit.

5. *Eutropio*] Viro nobili, & philosophiæ studiis dedito, nunc præfecto prætorio Galliarum. Hanc enim illi dignitatem gratulatur. Et quia eumdem ipsum ad militiam palatinam & honores capessendos hortatus antea fuerat lib. I. epist. VI. ejus heic epistolæ meminit, & exhortationis tractatum appellat.

Sæcul. V.
circa
Ann. Chr.
472.

EPISTOLA VII.

Sidonius Felici suo salutem.

LOngum a litteris temperatis. Igitur utrique nostrum mos suus agitur: ego garrio, vos tacetis. Unde etiam, vir ad reliqua fidei officia insignis, genus reor esse virtutis, tanto te otio non posse lassari. Ecquid? numquam ne respectu movebere familiaritatis antiquæ, ut tandem a continuati silentii proposito pedem referas? aut nescis, quia garrulo non respondere convicium est? Tu retices, vel bibliothecarum medius, vel togarum; & a me officium paupertini sermonis exspectas, cui scribendi,
B si bene perspicis, magis est facilitas, quam facultas. Certe vel metus noster materiam tuo stilo faciat: mementoque viatorum manus gravare chartis, quatenus amicorum cura relevetur: & indicare festina, si quam prævio Deo, [1] quæstor Licinianus trepidationi mutuæ januam securitatis aperuerit. Persona siquidem est, ut perhibent, magna exspectatione, major adventu, relatu sublimis, inspectione sublimior, & ob omnia felicitatis naturæque dona monstrabilis. Summa censura, par comitas, & prudentia fidesque misso mittentique conveniens. Nihil affectatum simulatumque; ponderique sermonum vera potius severitas, quam severitatis imitatio: & non ut plurimi, qui cum credita diffidenter allegant,
C volunt videri egisse se cautius. Sed neque ex illorum, ut ferunt, numero, qui secreta dirigentium principum venditantes, ambiunt a barbaris bene agi cum legato potius, quam cum legatione. Hunc nobis morum viri tenorem secundus rumor invexit. Mandate perniciter, si vero dicta conquadrant; ut tantisper a pervigili statione respirent, quos a muralibus excubiis non dies ninguidus, non nox illunis & turbida receptui canere persuadent: quia & si barbarus in hiberna concedat, mage different quam relinquant semel radicatam corda formidinem. Palpate nos prosperis, quia nostra non tam procul est a vobis caussa, quam patria. Vale.

EPISTOLA VIII.

Sidonius [2] Eucherio suo salutem.

VEneror antiquos, non tamen ita ut qui æquævorum meorum virtutes aut merita postponam. Neque si Romana respublica in extrema hæc miseriarum defluxit, ut studiosos sui numquam remuneretur; non idcirco Brutos, Torquatosque non pariunt sæcula mea. Quorsum ista hæc? inquis. De te ad te mihi sermo est, vir efficacissime, cui debet respublica, quod supra dictis solutum laudat historia. Quapropter ignari rerum temeraria judicia suspendant, nec perseverent satis aut suspicere præteritos, aut despicere præsentes: quandoquidem facile clarescit, rempublicam [3] morari beneficia, vos mereri. Quamquam mirandum granditer non sit, natione feneratorum non solum inciviliter Romanas
A vires administrante, verum etiam fundamentaliter eruente, si nobilium virorum militariumque, & supra vel spem nostræ, vel opinionem partis adversæ bellicosorum, non tam defuerint facta, quam præmia. Vale.

EPISTOLA IX.

Sidonius [4] Riothamo suo salutem.

SErvatur nostri consuetudo sermonis: namque miscemus cum salutatione querimoniam: non omnino huic rei studentes, ut stilus noster sit officiosus in titulis, asper in paginis; sed quod ea semper
B eveniunt, de quibus loci mei aut ordinis hominem constat inconciliari, si loquatur; peccare, si taceat. Sed & ipsi sarcinam vestri pudoris inspicimus, cujus hæc semper verecundia fuit, ut pro culpis erubescеretis alienis. Gerulus epistolarum, humilis, obscurus, despicabilisque etiam usque ad damnum innocentis ignaviæ, mancipia sua, Britannis clam sollicitantibus, abducta deplorat. Incertum mihi est, an sit certa caussatio: sed si inter coram positos æquanimiter objecta discingitis, arbitror hunc laboriosum posse probare, quod objicit: si tamen inter argutos, armatos, tumultuosos, virtute, numero, contubernio contumaces, poterit ex æquo & bono solus, inermis, abjectus, rusticus, peregrinus, pau-
C per audiri. Vale.

EPISTOLA X.

Sidonius Tetradio suo salutem.

PLurimum laudis juvenes nostri moribus suis applicant, quoties de negotiorum meritis ambigentes ad peritorum consilia decurrunt: sicuti nunc vir clarissimus Theodorus, domi quidem nobilis, sed modestissimæ conversationis opinione generosior, qui per litteras meas ad tuas litteras, id est ad meracissimum scientiæ fontem, laudabili aviditate proficiscitur, non modo reperturus illic ipse quod di-
D scat, sed & forsitan relaturus inde quod doceat. Cui contra potentes factiososque, si vestra peritia abundanter non opitularetur, prudentia consulta sufficeret. Respondere obsecramus, nisi vobis tamen utriusque nostrum sociæ preces oneri fastidiove reputabuntur, judicio suo, testimonio meo; & substantiam caussamque supplicis fluctuantem medicabilis responsi salubritate fulcite. Vale.

EPISTOLA XI.

Sidonius [5] Simplicio suo salutem.

ET si desiderium nostrum sinisteritas tanta co-
E mitatur, ut etiam nunc nostris invidearis obtutibus: non idcirco is es, virorum optime, de cujus nos moribus lateant celsa memoratu. Ita cuncti nostrates, iidemque summates viri, optimarum te exactissimarumque partium præstantissimum pa-

1. *Quæstor Licinianus*] Quem a Nepote Augusto legatum ad Euricum regem supra monuimus. Ex hac autem epistola tum venisse liquet, cum Gothi ab obsidione Arvernorum in hiberna concessissent. De Liciniano iterum scribet lib. V. epistola XVI. ad Papianillam.

2. *Eucherio*] Virum illustrem vocat in concione Bituricensi, senatorem Gregorius Turon. Hunc enim esse conjicio Eucherium senatorem, quem a Victorio duce fictis calumniis oppressum, necatumque narrat lib. II. cap. XX.

3. In aliquot mss. *moderari*.

4. *Riothamo*] Britonum regi, ut opinor: quem Euricus Anthemio cum XII. millibus suppetias ferentem in pago Biturico, ut Jornandes in rebus Geticis refert, collatis signis profligavit. Nec vero mirum est, regem non appellari Riothamum, sive ut Jornandes scribit Riothimum, cum nec Gunduicium Hilarus papa, nec Chilpericum Sidonius reges vocent; quorum tamen uterque rex fuit Burgundionum.

5. *Simplicio*] Illi ipsi fortasse, qui paucis post annis Sidonio designante creatus est episcopus Bituricensis. Juvat conjecturam quod de Simplicii hujus filiis ait: *Vos filii transierunt*: de Simplicii episcopi filiis in concione, *Quibus comparatus pater felicior inde incipit esse quod vincitur*.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 472.

tremfamilias consono præconio prosequuntur. Adstipulatur huic de te sententiæ bonorum, vel sic electus gener, vel educta sic filia: in quorum copula tam felicem tibi controversiam vota pepererunt, ut ambigas, utrum judicio, an institutione superaveris. Sed tamen hinc vel maxime parentes ambo venerabiles este securi: idcirco ceteros vincitis, quod vos filii transierunt. Igitur dona venia litteras primas; quas ut nec dum mittere desidia fuerat, ita vereor ne fit misisse garrulitas. Carebit sane nostrum nævo loquacitatis officium, si exemplo recursantis alloquii, impudentiam paginæ præsentis absolveris. Vale.

EPISTOLA XII.

Sidonius [1] *Secundo suo salutem.*

AVi mei, proavi tui tumulum hesterno, proh dolor! die manus profana pæne temeraverat: sed Deus affuit, ne nefas tantum perpetraretur. Campus autem ipse dudum refertus tam bustualibus favillis, quam cadaveribus, nullam jam diu scrobem recipiebat! sed tamen tellus, humatis quæ superducitur, redierat in pristinam distenta planitiem, pondere nivali, seu diuturno imbrium fluxu sidentibus acervis. Quæ fuit caussa, ut locum auderent, tamquam vacantem, corporum bajuli rastris funebribus impiare. Quid plura? Jam niger cæspes ex viridi; jam supra antiquum sepulcrum glebæ recentes, cum forte pergens urbem ad Arvernam, publicum scelus e supercilio vicini collis adspexi; meque equo effuso tam per æquata quam per abrupta proripiens, & moræ exiguæ sic quoque impatiens, ante quam pervenirem, facinus audax prævio clamore compescui. Dum dubitant in crimine reperti, dilaberentur an starent, superveni. Confiteor errorem; supplicia captorum differre non potui: sed supra ipsum senis nostri opertorium torsi latrones, quantum sufficere possit superstitum curæ, mortuorum securitati. Ceterum nostro quod sacerdoti nil reservavi; meæ caussæ, suæque personæ præscius, in commune consului; ne vel hæc justo clementius vindicaretur, vel illa justo severius vindicaret. Cui cum tamen totum ordinem rei, ut satisfaciens ex itinere mandassem; vir sanctus & justus iracundiæ meæ dedit gloriam, cum nil amplius ego veniam postularem, pronuntians more majorum reos tantæ temeritatis jure cæsos videri. Sed ne quid in posterum casibus liceat, quos ab exemplo vitare debemus, posco ut actutum, me quoque absente, tua cura, sed meo sumtu resurgat in molem sparsa congeries, quam lævigata pagina tegat. Ego venerabili Gaudentio reliqui pretium lapidis, operisque mercedem. Carmen hoc sane quod consequetur, nocte proxima feci, non expolitum, credo, quod viæ non parum intentus: quod peto, ut tabulæ quantulumcumque est, celeriter indatur. Sed vide ut vitium non faciat in marmore lapidicida: quod factum sive ab industria, seu per incuriam, mihi magis, quam [2] quadratario, lividus lector adscribat. Ego vero, si pio studio rogata curaveris, sic agam gratias, quasi nil tibi quoque laudis aut gloriæ accedat, quem patruo tuo, id est me remoto, solida præsentis officii solicitudo mansisset pro gradu seminis. Vale.

SErum post patruos, patremque carmen
Haud indignus avo nepos dicavi:
Ne fors tempore postumo, viator,
Ignorans reverentiam sepulti,
Tellurem tereres inaggeratam.
[3] Præfectus jacet heic Apollinaris,
Post prætoria recta Galliarum,
Mærentis patriæ sinu receptus.
Consultissimus, utilissimusque,
Ruris, militiæ, forique cultor;
Exemploque aliis periculoso,
Liber sub dominantibus tyrannis.
Hæc sed maxima dignitas probatur:
Quod frontem cruce, [4] membra fonte purgans,
Primus de numero patrum suorum
Sacris sacrilegis renuntiavit.
Hoc primum est decus, hæc superba virtus,
Spe præcedere, quos honore jungas.
Quique heic sunt titulis pares parentes,
Hos illic meritis supervenire.

Novi quidem auctoris nostri non respondere doctrinæ epitaphii qualitatem; sed anima perita musicas non refutat inferias. Tibi quoque non decet tardum videri, quod heres tertius quartusque dependimus: cum tot annorum gyro voluto magnum Alexandrum parentasse manibus Achillis, & Julium Cæsarem Hectori, ut suo, justa persolvisse didicerimus. Vale.

EPISTOLA XIII.

Sidonius [5] *Apollinari suo salutem.*

UNice probo, gaudeo, admiror, quod castitatis affectu contubernia fugis impudicorum; præ-

1. *Secundo*] Fratris filio: ad quem mittit Apollinaris avi sui epitaphium, quod nocte proxima exararat; mandatque, ut in marmore incisum ejus tumulo imponat: atque hæc se quoque absente, id est ante reditum suum, ut curet hortatur. Cum igitur ad urbem Arvernam pergens ex itinere hæc scribat, consequens est tumulum Apollinaris avi non Arvernorum urbi vicinum fuisse, sed Lugduno: unde digressus in sepulcri violatores ipso itineris initio inciderat. Non enim procul Lugduno abfuisse tumulum hinc patet, quod cum de multatis reis ad episcopum retulisset, illico responsum in ipso itinere accepit. Sacerdotem itaque suum appellat Patientem episcopum Lugdunensem, & in epitaphio Apollinaris patriam Lugdunum.

2. *Quadratario*] Lapidicidæ. Cod. de excusat. artif. L. 1. *Quadratarii, quos Græco vocabulo λιθοξόους appellant*: & *saxorum quadratarii*, Cassiodorus in psalmos. Ars quadrataria in Agone SS. Coronatorum, & in fragmento vetusti lapidis Romæ in æde S. Hagnes.

3. *Præfectus Apollinaris*] De præfectura Apollinaris avi, & de tyrannis quos eo tempore passa est Gallia, dicendum lib. V. epistola IX. ad Aquilinum.

4. *Membra fonte purgans*] In baptismo, quem primus e familia sua suscepit: unde patet error Beati Rhenani, qui Sidonio nostro tribuit, quod ejus avo debebatur. Huc autem facit antiquum urbis epigramma, quod reliquis e bibliotheca Palatina vulgatis addi licet ex codice S. Mariæ Virdunensis.

Ad ecclesiam S. Laurentii in Damaso, quæ alio nomine appellatur in Prasino.
Ad Fontem.

Iste salutare fons continet inclitus undas,
Et solet humanam purificare luem.
Munia sacrati quæ sint vis scire liquoris?
Dant regnatricem flumina sancta fidem.
Ablue fonte sacro veteris contagia vitæ,
O nimium felix vive renatus aqua!
Hunc fontem quicumque petit, terrena relinquit,
Subjicit & pedibus cæca ministeria.

5. *Apollinari*] Quidam codices adscribunt filio. Patris enim est ad filium parænesis, & Apollinarem Sidonii filio nomen fuisse, docet tum epist. IX. lib. V. tum 1. lib. IX. & Ruricius lib. II. epist. XXV. Apollinaris autem hic videtur, quem Mediolani S. Victoris ope custodia solu-

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
472.



sertim quibus nihil pensi, nihil sancti est, in appetendis garriendisque turpitudinibus: quique quod verbis inverecundis aurium publicarum reverentiam incessant, granditer sibi videntur facetiari: cujus vilitatis esse signiferum gnathonem patriæ nostræ vel maximum intellige. Est enim hic gurges de sutoribus fabularum, de concinnatoribus criminum, de sinistrarum opinionum duplicatoribus; loquax ipse, nec dicax, ridiculusque, nec lætus, arrogansque, nec constans, curiosusque, nec perspicax, atque indecenter affectato lepore, plus rusticus: tempora præsentia colens, præterita carpens, futura fastidiens. Beneficii, si rogaturus est, importunus petendi, derogator negati, æmulator accepti, callidus reformandi, querulus flagitati, garrulus restituti: at si rogandus, simulator parati, dissimulator petiti, venditor præstiti, publicator occulti, calumniator morati, infitiator soluti: osor jejuniorum, sectator epularum; laudabilem proferens non de bene vivente, sed de bene pascente sententiam. Inter hæc tamen ipse avarissimus quemque non pascit tam panis bonus, quam panis alienus: hoc solum comedens domi, si quid e raptis inter alaparum procellas præmisit obsoniis. Sed nec est sane prædicabilis viri in totum silenda frugalitas; jejunat quotiens non vocatur: sed sic quoque levitate parasitica, si invitetur excusans, si vitetur explorans, si excludatur exprobrans, si admittatur exsultans, si verberetur exspectans. Cum discubuerit, fertur actutum, si tarde comedat, in rapinas; si cito saturetur, in lacrymas; si sitiat, in querelas; si inebrietur, in vomicas; si fatiget, in contumelias; si fatigetur, in furias: fœtulentiæ omnino par cloacali, quæ quo plus commota, plus fœtida est. Ita vivens paucis voluptati, nullis amori, omnibus risui est: vesicarum ruptor, fractorque ferularum: bibendi avidus, avidior detrahendi, rabido pariter ore spirans cœnum, spumans vinum, loquens venenum, facit ambigi puditior, temulentior, an facinorosior existimetur. Sed dicis, animi probra vultu colorat, & deprecatur ineptias mentis qualitas corporis. Elegans videlicet homo pervenustusque, cujusque sit spectabilis persona visentibus. Enimvero illa sordidior atque deformior est cadavere rogali, quod facibus admotis semicombustum, moxque sidente strue tortium devolutum, reddere pyræ jam fastidiosus pollinctor exhorret. Præter hæc, lumina gerit idem lumine carentia; quæ stygiæ vice paludis, volvunt lacrymas per tenebras. Gerit & aures immanitate barrinas; quarum fistulam biforem pellis ulcerosa circumvenit, saxeis nodis & tofosis humore verrucis per marginem curvum protuberantibus. Portat & nasum, qui cum sit amplus in foraminibus, & strictus in spina, sic patescit horrori, quod angustatur olfactui. Prætendit os etiam labris plumbeum, rictu ferinum, gingivis purulentum, dentibus buxeum; quod spurcat frequenter exhalatus e concavo molarium computrescentium mephiticus odor, quem supercumulat esculenta ructatio de dapibus hesternis & redundantium sentina cœnarum. Promit & frontem, quæ fœdissimo gestu cutem plicat, supercilia distendit. Nutrit & barbam, quæ jam senectute canescens, fit tamen morbo nigra Syllano. Tota denique est misero facies ita pallida, veluti per horas umbris mæstificata larvalibus. Taceo reliquam sui molem, vinctam podagra, pinguedine solutam. Taceo cerebrum crebra vibice peraratum; quod parum amplius tegi constat capillis, quam cicatricibus. Taceo præ brevitate cervicis, occipiti supinato scapularum adhærere confinia. Taceo quod decidit honor humeris, decor brachiis, robur lacertis. Taceo chiragricas manus unctis cataplasmatum pannis, tamquam cæstibus involutas. Taceo quod alarum specubus hircosis atque acescentibus latera captiva vallatus, nares circumsedentium ventilata duplicis Ampsancti peste funestat. Taceo fractas pondere arvinæ jacere mammas, quasque fœdum esset in pectore virili vel prominere, has ut ubera materna cecidisse. Taceo ventris inflexi pendulos casses partium genitalium, quia debilibus pudendæ, turpibus rugis turpius præbere velamen. Jam quid heic tergum, spinamque commemorem? de cujus licet internodiorum fomitibus erumpens aream pectoris texat curvatura costarum; tota nihilominus hæc ossium ramosa compago sub uno velut exundantis abdominis pelago latet. Taceo lumborum corpulentiam, cliniumque, cui crassitudini comparata censetur alvus exilis. Taceo femur aridum & pandum, genua vasta, poplites delicatos, crura cornea, vitreos talos, parvos digitos, pedes grandes. Cumque distortis horreat ita liniamentis, per quæ multiplicem pestilentiam exsanguis semivivusque, nec portatus sentiat, nec sustentatus incedat, verbis tamen est ille quam membris exsecrabilior. Nam quamquam pruritu laborat sermonis inhonesti, tum patronorum est præcipue cavendus arcanis; quorum est laudator in prosperis, delator in dubiis: at si ad occulta familiarium publicanda temporis ratio solicitet, mox per hunc Spartacum quæcumque sunt clausa franguntur, quæque obserata referantur: ita quod quas domorum nequiverit machinis apertæ simultatis impetere, cuniculis clandestinæ proditionis impugnat. Hoc fabricatu Dædalus noster amicitiarum culmen ædificat: qui sicut sodalibus velut Theseus inter secunda sociatur; sic ab iis postmodum velut Proteus inter adversa dilabitur. Igitur ex voto meo feceris, si talium sodalitati ne congressu quidem primore socieres, maxime illorum, quorum sermonibus prostitutis ac theatralibus nullas habenas, nulla præmittit repagula pudor. Nam quibus citra honestatis nitorem jactitabundis loquacis fæce petulantiæ lingua polluitur infrenis, his conscientia quoque sordidatissima est. Denique facilius obtingit, ut quispiam seria loquens vivat obscene, quam valeat ostendi, qui pariter exsistat improbus dictis, & probus moribus. Vale.

tum narrat Gregorius Turon. I. Mirac. XLV. Vocladensi dein prœlio cum Arvernis interfuisse lib. II. histor. XXXVII, non tamen occubuisse, quod de suo quidam addunt. Nam eumdem postea in episcopali Arvernorum cathedra mortuum, idem alibi, ut censeo, testis est Gregorius. Apollinaris porro ex Placidina uxore filius Arcadius: de quo scribit idem lib. III. capp. IX. XII. XVIII. Arcadii filia Placidina, uxor quondam Leontii junioris Burdigalensium episcopi. Ex quibus lucem accipiet Fortunatus, qui Placidinæ hujus originem refert ad Avitum Augustum, lib. I. carmine XIV.

Coger amore etiam Placidinæ pauca referre,
Quæ tibi tunc conjunx, est modo cara soror.
Lumen ab Arcadio veniens genitore refulget,
Quo manet Augustum germen, Avite, tuum:
Imperii fastus toto qui rexit in orbe,
Cujus adhuc pollens jura senatus habet.
Humani generis si culmina prima requiras,
Nomine Cæsareo nil superesse potest.

Vere prorsus. Nam abneptis fuit Aviti ex Papianilla filia & Sidonio. Itaque apud Gregorium corruptus est locus I. Mirac. LXV. in hunc modum restituendus *Alcima soror & Placidina conjux Apollinaris episcopi*: quod perspicuum est ex lib. III. cap. II. & XII.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 472.

EPISTOLA XIV.

Sidonius Placido suo salutem.

QUamquam te tua tenet [1] Gratianopolis, comperi tamen hospitium veterum fido relatu, quod meas nugas sive confectas opere prosario, seu poetarum stilo cantinelosas, plus voluminum lectione dignere repositorum. Gaudeo hoc ipso, quod recognovi chartulis occupari nostris otium tuum. Sed probe intelligo, quod moribus tuis hanc voluptatem non A operis effectus excudit, sed auctoris affectus. Ideoque plus debeo, quia gloriæ punctum quod dictioni negares, das amicitiæ. De ceteris vero studii nostri derogatoribus, quid ex affe. pronuntiem, nondum deliberavi. Nam qui maxime sibi doctus videtur, dictionem sanam & insanam ferme appetitu pari revolvit, non amplius concupiscens erecta quæ laudet, quam despecta quæ rideat. Atque in hunc modum scientia, pompa, proprietas linguæ Latinæ judiciis otiosorum maximo spretui est: quorum scurrilitati negligentia comes, hoc volens tantum legere quod carpat, sic non utitur litteris, quod abutitur. Vale.

1. *Gratianopolis*] Nomen inditum a Gratiano. Vetus enim & proprium fuit Cularo. Unde muri Cularonenses hodieque leguntur in antiqua Inscriptione portæ civitatis. Nominatur item in Tabula Itineraria Peutingeri, & in Notitia imperii, quæ tribunum cohortis primæ Flaviæ Cularone stationem habuisse docet. In epistola 1. Plan- B ci ad Ciceronem, quæ est xxiii. libri X. ad Familiares, legendum jam olim censuimus in ultimis verbis, *Cularone in finibus Allobrogum*, non *Civarone*, ut vulgo edi solet. Fines Allobrogum facit Gratianopolim, quia ad Isaram posita est, qui Allobroges claudit, separatque a Vocontiis,



C. SOLLII APOLLINARIS SIDONII

ARVERNORUM EPISCOPI,

EPISTOLARUM

LIBER IV.

EPISTOLA I.

Sidonius [1] Probo suo salutem.

SOror mihi, quæ uxor tibi: hinc inter nos summa & principalis necessitudo, & ea quidem patruelis, non germana fraternitas, quæ plerumque se purius, fortius, meracius amat. Nam facultatum inter germanos prius lite sopita, jam qui nascuntur ex fratribus, nihil invicem controversantur: & hinc sæpe caritas in patruelibus major, quia desistit simultas a divisione, nec cessat affectus a semine. Secundus nobis animorum nexus accessit de studiorum parilitate, quia idem sentimus, culpamus, laudamus in litteris, & æque nobis quælibet dictio placet improbaturque. Quamquam mihi nimis arrogo meum judicium conferens tuo. Quis enim juvenum nesciat seniorumque, te mihi magistrum fuisse proprium, cum videremur habere communem? & si quid heroicus arduum, comicus lepidum, lyricus cantinelosum, orator maturum, historicus verum, satyricus figuratum, grammaticus regulare, panegyrista plausibile, sophista serium, epigrammista lascivum, commentator lucidum, jurisconsultus obscurum, multifariam condiderunt; id te omnifariam singulis, nisi cui ingenium sibique quis defuit, tradidisse? Deus bone! quam sibi hinc patres nostri gloriabantur, cum viderent, sub ope Christi, te docere posse, me discere: & non solum te facere quod posses, sed & velle quod faceres: ideoque te bonum non minus, quam peritum pronuntiari? Et C vere intra Eusebianos lares talium te quædam moneta susceperat disciplinarum, cujus philosophica incude formatus: nunc varias nobis rerum sermonumque rationes, ipso etiam qui docuerat, probante pandebas: nunc ut Plato discipulus jam prope potior sub Socrate, sic jam tu sub Eusebio nostro, inter Aristotelicas categorias artifex dialecticus atticissabas; cum ille adhuc ætatulam nostram, mobilem, teneram, crudam, modo castigatoria severitate decoqueret, modo mandatorum salubritate condiret. At qualium, Deus bone, quamque pretiosorum! quæ si quis deportaret philosophaturus, aut ad paludicolas Sicambros, aut ad Caucasigenas Alanos, aut ad equimulgas Gelonos, bestialium rigidarumque nationum corda cornea, fibræque glaciales D procul dubio emollirentur egelidarenturque: neque illorum ferociam stoliditatemque quæ secundum belluas ineptit, brutescit, accenditur, rideremus, contemneremus, pertimesceremus. Igitur quia nos ut affinitas, ita studia junxerunt, precor, quoquo loci es, amicitiæ jura inconcussa custodias: longumque tibi, & si sede absumus, adsimus affectu: cujus intemeratæ partes, quantum ad nos spectat, a nobis in ævum, si quid est vitæ reliquum, perennabuntur. Vale.

1. *Probo*] Magni Felicis fratri, præstantis doctrinæ ac judicii viro. Sic enim Felicem alloquitur in carmine IX.

Germanum tamen ante sed memento
Doctrinæ columen Probum advocare.

Probi vero uxor Eulalia, carmine XXIV. sub finem. Quare Eulalia Sidonii soror hoc loco, sed soror patruelis. Nam ut frater interdum dicitur non solum germanus, verum etiam patruelis: sic soror tum germana, tum patruelis, aut etiam consobrina.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.

EPISTOLA II.

[1] *Claudianus Sidonio papæ ſalutem.*

SI poſſibile factu eſſet, ut te dominum meum vel aliquoties aliquantulum convenirem, non undeunde quarumpiam perſonarum aut voluntates, aut neceſſitates inquirerem, ſed quæ in rem debiti mei uſui mihi eſſe poſſent. Quippe reviſionis poteſtas multimodis, ac miſeris perinde cauſſis intercluditur. Enimvero ſcribendi facultas, aut raro idonea ſuppetit, aut nec ſuppetit. Iſta hæc eadem remiſſibilia ſint nec ne, tute judicaris. Porro autem quod ſæpe numero ſcriptis veſtris alii impartiuntur qui id ipſum nec ambiunt, quam egomet forſan nec merentur amplius: non arbitror amicitiæ legibus impune committi. Illud etiam [2] num dolenter faxo tacitum, quod [3] libellos illos quos tuo nomine nobilitari non abnuis, nullo numquam impartiviſti reſcripto. Sed vacuum forte non ſuppetit, quod tute modicum magnæ admodum impendas amicitiæ. Ecquo tam ex occupatu umquam uſpiamve implicabere, quin illud in aliorum commoda revergat? Cum precatu Deum placas, eumdem non modo amicis, ſed ignotis quoque concilias. Cum ſcripturarum cæleſtium myſteria rimaris: quo te ſtudioſius imbuis, eo doctrinam ceteris copioſius infundis. Cum tuas opes [4] in uſus inopum prodigis, tibi quidem maxime, ſed aliis quoque conſultum facis. Proinde nihil videlicet, profecto nihil eſt, tam infecundum actionum tuarum omnium, quod tibi uni ſoli tantum, & non aliis quoque multis tecum, uberiorem fructum ferat. Nulla ergo cujuſquam præpedimenti occaſio prætendi vel falſo poteſt, cur egomet ſpecialis atque intimus tuus, nihil ab ſpeciali meo fructi feram, a quo ignoti quoque multum capiant plurimi. Sed uti ego autumo, juxta formam evangelici largitoris, quod non das amico eſurienti, dabis improbo pulſatori. Porro ſi etiam nunc ſolito obdurueris, faxim egomet quod tete pœnitebit: quoniam ſi peccaris ultra reticendo, ego protinus ulciſcar ſcribendo. Porro enim ambiguo caret, tam te puniendum ſcripto meo, quam punior egomet ſilentio tuo. Vale.

EPISTOLA III.

Sidonius Claudiano ſuo ſalutem.

COmmitti, domine major, in neceſſitudinis jura pronuntias, cur quod ad ſalve tibi debitum ſpectat, ſtilo & pugillaribus diu temperem: quodque deinceps nullas viantum volas mea papyrus oneraverit, quæ vos cultus ſedulæ ſoſpitatis impertiat. Præter æquum iſta conjectas, ſi reare quemquam mortalium (cui tamen ſermocinari latialiter cordi eſt) non pavere, cum in examen aurium tuarum, quippe ſcriptus, adducitur: tuarum inquam aurium, quarum peritiæ, ſi me decurſorum ad hoc ævi temporum prærogativa non obruat, nec Frontonianæ gravitatis, aut ponderis Apulejani flumen æquiparem: cui Varrones, vel Atacinus vel Terentius, Plinii, vel avunculus vel Secundus, compoſiti inpræſentiarum ruſticabuntur. Adſtipulatur judicio meo [5] volumen illud, quod tute ſuper ſtatu animæ rerum verborumque ſcientia divitiſſimus propalaviſti. In quo dum ad meum nomen prooemiaris, hoc munus potiſſimum cepi, ut meæ fama perſonæ quam operæ pretium non erat librorum ſuorum titulis inclareſcere, tuorum beneficio perpetuaretur. At quod, Deus magne, quantumque opus illud eſt! materia clauſum, declamatione conſpicuum, propoſitione obſtructum, diſputatione reſeratum, & quamquam propter hamata ſyllogiſmorum puncta tribuloſum, vernantis tamen eloquii flore [6] mellitum. Nova ibi verba, quia vetuſta: quibuſque collatus merito etiam antiquarum litterarum ſtilus antiquaretur: quodque pretioſius, tota illa dictio ſic cæſuratim ſuccincta, quod profluens: quam rebus amplam ſtrictamque ſententiis, ſentias plus docere, quam dicere. Denique & quondam, nec injuria, hæc principalis facundia computabatur, cui paucis multa cohibenti, curæ fuit cauſſam potius implere, quam paginam. At vero in libris tuis jam illud quale eſt, quod & teneritudinem quamquam continuata maturitas admittit, interſeritque tempeſtivam cenſura dulcedinem; ut lectoris intentionem, per eventilata diſciplinarum philoſophiæ membra laſſatam, repente voluptuoſis exceſſibus, quaſi quibuſdam pelagi ſui portibus foveat? O liber multifariam pollens! o eloquium non exilis, ſed ſubtilis ingenii! quod nec per ſcaturigines hyperbolicas intumeſcit, nec per tapinomata depreſſa tenuatur. Ad hoc unica ſingulariſque doctrina, & in diverſarum rerum aſſertione monſtrabilis, cui moris eſt de ſingulis artibus cum ſingulis artificibus philoſophari: quæque ſi fors exigit, tenere non abnuit cum Orpheo plectrum, cum Æſculapio baculum, cum Archimede radium, cum Euphrate horoſcopium, cum Perdice circinum, cum Vitruvio perpendiculum: quæque numquam inveſtigare deſtiterit, cum Thalete tempora, cum Atlante ſidera, cum Zeto pondera, cum Chryſippo numeros, cum Euclide menſuras. Ad extremum, nemo ſæculo meo, quæ voluit affirmare ſic valuit. Siquidem dum ſe ſe adverſus eum [7] quem contra loquitur, exſertat, morum ac ſtudiorum linguæ utriuſque ſymbolam jure ſibi vindicat. Sentit ut Pythagoras, dividit ut Socrates, explicat ut Ariſtoteles, ut Æſchines blanditur, ut Demoſthenes iraſcitur, vernat ut Hortenſius, æſtuat ut Cethegus, incitat ut Curio, moratur ut Fabius,

1. *Claudianus*] Mamertus Claudianus Viennenſis eccleſiæ presbyter, Mamerti epiſcopi frater. Diſcernendi enim ſunt germani duo, Mamertus epiſcopus & Mamertus Claudianus presbyter, cujus eſt hæc epiſtola. Utrique commune vocabulum, Mamertus: ſed epiſcopo proprium id nomen fuit, presbytero cognomen; nam proprium & verum hujus nomen, Claudianus.

2. In aliquibus libris *non*.

3. *Libellos illos*] Tres libros de ſtatu animæ, quos Claudianus presbyter Sidonio dedicavit, præfixa hoc titulo epiſtola, *Præfectorio patricio doctiſſimo viro & optimo C. Sollio Sidonio Claudianus ſalutem*. De his Gennadius in Claudiano.

4. *In uſus inopum*] Sidonii in pauperes munificentiam præclari exempli teſtimonio confirmat Gregorius Turon. lib. II. cap. XXII. *Cum eſſet*, inquit, *magnificæ ſanctitatis, atque ut diximus ex ſenatoribus primis, plerumque neſciente conjuge vaſa argentea auferebat a domo, & pauperibus erogabat. Quod illa cum cognoſceret, ſcandalizabatur in eum: ſed tamen dato egenis pretio ſpecies domi reſtituebat.*

5. *Volumen illud*] Librorum de ſtatu animæ. Hoc enim eſt opus, quod tantis ornat laudibus, de quo & lib. V. epiſt. II.

6. In aliquibus libris *mollitum*.

7. *Quem contra loquitur*] Is eſt Fauſtus epiſcopus Reienſis: qui, ut auctor eſt Gennadius, libellum ſcripſerat adverſus eos qui dicunt eſſe in creaturis aliquid incorporeum, confirmans nihil credendum ejuſmodi præter Deum. Quem errorem confutat in libris de ſtatu animæ Claudianus; quibus propterea præmitti ſolet Fauſti libellus, ſed tacito nomine auctoris. Quamquam Fauſtus hanc ſuam ſententiam minime diſſimulabat, quam adſperſit etiam epiſtolæ ad Paullinum. Eadem enim multorum olim fuit hæreſis, ut Tertulliani, qui animæ corpus ſed tenuiſſimum deputat in libro de anima: *Siquidem præ ipſa*, inquit, *tenuitatis ſubtilitate de fide corporalitatis periclitatur.*

ſimulat ut Craſſus, diſſimulat ut Cæſar, ſuadet ut Cato, diſſuadet ut Appius, perſuadet ut Tullius. Jam ſi ad ſacroſanctos patres pro comparatione veniatur, inſtruit ut Hieronymus, deſtruit ut Lactantius, adſtruit ut Auguſtinus, attollitur ut Hilarius, ſummittitur ut Joannes, ut Baſilius corripit, ut Gregorius conſolatur, ut Oroſius affluit, ut Rufinus ſtringitur, ut Euſebius narrat, ut Eucherius ſolicitat, ut Paullinus provocat, ut Ambroſius perſeverat. Jam vero de [1] hymno tuo ſi percunctere quid ſentiam; commaticus eſt, copioſus, dulcis, elatus, & quoslibet lyricos dithyrambos, amœnitate poetica & hiſtorica veritate ſupereminet. Idque tuum in illo peculiare, quod ſervatis metrorum pedibus, pedum ſyllabis ſyllabarumque naturis, intra ſpatii ſui terminum verba ditia verſus pauper includit: nec arctati carminis brevitas longitudinem phalerati ſermonis eliminat: ita tibi facile factu eſt minutis trochæis minutioribuſque pyrrhichiis, non ſolum moloſſicas anapæſticaſque ternarias, ſed epitritorum etiam pæonumque quaternas ſupervenire juncturas. Excreſcit amplitudo proloquii anguſtias regulares, & tamquam parvo auro grandis gemma vix capitur: emicatque ut equi potentis animoſitas, cui frementi, ſi inter teſqua vel confraga frenorum lege teneatur, intelligis non tam curſum deeſſe, quam campum. Quid multis? arbitro me, in utroque genere dicendi nec Athenæ ſic Atticæ, nec Muſæ ſic muſicæ judicabuntur, ſi modo mihi vel cenſendi copiam deſidia longior non ademit. Nam dum impactæ profeſſionis obtentu, novum ſcribendi morem gradatim appeto, & veterem ſaltuatim dediſco; de bono oratore nil amplius habeo, quam quod malus poeta plus eſſe cœpi. Proin, quæſo delicti hujus mihi gratiam facias, quod aliquantiſper mei meminens, arentem venulam rarius flumini tuo miſceo. Tuam tubam totus qua patet orbis jure venerabitur: quam conſtat geminata felicitate ceciniſſe, quando nec æmulum reperit, nec æqualem, cum pridem aures & ora populorum, me etiam circumferente, pervagetur. Nobis autem grandis audacia, ſi vel apud [2] municipales & cathedrarios oratores aut forenſes rabulas garriamus: qui etiam cum perorant (ſalva pace potiorum) turba numeroſior, illitteratiſſimis litteris vacant. Nam te, cui ſeu liberum ſeu ligatum placeat alternare ſermonem, intonare ambifariam ſuppetit, pauci * quos æquus amavit, imitabuntur. Vale.

EPISTOLA IV.

Sidonius [3] Simplicio & Apollinari ſuis ſalutem.

ECcum, vel tandem adeſt promiſſio mea, exſpectatio veſtra, Fauſtinus paterfamilias domi nobilis, & inter maxima patriæ, jam mihi ſibique communis, ornamenta numerandus. Hic meus frater natalium paritate, amicus animorum ſimilitudine: ſæpe cum hoc ſeria, ſæpe etiam joca miſcui, cumque ab hinc retro juvenes eramus, in pila, in teſſeris, in ſaltibus, curſu, venatu, natatu, ſancta ſemper ambobus, quia manente caritate, contentio. Mihi quidem major hic natu, tantum tamen, ut eum non tam honorari neceſſe eſſet, quam delectaret imitari: ſimul & ipſe hinc amplius capiebatur, quod ſe diligi magis, quam quaſi coli intelligebat. Sed provectu ætatis, ex militia clericali, cum eſſet amabilis prius, cœpit modo eſſe venerabilis. Per hunc ſalutem dico, videre vos, ſub ope Chriſti, quam maturiſſime, ſi per ſtatum publicum liceat, cupiens. Quocirca niſi deſiderium meum videtur oneroſum, remeante præfato, fiam locorum veſtrorum & temporum gnarus. Stat ſententia eluctari oppoſitas privatarum occupationum difficultates; & complectendis pectoribus veſtris quamlibet longum officium deputare: ſi tamen, quod etiam nunc veremur, non vis major diſpoſita confundat: quæ vos quoque non perindignum eſt cum fratre Fauſtino, prout tempora monent, tractatu communicato deliberare: quem ego quia diligo, tamquam qui me diligat, miſi. Si reſpondet judicio meo, gratias ago. Porro autem, cum vir bonus ab omnibus cenſeatur, non eſt homo pejor, ſi non eſt optimus. Valete.

EPISTOLA V.

Sidonius Felici ſuo ſalutem.

ITerat portitorem ſalutationis iteratio. Gozolas veſter (Deus tribuat ut noſter) apicum meorum ſecundo gerulus efficitur. Igitur verecundiam utrique eximite communem. Nam ſi etiamnum ſilere meditemini, omnes & me cui, & illum per quem ſcribere debeatis, indignum arbitrabuntur. De temporum ſtatu jam nihil, ut prius, conſulo, ne ſit moribus tuis oneri, ſi adverſa ſignifices, cum proſpera non ſequantur. Nam cum te non deceat falſa mandare, atque item deſint votiva memoratu; fugio quidquid illud mali eſt, per bonorum indicia cognoſcere. Vale.

EPISTOLA VI.

Sidonius [4] Apollinari ſuo ſalutem.

PEr Fauſtinum antiſtitem, non minus mihi veteris contubernii ſodalitate, quam novæ profeſſionis communione devinctum, verbo quæpiam cavenda mandaveram: dicto paruiſſe vos gaudeo.

1. *De hymno tuo*] Adnotarat hoc loco ſcholiaſtes quidam Hymnum ſignificari, cujus initium eſt: *Pange lingua glorioſi prœlium certaminis*. Et quidem ſtilum redolet cultiorem, quam Fortunati eſſe ſoleat, cui tamen illum tribuunt antiqui etiam ſcriptores & codices. In eum præterea ſcite cadunt omnia quæ laudantur a Sidonio. Scriptus eſt verſibus trochaicis, quibus inſerti aliquando pyrrhichii numeri. Commaticus eſt, crebris aptiſque commatiis inciſus, ſententiis non interruptis, ſed molliter cum verſu cadentibus. Denique Claudiano carmen hoc vindicat non ſolum vetus ſcholiaſtes quem dixi, verum etiam Gennadius, non quidem ut editus eſt, ſed prout in codice cœnobii S. Michaelis de Tumba vulgatis auctior in Claudiani mentione legitur his verbis: *Scripſit & alia nonnulla: inter quæ & hymnum de paſſione Domini, cujus principium eſt, Pange lingua glorioſi. Fuit autem frater Mamerti Viennenſis epiſcopi.*

2. *Municipales & cathedrarios oratores*] Municipales oratores Sidonio eſſe ignobiles & obſcuros, ſupra monui ad epiſtolam ultimam lib. I. Non diſſimili ſenſu cathedrarios nunc dicit, Senecæ imitatione, qui cathedrarios philoſophos veris opponit in libro de brevitate vitæ: *Solebat*, inquit, *dicere Fabianus, non ex his cathedrariis philoſophis, ſed ex veris & antiquis.*

3. *Simplicio & Apollinari*] Hos iterum conjungit epiſt. XII. ad ſingulos etiam ſeorſim alias ſcribit. Videntur fratres fuiſſe, cum Sidonio neceſſitudinis vinculo colligati: quod quidem de Apollinari liquet ex epiſt. IX. lib. II.

4. *Apollinari*] Eidem. Invitati ad martyris apud Arvernos ſolemnitatem Simplicius & Apollinaris, ab inſtituto itinere metu hoſtium deſtiterant. Factum laudat Sidonius, gaudetque domum, id eſt familiam, nullis ad id tempus adverſis turbatam, hoſtium incurſibus non fuiſſe expoſitam. Cave igitur ad arcem Poliniacam cum viro

* *Quos æquus amavit*] Incommode, ut videtur, poſt *amavit* deeſt vox *Juppiter*, quam aliæ a Sirmondiana exhibent editiones.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.



Siquidem prudentibus cordicitus inſitum eſt, vitare A fortuita: ſicut itidem abſurdum eſt, ſi cœptis audacibus adverſetur eventus, conſurgere in querimonias, & inconſultarum diſpoſitionum culpabiles exitus ad informanda caſuum incerta convertere. Quorſum iſta hæc? ais. Fateor me nimis veritum, ne tempore timoris publici non timeretis, & ſolidæ domus ad hoc ævi inconcuſſa ſecuritas, ad tempeſtuoſos hoſtium incurſus pro intempeſtiva devotione trepidaret, inchoaretque apud animorum matronalium teneritudinem ſolemnitas expetita vileſcere: quamquam in pectoribus earumdem ita ſibi ſit genuina ſanctitas peculiare metata domicilium, ut ſi quid ſecus viantibus accidiſſet, lætaturæ fuerint quoddam ſe pro martyre toleraſſe martyrium. Aſt ego cui B majorem diffidentiam minor innocentia facit, ſuper hoc ambiguo ſententiæ cautiori libentius adhæreſco, nec difficulter applicor etiam tuta metuentibus. Proinde factum bene eſt, quod anceps iter ſalubriter diſtuliſtis, neque intra jactum tantæ aleæ ſtatus tantæ familiæ fuit. Et licet inchoata via potuerit proſperari, ego tamen hujuſmodi conſilio album calculum minime apponam, cujus temeritas abſolvi nequit, niſi beneficio felicitatis. Dabit quidem talia vota divinitas dignis ſucceſſibus promoveri: licebitque adhuc horumce terrorum ſub pacis amœnitate meminiſſe: ſed præſentia faciunt cautos, quos videbunt futura ſecuros. Interim ad præſens, apicum oblator damna ſibi quæpiam per Geneſium veſtrum C inflicta ſuſpirat. Si perſpicis a vero non diſcrepare querimoniam, tribui quæſo convincenti reformationem, peregrino celeritatem. Si vero calumniam plectibili ſufflammat invidia, in eo jam præceſſit vindicta pulſati, quod procax petitor ſumtu & itinere confectus, temere propoſitæ litis exſudat incommoda: atque hoc in [1] maximo hiemis accentu, ſummiſque cumulis nivium, cruſtiſque glacierum: quod tempus, quantum ad ſectatores litium ſpectat, breve quidem ſæpe eſt audientiæ, ſed diuturnum ſemper injuriæ. Vale.

EPISTOLA VII.

Sidonius Simplicio ſuo ſalutem.

Solet dicere, currentem mones, qui rogatur ut faciat quod facturus fuerat etiam non rogatus. Percunctere forſitan, quo ſpectet iſta præmitti. Bajulus apicum ſedulo precatur, ut ad vos a me litteras ferat: cujus a nobis itinere comperto, id ipſum erat utique, ſi tacuiſſet, orandus: namque hoc officium veſter potius amor, quam geruli reſpectus elicuit. Ceterum hic ipſe beneficium ſe computat meruiſſe, qui præſtitit: quamquam idemtidem quod popoſcit acceperit; ſed quæ nobis amicitiarum jura, minime agnoſcens. Unde, quamquam abſens, facile conjecto, quo repente ſtupore ferietur, cum intuitu E noſtri dignanter admiſſus, intellexerit ſe paginam meam magis otioſe flagitaſſe, quam tradere. Videre mihi videor, ut homini non uſque ad invidiam perfaceto, nova erunt omnia, cum invitabitur peregrinus ad domicilium, trepidus ad colloquium, ruſticus ad lætitiam, pauper ad menſam. Et cum apud crudos ceparumque crapulis eſculentos heic agat vulgus, illic ea comitate tractabitur, ac ſi inter Apicios epulones & Byzantinos chironomontas huc uſque ructaverit. Attamen qualis ipſe quantuſque eſt, percopioſe me officii votivi compotem fecit. Sed quamquam hujuſcemodi ſæpe perſonæ deſpicabiles ſunt ferme, in ſodalibus tamen per litteras excolendis, diſpendii multum caritas ſuſtinet, ſi ab uſu frequentioris alloquii portitorum vilitate revocetur. Vale.

EPISTOLA VIII.

Sidonius [2] Evodio ſuo ſalutem.

Cum tabellarius mihi litteras tuas reddidit, qui te Toloſam, rege mandante, mox profecturus certis amicis confitebatur; nos quoque ex oppido longe remotum rus petebamus. Me quidem mane primo remoratum, vix e tenaci caterva proſecutorum paginæ tuæ occaſio excuſſit, ut ſatisfacere mandato ſaltim viator, ſaltim eques poſſem. Ceterum diluculo familia præceſſerat, ad duodeviginti millia paſſuum fixura tentorium, quo quidem loci ſarcinulis relaxandis multa ſuccedunt conducibilia: fons gelidus in colle nemoroſo, ſubditus ager herbis abundans, fluvius ante oculos avibus ac piſce multo refertus: præter hæc junctam habens ripæ domum novam vetus amicus, cujus immenſæ humanitati, nec ſi acquieſcas, nec ſi recuſes, modum ponas. Igitur huc noſtris antecedentibus, cum tui cauſſa ſubſtitiſſemus, quo puer ocyus vel e capite vici remitteretur, jam [3] duæ ſecundæ facile proceſſerant, jam ſol adultus roſcidæ noctis humorem radio creſcente ſorbuerat, æſtus ac ſitis invaleſcebant, atque in profunda ſerenitate contra calorem ſola quæ tegeret nebula de pulvere. Tum longinquitas viæ, per virens æquor campi patentis expoſita viſentibus, quippe ob hoc ipſum ſero pranſuris, ingemebatur: nam viaturos & ſi nondum terebat labore, jam tamen exſpectatione terrebat. Quæ cuncta præmiſſa, domine frater, huc tendunt, ut tibi probem, neque animo vacaſſe me multum, neque corpore, neque tempore, quo poſtulatis obtemperavi. Ilicet ut ad epiſtolæ veſtræ tenorem jam revertamur, poſt verba quæ primum ſalve ferebant, hoc popoſciſti, ut epigramma tranſmitterem duodecim verſibus terminatum, quod poſſit aptari conchæ capaci, quæ per anſarum latus utrumque in extremum gyri a rota fundi [4] ſenis cavatur ſtriaturis. Quarum puto deſtinas vel ventribus pandis ſingulos verſus, vel curvis, meliore conſilio, ſi id magis deceat, capitibus inſcribere: iſtoque cultu expolitam [5] reginæ Ra-

docto referas: aut de arce illa tibi perſuadeas vel Apollinarium olim fuiſſe, vel nomen ab Apolline derivaſſe: quod Gabriel Simeonius, homo Hetruſcus ingenioſo commento ſibi viſus eſt divinaſſe. Nam vetus nomen arcis Podomniacus: quod paſſim legere eſt tum in aliis antiquis monumentis, tum in litteris Urbani V. papæ ad Carolum regem pro Armando vicecomite, loci domino.

1. *Maximo hiemis accentu*] Id Græcis θέρους καὶ χειμῶνος ἀκμή. Nova vocis notio: quam iterum uſurpat lib. V. epiſt. XVII. *ab accento ludi*, & lib. VII. *plauſuum maximo accentu*.

2. *Evodio*] Quidam libri *Ennodio*, alii *Eubodio*, more antiquo. Huic mittit epigramma: quod ejus rogatu ſcripſerat in argentea concha incidendum, quam reginæ Gothorum Ragnahildæ Eurici conjugi oblaturus erat.

3. *Duæ ſecundæ proceſſerant*] Horæ quatuor ab ortu ſolis. Alteram ſecundam dixit in Narbone: *Cum mane exierat novum, & caleſcens horam ſol dabat alteram ſecundam*. Ea eſt hora noſtra per æſtatem paullo amplius quam nona.

4. *Senis cavatur ſtriaturis*] Striatam fieri concham oportuit, ut nativam referret. Sunt enim conchæ marinæ quædam ſtriatæ Plinio & pulejo. Striæ porro & ſtriges in columnis & vaſculis quid ſint, notum ex Vitruvio. Heic *ventres pandi* ſunt ſtriges, id eſt canaliculi, quaſi ſulcus in aratro; *curva capita* ſtriæ, partes eminulæ, velut porcæ inter ſulcos.

5. *Reginæ Ragnahildæ*] Eurici uxori. Hujus enim ut potius exiſtimem quam Theodorici, facit ratio temporum quibus hæ ſcriptæ ſunt epiſtolæ, & quaſi ſub hujus

gnahildæ diſponis offerre; votis nimirum tuis pariter atque actibus patrocinium invictum præparaturus. Famulor injunctis quomodocumque, non ut volebam; ſed tuæ culpæ primus ignoſce, qui ſpatii plus præſtitiſti argentario, quam poetæ: cum pro- A cul dubio non te lateret, intra officinam litteratorum carminis ſiquid incus metrica produxerit, non minus forti & aſprata lima poliri. Sed iſta vel ſimilia quorſum? ecce jam canta.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 472.



Piſtrigero quæ concha vehit Tritone Cytheren,
  Hac ſibi collata cedere non dubitet.
Poſcimus, inclina paulliſper culmen herile:
  Et munus parvum magna patrona cape,
Evodiumque libens non aſpernare clientem,
  Quem faciens grandem, tu quoque major eris.
Sic tibi, cui rex eſt genitor, ſocer atque maritus
  Natus rex quoque ſit cum patre, poſtque patrem,
Felices lymphæ, clauſæ quæ luce metalli,
  Ora tamen dominæ lucidiora fovent.
Nam cum dignatur regina heic tingere vultus,
  Candor in argentum mittitur e facie.

Si tantum amore noſtro teneris, ut ſcribere has nugas non erubeſcas occule auctorem, de tua rectius parte ſecurus. Namque in [1] foro tali, ſive Athenæo, [2] plus charta veſtra quam noſtra ſcriptura laudabitur.

EPISTOLA IX.

Sidonius Induſtrio ſuo ſalutem.

INterveni proxime Vectio, illuſtri viro, & actiones ejus cotidianas penitiſſime & veluti ex otio inſpexi. Quas quoniam dignas cognitu inveni, non indignas relatu exiſtimavi. Primore loco, quod jure ceteris laudibus anteponemus, ſervat illæſam C domino domus par pudicitiam: ſervi utiles, ruſtici morigeri, urbani, amici, obedientes, patronoque contenti; menſa non minus paſcens hoſpitem quam clientem: humanitas grandis, grandiorque ſobrietas. Illa leviora, quod ipſe quem loquimur, in equis, canibus, accipitribus inſtituendis, ſpectandis, circumferendis, nulli ſecundus. Summus nitor in veſtibus, cultus in ſingulis, ſplendor in phaleris: pompoſus inceſſus, animus ſerius: iſte publicam fidem, ille privatam afferit dignitatem: remiſſio non vitians, correptio non cruentans, & ſeveritas ejus temperamenti, quæ non ſit tetra, ſed tetrica. Inter hæc ſacrorum voluminum lectio frequens; per quam inter edendum ſæpius ſumit ani- D mæ cibum: pſalmos crebro lectitat, crebrius cantat, novoque genere vivendi, [3] monachum complet, non ſub palliolo, ſed ſub paludamento, ferarum carnibus abſtinet, curſibus acquieſcit: itaque occulte delicateque religioſus venatu utitur, nec uti- B tur venatione. Filiam unicam parvam, poſt obitum uxoris relictam, ſolatio cœlibatus alit avita teneritudine, materna diligentia, paterna benignitate. Erga familiam ſuam nec in proferendo alloquio minax, nec in admittendo conſilio ſpernax, nec in reatu inveſtigando perſequax, ſubjectorum ſtatum conditionemque non dominio, ſed judicio regit: putes eum domum propriam non poſſidere, ſed potius adminiſtrare. Qua induſtria viri ac temperantia inſpecta, ad reliquorum quoque cenſui pertinere informationem, ſi vel ſummo tenus vita ceteris talis publicaretur. Ad quam ſequendam, præter habitum quo interim præſenti ſæculo imponitur, omnes noſtræ profeſſionis homines utiliſſime incitarentur. Quia, quod pace ordinis mei dixerim, ſi tantum bona ſingula in ſingulis erunt, plus ego admiror ſacerdotalem virum, quam ſacerdotem. Vale.

EPISTOLA X.

Sidonius Felici ſuo ſalutem.

ERumpo in ſalutationem licet ſeram, domine meus, annis ipſe jam multis inſalutatus; frequentiam veteris officii ſervare non audens, poſtquam me ſoli patrii finibus eliminatum peregrinationis adverſa fregerunt. Quapropter ignoſcere vos quoque decet erubeſcentibus: ſiquidem convenit humiliatos humilia ſectari, neque cum illis parem familiaritatis tenere conſtantiam, quibus forte ſit improbum plus amoris quam reverentiæ impendere. Propter hoc denique jam diu taceo, voſque tacuiſſe; cum filius meus Heliodorus huc venit, magis

finem ſuadet occuli auctorem epigrammatis, ne videlicet muneris gratiam deterat ſi prodatur: quod quidem ſuperſtite Theodorico cui gratus & familiaris erat, non diceret Sidonius. Reginæ igitur nomen uni Sidonio debemus: cui cognominem alteram, Sigivaldi noſtratis uxorem, memorat Gregor. Turon. in vita Æmiliani.

1. *In foro tali vel Athenæo*] Alludit ad Romanæ urbis loca, in quibus recitari poemata & orationes ſolebant. De Athenæo teſtis Lampridius in Alexandro: *Ad Athenæum*, inquit, *audiendorum & Græcorum & Latinorum rhetorum vel poetarum cauſſa frequenter proceſſit*. Capitolinus item in Pertinace & Gordiano: ac Sidonius ipſe lib. IX. epiſt. XIV. ad Burgundionem: *Dignus omnino quem Roma plauſibilibus foveret ulnis: quoque recitante crepitantis Athenæi ſubſellia cuneata quaterentur*. Symmachus denique lib. IX. 84. De Foro Trajano Fortunatus ad Berthcramnum epiſcopum Cenomannenſem:

Vix modo tam nitido pompoſa poemata cultu
Audit Trojano Roma verenda foro.

De Foro Martis, index vetus adnotatio in codice Apulejano bibliothecæ Vaticanæ his verbis: *Ego Saluſtius legi & emendavi Romæ feliciter, Olybrio & Probino coſſ. in foro Martis controverſiam declamans oratori Endelechio. Rurſus Conſtantinopoli recognovi Cæſario & Attico coſſ.* Quo ex loco præterea docemur, quo tempore cathedram Romæ tenuerit Endelechius rhetor, hoc eſt ut interpretor Severus Sanctus Endelechius, orator & poeta Chriſtianus cujus exſtat breve carmen de mortibus boum: quamquam ætatis alterum erat argumentum ex Paullino, qui Endelechii, ut amici ſui, meminit in epiſt. IX. ad Severum.

2. *Plus charta veſtra*] Concha argentea, in qua exarandi E erant verſus Sidonii.

3. *Monachum complet non ſub palliolo*] Monachorum inſigne fuit pallium, ut philoſophorum. Nam & ipſam monachorum vitam καὶ ἄσκησιν Græci patres philoſophiam nominarunt. Unde agmina palliata monachorum in funere S. Martini apud Sulpicium Severum. Atque ut philoſophos Græci merito ridebant, qui pallio & barba tenus philoſopharentur: ſic noſtri monachos, qui habitu ſæculo imponerent, ut ait Sidonius, quibuſque φιλοσοφία ἦν τὸ τριβώνιον. Iſidorus Peluſiotes epiſt. XXII. οὐκ ἔστιν, ἀδελφοί, ἀσκήσεως πληροφορία τρίβων καὶ ὑπήνης ἐπίδειξις. *Monachi vitam, fratres, non complet pallii & barbæ oſtentatio.*

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 472.

toleranter, quam libenter accepi: sed dicere solebas, quamquam fatigans, quod meam quasi facundiam vererere. Excusatio ista hæc, etiam si fuisset vera, transierat: quia [1] post terminatum libellum qui parum cultior est, reliquas denuo litteras [2] usuali, licet accuratus mihi melior non sit, sermone contexo. Non enim tanti est poliri formulas editione carituras. Ceterum si caritatis tuæ morem pristino colloquiorum cursui reddis, & nos vetustæ loquacitatis orbitas recurremus. Præter hæc avide, prævio Christo, sicubi locorum fueritis, modo [3] redux patronus indulgeat, advolaturi, ut rebus amicitia vegetetur, quæ verbis infrequentata torpuerat. Vale.

EPISTOLA XI.

Sidonius [4] Petrejo suo salutem.

Angit me nimis damnum sæculi mei, nuper erepto avunculo tuo Claudiano oculis nostris, ambigo an quempiam deinceps parem conspicaturis. Vir siquidem fuit providus, prudens, doctus, eloquens, acer, & hominum ævi, loci, populi sui ingeniosissimus: quique indesinenter salva religione philosopharetur; & licet crinem barbamque non pasceret, [5] pallium & clavam nunc irrideret, nunc etiam exsecraretur, a collegio tamen complatonicorum solo habitu ac fide dissociabatur. Deus bone! quid erat illud, quotiens ad eum sola consultationis gratia conveniebamus? Quam ille omnibus statim totum non dubitans, non fastidiens aperiebat? voluptuosissimum reputans, si forte oborta quarumpiam quæstionum insolubilitate labyrinthica scientiæ suæ thesauri eventilarentur. Jam si frequentes consederamus, officium audiendi omnibus, uni solum quem forsitan elegissemus, deputans jus loquendi: viritim, vicissimque, non tumultuatim, nec sine schematis cujuspiam gestu artificioso doctrinæ suæ opes erogaturus. Dein quæcumque dixisset, protinus reluctantium syllogismorum contrarietatibus excipiebamus. Sed repellebat omnium nostrum temerarias oppositiones. Itaque nihil non perpensum probatumque recipiebatur. Hinc etiam illi apud nos maxima reverentia fuit, quod non satis ferebat ægre pigram in quibuspiam sequacitatem. Hæc apud eum culpa veniabilis erat: quo fiebat, esset ut nobis patientia ejusdem sine imitatione laudabilis. Quis enim virum super abditis consuleret invitus, a cujus disputationis communione ne idiotarum quidem imperitorumque sciscitatio repudiaretur? Hæc pauca de studiis. Ceterum cetera quis competenti præconio extollat? quod conditionis humanæ per omnia memor, clericos opere, sermone populares, exhortatione mærentes, destitutos solatio, captivos pretio, jejunos cibo, nudos operimento consolabatur. Pariter & super his plura replicare superforaneum statuo. Nam merita sua, quibus divitem conscientiam censu pauperatus locupletavit, spe futuræ retributionis celare plus studuit. Episcopum fratrem majorem natu affectuosissime observans, quem diligebat ut filium, cum tamquam patrem veneraretur. Sed & ille suspiciebat hunc granditer, habens in eo consiliarium in judiciis, vicarium in ecclesiis, procuratorem in negotiis, villicum in prædiis, tabularium in tributis, in lectionibus comitem, in expositionibus interpretem, in itineribus contubernalem. Sic utrique ab alterutro, usque ad invidiam exempli, matura fide germanitatis officia restituebantur. Sed quid dolorem nostrum moderaturi caussis potius doloris fomenta sufficimus? Igitur ut dicere instituerAMus, huic jam, ut est illud Maronianum, cineri ingrato, id est gratiam non relaturo, næniam condidimus tristem luctuosamque, propemodum laboriose, quia faceret dictandi desuetudo difficultatem: nisi quod animum natura desidiosissimum, dolor fletu gravidus accendit. Ejus hoc carmen est.

Germani decus & dolor Mamerti,
Mirantum unica pompa episcoporum,
Hoc dat cæspite membra Claudianus.
Triplex bibliotheca quo magistro
Romana, Attica, Christiana fulsit:
Quam totam monachus virente in ævo
Secreta bibit institutione.
Orator, dialecticus, poeta,
[6] Tractator, geometra, musicusque.
Doctus solvere vincla quæstionum,
Et verbis gladio secare sectas,
Si quæ catholicam fidem lacessunt.
Psalmorum hic modulator & phonascus,
Ante altaria, fratre gratulante,
Instructas docuit sonare classes.
Hic solemnibus annuis paravit,
Quæ quo tempore lecta convenirent.

1. *Post terminatum libellum*] Infra epist. XXII. *Ut epistolarum curam terminatis libris earum converteremus ad stilum historiæ*. Uterque locus indicat Sidonii epistolarum primam editionem non fuisse, quam Constantio nuncupavit: sed earum aliquot libellos ante Constantianam collectionem in lucem emissos.

2. *Usuali sermone contexo*] Latino quidem, sed rudi & impolito, qualis tunc in usu vulgo Galliæ. Olim sane Gallis sermo peculiaris & diversus a Latino. Unde Varro, Hieronymo teste, Massilienses trilingues vocabat, quod Græce, Latine & Gallice scirent. Postea fecit assidua cum Romanis consuetudo, ut Latinum usurparent, sed ut exteris gentibus evenire solet, rudem & incultum, qui proinde magistri studio & industria perpoliri deberet. Ideo laudat Ecdicium Sidonius lib. III. epist. III. quod ejus exemplo nobilitas Gallicana Celtici sermonis squama deposita Latinam linguam in scholis accurate perdisceret. Eodemque spectat lib. VIII. epist. II. ad Joannem.

3. *Redux patronus*] Victorius comes Arvernorum, quem suum jure sæculari patronum dicit lib. VII. epist. XVII. ad Volusianum.

4. *Petrejo*] Filio sororis Mamerti & Claudiani: ad quem mittit Claudiani avunculi nuper vita functi epitaphium.

5. *Pallium & clavam*] Clavam itidem inter philosophorum insignia cum pallio jungit lib. IX. epist. IX. & carmine XV.

Tetrica nodosæ commendat pallia clavæ.

Prudentius in Hamartigenia:

Hinc gerit Herculeam vilis sapientia clavam,
Ostentatque suos vicatim Gymnosophistas.

E Græcis Lucianus in Parasito. *ξύλα μὲν ἔχουσι ϗ εἰς βαλανεῖον ἀπιόντες, ϗ ἐπ' ἄριστον*. Libanius Andronico epist. CXXXVI. *τῶν δὲ αὖ φιλοσοφούντων χαίρειν ἐᾶν πώγωνα ϗ τρίβωνα ϗ βακτήριον*. *Philosophantium*, inquit, *valedicere barbæ & pallio & baculo*. Et quod propius ad clavam, Chrysostomus de statuis XVII. *Ποῦ νῦν εἰσὶν οἱ τοὺς τρίβωνας ἀναβεβλημένοι, ϗ βαθὺ γένειον δεικνῦντες, ϗ ῥόπαλα τῇ δεξιᾷ φέροντες οἱ τῶν ἔξωθεν φιλόσοφοι; Ubi nunc sunt qui palliis amiciuntur, & promissam barbam ostentant, & clavas dextra gestant externi philosophi?*

6. *Tractator*] Paullo superius dixit: *In expositionibus interpretem*, quod eodem referri potest. Tractatores enim dicti, sacrarum litterarum interpretes & doctores. Idcirco authenticis opponit Sidonius lib. VII. epist. IX. & Claudianus ipse de statu animæ lib. I. *Sed video Prophetas, Evangelistas, Apostolos*, (hi authentici) *post etiam authenticorum plurimos tractatores suas propriis voluminibus nomina prænotasse*. Similia etiam scribit lib. II. ubi Hieronymum laudat potissimum tractatorum: & Severus dialogo I. Origenem tractatorem sacrarum litterarum peritissimum. Vox crebra illius maxime sæculi scriptoribus, quo natum videtur innuere Vincentius Lirinensis in commonitorio: *Doctores*, inquit, *qui Tractatores nunc appellantur: quos hic idem Apostolus etiam prophetas interdum nuncupat, eo quod per eos prophetarum mysteria populis aperiuntur.*

[1] Antiſtes fuit ordine in ſecundo,
Fratrem faſce levans epiſcopali.
Nam de pontificis tenore ſummi,
Ille inſignia ſumſit, hic laborem.
At ut quiſque doles, amice lector,
De tanto quaſi nil viro ſuperſit,
Udis parce genis rigare marmor;
Mens & gloria non queunt humari.

Ecce quod carmen, cum primum adſui, ſuper unanimi fratris oſſa conſcripſi. Namque tunc abſui cum funeraretur: nec ob hoc tamen perdidi in totum deſideratiſſimam flendi occaſionem. Nam dum forte meditarer, lacrymis habenas anima parturiente laxavi: fecique ad epitaphium, quod alii fecerant ad ſepulcrum. Hæc ergo ſcripſimus tibi, ne forte arbitrarere ſolam nos colere vivorum ſodalitatem, reique tuo judicio eſſemus, niſi amicorum vita carentum ſemper, æque ut incolumium, reminiſceremur. Namque & ex hoc, quod vix reſervatur imaginaria fides vel ſuperſtitibus, non præter æquum opinabere, ſi perpaucos eſſe conjicias, qui mortuos ament. Vale.

EPISTOLA XII.

Sidonius Simplicio & Apollinari ſuis ſalutem.

DEus bone! quantum naufragioſo pelago conformis eſt motus animorum, quippe cum nuntiorum turbinibus adverſis quaſi propria tempeſtate confunditur. Nuper ego filiuſque communis Terentianæ Hecyræ ſales ruminabamus: ſtudenti aſſidebam naturæ meminens, & profeſſionis oblitus. Quoque abſolutius rythmos comicos incitata docilitate ſequeretur, ipſe etiam fabulam ſimilis argumenti, id eſt, [2] Epitrepontem Menandri in manibus habebam. A Legebamus pariter, laudabamus, jocabamurque: & quæ vota ſunt communia, illum lectio, me ille capiebat: cum repente puer familiaris adſtitit vultuoſus: cui nos, quid ita? & ille lectorem, inquit, Conſtantem nomine pro foribus vidi a dominis Simplicio & Apollinare redeuntem: dedit, inquit, litteras quas acceperat, ſed perdidit quas recepit. Quibus agnitis, ſerenitas lætitiæ meæ confeſtim nubilo ſuperducti mæroris inſorduit; tantamque mihi bilem nuntii hujuſce contrarietas excitavit; ut per plurimos dies illum ipſum hermam ſtolidiſſimum venire ante oculos meos inexoratus arcuerim; laturus ægre, ſi mihi apices, aut quoſcumque, aut quorumcumque non redderet: taceam veſtros, qui mihi, dum B recti compos animus durat, minime frequentes maxime deſiderabiles judicabuntur. At poſtquam noſtra ſenſim temporis intervallo ira defremuit, percontor num verbo quippiam præterea detuliſſet. Reſpondit ipſe, quamquam eſſet trepidus & ſternax, & præ reatu balbutiret ore, cæcutiret intuitu, totum quo inſtrui, quo delectari valerem, paginis quæ intercidiſſent, fuiſſe mandatum. Quocirca recurrite ad pugillares, replicate membranas, & ſcripta reſcribite. Tamdiu enim æquanimiter admitto, ut deſiderio meo ſiniſter eventus officiat, donec ad vos noſtro ſermone perveniat, ad nos veſtrum non perveniſſe ſermonem. Valete.

C

EPISTOLA XIII.

Sidonius [3] Vectio ſuo ſalutem.

NUper rogatu Germanici ſpectabilis viri Cantillenſem eccleſiam inſpexi. Eſt ipſe loco ſitorum facile primus; quique poſt tergum cum jam [4] duodecim luſtra tranſmittat, cotidie tamen habitu cultuque conſpicuo non juveneſcit ſolum, ſed quodammodo repueraſcit. Enimvero veſtis adſtricta,

1. *Antiſtes fuit ordine in ſecundo*] Epiſcopus, in ordine & gradu presbyteri. Mamertum, inquit, fratrem epiſcopum plurimis in rebus ita ſublevabat, ut quamvis presbyter tantum eſſet, epiſcopus ipſe quodam modo videretur. Clericorum primo in ordine ſunt epiſcopi, in ſecundo presbyteri, in tertio diaconi, atque ita deinceps. Optatus Milevitanus lib. I. *Quid commemorem laicos qui tunc in eccleſia nulla fuerant dignitate ſuffulti? quid miniſtros plurimos? quid diacones in tertio? quid presbyteros in ſecundo ſacerdotio conſtitutos? Ipſi apices & principes omnium epiſcopi*, cet. Ordo igitur ſecundus Sidonio eſt ordo presbyterorum. Odo Dorobernicus de S. Wilfrido, quando factus eſt presbyter:

Tandem colla jugo ſubdens dejecta petito
Ordinis aptatur celebs in honore ſecundi.

Poſſent ejus generis teſtimonia innumera proferri: Sed omnium inſtar erit lex nova impp. Theodoſii & Valentiniani, in qua presbyteri ſecundi ſacerdotes nuncupantur. Ea autem in codice pervetuſto legitur his verbis.

THEODOSIUS ET VALENTINIANUS AUGUSTI AD VERUM PRÆFECTUM PRÆTORII.

Audemus quidem ſermonem facere, ſolito plus timore capti de ſanctis & venerabilibus ſacerdotibus, & ſecundis ſacerdotibus vel etiam levitis, & eos cum omni timore nominare, quibus omnis terra caput inclinat. Et poſt alia. *De obnoxiis vero, ſi qui ambulaverint cum epiſcopo, vel cum presbytero, aut etiam cum diacono, ſive in platea, ſive in agro, ſive in quolibet loco, nullo pacto eos retineri vel adduci jubemus, quoniam in ſacerdotibus eccleſia conſtat. Data* XV. *Kalendas Januarias, Theodoſio* XIII. *& Valentiniano* III. *coſſ.*

Ex his, opinor, nemo non videt, presbyteros interdum dictos fuiſſe ſecundos ſacerdotes, aut ſecundi ordinis ſacerdotes: qua nimirum nota diſtinguebantur ab epiſcopis, qui primi ordinis erant ſacerdotes, & ſummi ſacerdotes appellabantur. Quod vero doctiſſimo Savaroni venit in mentem, presbyteros olim etiam epiſcopos fuiſſe nuncupatos, atque ita Claudianum hoc loco epiſcopum dici a Sidonio; id, ut paucis dicam, a Sidonii mente & veterum more alieniſſimum eſt. Nec mirari ſatis poſſum, inanem fabellam de primi & ſecundi ordinis epiſcopis in quorumdam animis tantum fidei obtinuiſſe, ut in ore ſcriptiſque ſuis nihil frequentius habeant, quam D duos olim, ſi Deo placet, in ſingulis cathedris epiſcopos fuiſſe. Mera eſt fabula, ut dixi: neque ad eam adſtruendam ab illis quidquam adfertur, quod non ſua ſponte diſſiliat. Etenim Gennadii locum, ubi Claudianum epiſcopum appellare videtur, corruptum eſſe jam alii monuerunt. Quorſum enim ſecum ipſe pugnaret, ut epiſcopum heic diceret quem presbyterum poſtea vocat? Juſtus vero, qui in arca ſepulcrali quæ in S. Illidii baſilica viſitur, Arvernæ urbis epiſcopus inſcribitur, non eſt Juſtus ille archidiaconus S. Illidii epiſcopi; ſed Juſtus alter qui re ipſa fuit epiſcopus Arvernorum poſt Avolum, ante Cæſarium: cujus ſane nomen apud Gregorium Turonicum in epiſcoporum elencho quæri non debet, quia poſt Gregorium vixit. De Joanne denique archidiacono Cabilonenſi par eſt allucinatio, quam prodet epiſt. XXV.

2. *Epitrepontem Menandri*] Epitrepontem Menandri fabulam citat Stobæus ſermone XXCVII. ex eaque profert E hos verſus,

Ἐλευθέρῳ τὸ καταγελᾶσθαι πολὺ
Αἴσχιόν ἐστι τὸ δ' ὀδυνᾶσθ' ἀνθρώπινον.

Idem aliis locis *ἐπιτρέποντας, καὶ ἐπιτρόπους*. Alciphron item *ἐπιτρέποντας* inter fabulas Menandri numerat epiſtola ultima, & Athenæus lib. XIV. Meminit & tacito auctoris nomine Quintilianus, Epitrepontas perfectam oratorii judicii ideam continere docens, lib. X. cap I.

3. *Vectio*] Viro illuſtri, cujus ſupra mentio epiſtola IX. Cantillenſem eccleſiam dicit, a Cantilla vetere caſtello Arvernorum, cujus mentio in tabula itineraria Peutingeri. Annales rerum a Pippino geſtarum anno DCCLXII. *Aquitaniam ingreſſus quædam oppida & caſtella manu cepit: in quibus præcipua fuere Burbonium, Cantilla, Clarus mons.*

4. *Duodecim luſtra*] Annos LX. ut Juvenalis, quem æmulatur, ſatyra VIII.

— ſtupet hac qui jam poſt terga reliquit
Sexaginta annos, Fonteio conſule natus.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.

tenſus cothurnus, [1] crinis in rotæ ſpecimen acciſus, barba intra rugarum latebras merſis ad cutem ſecta forpicibus; ad hoc & munere ſuperno membrorum ſolida conjunctio, integer viſus, amplus in celeri greſſus inceſſu, incorruptæ lactea dentium compage gingivæ. Non illi ſtomachus nauſeat, non vena flammatur, non cor incutitur, non pulmo ſuſpirat, non riget lumbus, non jecur turget, non molleſcit manus, non ſpina curvatur; ſed præditus ſanitate juvenili, ſolam ſibi vindicat de ſenectute reverentiam. Propter quæ beneficia peculiaria Dei, quoniam vobis jura amicitiæ grandia vigent, quippe vicinis; obſecro ac moneo, ut conſilio tuo, cui ſequendo per conſcientiam magnam maximam tribuis auctoritatem, non multum fidat ambiguis, nec B nimis nimiæ credat incolumitati: ſed tandem profeſſione religionis arrepta, viribus potius reſurgentis innocentiæ convaleſcat, faciat ſe vetuſtus annis meritis novum. Et quoniam nemo ferme eſt, qui plectibilibus careat occultis, ipſe ſuper his quæ clam commiſſa reminiſcitur, palam fuſa ſatisfactione ſolvatur. Nam ſacerdotis pater, filiuſque pontificis, niſi ſanctus eſt, rubo ſimilis efficitur; quem de roſis natum, roſaſque parientem, & genitis gignentibuſque floribus medium, pungentibus comparanda peccatis dumorum vallat aſperitas. Vale.

EPISTOLA XIV.

Sidonius [2] Polemio ſuo ſalutem.

C. Tacitus e majoribus unus tuis, Ulpianorum temporum conſularis, ſub verbis cujuſpiam Germanici ducis in hiſtoria ſua retulit dicens: [3] Cum Veſpaſiano mihi vetus amicitia, & dum privatus eſſet, amici vocabamur. Quo reſpicit, ais, iſta præfari? ut ſcilicet memineris, eo tempore quo perſonam publicam portas, gratiæ te privatæ memorem ſemper eſſe oportere. Biennium prope clauditur, quod te præfectum prætorio Galliarum, non nova veſtra dignatione, ſed noſtro affectu adhuc vetere gaudemus. Qui ſi Romanarum rerum ſineret adverſitas, ægre toleraremus, niſi ſingulæ perſonæ, D non dicam provinciæ, variis per te beneficiis amplificarentur. Et nunc cum id quod poſſibilitas tua non habet, verecundia non petatur: dicas velim, qualiter fueris futurus humanus in factis, qui perduras avarus in verbis. Nam tuorum peritiæ comparatus, non ſolum Cornelios oratores, ſed Auſonios quoque poetas vincere potes. Si te hactenus philoſophantem, nova ſubito ob juriſdictionem gloria capit, [4] & nos aliquod nomenque decuſque geſſimus. At ſi videtur humilitas noſtræ profeſſionis habenda contemtui, quia Chriſto res humanas vitaſque medicaturo putrium conſcientiarum cultro ſqualens ulcus aperimus: quod & in noſtri ordinis viris & ſi adhuc aliquid de negligentia fœtet, nihil E A jam tamen de ſuperbia tumet: noveris volo, non ut eſt apud præſulem fori, ſic eſſe apud judicem mundi. Namque ut is qui propria vobis non tacuerit flagitia, damnatur; ita nobiſcum qui eadem Deo fuerit confeſſus, abſolvitur. Unde liquido patet, incongrue a partibus veſtris nimis reum pronuntiari, cujus cauſſa plus ſpectat tribunal alienum. Quapropter imminentem querelam noſtri doloris nequaquam valebis ulterius effundere; quia ſuccedentibus proſperis, ſive obliviſcare, ſive negligas gratiam antiquam, juxta eſt acerbum. Proinde ſi futura magni penſitas, ſcribe clerico; ſi præſentia, ſcribe collegæ. Et hanc in te ipſe virtutem, ſi naturalis eſt, excole; ſi minus, ut inſitiam appone; B qua ſodales vetuſtos numquam pro conſequentum novitate faſtidias. Porro autem videbere ſic amicis uti quaſi floribus, tam diu gratis, donec recentibus. Vale.

EPISTOLA XV.

Sidonius [5] Elaphio ſuo ſalutem.

Epulum multiplex, & capaciſſima lectiſternia para: plurimis viis, pluribus turbis ad te venitur: ita bonorum contubernio ſedit: quippe poſtquam omnibus tempus futuræ dedicationis inclaruit. Nam baptiſterium quod olim fabricabamini, ſcri- C bitis jam poſſe conſecrari. Ad quæ feſta vos voti, nos miniſterii, officii multos, fidei totos cauſſa ſollicitat. Siquidem res eſt grandis exempli, eo tempore a vobis nova eccleſiarum culmina ſtrui, quo vix auderet alius vetuſta farcire. Quod reſtat, optamus, ut Deo noſtro per uberes annos, ſicut vota redditis, ita voveatis reddenda: idque non ſolum religione celata, ſed & converſione manifeſta: mitigatoque temporum ſtatu, tam deſiderio meo Chriſtus indulgeat, quam Ruthenorum; ut poſſitis & pro illis offerre ſacrificia, qui jam pro vobis offertis altaria. De cetero, quamquam & extremus autumnus jam diem breviat, & viatorum ſolicitas aures, foliis toto nemore labentibus, crepulo fragore D circumſtrepit; inque caſtellum ad quod invitas, utpote Alpinis rupibus cinctum, ſub vicinitate brumali difficilius aſcenditur: nos tamen, Deo prævio, per tuorum montium latera confragoſa venientes, nec ſubjectas cautes, nec ſuperjectas nives expaveſcemus: quamvis jugorum profunda declivitas aggere cochleatim fracto ſæpe redeunda ſit: quia & ſi nulla ſolemnitas, tu ſatis dignus es, ut eſt [6] Tullianum illud, propter quem Theſpiæ viſantur. Vale.

1. *Crinis in rotæ ſpecimen barba*] Utrumque inter priſci cultus delicias, lege cautum Levitici XIX. *οὐ ποιήσετε σισόην ἐκ τῆς κόμης τῆς κεφαλῆς ὑμῶν. οὐδὲ φθερεῖτε τὴν ὄψιν τοῦ πώγωνος ὑμῶν.* Hoc eſt, interprete Hieronymo: *Non in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam*: quemadmodum, inquit Heſychius lib. VI in Leviticum, hi facere conſueverunt, qui barbaticas ſtudent comas.

2. *Polemio*] Præfecto prætorio Galliarum cujus & Araneolæ ſponſæ luſerat epithalamium carmine XV. in quo quidem, atque in epiſtola nuncupatoria, de Polemii doctrina philoſophandique ſtudio permulta.

3. *Cum Veſpaſiano mihi*] Verba ſunt Claudii civilis Batavorum principis apud Tacitum lib. V. hiſtoriarum, ſed paullo aliter a Tacito concepta, *Erga Veſpaſianum*, inquit, *vetus mihi obſervantia, & cum privatus eſſet, amici vocabamur*.

4. *Et nos aliquod nomenque*] Fuerat enim præfectus urbi: cujus dignitatis ac magiſteriæ militum, par erat prærogativa prætorianæ, L. I. cod. Theod. de præfectis prætorio, ſive urbis, & magiſtris militum.

5. *Elaphio*] Quidam *Eriphio*. Rogatus ab Elaphio Sidonius, ut ad dedicandam eccleſiam veniret, quam ille in quodam caſtello Ruthenicæ diœceſis exſtruxerat, operam ſpondet: quia nimirum epiſcopus Ruthenis eo tempore nullus erat, ut docet epiſtola VI. lib. VII. Ad Elaphium eſt Ruricii epiſt. VII. lib. II.

6. *Tullianum illud*] Libro IV. in Verrem. *Praxiteles Cupidinem fecit, illum, qui eſt Theſpiis: propter quem Theſpiæ viſuntur. Nam alia viſendi cauſſa nulla eſt.* Idem tradit Strabo lib. IX. *Αἱ δὲ Θεσπίαι πρότερον μὲν ἐγνωρίζοντο διὰ τὸν ἔρωτα Πραξιτέλους, ὃν ἔγλυψε μὲν ἐκεῖνος, ἀνέθηκε δὲ ἡ ἑταίρα Θεσπιεῦσι. πρότερον μὲν γὰρ ὀψόμενοί τινες τὸν ἔρωτα ἀνέβαινον ἐπὶ τὴν θέαν, ἄλλως οὐκ οὖσαν ἀξιοθέατον.*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.

EPISTOLA XVI.

Sidonius [1] *Ruricio suo salutem.*

ACcepi per Paterninum paginam vestram, quæ plus mellis an salis habeat, incertum est. Ceterum eloquii copiam hanc præfert, hos olet flores, ut bene appareat, non vos manifesta modo, verum etiam furtiva quoque lectione proficere. Quamquam & hoc furtum quod deprecaris, exemplati libelli, non venia tam debeat respicere, quam gloria. Quid tu enim facias absque virtute, qui nec ipsa peccata sine laude committis? Ego vero quidquid impositum est fraudis mihi utpote absenti, libens audio, principalique pro munere amplector, qui quodammodo damnum indemne toleravi. Neque enim quod tuo accessit usui, decessit hoc nostræ proprietati; aut ad incrementa scientiæ vestræ per detrimenta venistis alienæ. Quin potius ipse jure ab hinc uberi præconio non carebis; qui magis igneo ingenio naturam decenter ignis imitatus es, de quo si quid demere velis, remanet totus qui transfertur. Unde jam parce trepidare, deque moribus amici plusculum recto secus credere. Namque in hoc facto nos magis vulnus polluit culpæ, si feriat ictus invidiæ. Vale.

EPISTOLA XVII.

Sidonius [2] *Arvogasti suo salutem.*

EMinentius amicus tuus, domine major, obtulit mihi, quas ipse dictasti, litteras litteratas, & gratiæ trifariam renidentis cultu refertas: quarum utique virtutum caritas prima est, quæ te coegit in nobis, vel peregrinis, vel jam latere cupientibus, humilia dignari: tum verecundia, cujus instinctu dum immerito trepidas, merito prædicaris: tertia urbanitas, qua te ineptire facetissime allegas, & Quirinalis impletus fonte facundiæ, potor Mosellæ Tiberim ructas: sic barbarorum familiaris, quod tamen nescius barbarismorum: par ducibus antiquis lingua, manuque: sed quorum dextera solebat non minus stilum tractare, quam gladium. Quocirca sermonis pompa Romani, si qua adhuc uspiam est, Belgicis olim sive Rhenanis abolita terris, in te resedit: quo vel incolumi, vel perorante, etsi apud limitem ipsum Latina jura ceciderunt, verba non titubant. Quapropter alternum salve rependens, granditer lætor, saltem in illustri pectore A tuo vanescentium litterarum remansisse vestigia: quæ si frequenti lectione continuas, experiere per dies, quanto antecellunt belluis homines, tanto anteferri rusticis institutos. De paginis sane quod spiritalibus vis ut aliquid interpres improbus garriam, justius hæc postulabuntur a sacerdotibus loco propinquis, ætate grandævis, fide claris, opere vulgatis, ore promtis, memoria tenacibus, omni denique meritorum sublimium dote potioribus. Namque ut antistitem civitatis vestræ relinquam, consummatissimum virum, cunctarumque virtutum conscientia & fama juxta beatum, multo opportunius de quibuscumque quæstionibus tibi interrogantur inclyti Galliarum patres & protomystæ, nec satis positus in longinquo B Lupus, nec parum in proximo Auspicius: quorum doctrinæ abundanti eventilandæ, nec consultatio tua sufficit. Proinde quod super hac precum parte non parui, benignus quidem, sed & justus ignosce: quia si vos imperitiam fugere par est, me quoque decet vitare jactantiam. Vale.

EPISTOLA XVIII.

Sidonius Lucontio suo salutem.

OBlivisceris quod rogaris, eque contrario, si quid injungas, ex asse meministi repetere. Perlongum est, de cito reditu quæ tu, tuique pro- C miseritis mihi, meisque: quorum omnium non sunt vel minima completa. Quin potius, cum fugam a nobis machinaremini, quo reversuros ad sacrum pascha vos putaremus, nullæ graves sarcinæ ad prædium ex oppido ductæ, nulla serraca, nulla esseda subvehendis oneribus attrahebantur. Utque de matronalium partium nil querar fraude, quas cum expeditis tulistis impedimentis, tuque fraterque communis [3] Volusianus, vix singulorum clientum puerorumque comitatu ambiebamini: per quod sollicitudinem prosequentum vana mox recurrendi spe fefellistis: certe frater Volusianus: qui forte pergens in prædia Bajocassina, totamque provinciam [4] Lugdunensem secundam pervagaturus, exspectationem no- D stram specie brevioris itineris elusit. Et nunc tu ipse sic multis contra fidem diebus otiabundus, ais tibi, si quas postea luserim metro nugas, mitti oportere. Annuo injunctis, quia dignus es, ut talia legas. Nam carmen ipsum quod nunc e manibus elabitur, tam rusticanum est tamque impolitum, ut me non illud ad villam, sed potius e villa mittere putes. [5] Basilicam sancti pontificis confessorisque Martini, Perpetuus episcopus, dignissimus tanto præ-

1. *Ruricio*] Cujus & Iberiæ conjugis epithalamium cecinit carmine XI. episcopo postea Lemovicensi. Is enim est, cujus paucis ab hinc annis ex S. Galli bibliotheca editi sunt duo libri epistolarum, quas partim episcopus, partim ante episcopatum scripsit. In illis sunt aliquot ad Sidonium, atque in his octava, cui Sidonius hoc loco respondet. Eidem & alias scribit lib. V. & VIII. nondum episcopo.

2. *Arvogasti*] Ex Sidonii verbis docemur Arbogastem stilum inter arma tractasse, domo Bel am fuisse, habitasseque ad Mosellam, non procul ab Auspicio, Tullensium videlicet Leucorum episcopo: cujus nuperrime ad Arbogastem edita est epistola, quæ hæc omnia confirmat. Docet enim Arigii filium fuisse, comitem Treverorum, e stirpe Arbogastis alterius Franci, qui comes fuit Valentiniani junioris. Barbaros ergo quibuscum versabatur, Francos interpretor, qui jam tum in Belgica prima dominabantur; antistitem civitatis episcopum Trevirensem; Lupum vero Tricassinum, ad quem non semel Sidonius.

3. *Volusianus*] Frater Sidonii: ad quem lib. VIII. epist. XVII.

4. *Lugdunensem secundam*] Lugdunenses provinciæ Sidonii ævo quatuor erant, totidemque in Notitia imperii describuntur: quæ ad nostram hanc ætatem antiquas retinent metropoles. Primæ caput Lugdunum, de qua lib. V. epist. VII. Secundæ Rotomagus, cui subest civitas Bajocassium hoc loco. Tertiæ Turoni, quæ nominatur in epistola Leonis Bituricensis, aliorumque episcoporum: *Ne clericis expetant sæcularia judicia, ad episcopos provinciæ Ter-* E *tiæ*. Sic enim ex antiquis exemplaribus ibi legendum est, non *Thraciæ*, ut vulgo legitur inter epistolas Leonis papæ, quibus hæc parum caute inserta est, cum ejus non sit. Quartæ metropolis Senones, unde Senonia appellatur lib. VII. epist. V. & in Notitia de Tractu Armoricano. Ceterum Lugdunenses provinciæ, cum primum dividi cœperunt, duæ tantum fuere: post quatuor factæ, a Theodosio, ut conjicio. Nam a Rufio Festo duæ tantum numerantur, nec plures ab Ammiano Marcellino, qui Turones in secunda Lugdunensi collocat, Senones in prima: ut satis appareat tertiam ex secunda, quartam ex prima natam esse.

5. *Basilicam sancti pontificis*] De hac S. Martini basilica quam Perpetuus Turonum episcopus condidit, remota vetere parvula, quam Briccius ædificarat, agit Gregorius Turon. lib. II. cap. XIV. & lib. X. in elencho episcopo-

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.



decessore successor, multum priori, quæ fuit hactenus, capaciorem novavit. Magnum est, ut ferunt, opus nominandumque; quod in honorem talis viri factum, talis vir fecisse debuerit. Hujus me parietibus inscribere supra dictus sacerdos hoc epigramma compellit, quod recensebis; ut est in his quæcumque deposcit privilegio caritatis imperiosissimus. Atque utinam molis illius pompam, sive donaria, nil A hujus obsequii turpet oblatio: quod secus fore plurimum timeo. Nisi forsitan inter omnia venusta sic epigrammatis istius fœditas placeat, ut niger nævus candido in corpore: qui quidem solet sic facere risum, quod accipere suffragium. Sed quid hinc amplius? pone fistulas ipse pastorias, & elegiæ nostræ, quia pede claudicat, manum porrige.

Martini corpus, totis venerabile terris,
In quo post vitæ tempora vivit honor,
Texerat heic primum plebejo machina cultu,
Quæ confessori non erat æqua suo:
Nec desistebat cives onerare pudore
Gloria magna viri, gratia parva loci.
Antistes sed qui numeratur [1] sextus ab ipso,
Longam Perpetuus sustulit invidiam:
Internum removens modici penetrale sacelli,
Amplaque tecta levans exteriore domo.
Creveruntque simul, valido tribuente patrono,
[2] In spatiis ædes, conditor in meritis:
Quæ Salomoniaco potis est confligere templo,
Septima quæ mundo fabrica mira fuit.
Nam gemmis, auro, argento si splenduit illud,
Istud transgreditur cuncta metalla fide.
Livor abi mordax, absolvanturque priores,
Nil novet, aut addat garrula posteritas.
Dumque venit Christus, populos qui suscitet omnes,
Perpetuo durent culmina Perpetui.

Obtulimus, ut cernis, quod cantilenæ recentis obviam manui fuit: sed nec hoc minus, si moras nectis, astra quatiemus, versibus quoque satyrographis, si res exegerit, usuri: quos huic carmini lenitate adæquandos falso putabis. Namque efficacius, citius, ardentius natura mortalium culpat aliqua, quam laudet. Vale.

EPISTOLA XIX.

Sidonius Florentino suo salutem.

ET moras nostras, & silentium accusas: utrumque purgabile est: namque & venimus & scribimus. Vale.

EPISTOLA XX.

Sidonius Domitio suo salutem.

TU cui frequenter arma & armatum & armatos inspicere jocundum est; quam voluptatem B putamus mente conciperes, si [3] Sigismerem regium juvenem, ritu atque cultu gentilitio ornatum, utpote sponsum, seu petitorem, prætorium soceri expetere vidisses? Illum equus quidem phaleris comtus, immo equi radiantibus gemmis onusti antecedebant, vel etiam subsequebantur: cum tamen hoc magis ibi decorum conspiciebatur, quod præcursoribus suis, sive pedissequis, pedes & ipse medius incessit, flammeus cocco, rutilus auro, lacteus serico, tum cultui tanto, coma, rubore, cute concolor. Regulorum autem, sociorumque comitantum forma & in pace terribilis: quorum pedes primi perone setoso talos adusque vinciebantur; genua, crura, suræque sine tegmine. Præter hoc vestis alta, stricta, C versicolor, vix appropinquans poplitibus exsertis, manicæ sola brachiorum principia velantes, viridantia saga limbis marginata puniceis: penduli ex humero gladii balteis supercurrentibus strinxerant clausa bullatis latera rhenonibus. Eo quo comebantur ornatu, muniebantur: lanceis uncatis, securibusque missibilibus dextræ refertæ, clypeis lævam partem adumbrantibus, quorum lux in orbibus nivea,

rum. Ejus parietibus Perpetui rogatu varia diversorum poetarum inscripta fuerunt epigrammata: quæ olim collecta, nunc etiam in plerisque Sulpicii Severi codicibus ad vitæ S. Martini calcem adjecta reperiuntur: atque inter alia Sidonianum hoc, quod nobilissimo basilicæ loco, id est in abside incisum notant, in quam S. Martini corpus fuerat translatum: deinde alterum Paullini Petrocorii *supra ostium basilicæ a parte Ligeris*; quod versibus constat xxv. hoc modo:

Quisque solo adclinis mersisti in pulvere vultum,

& qui sequuntur. Editi enim sunt sub finem librorum VI. de vita Martini, sed sine titulo: de quibus & Paullinus ipse scribit in epistola ad Perpetuum. Sunt præterea ibidem Martini Dumiensis versiculi: ii scilicet, quos *super ostium a parte meridiana* adjectos postea fuisse, auctor est idem Gregorius lib. V. cap. xxxvii.

1. *Sextus ab ipso*] Sextum a Martino Perpetuum dixit, quia Justinianum, opinor, & Armentium numerat qui Briccio pulso sedem ejus tenuerunt; quos in episcoporum indiculo præterit Gregorius: proinde quartum illic a Martino statuit Perpetuum. At lib. II. alium calculum secutus quintum facit.

2. *Ædes in spatiis*] Hanc sæpe caussam adscribunt, qui antiquis ædificiis nova substituunt: quod videre est in Christianis monumentis antiquarum inscriptionum. Nolæ autem in suburbana S. Felicis ecclesia quam Paullinus episcopus condidit, restant hodieque versus quos Paullini ipsius esse plerique judicant, renovata ab eo, ut est in D Natali X. basilica compositos.

Parvus erat locus ante, sacris angustus agendis.
Supplicibusque negans pandere posse manus.
Nunc populo spatiosa sacris altaria præbet
Officiis, medii martyris in gremio.
Cuncta Deo renovata placent, novat omnia semper
Christus, & in cumulum luminis amplificat.
Sic & dilecti solium Felicis honorans,
Et splendore simul protulit & spatio.

3. *Sigismerem regium juventm*] Gothum ne, Francum, an Burgundionem, non satis exploratum. Illud certum est, Sigismerem hunc, contra quam viro docto visum sit, diversum esse a Sigismere comite Athalarici regis Italiæ, cujus mentio apud Senatorem lib. VIII. epist. II. tum quia loca & tempora discrepant, tum quia comitem illum regio sanguine ortum fuisse nihil est quod suadeat.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 472.

fulva in umbonibus, ita censum prodebat, ut studium. Cuncta prorsus hujusmodi, ut in actione thalamorum non appareret minor Martis pompa, quam Veneris. Sed quid hæc pluribus? Spectaculo tali sola præsentia tua defuit. Nam cum spectarem quæ tibi pulcra sunt non te videre, ipsam eo tempore desiderii tui impatientiam desideravi. Vale.

EPISTOLA XXI.

Sidonius Apro suo salutem.

Est quidem princeps in genere monstrando partis paternæ prærogativa: sed tamen multum est quod debemus & matribus. Non enim a nobis aliquid exilius fas est honorari, quod pondera illarum, quam quod istorum semina sumus. Sed originis nostræ definiendæ materia vel ratio sit penes physicos: nos unde hæc ista præmisimus persequamur. [1] Heduus pater tibi, mater Arverna est. Primis Heduis deberis: ergo non solis, vel propter illud exemplum nostri Maronis, quo teste Pallas sic habitus Arcas, quod pariter & Samnis, in Mezentium movere potuisset, ut peregrinus, arma Hetruscorum, ni mixtus matre Sabella, partem quoque patriæ inde traxisset. Ecce habes magnum maximo auctore documentum, quod patriæ pars computanda sit & regio materna: nisi poetas, & cum ab historia non recedunt, mentiri existimabis. Igitur Arverni si portionem tui saltim vicissim jure sibi vendicant, patienter admitte querimoniam desiderantum; qui tibi per unius oris mei officium, non unius pectoris profudere secretum. Quos palam & coram dicere puta, Quid in te mali tantum, ingrate, commisimus, ut per tot annos quondam humum altricem nunc velut hosticum solum fugias? Heic incunabula tua fovimus: heic vagientis infantiæ lactentia membra formavimus: heic civicarum bajulabare pondus ulnarum. Hinc [2] avus Fronto blandus tibi, sibi severus, qui exemplo esse potuisset his quos habemus nos in exemplo: hinc avia Auspicia, quæ tibi post tuæ matris orbata decessum, dependit una curam duarum. Sed & matertera tua hinc, & hinc fuit sanctior sanctis Frontina virginibus, quam verebatur mater, pater venerabatur, summæ abstinentiæ puella, summi rigoris, ac fidei ingentis, sic Deum timens, ut ab hominibus timeretur. Heic te imbuendum liberalibus disciplinis, grammatici, rhetorisque studia florentia monitu certante foverunt: unde tu non tam mediocriter institutus exsistis, ut tibi liceat Arvernos vel propter litteras non amare. Taceo [3] territorii peculiarem jocunditatem: taceo illud æquor agrorum, in quo sine periculo quæstuosæ fluctuant in segetibus undæ: quod industrius quisque quo plus frequentat, hoc minus naufragat: via-
A toribus molle, fructuosum aratoribus, venatoribus voluptuosum; quod montium cingunt dorsa pascuis, latera vinetis, terrena villis, saxosa castellis, opaca lustris, aperta culturis, concava fontibus, abrupta fluminibus: quod denique hujusmodi est, ut semel visum advenis, multis patriæ oblivionem sæpe persuadeat. Taceo civitatem ipsam, tui semper sic amantissimam, ut soli nobilium contubernio præferre nil debeas: cui tu manu injecta feliciter raptus inserebare: sicque omnes præsentiæ vestræ voluptas, quod tamen nullum satias cepit. Jam quid istic de re familiari tua dicam, cujus hic status est, ut tuam expensam hoc sit facilius toleratura, quod crebrius? Nam dominus agricola si larem heic foveat, sic facit
B sumtum, quod auget & reditum. Hæc unus tibi omnium, certe bonorum civium voto, petitu, vice garrio: qui cum tanto honore te poscant, tanto amore desiderent, intelligi datur, gaudii plus te, dum tribuis quod rogaris, assequuturum. Vale.

EPISTOLA XXII.

Sidonius [4] Leoni suo salutem.

Vir magnificus Hesperius, gemma amicorum litterarumque, nuper urbe cum rediit e Tolosatium, præcipere te dixit, ut epistolarum curam, jam terminatis libris earum, converteremus ad sti-
C lum historiæ. Reverentia summa, summo & affectu, talem atque tantam sententiam amplector: idoneum quippe pronuntias ad opera majora, quem mediocria putas deserere debere. Sed quod fatendum est, facilius audeo hujusmodi suspicere judicium, quam suscipere consilium. Res quidem digna quam tu juberes: sed non minus digna quam faceres. Namque & antiquitus, cum C. Cornelius C. Secundo paria suasisset, ipse postmodum quod injunxit arripuit: idque ab exemplo nunc melius aggrederis: quia & ego Plinio ut discipulus assurgo, & tu vetusto genere narrandi jure Cornelium antevenis; qui sæculo nostro si revivisceret, teque qualis in litteris & quantus habeare, conspicaretur, modo verius Taci-
D tus esset. Itaque tu molem thematis missi recte capessis, cui præter eloquentiam singularem, scientiæ ingentis magna opportunitas. Quotidie namque per potentissimi consilia regis, totius solicitus orbis, pariter ejus negotia & jura, fœdera & bella, loca, spatia, merita cognoscis. Unde quis justius se se ad ista succinxerit, quam ille, quem constat gentium motus, legationum varietates, facta ducum, pacta regnantum, tota denique publicarum rerum secreta didicisse? quique præstanti positus in culmine, non necesse habet, vel supprimere verum, vel concinnare mendacium? At nostra longe conditio dispar, quibus dolori peregrinatio nova, nec usui lectio ve-

1. *Heduus pater tibi, mater Arverna*] Hedui Arvernis ut sedibus vicinis, ita multis sæpe privatis publicisque fœderibus conjuncti. Fidem faciat vetus ara marmorea, quæ Genio Arvernorum a Suavi quondam Æduo posita, in Ricomagi nostræ suburbano Mausiacensi cœnobio restat his verbis.

GENIO ARVERNORUM
SEX. ORCIUS SUAVIS
ÆDUUS.

2. *Avus Fronto*] Hic idem videri potest, quod non facile affirmarim, Fronto comes, gemina legatione functus ad Suevos in Hispaniam, primum sub Valentiniano, deinde sub Avito. Utriusque meminit Idacius noster: prioris anno XI. Martiani, posterioris triennio post, his verbis: *Per Avitum Augustum Fronto comes legatus mittitur ad Suevos: similiter & a rege Gothorum Theuderico, quia fidus Romano esset imperio: ut quia uno essent pacis fœdere copulati, jura fœderis promissa servarent.*

3. *Territorii jocunditatem*] Inferioris Arverniæ nostræ, quæ peculiari vocabulo Lemane dicta. Hujus ubertatem
E multis etiam versibus ornat in panegyrico Aviti. Certat enim Lemanici agri amœnitas cum fecunditate. Sed amœnitatis famam testantur Childeberti regis verba, quæ recitat Gregorius, & ipse Arvernus, lib. III. cap. IX. *Dicere*, inquit, *erat solitus rex, Velim umquam Arvernam Lemanem, quæ tantæ jocunditatis gratia refulgere dicitur, oculis cernere.*

4. *Leoni*] Consiliario Eurici regis Gothorum, & velut quæstori: hoc enim significant, quæ ad eumdem scribit lib. VIII. epist. III. Quantus præterea vir fuerit eloquentiæ ac poeticæ studiis, jurisque civilis eximia cognitione, multis passim locis prædicat Sidonius. Item Ennodius in vita Epiphanii, de hujus agens legatione ad Euricum: *Erat*, inquit, *ea tempestate consiliorum principis & moderator & arbiter, Leo nomine, quem per eloquentiæ meritum non una jam declamationum palma susceperat: qui cum summo gaudio adventum pontificis indicavit notitiæ publicæ.* Sed & superstes Eurico Leo: idem quoque munus obiit in aula Alarici filii: cujus item consiliarius a Gregorio dicitur lib. I. Miraculorum cap. XCII.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.

tuſta: tum religio profeſſioni eſt, humilitas appetitui, mediocritas obſcuritati: nec in præſentibus rei tantum, quantum in futuris ſpei locatum. Poſtremo languor impedimento; jamque vel ſero propter hunc ipſum deſidia cordi æquæva. Certe jam ſuper ſtudiis nulla laus curæ, ſed ne poſtuma quidem: præcipue gloriam nobis parvam ab hiſtoria petere fixum: quia per homines clericalis officii temerarie noſtra, jactanter aliena, præterita infructuoſe, præſentia ſemiplene, turpiter falſa, periculoſe vera dicuntur. Eſt enim hujuſmodi thema, vel opus, in quo bonorum ſi facias mentionem, modica gratia paratur; ſi notabilium, maxima offenſa. Sic ſe ille protinus dictioni color, odorque ſatyricus admiſcet. Ilicet ſcriptio hiſtorica videtur ordine a noſtro multum abhorrere, cujus inchoatio invidia, continuatio labor, finis eſt odium. Sed tunc iſta proveniunt, clericis ſi aliquid dictetur auctoribus, qui colubrinis oblatratorum molaribus fixi, ſi quid ſimpliciter edamus, inſani; ſi quid exacte, vocamur præſumtioſi. At ſi tu ipſe, cui datum eſt ſaltibus gloriæ proterere poſſe cervices vituperonum, ſeu ſupercurrere, materiæ iſtius libens provinciam ſortiare: nemo te celſius ſcripſerit, nemo antiquius, etiam ſi placeat recentia loqui: quandoquidem ſermonum copia impletus ante, nunc rerum, non reliquiſti cur venenato morſu ſecere. Atque ideo te in poſterum conſuli utilitas, audiri voluptas, legi auctoritas erit. Vale.

EPISTOLA XXIII.

Sidonius [1] *Proculo ſuo ſalutem.*

Filius tuus, immo communis, ad me cucurrit; qui te relicto deliquiſſe ſe mæret, obrutus pœnitendi pudore transfugii. Igitur audito culpæ tenore, corripui latitabundum verbis amaris, vultu minaci, & mea quidem voce, ſed vice tua: dignum abdicatione, cruce, culeo clamans, ceteriſque ſuppliciis parricidalibus. Ad hæc ille confuſus irrubuit, nil impudenti excuſatione deprecatus errorem: ſed ad cuncta convictum cum redarguerem, verecundiæ junxit comites lacrymas, ita profluas ubertimque manantes, ut ſecuturæ correctioni fidem fecerint. Rogo ergo ſis clemens in ſe ſevero: & dominum ſequens, non habeas te judice reum ſe profitente damnabilem: quem ſi inaudita genera pœnarum jubeas inexoratus excipere, non poteſt amplius per te dolore, quam per ſe pudore torqueri. Libera metu deſperationem ſuam, libera confidentiam meam,

A & pietatis paternæ neceſſitate, ſi bene interpretor, te quoque abſolve, qui conficeris occulto, quod filius publico mærore conficitur: cui feciſſe me conſtat plurimum injuriæ; ſi tu tamen vel parum feceris: quam certe ut ſpero non facies, niſi ſcopulis durior duras, aut adamantibus rigidior perſeveras inſecabilibus. Ergo ſi de moribus tuis deque amicitiis juſte meliora præſumo, excuſato propitius indulge: quem reconcilians fore fidelem conſtanter in poſterum ſpondeo; quoque velociter culpa ſoluto, ego beneficio ligor: magnopere depoſcens, non ut ignoſcas modo, verum ut & protinus, & revertentem non domo ſolum, ſed & pectore admittas. Deus magne! quam lætus orietur tibi dies, mihi B nuntius, animus illi, cum paternis pedibus affuſus, ex illo ore læſo, ore terribili convicium exſpectans, oſculum exceperit. Vale.

EPISTOLA XXIV.

Sidonius Turno ſuo ſalutem.

Bene nomini, bene negotio tuo congruit Mantuani illud:

Turne, quod optanti divum promittere nemo
Auderet, volvenda dies en attulit ultro.

Pecuniam pater tuus Turpio, vir tribunitius, mutuam pridem, ſi recordaris, [2] a Maximo Palatino C poſtulavit, impetravitque: nil quidem loco fiduciæ pignoriſque, vel argenti ſequeſtrans, vel obligans prædiorum: ſed, ut chirographo facto docetur, cauta centeſima eſt feneratori: quæ per biluſtre producta tempus [3] modum ſortis ad duplum adduxit. Sed cum pater tuus morti propinquæ morbo incumbente ſuccumbetet; atque ob hoc ipſum publica auctoritas male valentem patremfamilias violentius ad reformandum debitum arctaret, nec ſuſtineri valeret improbitas exſequutorum; proficiſcenti mihi Toloſam, jam deſperatus litteris imperavit, ut me rogante creditor veſter modicas ſaltem largiretur inducias. Precibus orantis citus annui: quia cum Maximo mihi non notitiæ ſolum, verum & hoſpitii vetera D jura. Igitur ad amicum libens ex itinere perrexi, quamquam villa non paucis aggere a publico milibus abeſſet. Ut veni, occurrit mihi ipſe, quem noveram anterius corpore erectum, greſſu expeditum, voce liberum, facie liberalem, multum ab antiquo diſſimilis inceſſu. Habitus viro, gradus, pudor, color, ſermo religioſus: tum [4] coma brevis, barba prolixa, tripodes ſellæ, cilicum vela foribus appenſa, lectus nil habens plumæ, menſa nil purpuræ,

1. *Proculo*] Ejuſdem eſt argumenti cum epiſtola Plinii XXII. lib. III. niſi quod Plinius pro liberto Sabinianum patronum, Sidonius pro filio patrem exorat.

2. *A Maximo Palatino*] Ex eorum genere, opinor, qui ſacris aut privatis largitionibus militabant, & in provincias a comitibus dirigi ſolebant, L. I. cod. Theod. De Palatinis ſacrarum largitionum & rerum privatarum.

3. *Modum ſortis ad duplum*] Uſura centeſima duodecim nummos ſingulis annis peragit in centenos. Fuerint ergo centum aurei Turpioni hac lege dati a Maximo: uſura in decennium producta cum capite conficiet ducentos vicenos: quæ ſumma duplum ſortis non æquat modo, ſed ſuperat. Verum Sidonius, ut viri docti obſervarunt, excurrentis ſupra duplum ſummæ rationem non habuit, quia ſciebat uſuras communes ſupra duplum nec deberi, nec exigi poſſe, L. XXVI. D. de condit. indeb. & L. IV. D. de fenore nautico. Cujus legis meminit Plutarchus, ſed privatæ, Aſianis a Lucullo impoſitæ. τοὺς μακροτέρους, inquit, τῷ ἀρχαίῳ τόκους ἀπέκοψεν. Meminit & Diodorus lib. II. Antiquit. Ægyptiis olim latæ a Bocchoride: *τοὺς μετὰ ξυγγραφῆς δανείσαντας ἐκώλυε διὰ τοῦ τόκου πλεῖον ποιεῖν ἢ διπλάσιον. Eos qui ex ſyngrapha fenerarent, vetuit amplius quam duplum ſortis uſura conficere.*

4. *Coma brevis, barba prolixa*] Obſervare licet in his verbis veterem cultum cleri Gallicani, ac totius eccleſiæ occidentalis: ubi comam fluentem ſtatim ponebant, qui ſe militiæ ſacræ accinxerant. Prudentius de ſancto Cypriano:

Deflua cæſaries compeſcitur ad breves capillos.

Et manent hujus moris veſtigia in ſacro ritu quo fiunt E clerici. Epiſcopus enim quos cooptat, iis capillorum cinnos hinc inde delibat, quæ prima tonſura nominatur, & tonſi olim ejus gradus clerici. Olim enim re vera tondebantur, nec poſtea integrum erat comam alere. Synodus Agathenſis can. XV. *Clerici qui comam nutriunt, ab archidiacono etiam ſi noluerint, inviti detondeantur.* Inde concilii IV. Carthaginienſis can. XLIV. *Clericus nec comam nutriat, nec barbam radat*, vel ut alii veteres libri legunt, *tondeat.* Barbam igitur alebant, ut hodieque Græci, & Latini non pauci: ut prorſus non capiam, quod ſcribit Gregorius VII. ad Judicem Caralitanum lib. IX. epiſt. X. *Totius occidentalis eccleſiæ clerum ab ipſis eccleſiæ Chriſti primordiis barbam radendi morem tenuiſſe.* Latini tamen poſtea barbam plerique raſitarunt. Idque diſcrimen Græci, Latinique cleri: quod religioni noſtræ nihil officere accurate differit ſynodus Lemovicina: in cujus actis diei ſecundæ recitantur canones ſynodi Bituricenſis, quorum ſeptimus clericos omnes tonſuram eccleſiaſticam habere jubet, hoc eſt barbam raſam, & coronam in capite. Adeo variæ hac etiam in parte vices temporum fuerunt.

humanitas ipsa sic benigna, quod frugi, nec ita carnibus abundans, ut leguminibus. Certe si quid in cibis unctius, non sibi sed hospitibus indulgens. Cum surgeremus, clam percontor adstantes, quod genus vitæ de tribus arripuisset ordinibus; [1] monachum ageret, an clericum, pœnitentem ne? dixerunt, nuper impacto sacerdotio fungi, quo recusantem factiose ligasset civicus amor. Luce revoluta, dum pueri clientesque capiendis animalibus occuparentur, secretæ collocutionis peto copiam. Præstat: amplector nil opinantem, gratularique me primum pro sui status apice confirmo, tum consequentes misceo preces. Turpionis nostri rogata profero, allego necessitates, extrema deploro, quæ duriora mærentibus amicis hinc viderentur, quod fenore ligatus corpore solveretur: meminisset ergo professionis suæ novæ, sodalitatis antiquæ, exactorumque circumlatrantum barbaram instantiam indultis tantisper induciis moderaretur: & si decessisset æger, tribueret heredibus annui luctus tempus immune: si, quod optarem, pristinam Turpio salutem recuperasset, indulgeret exhausto per otium facultatem convalescendi. Adhuc rogabam, cum repente vir totius caritatis flere granditer cœpit non moram debiti, sed periculum debitoris: frenatoque singultu, Absit a me, inquit, ut hæc reposcam clericus ab ægro, quæ vix petissem miles a sospite. Sed & liberos ejus ita diligo, ut etiam si quid adversum cesserit amico, nil sim ab his amplius postulaturus, quam mei officii ratio permittit. Quapropter scribe solicitis: quoque credant plus litteris tuis, meas junge, quisquis ille fuerit languoris eventus (quem tamen fratri prosperum optamus) quod & annuum solutioni spatium prorogabo, & superpositam medietatem quæ per usuræ nomen accrevit, indulgeam, sola simpli restitutione contentus. Egi ad hæc gratias, Deo maximas, hospiti magnas, qui sic amaret tam suam famam, quam conscientiam: confirmans amicum præmittere sibi, quod dimitteret vobis: atque hinc superna regna mercari, quod beneficia terrena non venderet. Ergo quod restat, enitere, ut auctore te protinus saltim commodata summa solvatur: sic ut ingentes nihilominus gratias agas etiam nomine illorum, qui tibi germanitate conjuncti, fors per ætatem sapere non possunt quid muneris consequantur. Non est cur dicere incipias, Habeo consortes, necdum celebrata divisio est; avarius constat me esse tractatum, quam coheredes; frater & so-A ror sub annis adhuc tutelaribus agunt; necdum sorori maritus, fratri necdum curator, curatori necdum satisdator inventus est: quod quidem totum creditoribus bene, sed malis dicitur. At cum habet talis persona contractum, quæ velit medium relaxare, cum totum possit exigere; si moram patitur quidquid propter misericordiam concesserat pie, juste reposcit propter injuriam. Vale.

EPISTOLA XXV.

Sidonius [2] Domnulo suo salutem.

NEqueo differre, quin grandis communione te B gaudii festinus impertiam: nimirum nosse cupientem, quid pater noster in Christo, pariter & pontifex Patiens, [3] Cabillonum profectus, more religionis, more constantiæ suæ fecerit. Cum venisset in oppidum supra scriptum, provincialium sacerdotum prævio partim, partim comitante collegio, scilicet ut municipio summus aliquis antistes ordinaretur: cujus ecclesiæ disciplina nutabat, postquam junior episcopus Paullus discesserat decesseratque: exceperunt pontificale concilium variæ voluntates oppidanorum, nec non & illa, quæ bonum publicum semper evertunt, studia privata; quæ quidam triumviratus accenderat competitorum: quorum hinc antiquam natalium prærogativam reliqua C destitutus morum dote ructabat: hic per fragores parasiticos, culinarum suffragio comparatos, Apicianis plausibus ingerebatur: hic apice votivo si potiretur, tacita pactione promiserat ecclesiastica plausoribus suis prædæ prædia fore. Quod ubi viderunt sanctus Patiens & sanctus Euphronius, qui rigorem firmitatemque sententiæ sanioris, præter odium gratiamque, primi tenebant; consilio cum coepiscopis prius clam communicato, quam palam prodito, strepituque despecto turbæ furentis, jactis repente manibus arreptum, nihilque tum minus quam quæ agebantur optantem suspicantemque, sanctum Joannem, virum honestate, mansuetudine insignem (lector hic primum, sic minister altaris, D idque ab infantia; post laborum temporumque processu, archidiaconus; in quo seu gradu, seu ministerio multum retentus propter industriam, diu dignitate non potuit augeri, ne potestate posset absolvi) attamen hunc [4] jam secundi ordinis sacerdotem, dissonas inter partium voces, quæ differe-

1. *Monachum ageret, an clericum, pœnitentem ne*] Facit Sidonii dubitatio, ut intelligamus, brevem comam, barbam prolixam, monachis ac pœnitentibus fuisse cum clericis communem. De monachis docet Hilarius Arelatensis in vita Honorati: *Rediguntur ad breves capillos luxuriantes comæ, transfertur ad nitorem mentis vestium splendor, cervicis lacteæ decus palliis rigentibus occupatur:* quibus verbis monachum designat. Item Salvianus lib. VIII. *Intra Carthaginis muros palliatum, & pallidum, & recisis comarum fluentium jubis usque ad cutem tonsum videre populus* E *vix poterat*: id est monachum. De pœnitentibus autem, comam itidem tondere solitos, constat ex canone XV. synodi Agathensis, & can. XII. synodi III. Toletanæ, lib. V. capitularium LII. Gregorio Turon. lib. VI. cap. LVII. *Caput*, inquit, *totondit, atque pœnitentiam accipiens spiritum exhalavit*. Inde est quod in Onirocriticis legitur, *ἐάν τις ἴδῃ ὅτι ἐκάρθασε τὴν κεφαλὴν αὐτῦ ὡς ἐν τύπῳ μοναχῦ, μετανοήσει οὗτος, ἢ ἀποβαλεῖ θλῖψιν.*

2. *Domnulo*] Afro, viro docto, & ob litteras quæstorio: quorum alterum docent epist. XIII. & XV. lib. IX. alterum epistola ad Polemium, quæ præcedit ejus Epithalamium. Domnulum etiam inter eos qui scriptis suis claruere, numerat auctor vitæ Hilarii Arelatensis. Vox est *ὑποκοριστικὸν*, a domno seu domino. Salvianus epistola ad Hypatium: *Illa ego vestra Palladia, vestra gracula, vestra domnula: cum qua his tot vocabulis quondam indulgentissima pietate lusistis*.

3. *Cabillonum profectus*] Vetus ecclesiæ mos erat in episcopis constituendis, ut quem clerus ecclesiæ & utriusque ordinis populus delegisset, hunc sibi collegisque provincialibus qui convenerant, probatum metropolitanus episcopum renuntiaret. Leo episcopis Galliæ de electione Ravennii: *Quod ergo*, inquit, *in Arelatensi civitate defuncto beatæ memoriæ Hilario, virum etiam nobis probatum, fratrem Ravennium, secundum desideria cleri honoratorum & plebis unanimiter consecrastis, bonum fraternitatis vestræ opus nostro judicio roboramus*. Idem ad episcopos Viennensis provinciæ: *Per pacem & quietem qui præfuturi sunt postulentur. Teneatur subscriptio clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus & plebis: qui præfuturus est omnibus, ab omnibus deligatur*. Convenerant ergo Patiens metropolitanus Lugdunensis, Euphronius episcopus Augustodunensis, aliique provinciales ut rite ex more agerent. Qui cum diversa nacti essent civium studia, ipsi episcopum inter se delegerunt, quem populus renuntiatum susciperet.

4. *Jam secundi ordinis sacerdotem*] Hoc est presbyterum, qui secundi ordinis & proximi post episcopum est gradus, ut dictum est ad epistolam XI. de Claudiano. Joannes, inquit, cum diu in archidiaconi gradu detentus fuisset propter industriam, jam tamen aucta dignitate presbyter erat, cum electus est in episcopum. Archidiaconorum ordo & gradus olim alius non erat, quam diaconorum. Quare cum presbyteri fiebant, archidiaconatu defungebantur, quod ex antiquis omnibus historiis perspicuum est. Ideo canones qui ordines sacros archidiaconis indicunt, non alium quam diaconatum præscribunt. Synodus Arvernica Urbani II. can. III. *Ut nullus fiat decanus in ecclesia nisi*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.



bant laudare non ambientem, sed nec audebant culpare laudabilem; stupentibus factiosis, erubescentibus malis, acclamantibus bonis, reclamantibus nullis, collegam sibi consecravere. Nunc ergo [1] Jurensia si te remittunt jam monasteria in quæ libenter solitus ascendere, jam cælestibus supernisque præludis habitaculis, gaudere te par est de communium patrum vel patronorum, seu sic sentiente concordia, seu sic concordante sententia. Illius quo- A que nomine exsulta, quem creaverunt Euphronius testimonio, Patiens manu, ambo judicio. In quo fecit Euphronius quod conveniret non senectutis modo suæ, verum etiam dignitatis longævitati: fecit & Patiens vir quamlibet magnis par tamen laudibus, quod satis decuit facere personam, quæ caput est [2] civitati nostræ per sacerdotium, provinciæ vero vestræ per civitatem. Vale.

presbyter, nullus archidiaconus nisi Levita. Laxata exinde disciplina usus obtinuit, ut archidiaconatus etiam presbyteris deferretur.

1. *Jurensia monasteria*] Quæ in Jura monte crebra. Gregorius Turon. in vita Lucipicini & Romani: *Illa Jurensis deserti secreta, quæ inter Burgundiam Alamanniamque sita Aventicæ adjacent civitati*. Horum facile princeps monasterium S. Eugendi, quod S. Claudii postea nuncupatum. Ut autem hæc Jurensia, sic Jurenses reges Flodoardo in Chronico dicti Rodulphus & Conradus, qui in illo Burgundiæ tractu imperabant.

2. *Civitati nostræ*] Lugduno cujus caput Patiens, quia episcopus: per civitatem vero, quia Lugdunum metropolis est provinciæ, idem quoque caput totius provinciæ B primæ Lugdunensis. Lugdunum porro civitas & patria Sidonii: ejus episcopus, cum hæc scriberet, Patiens, quem propterea initio epistolæ suum in Christo patrem vocat.



C. SOLLII
APOLLINARIS SIDONII
ARVERNORUM EPISCOPI,
EPISTOLARUM
LIBER V.

EPISTOLA I.

Sidonius [1] Petronio suo salutem.

AUdio quod lectitandis epistolis meis voluptuosam patientiam impendas. Magnum hoc est, & litterarum viro convenientissimum, cum studiis ipse maximis polleas, ea & in aliis etiam minima complecti. Sed ex hoc ipso consummatissima tibi gloria reponderatur: nam satis eminet meritis ingenii proprii, qui fuerit fautor alieni. Commendo Vindicium necessarium meum, virum religiosum, & Leviticæ dignitati quam nuper indeptus est, accomodatissimum. Qui meis e pugillaribus transferre quæ jusseras non vacans, per quam provinciam fuit, hic vobis aliquid næniarum munusculi vice detulit: quamquam quæ tua sanctitas, semper grandia litteras nostras præmia putes. Interea necessitatem præfati portitoris insinuo, quem D traxit isto negotii oborti bipartita conditio. Siquidem hac definitione perrexit, ut aut ineat litem, aut adeat hereditatem. Nam patrueli paterno cælibi intestatoque defuncto, per agnationis prærogativam succedere parat; nisi tamen cœptis factiosa vis obviet. Contra quas tamen cunctas difficultates, solus post opem Christi supplici tuo sufficis: cujus confido, quod si meruerit persona gratiam, consequetur caussa victoriam. Vale.

EPISTOLA II.

Sidonius Nymphidio suo salutem.

[2] LIbrum de statu animæ, tribus voluminibus illustrem, Mamertus Claudianus, peritissi- C mus Christianorum philosophus, & quorumlibet primus eruditorum totis sectatæ philosophiæ membris, artibus, partibusque comere & excolere curavit, novem quas vocant Musas, disciplinas aperiens esse, non feminas. Namque in paginis ejus vigilax lector inveniet veriora nomina Camœnarum, quæ propriam de se sibi pariunt nuncupationem. Illic enim & grammatica dividit, & oratoria declamat, & arithmetica numerat, & geometria metitur, & musica ponderat, & dialectica disputat, & astrologia prænoscit, & architectonica struit, & metrica modulatur. Hujus lectionis novitate lætatus, excitatusque maturitate, raptim recensendam transferendamque, ut videras, petisti, ut petieras impetrasti, sub sponsione citæ redhibitionis. Nec me falli, nec te fallere decet. Tempus est commodata restitui: quia liber ipse si placuit, debuit exhibere satietatem; si displicuit, debuit movere fastidium. Tu autem quidquid illud est, fidem tuam celeriter absolve: ne si repetitum libellum serius reddere paras, membranas potius videaris amare, quam litteras. Vale.

EPISTOLA III.

Sidonius Apollinari suo salutem.

PAr erat quidem garrulitatem nostram silentii vestri talione frenari. Sed quoniam perfecta dilectio non tam debet recolere quid officiorum solvat, quam meminisse quid debeat; etiam nunc la-

1. *Petronio*] Arelatensis fori togato, quem Romam cum aliis legatum vidimus in caussa Arvandi lib. I. epist. VII. Huic ergo ut jurisconsulto commendat Vindicium ecclesiæ suæ diaconum, cujus iterum meminit *lib.* VII. epist. IV.

2. *Librum de statu animæ*] De quo, ejusque auctore Claudiano, multa epist. II. & III. lib. IV.

xatis verecundiæ habenis obsequium alloquii impudentis iteramus. A Cujus improbitas vel hinc maxime dignoscitur, quod tacetis. Ergo ne quid tempore hostilitatis ageretis, frater, nosse non merui? Dissimulastis trepido pro vobis amico vel securitatem prodere, vel timorem? Quid est aliud, si requirenti tuas supprimis actiones, quam suspicari eum qui tui solicitus exsistat, aut certe non gavisurum compertis prosperis, aut tristem, si diversa cesserint, non futurum? Facessat hæc a bonis moribus impietatis opinio, & a candore suo vera caritas nævum tam miseræ suspicionis eliminet. Namque, ut Crispus vester affirmat. Idem velle, atque idem nolle, ea demum firma amicitia est. Interea si vel vos valetis, bene est. B Ego autem infelicis conscientiæ mole depressus, vi febrium nuper extremum salutis accessi; utpote cui indignissimo tantæ professionis pondus impactum est: qui miser [1] ante compulsus docere, quam discere, & ante præsumens bonum prædicare, quam facere, tamquam sterilis arbor, cum non habeam opera pro pomis, spargo verba pro foliis. Quod restat, orate, ut operæ pretium sit, quod ab inferna propemodum sede remeavimus: ne si in præteritis criminibus manserimus, incipiat ad animæ potius mortem pertinere, quod vivimus. Ecce quod agimus, indicavimus; ecce adhuc quid agatis, inquirimus. Fit a nostra parte quod pium est: vos deinceps facite quod videtur. C Illud sane velut Atticas leges ita ære credite incisum, nos sub ope Christi numquam admissuros amoris terminum, cujus studuimus fundare principium. Vale.

EPISTOLA IV.

Sidonius Simplicio suo salutem.

QUod non recepi scripta qui miseram, imputo amicitiæ, sed deputo plus pudori. Nam, nisi præter equum autumo, ut salutatio mihi debita dissimularetur, non illud contumacia, sed verecundia fuit. At si ulterius paginæ garrienti forem claudis, pessulum opponis; D quieti quidem tuæ non invitus indulgeo, sed non procul a te reos meos inventurum me esse denuntio. Nam totam silentii vestri invidiam verti non injurium est ad superbiam filiorum, qui se diligi sentientes, quoddam patiuntur de nostra sedulitate fastidium: quos monere pro patria auctoritate debetis, ut contractæ apud nos offensæ amaritudinem politis affatibus dulcare non desinant. Vale.

EPISTOLA V.

Sidonius [2] Syagrio suo salutem.

CUm sis consulis pronepos, idque per virilem successionem; (quamquam id ad caussam subjiciendam minus attinet) cum sis igitur e semine poetæ, cui procul dubio statuas dederant litteræ, si trabeæ non dedissent: quod etiam nunc auctoris culta versibus verba testantur, a quo studia posterorum, ne parum quidem, quippe in hac parte, degeneraverunt: immane narratu est, quantum stupeam sermonis te Germanici notitiam tanta facilitate rapuisse. Atqui pueritiam tuam competenter scholis liberalibus memini imbutam, & sæpe numero acriter eloquenterque declamasse coram oratore, satis habeo compertum. Atque hæc cum ita sint, velim dicas, unde subito hauserunt pectora tua euphoniam gentis alienæ; ut modo mihi post ferulas lectionis Maronianæ, postque desudatam varicosi Arpinatis opulentiam loquacitatemque, [3] quasi [4] de Hilario vetere novus falco prorumpas? Æstimari minime potest, quanto mihi ceterisque sit risui, quoties audio, quod te præsente formidet facere linguæ suæ barbarus barbarismum. Adstupet tibi epistolas interpretanti curva Germanorum senectus, & negotiis mutuis arbitrum te disceptatoremque desumit. Novus Burgundionum Solon in legibus disserendis; novus Amphion in citharis, sed tricordibus temperandis, amaris, frequentaris, expeteris, oblectas, eligeris, adhiberis, decernis, audiris. Et quamquam æque corporibus ac sensu rigidi sint indolatilesque, amplectuntur in te pariter & discunt sermonem patrium, cor Latinum. Restat hoc unum, vir facetissime, ut nihilo segnius, vel cum vacabit, aliquid lectioni operis impendas, custodiasque hoc, prout es elegantissimus, temperamentum, ut ista tibi lingua teneatur, ne ridearis; illa exerceatur, ut rideas. Vale.

EPISTOLA VI.

Sidonius [5] Apollinari suo salutem.

CUm primum æstas decessit autumno, & Arvernorum timor potuit aliquantisper ratione temporis temperari, Viennam veni: ubi Thaumastum germanum tuum, quem pro jure vel sanguinis vel ætatis, reverenda familiaritate complector, mæstissimum inveni. Qui quamquam recenti cælibatu granditer afficiebatur, pro te tamen parum minus anxius erat. Timebat enim verebaturque, ne quam tibi calumniam turbo barbaricus, aut militaris concinnaret improbitas. Namque confirmat [6] magistro militum Chilperico, victoriosissimo vi-

E

1. *Ante docere quam discere*] Ambrosius in re pari, hoc est in auspiciis impacti episcopatus, lib. I. de officiis ministrorum. *Cum jam effugere non possimus officium docendi, quod nobis refugientibus imposuit sacerdotii necessitudo.* Et post alia: *Ego enim raptus de tribunalibus atque administrationis infulis ad sacerdotium, docere vos cœpi quod ipse non didici. Itaque factum est, ut prius docere inciperem, quam discere.*

2. *Syagrio*] Afranii Syagrii olim consulis pronepoti, a quo etiam, sed genere materno, ex filia ortus Tonantius, lib. I. epist. VII. Ad hunc vero iterum scribit lib. VIII. epist. VIII. Syagrii Lugdunenses fuere. Nam Syagrii consulis sepulcrum Lugduni, epist. XII. hujus libri: & ex eadem gente Syagria, quam ecclesiæ thesaurum appellat Ennodius in Epiphanio, Lugduni florebat sub Gundobaldo rege Burgundionum: apud quos & hic Syagrius in pretio. Itaque quod Symmachus lib. I. epistolarum Syagrium consulem trans Alpes habitasse significat, de Lugduno intelligendum est.

3. Petrus Colvius ex ms. Claromontensi: *quasi de Syagrio vetere novus Franco prorumpas?*

4. *De Hilario vetere novus falco*] Sic libri plerique: alii varie *barilao* vel *barilio*, ut difficile sit statuere quid potissimum scripserit Sidonius. Sensus est, Ut videaris mihi ex avi patria in exoticam mutatus, ex Gallica in Germanicam. Pari elegantia Ruricius lib. I. epist. III. ad Hesperium, ex Arione in Orpheum repente mutari dixit, pro eo quod est, doctum subito fieri ex rustico. *Scilicet*, inquit, *tam consuetudinis meæ immemor, quam rusticitatis oblitus, quasi ex Arione in Orpheum repente mutatus, velim disertissimis auribus tuis ore garrulo non tam officiosus quam injuriosus exsistere.*

5. *Apollinari*] Thaumasti fratri, Sidonii consanguineo.

6. *Magistro militum Chilperico*] Burgundionum regi, Clo-

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.

ro, relatu venenato quorumpiam sceleratorum fuisse secreto insusurratum, tuo præcipue machinatu, [1] oppidum Vasionense [2] partibus novi principis applicari. Si quid hinc tibi, tuisque suspicionis incutitur, raptim doce recursu familiarium paginarum; ne vobis sollicitudinis aut præsentiæ meæ opportunitas pereat. Curæ mihi peculiariter erit, si quid tamen cavendum existimabis, ut te faciat aut gratia impetrata securum, aut explorata iracundia cautiorem. Vale.

EPISTOLA VII.

Sidonius Thaumasto suo salutem.

INdagavimus tandem, qui apud [3] tetrarcham nostrum germani tui, & e diverso partium, novi principis amicitias criminarentur, si tamen fidam sodalium sagacitatem clandestina delatorum non fefellere vestigia. Hi nimirum sunt, ut idem coram positus audisti, quos se jam dudum perpeti inter clementiores barbaros Gallia gemit. Hi sunt, quos timent etiam qui timentur. Hi sunt, quos hæc peculiariter provincia manet inferre calumnias, deferre personas, afferre minas, auferre substantias. Hi sunt, quorum laudari audis in otio occupationes, in pace prædas, inter arma fugas, inter vina victorias. Hi sunt, qui caussas morantur adhibiti, impediunt prætermissi, fastidiunt admoniti, obliviscuntur locupletati. Hi sunt, qui emunt lites, vendunt intercessiones, deputant arbitros, judicanda dictant, dictata convellunt, attrahunt litigaturos, protrahunt audiendos, trahunt addictos, retrahunt transigentes. Hi sunt, quos si petas etiam nullo adversante beneficium, piget promittere, pudet negare, pœnitet præstitisse. Hi sunt, quorum comparationi digitum tollerent [4] Narcissus, Asiaticus, Massa, Marcellus, Carus, Parthenius, Licinus & Pallas. Hi sunt, qui invident tunicatis otia, stipendia paludatis, viatica veredariis, mercatoribus nundinas, munuscula legatis, portoria quadruplatoribus, prædia provincialibus, [5] flamonia municipibus, arcariis pondera, mensuras allectis, salaria tabulariis, dispositiones numerariis, prætorianis sportulas, civitatibus inducias, vectigalia publicanis, reverentiam clericis, originem nobilibus, consessum prioribus, congressum æqualibus, cinctis jura, discinctis privilegia, scholas instituendis, mercedes instituentibus, litteras institutis. Hi sunt, qui novis opibus ebrii, ut & minima cognoscas, per utendi intemperantiam produnt imperitiam possidendi. Nam libenter incedunt armati ad epulas, albati ad exsequias, pelliti ad ecclesias, pullati ad nuptias, [6] castorinati ad litanias. Nullum illis genus hominum, ordinum, temporum, cordi est. In foro Scythæ, in cubiculo viperæ, in convivio scurræ, in exactionibus harpyiæ, in collocutionibus statuæ, in quæstionibus bestiæ, in tractatibus cochleæ, in contractibus trapezitæ: ad intelligendum saxei, ad judicandum lignei, ad succensendum flammei, ad ignoscendum ferrei, ad amicitias pardi, ad facetias ursi, ad fallendum vulpes, ad superbiendum tauri, ad consumendum minotauri. Spes firmas in rerum motibus habent, dubia tempora certius amant, & ignavia pariter conscientiaque trepidantes, cum sint in prætoriis leones, in castris lepores, timent fœdera, ne discutiantur; bella, ne pugnent. Quorum si nares afflaverit uspiam rubiginosi aura marsupii, confestim videbis illic & oculos Argi & manus Briarei, & Sphingarum ungues, & perjuria Laomedontis, & Ulyssis argutias, & Sinonis fallacias, & fidem Polymnestoris, & pietatem Pygmalionis adhiberi. His moribus obruunt virum non minus bonitate, quam potestate præstantem. Sed quid faciat unus undique venenato vallatus interprete? Quid inquam faciat, cui natura cum bonis, vita cum malis est? Ad quorum consilia Phalaris cruentior, Mida cupidior, Ancus jactantior, Tarquinius superbior, Tiberius callidior, Cajus periculosior, Claudius socordior, Nero impurior, Galba avarior, Otho audacior, Vitellius sumtuosior, Domitianus truculentior redderetur. Sane quod principaliter medetur afflictis, temperat [7] Lucumonem nostrum Tanaquil sua, & aures mariti virosa susurronum fæce completas oppor-

tildis nostræ, ut reor, patri. Quatuor hoc tempore Burgundionibus reges imperabant, Gundobaldus, Gundegisclus, Chilpericus & Gundomarus, Gundeuci, ut Gregorius lib. II. cap. XXVIII. docet, filii, ejus qui post Gundicarium ab Aetio cæsum, regnum obtinuit cum altero Chilperico fratre: quorum meminit Jornandes in rebus Geticis. Itaque ambigi posset de utro Chilperico agat Sidonius, nisi epistola sequenti tetrarcham appellaret, quatuor fratres designans qui simul regnabant. Jam quod Chilpericum hunc non regem, sed magistrum militum vocat, eo more facit, quo Sigismundum Gundobaldi filium Alcimus Avitus patricium, Hilarus papa Gunduicium seu Gundeucum, aut, ut est apud Jornandem, Gundiacum horum quatuor patrem, magistrum item militum appellat, in epistola ad Leontium episcopum Arelatensem.

1. *Oppidum Vasionense*] Quod Vasio Vocontiorum Pomponio Melæ & Plinio, *Οὐασίων* Ptolemæo. Posterior ætas Vasense dixit pro Vasionensi. Sed Vocontiorum fines olim in provincia Viennensi latissime patuerunt. Plinii verba sunt lib. III. cap. IV. *Vocontiorum civitatis fœderatæ duo capita, Vasio & Lucus Augusti: oppida vero ignobilia* XIX. At Luci hodie nomen obscurum & jam olim a Fabii Valentis exercitu incendio deformatum narrat Tacitus lib. I. historiæ. Clarior fama urbis Deensis, quæ Colonia Dea Augusta Vocontiorum dicitur in lapide Arelatensi. Fuit & Mons Seleucus inter oppida Vocontiorum, Magnentiana clade nobilis: sed cujus nomen apud omnes ferme depravatum est. Nam apud Socratem Μιλωσέλευκος legitur, apud Sozomenum Μοντιοσέλευκος: alibi Μῦρος Σέλευκος: vera appellatio quam historia tripartita retinet, Mons Seleuci, Lucum inter & fines Vocontiorum, ac Vapincum, ut ex Itinerariis Æthici ac Burdigalensi videre est. Tridui plus minus itinere abest Lugduno. Quare ad montem Seleuci referendum est, quod Mursæ hac in parte tribuit Socrates lib. II. cap. XXVII.

2. *Partibus novi principis*] Non dubium quin novum principem appellet, qui Romæ cœperat imperare: sed quemnam intelligat, in tanta principum quæ tum paucis annis accidit, mutatione & varietate non liquet.

3. *Tetrarcham nostrum*] Chilpericum, qui Lugduni rerum potiebatur, diviso tunc in quatuor regna Burgundionum imperio.

4. *Narcissus, Asiaticus*] Cæsariani omnes liberti, pravo ingenio, delationumque infamia clari: Narcissus, Pallas & Licinius Claudii Augusti; Massa, Marcellus & Carus Neronis; Asiaticus Vitellii; Parthenius Domitiani: de quibus Seneca, Persius, Juvenalis, Martialis, Tacitus, Plinius uterque, Svetonius & Dio.

5. *Flamonia municipibus*] Flaminia, flaminum sacerdotia. Flamonii vocem pro flaminio agnoscunt veteres glossæ, & inscriptio Albæ Juliæ.

L. FL. VALENS
OB HONOREM
FLAMONII
B. P. D.

Id flaminicum munus dicitur in alia inscriptione antiqua. Flamines autem in municipiis fuisse constat, & peculiariter municipiis tributos, ut provinciis sacerdotes. Drepanius Pacatus in panegyrico, *reverendos municipali purpura flamines, insignes apicibus sacerdotes*. Novella Martiani XV. *Ne flamini municipali, sacerdoti provinciæ liceret habere uxorem ancillam.*

6. *Castorinati*] Castorina, seu fibrina veste amicti. Isidorus originum XIX. *Fibrinum*, inquit, *lana castorum, & fibrina vestis, tramam de fibri lana habens, castorina.* Ambrosius de dignitate sacerdotii: *Castorinas quærimus & sericas vestes: & ille se inter episcopos credit altiorem, qui vestem induerit clariorem.* Eodem spectant lutrinæ pelles in Carolo Eginarthi.

7. *Lucumonem Tanaquil*] Chilpericum regem uxor. Quia Lucumonis, hoc est Tarquinii Prisci, uxor fuit Tanaquil,

tunitate falsi sermonis eruderat. Cujus studio scire A vos par est; nihil interim quieti fratrum communium apud animum communis patroni [1] juniorum Cibyratarum venena nocuisse, neque quidquam (Deo propitiante) nocitura; si modo quamdiu præsens potestas [2] Lugdunensem Germaniam * regit, nostrum suumque Germanicum præsens Agrippina moderetur. Vale.

EPISTOLA VIII.

Sidonius [3] Secundino suo salutem.

DIu quidem est, quod te hexametris familiarius inservientem stupentes prædicantesque lectitabamus. B Erat siquidem materia jocunda, seu nuptiales tibi thalamorum faces, sive perfossæ regiis ictibus feræ describerentur. Sed triplicibus trochæis nuper in metrum hendecasyllabum compaginatis nihil ne tuo quidem judicio simile fecisti. Deus bone! quid illic inesse [4] fellis, leporis, piperatæquæ facundiæ minime tacitus inspexi? nisi quod ferventis fulmen ingenii, & eloquii salsa libertas, plus personis forte, quam caussis impediebantur: ut mihi non figuratius Constantini domum vitamque videatur, vel pupugisse versu gemello [5] consul Ablavius, vel momordisse, disticho tali clam palatinis foribus appenso.

Saturni aurea sæcla quis requirat?
Sunt hæc gemmea, sed Neroniana.

Quia scilicet prædictus Augustus, iisdem fere temporibus, exstinxerat [6] conjugem Faustam calore balnei, filium Crispum frigore veneni. Tu tamen nihilo segnius operam saltem facetis satyrarum coloribus intrepidus impende. Nam tua scripta, [7] nostrorum vitiis proficientibus tyrannopolitarum, locupletabuntur. Non enim tam mediocriter intumescunt, quos nostra judicia, sæcula, loca, fortunatos putant; ut de nominibus ipsorum quandoque reminiscendis sit posteritas laboratura. Namque improborum probra, æque ut præconia bonorum, immortalia manent. Vale.

EPISTOLA IX.

Sidonius Aquilino suo salutem.

IN meo ære duco, vir omnium virtutum capacissime, si dignum tu quoque putas, ut quantas habemus amicitiarum caussas, tantas habeamus ipsi amicitias. Avitum est quod reposco: testes mihi in præsentiarum avi nostri super hoc negotio [8] Apollinaris & Rusticus advocabuntur; quos laudabili familiaritate conjunxerat litterarum, dignitatum, periculorum, conscientiarum similitudo: cum [9] in

C

figurate hæc nomina transfert ad Chilpericum & uxorem: ut paullo inferius, Germanici & Agrippinæ nominibus eosdem designat, quia Agrippina uxor fuit Germanici patris Caligulæ.

1. *Juniorum Cibyratarum*] Qui moribus referant fratres illos Tlepolemum & Hieronem e Cybiris Ciliciæ, quorum opera usus Verres in deprædanda Sicilia. De his Cicero VI. Verrina. Urbis vero nomen corrumpunt, qui aliter scribunt vel enuntiant. Sic enim Cybyratarum ipsorum nummus antiquus, in quo scriptum est ΚΙΒΥΡΑΤΩΝ. & Cibyratica civitas recte apud Tacitum IV. Annalium.

2. *Lugdunensem Germaniam*] Sic appellat Lugdunensem regionem, in qua Burgundiones Germani dominabantur. Nihil Sidonio familiarius, quam in Germanorum nomine ludere, cum de Burgundionibus est sermo, qui ex Germania, ut dixi, prodierant. Supra epist. V. *curva Germanorum senectus*. Carmine XII. *& Germanica verba sustinentem*. Germaniam sane partem illam Galliæ quam Burgundiones occuparant, quæ proprio dehinc nomine Burgundia nuncupata est, eo modo dici licuit, quo Britanniam D Insulam scimus Saxoniam Transmarinam a nonnullis scriptoribus interdum vocitatam, ab Anglis qui e Saxonia eo trajecerant.

3. *Secundino*] Lugdunensi, cujus ut poetæ jam mentio fuit lib. II. epist. X.

4. In aliquibus ms. *mellis*.

5. *Consul Ablavius*] Nondum consul fuerat, sed quinto post anno consulatum cum Basso gessit, anno imperii Constantini XXV. Crispum autem a patre necatum anno XX. Græci fere ac Latini auctores consentiunt. Ablavii porro versuum in Constantinum unus omnium veterum meminit Sidonius.

6. *Conjugem Faustam, filium Crispum*] Ordo præposterus. Nam Crispum prius occidit, deinde Faustam. Veneni autem Crispo dati solus auctor est Sidonius, & post Sidonium Gregorius Turonicus. Cetera fuse, sed quod solet odio Constantini, Zosimus lib. II. Historia Hippolyti & Phædræ fabulis simillima. De qua cum multi varia narrent, haud scio quam exploratum videri possit, quod in collectaneis antiquis Θεαμάτων urbis Constantinopolitanæ, quæ in multis bibliothecis occurrunt, memini me legere, Constantinum Crispo filio a se interfecto, cum facti errorisque dolore ictus esset, statuam argenteam auro superfusam, capite aureo, cum hoc titulo posuisse, ΗΔΙΚΗΜΕΝΟΣ ΥΙΟΣ ΜΟΥ, *filius meus injuria læsus*. Cujus rei vindices laudant Herodotum atque Hippolytum chronographos.

7. *Nostrorum tyrannopolitarum*] Burgundionum. Distrinxerat Secundinus (sic enim nostra est conjectura) satyricum dentem in tetrarchas illos fratres de quibus ante dictum est. Nota autem sunt omnibus tragica funera regiæ domus: in qua Gundobaldus duorum fratrum sanguine manus imbuit, Chilperici & Gundemari, quorum ipse armis regni parte antea fuerat ejectus: Chilperici etiam conjugem Sidonio supra laudatam aquis obruit. Hoc igitur est argumentum, quod comparat cum Constantiniano. Scimus ad hæc ex Ennodii Epiphanio, Gundobaldum post hæc facinora Lugduni, Gundegisclum fratrem Genavæ regni solium habuisse.

8. *Apollinaris & Rusticus*] De Apollinaris Sidonii avi præfectura prætorio Galliarum, docuit nos ejus epitaphium lib. III. epist. XII. Rusticus autem Aquilini avus, est Decimius Rusticus is, quem scripserat Renatus Frigeridus, ex magistro officiorum præfectum item ab iisdem tyrannis creatum fuisse post Apollinarem. Ita par utriusque dignitas. De morte, idem Frigeridus apud Gregorium Turon. lib. II. cap. IX. *Iisdem*, inquit, *diebus præfectus tyrannorum Decimius Rusticus, Agroetius ex primicerio notariorum Jovini, multique nobiles, apud Arvernos capti a ducibus Honorianis, & crudeliter interemti sunt* post debellatam Constantini tyrannidem. Idem præterea Rusticus videtur, quem testatur Olympiodorus apud Photium, in nuptiis Placidiæ & Ataulfi epithalamium cum Attalo & Phœbadio cecinisse.

9. *In Constantino*] Qui e Britannia tyrannidem in Gallias transtulit, sedemque fixit Arelate. Inde ad occupandas Hispanias Constantem filium misit cum Gerontio magistro militum, & Apollinare avo præfecto prætorii. Zosimus lib. VI. *ἐπὶ τούτοις ὁ Κώνστας εἰς τὴν Ἰβηρίαν διέβη, στρατηγὸν μὲν Τερέντιον ἔχων, Ἀπολλινάριον δὲ τῆς αὐλῆς ὕπαρχον*. Idem Zosimus Apollinarem post hæc a Constantino præfectura spoliatum tradit: quæ fortasse est inconstantia, quam notat Sidonius. Hujus porro Constantini consulatus indicium est in lapide Trevirensi, cujus Græcam inscriptionem protulit Josephus Scaliger lib. V. E de Emendatione temporum, hoc modo.

ΕΝΘΑΔΕ ΚΕΙΤΑΙ ΕΥCΕΒΙΑ ΕΝ ΕΙ
ΡΗΝΗ ΟΥCΑ ΙΕΡΟΚΩΜΗΤΙC ΑΠΟ
ΚΩΜΗC ΑΔΔΑΝΩΝ ΖΗCΑCΑ ΜΙ
ΚΡΟΝ ΠΡΟC ΕΤΩΝ ΙΕ. ΥΠΑΤΕΙΑ
ΟΝΩΡΙΟΥ ΤΟ Η. ΚΑΙ ΚΩΝCΤΑΝ
ΤΙΝΟΥ ΤΟ Α. ΜΗΝΙ ΠΑΝΕΜΟΥ
ΙΒ. ΗΜΕΡΑ ΚΙ. Β. ΕΝ ΕΙΡΗΝΗ

Quærit Scaliger, & ignorare se fatetur, quis sit iste Constantinus Honorii collega in VIII. consulatu. [illegible] bium non est, quin hic sit Constantinus tyrannus, qui biennio ante venerat in Gallias, atque his in [illegible] redactis, consulatum ediderat, anno Christi [illegible] gam se Honorio Augusto consuli adscribens, cum quo, ut Olympiodorus Thebæus scribit, concordiam imperiique societatem affectarat.

* Sirmondi notam in hunc locum contra Savaronem confirmat Wesselingius ad *Vett. Romanorum Itiner.* pag. 368.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.



Constantino inconstantiam, [1] in Jovino facilitatem, [2] in Gerontio perfidiam; singula in singulis, omnia [3] in Dardano crimina simul exsecrarentur. Ætateque media, patres nostri sub uno contubernio, vix dum a pueritia, in totam adolescentiam evecti, principi Honorio [4] tribuni notariique militavere, tanta caritate peregrinante, ut inter eos minima fuerit caussa concordiæ, quod filii amicorum commemorabantur. In principatu Valentiniani imperatoris [5] unus Galliarum præfuit parti, alter soliditati. Sed ita se quodam modo tituli amborum compensatione fraterna ponderaverunt, ut prior fuerit fascium [6] tempore, qui erat posterior dignitate. Ventum ad nos, id est, ventum est ad nepotes: quos nil decuerit plus cavere, quam ne parentum antiquorumque nostrorum per nos forte videatur antiquata dilectio. Ad hoc in similem familiaritatem, præter hereditariam prærogativam, multifaria opportunitate compellimur: ætas utriusque non minus juncta, quam patria. Unus nos exercuit ludus, magister instituit: una nos lætitia dissolvit, severitas coercuit, disciplina formavit. De cetero, si Deus annuit, in annis jam senectutis initia pulsantibus, simus, nisi respuis, animæ duæ, animus unus: imbuamusque liberos invicem diligentes, idem velle, nolle, refugere, sectari. Hoc patrum vero jam supra vota, si per Rusticum Apollinaremque, proavorum prædicabilium, tam reformentur corda, quam nomina. Vale.

EPISTOLA X.

Sidonius Sapaudo suo salutem.

SI quid omnino Pragmatius illustris, hoc inter reliquas animi virtutes optime facit; quod amore studiorum te singulariter amat, in quo solo, vel maxime animum advertit, veteris peritiæ, diligentiæque resedisse vestigia. Et quidem non injuria tibi fautor est: nam debetur ab eo percopiosus litteris honor. Hunc olim perorantem & rhetorica sedilia plausibili oratione frangentem, socer eloquens ultro in familiam patriciam adscivit: licet illi ad hoc (ut sileam de genere, vel censu) ætas, venustas, pudor, patrocinarentur. Sed ut comperi, erubescebat jam etiam tunc vir serius & formæ dote placuisse: quippe cui merito ingenii suffecisset adamari: & vere optimus quisque morum præstantius pulcritudine placet. Porro autem prætervolantia corporis decoramenta currentis ævi profectu defectuque labascunt. Hunc quoque manente sententia, Gallis post præfectus [7] Priscus Valerianus, consiliis suis, tribunalibusque sociavit; judicium antiquum perseverantissime tenens, ut cui scientiæ obtentu junxerat sobolem, jungeret & dignitatem. Tua vero tam clara, tam spectabilis dictio est, ut illi divisio [8] Palæmonis, gravitas Gallionis, abundantia Delphidii, Agrœcii disciplina, fortitudo Alcimi, Adelphii teneritudo, rigor Magni, dulcedo Victorii, non modo non superiora, sed vix æquiparabilia scribantur. Sane ne videar tibi sub hoc quasi hyperbolico rhetorum catalogo blanditus quippiam gratificatusque, solam tibi acrimoniam Quintiliani pompamque Palladii comparari non ambigo, sed potius adquiesco. Quapropter si quis post vos Latinæ favet eruditioni, huic amicitiæ gratias agit, & sodalitati vestræ, si quid hominis habet, tertius optat adhiberi. Quamquam quod est gravius, non sit satis ambitus iste fastidium vobis excitaturus, quia pauci studia nunc honorant. Simul & naturali vitio fixum est radicatumque pectoribus humanis, ut qui non intelligunt artes, non mirentur artifices. Vale.

1. *In Jovino*] Qui & ipse purpuram induit, quo tempore Constantinus Arelate obsessus ab Honorii ducibus tenebatur: a quibus itidem cum Sebastiano fratre quem tyrannidis participem fecerat, armis oppressi, Narbone tandem, ut Idacius noster narrat, interfecti sunt.

2. *In Gerontio perfidiam*] Adversus Constantinum & Constantem. Nam cum Gerontio Constans Hispaniam commisisset, ille subito mutata voluntate barbaros concitavit, Maximumque clientem suum regiis insignibus ornatum in Hispania relinquens, trajecto in Galliam exercitu, Constantem Viennæ captum interfecit. Orosius lib. VII. Sozomenus lib. IX. cap. XIII.

3. *In Dardano*] Claudio Postumo Dardano, præfecto prætorio Galliarum: cujus maxime industria Jovinus tyrannus averso ab ejus societate Ataulfo rege oppressus est, ut Tiro Prosper in Chronico tradit: quod etiam confirmat Olympiodorus. Dardani præfecturæ testis est Honorii lex CXVII. cod. Theod. de Decurionibus: & vetus Inscriptio, quæ haud procul Sistarico provinciæ II. Narbonensis cernitur in rupe opere humano divisa, quam vulgo Petram scissam vocant.

CL. POSTUMUS DARDANUS V. INL. ET PATRICIÆ DIGNITATIS. EXCONSULARI PROVINCIÆ VIENNENSIS. EX MAGISTRO SCRINI LIB. EXQUÆST. EXPRÆF. PRÆT. GALL. ET NEVIA GALLA CLAR. ET INL. FEM. MATERFAM. EJUS LOCO CUI NOMEN THEOPOLI EST VIARUM USUM CÆSIS UTRIMQUE MONTIUM LATERIB. PRÆSTITERUNT. MUROS ET PORTAS DEDERUNT. QUOD IN AGRO PROPRIO CONSTITUTUM TUETIONI OMNIUM VOLUERUNT ESSE COMMUNE. ADNITENTE ETIAM V. INL. COM. AC FRATRE MEMORATI VIRI CL. LEPIDO EXCONSULARI GERMANIÆ PRIMÆ. EX MAG. MEMORIÆ EXCOM. RERUM PRIVAT. UT ERGA OMNIUM SALUTEM EORUM STUDIUM ET DEVOTIONIS PUBL: : TITULUS POSS: : OSTENDI.

Egregium insignis operis monumentum: ex quo non solum Dardani & Neviæ Gallæ uxoris nomina didicimus, sed varias præterea ejusdem & Claudii Lepidi fratris dignitates. Dardano item scribunt Hieronymus & Augustinus: sed Augustinus honorum ejus non meminit, Hieronymus duplicem ejus præfecturam commemorat.

4. *Tribuni notariique*] Principis secretarii: qui aditus honorum nobili adolescentiæ. Cassiod. Senator lib. I. Variar. *Pater candidati sub Valentiniano principe gessit tribuni & notarii laudabiliter dignitatem: honor qui tunc dabatur egregiis, dum ad imperiale secretum tales constet eligi, in quibus reprehensionis vitium nequeat inveniri.*

5. *Unus parti, alter soliditati*] Consularem aut præsidem in aliqua provincia Galliæ fuisse oportet patrem Aquilini. Nam Sidonii pater præfectus prætorio toti Galliæ præfuit, lib. VIII. epist. VI.

6. In aliquibus libris *tenore*.

7. *Priscus Valerianus*] Vir præfectorius. Præfectus enim prætorio Galliarum fuerat, in eoque magistratu adsessore usus genero suo Pragmatio. Et jam præfectorius erat Aviti Aug. principatu, ut docet titulus carminis VIII.

8. *Palæmonis*] Horum omnium nihil hodie superest præter declamationes Quintiliani. Palæmonis tamen Hadriani temporum rhetoris meminit Eusebius in Chronico. Gallionis fratris sui Seneca in præfatione quæstionum naturalium. Atticum Tironem Delphidium laudat Ausonius carmine V. Professorum. Idem etiam Censorium Atticum Agrœcium carmine XV. Atticum Hieronymus in Chronico. Adelphii memoria obscurior. Magni oratoris Romani clarior ex epist. XXCIV. Hieronymi, & ex Apologia I. in Rufinum. Victorius fortasse rhetor est Massiliensis, cujus exstant poemata. Palladius is videtur, de quo Symmachus tum aliis locis, tum epist. IX. lib. I. *Movet*, inquit, *novus Athenæi hospes Latiare concilium, divisionis arte, inventionum copia, sensuum gravitate, luce verborum.*

A

EPISTOLA XI.

Sidonius Potentino suo salutem.

MUltum te amamus: & quidem hujusce dilectionis non est erroneus aut fortuitus affectus. Namque ut sodalis tibi devinctior fierem, judicavi. Est enim consuetudinis meæ, ut eligam ante, post diligam. Quænam, inquis, in me tibi probanda placuere? Dicam libenter & breviter: quorum unum fieri gratia, alterum charta compellit. Veneror in actionibus tuis, quod multa bono cuique imitabilia geris. Colis, ut qui sollertissime; ædificas, ut qui dispositissime; venaris, ut qui efficacissime; pascis, ut qui exactissime; jocaris, ut qui facetissime; judicas, ut qui æquissime; suades, ut qui sincerissime; commoveris, ut qui tardissime; placaris, ut qui celerrime; redamas, ut qui fidelissime. Hæc omnia exempla vivendi jam hinc ab annis puberibus meus Apollinaris si sequitur, gaudeo: certe, ut sequatur, admoneo. In quo docendo instituendoque, modo sub ope Christi disposita succedant, plurimum lætor maximam me formulam vitæ de moribus tuis mutuaturum. Vale.

EPISTOLA XII.

Sidonius Calminio suo salutem.

QUod rarius ad vos a nobis pagina meat, non nostra superbia, sed aliena impotentia facit. Neque super his quidquam planius quæras; quippe cum silentii hujus necessitatem par apud vos metus interpretetur. Hoc solum tamen libere gemo, quod turbine diffidentium partium segreges facti, mutuo minime fruimur aspectu. Neque umquam patriæ solicitis offerris obtutibus; nisi forsitan cum ad arbitrium terroris alieni, vos loricæ, nos propugnacula tegunt. Ubi ipse in hoc solum captivus adduceris, ut pharetras sagittis vacuare, lacrymis oculos implere cogaris; nobis quoque non recusantibus, quod tua satis aliud moliuntur vota, quam jacula. Sed quia interdum, & si non per fœderum veritatem, D saltem per induciarum imaginem, quædam spei nostræ libertatis fenestra resplendet: impense flagito, uti nos, cum maxime potes, affatu paginæ frequentis impertias; sciens tibi in animis obsessorum civium illam manere gratiam, quæ oblivisctur obsidentis invidiam. Vale.

EPISTOLA XIII.

Sidonius [1] Pannychio suo salutem.

[2] SEronatum Tolosa nosti redire: si nondum, (& credo quod nondum) vel per hæc disce. Jam Clausentiam pergit Evanthius; jamque contractas operas cogit eruderare, si quid forte dejectu caducæ frondis agger insorduit. Certe si quid voraginosum est, ipse humo advecta scrobibus oppletis trepidus exæquat, utpote belluam suam de valle Tarmis ducaliter antecessurus; musculis similis inter saxosa, vel brevia, balenarum corpulentiam præ- B gubernantibus. At ille sic ira celer, quod piger mole, ceu draco e specu vix evolutus, jam metu exsanguibus Gabalitanis e proximo infertur: quos singulos sparsos, inoppidatos, nunc inauditis indictionum generibus exhaurit, nunc flexuosa calumniarum fraude circumretit; ne tum quidem domum laboriosos redire permittens, cum tributum annuum datavere. Signum & hoc certum est imminentis adventus, quod catervatim, quo se cumque converterit, vincti trahuntur vincula trahentes: quorum dolore lætatur, pascitur fame: præcipue pulcrum arbitratus, ante turpare, quam punire damnandos; crinem viris nutrit, mulieribus incidit: e quibus tamen, si rara quosdam venia respexerit, C hos venalitas solvit, vanitas illos, nullos misericordia. Sed explicandæ bestiæ tali nec oratorum princeps Marcus Arpinas, nec poetarum Publius Mantuanus, sufficere possunt. Proinde quia dicitur hæc ipsa pernicies appropinquare (cujus proditionibus Deus obviet) præveni morbum providentiæ salubritate; contraque lites jurgiosorum, si quæ moventur, pactionibus consule, [3] contra tributa securitatibus: ne malus homo rebus bonorum vel quod noceat, vel quod præstet inveniat. In summa de Seronato vis accipere quid sentiam? Ceteri affligi per supra scriptum damno verentur; mihi latronis & beneficia suspecta sunt. Vale.

EPISTOLA XIV.

Sidonius Apro suo salutem.

[4] CAlenses nunc te Bajæ, & scabris cavernatim ructata pumicibus aqua sulphuris, atque jecorosis ac phthisiscentibus languidis medicabilis piscina delectat. An fortasse montana sedes circum castella; & in eligenda sede perfugii, quamdam pateris ex munitionum frequentia difficultatem? Quidquid illud est, quod vel negotio vacas, in urbem tamen, ni fallimur, [5] rogationum contemplatione revocabere. Quarum nobis solemnitatem primus Mamertus pater

1. *Pannychio*] Bituricensi, viro illustri, ut est in Concione lib. VII.

2. *Seronatum Tolosa*] De quo superius lib. II. epist. I. Tunc Aturribus redibat, nunc Tolosa: utrobique ex aula regis Gothorum, quorum partibus favebat.

3. *Contra tributa securitatibus*] Securitates sunt apochæ: documenta illationum appellat Symmachus lib. X. epist. XLIII. syngraphas nimirum, quas qui tributa solvunt a susceptoribus accipiunt fiduciæ caussa. Cassiodorus canonicario Venetiarum: *Validas contra te apochas invenerunt, invictas securitates illis dedit calamitas sua: violenter abstulis quod quærebas.* Hinc, Primiscrinius securitatum in officio comitis privat.

4. *Calenses Baiæ*] Scripti aliquot libri *Caienses*, alii *Calenses* legunt. Baiæ sunt aquæ calidæ. Et sunt hodie in Arvernis, quæ id nomen vico dederunt: nam calidas aquas patria lingua vocant. In tabula etiam Peutingeri, ut supra dictum est, nominantur Aquæ Calidæ in itinere quod E ab Augustonemeto Lugdunum ducit.

5. *Rogationum*] De institutis a Mamerto Viennensi episcopo rogationibus exstat homilia Alcimi Aviti ejusdem ecclesiæ antistitis, & consentiunt antiqui omnes scriptores. Quare frustra laborant, qui propterea quod litanias supplicationesque ante Mamertum in ecclesia exstitisse legunt, ideo illum rogationum non primum auctorem, sed restauratorem dici volunt. Frustra, inquam. Neque enim quæstio est, an primus litaniarum usum in ecclesiam invexerit, quem constat multo antiquiorem fuisse: sed an eas instituerit, quæ ante ascensionem Domini celebrantur, Rogationesque propria jam voce nuncupantur. In quo, ut dixi, consentiunt omnes, & Sidonii verba *invenit, instituit, invexit*, dubitari non sinunt. Rogationum ergo primus auctor Mamertus. Non solum instituit, ut statæ ac solemnes illis diebus supplicationes essent, sed supplicationum formam usitata sanctiorem augustioremque præscripsit.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.

& pontifex, reverentiſſimo exemplo, utiliſſimo experimento, invenit, inſtituit, invexit. A Erant quidem prius (quod ſalva fidei pace ſit dictum) vagæ, tepentes, infrequenteſque, utque ſic dixerim, oſcitabundæ ſupplicationes; quæ ſæpe interpellantum prandiorum obicibus hebetabantur, maxime aut imbres, aut ſerenitatem deprecaturæ; ad quas (ut nil amplius dicam) figulo pariter atque hortulano non oportuit convenire. In his autem quas ſuprafatus ſummus ſacerdos & protulit pariter & contulit, jejunatur, oratur, pſallitur, fletur. Ad hæc te feſta cervicum humiliatarum, & ſternacium civium ſuſpirioſa contubernia peto: & ſi ſpiritalem animum tuum bene metior, modo citius venies, quod non ad epulas, ſed ad lacrymas evo- B caris. Vale.

EPISTOLA XV.

Sidonius Ruricio ſuo ſalutem.

OFficii ſermone præfato, bibliopolam veſtrum non gratioſe, ſed judicialiter expertus inſinuo: cujus ut fidem in pectore, ſic in opere celeritatem, circa dominum te mihi ſibique communem ſatis abunde probavi. [1] Librum igitur jam ipſe deportat Heptateuchi, ſcriptum velocitate ſumma, ſummo nitore; quamquam & a nobis relectum & retracta- C tum. Defert & volumen prophetarum, licet me abſente decurſum, ſua tamen cura manuque de ſupervacuis ſententiis eruderatum; nec ſemper [2] illo contra legente, qui promiſerat operam ſuam: credo quia infirmitas fuerit impedimento, quo minus pollicita compleret. Reſtat ut exhortatio veſtra, ſive ſponſio, famulum ſic vel ſtudentem placere, vel meritum, gratia competenti remuneretur: quæ utique pro tali labore ſi ſolvitur, incipiet veſtram reſpicere mercedem. Sed cum hoc ego de ſola gratia precer, vos quid mereatur adſpicite, quem conſtat affectum domini magis ambire quam præmium. Vale.

EPISTOLA XVI.

Sidonius [3] Papianillæ ſuæ ſalutem.

RAvenna veniens [4] quæſtor Licinianus, cum primum tetigit, Alpe tranſmiſſa, Galliæ ſolum, litteras adventus ſui prævias miſit, quibus indicat eſſe ſe gerulum codicellorum, quorum in adventu, fratri etiam tuo Ecdicio, cujus æque titulis ac meis gaudes, honor patricius accedit; celerrime, ſi cogites ejus ætatem; ſi merita, tardiſſime. Namque ille jam pridem ſuffragium dignitatis ineundæ non ſolvit in lance, ſed in acie: ærariumque publicum ipſe privatus non pecuniis, ſed manubiis locupletavit. Hoc tamen ſancte Julius Nepos, armis pariter ſummus Auguſtus ac moribus, quod deceſſoris Anthemii fidem, fratris tui ſudoribus obligatam, quo citerior, hoc laudabilior abſolvit; ſiquidem iſte complevit, quod ille ſæpiſſime pollicebatur. Quo fit, ut deinceps pro republica optimus quiſque poſſit ac debeat, ſi quid cuipiam virium eſt, quia ſecurus, hinc avidus impendere: quando quidem mortuo quoque imperatore, laborantum devotioni quidquid ſpoponderit princeps, ſemper redhibet principatus. Interea tu, ſi affectum tuum bene colligo, hiſce compertis, magnum ſolatium inter adverſa maxima capis: nec animum tuum a tramite communium gaudiorum vicinæ quoque obſidionis terror exorbitat. Novi enim probe, ne meo quidem te, quem ex lege participas, ſic honore lætatam: quia licet ſis uxor bona, ſoror quoque optima es. Qua de re, propitio Deo Chriſto, ampliatos proſapiæ tuæ titulos ego feſtinus gratatoriis apicibus inſcripſi, pariter abſolvens ſolicitudinem tuam, fratris pudorem: quem nil de propria dignitate indicaturum, ſi verecundum forte neſcires, nec ſic impium judicares. Ego vero non tantum inſignibus veſtris, quæ tu hactenus quanto liberius, tanto impatientius præſtolabare, (quamquam iis quoque granditer) quantum concordia fruor: quam parem noſtris, ſuiſque liberis in poſterum exopto; votis in D commune depoſcens, ut ſicut nos utramque familiam noſtram præfectoriam nacti, etiam patriciam divino favore reddidimus: ita ipſi quam ſuſcipiunt patriciam, [5] faciant conſularem. Roſcia te ſalutat,

1. *Librum Heptateuchi*] Ut Pentateuchum veteres appellarunt quinque libros Moſis, ita & Triteuchum tres qui proxime ſequuntur, Joſue, Judices & Ruth. Sic enim Athanaſius ad Marcellinum: utroſque vero ſimul junctos, Octateuchum. Ita Caſſiodorus cap. 1. divinarum Inſtitutionum, & Græci omnes quorum ſcripta leguntur εἰς τὴν ὀκτάτευχον. Quia autem Hebræi, ut Epiphanius & Hieronymus obſervant, hiſtoriam Ruth unum in librum cum Judicibus compingunt, inde factum eſt, ut Heptateuchum plerique dixerint pro Octateucho: ut Hieronymus epiſtt. VII. & XXVIII. & Sidonius hoc loco.

2. *Illo contra legente*] Vetus adnotatio in codice Martiani Capellæ, quam integram protuli ad Ennodium lib. I. epiſt XIX. *Felix rhetor emendabam contra legente Deuterio ſcholaſtico diſcipulo meo*. Qui libros ex collatione meliorum codicum emendat, ſocium adhibet qui legat, dum ipſe codicem unum inſpicit. Is contra legere dicebatur. In alio codice Macrobii Theodoſii emendator hæc adnotarat: *Aurelius Memmius Symmachus V. C. emendabam Ravennæ cum Macrobio Plotino Eudoxio*: quibus verbis contra legiſſe Eudoxium ſignificat.

3. *Papianillæ*] Aviti auguſti filiæ, Sidonii uxori ante ſacerdotium, nunc ſorori, ex canonum præſcripto, & perpetua conſuetudine priſcæ eccleſiæ: in qua qui ex conjugio ad ſacerdotium adſciſcebantur, ab uxorum toro ſeparati, non aliter deinceps cum illis quam cum ſororibus verſabantur. Hieronymus epiſt. 1. ad Pammachium: *Epiſcopi, presbyteri, diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe poſt ſacerdotium in æternum pudici*. Fauſtus Reienſis in epiſtola non edita: *Perdit gratiam conſecrati, qui adhuc officium vult exercere mariti*. Qua de re ut canones omittam qui paſſim occurrunt, præclara exſtat Lupi Tricaſſini & Euphronii Auguſtodunenſis epiſcoporum epiſtola quæ morem hunc teſtatur: ſed huic edendæ alius erit locus, Deo adjuvante. Nunc ſatis ſit exemplum Paullini Nolani, cui Teraſia de conjuge facta ſoror, ut in Chronico loquitur Idacius: Germani Antiſiodorenſis, de quo in ejus vita Conſtantius presbyter: *Uxor in ſororem ex conjuge mutatur*: & Leontii epiſcopi Burdegalenſis, de cujus Placidina idem ſcribit Fortunatus: denique Urbici Arvernorum epiſcopi quem narrat Gregorius lib. I. cap. XLIV. multis lacrymis eluiſſe, quod conſuetudinem eccleſiaſti- E cam temere aliquando violaſſet. Quod ergo lege ac more ſancitum, prædeceſſoriſque ſui facto teſtatum meminerat Sidonius, id aut ignorare, aut impune contemnere qui potuit? Et tamen ſunt, qui ex Papianillæ mentione hoc loco fucum fieri poſſe confidant: & quia lib. IV. epiſt. XII. cum Apollinare filio Terentium Menandrumque legit Sidonius epiſcopus, inde filium jam ephebum, jam Græcæ Latinæque linguæ auctoribns initiatum, a patre jam epiſcopo ſuſceptum contendant: quem res ipſa docet epiſtolas omnes Conſtantianæ collectionis, hoc eſt librorum VII. priorum, quas epiſcopus dictavit, in ipſis pæne pontificatus auſpiciis dictaſſe. Sed quid facias hominibus, qui cum veri nihil dicant, ſibi tamen clauſis oculis credi volunt?

4. *Quæſtor Licinianus*] De hujus altero in Galliam adventu jam ſupra ſcripſit lib. III. epiſt. VII. Nunc de codicillis patriciatus, quos Ecdicio comiti attulit a Nepote Auguſto.

5. *Faciant conſularem*] Rectus ordo dignitatum. Nam patriciatus honor medius eſt inter præfecturam & conſu-

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 472.



cura communis: quæ in aviæ amitarumque indulgentissimo sinu, quod raro nepotibus contingit alienis, & cum severitate nutritur: qua tamen tenerum non infirmatur ævum, sed informatur ingenium. Vale.

EPISTOLA XVII.

Sidonius [1] *Eriphio suo salutem.*

Es, Eriphi meus, ipse qui semper: numquamque te tantum venatio, civitas, ager avocat, ut non obiter voluptate litterarum teneare: sitque eo studio, ut nec nostra fastidias, qui tibi, ut scribis, musas olemus. Quæ sententia tamen large probatur B vero carere: quamquam & apparet, aut ex joco venire, si lætus es, aut ex amore, si serius. Ceterum a justo longe resultat, cum mihi assignas, quæ vix Maroni, vix aut Homero competenter accommodarentur. Hæc relinquamus, idque, unde caussa, sermocinemur. Dirigi ad te præcipis versus, quos viri amplissimi soceri tui precibus indulsi: qui contubernio mixtus æqualium, vivit moribus ad jubendum obsequendumque juxta paratis. Sed quia scire desideras & locum & caussam, quo facilius intelligas rem peregrinam, tibi potius vitio verte, quod loquacior erit opere præfatio. Conveneramus ad sancti Justi sepulcrum, sed tibi infirmitas impedimento, ne tunc adesses: processio fuerat antelu- C cana, solemnitas anniversaria, populus ingens sexu ex utroque, quem capacissima basilica non caperet, & quamlibet cincta diffusis crypta porticibus. Cultu peracto vigiliarum, quas alternante mulcedine monachi clericique psalmicines concelebraverant, quisque in diversa secessimus; non procul tamen; utpote ad tertiam præsto futuri, cum sacerdotibus res divina facienda. De loci sane turbarumque compressu, deque numerosis luminibus illatis, nimis anheli: simul & æstati nox adhuc proxima tacito clausos vapore torruerat; & si jam primo frigore tamen autumnalis auroræ detepescebat. Itaque cum passim varia ordinum corpora dispergerentur, placuit ad [2] conditorium Syagrii consulis civium pri- D mis una coire, quod nec impleto jactu sagittæ separabatur. Heic pars sub umbra palmitis adulti, quam stipitibus altatis cancellatimque pendentibus pampinus superducta texuerat; pars cæspite in viridi, sed floribus odoro consederamus. Verba erant dulcia, jocosa, fatigatoria: præterea (quod beatissimum) nulla mentio de potestatibus, aut de tributis: nullus sermo qui proderet, nulla persona quæ proderetur. Fabulam certe referre dignam relatu, dignisque sententiis quisque potuisset: audiebatur ambitiosissime. Nec erat idcirco non distincta narratio, quia lætitia permixta. Inter hæc otio diu marcidis aliquid agere visum. Mox bipertitis, ut erat ætas, acclamationibus afflagitata profertur his E pila, his tabula. Sphæræ primus ego signifer fui, quæ mihi, ut nosti, non minus libro comes habetur. Altera ex parte, frater meus Domnicius, homo

A gratiæ summæ, summi leporis, tesseras ceperat quatiebatque: quo velut classico ad pyrgum vocabat aleatores. Nos cum caterva scholasticorum lusimus abunde, quantum membra torpore statarii laboris hebetata, cursu salubri vegetarentur. Heic vir illustris Philematius, ut est illud Mantuani poetæ:

Ausus & ipse manu juvenum tentare laborem,

sparistarum se turmalibus constanter immiscuit. Pulcre enim hoc fecerat, sed cum adhuc essent anni minores. Qui cum frequenter de loco stantum medii currentis impulsu summoveretur; nunc quoque acceptus in aream, tam pilæ coram prætervolantis, B quam superjectæ, nec intercideret tramitem, nec caveret; ad hoc per catastropham sæpe pronatus, ægre de ruinoso flexu se recolligeret; primus ludi ab accentu se se removit suspiriosus extis incalescentibus. Namque & jecusculi fibra tumente pungebant exercitatum crebri dolores. Destiti protinus & ipse, facturus communione cessandi rem caritatis, ne verecundiam lassitudo fraterna pateretur. Ergo ut resedimus, & illum mox aquam ad faciem petere sudor admonuit, exhibita poscenti est: pariter & linteum villis onustum, quod pridiana squama politum casu sub ipsis ædiculæ valvis bipatentibus de janitoris erecto trochleatim fune nutabat: quo dum per otium genas siccat, Vellem, inquit, ad pannum C similis officii, aliquod tetrastichon mihi scribi juberes. Fiat, inquam. Sed quod meum, dixit, & nomen metro teneret. Respondi possibilia factu quæ poposcisset. Ait & ipse, Dicta ergo. Tunc ego arridens, illico scias Musas moveri, si choro ipsarum non absque arbitris vacem. Respondit ille violenter & perurbane, ut est natura vir flammeus, quidamque facundiæ fons inexhaustus: Vide, domine Solli, ne magis Apollo forte moveatur, quod suas alumnas solus ad secreta solicitas. Jam potes nosse, quem plausum sententia tam repentina, tam lepida commoverit. Nec plus moratus, mox suo scriba qui pugillarem juxta tenebat, ad me vocato, subditum sic epigramma composui. D

Mane novo, seu cum ferventia balnea poscunt,
Seu cum venatu frons calefacta madet.
Hoc foveat pulcher faciem Philematius udam,
Migret ut in bibulum vellus ab ore liquor.

Epiphanius noster vix supra scripta peraraverat, & nuntiatum est, hora monente, progredi episcopum de receptorio: nosque surreximus. Da postulatæ tu veniam cantilenæ. Illud autem ambo, quod majus est, quodque me nuper in quemdam dies bonos male ferentem parabolice, seu figurate dictare jussistis, quodque expeditum cras dirigetur, clam recensete; & si placet, edentes fovete; si displicet, E delentes ignoscitore. Vale.

latum, ut docet Cassiodorus in Formula patriciatus. At consulatus omnium dignitatum apex, κορυφὴ καὶ κεφαλὴ, ut verbis utar Chrysostomi ex oratione εἰς τὴν ἐπιγραφὴν τῶν πράξεων. Ἐν τοῖς βιωτικοῖς, inquit, πράγμασιν εἰσιν ἀρχαὶ πολλαί· οὐ πᾶσαι δὲ τῆς αὐτῆς ἀξίας· ἀλλ᾽ αἱ μὲν μείζους, αἱ δὲ ἐλάττους· οἷον ἵνα ἀπὸ τῆς κατωτέρας τὸν ἀριθμὸν ποιησώμεθα, ἔστιν ὁ τῆς πόλεως ἔκδικος· ἔστιν ἀνώτερος ἐκείνου, ὁ τοῦ ἔθνους ἡγεμών· ἔστι μετ᾽ ἐκεῖνον ἕτερος ἄρχων μείζων· ἔστι πάλιν ὁ στρατηλάτης· ἔστιν ὁ ὕπαρχος· ἔστιν ἀνωτέρα πάντων ἀρχὴ, ἡ τῶν ὑπάτων ἀρχή. Et post alia. ἡ τῶν ὑπάτων ἀρχὴ καθάπερ κορυφὴ καὶ κεφαλὴ πάσαις ἐπίκειται.

1. *Eriphio*] Lugdunensi, genero Philematii: ad quem mittit tetrastichum, quod in soceri ejus gratiam scripserat, cum ad S. Justi basilicam una convenissent. Incidit autem S. Justi episcopi Lugdunensis anniversaria solemnitas in IV. Nonas Septembres: hoc est in autumni principium, ut innuit Sidonius.

2. *Conditorium Syagrii*] Sepulcrum & monimentum. Petronius: *In conditorium etiam prosecuta est defunctum*. Suetonius Augusti XVIII. *Conditorium & corpus Alexandri magni corona aurea imposita ac floribus adspersis veneratus est*. Et in epitaphio Karoli magni: *Sub hoc conditorio situm est corpus Karoli magni atque orthodoxi imperatoris*: in antiquis Inscriptionibus *requietorium*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.

EPISTOLA XVIII.

Sidonius [1] *Attalo suo salutem.*

HEduæ civitati te præsidere cœpisse, libens atque cum gaudio accepi. Lætitiæ caussa quadripartita est: prima, quod amicus: secunda, quod justus es: tertia, quod severus: quarta, quod proximus. Quo fit, ut nostris nostrorumque contractibus, plurimum velis, debeas, possis opitulari. Igitur amplectens in familiari vetusto novum jus potestatis indeptæ, materiam beneficiis tuis jam diu quæro. Quibus me tantum fidere agnosce, ut & si non invenio quæ poscam, quæsiturus mihi videaris ipse quæ tribuas. Vale.

EPISTOLA XIX.

Sidonius Pudenti suo salutem.

NUtricis meæ filiam filius tuæ rapuit: facinus indignum, quodque vos nosque inimicasset, nisi protinus scissem te nescisse faciendum. Sed conscientiæ tuæ purgatione prælata, petere dignaris culpæ calentis impunitatem. Sub conditione concedo, si stupratorem [2] pro domino jam patronus originali solvas inquilinatu. Mulier autem illa jam libera est: quæ tum demum videbitur non ludibrio addicta, sed assumta conjugio; si reus noster pro quo precaris, mox cliens factus e tributario, plebejam potius incipiat habere personam, quam colonariam. Nam meam hæc sola seu compositio seu satisfactio, vel non mediocriter contumeliam emendat: qui tuis votis atque amicitiis hoc adquiesco, si laxat libertas maritum, ne constringat pœna raptorem. Vale.

EPISTOLA XX.

Sidonius Pastori suo salutem.

QUod die hesterno tractatui civitatis in concilio defuisti, ex industria factum pars melior accepit; quæ suspicata est id te cavere, ne tuis humeris onus futuræ legationis imponeretur. Gratulor tibi, quod istis moribus vivis, ut necesse habeas A electionem tui timere: laudo efficaciam, suspicio prudentiam, prosequor laude felicitatem. Opto denique æqualia iis, quos æqualiter amo. Multi frequenter quos exsecrabilis popularitas agit, civium maximos manu prensant, eque consessu publico abducunt, ac sequestratis oscula impingunt, operam suam spondent, sed non petiti. Utque videantur in negotii communis assertione legati, evectionem refundunt, ipsosque sumtus ultro recusant, & ab ambitu clam rogant singulos, ut ab omnibus palam rogentur. Sic quoque cum fatigatio illorum gratuita possit libenter admitti, libentius tamen atque amabilius verecundi leguntur, idque cum expensa: tantum impudentia se se ingerentum ponderis habet, B etiam [3] fasci cum tributario nomine ipsorum nil superfunditur. Proinde quamquam te non fefellit, quid boni quique meditarentur, redde te tamen exspectantium votis, expetentumque caritatem proba, qui jam probasti pudorem. Quod defuisti primum, modestiæ adscribitur: ad ignaviam respicit secunda dilatio. Præterea tibi Arelatem profecturo est venerabilis in itinere mater, fratres, amantes, redamantisque patriæ solum, ad quod & præter occasionem voluptuose venitur: tum domus propria, cujus auctorem, vineam, messem, olivetum, tectum quoque ipsum, vel dum prætervehàris, inspicere res commodi est. Quapropter missus a nobis & tibi pervenis. Namque erit talis viæ tuæ caussæque C nostræ conditio, ni fallor, atque opportunitas, ut pro beneficio civitati posse imputare quandocumque videaris, quod tuos videris. Vale.

EPISTOLA XXI.

Sidonius Sacerdoti & Justino suis salutem.

[4] VIctorius patruus vester, vir ut egregius, sic undecumque doctissimus, cum cetera potenter, tum potentissime condidit versus. Mihi quoque semper a parvo cura musarum. Nunc vos parenti venitis heredes, quam jure, tam merito. Illicet ego poetæ proximus fio professione, vos semine. Ergo D justissimum est, ut die functo sic quisque nostrum succedat, ut jungitur. Ideoque patrimonia tenete, date carmina. Valete.

1. *Attalo*] Comiti Augustodunensi: hoc enim, opinor, est quod ait Æduæ civitati præsidere cœpisse. Comitatum Æduensem ante cathedram episcopalem rexit Gregorius Lingonicus annis XL. ut Turonensis in ejus vita refert. Huic nepos fuit Attalus, de quo auctor idem lib. III. cap. XV. Ante hos verò Attalus hic alter.

2. *Pro domino jam patronus*] Duplex illa distinctio agricolarum, in censitos seu tributarios, servos & colonos liberos, qui & inquilini, Cod. de agricolis, perpetua & constans non est, ne apud ipsos quidem jurisconsultos. Quare ferri hoc loco potest Sidonius, qui eumdem Pudentis agricolam servum, originarium inquilinum, & colonum facit: & manumitti vult, ut fiat ex domino patronus, ex servo cliens. Sic enim & L. 11. Cod. in quibus caussis coloni dominos accusare possunt, agricolarum domini & patroni distinguuntur.

3. *Fasci cum tributario*] Sic legendum, non *fascium tributario*. Etiam, inquit, cum expensam itineris in se ipsos recipiunt, tributorumque oneribus eorum caussa nihil accedit. Legatis enim decerni solet viaticum. Arcadius libro de muneribus civilibus, D. de muneribus & honoribus: *Legati quoque qui ad sacrarium principis mittuntur, viaticum quod legativum dicitur, interdum solent accipere.*

4. *Victorius patruus vester*] Quæri potest, cum tempora non discrepent, an hic sit Victorius Aquitanus qui Cyclum Paschalem Hilari archidiaconi, Romani postea pontificis, rogatu composuit, Constantino & Rufo coss. ut ex ejus ad Hilarum epistola patet. Victorii autem ex fratre nepotum Justini & fratris, tacito nomine iterum meminit in Propemptico.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.

C. SOLLII APOLLINARIS SIDONII ARVERNORUM EPISCOPI, EPISTOLARUM LIBER VI.

EPISTOLA I.

Sidonius domino [1] *papæ Lupo salutem.*

Benedictus Spiritus sanctus & pater Dei omnipotentis, quod tu pater patrum, & episcopus episcoporum, & alter sæculi tui Jacobus, de quadam specula caritatis, nec de inferiore Hierusalem, tota ecclesiæ Dei nostri membra superinspicis; dignus qui omnes consoleris infirmos, quique merito ab omnibus consularis. Et quid nunc ego dignum dignationi huic putris & fœtida reatu terra respondeam? Colloquii salutaris tui, & indigentiam patiens & timorem, recordatione vitæ plectibilis adducor, ut clamem tibi, quod dixit Dominus tuus ille collega: [a] *Exi a me, quia homo peccator sum, Domine*. Sed si iste timor non temperetur affectu, vereor ne Gerasenorum destituar exemplo, discedas a finibus meis. Quin potius illud, quod mihi conducibilius est, colleprosi mei te proposita conditione constringam, ut ajam tibi: [b] *Si vis, potes me mundare*. Qua ille sententia non plus de Christo quid peteret prodidit, quam qui crederet publicavit. Ergo ne cum sis procul ambiguo primus omnium toto, qua patet, orbe pontificum, cum prærogativæ subjiciatur, cum censuræ tuæ attremat etiam tuba collegii; cum in gravitatis vestræ comparationem, ipsa etiam grandævorum corda puerascant; cum post desudatas [2] militiæ Lirinensis excubias, & in apostolica sede [3] novem jam decursa quinquennia, utriusque sanctorum ordinis quemdam te conclamatissimum primipilarem spiritalia castra venerentur: tu nihilominus hastatorum antesignatorumque paullisper contubernio sequestratus, ultimos calones tuos lixasque non despicis, & ad extimos trabariorum qui per insipientiam suam adhuc ad carnis sarcinas sedent, crucis diu portatæ vexilla circumfers, ac manum linguæ porrigis in conscientia vulneratis. Nosti, ut apparet, ex adversa acie sauciatos, dux veterane, colligere; & peritissimus tubicen ad Christum a peccatis receptui canere; & evangelici pastoris exemplo non amplius lætaris, si permaneant sani, quam si non remaneant desperati. Te ergo norma morum, te columna virtutum, te, si blandiri reis licet, vera, quia sancta, dulcedo, despicatissimi vermis ulcera digitis exhortationis contrectare non piguit: tibi avaritiæ non fuit pascere monitis animam fragilitate jejunam; & de apotheca dilectionis altissimæ, sectandæ nobis humilitatis propinare mensuram. Sed ora, ut quandoque resipiscam, quantum meas deprimat oneris impositi massa cervices. Facinorum continuatione miser eo necessitatis accessi, ut is pro peccato populi nunc orare compellar, pro quo populus innocentum vix debet impetrare si supplicet. Nam quis bene medelam æger impartiat? quis febriens [4] arrotanti tactu pulsum distinguat incolumem? quis desertor scientiam militaris rei jure laudaverit? quis esculentus abstemium competenter arguerit? Indignissimus mortalium necesse habeo dicere quod facere detrecto: & ad mea ipse verba damnabilis, cum imperem quæ non impleo, idem in me quotidie cogor dictare sententiam. Sed si tu inter me & illum cui concrucifigeris, Jesum Christum Dominum nostrum, pro scelerum meorum populo, junior mage quam minor Moses, intercessor assistas; non ulterius descendemus in infernum viventes; nec per carnalium vitiorum incentiva flammati, ad altare Domini ignem diutius accendemus alienum. Quia quamquam nos, utpote reos, gloriæ libra non respicit: satis tamen superque gaudebimus, si precatu tuo levare valeamus interioris hominis nostri, & si non integrum ad remunerationem, certe vel cicatricatum pectus ad veniam. Memor nostri esse dignare, domine papa.

EPISTOLA II.

Sidonius papæ [5] *Pragmatio suo salutem.*

Venerabilis [6] Eutropia matrona, quod ad nos spectat, singularis exempli (quæ parsimonia & humanitate certantibus: non minus se jejuniis,

a Luc. V. 8. *b* Matth. VIII. 2.

1. *Papæ Lupo*] Episcopo Tricassino. In hunc librum & sequentem congestæ sunt epistolæ ad episcopos scriptæ. Gallicanorum autem ejus ævi pontificum Sidonii judicio facile princeps Lupus, cum ceteris rebus, tum Britannica legatione, & pacati civibus suis Attilæ gloria clarus.

2. *Militiæ Lirinensis*] Insulanam angelicæ congregationis militiam dixit Faustus Reiensis epistola v. ad Ruricium, de Lirino eadem loquens, quæ commune tunc erat sæculum abdicantibus gymnasium. In ea versatum fuisse Lupum, non solum hic locus ostendit, & lib. VIII. epist. XIV. sed Eucherius quoque ad Hilarium de laude eremi: *Hæc habuit*, inquit, *reverendi nominis Lupum* [illegible] *nobis illum ex tribu Benjamin Lupum retulit*: [illegible] *germanum ejus* [illegible]*, internæ gemmam* [illegible] *perspicuam*. Lupi fratrem dicit Vincentium presbyterum, clarissimi nominis scriptorem. Quin horum potissimum [illegible] nisse apud Hilarium Arelatensem videtur, quod Hilarii sororem [illegible]olam Lupus in matrimonio quondam habuerat.

3. *Novem quinquennia*] Annos XLV. Quibus ex verbis cardinalis Baronius æra subducta colligit, Sidonium, qui non multo post adeptum episcopatum [illegible] bebat, in episcopali cathedra sed[illegible] CDLXXII. Is enim Lupi erat in episc[illegible].

4. *Arrotanti*] In aliquibus libris, [illegible] *protanti*.

5. *Pragmatio*] Cujus sedis fuerit episcopus, non liquet. Qui enim Augustodunensem fuisse conjiciunt, Euphronii [illegible] qui interfuit synodo Epaunensi, manifesto argumento revincuntur, quod Aeduorum hoc tempore antistes fuerit Euphronius: cujus nomen una cum Pragmatio subscriptum cum legatur in epistola Fausti ad Lucidum, sequitur ut Pragmatius hic diversus sit ab Aeduei[illegible]

6. *Eutropia*] [illegible], cujus filius Agrippini fi-

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.

quam cibis pauperes pascit, & in Christi cultu pervigil, sola in se compellit peccata dormire) mæroribus orbitatis necessitate litis adjecta, in remedium mali duplicis perfectionem vestræ consolationis expetere festinat, gratanter habitura, sive istud tibi peregrinatio brevis, seu longum computetur officium. Igitur præfata venerabilis fratris mei nunc jam presbyteri Agrippini, ne injuriosum sit dixisse nequitiis, certe fatigatur argutiis: qui abutens imbecillitate matronæ, non desistit spiritalis animæ serenitatem sæcularium versutiarum flatibus turbidare: cui filii, nec post multo nepotis amissi, duæ pariter plagæ recentes, ad diuturni viduvii vulnus adduntur. Tentavimus inter utrumque componere, nos maxime quibus in eos novum jus professio, vetustumque faciebant amicitiæ, aliqua censentes, suadentes quæpiam, plurima supplicantes, quodque miremini, in omnem concordiæ statum promtius a feminea parte discessum est. Et quamquam se altius profuturum filiæ paterna jactaret prærogativa, nurui tamen magis placuit munificentiæ socrualis oblatio. Jurgium interim semisopitum vestris modo finibus infertur. Pacificate certantes, & pontificalis auctoritate censuræ suspectis sibi partibus indicite gratiam, dicite veritatem. Sancta enim Europia, si quid vadimonio meo creditis, victoriam computat, si vel post damna non litiget. Unde & suspicor vobis unam pronuntiandam domum discordiosam, licet inveniatis utramque discordem. Memor nostri esse dignare, domine papa.

EPISTOLA III.

Sidonius domino papæ [1] *Leontio salutem.*

ET si nullis hortatibus primordia nostræ professionis animatis, neque sitim ignorantiæ hactenus sæcularis ullo supernæ rigatis imbre doctrinæ; non ego tamen tantum mei meminens non sum, ut a meis præsumam partibus æquali officiorum lance certandum. Nam cum nostra mediocritas ætate vitæ, tempore dignitatis, privilegio loci, laude scientiæ, dono conscientiæ vestræ facile vincatur; nullum meremur, si par exspectamus alloquium. Igitur non incusantes silentium vestrum, sed loquacitatem nostram potius excusare nitentes, commendamus apicum portitorem: cujus si peregrinationem promto favore foveatis, grandis actionibus illius portus securitatis aperitur. Negotium huic testamentarium est: latent eum propriarum merita chartarum. Togatorum illic perorantum merita peritiam consulere perrexit; pro victoria computaturus, si se intellexerit jure superari; modo ne sibi suisque desidiæ vitio perperam cavisse culpetur. Hunc eatenus commendare præsumo, ut si eum instruere dignanter advocatio consulta fastidit, [2] auctoritas coronæ tuæ dissimulantibus studeat excudere responsi celeritatem. Memor nostri esse dignare, domine papa.

EPISTOLA IV.

Sidonius domino papæ Lupo salutem.

PRæter officium quod incomparabiliter eminenti apostolatui tuo sine fine debetur, & si absque intermissione solvatur, commendo supplicum bajulorum pro nova necessitate vetustam necessitudinem: qui in Arvernam regionem longum iter, his quippe temporibus, emensi, casso labore venerunt. Namque unam [3] feminam de affectibus suis, quam forte [4] Vargorum (hoc enim nomine indigenas latrunculos nuncupant) superventus abstraxerat, isto deductam ante aliquot annos, isticque distractam, cum non falso indicio comperissent, certis quidem signis, sed non recentibus inquisivere vestigiis. Atque obiter hæc eadem laboriosa, prius quam ii adessent, in negotiatoris nostri domo dominioque; palam sane venumdata defungitur; quodam Prudente (hoc viro nomen, quem nunc Tricassibus degere fama divulgat) ignotorum nobis hominum collaudante contractum; cujus subscriptio intra formulam nundinarum, tamquam idonei adstipulatoris, ostenditur. Auctoritas personæ, opportunitas præsentiæ tuæ, inter coram positos facile valebit, si dignabitur, seriem

liam duxerat. Hanc etiam levi conjectura S. Eutropiam esse putant, cujus nomen in Martyrologium relatum est xvii. Kalendas Octobris. Liceat autem cum singularis exempli femina alteram componere, cujus egregias, sexuique decentissimas virtutes prædicat epitaphium, quod in vetere S. Petri basilica Romæ visebatur. Est autem hujusmodi;

GABINIA GAUDENTIA H. F. IN QUA FUIT INIMITABILIS CASTITAS IN PROBISSIMA VERECUNDIA INCOMPARABILIS INNOCENTIA PERPETUA QUIESCIT IN PACE QUÆ VIXIT ANN. XVIII. M. XI. D. XXI. VARIUS VICTOR CONJUGI B. M. D. XII. KAL. AUGUST.

1. *Leontio*] Episcopo Arelatensi. Multa sunt in verbis Sidonii quæ Arelatem designent; ut quod ait de privilegio loci, & de togatis illic perorantibus. Arelatensium autem episcopum his temporibus fuisse Leontium, nulla est dubitatio. Hoc enim ostendunt Hilari papæ epistolæ: ex quibus etiam docemur, Leontium sedem iniisse anno CDLXII. hoc est decem plus minus annis ante Sidonium. Synodus præterea Arelatensis cujus meminit Faustus, cui præfuit idem Leontius: & Ruricii epist. xv. ad Æonium, in qua Leontio tunc vita functo Æonium successisse significat. Leontius Forojuliensis de quo vir doctus suspicatur, Sidonio anterior fuit, Burdegalensis posterior.

2. *Auctoritas coronæ tuæ*] Ennodius Symmacho papæ lib. IV. epist. XXII. *Erigat parvulos implorata coronæ vestræ miseratio*. Id est auctoritas tua, miseratio vestra. Ut purpuram interdum pro principe dicimus, sic coronam pro clerico: quia hæc insigne est clerici, ut illa principis. Augustinus Proculiano epist. CXLVII. *Per coronam nostram nos adjurant vestri: per coronam vestram vos adjurant nostri*. Tonsura clericalis ita olim fiebat, ut circulus tantummodo capillorum emineret, instar coronæ. Sic enim describit Gregorius Turon. de Nicetio Trevirorum episcopo: *S. Nicetius*, inquit, *ab ortu suo clericus est designatus: nam cum partu fuisset effusus, omne caput ejus, ut est consuetudo puerorum, a capillis nudum quidem cernebatur; in circuitu vero mediorum capillorum ordo apparuit, ut putares ab iisdem coronam clerici fuisse signatam*. Hodie apud nos antiqnam coronæ formam soli fere monachi retinent, & pueri vocales symphoniaci. Nam brevis ille orbis in vertice, quo cleri pars magna utitur, insolens olim atque inusitatus in ecclesia fuit, ut docet canon XL. concilii IV. Toletani.

3. *Feminam de affectibus*] De familia propinquam. Paullinus auctor Eucharistici:

Cum mihi plena domus caris affectibus esset.

Et post alia:

—— —— jam dudum cunctis affectibus expers
Prima socru ac matre, debinc & conjuge functa.

4. *Vargorum*] Sidonius ipse interpretatur indigenas latrunculos. Proprio tamen Vargi dicebantur extorres, & patria expulsi: ut in Lege Ripuaria XXCVII. & in Salica LVII. *Si quis corpus jam sepultum exfodierit, & exspoliaverit, VVargus sit, hoc est expulsus de eodem pago*. Nimirum ex profugis exsulibus indigenæ fiunt latrones. Non dissimili sensu aliquando dicti sunt & Bagaudæ. Aurelius Victor in Diocletiano: *Excita manu agrestium ac latronum, quos Bagaudas incolæ vocant*. Item Scamari, legum Longobardarum titulo I. apud Jornandem in Geticis. Eugippius in vita S. Severini: *Istri fluenta prætermeans latrones properanter insequitur, quos vulgus Scamaros appellabat*.

totius indagare violentiæ. Quæ quod gravius est, eo facinoris accessit, quantum portitorum datur nosse memoratu, ut etiam in illo latrocinio quemdam de numero viantum constet exstinctum. Sed quia judicii vestri medicinam expetunt, civilitatemque qui negotium criminale parturiunt; vestrarum, si bene metior, partium pariter & morum est, aliqua indemni compositione istorum dolori, illorum periculo subvenire; & quodam salubris sententiæ temperamento, hanc partem minus afflictam, illam minus ream, & utramque plus facere securam: ne jurgii status, ut se se fert temporis locique civilitas, talem discedat ad terminum, qualem cœpit habere principium. Memor nostri esse dignare, domine papa.

EPISTOLA V.

Sidonius domino papæ [1] *Theoplasto salutem.*

CAussam meam nesciens agit, qui ad vos a me litteras portat. Nam dum votivi mihi fit gerulus opportunus officii, beneficium præstat, quod se arbitratur accipere: sicuti nunc venerabilis Donidius, dignus inter spectatissimos quosque numerari, cujus clientem puerosque commendo, profectos, seu in patroni necessitatem, seu in domini. Laborem peregrinantium, qua potestis ope, humanitate, intercessione tutamini: ac si in aliquo amicus ipse per imperitiam novitatemque publicæ conversationis videbitur minus efficax, vos hoc potius aspicite, quid absentis caussa, non quid præsentis persona mereatur. Memor nostri esse dignare, domine papa.

EPISTOLA VI.

Sidonius domino papæ [2] *Eutropio salutem.*

POstquam fœdifragam gentem rediisse in suas sedes comperi, neque quidquam viantibus insidiarum parare; nefas credidi ulterius officiorum differre sermonem, ne vester affectus quamdam vitio meo duceret, ut gladius impolitus, de curæ raritate rubiginem. Unde misso in hoc solum negotii gerulo litterarum, quam vobis sit corpusculi status in solido, quamve ex animi sententia res agantur, solicitus inquiro: sperans ne semel mihi amor vester indultus, aut interjecti itineris longitudine, aut absentiæ communis diuturnitate tenuetur: quia bonitas conditoris habitationem potius hominum, quam caritatem finalibus claudit angustiis. Restat A ut vestra beatitudo compunctorii salubritate sermonis avidam nostræ ignorantiæ pascat esuriem. Est enim tibi nimis usui, ut exhortationibus tuis interioris hominis maciem sæpenumero mysticus adeps & spiritalis arvina distendat. Memor nostri esse dignare, domine papa.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 472.

EPISTOLA VII.

Sidonius domino papæ [3] *Fontejo salutem.*

SI aliquid ad inchoandam gratiam compendii posteris tribuat necessitudo præmissa seniorum, ego quoque ad apostolatus tui notitiam pleniorem cum B prærogativa domesticæ familiaritatis accedo. Nam sic te familiæ meæ validissimum in Christo semper patronum fuisse reminiscor, ut amicitias tuas non tam expetendas mihi, quam repetendas putem. His adjicitur, quod indignissimo mihi impositum sacerdotalis nomen officii confugere me ad precum vestrarum præsidia compellit: ut adhuc ulcerosæ conscientiæ nimis hiulca vulnera vestro saltem cicatricentur oratu. Quapropter me meosque commendans, & excusans litteras seriores, granditer obsecro, ut intercessione consueta cujus viribus immane polletis, clericalis tyrocinii in nobis reptantia rudimenta tueamini: ut si quid dignabitur de morum pravitate nostrorum immutabilis Dei mutare C clementia, totum id suffragiorum vestrorum patrocinio debeamus. Memor nostri esse dignare, domine papa.

EPISTOLA VIII.

Sidonius domino papæ [4] *Græco salutem.*

APicum oblator pauperem vitam sola mercandi actione sustentat: non illi est opificium quæstui, militia commodo, cultura compendio: hoc ipsum quod mercenariis prosecutionibus & locatitia fatigatione cognoscitur, fama quidem sua, sed facultas crescit aliena. Sed tamen quoniam illi fides magna est, & si parva substantia, quoties cum pe- D cuniis quorumpiam [5] catapli recentis nundinas adit, creditoribus bene credulis sola deponit morum experimenta pro pignore. Inter dictandum mihi ista suggesta sunt, nec ob hoc dubito audita fidenter asserere: quia non parum mihi intimos agunt, quibus est & ipse satis intimus. Hujus igitur teneram frontem, dura rudimenta commendo: & quia nomen ejusdem lectorum nuper albus accepit, agnoscitis profecturo [6] civi me epistolam, cle-

1. *Theoplasto*] Hujus nomen inter episcopos qui synodo Arelatensi, de qua Faustus, subscripsere.

2. *Eutropio*] Ad hunc inter alios Galliæ episcopos scripta exstat epistola Hilari papæ anno CDLXIV. Interfuit etiam synodo Arelatensi supra scriptæ. Sunt qui putent Arausicanum episcopum esse, cujus mentio in Martyrologiis VI. Kal. Junias.

3. *Fontejo*] Episcopo Vasionensi. Hoc enim docet epistola IV. lib. VII. ad eumdem. Quare idem quoque Fontejus videtur, ad quem & collegas episcopos sunt Leonis magni, & Hilari papæ epistolæ. Ex Lucidi etiam presbyteri professione liquet, Fontejum synodo Arelatensi cum ceteris adfuisse.

4. *Græco*] Episcopo Massiliensi, quod docebit epist. II. lib. VII. & aliæ quas eidem postea scribit pro eodem Amantio: hoc enim nomen lectori quem commendat. Subscripsit idem synodo Arelatensi. Et quia novus erat episcopus, cum hæc scriberet Sidonius, non futilis fuerit conjectura, si hunc esse Græcum diaconum credamus, ad quem est Fausti Reiensis epistola contra Nestorium.

5. *Catapli recentis*] Navium, quæ ad portum Massiliensem appulerant. Proprie enim καταπλῶν dicuntur quæ importantur. Quare in veteribus Glossis, *Cataplus est adventus navium*. Utitur iterum ea voce lib. VII. epist. VII. Sic *cataplus Puteolanus* Ciceroni pro Rabirio Postumo, *Niliacus* Martiali: & alio genere, *Lalagæa cataplus* Marcello, sive ut aliis placet, Vindiciano in carmine de Medicina. Contra, cum e portu solvitur, ἀνάπλους dicitur: E quo nomine portus erat Constantinopoli.

6. *Civi epistolam, clerico formatam*] Epistolam dicit hancce quam dictabat: privatas scilicet litteras, quibus Amantium, ut civem commendaturus erat, etiam si clericus non fuisset. Formatam, canonicas litteras: quas ideo lectori, ut episcopus debebat, quia sine his peregrinari clericis non licuit, ut concilia omnia passim ostendunt. Sed Formatarum, ut de his paullo liberius evagemur, duo genera fuerunt. Nam clerici aut in aliam diœcesim transibant, ut in ea manerent, & Dimissoriæ dabantur, quas synodus in Trullo XVIII. ἀπολυτικάς proprie vocat; sine quibus inter ecclesiæ alterius clericos non cooptabantur. μηδένα τῶν ἁπάντων κληρικῶν ἐκτὸς τῆς τοῦ οἰκείου ἐπισκόπου ἐγγράφου ἀπολυτικῆς ἐν ἑτέρᾳ καταλέγεσθαι ἐκκλησίᾳ. Ejusque generis sunt formatæ omnes, quæ apud Burchardum, Ivonem & Gratianum leguntur. Aut non

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.

rico debuisse formatam. Quem propediem non injuria reor mercatorem splendidum fore; si hic ad vestra obsequia festinans, frigoribus fontium civicorum sæpe [1] fontem mercatoris anteferat. Memor nostri esse dignare, domine papa.

EPISTOLA IX.

Sidonius domino papæ Lupo salutem.

VIr jam honestus Gallus, quia jussus ad conjugem redire non distulit, litterarum mearum obsequium, vestrarum reportat effectum. Cui cum pagina quam miseratis, reseraretur, actutum compunctus ingemuit; destinatamque non ad me epistolam, sed in se sententiam judicavit. Itaque confestim iter in patriam spopondit, adornavit, arripuit. Quem nos propter hanc ipsam pœnitudinis celeritatem, non increpative, sed consolatorie potius compellare curavimus; quia vicinaretur innocentiæ festinata correctio. Neque enim quisquam, etiam sibi bene conscius, plus facere præsumsit; si quis tamen vestræ correptionis orbitam non reliquit: quippe cum ea ipsa quæ legimus, parcentis verba censuræ, maximæ emendationis incitamenta sint. Nam quid potest esse castigationis hujusce tenore pretiosius, in qua forte peccato animus æger, reperit intrinsecus remedium, cum non valeret extrinsecus invenire convicium? Quod superest, obsecramus, ut crebra oratione per quam vitiis omnibus immane dominamini, nos quoque sicut evangelicos Magos remeasse manifestum est, vel jam nunc per aliam viam morum in beatorum patriam redire faciatis. Pæne omiseram, quod prætereundum minime fuit. Agite gratias Innocentio spectabili viro, qui ut præceperatis, gnaviter morem gessit injunctis. Memor nostri esse dignare, domine papa.

EPISTOLA X.

Sidonius domino papæ [2] Censorio salutem.

GErulum litterarum levitici ordinis honestat officium. Hic cum familia sua deprædationis Gothicæ turbinem vitans, in territorium vestrum delatus est, ipso, ut sic dixerimus, pondere fugæ; ubi in re ecclesiæ cui sanctitas tua præsidet, parvam sementem semiconfecto cæspiti advena jejunus injecit: cujus ex solido colligendæ fieri sibi copiam exorat. Quem si domesticis fidei deputata humanitate foveatis, id est, ut debitum [3] glebæ canonem non petatur, tantum lucelli præstitum sibi compu-

penitus migrabant, sed ad tempus, privati seu publici negotii caussa, ut hic Amantius, & qui ad comitatum ibant; atque his commendatitiæ tantum dabantur, quas Græci promiscue nunc *συςατικὰς* nominant, nunc *εἰρηνικὰς*, id est pacificas. Etsi enim pacificas a commendatitiis aliquando distinctas doceat canon XL. synodi Calchedonensis, constat tamen neglectum ab aliis discrimen id fuisse. Quare Græci ipsi, cum harum litterarum formulas tradunt, de binis tantum quærere solent, *πῶς γράφουσιν οἱ ἀρχιερεῖς συςατικὸν, καὶ πῶς ἀπολυτικὸν γράμμα*. Latini vero utrumque genus Formatarum nomine complexi sunt: ita ut Formatæ litteræ universim respondeant canonicis, *κανονικαῖς ἐπιςολαῖς*, (quo etiam modo appellantur in synodo Meldensi can. XLX. & ab Hincmaro in Formata ad Æneam episcopum Parisiensem) dividanturque in Dimissorias & Commendatitias, sicut illæ *εἰς ἀπολυτικὰς καὶ συςατικάς*: quamquam Dimissorias, quia sine commendatione aliqua pacisque symbolo non fiebant, commendatitias quoque interdum & pacificas appellabant: at non contra Dimissorias, quæ commendatitiæ tantum essent. Ex quo patet; rectius fecisse Græcum interpretem synodi Carthaginiensis, cum formatam can. XXIII. vim verbi secutus *τετυπωμένην* vertit; quam cum *ἀπολυτικὴν* exposuit: quia de dimissoriis ibi sermo non erat, sed de puris commendatitiis. De formatis ergo plena sunt concilia, ut dixi; & nota est ratio numerorum formatis addendorum, quam ex synodi Nicenæ præscripto edidit Atticus Constantinopolitanus, ex Attico Gratianus, ceterique canonum collectores, qui formatarum etiam exempla subjiciunt. Nec difficile est cuivis, qui modo litteras Græcas & numeros quos singulæ significant, non penitus ignoret, totum illarum artificium collatis præsertim exemplis perspicere. Sed quia corrupta fere antiquariorum vitio ac mutila sunt exempla quæ proferunt, emendari restituique ante omnia debent. Sit ergo nobis exemplum, quod a Gratiano d. LXXIII. posteriore loco producitur. Ea est formata, non A. ut habent libri vulgati, sed Wolfeonis episcopi Constantiensis ad Bernaltum Argentariensem, (utraque olim civitas Maximæ Sequanorum provinciæ) non pro Hermanno, sed pro Annone scripta. Quare sic legitur in vetere ms.

Π. Υ. Α. Π. *Sanctissimo in Christo fratri, summaque dulcedine caritatis amplectendo Bernalto Argentariensis civitatis episcopo, Wolfeon Constantiensis ecclesiæ præsul perpetuæ beatitudinis optat in Christo salutem.* Υ. Ε. Ν. Σ. *De cetero noverit sancta fraternitas vestra, quod iste clericus nomine Anno, nostra in parœcia instructus ac detonsus, parvitatem nostram rogavit, quatenus illi commendatitias litteras conscriberemus.* Deinde post alia: *Sancta Trinitas vestram beatitudinem ad regimen sanctæ suæ ecclesiæ perpetualiter bene valere concedat.* ϞΘ'. *Inditione* X. *Continet hæc formata epistola summam numeri* M. CCC. XXV.

Summa numeri adnotata est M. CCC. XXV. recte. Ea enim est, quæ ex omnibus, juxta Attici formulam, Græcis litteris & notis, tum communibus, tum propriis in unum collectis conficitur. Communes voco, quæ in omnibus formatis reperiuntur: proprias, quæ variant in singulis, hoc modo:

Communes litteræ.	*Propriæ.*
Π. prima Patris. LXXX.	Υ. prima Wolfeonis qui scribit. CCCC.
Υ. prima Filii. CCCC.	Ε. secunda Bernalti cui scribitur. V.
Α. prima Spiritus S. I.	Ν. tertia Annonis, qui accipit. L.
Π. prima Patri. LXXX.	Σ. quarta Constantiæ, unde scribitur. CC.
ϞΘ'. nota numeri. XCIX. cui respondet ΑΜΗΝ, id est, I. XL. VIII. L.	Χ. nota Indictionis. X. quæ id temporis erat, cum scripta est Formata.
Summa DCLX.	Summa DCLXV.

Summa utriusque M. CCC. XXV.

Ad hunc modum cujusvis Formatæ summam statim erues, si ad DCLX. quem numerum omnibus communem esse vides, alterum adjicias, qui ex propriis cujusque litteris & indictione prodierit. Sunt porro, qui ab his numeris, & quod certa quadam formula texerentur, inde nomen Formatis factum putent. Verius est quod alibi observavimus, Formatam a sigilli forma dictam, qua muniebatur. Sic enim veteres Glossæ Vaticanæ: *Formatam epistolam, sigillatam* interpretantur: idque haud dubie sensit, qui formatam in concilio Carthaginiensi Græce vertit *τετυπωμένην*. Est enim *τυποῦν ἐπιςολὴν*, obsignare: & certum est sigillum apponi solitum formatis. Concilium Cabilonense II. can. XLX. *Litteris in quibus sint nomina episcopi & civitatis plumbo impressa*. Ratbodus episcopus Trevirensis in formata sua apud Ivonem: *Hanc epistolam Græcis litteris hinc inde munire decrevimus, & anulo ecclesiæ nostræ bullare censuimus*. Bullare illius sæculi verbo usus dixit, ut *βουλλοῦν* & *βούλλας ἐπιβάλλειν*. Nicetas Choniates, bullam, id est sigillum, ac *τύπον* seu formam imprimere. Bernardus epist. CCXXX. *Exstant litteræ integræ & bullatæ*. Denique sicut imperatorum constitutiones inferioribus sæculis non solum *τυπικὰ* quasi formales, sed etiam *θεῖοι τύποι*, sacræ formæ, utraque lingua vocitatæ sunt; post etiam Cæsarum & pontificum diplomata bullæ vulgo a sigillis nuncupatæ: sic formatam epistolam a forma dixisse videntur, velut a bulla bullatam.

1. *Fontem mercatoris*] Quidam *mediatoris*, alii *medicatoris*.

2. *Censorio*[Episcopo Antisiodorensi, ad quem Ruricii epist. I. lib. II. & Constantii presbyteri altera, in fronte librorum de vita S. Germani. Sed uterque Censurium vocat.

3. *Glebæ canonem non petatur*] Ita libri fere omnes, non *petatis*: ut carmine XXIII. *Usuram petimurque, reddimusque*. Canonem proprie dixit pensionem, quæ debetur ex

tat peregrini hominis, ut census, sic animus angustus, ac si in patrio solo rusticaretur. Huic si legitimam, ut mos est, solutionem perexiguæ segetis indulgeas, tamquam opipare viaticatus, cum gratiarum actione remeabit. Per quem si me stilo solitæ dignationis impartias, mihi fraternitatique istic sitæ, pagina tua veluti paullo lapsa reputabitur. Memor nostri esse dignare, domine papa.

EPISTOLA XI.

Sidonius domino papæ [1] *Eleutherio salutem.*

JUdæum præsens charta commendat: non quod mihi placeat error per quem pereunt involuti; sed quia neminem ipsorum nos decet ex asse damnabilem pronuntiare dum vivit. In spe enim adhuc absolutionis est, cui suppetit posse converti. Quæ sit vero negotii sui series, ipse rectius præsentanea coram narratione patefaciet. Nam prudentiæ satis obviat, epistolari formulæ debitam concinnitatem plurifario sermone porrigere. Sane quia secundum vel notitia, vel judicia terrena, solent hujusmodi homines honestas habere caussas; tu quoque potes hujus laboriosi, & si impugnas perfidiam, propugnare personam. Memor nostri esse dignare, domine papa.

EPISTOLA XII.

Sidonius domino papæ [2] *Patienti salutem.*

ALiquis aliquem, ego illum præcipue puto suo vivere bono, qui vivit alieno: quique fidelium calamitates indigentiamque miseratus, facit in terris opera cælorum. Quorsum ista hæc, inquis? Te sententia quam maxime, papa beatissime, petit; cui non sufficit illis tantum necessitatibus opem ferre quas noveris; quique usque in extimos terminos Galliarum caritatis indage porrecta, prius soles indigentum respicere caussas, quam inspicere personas. Nullius obest tenuitati debilitatique, si te expetere non possit: nam prævenis manibus illum, qui non valuerit ad te pedibus pervenire. Transit in alienas provincias vigilantia tua: & in hoc curæ tuæ latitudo diffunditur, ut longe positorum consoletur angustias: & hinc fuit, ut quia crebro te non minus absentum verecundia, quam præsentum querimonia movet, sæpe terseris eorum lacrymas, quorum oculos non vidisti. Omitto illa quæ coti-A die propter defectionem civium pauperatorum, inrequietis toleras excubiis, precibus, expensis. Omitto te tali semper agere temperamento, sic semper humanum, sic abstemium judicari; ut constet indesinenter regem præsentem prandia tua, reginam laudare jejunia. Omitto te tanto cultu ecclesiam tibi creditam convenustare, ut dubitet inspector melius ne nova opera consurgant, an vetusta reparentur. Omitto per te plurimis locis basilicarum fundamenta consurgere, ornamenta duplicari. Cumque multa in statu fidei tuis dispositionibus augeantur, solum hæreticorum numerum minui: teque quodam venatu apostolico, feras [3] Photinianorum mentes spiritalium prædicationum cassibus implicare, atque a B tuo barbaros jam sequaces, quoties convincuntur verbo, non exire vestigio, donec eos a profundo gurgite erroris felicissimus animarum piscator extraxeris. Et horum aliqua tamen cum reliquis forsan communicanda collegis. Illud autem deberi tibi quodam, ut jurisconsulti dicunt, [4] præcipui titulo, nec tuus poterit ire pudor infitias; quod post Gothicam depopulationem, post segetes incendio absumtas, peculiari sumtu, inopiæ communi per desolatas Gallias gratuita frumenta misisti; cum tabescentibus fame populis nimium contulisses, si commercio fuisset species ista, non munere. Vidimus angustas tuis frugibus vias; vidimus per Araris & Rhodani ripas, non unum, quod unus impleveras horreum. C Fabularum cedant figmenta gentilium, & ille quasi in cælum relatus pro reperta spicarum novitate Triptolemus; quem Græcia sua cæmentariis, pictoribus significibusque illustris, sacravit templis, formavit statuis, effigiavit imaginibus. Illum dubia fama conciliat, per rudes adhuc & Dodonigenas populos, duabus vagum navibus, quibus poetæ deinceps formam draconum deputaverunt, ignotam circumtulisse sementem. Tu, ut de mediterranea taceam largitate, victum civitatibus Tyrrheni maris erogaturus, granariis tuis duo potius flumina, quam duo navigia complesti. Sed si forte Achaicis Eleusinæ superstitionis exemplis, tamquam minus idoneis, religiosus laudatus offenditur; seposita mystici intellectus reverentia, venerabilis patriarchæ Joseph historialem D diligentiam comparemus, qui contra sterilitatem septem uberes annos insecuturam, facile providit remedium quod prævidit. Secundum tamen moralem sententiam, nihil judicio meo minor est, qui in superveniente simili necessitate non divinat, & subvenit. Quapropter & si ad integrum conjicere non possum, quantas tibi gratias Arelatenses, [5] Reienses, Avennicus, Arausionensis quoque &

prædio emphyteutico. ἐμφυτευτῶν munus, onusque τὴν γῆν γεωργεῖν, καὶ τέλος παρέχειν. Inde Canonicarii, qui canonem publicum exigunt.

1. *Eleutherio*] Incertæ sedis episcopo. Nam Tornacensis Eleutherius de quo quibusdam venit in mentem, Sidonio videtur aliquanto fuisse posterior.

2. *Patienti*] Episcopo Lugdunensi, de quo epist. x. lib. XI. & ultima lib. IV. Is est, ad quem vitam S. Germani scripsit Constantius, cujusque nomen inter alios episcopos in epistolis Fausti ac Lucidi, & in Martyrologio. Nam a Lugdunensibus suis anniversario die colitur III. Idus Septembres. Hujus vero Sidonii epistolæ, Patientisque episcopi munificentiæ, meminit Gregorius Turon. lib. XI. c. xxiv. Ubi cum famem in Burgundia grassatam scribit, confirmat regem a Sidonio Burgundionum intelligi: Gundobaldum scilicet, quem Lugduni sedem habuisse jam ante monuimus.

3. *Photinianorum*] Arrianorum. Hoc enim erant Burgundiones, in quibus ad rectam fidem traducendis laborabat Patiens. Paulianistæ, Photiniani, Bonosiaci, etsi aliquatenus diversos, cognatos tamen cum Arrianis errores sectati sunt, æternam Christo generationem detrahentes.

4. *Præcipui titulo*] Hæc propria & præcipua laus tua, cum ceteris minime communis. Qui testamentum ita condit, ut rem certam cuipiam extra sortem præleget, per præceptionem legare dicitur; res vero ipsa prælegatum & præcipuum. Glossæ Juris nostræ. Præceptio, τὸ ἐξαίρετον λεγόμενον· εἰπεῖν τὸ ἔξωθεν τῆς κληρονομίας, ὡς ἐν προθήκῃ καταλιμπανόμενον τῷ μερικῷ κληρονόμῳ. οἷον ὅταν ἔπος εἴπω. πρὸς τῷ μέρει τῆς κληρονομίας, ἧς κατέλιπον τῷ δεῖν', βούλομαι αὐτὸν καὶ τόδε τὸ πρᾶγμα ἔχειν ἐν ἐξαιρέτῳ.

5. *Reienses*] Aliquot *Regenses*: quo etiam modo Gregorius Turon. Confessorum xxciii. Alii *Regium* vocant, ut legitur apud Gennadium de scriptoribus ecclesiasticis in Fausto. Nota est civitas provinciæ II. Narbonensis, cujus cathedram Maximus & Faustus nobilitarunt. Vera & antiqua appellatio fuit, quam Sidonius usurpat in Eucharistico, cum Reios appellat. Hanc enim asserit vetus inscriptio in eadem provincia, ex qua simul discimus, Reios Apollinares fuisse cognominatos: quod etiam docet tabula itineraria Peutingeri: ut dubium esse non debeat, quin ad hunc quoque modum emendandus sit corruptus Plinii locus lib. III. cap. iv. de Gallia Narbonensi: *Oppida* inquit, *Latina Aquæ Sextiæ Salluviorum, Avenio Cavarum, Apta Julia Vulgentium, Alebece Reiorum Apollinarium, Alba Helvorum, Augusta Tricastinorum*: ubi male

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.



[1] Albensis, [2] Valentinæque, nec non & [3] Tricastinæ urbis possessor exsolvat; quia difficile est eorum ex asse vota metiri, quibus noveris alimoniam sine asse collatam. Arverni tamen oppidi ego nomine uberes perquam gratias ago; cui ut succurrere meditarere, non te communio provinciæ, non proximitas civitatis, non opportunitas fluvii, non oblatio pretii adduxit. Itaque ingentes per me referunt grates, quibus obtigit per panis tui abundantiam, ad sui sufficientiam pervenire. Igitur si mandati officii munia satis videor explesse, ex legato nuntius ero. Illicet scias volo, per omnem fertur Aquitaniam gloria tua: amaris, laudaris, desideraris, excoleris, omnium pectoribus, omnium votis. Inter hæc temporum mala, bonus sacerdos, bonus pater, bonus annus es: quibus operæ pretium fuit, fieri famem suam periculo, si aliter esse non poterat tua largitas experimento. Memor nostri esse dignare, domine papa.

vulgo, *Alebeciorum Apollinarium*. Sed recta est codicis Vaticani lectio, quam exhibui. Inscriptio autem illa sic habet,

M. SEVERIUS M. F.
FABULATOR FLAM
ROM. ET. AUG. IIIIVIR. PONT
COL. REIOR. APOLLINAR
SIBI ET CAREIÆ CAREI FIL
PATERCLÆ OPTIM. UXORI

Est & alia Nemausi, quæ continet epitaphium POMPEI MATERNI CIVIS REI, & huc etiam referenda est.

1. *Albensis*] Vivariensis. In Notitia civitatum Galliæ, *Civitas Albensium, nunc Vivarium*. Qui nunc Vivarienses a nostris appellantur, dicti olim Helvii fuerunt, & præcipua eorum urbs, Plinio teste, Alba Helviorum: unde & ipsi quoque Albenses nuncupati. In litteris Paschalis II. papæ ad Guidonem archiepiscopum Viennensem: *Alba, quæ & Vivarium dicitur*. Jam enim explosus est error eorum, qui Marlianum secuti, Helvios cum Albigensibus confundebant. Helvii quippe, eodem auctore Plinio, & omnibus Geographis in Gallia erant Narbonensi, ab Arvernis seu Vellaunis, qui Arvernis tum attribuebantur, Cebenna tantum monte disclusi, ut tradit Cæsar. Rhodano etiam alluebantur, quod notat Strabo. Quæ quidem omnia Vivariensibus apte conveniunt, non Albigensibus, qui in Aquitania, procul a Rhodano, Arvernisque siti sunt. Gregorius Turon. lib. X. cap. XXIV. *Vivariensem, Avennicamque urbem graviter lues inguinaria devastavit*. Sidonius Albensem urbem dixisset.

2. *Valentinæ*] De Valentia notissima, atque ut Tiro Prosper in chronico scribit, nobilissima Galliarum civitate, hoc animadvertendum est levi errore duci eos, qui Cavarum urbem faciunt, si Plinium auctorem habere se putent, qui Valentiam in agro Cavarum locare videatur lib. III. cap. IV. Plinii enim verba ex emendatis codicibus distingui sic debent, ut in agro Cavarum non Valentia, sed Arausio sita intelligatur: quod verum est. Arausio quippe, ut Avenio, Cavarum erat. Valentia autem non Cavarum, sed Segolaunorum urbs fuit, ut docet Ptolemæus, qui Segolaunos cum Plinio supra Cavaras, inter illos & Allobrogas statuit.

3. *Tricastinæ*] Tricastini Ptolemæo Segalaunis proximi sunt ad orientem, ex T. Livio noti, & Ammiano Marcellino, cum Annibalis iter ex Allobrogibus ad Alpes Cottias describunt per Tricastinos, Vocontios atque Tricorios: ex Notitia item civitatum & conciliis, in quibus civitas Tricastinorum & episcopi Tricastini suis locis nominantur. * Horum urbes memorant Plinius Augustam, Ptolemæus Neomagum: cujus nominis vestigia oppidulum in eo tractu retinet, quod Niomum vocant. Hodie vero Tricastinorum caput a S. Paullo nomen habet, ubi sedes episcoporum, cum Tricastinorum cognomento.

* Verum Hadriani Valesii sententia est in *Notitia Galliæ* pag. 60. Augustam & Neomagum, quas non Sirmondus modo, sed & Jos. Scaliger & Holstenius duas esse urbes diversas censuerunt, unam eamdemque urbem esse, quam Plinius Latino, Ptolemæus Gallico nomine designarit. Plinium enimvero non aliam Tricastinis urbem præter Augustam adscribere: pariterque Ptolemæum, qui suam genti cuique urbem principem suumque caput assignare consuevit, unam iisdem Tricastinis urbem Noviomagum attribuere: ambos igitur non aliud gentis caput agnovisse. *Nam Tricastinorum*, inquit Valesius, *gentis exiguæ & humilis, duo fuisse capita verisimile non est*. —— BAUNIUS Sirmond. editor præfat. ad tom. I. §. XI.



C. SOLLII APOLLINARIS SIDONII

ARVERNORUM EPISCOPI,

EPISTOLARUM

LIBER VII.

EPISTOLA I.

Sidonius domino [1] papæ Mamerto salutem.

RUmor est Gothos in Romanum solum castra movisse. Huic semper irruptioni nos miseri Arverni janua sumus. Namque odiis inimicorum hinc peculiaria fomenta subministramus, quia quod necdum terminos suos ab oceano in Rhodanum Ligeris alveo limitaverunt, solam sub ope Christi moram de nostra tantum obice patiuntur. Circumjactarum vero spatia, tractumque regionum jam pridem regni minacis importuna devoravit impressio. Sed animositati nostræ tam temerariæ, tamque periculosæ, non nos aut ambustam murorum faciem, aut putrem sudium cratem, aut propugnacula vigilum trita pectoribus confidimus opitulatura: solo tamen invectarum te auctore rogationum palpamur

1. *Mamerto*] Episcopo Viennensi, de quo supra. Mamertus etiam dicitur ab Hilaro papa & Lucido, Avito, Gregorio Turon. & aliis. Qui Mamertum scribunt, a libris antiquis discedunt, & a vocis origine. Nam a Mamerte Mamertus dicitur, & a Mamerto Mamertinus, non Mamercinus. Cum hac autem epistola comparanda est Alcimi Aviti homilia de Rogationibus, cujus mentio facta est ad epist. XIV. lib. V. Sunt enim ut argumento, sic tota narrationis serie simillimæ.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 472.



auxilio: quibus inchoandis inſtituendiſque [1] populus Arvernus, & ſi non effectu pari, affectu certe non impari cœpit initiari, & ob hoc circumfuſis necdum dat terga terroribus. Non enim latet noſtram ſciſcitationem, primis temporibus harumce ſupplicationum inſtitutarum, civitas cælitus tibi credita per cujuſmodi prodigiorum terriculamenta vacuabatur. Nam modo [2] ſcenæ mœnium publicorum crebris terræ motibus concutiebantur; nunc ignes ſæpe flammati caducas culminum criſtas ſuperjecto favillarum monte tumulabant; nunc ſtupenda foro cubilia collocabant audacium pavenda manſuetudo cervorum: cum tu inter iſta diſceſſu primorum populariumque ſtatu urbis exinanito, ad nova celer veterum Ninivitarum exempla decurriſti, ne divinæ admonitioni tua quoque deſperatio conviciaretur. Et vere jam de Deo tu minime poteras abſque peccato poſt virtutum experimenta diffidere. Nam cum vice quadam civitas conflagrare cœpiſſet, fides tua in illo ardore plus caluit: & cum in conſpectu pavidæ plebis, objectu ſolo tui corporis ignis recuſſus in tergum fugitivis flexibus ſinuaretur, miraculo terribili, novo, inuſitato, affuit flammæ cedere per reverentiam, cui ſentire defuit per naturam. Primum igitur & iis paucis noſtri ordinis viris indicis jejunia, interdicis flagitia, ſupplicia prædicis, remedia promittis: exponis omnibus, nec pœnam longinquam eſſe, nec veniam: doces denuntiatæ ſolitudinis minas orationum frequentia eſſe amoliendas: mones aſſiduitatem furentis incendii, aqua potius oculorum quam fluminum poſſe reſtingui: mones minacem terræ motuum conflictationem fidei ſtabilitate firmandam. Cujus confeſtim ſequax humilis turba conſilii, majoribus quoque ſuis fuit incitamento, quos cum non piguiſſet fugere, redire non puduit. Qua devotione placatus inſpector pectorum Deus, fecit eſſe obſecrationem veſtram vobis ſaluti, ceteris imitationi, utriſque præſidio. Denique illic deinceps non fuere vel damna calamitati, vel oſtenta formidini. Quæ omnia ſciens populus iſte Viennenſibus tuis & accidiſſe prius, & non acceſſiſſe poſterius, veſtigia tam ſacroſanctæ informationis amplectitur, ſedulo petens, ut conſcientiæ tuæ beatitudo mittat orationum ſuarum ſuffragia, quibus exempla tranſmiſit. Et quia tibi ſoli conceſſa eſt, poſt avorum memoriam, vel confeſſorum [3] Ambroſium duorum martyrum repertorem, in partibus orbis occidui, martyris [4] Ferreoli ſolida translatio, adjecto noſtri capite Juliani, quod iſtinc turbulento quondam perſecutori manus retulit cruenta carnificis: non injurium eſt, quod pro compenſatione depoſcimus, ut nobis inde veniat pars patrocinii, quia

A vobis hinc rediit pars patroni. Memor noſtri eſſe dignare, domine papa.

EPISTOLA II.

Sidonius domino papæ Græco ſalutem.

ONeras, conſummatiſſime pontificum, verecundiam meam multifaria laude cumulando, ſi quid ſtilo ruſticante peraravero: atque utinam reatu careat, quod apicum primore congreſſu, quamquam circumſcriptus, veritati reſultantia tamen & diverſa connexui. Ignorantiæ ſiquidem meæ [5] callidus viator impoſuit. Nam dum ſolum mercatoris prætendit officium, B litteras meas ad formatæ vicem, ſcilicet ut Lector, elicuit, ſed quas aliquam gratiarum actionem continere decuiſſet. Namque, ut poſt comperi, plus Maſſilienſium benignitate profectus eſt, quam ſtatus ſui, ſeu per cenſum, ſeu per familiam forma pateretur. Quæ tamen ut geſta ſunt, ſi quiſpiam dignus relator evolveret, fierent jocunda memoratu. Sed quoniam jubetis ipſe, ut aliquid vobis a me lætum copioſumque pagina ferat; date veniam, ſi hanc ipſam tabellarii noſtri hoſpitalitatem comicis ſalibus comparandam, ſalva veſtrarum aurium ſeveritate perſtringamus; ne ſecundo inſinuatum non nunc primum noſſe videamur. Simul & ſi moris eſt regularum, ut ex materia omni uſurpentur principia dicendi, C cur heic quoque quodcumque mihi ſermocinaturo materia longius quæratur exſpectaturque, niſi ut ſermoni noſtro ſit ipſe pro cauſſa, cui noſter ſermo erit pro ſarcina? Arverni huic patria, parentes natalibus non ſuperbis, ſed abſolutis, & ſicut nihil illuſtre jactantes, ita nihil ſervile metuentes; contenti cenſu modico, ſed eodem vel ſufficiente, vel libero; militia illis in clericali potius, quam in palatino decurſa comitatu. Pater iſti granditer frugi, & liberis parum liberalis: quique per nimiam parſimoniam juveni filio plus prodeſſe, quam placere maluerit. Quo relicto tunc puer iſte vos petiit nimis expeditus; quod erat maximum conatibus primis impedimentum: nihil eſt enim viatico D levi gravius. Attamen primus illi in veſtra mœnia ſatis ſecundus introitus. [6] Sancti Euſtachii qui vobis deceſſit, actutum dicto factoque gemina benedictio eſt: hoſpitium brevi quæſitum, jam Euſtachii cura facile inventum, celeriter aditum, civiliter locatum. Jam primum crebro accurſu excolere vicinos, idemtidem ab iis ipſe haud aſpernanter reſalutari. Agere cum ſingulis, prout ætatis ratio permitteret; grandævos obſequiis, æquævos officiis obligare; pudicitiam præ ceteris ſobrietatemque

1. *Populus Arvernus*] Mamerti Rogationes quæ Domini Aſcenſionem antecedunt, imitati ſunt non ſolum vicini populi Galliæ, ut hic locus oſtendit & concilium v. Aurelianenſe: verum etiam ceteræ nationes, atque ipſa tandem Roma, Leonis III. auctoritate, ut docent ritualium librorum auctores. Ideo litaniam Gallicanam appellarunt, quia ejus inſtitutio e Gallia, & litaniam minorem, ut a majore diſtinguerent, quæ VII. Kalendas Maii celebratur.

2. *Scenæ mœnium*] Facies exterior: ductum a ſcena theatri. Sic ſcenam corporis dixit Tertullianus de anima: ſcenam triumphi Eumenius in panegyrico de ſcholis: *Alium quidem tubarum ſonus & ſtrepitus armorum, alium quædam triumphi ſcena deterreat*: quamquam ea vox temere omiſſa eſt in vulgatis.

3. *Ambroſium duorum martyrum repertorem*] De reliquiis SS. Gervaſii & Protaſii ab Ambroſio Mediolani repertis, Ambroſius ipſe epiſt. XV. & ſermone XCI. Auguſtinus IX. confeſſionum, & XXII. de civitate. Gregorius Turon. de gloria martyrum, lib. I. cap. XLVII.

4. *Ferreoli ſolida translatio*] Ferreoli corpus integrum cum capite Juliani, quod ab Arvernis Viennam fuerat allatum, humiliore primum ad Rhodani ripam baſilica condiderant Viennenſes. Mamertus in ampliorem eccleſiam a ſe ibidem conſtructam tranſtulit, cum hac inſcriptione:

E *Heroas Chriſti geminos hæc continet aula,*
Julianum capite, corpore Ferreolum.

Hæc Gregorius Turon. hunc quoque Sidonii locum citans, de Gloria martyrum lib. II. cap. II. Eadem martyrum lipſana poſt Saracenicam direptionem Wilicarius Viennenſium itidem epiſcopus, proprio intra urbem templo locavit, ut refert Ado in chronico.

5. *Callidus viator*] Amantius. Ita enim vocat epiſtola VII. & XI. hujuſce; & ſupra indicavimus ad lib. VI. VIII. Porro non diſſimilem, at contrario eventu hiſtoriam de Andarchio Maſſilienſi, qui Urſi civis Arverni filiam uxorem callida fraude appetiit, habet Gregorius Turon. lib. IV. XLVI.

6. *S. Euſtachii*] Maſſilienſem cathedram ordine rexerant Venerius, Euſtathius & Græcus epiſcopi. Deceſſit ergo Græco Euſtathius, ſive ut alii ſcribunt, Euſtaſius. Sic enim legitur in epiſtola Hilari papæ anno CDLXIV. Euſtathius apud Gennadium de ſcriptoribus eccleſiaſticis in Muſæo.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.

A sectari : quod tam laudandum in juventute, quam rarum. Summatibus deinceps, & tunc comiti civitati, non minus opportuni, quam frequentibus excubiis agnosci, innotescere, familiarescere : sicque ejus in dies sedulitas majorum sodalitatibus promoveri : fovere boni quique certatim, votis omnes, plurimi consiliis, privati donis, cuncti beneficiis adjuvare: perque hæc spes opesque istius raptim, saltuatimque cumulari. Forte accidit, ut diversorio cui ipse successerat, quædam femina non minus censu quam moribus idonea vicinaretur: cujus filia infantiæ jam temporibus emensis, necdum tamen nubilibus annis appropinquabat. Huic hic blandus (siquidem ea ætas infantulæ, ut adhuc decenter) nunc quædam frivola, nunc ludo apta virgineo scruta do- B nabat: quibus isti parum grandibus caussis plurimum virgunculæ animus copulabatur. Anni obiter thalamo pares : quid moror multis? Adolescens solus, tenuis, peregrinus, filius familias, & e patria patre non solum non volente, verum etiam ignorante discedens, puellam non inferiorem natalibus, facultatibus superiorem, medio episcopo, quia Lector, solatio comitis, quia cliens, socru non inspiciente substantiam, sponsa non dispiciente personam, uxorem petit, impetrat, ducit. Conscribuntur tabulæ nuptiales : & si qua istic municipioli nostri suburbanitas, matrimonialibus illic inserta documentis, mimica largitate recitatur. Peracta circumscriptione legitima & fraude solemni, levat divitem conjugem C pauper adamatus: & diligenter quæ ad socerum pertinuerant rimatis convasatisque, non parvo etiam corollario facilitatem credulitatemque munificentiæ socrualis mungens, receptui in patriam cecinit præstigiator invictus. Quo profecto mater puellæ pro [1] hyperbolicis instrumentis cœpit actionem repetundarum velle proponere; & tunc demum de mancipiorum sponsalitiæ donationis paucitate mærere, quando jam de nepotum numerositate gaudebat. Ad hanc placandum noster Hyppolytus perrexerat, cum litteras meas prius obtulit. Habetis historiam juvenis eximii: fabulam [2] Milesiæ vel Atticæ parem. Simul & ignoscite præter æquum epistolarem formulam porrigenti: quam ob hoc stilo morante produ- D xi, ut non tamquam ignotum reciperetis, quem civem beneficiis reddidistis. Pariter & natura comparatum est, ut quibus impendimus studium, præstemus affectum. Vos vero Eustachium pontificem tunc ex asse digno herede decessisse monstrabitis, si ut propinquis testamenti, sic clientibus patrocinii legata solvatis. Ecce parui, & obedientis officium garrulitate complevi, licet negotium indocto qui prolixitatis injungit, ægre ferre non debeat, si non tam eloquentes epistolas recepit, quam loquaces. Memor nostri esse dignare, domine papa.

EPISTOLA III.

Sidonius domino papæ [3] Megethio salutem.

DIu multumque deliberavi, quamquam mihi animo affectus studioque parendi solicitaretur, an destinarem, sicuti injungis, contestatiunculas quas ipse dictavi. Vicit ad ultimum sententia, quæ tibi obsequendum definiebat : ergo petita transmisi. Et quid modo dicemus? grandis ne hæc obedientia? puto grandis est: grandior impudentia tamen. Hac enim fronte possemus, fluminibus aquas, silvis ligna transmittere: hac enim temeritate Apellem penicu- B lo, cælo Phidiam, malleo Polycletum muneraremur. Dabis ergo veniam præsumtioni, papa sancte, facunde, venerabilis, quæ doctissimo examini tuo naturali garrulitate deblaterat. Habet consuetudo nostra pro ritu, ut & si pauca edit, multa conscribat : veluti est canibus innatum, ut & si non latrant, tamen hirriant. Memor nostri esse dignare, domine papa.

EPISTOLA IV.

Sidonius domino papæ Fontejo salutem.

C INsinuare quoscumque jam paveo, quia commendatis nos damus verba, vos munera: tamquam non principalitas sit censenda beneficii, quod a me peccatore digressis sanctæ communionis portio patet. Testis horum est Vindicius noster, qui segnius domum pro munificentiæ vestræ fasce remeavit; quoquo loci est constanter affirmans, cum sitis opinione magni, gradu maximi, non tamen esse vos amplius dignitate, quam dignatione laudandos. Prædicat sanctas, melleas & floridas, quæ procedunt de temperata communione, blanditias: nec tamen ex hoc quidquam pontificali deperire personæ; quod sacerdotii fastigium non frangitis comitate, sed flectitis. Quibus agnitis sic inardesco, ut tum me sim felicissimum judicaturus, cum mihi coram posito sub D divina ope contigerit, tam securum de Deo suo pectus, licet præsumtiosis, arctis tamen fovere complexibus. Accipite confitentem: suspicio quidem nimis severos, & imbecillitatis meæ conscius, æquanimiter fero asperos mihi: sed, quod fatendum est, hisce moribus facilius humilitate submittimur, quam familiaritate sociemur. In summa, viderit qua conscientiæ dote turgescat, qui se ambientibus rigidum reddit: ego tamen morum illius æmulator esse prælegerim, qui etiam longe positorum incitare in se affectat affectum. Illud quoque mihi inter maxima granditer cordi est, quod apostolatus vestri patrocinium copiosum verissimis dominis animæ meæ, Simplicio & Apollinari, intermina intercessione conferre E vos comperi. Si verum est, rogo ut non habeat vestra caritas finem : si falsum est, peto ut non differat

1. *Pro hyperbolicis instrumentis*] Alii *perhyperbolicis*. Jac. Cujacius, vir magni & exacti judicii, legendum censet *hypobolici* : quod valde probarem, si alicujus antiqui libri suffragio niteretur. De his enim est sermo. Verum utrovis modo legas, idem est sensus. Nam aut hypobolica dicit instrumenta sponsalitiæ, ut mox vocat, donationis propter nuptias, quam hypobolum a Græcis appellari docent juris interpretes : aut hyperbolica illa eadem instrumenta, in quibus Amantius multa prædia, non sua sed aliena, hypoboli nomine hyperbolice largitus fuerat : quæ nunc ab ipso frustra scilicet reposcebantur. Ceterum admonet sponsalitiæ donationis mentio, ut vocem hanc Ennodio nostro restituamus : in vita Epiphanii, cujus oratio describitur ad Gundobaldum regem : *Sit*, inquit, *filii tui sponsalitia largitas, absolutio captivorum : offerat pactæ suæ munus, quod & Christus accipiat.*

2. *Milesiæ vel Atticæ*] Numquam dubitavi, quin ita scriptum esset a Sidonio, non *militiæ*, cujus hoc loco aliena est significatio. Milesiorum vero fabulæ, amatoriæ erant, & ἀκόλαστοι. Quare Milesiæ dicuntur omnes ejus generis & argumenti; in quo excelluit Aristides. Plutarchus in Crasso, de Surena Seleuciæ triumphante : *τὴν δὲ γερουσίαν τῶν Σελευκέων ἀθροίσας εἰσήνεγκεν ἀκόλαστα βιβλία τῶν Ἀριστείδου Μιλησιακῶν*. Meminit & Lucianus in dialogo cui titulus ἔρωτες. Hinc & Milesiæ Punicæ Apuleii dictæ a Severo imp. in epistola, quia Milesiarum genio *scriptæ* ab auctore Pœno. De his & Hieronymus Apologia 1. in Rufinum : *Quasi non cirratorum turba Milesiorum in schola figmenta decantet.*

3. *Megethio*] Episcopo Bellicensi. Numeratur inter episcopos, qui synodo Arelatensi interfuerunt.

habere principium. Præterea commendo gerulum litterarum, cui istic, id est, in Vasionensi oppido, quiddam necessitatis exortum sanari vestræ auctoritatis reverentiæ pondere potest. Memor nostri esse dignare, domine papa.

EPISTOLA V.

Sidonius domino papæ [1] *Agrœcio salutem.*

Bituricas decreto civium petitus adveni: caussa fuit evocationis titubans ecclesiæ status; quæ nuper summo viduata pontifice, utriusque professionis ordinibus ambiendi sacerdotii quoddam classicum cecinit. Fremit populus per studia divisus: pauci alteros, multi se se non offerunt solum, sed inferunt. Si aliquid pro virili portione secundum Deum consulas veritatemque, omnia incurrunt levia, varia, fucata: & quid dicam? sola est illic simplex impudentia. Et nisi me immerito quæri judicaretis, dicere auderem, tam præcipitis animi esse plerosque tamque periculosi, ut sacrosanctam sedem dignitatemque affectare pretio oblato non reformident: & rem jam dudum in nundinam mitti auctionemque potuisse, si quam paratus invenitur emtor, venditor tam desperatus inveniretur. Proinde quæso ut officii mei novitatem, pudorem, necessitatem, spectatissimi adventus tui ornes contubernio, tuteris auxilio. Nec te, quamquam [2] Senoniæ caput es, inter hæc dubia subtraxeris intentionibus medendis Aquitanorum: quia minimum refert, quod nobis est in habitatione divisa provincia, quando in religione caussa conjungitur. His accedit quod de urbibus [3] Aquitanicæ primæ solum oppidum Arvernum Romanis reliquum partibus bella fecerunt. Quapropter in constituendo præfatæ civitatis antistite, provincialium collegarum deficimur numero, nisi metropolitanorum reficiamur assensu. De cetero, quod ad honoris vestri spectat prærogativam, nullus a me hactenus nominatus, nullus adhibitus, nullus electus est: omnia censuræ tuæ salva, illibata, solida servantur. Tantum hoc mecum duco, vestras invitare personas, exspectare voluntates, laudare sententias: & eum in locum statumque pontificis quisque sufficitur, ut a vobis præceptum, a me procedat obsequium. Sed si (quod tamen arbitror minime fore) precibus meis apud vos malesuadus obstiterit interpres; poteritis præsentiam vestram potius excusare, quam culpam: sicut e diverso, si venitis, ostenditis quia terminus potuerit poni vestræ quidem regioni, sed non potuerit caritati. Memor nostri esse dignare, domine papa.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.

EPISTOLA VI.

Sidonius domino papæ [4] *Basilio salutem.*

Sunt nobis, munere Dei, novo nostrorum temporum exemplo, amicitiarum vetera jura: diuque est quod invicem diligimus ex æquo. Porro autem, quod ad communem conscientiam pertinet, tu patronus; quamquam hoc ipsum præsumtiose, arroganterque loquar. Namque iniquitas mea tanta est, ut mederi de lapsuum ejus assiduitate vix etiam tuæ supplicationis efficacia queat. Igitur quia mihi es tam patrocinio, quam dilectione bis dominus, pariter & quod memini probe, quo polleas igne sensuum, fonte verborum: qui viderim Modaharium civem Gothum, Arrianæ hæreseos jacula vibrantem, quo tu spiritualium testimoniorum mucrone confoderis; servata ceterorum tam reverentia, quam pace pontificum; non injuria tibi defleo, qualiter ecclesiasticas caulas istius aeris lupus qui peccatis pereuntium saginatur animarum, clandestino morsu necdum intellecti dentis arrodat. Namque hostis antiquus, quo facilius insultet balatibus ovium destitutarum, prius dormitantium incipit cervicibus imminere pastorum. Neque ego ita mei meminens non sum, ut nequaquam me hunc esse reminiscar; quem longis adhuc abluenda fletibus conscientia premat; cujus stercora tamen, sub ope Christi, quandoque mysticis orationum tuarum rastris eruderabuntur. Sed quoniam supereminet privati reatus verecundiam publica salus, non verebor, & si carpat zelum in me fidei sinister interpres, sub vanitatis invidia caussam prodere veritatis. [5] Evarix rex

1. *Agrœcio*] Senoniæ, hoc est provinciæ quartæ Lugdunensis metropolitano: cujus inter sanctos antistites suos festum diem agunt Senonenses Idibus Juniis. Cave cum Agrœcio altero confundas: cujus nomen in synodo Agathensi legitur, & ad quem scripta exstat epistola synodi Carpentoratensis. Hic enim multo posterior, & alterius sedis fuit episcopus, Antipolitanæ nimirum, in Alpium maritimarum Provincia. De Bituricensis episcopi electione cujus gratia Bituricas venerat Sidonius, aget postea epistola IX. Ex hac autem & octava ad Euphronium, quæ in nonnullis exemplaribus huic proxime subjungitur, observare est, moris olim fuisse in constituendis episcopis, ut si quando provincialium episcoporum legitimus numerus deficeret, ex finitimis provinciis alios advocarent. Quos quidem & si numerus alioqui non deesset, pro arbitrio tamen provincialium episcoporum adhibere ex synodi Nicænæ decretis licuisse, docet epistola synodi Constantinopolitanæ, quam recitat Theodoretus lib. V. cap. VIII. *Περὶ δὲ τῶν κατὰ μέρος ἐν ταῖς ἐκκλησίαις παλαιός τε, ὡς ἴστε, θεσμὸς, κεκράτηκε, καὶ τῶν ἁγίων ἐν τῇ Νικαίᾳ πατέρων ὅρος, καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τοὺς τῆς ἐπαρχίας, καὶ εἴπερ ἐκεῖνοι βούλοιντο, σὺν αὐτοῖς τοὺς ὁμόρους, πρὸς τὸ συμφέρον ποιεῖσθαι τὰς χειροτονίας.*

2. *Senoniæ caput es*] Provinciæ quartæ Lugdunensis, ut observatum est ad epist. XVIII. lib. IV.

3. *Aquitanicæ primæ*] Ut lib. IV. epist. XVIII. *Lugdunensem secundam*. Provinciæ olim, cum simplices essent, pleræque postea principum nutu in plures dividi cœperunt. Hinc orta cognomina, ut aliæ primæ dicerentur, aliæ secundæ, tertiæ, & ita deinceps pro numero provinciarum. Aquitaniæ igitur duæ fuerunt. Prima, cujus caput Bituriges: secunda, cujus caput Burdegala. Semper autem divisis provinciis pars illa primæ nomen obtinuit, cui metropolis obtigit, quæ totius provinciæ ante divisionem caput erat: ut Narbonensis prima dicta est, in qua Narbo, Lugdunensis prima in qua Lugdunum, Aquitania prima in qua Bituriges. Inde est primarum provinciarum metropolitani primates erant reliquarum ejusdem nominis provinciarum. Sicut enim Lugdunensis episcopus, ut liquet ex Gregorii VII. epistt. XXXV. & XXXVI. lib. VI. Primas est quatuor Lugdunensium: sic Bituricensis utriusque Aquitaniæ. Atque ita ferme in aliis provinciis, cum ex una plures fiebant, idem mos fuit, ut in ea Primas esset, quæ prima & antiquissima inter metropoles erat.

4. *Basilio*] Aquarum Sextiarum, ut reor, episcopo. Ut ita conjiciam facit, quod sub finem epistolæ Basilium urbe medium esse dicat inter Leontium Arelatensem, Faustum Reiorum, & Græcum Massiliæ episcopos: inter has autem urbes medio prope spatio sita est metropolis Aquensium. Basilii autem hujus, tunc adhuc presbyteri, prudens consilium factumque in funere Hilarii episcopi Arelatensis narrat auctor vitæ Hilarii.

5. *Evarix rex Gothorum*] Euricus, qui & Eoricus, lib. VIII. epist. IX. Sic Deudorix apud Strabonem & Theuderis ac Theodoricus, unicum est nomen. Hujus vero Euricianæ in catholicos persecutionis, Sidoniique epistolæ meminit Gregorius Turon. lib. II. cap. XXV. *Sidonii*, inquit, *tempore Evarix rex Gothorum, excedens Hispanum limitem, gravem in Galliis super Christianos intulit persecutionem. Truncabat passim perversitati suæ non consentientes, clericos carceribus subigebat: sacerdotes vero alios dabat exsilio, alios gladio trucidabat. Nam & ipsos sacrorum templorum aditus spinis jusserat obserari scilicet ut raritas ingrediendi oblivionem faceret fidei. Maxime tunc Novempopulanæ, geminæque Aquitaniæ urbes ab hac tempestate depapulatæ sunt. Exstatque hodie & pro hac caussa ad Basilium*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.



Gothorum, quod limitem regni sui, rupto dissolutoque fœdere antiquo, vel tutatur armorum jure, vel promovet, nec nobis peccatoribus heic accusare, nec vobis sanctis heic discutere permissum est. Quin potius si requiras, ordinis res est, ut & dives heic purpura byssoque veletur, & Lazarus heic ulceribus & paupertate feriatur. Ordinis res est, ut dum in hac allegorica versamur Ægypto, Pharao incedat cum diademate, Israelita cum cophino. Ordinis res est, ut dum in hac figuratæ Babylonis fornace decoquimur, nos cum Jeremia spiritualem Jerusalem suspiriosis plangamus ululatibus, & Assur fastu regio tonans sanctorum sancta proculcet. Quibus præsentum ego futurarumque beatitudinum vicissitudinibus inspectis, communia patientius incommoda fero. Primum, quod mihi quæ merear introspicienti, quæcumque adversa provenerint, leviora reputabuntur: dein quod certum scio, maximum esse remedium interioris hominis, si in hac area mundi variis passionum flagellis trituretur exterior. Sed quod fatendum est, præfatum regem Gothorum, quamquam sit ob virium merita terribilis, non tam Romanis mœnibus, quam legibus Christianis insidiaturum pavesco. Tantum, ut ferunt, ori, tantum pectori suo catholici mentio nominis acet, ut ambigas, amplius ne suæ gentis, an suæ sectæ teneat principatum. Ad hoc, armis potens, acer animis, alacer annis, hunc solum patitur errorem, quod putat sibi tractatuum consiliorumque successum tribui pro religione legitima, quem potius assequitur pro felicitate terrena. Propter quod discite cito catholici status valetudinem occultam, ut apertam festinetis adhibere medicinam. Burdegala, Petrocorii, Ruteni, Lemovices, Gabalitani, [1] Elusani, Vasates, [2] Convenæ, Auscenses, multoque jam major numerus civitatum, summis sacerdotibus ipsorum morte truncatis, [3] nec ullis deinceps episcopis in defunctorum officia suffectis, (per quos utique minorum ordinum ministeria subrogabantur) latum spiritualis ruinæ limitem traxit. Quam fere constat sic per singulos dies morientum patrum proficere defectu, ut non solum quoslibet hæreticos præsentum, verum etiam hæresiarchas priorum temporum potuerit inflectere: ita populos excessu pontificum orbatos, tristis intercisæ fidei desperatio premit. Nulla in desolatis cura diœcesibus parochiisque. Videas in ecclesiis aut putres culminum lapsus, aut valvarum cardinibus avulsis, basilicarum aditus hispidorum veprium fruticibus obstructos. Ipsa, proh dolor! videas armenta, non modo semipatentibus jacere vestibulis, sed etiam herbosa viridantium altarium latera depasci. Sed jam nec per rusticas solum solitudo parochias: ipsa insuper urbanarum ecclesiarum conventicula rarescunt. Quid enim fidelibus solatii superest, quando clericalis non modo disciplina, verum etiam memoria perit? Equidem cum clericus quisque defungitur, si benedictione succidua non accipiat dignitatis heredem, in illa ecclesia sacerdotium moritur, non sacerdos. Atque ita quid spei restare pronunties, ubi facit terminus hominis finem religionis? Altius inspicite spiritualium damna membrorum: profecto intelligetis, quanti subripiuntur episcopi, tantorum vobis populorum fidem periclitaturam. Taceo vestros [4] Crocum Simpliciumque collegas, quos cathedris sibi traditis eliminatos, similis exsilii cruciat pœna dissimilis. Namque unus ipsorum se dolet non videre, quo redeat: alter se dolet videre, quo non redit. Tu sacratissimorum pontificum Leontii, Fausti, Græci, urbe, ordine, caritate medius inveniris: per vos mala fœderum currunt, per vos regni utriusque pacta conditionesque portantur. Agite quatenus hæc sit amicitia, concordia principalis, ut episcopali ordinatione permissa, populos Galliarum quos limes Gothicæ fortis incluserit, teneamus ex fide, & si non tenemus ex fœdere. Memor nostri esse dignare, domine papa.

EPISTOLA VII.

Sidonius domino papæ [5] Græco salutem.

Ecce iterum Amantius nugigerulus noster Massiliam suam repetit, aliquid, ut moris est, de manubiis civitatis domum reportaturus, si tamen cataplus arriserit: per quem joculariter plura garrirem, si pariter unus idemque valeret animus exercere læta, & tristia sustinere. Siquidem nostri hic nunc est infelicis anguli status; cujus, ut fama con-

episcopum nobilis Sidonii ipsius epistola. Hæc ille, Sidonii hærens vestigiis. Nam in Novempopulis sunt Elusani, Vasates, Convenæ, Auscenses. reliqui in duabus Aquitaniis. Sed apud Gregorium mendose legitur: *geminaque Germaniæ*.

1. *Elusani, Vasates*] Nulla est injuria, quod Elusanos præponat ceteris Novempopulanis. Fuit enim, cum Elusa metropolis esset totius provinciæ, & sub ea cum reliquis civitas Ausciorum, quæ nunc metropolis: ut testantur non modo veteres Notitiæ provinciarum, in quibus Novempopulanæ civitates hoc modo describuntur: *Metropolis civitas Elusatium*, *civitas Aquensium*, & post alias postrema, *civitas Ausciorum*: verum etiam subscriptiones antiquarum synodorum. Agathensi etenim concilio subscripserunt Clarus Elusæ metropolitanus & Nicetius Ausciorum episcopus: Aurelianensi primo Leontius, non Tolosanæ, ut perperam excusum est, sed Elosanæ metropolis, & Nicetius idem Ausciorum episcopus. Remensi denique apud Flodoardum lib. II. cap. v. subscripsere itidem Senocus Elosanensis & Audericus Auscensis: eodemque exemplo in aliis, quamdiu metropolis fuit Elusa. Nunc enim, quæ rerum vices, sine episcopo in vicum pæne redacta est. Eusam ab incolis, sive Eosam dici, recte docuit Scaliger ad Ausonium. Errant vero, & Ammiano Marcellino errorem affingunt, qui in his ejus verbis lib. xv. *In Narbonensi clusa est Narbona & Tolosa*, pro clusa Elusam legi volunt. Elusa enim in Novempopulis est, non in Narbonensi. Nec minus falluntur, qui Elusonem Paullini epist. vi. sive Elusionem, ut est in Itinerario Burdegalensi, eamdem cum Elusa faciunt: cum Elusio inter Tolosam & Narbonem sita fuerit in Narbonensi, Elusa inter Auscios & Burdegalam, in Novempopulana, ut dictum est. Ad eam quoque pertinet vetus inscriptio Nemausi, quæ continet epitaphium L. Taurini Aurelii civis Elusensis.

2. *Convenæ*] Qui nunc Comingenses, Narbonensibus proximi ad fontes Garumnæ. Horum olim civitas Lugdunum, *Λούγδουνον Κονουενῶν* dicta Straboni & Ptolemæo. At Comingensium hodie caput & sedes episcoporum, civitas S. Bertrandi: quam ipsam Lugdunum esse persuadet situs, ab eo nihil discrepans, quem urbis Convenicæ describit Gregorius Turon. lib. VII. cap. xxxiv. Posita enim est in colle. Lugdunum autem vetere Gallorum lingua est Clarus Mons. Æthici quidem Itinerarium, cum ab Aquis Tarbellicis Tolosam iter adsignat per Lugdunum; item cum ab Agenno Lugdunum millia passuum numerat LXV. de Lugduno Convenarum accipi debet.

3. *Nec ullis deinceps episcopis*] Hoc ipsum in persecutione Vandalica deflet Victor Uticensis, de episcopis agens in exsilium pulsis ab Hunerico: *Quibus*, inquit, *in exsilio positis dum obitus obvenisset, non licebat in eorum civitatibus alios ordinare*. Episcopis ergo morte sublatis cum alii non subrogarentur, per quos presbyteri, diacones ceterique inferiorum ordinum clerici designarentur, summam in ecclesiis omnibus vastitatem sequi necesse erat.

4. *Crocum, Simpliciumque*] Croco episcopo inter alios inscripta est epistola Lucidi presbyteri. Ex quo liquet illum interfuisse synodo Arelatensi. Episcopus fuit Nemausensis; de Simplicio autem, non liquet.

5. *Græco*] Episcopo Massiliensi, de quo supra. Scripta eo tempore, quo ex fœdere pacis a Nepote initæ cum Eurico, Arverni Gothis a quibus vi capi non potuerant, dedi jussi sunt ut dictum est ad epistolam I. lib. III. Propterea Sidonius non immerito queritur, Arvernorum meliorem fuisse sub bello quam sub pace conditionem.

A firmat; melior fuit sub bello quam sub pace conditio[1]. Facta est servitus nostra pretium securitatis alienæ. Arvernorum, proh dolor! servitus: qui, si prisca replicarentur, audebant se quondam fratres Latio dicere, & sanguine ab Iliaco populos computare. Si recentia memorabuntur, ii sunt qui viribus propriis hostium publicorum arma remorati sunt: cui sæpe populo Gothus non fuit clauso intra mœnia formidini, cum vicissim ipse fieret oppugnatoribus positis intra castra terrori. Hi sunt, qui sibi adversus vicinorum aciem tam duces fuere quam milites. De quorum tamen sorte certaminum, si quid prosperum cessit, vos secunda solata sunt: si quid contrarium, illos adversa fregerunt. Illi amore reipublicæ [1] Seronatum, barbaris provincias propinantem, non timuere legibus tradere: quem convictum deinceps respublica vix præsumsit occidere. Hoccine meruerunt inopia, flamma, ferrum, pestilentia, pingues cædibus gladij, & macri jejuniis prœliatores? Propter hujus tamen inclytæ pacis exspectationem, avulsas muralibus rimis herbas in cibum traximus: crebro per ignorantiam venenatis graminibus infecti, quæ indiscretis foliis succisque viridantia, sæpe manus fame concolor legit. Pro iis tot tantisque devotionis experimentis nostri (quantum audio) facta jactura est: pudeat vos, precamur, hujus fœderis nec utilis nec decori. Per vos legationes meant. Vobis primum, quamquam principe absente, non solum tractata referantur, verum etiam tractanda committuntur. Veniabilis sit, quæsumus, apud aures vestras veritatis asperitas, cujus convicii invidiam dolor eripit. Parum in commune consulitis: & cum in concilium convenitis, non tam curæ est publicis mederi periculis, quam privatis studere fortunis: quod utique sæpe diuque facientes, jam [2] non primi comprovincialium cœpistis esse, sed ultimi. At quousque istæ poterunt durare præstigiæ? Non enim diutius ipsi majores nostri hoc nomine gloriabuntur, qui minores incipiunt non habere. Quapropter vel consilio, quo potestis, statum concordiæ tam turpis incidite. Adhuc si necesse est obsideri, adhuc pugnare, adhuc esurire delectat. Si vero tradimur, qui non potuimus viribus obtineri, invenisse vos certum est, quid barbarum suaderetis ignavi. Sed cur dolori nimio frena laxamus? Quin potius ignoscite afflictis, nec imputate mærentibus. Namque alia regio tradita servitium sperat, Arverna supplicium. Sane si medicari nostris ultimis non valetis, saltem hoc efficite prece sedula, ut sanguis vivat, quorum est moritura libertas: parate exsulibus terram, capiendis redemtionem, viaticum peregrinaturis. Si murus noster aperitur hostibus, non sit clausus vester hospitibus. Memor nostri esse dignare, domine papa.

EPISTOLA VIII.

Sidonius domino papæ [3] Euphronio salutem.

Quandoquidem me clericalis officii vincula ligant, felicissimum mediocritatis meæ statum pronuntiarem, si nobis haberentur [4] quam territoria vicina, tam mœnia. De minimis videlicet rebus coronam tuam maximisque consulerem: fieretque actionum mearum quasi cujuspiam fluvii placidissimus cursus atque inoffensus, si e tractatu tuo veluti e saluberrimo fonte manaret. Procul dubio tunc ille non esset aut spumosus per jactantiam,
B aut turbidus per superbiam, aut cænosus per conscientiam, aut præceps per juventutem. Quin potius in illo squalidum si quid ac putre sorderet, totum id admixta consilii tui vena dilueret. Sed quod hujuscemodi votis spatia sunt longa interposita præpedimento, sedulo precor, ut consulentem de scrupulo incursæ ambiguitatis expedias: & quia [5] Simplicium spectabilem virum episcopum sibi flagitat populus Biturix ordinari, quid super tanto debeam negotio facere, decernas. Hujus es namque vel erga me dignationis, vel erga reliquos auctoritatis, ut si quid fieri voles (voles autem quidquid æquissimum est) non suadere tam debeas, quam jubere. De quo tamen Simplicio scitote narrari plurima bona, at-
C que ea quidem a plurimis bonis. Quæ testimonia mihi prima fronte colloquii non satis grata, quia satis gratiosa, judicabantur. At postquam æmulos ejus nihil vidi amplius quam silere, atque eos maxime qui fidem fovent Arrianorum; neque quippiam nominato, licet necdum nostræ professionis, illicitum opponi: animum adverti exactissimum virum posse censeri, de quo civis malus loqui, bonus tacere non posset. Sed cur ego ista hæc ineptus adjeci, tamquam darem consilium qui poposci? Quin potius omnia ex vestro nutu, arbitrio, litterisque disponentur, sacerdotibus, popularibus manifestabuntur. Neque enim ita desipimus in totum, ut evocandum te primum, si venire possibile est; deinde
D si quid secus, certe consulendum decerneremus, nisi in omnibus obsequuturi. Memor nostri esse dignare, domine papa.

EPISTOLA IX.

Sidonius domino papæ [6] Perpetuo salutem.

Desiderio spiritualium lectionum quarum tibi tam per authenticos, quam per disputatores bibliotheca fidei catholicæ persamiliaris est, etiam illa quæ maxime tuarum scilicet aurium minime digna sunt occupare censuram, noscere cupis. Siqui-

1. *Seronatum*] De quo lib. II. epist. I. & lib. V. epist. XIII.

2. *Non primi comprovincialium, sed ultimi*] Episcoporum provinciæ Arelatensis. Massilia olim provinciæ fuerat Viennensis: at Sidonii ævo Arelatensi attribuebatur. Jam enim Leonis magni decreto divisa in duas fuerat provincia Viennensis; ita ut pars Viennæ cederet metropoli, pars Arelato. Inter Arelatensis autem provinciæ civitates prima erat Massilia: tum Avenio, Arausio, Carpentorate, Vasio & aliæ. Primi ergo comprovincialium episcopi Massilienses. At nunc, ait Sidonius, reliquis fere civitatibus in Gothorum vel Burgundionum potestatem redactis, jam non primi in ea provincia cœperant esse, sed ultimi.

3. *Euphronio*] Augustodunensi episcopo: ad quem est epist. II. lib. IV. & de quo epistola ultima lib. IX. Colitur inter Sanctos III. Nonas Augusti. Subscripsit epistolæ Fausti, & synodo Arelatensi. Ante episcopatum vero basilicam S. Symphoriani in urbe sua condidit, ut auctor est Gregorius Turon. lib. II. cap. XV. Hujus & Lupi Tri-
E cassini habemus epistolam, cujus ante mentio facta est, de bigamis clericis, & iis qui uxores duxerunt: alteram desideramus quam Idacio teste ad Agrippinum comitem scripserat, de prodigiis quæ in Gallia sub Attilæ adventum visa sunt.

4. *Quam territoria vicina*] Arverni Æduos contingunt. Itaque inter utriusque populi diœceses & territoria nihil interjectum. At inter urbes ipsas longa dierum aliquot interposita spatia.

5. *Simplicium spectabilem virum*] De quo in concione, post epistolam sequentem.

6. *Perpetuo*] Turonum episcopo, tertiæ Lugdunensis metropolitano: cujus provinciæ duabus synodis præfuit, Veneticæ & Turonensi. Huic ergo mittit Sidonius concionem quam ad plebem Bituricam in Simplicii episcopi electione habuerat. De Perpetuo & basilica S. Martini ab eo structa, jam dictum est lib. IV. epist. XVIII. Meminit ejusdem cum laude aliquot locis Paullinus lib. VI. de vita S. Martini, & in versibus de Nepotulo.

dem injungis, ut orationem quam videor ad plebem Biturigis in eccleſia ſermocinatus, tibi dirigam: cui non rhetorica partitio, non oratoriæ minæ, non grammaticales figuræ, congruentem decorem, diſciplinamque ſuppeditaverunt. Neque enim illic, ut exacte perorantibus mos eſt, aut pondera hiſtorica, aut poetica ſchemata, ſcintillasve controverſalium clauſularum libuit aptari. Nam cum me partium ſeditiones, ſtudia, varietates, in diverſa raptarent; ſic dictandi mihi materiam ſuggerebat injuria, quod tempus occupatio ſubtrahebat. Etenim tanta turba competitorum, ut cathedræ unius numeroſiſſimos candidatos nec duo recipere ſcamna potuiſſent. Omnes placebant ſibi, omnes omnibus diſplicebant. Neque enim valuiſſemus aliquid in commune conſulere, niſi judicii ſui faciens plebs lenita jacturam, ſacerdotali ſe potius judicio ſubdidiſſet: presbyterorum ſane paucis angulatim [1] fringultientibus; porro autem palam ne muſſitantibus quidem; quia plerique non minus ſuum, quam reliquos ordines pertimeſcebant. Igitur dum publice totos ſinguli cavent, factum eſt ut omnes non aſpernanter audirent, quod deinceps ambienter expeterent. Itaque paginam ſume ſubditis voluminibus adjunctam: quam duabus vigiliis unius noctis æſtivæ, Chriſto teſte, dictatam, plurimum vereor, ne ipſi amplius lectioni quæ hoc de ſe probat, quam mihi credas. Memor noſtri eſſe dignare, domine papa.

CONCIO.

Refert hiſtoria ſæcularis, dilectiſſimi, quemdam philoſophorum diſcipulis advenientibus prius tacendi patientiam, quam loquendi monſtraſſe doctrinam: & ſic incipientes quoſque inter diſputantium conſectaneorum cathedras mutum ſuſtinuiſſe quinquennium; ut etiam celeriora quorumpiam ingenia non liceret ante laudari, quam deceret agnoſci. Ita fiebat, ut eoſdem poſt longam taciturnitatem loquutos, quiſque audire cœperat, non taceret: quia donec ſcientiam natura combiberit, non major eſt gloria dixiſſe quod noveris, quam ſiluiſſe quod neſcias. At nunc mediocritatem meam manet longe diverſa conditio: cui per ſuſpirioſas voragines & flagitiorum volutabra gradienti, profeſſionis hujuſce pondus impactum eſt. Et prius quam ulli bonorum reddam diſcentis obſequium, cogor debere ceteris docentis officium. Adjicitur huic impoſſibilitati pondus pudoris; quod mihi peculiariter paginæ decretalis oblatu, [2] pontificis eligendi mandaſtis arbitrium, coram ſacroſancto & pontificatu maximo [3] digniſſimo papa: qui cum ſit ſuæ provinciæ caput, ſit etiam mihi inſtitutione, facundia, privilegio, tempore, ætate præſtantior: ego deque, coramque metropolitano verba facturus, & provincialis, A & junior, pariter fero imperiti verecundiam, procacis invidiam. Sed quoniam veſtro ſic libitum errori, ut ipſe prudentia carens, prudentem vobis, in cujuſque perſonam bona multa concurrant, ſub ope Chriſti epiſcopum exquiram: noveritis hujuſmodi aſſenſu multum me honoris, plus oneris excipere. Primore loco, grandem publicæ opinionis ſarcinam penditore, quod injunxiſtis incipienti conſummata judicia: atque ab hoc rectum conſilii tramitem poſtulatis, in quo recolitis adhuc nuper erratum. Igitur quia vobis id fuit cordi, obſecro, ut quales nos fide creditis, tales interceſſione faciatis; atque dignemini humilitatem noſtram orationibus potius in cælum ferre, [4] quam plauſibus. Primum B tamen noſſe vos par eſt, in quas me obloquiorum ſcyllas, & in quos linguarum, ſed humanarum latratus quorumdam vos infamare conantum turbo conjecerit. Eſt enim hæc quædam vis malis moribus, ut innocentiam multitudinis devenuſtent ſcelera paucorum: cum tamen e diverſo bonorum raritas flagitia multorum nequeat excuſare virtutibus communicatis. Si quempiam nominavero monachorum, quamvis illum Paullis, Antoniis, Hilarionibus, Macariis conferendum, ſectatæ anachoreſeos prærogativa comitetur, aures illico meas incondito tumultu circumſtrepitas ignobilium pumilionum murmur everberat conquerentium: Hic qui nominatur, inquiunt, non epiſcopi, ſed potius abbatis complet C officium; & intercedere magis pro animabus apud cæleſtem, quam pro corporibus apud terrenum judicem poteſt. Sed quis non exacerbeſcat, cum videat ſordidari virtutum ſinceritatem criminatione vitiorum? Si eligimus humilem, vocatur abjectus: ſi proferimus erectum, ſuperbire cenſetur. Si minus inſtitutum, propter imperitiam creditur irridendus: ſi aliquatenus doctum, propter ſcientiam clamatur inflatus. Si ſeverum, tamquam crudelis horretur: ſi indulgentem, facilitate culpatur. Si ſimplicem, deſpicitur ut brutus: ſi acrem, vitatur ut callidus. Si diligentem, ſuperſtitioſus decernitur: ſi remiſſum, negligens judicatur. Si ſollertem, cupidus: ſi quietum, pronuntiatur ignavus. Si abſtemium produci- D mus, avarus accipitur: ſi eum qui prandendo paſcat, edacitatis impetitur: ſi eum qui paſcendo jejunet, vanitatis arguitur. Libertatem pro improbitate condemnant: verecundiam pro ruſticitate faſtidiunt: rigidos ab auſteritate non habent caros: blandi apud eos communione vileſcunt. Ac ſi apud eos utrolibet genere vivatur, ſemper heic tamen bonarum partium mores pungentibus linguis maledicorum veluti bicipitibus hamis inuncabuntur. Inter hæc monaſterialibus diſciplinis ægre ſubditur, vel popularium cervicoſitas, vel licentia clericorum. Si clericum dixero, ſequentes æmulantur, derogant antecedentes. Nam ita ex iis pauci, quod reliquo-

1. *Fringultientibus*] Paſſerum more garrientibus. Nam paſſerum eſt fringultire ſeu fringutire. Unde Sidonius lib. IX. epiſt. 11. *Fringultientes paſſerum ſuſurros* proprie dixit: & paſſerum genus eſt, fringillus. Gloſſæ, *σπίνος ὁ στρουθός. fringillus.*

2. *Pontificis eligendi*] Quæ de populi ſuffragiis in epiſcopis eligendis ad epiſtolam ultimam lib. IV. notavimus, eadem valebant in creandi metropolitani comitiis: quibus nimirum præerat, qui prærogativa collegis provincialibus anteibat. Leo magnus ad Anaſtaſium epiſt. XXCII. *Metropolitano*, inquit, *defuncto, provinciales epiſcopi ad civitatem metropolitanam convenire debebunt, ut omnium clericorum, atque omnium civium voluntate diſcuſſa, ex presbyteris ejus eccleſiæ, vel diaconus optimus eligatur*. Feciſſent ergo Bituriges ex vetere inſtituto. Sed provincialibus ab Eurico ſublatis, vicinarum provinciarum evocandi fuerunt epiſcopi: & populus, cum e magno candidatorum numero incertus eſſet quem expeteret, communi decreto ſuffragia ſua in unius Sidonii Arvernorum epiſcopi arbi- E trio & voluntate conſtituit. Sidonius Simplicium virum ſpectabilem delegit.

3. *Digniſſimo papa*] Agrœcio Senonenſi, quem epiſt. v. invitarat. Coram hoc ergo metropolitano verba facturus erat de metropolitani Bituricenſis electione, ipſe provincialis tantum epiſcopus: quamquam inter comprovinciales Aquitaniæ primæ epiſcopos principem locum obtinet epiſcopus Arvernorum.

4. *Quam plauſibus*] Deprecatur inanem plauſum, qui frequens olim ab auditorum corona excitari ſolebat, etiam in ſacris concionibus. Ita & Chryſoſtomus Ἀνδριάντων II. *τί μοι τῶν κρότων ὄφελος τούτων; τί δὲ τῶν ἐπαίνων, καὶ τῶν θορύβων; ἔπαινος ἐμοί, τὸ διὰ τῶν ἔργων ὑμᾶς ἐπιδεῖξαι τὰ λεγόμενα πάντας. Quis mihi fructus plauſuum iſtorum? aut quis laudum & ſtrepituum? laus mea eſt, ut ea quæ dicuntur, rebus factiſque ipſis omnes exhibeatis.* Quem morem Bernardi etiam temporibus perduraſſe, nonnullæ ejus homiliæ declarant.

rum pace sit dictum, solam clericatus diuturnitatem pro meritis autumant calculandam; ut nos in antistite consecrando, non utilitatem velint eligere, sed ætatem: tamquam diu potius, quam bene vivere, debeat accipi ad summum sacerdotium adipiscendum, pro omnium gratiarum privilegio, decoramento, lenocinamento. Et ita quipiam in ministrando segnes, in obloquendo celeres, in tractatibus otiosi, in seditionibus occupati, in caritate infirmi, in factione robusti, in æmulationum conservatione stabiles, in sententiarum assertione nutantes, nituntur regere ecclesiam, quos jam regi necesse est per senectam. Sed nec diutius placet propter paucorum ambitus, multorum notare personas: hoc solum adstruo, quod cum nullum proferam nuncupatim, ille B confitetur repulsam, qui profitetur offensam. Sane id liberius dico, de multitudine circumstantium multos episcopales esse, sed totos episcopos esse non posse: & cum singuli diversorum charismatum proprietate potiantur, sufficere omnes sibi, omnibus neminem. Si militarem dixero forte personam, protinus in hæc verba consurgitur: Sidonius ad clericatum quia de sæculari professione translatus est, ideo sibi assumere metropolitanum de religiosa congregatione dissimulat; natalibus turget, dignitatum fastigatur insignibus, contemnit pauperes Christi. Quapropter in præsentiarum solvam, quam non tam bonorum caritati, quam maledicorum suspicioni debeo fidem. Vivit Spiritus sanctus, omnipotens Deus C noster, qui Petri voce damnavit in Simone Mago, cur opinaretur gratiam benedictionis pretio se se posse mercari; me in eo quem vobis opportunum censui, nec pecuniæ favere nec gratiæ: sed statu satis superque trutinato, personæ, temporis, provinciæ, civitatis, virum cujus in consequentibus raptim vita replicabitur, competentissimum credidisse. [1] Benedictus Simplicius, hactenus vestri, jamque ab hinc nostri (modo per vos Deus annuat) habendus ordinis comes, ita utrique parti vel actu, vel professione respondet, ut & respublica in eo quod admiretur, & ecclesia possit invenire quod diligat. Si natalibus servanda reverentia est, quia & hos non omittendus evangelista monstravit; (nam Lucas laudationem Joannis aggressus, præstantissimum computavit, quod sacerdotali de stirpe veniebat, & nobilitatem vitæ prædicaturus, prius tamen extulit familiæ dignitatem) parentes ipsius, aut cathedris, aut tribunalibus præsederunt. Illustris in utraque conversatione prosapia, aut episcopis floruit, aut præfectis: ita semper hujusce majoribus, aut humanum, aut divinum dictare jus usus fuit. Si vero personam suam tractatu consiliosiore pensemus, invenimus illam tenere istic [2] inter spectabiles principes locum. Sed dicitis, viros Eucherium & Pannychium illustres haberi superiores: quod hactenus eos esto putatos; sed præsentem jam modo ad caussam illi ex canone non requiruntur, qui ambo E

A ad [3] secundas nuptias transierunt. Si annos ipsius computemus; habet efficaciam de juventute, de senectute consilium. Si litteras vel ingenium conferamus, certat natura doctrinæ. Si humanitas requirenda est, civi, clerico, peregrino, minimo maximoque etiam supra sufficientiam offertur, & suum sæpius panem ille potius qui non erat redditurus, agnovit. Si necessitas arripiendæ legationis incubuit, non ille semel pro hac civitate stetit ante pellitos reges, vel ante principes purpuratos. Si ambigitur, quo magistro rudimentis fidei fuerit imbutus, ut proverbialiter loquar, domi habuit unde disceret. Postremo iste est ille, carissimi, cui in tenebris ergastularibus constituto, multipliciter obserata barbarici carceris divinitus claustra patuerunt. Istum, ut audivimus, [4] tam socero, quam patre postpositis, ad sacerdotium duci oportere vociferabimini. Quo quidem tempore plurimum laudis domum retulit, quando honorari parentum maluit dignitate, quam propria. Pæne transieram, quod præteriri non oportuerat. Sub Moyse quondam, sicut psalmographus ait, in diebus antiquis, ut tabernaculi fœderis forma consurgeret, totus Israel in eremo ante Beseleelis pedes, oblatitii symbolum coacervavit impendii. Salomon deinceps, ut templum ædificaret in Solymis, solidas populi vires in opere concussit: quamvis Palæstinorum captivas opes, & circumjectorum regum tributarias functiones, australis reginæ Sabaitis gaza cumulaverit. Hic vobis ecclesiam juvenis, miles, tenuis, solus, adhuc filius familias, & jam pater exstruxit. Nec illum a proposita devotione suspendit vel tenacitas senum, vel intuitus parvulorum: & tamen fuit [5] morum factura quæ taceret. Vir est namque, ni fallor, totius popularitatis alienus: gratiam non captat omnium, sed bonorum: non indiscreta familiaritate vilescens, sed examinata sodalitate pretiosus: & bono viratu æmulis suis magis prodesse cupiens, quam placere: severis patribus comparandus, qui juvenum filiorum non tam cogitant vota, quam commoda. In adversis constans, in dubiis fidus, in prosperis modestus, in habitu simplex, in sermone comis, in contuber- D nio æqualis, in consilio præcellens. Amicitias probatas enixe expetit, constanter retinet, perenniter servat. Inimicitias indictas honeste exercet, tarde credit, celeriter deponit: maxime ambiendus, quia minime ambitiosus, non studet suscipere sacerdotium, sed mereri. Dicet mihi aliquis: Unde tibi de illo tam cito tanta comperta sunt? Cui respondeo, Prius Bituriges noveram, quam Biturigas. Multos in itinere, multos in commilitio, multos in contractu, multos in tractatu, multos in sua, multos in nostra peregrinatione cognoscimus. Plurima notitiæ dantur & ex opinione compendia: quia non tam parvos terminos posuit famæ natura, quam patriæ. Quocirca si urbium status non tam murorum ambitu, quam civium claritate taxandus est; non mo-

1. *Benedictus Simplicius*] Non est cognomen hoc loco Benedictus, sed epithetum, quo Christianos viros plerique ornabant. Paullinus epistola IX. ad Severum: *Alius libellus ex his est, quos ad benedictum, id est christianum virum, amicum meum Endelechium scripsisse videor*. Endelechii enim nomina erant, Sanctus Severus Endelechius, ut alibi observatum. Sic benedictus Pascasius Paullino eidem in epistola ad Victricium: benedictus Eleutherus; Tertulliano de præscriptionibus: benedictus papa Cyprianus, in epistola cleri Romani ad clerum Carthaginiensem: benedictus Paullinus Fausto Reiensi: benedictus Tetradius, & benedictus Agricola Gregorio Turon. confessorum XXCVI. & lib. III. Histor. XVI.

2. *Inter spectabiles principes*] Principes municipii, principales. Glossarium, *princeps πρωτοπολίτης*. Jam supra Simplicium virum spectabilem dixit, epist. VIII. Ad Eucherium vero & Pannychium scripsit lib. III. & lib. V.

3. *Ad secundas nuptias*] Bigami enim episcopi esse per canones non possunt: ac ne clerici quidem ullius gradus, ex canone primo synodi Valentinæ, & aliis passim: quamquam variant in inferioris gradus ordinibus, prout diversus, locorum mos fuit.

4. *Tam socero quam patre*] Hinc patet, Palladium & Eulodium, qui proximi fuerant episcopi Bituricenses, hunc patrem, illum socerum Simplicii fuisse. Palladii ergo filia, uxor Simplicii. Infra: *Uxor illi de Palladiorum stirpe descendit*.

5. *Morum factura quæ taceret*] Ita fuerit moribus compositus, ut ecclesiam a se conditam, laudem vitans, silentio premeret. Utitur eadem voce Ruricius epist. XIV. *Equum qualem jusseras destinavi, mansuetudine placidum, membris validum, firmum robore, forma præstantem, factura compositum, animis temperatum*.



do primum qui effetis, sed ubi effetis agnovi. Uxor illi de Palladiorum stirpe descendit, qui aut litterarum, aut altarium cathedras cum sui ordinis laude tenuerunt. Sane quia persona matronæ verecundam & succinctam sui exigit mentionem, constanter adstruxerim, respondere illam feminam sacerdotiis utriusque familiæ, vel ubi educata crevit, vel ubi electa migravit. Filios ambo bene & prudenter instituunt; quibus comparatus pater inde felicior incipit esse, quia vincitur. Et quia sententiam parvitatis meæ in hac electione valituram esse jurastis, (siquidem non est validius dicere sacramenta, quam scribere) In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Simplicius est, quem provinciæ nostræ metropolitanum, civitatis vestræ summum sacerdotem fieri debere pronuntio. Vos autem de viro de quo loquimur, si novam sententiam meam sequimini, secundum vestram veterem consonate.

EPISTOLA X.

Sidonius papæ [1] *Auspicio suo salutem.*

SI ratio temporum regionumque pateretur, non per sola officia verborum amicitias semel initas excolere curarem. Sed quoniam fraternæ quietis voto satis obstrepit confligentium procella regnorum; saltim inter discretos separatosque litterarii consuetudo sermonis jure retinebitur, quæ jam pridem caritatis obtentu merito inducta veteribus annuit exemplis. Superest ut solicito veneratori culpam ratæ occursionis indulgeas: quæ quo minus assidue conspectus tui sacrosancta contemplatione potiatur, nunc periculum de vicinis timet, nunc invidiam de patronis. Sed de his ista hæc etiam multa sunt. Interim Petrum, tribunitium virum, portitorem nostri sermonis insinuo, qui id ipsum sedulo exposcit; quique quid negotii ferat præsentaneo compendiosius potest intimare memoratu: cui precor, quod in vobis est opis, intuitu paginæ præsentis accedat; manente respectu nihilominus æquitatis, contra quam nec magis familiarium caussas commendare consuevi. Memor nostri esse dignare, domine papa.

EPISTOLA XI.

Sidonius domino papæ Græco salutem.

INvideo felicitati consuetudinarii portitoris, a quo contigit sæpius vos videri. Sed quid de Amantio loquar, cum ipsas quoque litteras meas æmuler, quæ sacrosanctis reserabuntur digitis, inspicientur obtutibus? Et ego istic inter semiustas muri fragilis clausus angustias, belli terrore contigui, desiderio de vobis meo nequaquam satisfacere permittor. Atque utinam hæc esset Arvernæ forma vel caussa regionis, ut minus excusabiles excusaremur. Sed quod est durius, per injustitiæ nostræ merita conficitur, ut excusatio nobis justa non desit. Quocirca salutatione præfata, sicut mos poscit officii, magnopere deposco, ut interim remittatis occursionis debitum vel verba solventi. Nam si commeandi libertas pace revocetur, illud magis verebor, ne assiduitas præsentiæ meæ sit potius futura fastidio. Memor nostri esse dignare, domine papa.

EPISTOLA XII.

Sidonius [2] *Ferreolo suo salutem.*

SI amicitiæ nostræ potius affinitatisque, quam personæ tuæ tempus, ordinem, statum cogitaremus; jure vobis in hoc opere, quantulumcumque est, primæ titulorum rubricæ, prima sermonum officia dedicarentur. Isset per avitas tibi stilus noster curules; patricias nihilominus infulas enumeraturus: non tacuisset [3] triplices præfecturas, & Syagrio tuo pro toties mutatis præconibus præconia non negasset. Patrem inde patruosque minime silendos percurrisset: & quamlibet posset triumphalibus adoreis familiæ tuæ defatigari; non tamen eatenus explicandis antiquorum stemmatibus exinaniretur, ut ob hoc ad narrandam gloriam tuam fieret obtusior: qui si etiam in scribendis majorum tuorum virtutibus fuisset hebetatus, tuis denuo meritis acuminaretur. Sed salutationem tibi debitam destinaturus, non quid fuisses, sed quid potius nunc esses consideravit. Prætermisit Gallias tibi administratas tunc, cum maxime incolumes erant. Prætermisit Attilam Rheni hostem, Thorismodum Rhodani hospitem, Aetium Ligeris liberatorem: sola te dispositionum salubritate tolerasse: propterque prudentiam tantam providentiamque, currum tuum provinciales cum plausuum maximo accentu spontaneis subisse cervicibus; quia sic habenas Galliarum moderare, ut possessor exhaustus tributario jugo relevaretur. Prætermisit [4] regem Gothiæ ferocissimum, inflexum affatu tuo melleo, gravi, arguto, inusitato: & [5] ab Arelatensium portis, quem Aetius non potuisset prœlio, te prandio removisse. Hæc omnia prætermisit, sperans con-

1. *Auspicio*] Tullensi Leucorum episcopo. Scripta quo tempore Gothi cum Romanis bellum gerebant, & Burgundiones Arvernis, ut dictum est, auxilio erant adversus Gothos.

2. *Ferreolo*] Tonantium Ferreolum, Syagrii consulis ex filia nepotem, præfectum prætorio Galliarum fuisse, intelligi licuit ex epist. VII. lib. I. Ex hac vero docemur eo magistratu functum esse post annum Christi CDL. fortasse post Sidonii patrem. In hæc enim tempora res Attilæ inciderunt, quocum pro Romanis conflixere Aetius, quem ob liberatos obsidione Aurelianos Ligeris liberatorem vocat, & Thorismodus Gothus, Theuderici regis in acie cæsi filius.

3. *Triplices præfecturas*] Afranii Syagrii præfecturam commemorat Ambrosius in concilio Aquilejensi. De Syagrio enim accipi debent illa ejus verba de episcopis orientalibus: *Denique etiam præfectus Italiæ litteras dedit, ut si vellent convenire, in potestate haberent.* Meminit & Ammianus Marcellinus lib. XXVIII. At Sidonius triplicem vocat, quia tribus annis eam continuavit, anno videlicet CCCXXC. ut docent leges codicis Theodosiani ad Syagrium P. P. Italiæ lib. VII. XVIII. & lib. XI. XXX. Tum anno CCCXXCI. lib. VIII. V. & VII. Anno item CCCXXCII. quo anno consul etiam fuit, lib. XI. XVI. & lib. XII. I. Ante præfecturam vero: magister officiorum fuerat anno CCCLXXII. Ad Syagrium eumdem complures sunt epistolæ Symmachi lib. I. Ausonii quoque epigramma operis initio præfixum, quod summam utriusque benevolentiam & necessitudinem declarat.

4. *Regem Gothiæ*] Thorismodum, qui regnum adeptus Romanis infestior esse cœpit: eaque de caussa a fratribus suis qui pacem optabant, necatus est. Prosper auctior in Chronico OPILIONE V. C. CONSULE. *Apud Gothos intra Gallias consistentes, inter filios Theodori regis, quorum Thorismodus maximus natu patri successerat, orta dissensio est: & cum rex ea moliretur, quæ & Romanæ paci & Gothicæ adversarentur quieti, a germanis suis, quod noxiis dispositionibus irrevocabiliter instaret, occisus est.* Thorismodi cædem alii quoque narrant, cædis caussam hic unus prodidit.

5. *Ab Arelatensium portis*] Arelatensem urbem Gothi, prius quam ea potirentur, non semel frustra tentarunt. Nam triplicem observasse videor obsidionem. Primam a Theuderico magno rege, qui Aetii virtute repulsus est, ut Prosper in Chronico docet, Theodosio Aug. II. & Valentiniano Cæs. consulibus, hoc est anno Christi CDXXV. multo ante Ferreoli præfecturam: proinde ad hunc locum obsidio illa non pertinet. Altera fuit Thorismodi, cujus heic meminit Sidonius, depulsi periculi laudem Ferreolo tribuens: quem ait plus hostem demulcendo potuisse, quam armis præstiturus erat Aetius, si adfuisset. Sic enim ad superiorem obsidionem alludit. Tertiam commemorat Paullinus lib. VI. de vita S. Martini, narrans Ægi-

gruentius tuum salve [1] pontificum, quam senatorum A jam nominibus adjungi: censuitque justius fieri, si inter perfectos Christi, quam si inter præfectos Valentiniani constituerere. Neque te sacerdotibus potius admixtum vitio vertat malignus interpres; nam grandis ordinum ignorantia tenet hinc aliquid derogaturos: quia sicuti cum epulum festivitas publica facit, prior est in prima mensa conviva, postremus ei qui primus fuerit in secunda: sic absque conflictatione præstantior secundum bonorum sententiam computatur honorato maxime, minus religiosus. Vale. Ora pro nobis.

EPISTOLA XIII.

Sidonius Sulpicio suo salutem.

[2] HImerius antistes, filius tuus, notus mihi hactenus parum vultu, satis opinione, quæ quidem in bonam partem porrigebatur, Lugdunum nuper a Tricassibus venit: quo loci mihi raptim ac breviter inspectus, sanctum episcopum Lupum, facile principem pontificum Gallicanorum, suæ tam professionis magistrum quam dignitatis auctorem, morum nobis imitatione restituit. Deus bone! quæ viro censura cum venustate, si quid deliberet forte, vel suadeat? Abundat animi sale cum consulitur, melle cum consulit. Summa homini cura de litteris, sed maxime religiosis, in quibus eum magis occupat medulla sensuum, quam spuma verborum. Tota illi actionum suarum intentio, celeritas, mora, Christus est: quodque mirere vel laudes, nihil otiosum facit, cum nihil faciat non quietum. Jejuniis delectatur, edulibus adquiescit: illis adhæret propter consuetudinem crucis, istis flectitur propter gratiam caritatis. Summo utrumque moderamine: quia comprimit, quoties prandere statuit, gulam; quoties abstinere, jactantiam. Officia multiplicat propria, vitat aliena: cumque ipsi vicissim deceat occurri, gratius habet, si sibi mutuus honor debeatur mage, quam rependatur. In convivio, itinere, consessu, inferioribus cedit: quo fit, ut se illi voluptuosius turba postponat superiorum. Sermonem maximo temperamento cum colloquente dispensat; in quo non patitur ullam, aut verecundiam externus, aut familiaris injuriam, aut credulus invidiam, aut curiosus repulsam, aut suspiciosus nequitiam: aut peritus calumniam, aut imperitus infamiam. Simplicitatem columbæ in ecclesia servat, in foro serpentis astutiam; bonis prudens, malis cautus, neutris callidus judicatur. Quid plura? Totum te nobis ille jam reddidit: totam tuam temperantiam, religionem, libertatem, verecundiam, & illam delicatæ mentis pudicissimam teneritudinem jocunda similitudine exscripsit. Quapropter quantum volueris deinceps frui secreto, indulgere secessui, licebit indulgeas: quandoquidem nos in fratre meo Himerio, avum nomine, patrem facie, utrumque prudentia jam tenemus. Vale.

EPISTOLA XIV.

Sidonius Philagrio suo salutem.

PRoxime inter summates viros (erat & frequens ordo) vestri mentio fuit. Omnes de te boni in commune senserunt omnia bona, cum tamen singuli quique varia virtutum genera dixissent. Sane cum sibi quipiam de præsentia tua, quasi te magis nossent, præter æquum gloriarentur, incandui. Quippe cum dici non æquanimiter admitterem, virum omnium litterarum vicinantibus rusticis, quam institutis fieri remotioribus notiorem, processit in ulB teriora contentio: & cum aliqui super hoc errore pervicaciter controversarentur, (idiotarum siquidem est, sicut facile convinci, ita difficile compesci,) constanter asserui, si eloquentibus amicis numquam agnitio contemplativa proveniat, esse asperum, utcumque tolerabile tamen: quia prævaleant ingenia sua, coram quibus imperitia civica peregrinatur, ad remotarum desideria provinciarum, stilo adminiculante porrigere: per quem sæpenumero absentum dumtaxat institutorum tantus colligitur affectus, quantus nec præsentanea sedulitate conficitur. Igitur si ita est, desistant calumniari communis absentiæ necessitatem, vultuum mage quam morum prædicatores. Equidem si humana substantia rectius mole C quam mente censenda est, plurimum ignoro, quid secundum corpulentiam, per spatia quamvis porrecta finalem, in homine miremur, quo nihil æque miserum destitutumque nascendi conditio produxit: quippe cum præbeat tamquam ab adverso, bovi pilus, apro seta, volucri pluma vestitum: quibus insuper, ut vim vel inferant, vel repellant, cornu, dens, unguis, arma genuina sunt: membra vero nostra in hunc mundum sola censeas ejecta, non edita: cumque gignendis artubus animalium ceterorum multifario natura præsidio, quasi quædam sinu patente mater occurrat: humana tantum corpora effudit, quorum imbecillitati quodammodo novercaretur. Nam illud, sicuti ego censeo, qui animum D tuum membris duco potiorem, non habet æqualitatem, quod statum nostrum supra pecudes veri falsique nescias, ratiocinatio animæ intellectualis evexit: cujus si tantisper summoveant dignitatem isti, qui amicos ludificabundi non tam judicialiter, quam oculariter intuentur; dicant, velim, in hominis forma quid satis præstans, quid spectabile putent. Proceritatem ne? quasi non hæc sæpe congruentius trabibus aptetur; an fortitudinem? quæ valentior in leoninæ cervicis toris regnat: an decorem lineamentorum? quem crebro melius insigit, & argilla simulacris, & cera picturis: an velocitatem? quæ competentius canibus adscribitur: an vigilantiam? cui certat & noctua: an vocem? cui non cesserit asiE nus claritate: an industriam? cui pro suo modulo comparari nec formica formidat. Sed forsitan præferunt vim videndi; tamquam non sit eminentior

dium comitem, ab hostili exercitu vallatum, facta eruptione hostem fugasse, non sine cælesti ope S. Martini. Arelatum & si non nominat, aperte tamen designat his verbis:

Haud alio penitusque ipso rerum ordine venit
Nuntius, illam urbem tanta obsidione solutam,
Præcipitem Rhodanum molli quæ ponte subegit,
Et junxit geminas connexo tramite ripas.

Hanc porro ad Theodorici junioris tempora referendam puto, post mortem Aviti, prius quam ille cum Majoriano fœdus renovaret. Nam Ægidius magister militiæ tunc erat: ad Eurici vero tempora non pervenit, a quo tandem occupatam cum Massilia Arelatem scribunt Isidorus & Jornandes.

1. *Pontificum, quam senatorum*] Non quod pontifex jam factus esset Ferreolus: sed quia episcopis illum Sidonius admiscebat, qui epistolam ad ipsum missam iis insereret, quæ toto hoc libro ad episcopos scriptæ sunt. Episcopus certe Arelatensis, quod viro docto visum est, Ferreolus esse non potuit, cum Leontio qui hoc tempore sedebat, successerit in ea cathedra Æonius, & Æonio Cæsarius.

2. *Himerius antistes*] Sulpicii ad quem scripta est epistola, filius, Himerii nepos. A S. Lupo institutum, & promotum constat: cujus autem loci antistes fuerit, incertum. Nam quod hunc eumdem nonnulli faciunt cum Cameliano S. Lupi successore, probari nobis non potest, & multis modis refellitur. Abbatem potius fuisse suspicor, quam episcopum. Antistites enim Sidonio etiam abbates dicuntur, ut Abraham epist. XVII.

visus aquilarum. Præferunt audiendi efficaciam: tamquam sus hispidus non antistet auditu, Præferunt odorandi subtilitatem: tamquam non præcedat vultur olfactu. Præferunt gustandi discretionem: tamquam non plurimum hinc nos cedamus & simio. Quid de tactu loquar, quinto sensu corporis nostri, quem sibi indifferenter tam philosophus, quam vermiculus usurpant? Taceo heic de appetitibus illecebrosis, quos in coitu motui beluino carnis humanæ voluptas inclinata communicat. Ecce quam miseriam præferunt excoluntque, qui mihi, quod eis solo sis obtutu notior, turgidi insultant. Ast ego illum semper Philagrium video, cujus si tacentis viderem faciem, Philagrium non viderem. Unde illud simile vulgatum est, quod ait quidam in caussa dispari, sententia pari: *Filium M. Ciceronis populus Romanus non agnoscebat loquentem*. Conclamata sunt namque judicio universali scientiæ dignitas, virtus: prærogativa cujus ad maximum culmen meritorum gradibus ascenditur. Primum etiam bestiale corpus, si jam forte formatum est, dignitate transscendit materiam informem. Deinde formato præponitur corpus animatum. Tertio præcedit animam pecudis animus humanus; quia sicut inferior est caro vitæ, sic vita rationi; cujus assequendæ substantiam nostram compotem Deus artifex, ferinam vero impotem fecit. Ita tamen, quod in statu mentis humanæ pollet bipartita conditio. Nam sicut animæ, humanitus licet ratiocinantes, hebetes tamen pigrioresque, prudentum acutarumque calcantur ingenio: ita si quæ sunt, quæ sola naturali sapientia vigent, hæ peritarum se meritis superveniri facile concedunt. Quorum ego graduum differentiam observans, illum Philagrium cordis oculo semper inspicio, qui me animus potentialiter, notum morum similitudine facit. Nam licet bonis omnibus placeas, nemo te plus valuit intrinsecus intueri, quam qui forinsecus affectat imitari. Sane qualiter studiorum tuorum consectaneus fiam, consequa paginæ parte reserabitur. Amas, ut comperi, quietos: ego & ignavos. Barbaros vitas, quia mali putentur: ego etiamsi boni. Lectioni adhibes diligentiam: ego quoque in illa parum mihi patior nocere desidiam. Comples personam religiosi: ego vel imaginem. Aliena non appetis; ego etiam refero ad quæstum, si propria non perdam. Delectaris contuberniis eruditorum: ego turbam quamlibet magnam litterariæ artis expertem, maximam solitudinem appello. Diceris esse lætissimus: ego quoque lacrymas omnes perire definio, quas quisque profuderit, nisi quoties Deo supplicat. Humanissimus esse narraris: nostram quoque mensulam nullus, ut specum Polyphemi, hospes exhorruit. Summa clementia tibi in famulos esse perhibetur; nec ego torqueor, si mei, quoties peccaverint, non toties torqueantur. Jejunandum alternis putas? non piget sequi: prandendum? non pudet prævenire. De cetero, si vos a me videri Christi munere datur, ita gaudeam, tamquam cui de te nec minora subtracta sint. Porro autem, quæ sint in te majora, jam satis novi. Propter quæ fieri facilius potest, ut & si quandoque faciem tuam coram positus inspexero, aliqua de te recens mihi lætitia potius, quam sententia accedat. Vale in Christo.

EPISTOLA XV.

Sidonius [1] *Salonio suo salutem.*

QUoties Viennam venio, emtum maximo velim, ut te fratremque communem colonum civitatis habitatio plus haberet, qui mihi non amore solum, verum etiam professione sociamini. Sed & ille imputationem meam prætextu frequentatæ suburbanitatis eludit: per quam efficitur, ut nobis, nec præsens ipse nec reus sit: & tu habes quo te interim excuses, quia te diu possidet vix recepta possessio. Quidquid illud est, jam venite; hac deinceps conditione discessum impetraturi, ut aut vicissim redeatis, aut serius. Nam quamlibet ruri positi strenuos impleatis agricolas, tunc vere propriam terram fecundabitis, si ecclesiam quam plurimum colitis, plus colatis. Vale.

EPISTOLA XVI.

Sidonius Chariobaudi Abbati salutem.

FAcis, o unice in Christo patrone, rem tui pariter & amoris & moris, quod peregrini curas amici litteris mitigas consolatoriis: atque utinam mei semper sic recorderis, ut solicitudines ipsas angore succiduo concatenatas, qui exhortator attenuas, intercessor incidas. De cetero, libertos tuos, caussis quas injunxeras expeditis, reverti puto: quos ita strenue constat rem peregisse, ut nec eguerint adjuvari: per quos nocturnalem cucullum, quo membra confecta jejuniis, inter orandum cubandumque dignanter tegare, transmisi: quamquam non opportune species villosa mittatur hieme finita, jamque temporibus æstatis appropinquantibus. Vale.

EPISTOLA XVII.

Sidonius [2] *Volusiano fratri salutem.*

JUbes me, domine frater, lege amicitiæ quam nefas lædi, jam diu desides digitos incudibus officinæ veteris imponere, & sancto Abrahæ die functo næniam sepulcralem luctuosis carminibus inscribere. Celeriter injunctis obsecundabo, cum tua tractus auctoritate, tum principaliter amplissimi viri [3] Victorii comitis devotione præventus; quem jure sæculari patronum, jure ecclesiastico filium, ex-

1. *Salonio*] Viennensi, non tamen episcopo: quod augurati sunt nonnulli ex mentione fratris. Hinc enim conjecerunt de Salonio & Verano fratribus, filiis Eucherii, ante episcopatum genitis. Atque Eucherii filios constat ex Salviani verbis in epistola ad Eucherium, patre superstite, hoc est Sidonius vix dum puero, magistros ecclesiarum, episcopos esse cœpisse. Hos autem fratres Sidonius episcopos fuisse non significat. Alii ergo videntur. Ad Eucherii vero filios referenda potius epistola Ceretii, Salonii & Verani episcoporum ad Leonem papam scripta, quæ exstat inter epistolas Leonis. Fuit postea & Salonius alter episcopus Genavensis, qui Lugdunensi concilio Guntramni regis temporibus subscripsit, centum circiter annis post Sidonium.

2. *Volusiano fratri*] Fratris nomen addunt libri fere omnes: & fratrem appellat Sidonius Volusianum non solum in hac epistola, verum etiam in XVIII. lib. IV. Huic autem mittit epitaphium S. Abrahæ, Persæ quidem ortu, sed qui S. Cyrici abbas fuerat in suburbano Arvernorum monasterio, ut auctor est in ejus vita Gregorius Turon. & lib. II. Hist. XXI.

3. *Victorii comitis*] Quem Sidonius comitem, Gregorius Turonensis ducem vocat Victorium, qui ab Eurico rege impositus Arvernos regebat. Sidonius ergo unius Arvernicæ, Gregorius multarum quibus præerat civitatum rationem habuit. Sic enim scribit lib. II. cap. XX. *Euricus Gothorum rex Victorium ducem super septem civitates præposuit: qui protinus Arvernos adveniens, civitatem addere voluit*. Nam discrimen hoc certum Gregorii ævo, & inferiore, comitum atque ducum, quod comes unius, dux multarum civitatum rector erat, quæ singulæ suos comites haberent. Idem auctor lib. VIII. cap. XVIII. *Nicetius a comitatu Arverno summotus ducatum a rege Childeberto expetiit: & sic in urbe Arverna, Ruthena atque Ucetica dux*

colo ut cliens, ut pater diligo. [1] Qui satis docuit, quæ sibi aut qualis erga famulos Christi cura ferveret, cum torum circa decumbentis antistitis, non dignitatem minus quam membra curvatus, ac supra vultum propinqua morte pallentem, dolore concolor factus, quid viro vellet lacrymis indicibus ostenderet. Et quia sibi maximas humandi funeris partes ipse præripuit, totum apparatum supercurrentis impendii quod funerando sacerdoti competeret, impartiens; saltem ad obsequium, quæ remanserunt, verba conferimus, nihil aliud exaraturi stili scalpentis impressu, quam testimonium mutuæ dilectionis. Ceterum viri mores, gesta, virtutes, indignissime meorum vilitate dictorum ponderabuntur.

Abraham sanctis merito sociande patronis,
    Quos tibi collegas dicere non trepidem.
Nam sic præcedunt, ut mox tamen ipse sequare:
    Dat partem regni portio martyrii.
Natus ad Euphratem, pro Christo ergastula passus,
    Et quinquennali vincula laxa fame;
Elapsus [2] regi truculento Susidis oræ,
    Occiduum properas solus adusque solum.
Sed confessorem virtutum signa sequuntur:
    Spiritibusque malis fers, fugitive, fugam.
Quaque venis, Lemurum se clamat cedere turba:
    Dæmonas ire jubes exsul in exsilium.
Expeteris cunctis, nec te capit ambitus ullus:
    Est tibi delatus plus onerosus honor.
Romuleos refugis, Byzantinosque fragores,
    Atque sagittifero mœnia fracta Tito.
Murus Alexandri te non tenet, Antiochique;
    Spernis Elissææ Byrsica tecta domus.
Rura paludicolæ temnis populosa Ravennæ,
    Et quæ lanigero de sue nomen habent.
Angulus iste placet, paupertinusque recessus,
    Et casa cui culmo culmina pressa forent.
Ædificas heic ipse Deo venerabile templum,
    Ipse Dei templum corpore facte prius.
Finiti cursus istic vitæque viæque,
    Sudori superest dupla corona tuo.
Jam te circumstant paradisi millia sacri,
    Abraham jam te comperegrinus habet.
Jam patriam ingrederis, sed de qua decidit Adam,
    Jam potes [3] ad fontem fluminis ire tui.

Ecce, ut injunxeras, quæ restant sepulto justa persolvimus: sed si vicissim caritatis imperiis fratres, amicos, commilitones obsequi decet; ad vicem quæso tu quoque, quibus emines institutis, discipulos ejus aggredere solari: fluctuantemque regulam fratrum destitutorum, secundum [4] statuta Lirinensium patrum, vel Grinincensium festinus informa: cujus disciplinæ si qui rebelles, ipse castiga: si qui sequaces, ipse collauda. Præpositus illis quidem videtur sanctus Auxanius, qui vir, ut nosti, plusculum justo & corpore infirmus, & verecundus ingenio, eoque parendi, quam imperandi promtior,

ordinatus est: & lib. IX. cap. VII. *Ennodius cum ducatum urbium Turonicæ atque Pictavæ ministraret, adhuc & Vici Juliensis atque Benarnæ urbium principatum accipit: sed euntibus comitibus Turonicæ atque Pictavæ urbis ad regem Childebertum, obtinuerunt eum a se removeri.* Gradus igitur quidam a comitatu ad ducatum. Fortunatus Sigoaldo comiti:

Rex Childebertus crescens te crescere cogat,
Qui modo dat comitis, det tibi jura ducis.

Inde est quod in legibus Vesogothicis dux provinciæ dicitur, comes civitatis: & quod a divinorum officiorum scriptoribus comparantur cum comitibus episcopi, cum ducibus archiepiscopi: quia episcopi singularum erant civitatum, archiepiscopi totius provinciæ.

1. *Qui satis docuit*] De Victorio multa passim scribit Gregorius, quæ docent illum non semper sui similem fuisse: quippe qui propter libidinem ab Arvernis profugus, Romæ tandem ob eadem flagitia lapidibus obrutus vitam finiit. Hoc enim de eo narrat loco supra scripto. At libro de gloria Confessorum cap. XXXIII. Victorium ait, cum aqud Ricomagum nostram ad S. Amabilis lipsana preces fundere detrectaret, divino miraculo compulsum obtemperasse.

2. *Regi Susidis oræ*] Regi Persarum. De regum Persarum in Christianos persecutione, quam exorsi sunt Isdigertes & Vararanes, scribit inter ceteros Theodoretus lib. V. Hist. cap. XXXVIII.

3. *Ad fontem fluminis tui*] Euphratis, Abraham enim Persa erat, natus ad Euphratem. Beatorum autem sedes significat, alludens ad paradisum Edem, ex quo fluere Euphratem produnt sacræ litteræ. Ceterum Abrahæ hujus epitaphio alterum adtexam, nondum opinor editum, Augusti presbyteri, quod in S. Hagnes basilica Romæ olim descriptum retinet codex S. Mariæ Virdunensis.

EPITAPHIUM AUGUSTI PRESBYTERI.

Hoc, Auguste, quidem tumulo tua membra teguntur,
Sed numquam meritum parvula claudit humus.
Corpus habet tellus, animam cælestia regna.
Sic sedes proprias singula rite tenent.
Devotus Domino vixisti corde fideli,
Presbyteri officium sub pietate gerens.
Largus pauperibus, dives tibi, carus amicis,
Divinæ legis jussa verenda colens.
Es felix tanto laudum cumulatus honore,
Perpetuis merito jam fruiture bonis.

4. *Statuta Lirinensium vel Grinincensium*] Ita veteres plerique: quod rectius est, quem *Grinnicensium*. Alcimus Avitus epistola LXV. ad Maximum episcopum: *Nam monasteriis Grinincensibus occupatus aliquamdiu jam habitaculo civitatis abfueram*. Erant enim Grinincenses monachi in Viennensium diœcesi: quorum mentio in vita B. Clari abbatis Viennensis: & si vulgata exemplaria Grimanenses mendose appellant, pro *Griniacenses*. Primis autem illis sæculis, ante receptam S. Benedicti regulam, singulorum ferme cœnobiorum propriæ erant leges & statuta

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.

exigit te rogari, ut tuo ipse sub magisterio monasterii magister accedat: & si quis illum de junioribus spreverit tamquam imperitum vel pusillanimem, per te unum sentiat utrumque non impune contemni. Quid multa? vis ut paucis quid velim agnoscas? quæso ut abbas sit frater Auxanius supra congregationem, [1] tu vero & supra abbatem. Vale.

EPISTOLA XVIII.

Sidonius Constantio suo salutem.

[2] A Te principium, tibi desinet: nam petitum misimus opus, raptim relectis exemplaribus; B quæ ob hoc in manus pauca venerunt, quia mihi nihil de libelli hujusce conscriptione meditanti, hactenus incustodita nequeunt inveniri. Sane ista pauca, quæ quidem & levia sunt, celeriter absolvi; quamquam incitatus semel animus necdum scripturire desineret; servans hoc sedulo genus temperamenti, ut epistolarum non produceretur textus, si numerus breviaretur. Pariter & censui librum, quem A lector delicatissimus desiderares, & satis habilem, nec parum excusabilem fore; si, quoniam te sensuum structurarumque levitas poterat offendere, membranarum certe fascibus minus onerarere. Commendo igitur varios judicio tuo nostri pectoris motus; minime ignarus, quod ita mens pateat in libro, [3] veluti vultus in speculo. Dictavi enim quæpiam hortando, laudando plurima, aliqua suadendo, mærendo pauca, jocandoque nonnulla. Et si me usquam lectitavisti in aliquos concitatiorem, scias, volo, Christi dextera opitulante, me numquam toleraturum animi servitutem, compertissimum tenens, bipartitam super iis moribus hominum esse censuram. Nam ut timidi me temerarium, ita constantes B tes liberum appellant. Inter quæ ipse decerno, satis illius jacere personam, cujus necesse est latere sententiam. Ad propositum redeo. Interea tu si quid a lectionis sacræ continuatione respiras, his licebit næniis avocere. Nec faciet materia, ut immensa, fastidium; quia cum singulæ caussæ singulis ferme epistolis finiantur, cito cognitis in quæ oculum intenderis, ante legere cessabis, quam lecturire desistas. Vale.

1. *Tu vero & supra abbatem*] Non ut primarius abbas sit ipse, sed ut curet Auxanio abbati ab omnibus pareri. Quod enim heic rursum vir doctus abbatum duos gradus facit, ut alii sint primarii, alii secundarii; non minus absurdum est, quam quod supra de primi & secundi ordinis episcopis refutavimus. C Erat quidem in monasteriis sub abbate inferioris gradus præpositus: sed Sidonius Auxanium monachis abbatem præfectum vult intelligi, non præpositum.

2. *A te principium, tibi desinet*] Prima omnium epistola qua opus dedicavit, fuit ad Constantium: hæc item ad eumdem. Finis heic igitur editionis Constantianæ, quæ septem tantum libros complexa est: reliqui duo qui sequuntur, seorsim postea singuli sunt adjecti.

3. *Veluti vultus in speculo*] Affine est illud Democriti *ἐν μὲν τοῖς ἐσόπτροις ὁ τῆς ὄψεως, ἐν δὲ ταῖς ὁμιλίαις ὁ τῆς ψυχῆς χαρακτὴρ βλέπεται. Speculum cordis hominum verba sunt*, ait Cassiodorus Senator lib. VI. Variar. IX.



C. SOLLII APOLLINARIS SIDONII

ARVERNORUM EPISCOPI,

EPISTOLARUM

LIBER VIII.

EPISTOLA I.

Sidonius [1] Petronio suo salutem.

TU quidem pulcre mos hic tuus: & perseverа, vir omnium bonorum qui uspiam degunt, laude dignissime, quod amicorum gloriæ, sicubi locus, lenocinaris. Hinc est quod etiam scrinia Arverna petis eventilari: cui sufficere suspicabamur, si quid superiore vulgatu protulissemus. Itaque morem geremus injunctis, actionem tamen stili eatenus prorogaturi, ut epistolarum seriem, nimirum a primordio voluminis inchoatarum, in extimo fine parvi adhuc numeri summa protendat, opus videlicet explicitum quodam quasi marginis sui limbo coronatura. Sed plus cavendum est, ne sera propter jam propalati augmenta voluminis, in aliquos forsitan incidamus vituperones, quorum fugere linguas cote livoris naturalitus acuminatas, nec E Demosthenis quidem, Ciceronisque sententiæ artifices, & eloquia fabra potuere: quorum anterior orator Demadem, citerior Antonium toleravere dero- D gatores: qui lividi cum fuerint malitiæ claræ, dictionis obscuræ, tamen ad notitiam posterorum per odia virtutum decurrerunt. Sed quia hortaris, repetitis laxemus vela turbinibus: & qui veluti maria transmisimus, hoc quasi stagnum pernavigemus. Nam satis habeo deliberatum, sicut adhibendam in conscriptione diligentiam, ita tenendam in editione constantiam. Demum vero medium nihil est. Namque aut minimum ex hisce metuendum est, aut per omnia omnino conticescendum. Vale.

EPISTOLA II.

Sidonius [2] Joanni suo salutem.

CRedidi me, vir peritissime, nefas in studia committere, si distulissem prosequi laudibus, quod aboleri tu litteras distulisti; quarum quodammodo

1. *Petronio*] Viro illustri, Arelatensi togato, ut dictum est ad epist. I. lib. V. Ejus rogatu liber hic post superiores editus est.

2. *Joanni*] Doctori, ut videtur, grammatico in aliqua

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 472.

A jam ſepultarum ſuſcitator, fautor, aſſertor, concelebraris; teque per Gallias uno magiſtro ſub hac tempeſtate bellorum Latina tenuerunt ora portum, cum pertulerint arma naufragium. Debent igitur vel æquævi, vel poſteri noſtri, univerſatim ferventibus votis alterum te ut Demoſthenem, alterum ut Tullium, nunc ſtatuis, ſi liceat, conſecrare, nunc imaginibus: qui te docente formati inſtitutique jam ſinu in medio ſic gentis invictæ, quod tamen alienæ, talium vetuſtorum ſigna retinebunt. Nam jam remotis gradibus dignitatum, per quas ſolebat ultimo a quoque ſummus quiſque diſcerni, ſolum erit poſthac nobilitatis indicium, litteras noſſe. Nos vero, ceteros, ſupra doctrinæ tuæ beneficia conſtringunt: quibus aliquid ſcribere aſſuetis, quodque venturi legere poſſint elaborantibus, ſaltem de tua ſchola ſeu magiſterio, competens lectorum turba proveniet. Vale.

EPISTOLA III.

Sidonius [1] *Leoni ſuo ſalutem.*

Apollonii Pythaghorici vitam, non ut Nicomachus ſenior e Philoſtrati, ſed ut Taſcius Victorianus e Nicomachi ſchedio exſcripſit, quia juſſeras, miſi: quam, dum parere feſtino, celeriter ejecit in tumultuarium exemplar, turbida & [2] præceps & opica translatio. Neque mihi rem credito diuturnius elaboratam vitio vertas. Nam dum me tenuit incluſum mora [3] mœnium Livianorum, (cujus incommodi finem, poſt opem Chriſti, tibi debeo) non valebat curis animus æger, ſaltim ſaltuatim tradenda percurrere, nunc per nocturna ſuſpiria, nunc per diurna officia diſtractus. Ad hoc & cum me defatigatum ab excubiis ad diverſorium crepuſculaſcens hora revocaverat, vix dabatur luminibus inflexis parvula quies. Nam fragor illico quem movebant vicinantes impluvio cubiculi mei duæ quæpiam Gethides anus, quibus nihil umquam litigioſius, bibacius, vomacius erit. Sane cum primum reduci aliquid otii fuit, impoſitum hunc ſemicrudumque, &, ut ajunt, [4] tamquam muſteum D librum, plus deſiderii tui, quam officii mei memor obtuli. Quocirca ſepone tantiſper Pythicas lauros Hippocrenemque, & illos carminum modos tibi uni tantum penitiſſime familiares; qui tamen doctis, ut es ipſe, perſonis non tam fonte, quam fronte ſudantur. Suſpende perorandi illud quoque celeberrimum flumen, quod non ſolum gentilitium, ſed domeſticum tibi, quodque in tuum pectus per ſucciduas ætates ab atavo Frontone transfunditur. Sepone pauxillulum conclamatiſſimas declamationes, quas [5] oris regii vice conficis: quibus ipſe rex inclytus modo corda terrificat gentium tranſmarinarum; modo de ſuperiore cum barbaris ad Vachalim trementibus fœdus victor innodat; modo per B promotæ limitem ſortis, ut populos ſub armis, ſic frenat arma ſub legibus. Exuere utcumque continuatiſſimis curis, & otium tuum molibus aulicis motibuſque furare. Hiſtoriam flagitatam tunc recognoſces opportune competenterque, ſi cum Tyaneo noſtro, nunc ad Caucaſum Indumque, nunc ad Æthiopum Gymnoſophiſtas Indorumque Bracmanas, totus lectioni vacans, & ipſe quodammodo peregrinere. Lege virum, fidei catholicæ pace præfata, in plurimis ſimilem tui, id eſt a divitibus ambitum, nec divitias ambientem; cupidum ſcientiæ, continentem pecuniæ; inter epulas abſtemium, inter purpuratos linteatum, inter alabaſtra cenſorium: concretum, hiſpidum, hirſutum, in medio nationum delibutarum, C atque inter ſatrapas regum tiaratorum myrrhatos, pumicatos, malobatratos venerabili ſqualore pretioſum: cumque proprio nihil eſui aut indutui de pecude conferret, regnis ob hoc, quæ pererravit, non tam ſuſpicioni, quam fuiſſe ſuſpectui: & fortuna regum ſibi in omnibus obſecundante, illa tantum beneficia poſcentem, quæ mage ſit ſuetus oblata præſtare, quam ſumere. Quid multis? Si vera metimur æſtimamuſque, fors fuat an philoſophi vitæ ſcriptor æqualis majorum temporibus acceſſerit, certe par ſæculo meo per te lector obvenit. Vale.

urbe Galliæ: qualis & Euſebius, ſed philoſophiæ profeſſor, lib. III. epiſt. I. & Lampridius rhetor Burdegalenſis lib. IX. epiſt. XIII.

1. *Leoni*] Eurici regis conſiliario: de quo ad epiſt. XXII. lib. IV. Petieratis a Sidonio, exſcribi ſibi volumen Philoſtrati de vita Apollonii Tyanei. Mittit Sidonius, ſimulque indicat unde exſcriptum ſit: nimirum e codice quem Victorianus recognorat: & hoc amplius addit, Victorianum e Nicomachi antigrapho & emendatione, Nicomachum a Philoſtrati ipſius autographo exſcripſiſſe. Nicomachus ergo & Victorianus nomina ſunt, non auctorum qui Apollonii vitam ſcripſerint, neque ſcribarum antiquariorum, ſed clariſſimorum virorum, qui ab antiquariis mendoſe ſcripta per otium & animi gratia caſtigabant. Cujuſmodi operæ teſtimonia in antiquis veterum auctorum codicibus obvia ſunt: ſed quod ad conjecturam noſtram firmandam, Sidoniique locum facere videtur, plurima exſtant T. Livii exemplaria, in quibus Nicomachum & Victorianum eamdem operam T. Livio impendiſſe annotatum eſt, his verbis: *Nicomachus dexter V. C. emendavi ad exemplum parentis mei Clementiani, ab urbe condita. Victorianus V. C. emendabam domnis Symmachis*: & alio loco, *Emendavi Nicomachus Flavianus V. C. præfectus urbi apud Hennam, ab urbe condita. Victorianus V. C. emendabam domnis Symmachis*. Duo igitur Nicomachi cum fuiſſent, ideo fortaſſe Sidonius, ne ambigi poſſet, ſenioris notam adjecit. Victorianus autem pro Symmachis Livium emendarat, ut Sidonius pro Leone Philoſtratum hoc loco, & pro Ruricio Heptateuchum lib. V. epiſt. XV. & Q. Symmachus Livium eumdem pro Valeriano lib. IX. epiſt. XIII. *Munus*, inquit, *totius Liviani operis quod ſpopondi, etiam nunc diligentia emendationis moratur*. Non enim exiſtimabant viri docti ſe officio perfunctos, cum ex codicibus ſuis librum amico exſcribendum curarent, niſi eum opera ſua quam emendatiſſimum redderent.

2. *Præceps & opica translatio*] Exſcriptio. Sic lib. IX. epiſt. XVI. de exemplaribus epiſtolarum ſuarum: *raptim coactimque translator feſtinus exſcripſi*: lib. IX. epiſt. XI. *copia transferendi*: & Ruricius epiſt. VIII. ad Sidonium noſtrum: *Codicem namque, quem de fratre meo Leontio me recipere juſſeratis, tranſtuliſſe me fateor*; hoc eſt ut ipſe poſt loquitur, *exemplaſſe*. Vel hic porro locus, & alter epiſt. XII. lib. IV. de Menandri Epitreponte quem legebat, Sidonium linguæ Græcæ peritum fuiſſe probant, eoſque redarguunt qui contra ſentiunt.

3 *Mœnium Livianorum*] Livia, caſtellum in finibus provinciæ Narbonenſis, haud procul Carcaſſione, ut ex Aimoino colligitur lib. II. Translationis S. Vincentii cap. IV. Idem etiam docet Tabula itineraria Peutingeri, E quæ Carcaſſionem inter ac Narbonem locat, ſed Livianam nominat, duodecimo a Carcaſſione milliario. Ad caſtrum hoc poſt Arvernorum deditionem relegatus a Gothis Sidonius, Leonis potiſſimum opera liberatum ſe profitetur.

4. *Tamquam muſteum librum*] Recentem & incoctum, inſtar muſti. Plinii junioris exemplo, qui muſteum quoque librum dixerat, lib. VIII. epiſt. XXI. muſtaceum Velius Longus. Sic muſteum caſeum Plinius alter, lib. II. Hiſtor. XLII. & muſtea pyra, muſteum ſuccinum, aliis locis.

5. *Oris regii vice conficis*] Leo enim velut quæſtor erat Eurici. Quæſtor autem os principis. Gentes Tranſmarinæ hoc loco ſunt Vandali, qui in Africa mari tantum a Gothorum Septimania diviſi. Barbari ad Vachalim, Franci noſtri: ut carmine XII. *Detonſus Vachalim bibat Sicamber*. Promotæ ſortis limes ad imperii Romani fines referendus eſt, in quos pervaſerat Euricus, ut ſupra dictum ex Ennodio.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 472.

EPISTOLA IV.

Sidonius [1] Conſentio ſuo ſalutem.

UMquam ne nos Dei nutu, domine major, una videbit ille ager tuus Octavianus, nec tuus tantum, quantum amicorum? Qui civitati, fluvio, mari proximus, hoſpites epulis, te paſcit hoſpitibus. Præter hæc, oculis intuentium ſitu decorus: primore loco, quod domicilium parietibus attollitur, ad concinentiam ſcilicet architectonicam fabre locatis: tum ſacrario, porticibus ac thermis conſpicabilibus late coruſcans: ad hoc agris, aquiſque, vinetis atque olivetis, veſtibulo, campo, colle a- B mœniſſimus. Jam ſuper penum, vel ſupellectilem copioſam, theſauris bibliothecalibus large refertus: ubi ipſe dum non minus ſtilo, quam vomeri incumbis, difficile diſcernitur, domini plus ne ſit cultum rus, an ingenium. Heic tu igitur (quantum recordor) citos jambos, elegos acutos, ac rotundatos hendecaſyllabos, & cetera carmina muſicos flores thymumque redolentia, nunc Narbonenſibus cantitanda, nunc Biterrenſibus, ambigendum celerius an pulcrius elucubraſti, apud æquævos gratiam tuam, famam apud poſteros ampliaturus. Certe quotiens mihi tui verſus a meditationis incude, tamquam adhuc calidi, deferebantur, ſic videbatur, qui & ſi non bene ſcribo, bene judico. Sed quod fatendum C eſt, talibus ſtudiis anterior ætas juſte vacabat, ſeu quod eſt verius, occupabatur: modo tempus eſt ſeria legi, ſeria ſcribi, deque perpetua vita potius, quam memoria cogitari, nimiumque meminiſſe, noſtra poſt mortem non opuſcula, ſed opera penſanda. Quæ quidem ad præſens non ita loquor, quaſi tu non utraque laudanda conficias: aut ſi adhuc durat in ſermone lætitia, non cuſtodiatur in actione cenſura: ſed ut qui Chriſto favente clam ſanctus es, jam palam religioſa venerandus jugo ſalubri colla pariter & corda ſubdare: invigilet cæleſtibus lingua præconiis, anima ſententiis, dextra donariis, præcipue tamen dextra donariis: quia quidquid eccleſiis ſpargis, tibi colligis: ad cujus D exercitia virtutis illud vel principaliter te poterit accendere, quod inter opes quaslibet poſiti (quæ bona ſtultis falſo vocantur) ſi quid agimus, noſtrum; ſi quid habemus, alienum eſt. Vale.

EPISTOLA V.

Sidonius Fortunali ſuo ſalutem.

IBis & tu in paginas noſtras, amicitiæ columen Fortunalis, Ibericarum decus illuſtre regionum. Neque enim tibi familiaritas tam parva cum litteris, ut per has ipſas de te aliquid poſt te ſupereſ- A ſe non deceat. Vivet ilicet, vivet in poſterum nominis tui gloria. Nam ſi qua noſtris qualitercumque gratia, reverentia, fides chartulis ineſt, ſciat ætas volo poſtuma, nihil tua fide firmius, forma pulcrius, ſententia juſtius, patientia tolerantius, colloquio jocundius. Illud quoque ſupra cetera agnoſcet, præconia laudibus tuis ex votorum contrarietate veniſſe. Nam prope eſt, ut eminentius cenſeatur, quod probaverunt te adverſa conſtantem, quam ſi celarent ſecunda felicem. Vale.

EPISTOLA VI.

Sidonius [2] Nammatio ſuo ſalutem.

C. Cæſarem dictatorem, quo ferunt nullum rem militarem ducalius adminiſtraſſe, ſtudia dictandi lectitandique ſibi mutuo vindicavere. Et licet in perſona unius ejuſdemque tempore ſuo principis viri, caſtrenſis, oratoriæque ſcientiæ cura certaverit ferme gloria æquipari; idem tamen numquam ſe ſatis duxit in utriuſque artis arce compoſitum, prius quam veſtri Arpinatis teſtimonio ceteris mortalibus anteferretur. Quod mihi quoque, ſi parva magnis componere licet, ſecundum modulum meum, quamquam diſſimillimo, ſimiliter acceſſit. Quæ ſuper cunctos te quam primum decuit agnoſcere, quia tibi eſt tam gloria mea quam verecundia C plurimum curæ. [3] Flavius Nicetius, vir ortu clariſſimus, privilegio ſpectabilis, merito illuſtris, & hominum patriæ noſtræ prudentia peritiaque juxta maximus, præconio, quantum comperi, immenſo præſentis opuſculi volumina extollit; inſuper prædicans quod plurimos juvenum nec ſenum paucos, vario genere dictandi militandique, quippe adhuc ævo viridis, ipſe ſim ſupergreſſus. Equidem in quantum fieri præter jactantiam poteſt, gaudeo de præſtantiſſimi viri auctoritate, ſi certus eſt; amore, ſi fallitur: licet quis provocatus nunc ad facta majorum, non inertiſſimus, quis quoque ad verba non infantiſſimus erit? Namque virtutes artium iſtarum ſæculis potius priſcis ſæculorum rector ingenuit; D quæ per ætatem mundi jam ſeneſcentis, laſſatis veluti ſeminibus, emedullatæ, parum aliquid hoc tempore in quibuſcumque, atque id in paucis mirandum ac memorabile oſtentant. Hujus tamen ego, & ſi ſtudiorum omnium caput eſt litterarumque, qui perſonam ſemper excolui, vereor ſententiam, ſupra quam veritas habet, affectu ponderatiore prolatam. Neque ob hoc infitias ierim, me ſæpe luculentis ejus actionibus adſtitiſſe. Quarum me (& ſi mutuum reddere videor) vel ex parte curſimque fieri memorem fas eſt. Audivi eum adoleſcens, atque adhuc nuper ex puero, cum [4] pater meus præfectus prætorio Gallicanis tribunalibus præſideret: ſub cujus videlicet magiſtratu, [5] conſul Aſterius

1. *Conſentio*] Narbonenſi, viro genere & litteris clariſſimo, Conſentii ſenioris filio, ut reor. Nam duo ejus nominis fuerunt, ut eſt in epiſt.xv. ad Gelaſium lib. IX. De eodem plura etiam in Narbone.

2. *Nammatio*] Non liquet an hic ſit Namatius, conſocer Ruricii, ad quem & Cerauniam ejus conjugem exſtant aliquot epiſtolæ Ruricii ejuſdem.

3. *Flavius Nicetius*] Lugdunenſis, ex advocato ſedis prætorianæ & aſſeſſore, vir ſpectabilis. Tres autem honoratorum gradus in uno diſtinxit, clariſſimatum, ſpectabilitatem, illuſtratum: de quibus Caſſiodorus Variarum lib. VI. & VII. Ita in edicto Hunerici regis apud Victorem Uticenſem lib. III. deſignantur *illuſtres*, *ſpectabiles*, *ſenatores*, hoc eſt clariſſimi. Et e triplici judicum gradu provinciales rectores clariſſimi erant, vicarii majorum diœceſum ſpectabiles, præfecti prætorio illuſtres. Nicetium itaque clariſſimum fecerat ortus ſenatorius: ſpectabilem diuturnæ advocationis prætorianæ privilegium, ex Novella Valentiniani de poſtulando, quæ advocatis poſt xv. an- E nos jus concedit vicariæ dignitatis. Illuſtrem denique merita reddebant.

4. *Pater meus præfectus prætorio*] Patris ſui nomen Sidonius nuſquam prodit. Præfectum prætorio Galliarum fuiſſe anno CDXLVIII. declarat Aſterii conſulatus, qui nomen dedit anno CDXLIX. Ob hanc ergo præfecturam præfectorio patre natus ab Arvando dictus Sidonius, lib. I. epiſt. VII. & pater Sidonii. Galliarum ſoliditati præfuiſſe, lib. V. epiſt. IX. ad Aquilinum. Hinc præterea ducitur epocha ætatis Sidonii, qui ſe per id tempus adoleſcentiam ingreſſum ſignificat.

5. *Conſul Aſterius*] Turcius Rufius Aſterius, cum Protogene conſul anno, ut jam dixi, CDXLIX. De eo nonnulla obſervavimus ad Ennodium. Nunc addendum eſt, Aſterium, teſte Idacio, magiſtrum utriuſque militiæ ante conſulatum fuiſſe. Sic enim de illo ſcribit ſub annum CDXL. *Aſterius dux utriuſque militiæ ad Hiſpanias miſſus Tarraconenſium cædit multitudinem Bacaudarum.*



anni sui fores votivum trabeatus aperuerat. Adhærebam sellæ curuli, & si non latens per ordinem, certe non sedens per ætatem: mixtusque turmæ [1] censualium penulatorum, [2] proxime consuli proximis eram. Itaque ut primum brevi [3] peracta nec brevis sportula, [4] datique fasti, acclamatum est ab omni Galliæ cœtu primoribus advocatorum, ut festivitate præventas horas antelucanas, quæ diem ferum cum silentio præstolarentur, congrua meritorum fascium [5] laude honestarent. Nicetium protinus circumspexere conspecti: qui non sensim singulatimque, sed tumultuatim petitus & cunctim, cum quodam prologo pudoris vultum modeste demissus irruebat. Atque ob hoc illi maximum sophos non eloquentia prius, quam verecundia dedit. Dixit disposite, graviter, ardenter, magna acrimonia, majore facundia, maxima disciplina; & illam Sarranis ebriam succis inter crepitantia segmenta palmatam plus picta oratione, plus aurea convenustavit. Per ipsum fere tempus, ut decemviraliter loquar, [6] lex de præscriptione tricennii fuerat [7] proquiritata: cujus peremtoriis abolita rubricis lis omnis in sextum tracta quinquennium terminabatur. Hanc intra Gallias [8] ante nescitam primus quem loquimur, orator indidit prosecutionibus, edidit tribunalibus, pro-

A didit partibus, addidit titulis, frequente conventu, raro sedente, paucis sententiis, multis laudibus. Præter ista, per alias vices doctrinam illius (quo more citius homo discitur) inobservatus inspexi, tunc cum, quæ regit provincias fascibus, Nicetiano regeretur præfectura consilio. Quid multa? Nil quod non meum vellem, nil quod non admirarer, audivi. Propter quæ omnia bona in viro sita, lætor ad puncta censoris omnium voce concelebrati. Granditer enim sua in utramvis de me opinionem sententia valet: quæ si [9] vera comperimus, tantum mihi est favens securitati, quantum fieret adversa formidini. De cetero fixum apud me stat constitutumque; prout rem ex asse cognovero, vel silentio me lora laxare, vel stringere frena garritui. B Namque si supra dicti confirmor assensu, Athenis loquacior; si minus, Amyclis ipsis taciturnior ero. Sed de sodali deque me satis dictum. Tu nunc inter ista quid rerum? quas mihi ad vicem nosse non minus cordi. Venaris? ædificas? rusticaris ne? An horum aliquid unum, an singula vicissim, an pariter cuncta? Sed de Vitruvio, sive Columella, seu alterutrum ambosve sectere, decentissime facis: potes enim utrumque more quo qui optimo, id est, te cultor aliquis e primis archictetusque. Ceterum

1. *Censu›lium penulatorum*] Censuales enim penulis uti jussi, ut ceteri officiales. Cod. Theodos. de habitu quo uti oportet intra urbem.

2. In editione Labbei, *proximis consuli proximus eram*.

3. *Peracta sportula*] Solemnia munera, quæ spargi aut mitti solebant in auspiciis consulatus, & aliorum magistratuum. Trebellius Pollio de sportula Gallieni: *Matronas ad consulatum suum rogavit iisdemque manum sibi osculantibus quaternos aureos sui nominis dedit*. Symmachus lib. IX. epist. ultima: *Sportulam consulatus mei & amicitiæ nostræ & honori tuo debeo. Hanc in solido misi, orans ut benigno animo solemnia officii mei libamenta suscipias*. De Justini quoque Augusti consulatu Corippus lib. IV.

Dona Kalendarum quorum est ea cura parabant
Officia, & turmis implent felicibus aulam.
Convectant rutilum sportisque capacibus aurum.

Ab his enim sportis nomen. Glossæ nostræ. *Sportula, τὰ ἐν σπυρίδι διδόμενα ξένια.*

4. *Datique fasti*] Tabellæ opinor eburneæ. Consulis nominibus insculptæ: quas in auspiciis consulatus dari solitas indicat Claudianus lib. III. de laudibus Stiliconis.

Tum virides pardos, & cetera colligit Austri
Prodigia, immunesque simul Latonia dentes,
Qui secti ferro in tabulas, auroque micantes,
Inscripti rutilum cælato consule nomen,
Per proceres & vulgus eant.

Ad proceres nimirum & amicos mittebantur, in vulgus spargebantur. Ut fasti autem cum sportula hoc loco, sic lib. I. Cod. Theodos. De expensis ludorum, diptycha cum sportulis conjunguntur: itemque apud Symmachum eburnei pugillares aut diptychum eburneum cum apophoretis vel canistellis argenteis, id est sportulis, lib. II. epist. XXCI. & lib. IX. epist. CIX. & aliis locis. Quare eodem spectare crediderim: atque in diptychis illis insculpta fuisse nomina consulum, aliorumve magistratuum, qui solemnes sportulas dabant. Nam diptychum hujus generis eburneum insigne videre est in monasterio Compendiensi, cum inscriptione, quæ senatui oblatum docet olim fuisse a Philoxeno consule orientali A. DXXV. Sic enim se habet. FL. THEODORUS FILOXENUS SOTERICUS FILOXENUS VIR ILLUST. COM. DOMEST. EX MAGISTRO M. PER THRACIA ET CONSUL ORDINAR.

Τουτὶ τὸ δῶρον τῇ σοφῇ γερουσίᾳ
Ὕπατος ὑπάρχων προσφέρω Φιλόξενος.
Docto catoque munus hoc senatui
Consul creatus offero Philoxenus.

Ex hoc etiam genere calculi eburnei, in quibus conscripta proconsulum Africæ nomina fuisse docet Prosper, aut quisquis auctor est librorum de promissionibus & prædictionibus Dei: cujus in peroratione operis hæc sunt verba: *In calculis*, inquit, *eburneis nomina proconsulum conscripta Carthagine in foro coram populo a præfecti judice sub certis vocabulis citabantur; & erat solemnis dies albi citatio. Hi qui avaritiam superantes temp. fideliter egerant absque flagitiis facinoribusque, etiam absentes honorabantur. Eos vero* C *quos rapacitas vicerat, populus conviciis sibilisque notabat.* Mos memorabilis, & qui facere videtur ad legem CII. Cod de officio rectoris provinciæ.

5. *Laude honestarent*] Hujus moris publice laudandorum consulum Kalendis Januarii, quibus magistratum inibant, testes sunt panegyrici consulares utraque lingua tum versa, tum soluta oratione dicti a Mamertino, Libanio, Themistio, Claudiano, Sidonio. Dixit & Augustinus in consulatu Bautonis, ut narrat ipse lib. III. contra Petilianum XXV, *Cum ego Mediolanum ante Bautonem consulem venerim, eique Kalendis Januariis laudem in conventu conspectuque hominum, pro mea tunc rhetorica professione recitaverim.*

6. *Lex de præscriptione tricennii*] Ea est Novella Valentiniani, de XXX. annorum præscriptione omnibus caussis opponenda, quæ adscriptam habet hujus anni notam. In qua præiisse sibi dicit legem Theodosii patris sui, hoc est, ut doctissimus Cujacius Observationum lib. XVIII. cap. XXVI. interpretatur, Theodosii senioris; ut ego sentio, junioris. Nam quod existimavit Cujacius, patrem a Valentiniano dici Theodosium minorem non posse, id frivolum D certe est: cum eumdem ipsum sine controversia patrem etiam vocet, tum Novella XII. *De episcopali judicio*: tum altera: *De reddito jure armorum*, quæ perperam nec sola edita est inter Theodosianas: socerum videlicet auctoremque imperii sui: ut vicissim Theodosius idem Valentinianum filium appellat Novella I. & II. Rursum, dominum appellat Theodosium, non divum, quemadmodum divum Honorium: quia Theodosius junior e vivis nondum excesserat. At Novella XII. ubi ait exemtam illa Theodosii lege ætatem pupillarem, divæ memoriæ Theodosium indigetat; quippe biennio jam ante defunctum. Porro lex illa Theodosii minoris in utroque codice descripta est: l. *unica*, *cod. Th od. De actionibus certo temp. fin.* & L. III. *Cod. de præscript.* XXX. *annorum*. In qua & eadem est pupillaris ætatis exceptio, & omnibus prorsus actionibus opposita præscriptio. Singula denique cum Valentiniani Novella consentiunt: licet vox *omnia* desideretur, E quæ, ni fallor, si Novellæ tantum verba spectentur, requirenda non est: & tamen in Theodosiana lege integra esse potuit, cujus exigua est portio quæ restat. Theodosii vero magni de præscriptione XXX. annorum lex nulla memoratur: & nullam fuisse, satis probat ipsa Theodosii junioris constitutio, in qua se primum (quod tanti viri acumen fugisse mirum est) hujus præscriptionis auctorem aperte significat.

7. *Proquiritata*] Promulgata. Mamertus Claudianus Sidonio: *Opusculum illud sine auctore proditum, & usquequaque proquiritatum*. Vox ducta a Quiritibus.

8. *Ante nescitam*] Non enim simul hanc legem tulerunt Theodosius & Valentinianus. Theodosius Constantinopoli tulit, cum interregnum esset in occidente ob Joannis tyrannidem, Victore consule, a quo ad Asterium, cujus anno lex data est Gallis a Valentiniano, anni fluxerant XXV. Non ergo frustra est quod ait, intra Gallias ante nescitam.

9. In aliquibus edit. *veram*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.

ut tibi de venatoris officio quam minimum blandiaris maxime injungo. Namque apros frustra in venabula vocas, quos canibus misericordissimis quibus abundas, & quidem solus, movere potius, quam commovere consuesti. Esto, sit indulgentia dignum, quod reformidant catuli tui bestiis appropinquare terribilibus corpulentisque; illud ignoro quomodo excuses, quod capreas pecus simum, pariter & damas in fugam pronos, jacentibus animis, pectoribus erectis, passibus raris, crebris latratibus prosequuntur. Quapropter de reliquo fructuosius retibus cassibusque scrupeas rupes, atque opacandis habilia lustris clusor statarius nemora circumvenis; ac pudor siquis, temperas cursibus apertis quatere campos, & insidiari lepusculis [1] Olarionensibus *; quos nec est tanti raro te insectante [2] superandos, copulis palam ductis inquietari; nisi forsitan dum tibi ac patri noster Apollinaris intervenit, rectius fiet ut exerceantur. Exceptis jocis, fac sciam tandem, quid te, quid domum circa. Sed ecce dum jam epistolam quæ diu garrit, claudere optarem, subitus a Santonis nuntius: cum quo dum tui obtentu aliquid horarum sermocinanter extrahimus, constanter asseveravit, nuper vos classicum in classe cecinisse, atque inter officia nunc nautæ, modo militis, litoribus Oceani curvis inerrare contra [3] Saxonum pandos myoparones, quorum quot remiges videris, totidem te cernere putes archipiratas; ita simul omnes imperant, parent, docent, discunt latrocinari. Unde nunc etiam ut quam plurimum caveas, caussa successit maxima monendi. Hostis est omni hoste truculentior. Improvisus aggreditur, prævisus elabitur, spernit objectos, sternit incautos. Si sequatur, intercipit; si fugiat, evadit. Ad hoc exercent illos naufragia, non terrent. Est eis quædam cum discriminibus pelagi non notitia solum, sed familiaritas. Nam quoniam ipsa, si qua tempestas est, hinc securos efficit occupandos; hinc prospici vetat occupaturos; in medio fluctuum, scopulorumque confragosorum, spe superventus læti periclitantur. Præterea prius quam de continenti in patriam vela laxantes hostico mordaces ancoras vado vellant, mos est remeaturis, decimum quemque caprorum per æquales & cruciarias pœnas, plus ob hoc tristi, quod superstitioso ritu, necare; superque collectam turbam periturorum mortis iniquitatem sorti æquitate dispergere. Talibus eligunt votis, victimis solvunt; & per hujusmodi non tam sacrificia purgati, quam sacrilegia polluti, religiosum putant cædis infaustæ perpetratores, de capite captivo magis exigere tormenta, quam pretia. Quamobrem metuo multa, suspicor varia: quamquam me e contrario ingentia hortentur. Primum, quod victoris populi signa comitaris: dein quod in sapientes viros quos inter jure censeris, minus annuo licere fortuitis. Tertio, quod pro sodalibus fide junctis, sede discretis, frequenter incutiunt & tuta mærorem; quia promtius de actionibus longinquis ambigendisque, sinistra quæque metus augurat. Sed dicas, non esse tantum forte curanda, quæ perhorresco. Id quidem verum est: sed nec hoc falsum, quod iis quos amplius diligimus, plus timemus. Unde nihilominus precor, obortum tui caussa sensibus nostris quam primum prospero relatu exime angorem. Neque enim ex integro flecti umquam ad hoc possum, ut de peregrinantibus amicis (quippe quos bellica militarisque tessera terit) donec secunda cognosco, non adversa formidem. Varronem logistoricum, sicut poposceras, & Eusebium chronographum misi, quorum si ad te lima pervenerit, si quid inter excubiales curas, utpote in castris, saltem sortito vacabis, poteris, postquam arma deterseris, ori quoque tuo loquendi rubiginem summovere. Vale.

EPISTOLA VII.

Sidonius [4] *Audaci suo salutem.*

UBinam se nunc velim dicas gentium abscondunt, qui sæpe sibi de molibus facultatum congregatarum, deque congestis jam nigrescentis argenti struibus blandiebantur? ubi etiam illorum prærogativa, qui contra indolem juniorum sola occasione præcedentis ætatis intumescebant? Ubi sunt illi, quorum affinitas nullo indicio majore cognoscitur, quam simultate? Nempe cum primum bonis actibus locus est, & ad trutinam judicii principalis appensa tandem non nummorum libra, sed morum; remansere illi qui superbissime opinabantur solo se censu esse censendos: quique sic vitiis ut divitiis incubantes, volunt vanitatis videri alienam surrexisse personam, cum nolint cupiditatis notari suam crevisse substantiam. In qua tamen detrahendi palæstra exercitati, tamquam per oleum, sic per infusa æmulationum venena macerantur. Tu vero inter hæc macte, qui præfecturæ titulis ampliatus, licet hactenus e prosapia illustris computarere, peculiariter nihilo segnius elaborasti, ut a te gloriosius posteri

1. *Olarionensibus*] Quæ heic Olario, Uliarus est Plinio, Insula in sinu Aquitanico, e regione Santonum, apud quos Nammatius.

2. *Superandos copulis*] Sic omnino legendum: non ut in vulgatis, *superando scopulis*. Intelligit enim copulas canum venaticorum. In capitulis Karoli magni, voce jam corrupta: *Ut episcopi & abbates & abbatissæ cuplas canum non habeant, nec falcones, nec accipitres*. Copula est *ἁλυσίδιον*: id est, interprete Suida, *πλοκίου γένος περὶ τὸν τράχηλον*, vincula colli. Ovidius: *Cupula detrabitur canibus*. Hic canes copulis juncti.

3. *Saxonum pandos myoparones*] Hegesippus lib. V. de Saxonibus iisdem: *Validum genus hominum & præstans ceteris, piraticis tantum myoparonibus, non viribus nititur*. Saxones sane vicinas Rheno & mari gentes assiduis incursationibus infestas olim habuere post tempora Diocletiani. Et nomen inde litori Saxonico natum in Belgica II. quam etiam prætervecti, per Nervicanum item & Armoricanum tractum eadem licentia prædas egerunt. Quod præter hanc epistolam indicat altera ad Lampridium, & panegyricus Aviti. Nunc quia Aquitaniæ II. imminebant, res illis cum Gothis, quem victorem populum appellat.

4. *Audaci*] Præfecto urbi sub Nepote: quod docuit nos inscriptio Romana urbani ponderis marmorei, parte utraque notati, hoc modo.

SALVO D. N.	AUDAX V. C.
JULIO NEPOTE	PRÆFECTUS
PP. AUG. N.	URB. FECIT.

Hæc itaque est præfectura, quam Sidonius illi gratulatur. Ejusdem porro testis & altera inscriptio, quæ Audacis quoque reliqua nomina prodit, & nescio quid operis ab eo Romæ post barbaricam incursionem perfectum indicat his verbis.

CASTALIUS INNO
CENTIUS AUDAX V. C.
PRÆFECTUS URBIS
VICE SACRA JUDICANS
BARBARICA INCURSIONE
SUBLATA RESTITUIT.

Hanc ex Joannis de Marca nova collectaneis depromsimus: qui Romæ olim, (nunc enim non exstat) ad ædem S. Mariæ novæ positam fuisse monet.

* De hoc Sidonii loco aliter ac Sirmondus, censuit Scaliger quem sequitur Papebrochius, uti observatum Wesselingio ad *Vett. Romanorum Itinerar.* pag. 453.

tui numerarentur. Nihil enim est illo per sententiam boni cujusque generosius, quisquis ingenii, corporis, opum junctam in hoc constans operam exercet, ut majoribus suis anteponatur. Quod superest, Deum posco, ut te filii consequantur, aut quod plus decet velle, transscendant: & quicumque non sustinet te diligere provectum, medullitus æstuantes a semet ipso livoris proprii semper exigat pœnas: cumque nullas in te habuerit umquam misericordiæ caussas, habeat invidiæ. Siquidem juste [1] sub justo principe jacet, qui per se minimus, & tantum per sua maximus, animo exiguus vivit, & patrimonio plurimus. Vale.

EPISTOLA VIII.

Sidonius [2] Syagrio suo salutem.

DIc, Gallicanæ flos juventutis, quousque tandem ruralium operum negotiosus urbana fastidis? quamdiu attritas tesserarum quondam jactibus manus contra jus fasque sibi vindicant instrumenta cerealia? Quousque tua te [3] Taionnacus patriciæ stirpis lassabit agricolam? quousque prati comantis exuvias hibernis novalibus, non ut eques, sed ut bubulcus abscondis? quousque pondus ligonis obtusi nec perfossis antibus ponis? quid Serranorum æmulus & Camillorum, cum regas stivam, dissimulas optare palmatam? Parce tantum in nobilitatis invidiam rusticari. Agrum si mediocriter colas, possides: si nimium, possideris. Redde te patri, redde te patriæ, redde te etiam fidelibus amicis, qui jure ponuntur inter affectus. Aut si te tantum Cincinnati dictatoris vita delectat, [4] duc ante Raciliam, quæ boves jungat. Neque dixerim sapienti viro rem domesticam non esse curandam: sed eo temperamento, quod non solum quid habere, sed quid debeat esse consideret. Nam si ceteris nobilium studiorum artibus repudiatis, sola te propagandæ rei familiaris urtica solicitat: licet tu deductum nomen a trabeis, atque eboratas curules, & gestatorias bracteatas, & fastos recolas purpurissatos, is profecto inveniere, quem debeat sic industrium, quod latentem, non tam honorare censor, quam census onerare. Vale.

EPISTOLA IX.

Sidonius [5] Lampridio suo salutem.

CUm primum Burdegalam veni, litteras mihi tabellarius tuus obtulit plenas nectaris, florum, margaritarum: quibus silentium meum culpas, & aliquos versuum meorum versibus poscis, qui tibi solent per musicum palati concavum, variata voce tinnientes, quasi tibiis multiforatilibus effundi. Sed hoc tu munificentia regis satis abutens, jam securus post munera facis: quia forsitan satyricum illud de satyrico non recordaris;

Satur est, cum dicit Horatius evohe.

Quid multa? Merito me cantare ex otio jubes, quia te jam saltare delectat. Quidquid illud est, pareo tamen; idque non modo non coactus, verum etiam spontaliter facio. Tantum tu utcumque moderere Catonianum superciliosæ frontis arbitrium. Nosti enim prope lætitiam poetarum: quorum sic ingenia mæroribus, ut pisciculi retibus amiciuntur: & si quid asperum aut triste, non statim se poetica teneritudo a vinculo incursi angoris elaqueat. Necdum enim quidquam de hereditate socruali, vel in usum tertiæ sub pretio medietatis obtinui. Interim tu videris, quam tibi sit epigrammatis flagitati lemma placiturum: me tamen nequaquam solicitudo permittit aliud nunc habere in actione, aliud in carmine. Illud sane præter justitiam feceris, si in præsentiarum vicissim scripta quasi compares. Ago laboriosum, agis ipse felicem. Ago adhuc exsulem, agis ipse jam civem: & ob hoc inæqualia cano, quia similia posco, & paria non impetro. Quod si quopiam casu ineptias istas quas inter animi supplicia conscripsimus, nutu indulgentiore susceperis, persuadebis mihi, quia cantuum similes fuerint olorinorum, quorum modulatior est clangor in pœnis; similes etiam chordæ lyricæ violentius tensæ, quæ quo plus torta, plus musica est. Ceterum si probari nequeunt versus otii aut hilaritatis expertes, tu quoque in pagina quam subter attexui, nihil quod placeat invenies. His adhuc adde, quod materiam cui non auditor, sed potius lector obtigerit, nihil absentis auctoris pronuntiatio juvat. Neque enim post opus missum superest, quid poeta vel vocalissimus agat, quem distantia loci nec hoc facere permittit, quot solent [6] chori pantomimorum, qui bono cantus male dictata commendant.

QUid Cyrrham, vel Hyantias Camœnas,
Quid doctos Heliconidum liquores,
Scalptos alitis hinnientis ictu,
Nunc in carmina commovere tentas,
Nostræ, o Lampridius, decus Thaliæ?
Et me scribere sic subinde cogis,
Ac si Delphica Delio tulissem
Instrumenta tuo: novusque Apollo
Cortinam, tripodas, chelym, pharetras,
Arcus, grypas agam, duplæque frondis
Hinc baccas quatiam, vel hinc corymbos?
Tu jam, o Tityre, rura post recepta,
Myrtos & platanona pervagatus,
Pulsas barbiton, atque concinentes
Ora & plectra tibi modos resultant,

1. *Sub justo principe*] Julio Nepote, ut dictum est supra lib. V. epist. XVI. *Hoc tamen sancte Julius Nepos, armis pariter summus Augustus & moribus.*

2. *Syagrio*] Ad quem epist. V. lib. V. quod fastorum sub finem commemoratio confirmat: alludit enim ad Syagrium consulem hujus proavum.

3. *Taionnacus*] Vide an referri huc possit Taionnus, quam tabula itineraria in Æduis locat, haud procul Augustoduno.

4. *Duc ante Raciliam*] Ita restitui veteris libri vestigia secutus, in quo legebatur *ducam Erciliam*. Racilia enim nomen uxori L. Cincinnati apud Livium lib. III.

5. *Lampridio*] Rhetori Burdegalensi, eximio poetæ, ut est in epistola XI. ad Lupum, & XIII. lib. IX. ad Tonantium. Sidonio fuit in intimis: quod præcipue declarant, quæ de illius morte ad Lupum scribit. Aberat is hoc tempore Burdegala: quo cum Sidonius ad Euricum regem exsilii finem flagitaturus venisset, sequens poema condidit, oppido elegans, atque ad contuendam aulæ Gothicæ amplitudinem aptissimum.

6. *Chori pantomimorum*] Habebant enim chorum suum pantomimi, cujus carmen apto & composito gestu corporis exponebant. Manilius lib. V. Astronom.

Omnes fortunæ vultus per membra reducet,
Æquabitque choro cantus.

Cassiodorus Senator lib. IV. Variar. ultima: *Pantomimo, cum primum in scenam advenerit, assistunt consoni chori, diversis organis eruditi.* Aristænetus epist. XXVI. πρὸς ἀγχιστείδα. καὶ οἷά τις φαῖδρος πρωτᾶς, ἄλλοτε πρὸς ἄλλα μεταβεβλῆσθαι δοκεῖς πρὸς τὴν ἅμιλλαν τῶν ὑπορχημάτων ᾠδῆς. Augustinus item lib. II. de Symbolo ad cathecumenos II. & vetus poeta lib. IV. epigrammatum collectionis Pithœanæ, de Pantomimo:

Ingressus scenam populum saltator adorat,
Sollerti pendet prodere verba manu.
Nam cum grata chorus diffundit cantica dulcis,
Quæ resonat cantor, motibus ipse probat.

Sæcul. V.
circa
Ann. Chr.
472.



A Chorda, voce, metro ſtupende pſaltes.
Nos iſtic poſitos, ſemelque viſos,
Bis jam menſtrua luna conſpicatur:
Nec multum domino vacat vel ipſi,
Dum reſponſa petit ſubactus orbis.
Iſtic Saxona cærulum videmus,
Aſſuetum ante ſalo, ſolum timere:
Cujus verticis extimas per oras,
Non contenta ſuos tenere morſus,
Altat lamina marginem comarum;
Et ſic crinibus ad cutem reciſis
Decreſcit caput, additurque vultus.
Heic tonſo occipiti, ſenex Sicamber,
Poſtquam victus es, elicis retrorſum
Cervicem ad veterem novos capillos.
Heic glaucis Herulus genis vagatur,
Imos Oceani colens receſſus,
Algoſo prope concolor profundo.
Heic Burgundio ſeptipes frequenter
Flexo poplite ſupplicat quietem.
Iſtis Oſtrogothus viget patronis,
Vicinoſque premens ſubinde Chunos,
His quod ſubditur, hinc ſuperbit illis.
Hinc, Romane, tibi petis ſalutem:
Et contra Scythicæ plagæ catervas,
Si quos Parrhaſis urſa fert tumultus,
[1] Eroice, tuæ manus rogantur.
Ut Martem validus per inquilinum
Defenſet tenuem Garumna Tibrim.
Ipſe heic [2] Parthicus Arſaces precatur,
Aulæ Suſidis ut tenere culmen
Poſſit, fœdere ſub ſtipendiali.
Nam quod partibus arma Boſphoranis
Grandi hinc ſurgere ſentit apparatu,
Mæſtam Perſida jam ſonum ad duelli
Ripa Euphratide vix putat tuendam.
Qui cognata licet ſibi aſtra fingens,
Phœbæa tumeat propinquitate;
Mortalem hic tamen implet obſecrando.
Hæc inter, terimus moras inanes.
Sed tu, o Tityre, parce provocare.
Nam non invideo, magiſque miror,
Qui dum nil mereor, preceſque fruſtra
Impendo, Melibœus eſſe cœpi.

En carmen, quod recenſeas otiabundus, noſtrumque ſudorem ac pulverem ſpectans, veluti jam coronatus auriga de podio. De reliquo non eſt quod ſuſpiceris par me officii genus reperiturum, etiam ſi delectere præſenti, niſi prius ipſe deſtiterim vaticinari magis damna, quam carmina. Vale.

EPISTOLA X.

Sidonius [3] Ruricio ſuo ſalutem.

ESſe tibi uſui pariter & cordi litteras granditer gaudeo. Nam ſtilum veſtrum quanta comitetur vel flamma ſenſuum, vel unda ſermonum, liberius aſſererem, niſi dum me laudare non parum ſtudes, laudari plurimum te vetares. Et quamquam in epiſtola tua ſervet caritas dulcedinem, natura facundiam, peritia diſciplinam; in ſola materiæ tamen electione peccaſti: licet id ipſum poſſit prædicari in voto, quod videris erraſſe judicio. Ingentes præ-
B coniorum titulos moribus meis applicas. Sed ſi pudoris noſtri feciſſes utcumque rationem, [4] Symmachianum illud te cogitare par fuerat: *Ut vera laus ornat, ita falſa caſtigat.* Quo loci tamen, ſi animum veſtrum bene metior, ſuper affectum quem maximum oſtendis, hoc tu & arte feciſti. Nam moris eſt eloquentibus viris, ingeniorum facultatem negotiorum probare difficultatibus, & illic ſtilum peritum, quaſi quemdam fecundi pectoris vomerem figere, ubi materiæ ſterilis argumentum, velut arida cæſpitis macri gleba, jejunat. Scaturit mundus ſimilibus exemplis: medicus in deſperatione, gubernator in tempeſtate cognoſcitur: horum omnium famam præcedentia pericula extollunt: quæ profecto
C deliteſcit, niſi ubi probetur, invenerit. Sic & magnus orator, ſi negotium aggrediatur anguſtum, tunc amplum plauſibilius manifeſtat ingenium. M. Tullius in actionibus ceteris ceteros, [5] pro A. Cluentio ipſe ſe vicit. M. Fronto cum reliquis orationibus emineret, in Pelopem ſe ſibi prætulit. C. Plinius pro Attia Variola plus gloriæ de centumvirali ſuggeſtu domum retulit, quam cum M. Ulpio incomparabili principi comparabilem panegyricum dixit. Sic & ipſe feciſti, qui dum vis exercere ſcientiam tuam, non veritus es fore tibi impedimento etiam conſcientiam meam. Quin potius ſupplicando meis medere languoribus: neque per decipulam male blandientis eloquii ægrotantis adhuc animæ fragilita-
D tem gloriæ falſæ pondere premas. Sane cum tibi ſermone pulcro vita ſit pulcrior, plus mihi indulges, ſi mei cauſſa orare potius velis, quam perorare. Vale.

EPISTOLA XI.

Sidonius Lupo ſuo ſalutem.

QUid agunt Nitiobroges, [6] quid Veſunnici tui, quibus de te ſibi altrinſecus vindicando naſcitur ſemper ſancta contentio? Unus te patrimonio

1. *Eorice*] Sic libri omnes quos vidi, uno atque altero demtis, quorum lectio depravata. Nec dubium eſt, quin de Eurico rege ſit ſermo, non de Theoderico. Sub Eurico enim exſul fuit Sidonius. Falſum autem eſt, ut opinor, Euricum Theoderici etiam nomine a quoquam ſine vitio appellatum. Quare certa eſt emendatio.

2. *Parthicus Arſaces*] Rex Perſarum: non quod proprium id ejus nomen fuerit: regnabat enim hoc tempore Perozes; ſed quod Arſacæ omnes a primo appellati ſint. Strabo lib. XV. Ἀρσάκαι καλοῦνται πάντες. ἰδίᾳ δὲ ὁ μὲν Ὀρώδης, ὁ δὲ Φραάτης, ὁ δὲ ἄλλοτε. *Arſacæ*, inquit, *vocantur omnes: privatim autem hic Orodes, ille Phraates, alii alio modo.*

3. *Ruricio*] Lemovicum poſtea epiſcopo, ut dictum eſt ad epiſt. xvi. lib. IV. Ruricii ad Sidonium inter alias eſt epiſt. ix. lib. I. qua eum mirifice laudat: ut videri ea poſſit, cui Sidonius hoc loco reſpondet.

4. *Symmachianum illud*] Non extat in operibus Symmachi. Fuit tamen in ore multorum. Citatur enim a Cæſario Arelatenſi homilia xxv. & a Pelagio papa epiſt. ad Sapaudum: *Ea autem*, inquit, *quæ in noſtris laudibus fa-*
E *cundia oris veſtri diſſeruit, quamquam vox congruentem vobis rem feciſſe manifeſtum ſit: nos tamen nihil noſtrorum ex omnibus quæ dicta ſunt agnoſcentes, verecundiam magis incurrimus, illud doctiſſimi viri ad animum referentes, Sicut vera laus ornat, ſic falſa caſtigat.* Non diſſimile eſt illud Theophylacti Simocatæ in hiſtoria œcumenica, ἐπίπλαστος ἔπαινος ἀτιμότερος ψόγου.

5. *Pro A. Cluentio*] *M. Tullii oratio optima fertur, quæ maxima*, ait Plinius junior de Cluentiana: qui alibi quoque ſuam pro Variola præcipuam inter omnes habitam ſcribit. Verum hæc, ut Cornelii Frontonis actio in Pelopem, intercidit, cum ceteris ejuſdem quæ laudantur a Chariſio, Fulgentio & a Conſtantii panegyriſte, cum hoc elogio, *Fronto Romanæ eloquentiæ non ſecundum, ſed alterum decus.*

6. *Quid Veſunnici*] Hunc locum olim, cum *quidve Sonnici* legeretur, ex conjectura correximus, partim unius codicis ope adjuti, partim ex utriuſque populi vicinia. Proximi enim ſunt Nitiobrigibus Veſunnici. Ptolemæus: ὑπὸ τοὺς Καδούρκους Πετροκόριοι, καὶ πόλις Οὐεσουννα. ὑπὸ τοὺς Πετροκορίους παρήκουσι Νιτιόβριγες, καὶ πόλις Ἀγιννον:

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 472.

populus, alter etiam matrimonio tenet: eumque hic A origine, iste conjugio; melius illud, quod uterque judicio. Te tamen, munere Dei, inter ista felicem: de quo diutius occupando possidendoque, operæ pretium est votiva populorum studia confligere. Tu vero utrisque præsentiam tuam dispofite, vicissimque partitus, nunc [1] Drepanium illis, modo istis restituis Anthedium: & si a te instructio rhetorica poscatur, hi [2] Paullinum, illi Alcimum non requirunt. Unde te magis miror, quem cotidie tam multiplicis bibliothecæ ventilata lassat egeries, aliquid a me veterum flagitare cantilenarum. Pareo quidem, licet intempestiva videatur recordatio jocorum tempore dolenti. Lampridius orator modo primum mihi occisum agnoscitur: cujus interitus amorem meum B summis conficeret angoribus, etiam si non eum rebus humanis vis impacta rapuisset. Hic me quondam (ut inter amicos joca) Phœbum vocabat, ipse a nobis vatis Odrysii nomine accepto. Quod eo congruit ante narrari, ne vocabula figurata subditum carmen obscurent. Huic quodam tempore Burdegalam invisens [3] metatoriam paginam, quasi cum Musa prævia misi. Puto hanc tibi liberius offerri, quam si aliquid super decedentis occasu lugubre componens, qui non placebam per eloquentiam, per materiam displicerem.

[4] *Dilectæ nimis, & peculiari*
Phœbus commonitorium Thaliæ. C

Paullum depositis, alumna, plectris
Sparsam stringe comam virente vitta,
Et rugas tibi syrmatis profundi
Succingant hederæ expeditiores.
Succos ferre cave, nec ut solebat
Laxo pes natet altus in cothurno.
Sed tales crepidas ligare cura,
Quales Harpalice, vel illa vinxit,
Quæ victos gladio procos cecidit.
Perges sic melius volante saltu,
Si vestigia fasceata nudi
Per summum digiti regant, citatis
Firmi ingressibus, atque vinculorum
Concurrentibus ansulis, reflexa
Ad crus per cameram catena surgat.
Hoc pernix habitu meum memento
[5] Orpheum visere, qui cotidiana
Saxa & robora, corneasque fibras
Mollit dulciloqua canorus arte.
Arpinas modo quem tonante lingua
Ditat, nunc stilus aut Maronianus,
Aut quo tu Latium beas, Horati,
Alcæo potior [6] lyristes ipso.
Et nunc inflat epos tragœdiarum,
Nunc comœdia temperat jocosa,
Nunc flammant satyræ, & tyrannicarum
Declamatio controversiarum.
Dic, Phœbus venit, atque post veredos
Remis velivolum quatit Garumnam.
Occurras jubet, ante sed parato
Actutum hospitio, [7] Leontioque,
Prisco Livia quem dat e senatu,
Dic, jam nunc aderit: satis facetum, &
Solo nomine Rusticum videto.
Sed si tecta negant, ut occupata;
Perge ad limina mox episcoporum,
Sancti & Gallicini manu osculata,
Tecti posce brevis vacationem:
Ne si destituor domo negata,
Mærens ad madidas eam tabernas:
Et claudens geminas subinde nares,
Propter fumificas gemam culinas.
Qua serpyliferis olet catenis
Baccas per geminas ruber botellus,

Sub Cadurcis, inquit, *sunt Petrocorii, & urbs Vesunna: sub Petrocorii siti sunt Nitiobriges, & urbs Aginnum*. Quam emendationem cum ad doctissimum Petrum Pithœum, ut mos erat, retulissemus, ita probavit, ut mercede muneraretur, antiqua inscriptione nondum tunc edita, quæ Vesunnæ hactenus conservatur, his verbis. D

TUTELE AUG
VESUNNÆ
SECUNDUS
SOTER L. D. S. D.

Ut ergo Vesunnæ nomen male antea divulsum restituimus, ita restitui debet in Postumi Aug. nummo inscriptio, in qua HERCULES DEUSONIENSIS a Deusone veterum Francorum trans Rhenum urbe nuncupatur, ad quam cæsos olim Valentiniano regnante a Francis Saxones, auctor est in chronico Hieronymus. Mala enim ab Huberto Goltzio divulsa voce lectum atque in Thesauro exaratum est, DEUS ONIENSIS. Vidimus & alios tum æneos, tum argenteos, in quibus eadem inscriptio, sed nuda Herculis imago sine templo. E

1. *Drepanium, Anthedium*] Latini Pacati Drepanii exstat panegyricus Theodosio Romæ dictus, in quo Transalpinum se Aquitanumque non obscure profitetur. Eumdem poetam eximium prædicat Ausonius Idyllio VII. Anthedium quoque poetis adnumerat Sidonius in carmine IX. ad Felicem, & in epistola ad Leontium quæ Burgum (carm. XXII.) antecedit.

2. *Paullinum, Alcimum*] Alcimus rhetor is videtur, quem cum Delphidio in Aquitania florentissime docuisse scribit idem Hieronymus. *Fortitudo Alcimi*, lib. V. epist. X. De Paullino, quemnam dicat minus exploratum. Nam præter Nolanum, plures alii scriptis etiam suis noti sæculo Sidoniano: ut Paullinus episcopus Biterrensis, cujus epistolam sub annum Christi CDXX. commemorat Idacius. Paullinus auctor Carminis Eucharistici, quem Ausonii ex filio Hesperio nepotem videor ex ejus versibus deprehendisse: Paullinus denique, cujus sunt libri VI. de vita S. Martini, metro item scripti, quem cum vetera exemplaria, Vaticanum & Corbeiense, Paullinum Petricordium nominent, Petrocorium fortasse, hoc est Vesunnicum liceat suspicari. Sed Paullinus Sidonii rhetoricæ artis nomine laudatur, non poeticæ.

3. *Metatoriam paginam*] Epistolam quam adventus sui nuntiam præmiserat, quasi diversorium, καὶ καταγωγὴν designaturam, id enim munus metatorum. Plinius πρόδρομον, & *præcursoriam* dixit lib. IV. epist. IX. & XIII. Symmachus *præsulem*, a præsulibus Saliorum: alibi, *prænuntias litteras*, ut Sidonius prævias in epist. ad Papianillam lib. V. *Licinianus litteras adventus sui prævias misit*. Quo epistolarum genere inter amicos nihil usitatius. At contra, quæ venientibus amicis obviam mittebantur, adventoriæ dictæ, καὶ ἀσπαστικαὶ, Martiali lib. XII. in prooemio: & Ausonio ad Paullum Santonos adventantem epist. XVIII.

4. *Dilectæ nimis*] Distichum hoc a reliquo poemate sejungi debere tamquam titulum & ἐπιγραφὴν, jam monui ad Ennodium lib. II. epist. I. Hujus etiam generis sunt tres primi versus Carminis IX. ad Felicem: & primi rursum in aliquot epistolis Ausonii. Item apud Ruricium in Hendecasyllabis ad Sedatum episcopum Nemausensem.

Sancto Ruricius cliens patrono
Sedato monitis parens paternis E
Grates concinit, & refert salutem.

Commonitorium Glossæ nostræ interpretantur ἐπιστολὴν προστακτικὴν, epistolam qua aliquid præcipitur, qualis in fronte codicis Theodosiani: *Commonitorium Timotheo V. S. comiti*. In concilio Carthaginiensi VI. cap. III. *Commonitorium fratri Faustino, & filiis Philippo & Asello presbyteris, Zosimus episcopus*. Ita enim legi locus hic debet.

5. *Orpheum visere*] Lampridium. In his enim versibus figurate, ut præfatus est, Phœbus, est Sidonius: Orpheus seu Odrysius vates, Lampridius.

6. *Lyristes*] Ultimam corripit, illorum temporum normam secutus, de qua Martianus Capella lib. III. *Et in Græcis nominibus brevis est, ut Anchises*: eodemque modo Alciden quoque postrema brevi extulit carmine VI.

7. *Leontioque*] Pontio Leontio Liviæ filio, Burdegalensi, ad quem est carmen XXII. cum epist. de quo etiam aget epist. XII. Ad Rusticum item fuit epist. XI. lib. II. Gallicini vero episcopi Burdegalensis conservatam memoriam huic uni loco debemus.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.

Ollarum aut nebula vapore juncto
Fumant cum crepitantibus patellis,
Heic cum festa dies ciere ravos
Cantus cœperit, & voluptuosam
Scurrarum querimoniam crepare:
Tunc tunc carmina digniora vobis,
Vinosi hospitis excitus camœna,
Plus illis ego barbarus susurrem.

O necessitas abjecta nascendi, vivendi misera, dura moriendi? Ecce quo rerum volubilitatis humanæ rota ducitur. Amavi fateor satis hominem, licet quibusdam tamen venialibus erratis implicaretur, atque virtutibus minora misceret. Namque crebro levibus ex caussis, sed leviter excitabatur: quod nihilominus ego studebam sententiæ ceterorum naturam potius persuadere, quam vitium: adstruebamque meliora; quatenus in pectore viri iracundia materialiter regnans, quia nævo crudelitatis fuerat infecta, prætextu saltem severitatis emacularetur. Præterea & si consilio fragilis, fide firmissimus erat; incautissimus, quia credulus; securissimus, quia non nocens. Nullus illi ita inimicus, qui posset ejus extorquere maledictum: & tamen nullus sic amicus, qui posset effugere convicium. Difficilis aditu, cum facilis inspectu; & portandus quidem, sed portabilis. De reliquo, si orationes illius metiaris, acer, rotundus, compositus, excussus: si poemata, tener, multimeter, argutus, artifex erat. Faciebat siquidem versus oppido exactos, tam pedum mira, quam figurarum varietate: hendecasyllabos lubricos, & enodes: hexametros crepantes, & cothurnatos: [1] elegos vero nunc echoicos, nunc [2] recurrentes, nunc [3] per anadiplosim fine principiisque connexos. Hic ut arreptum suaserat opus, [4] ethicam dictionem pro personæ, temporis & loci qualitate variabat: idque non verbis qualibuscumque, sed grandibus, pulcris, elucubra-

A tis. In materia controversiali fortis & lacertosus: in satyrica solicitus & mordax: in tragica sævus & flebilis: In comica urbanus multiformisque: in fescennina vernans verbis, æstuans votis: in bucolica vigilax, parcus, carminabundus: in georgica sic rusticans multum, quod nihil rusticus. Præterea quod ad epigrammata spectat, non copia, sed acumine placens: quæ nec brevius disticho, nec longius tetrasticho finiebantur: eademque cum non pauca piperata, mellea multa conspiceres, omnia tamen salsa cernebas. In lyricis autem Flaccum sequutus, nunc ferebatur in Jambico citus, nunc in Choriambico gravis, nunc in Alcaico flexuosus, nunc in Sapphico inflatus. Quid plura? subtilis, aptus, in-
B structus; quaque mens stilum ferret, eloquentissimus prorsus, ut eum jure censeres post Horatianos & Pindaricos cycnos gloriæ pennis evolaturum. Aleæ, sphæræ, non juxta deditus. Nam cum tesseris ad laborem occuparetur, pila tantum ad voluptatem: fatigabat libenter, quodque plus dulce, libentius fatigabatur. Scribebat assidue, quamquam frequentius scripturiret. Legebat etiam incessanter auctores, cum reverentia antiquos, sine invidia recentes. Et quod inter homines difficillimum est, nulli difficulter ingenii laudem cedebat. * Illud sane non solum culpabile in viro fuit, sed peremtorium; quod mathematicos quondam de vitæ suæ fine consuluit, urbium cives Africanarum; quibus ut est regio, sic
C animus ardentior: qui constellatione percunctantis inspecta, pariter annum, mensem, diemque dixerunt, quos (ut verbo matheseos utar) climactericos esset habiturus: utpote quibus themate oblato, quasi sanguinariæ genituræ schema patuisset: quia videlicet amici nascentis anno, quemcumque clementem planeticorum siderum globum in diastemate Zodiaco prosper ortus erexerat; hunc in occasu cruentis ignibus inrubescentes, seu [5] super diametro Mercurius

1. *Elegos nunc echoicos*] Plerique manuscripti habent *Eschoicos*, vel aliud quid simile: pro quo, donec aptius quidpiam occurrat, litterula exemta feci *Echoicos*. Echoicos autem elegos ab Echo dicere videtur eos, quorum principii ac finis idem est hemistichium: *ἐνιαυτὰς καὶ κύκλας* diceret Hermogenes. Tale est Pentadii de adventu
D veris integrum epigramma, in eoque de Echo ipsa hoc distichum:

Per cava saxa sonat pecudem mugitibus Echo,
Voxque repulsa jugis per cava saxa sonat.

Scio in Servii Centimetro echoicum versum definiri, cujus ultima syllaba penultimæ congruit, ut est hic:

Exercet mentes fraternas gratia rara.

sed hoc genus ad Sidonium non facit, qui artificia tractat quæ in elegis cernuntur. Mirum vero non debet videri, echoicos dici elegos Pentadii & ceteros ejusmodi, cum Cæstius rhetor similes in oratione soluta repetitiones echo solitus fuerit appellare. Seneca pater l. VII. controver. VII. *Apud Cæstium quidam auditor hoc modo cœpit, Ut verbis ducis vestri scilicet judices incipiam, Cavete proditionem, sic finivit declamationem, ut diceret, In quibus vitam finit imperator, Cavete proditionem. Hoc sententiæ genus Cæstius ἠχὼ vocabat & dicenti discipulo statim exclama-*
E *bat, μὴ τὴν ἠχώ. ut in illa suasoria, in qua deliberat Alexander, an oceanum naviget, cum exaudita vox esset, Quousque invicte? ab ipsa voce quidam cœpit declamare, & in hac desiit. Ait illi Cæstius desinenti, ἐν σοὶ μὲν λήξω, σέο δ' ἄρξομαι.*

2. *Recurrentes*] Non qui per singulas litteras redeunt, de quibus lib. IX. epist. XIV. sed qui per singula verba, quos reciprocos grammatici vocant. Sed reciproci, ut docet Victorinus, vel per singulos versus redeunt, qui ad hunc locum non faciunt, vel per elegum totum: de quo solo genere heic agit Sidonius. Tale est Sidonii ipsius distichum, quo lusit in torrentem, in eadem epistola lib. IX. & hoc Optatiani Porphyrii:

Perpetuis bene sic partiri munera sæclis
Sidera dant patriæ & patris imperium.

Quod si recurras, ita legitur:

Imperium patris & patriæ dant sidera sæclis
Munera partiri sic bene perpetuis.

3. *Per anadiplosim*] Per anadiplosim fiunt, ut Diomedes & alii scribunt, cum ultima prioris versus dictio in initio sequentis iteratur, ut

— Sequitur pulcherrimus Astur,
Astur equo fidens.

Quo ex genere constat totum carmen primum Tecnopægnii Ausoniani: nisi quod omnia ibi sunt hexametra. Sed si idem fiat in elegis, specimen erit operis Lampridiani. Vetus epitaphium Eutychetis aurigæ:

Invidere meis annis crudelia fata,
Fata quibus nequeas opposuisse manus.

Possent etiam ad anadiplosim referri, quos supra echoicorum loco protulimus.

4. *Ethicam dictionem*] Male antea *& hic additionem*. Emendationis jam commonefecimus in notis ad Ennodium. Ethicam dictionem *ἠθικὸν λόγον* rhetores vocant, *τὸν ἑπόμενον ἑκάστῳ ἤθει*. Sidonius personæ, loco, tempori congruentem. Morata oratio dicitur a Latinis, quod mores exprimat. Quo in genere, Varronis judicio, inter comicos excelluit Terentius. Sic enim de illo scribit apud Nonium: *In argumentis Cæcilius poscit palmam, in ethesin Terentius, in sermonibus Plautus*: & inter pictores Aristides, de quo Plinius lib. XXXV. cap. X. *Æqualis*, inquit, *Apellis Aristides Thebanus. Is omnium primus animum pinxit, & sensus omnes, quos vocant Græci ethe: item perturbationes*. Hæc ethica pictura dici posset. Ethicas quoque controversias dixit Seneca pater lib. II. controv. II.

5. *Super diametro Mercurius*] Astrorum aspectus mentiuntur Astrologi ex intervallo seu diastemate ipsorum inter se. *Διάμετρον* oppositum vocat, qui fit in signo quod est septimum a primo. *τρίγωνον* triquetrum in quinto. *τετράγωνον* quadratum in quarto. *ἑξάγωνον* sextilem in tertio quæ nulla ejusmodi radiatione junguntur, ea Græcis *ἄβλεπτα καὶ ἀσύνδετα* dicuntur. Jam contra, cæli cardines sunt quatuor, *ὡροσκόπος* ortus, *μεσουράνημα* meridies, *δύσις* occasus, *ὑπόγειον* imum cæli: quæ omnia perstringit Sidonius, sed centrum proprie nominat *τὸ μεσουράνημα*, quia is caput & princeps cardinum.

* Ad hunc locum vide sis Cotelerium ad *Recognit. Clement.* lib. X. cap. XI. not. 3.

asyndetus, seu super tetragono Saturnus retrogradus, A seu super centro Mars apocatasticus exacerbassent. Sed de his qualia, quoque modo sint, quamquam sint maxime [1] falsa, ideoque fallentia, si quid plenius planiusque cohæret, licet & ipse arithmeticæ studeas, & quæ tua diligentia, [2] Vertacum, Thrasibulum, Saturninum solicitus evolvas, ut qui semper nil nisi arcanum celsumque meditere. Interim ad presens nil conjecturaliter gestum, nil per ambages: quandoquidem hunc nostrum temerarium futurorum sciscitatorem, & diu frustra tergiversantem, tempus & qualitas prædictæ mortis innexuit. Nam domi pressus strangulatusque servorum manibus, obstructo anhelitu, gutture obstricto, ne dicam Lentuli, Jugurthæ atque Sejani, certe Numantini Sci- B pionis exitu periit. Hæc in hac cæde tristia minus, quod nefas ipsum cum auctore facti parricidalis diluculo inventum est. Nam quis ab hominum tam procul sensu, quis ita gemino obtutu eluminatus, qui exanimati cadavere inspecto, non statim signa vitæ colligeret extortæ? Etenim protinus argumento fuere livida cutis, oculi protuberantes, & in obruto vultu non minora iræ vestigia, quam doloris. Inventa est quidem terra tabo madefacta deciduo, quia post facinus ipsi latrones ad pavimentum conversa defuncti ora pronaverant, tamquam sanguinis eum superæstuans fluxus exinanisset. Sed protinus capto, qui fuerat ipsius factionis fomes, incentor, antesignanus, ceterisque complicibus oppres- C sis, seorsumque discussis, criminis veritatem de pectoribus invitis tormentorum terror extraxit. Atque utinam hunc finem, dum inconsulte fides vana consultat, non meruisset excipere. Nam quisque præsumserit interdicta, secreta, vetita rimari, vereor hujusmodi a catholicæ fidei regulis exorbitaturum, & effici dignum, in statum cujus respondeantur adversa, dum requiruntur illicita. Sequuta quidem est ultio exstinctum: sed magis prosunt ista victuris. Nam quoties homicida punitur, non est remedium, sed solatium vindicari. Longiuscule me progredi amor impulit, cujus angorem silentio exhalare non valui. Tu interim, si quid istic cognitu dignum est, citus indica: saltem ob hoc scribens, D ut animum meum tristudine gravem lectio levet. Namque confuso pectori mæror, & quidem jure plurimus erat, cum paginis ista committerem sola. Neque enim satis mihi aliud hoc tempore manu, sermone, consilio, scribere, loqui, volvere libet. Vale.

EPISTOLA XII.

Sidonius [3] Trigetio suo salutem.

TAntum ne te Vasatium civitas non cæspiti imposita, sed pulveri? tantum Syrticus ager, ac vagum solum, & volatiles ventis altercantibus arenæ sibi possident; ut te magnis flagitatum precibus, parvis separatum spatiis, multis exspectatum diebus, attrahere Burdegalam, non potestates, non amicitiæ, non opimata vivariis ostrea queant? An temporibus hibernis viarum te dubia suspendunt? & quia solet Bigerricus turbo mobilium aggerum indicia confundere, quoddam vereris in itinere terreno pedestre naufragium? Ubi, quæsumus, animo tam celeriter excessit vestigiis tuis nuper subacta Calpis? ubi fixa tentoria in occiduis finibus Gaditanorum? ubi ille Trigetio meo idem qui Herculi quondam terminus peregrinandi? Tantum ne a te ipso ipse tu discrepas, ut totus in desidiæ jura concesseris; quo peragrante secreta regionum fabulosarum, prius defuit actio laboris, quam fatigationis intentio? Et post hæc [4] portum Alingonis tam piger calcas, ac si tibi nunc esset ad limitem Danubinum contra incursaces Massagetas proficiscendum: vel si nunc etiam tuæ naves stagna Nilotidis aquæ per indigenas formidata crocodilos transfretarent. Et cum nec duodecim milium objectu sic retarderis, quid putamus cum exercitu [5] M. Catonis in Leptitana Syrte fecisses? Sed quamlibet sola hiemalium mensium nomina tremas, tam clemens est facies cæli, tam tepida, tam suda, & sic auras mage quam ventos habet; ut te non valeat enixius retinere tempus, quam invitare temperies. Sed si [6] epistolam spernis evocatoriam, credo vel versibus non reluctaberis, impulsoribus blandis, & desiderii mei, quantum suspicor, strenuis exsecutoribus; quorum in te castra post biduum commovebuntur. Ecce jam [7] Leontius meus facile primus Aquitanorum, ecce jam parum inferior parente Paullinus, ad locum quem supra dixi, per Garumnæ fluenta refluentia, non modo tibi cum classe, verum etiam cum flumine occurrent. Heic tuas laudes modificato celeumate, simul inter transtra remiges, gubernatores inter aplustria canent. Heic te ædificatus culcitis torus, heic tabula calculis strata bicoloribus, heic tessera frequens eboratis resultatura pyrgorum gradibus exspectat: heic, ne tibi pendulum tinguat volubilis

1. *Falsa, ideoque fallentia*] Propterea divinis & humanis legibus vetita matheseos, ut vanissimæ occupationis, περιεργία. Tertullianus de idololatria. *Nihil scis, Mathematice, si nesciebas te futurum Christianum. Sin sciebas, hoc quoque scire debueras, nihil tibi futurum cum ista professione. Ipsa te de periculo suo instrueret, quæ aliorum climacterica precavit. Non est tibi pars, neque sors in ista ratione: non potest regna cælorum sperare, cujus digitus aut radius abutitur cælo.*

2. *Vertacum, Thrasybulum, Saturninum*] Julianum Vertacum inter Mathematicos nominat in epistola ad Polemium carmine XXII. itemque Fullonium Saturninum. De Thrasybuli ætate docuit nos Lampridius in Alexandro. *Thrasybulus*, inquit, *Mathematicus illi amicissimus fuit: qui cum ei dixisset, necessitatem esse, ut gladio barbarico periret, primo lætatus est, quod sibi mortem bellicam & imperatoriam crederet imminere*, cet.

3. *Trigetio*] Illi ipsi, opinor, quem Prosperi fragmentum, quod lib. I. epist. IX. produximus, præfectorium vocat, legatumque ad Attilam cum S. Leone & Avieno missum testatur. Præfectus ergo fuerat. Militarem quoque administrationem gesserat, ut ex Sidonii verbis colligitur. Prosper idem quarto Valentiniani consulatu, pacem cum Vandalis per Trigetium factam docet: quod Paulli quoque diaconi confirmat historia.

4. *Portum Alingonis*] Nomen oppido manet ad Garumnam in Vasatum diœcesi. Lengonem hodie vocitant: a quo Burdegalam secundo flumine brevis est cursus. Meminit hujus loci Paullinus epist. II. ad Delphidium: iterum ad Amandum epist. II. Supra Alingonem ergo, in Novempopulis est Cossio Vasatium: remotiores ad saltum Pireneum Bigerri, nunc Bigorrenses, a quibus spirans ventus Vasatum arenas Syrtium more miscet.

5. *Catonis in Syrte*] Strabo lib. XVII. de Berenice. ἐκ τῆς ταύτης τῆς πόλεως τριακοσταῖος πεζῇ περιώδευσε τὴν E Σύρτιν Μάρκος Κάτων, κατάγων στρατιὰν πλειόνων ἢ μυρίων ἀνδρῶν. *Ex hac urbe M. Cato Syrtem intra diem tricesimum peragravit, exercitum ducens hominum amplius decem millium.* Rem prodigii similem habitam multi celebrarunt. Ipsum etiam Catonis epitaphium:

Avius incerto peragravit tramite Syrtes.

6. *Epistolam evocatoriam*] Evocatoriæ principum epistolæ ad quas alludit, eæ dicebantur, quibus aut absentes ad comitatum evocabant, aut principis ambientibus aspectum veniendi fiduciam dabant. Nam sine evocatoria ad comitatum venire omnibus non licebat, L. III. C. Theod. de Decurionibus & Silent. Utriusque generis formulam proponit Senator lib. VII. Variarum: prioris exemplum est apud Jornandem in evocatoria Zenonis, qua Theodoricum Constantinopolim venire jussit.

7. *Leontius*] Pontii Leontii matrem Liviam didicimus ex epist. XI. ex hac filium ejus Paullinum: ex carm. XXII. generis principem Pontium Paullinum.

ſentina veſtigium, pandi carinarum ventres abjegnarum trabium textu pulpitabuntur: heic ſuperflexa [1] crate paradarum ſereni brumalis infida vitabis. Quid delicatæ pigritiæ tuæ plus poterit impendi, quam ut te perveniſſe invenias, cum venire vix ſentias? Quid muſſitas? quid moraris? Ipſe tuum mihi videntur adventum reptiles cochleæ cum domibus nativis anteceſſuræ. Eſt præterea tibi copioſiſſima penus, aggeratis opipare referta deliciis, modo ſit eventilando par animus impendio. Quid multa? Veni, ut aut paſcaris, aut paſcas: immo quod gratius, ut utrumque. Veni cum mediterraneo inſtructu ad debellandos ſubjugandoſque iſtos Medulicæ ſuppellectilis epulones. Heic Aturricus piſcis Garumnicis mugilibus inſultet: heic ad copias [2] Lapurdenſium locuſtarum, cedat vilium turba cancrorum. Tu tametſi ceteris eris in hoc genere pugnandi dimicaturus, ſi quid meo judicio cenſes adquieſcendum, (neque enim injuſtum eſt credere experto) ſenatorem noſtrum, hoſpitem meum, conflictui huic facies exſortem: cujus ſi convivio tectoque ſuccedas, dapes Cleopatricas & [3] loca lautia putes. Nam quamvis ſuper hoc ſtudio tam ipſe, quam patria confligant, olim lata ſententia eſt, quod ille tranſeat ceteros cives, licet & illa ceteras civitates. Vale.

EPISTOLA XIII.

Sidonius domino papæ [4] Nonnechio ſalutem.

MUlta in te genera virtutum, papa beatiſſime, munere ſuperno congeſta gaudemus. Siquidem agere narraris ſine ſuperbia nobilem, ſine invidia potentem, ſine ſuperſtitione religioſum, ſine jactantia litteratum, ſine ineptia gravem, ſine ſtudio facetum, ſine aſperitate conſtantem, ſine popularitate communem. Præterea his hoc præſtantiſſimum bonis fama ſuperaggerat, quod te aſſerit haſce tot gratias faſtigatiſſimæ caritatis arce tranſſcendere. Fama, inquam, quæ de laudibus tuis cum canat multa, plus reticet. Nam longius conſtitutis actionum tuarum propoſitum poteſt aſſignare, non numerum. Quarum relatione ſuccenſus, ultro primus ut longe inferiorem decet, ad ſolvenda officia procurro; nec vereor garrulitatis aliquando argui, qui potui taciturnitatis huc uſque culpari. Commendo Promotum gerulum litterarum, nobis quidem jam ante cognitum, ſed noſtrum nuper effectum veſtris orationibus contribulem: qui cum ſit gente Judæus, fide tamen prælegit cenſeri Iſraelita, quam ſanguine: & municipatum cæleſtis illius civitatis affectans, occidentemque litteram ſpiritu vivificante faſtidiens, pariter hinc juſtis præmia propoſita contemplans, hinc, niſi faceret ad Chriſtum de circumciſione transfugium, prævidens ſe ſe per æterna ſæcula æquiterna ſupplicia paſſurum: patriam ſibi maluit Hieruſalem potius, quam Hieroſolymam computari. Quibus agnitis, adventantem Abrahæ nunc filium veriorem maternis ulnis ſpiritalis Sara ſuſcipiat. Namque ad Agar ancillam pertinere tunc deſiit, cum legali obſervantiæ ſervitutem gratiæ libertate mutavit. De cetero, quæ ipſi fuerit iſto cauſſa veniendi, præſentaneo conducibilibus idem poterit explicare memoratu. Nobis vero propter quæ ſupra ſcripſi cariſſimus habetur: quod eo ſignifico, quia is efficaciſſime quemque commendat, qui meras cauſſas juſtæ commendationis aperuerit. Memor noſtri eſſe dignare, domine papa.

EPISTOLA XIV.

Sidonius domino papæ [5] Principio ſalutem.

JAm diu nobis, papa venerabilis, & ſi necdum veſter vultus adſpectus, tamen actus inſpectus eſt. Namque ſanctorum diffuſa laus meritorum ſtringi ſpatiis non eſt contenta finalibus. Hinc eſt, quod quia bonæ conſcientiæ modus non ponitur, nec bonæ opinioni terminus invenitur. Quæ loquor falſa cenſere, niſi profeſſioni meæ competens adſtipulator acceſſerit, ſatis in illo quondam cœnobio Lirinenſi ſpectabile caput, Luporum concellita Maximorumque, & parſimoniæ ſaltibus conſequi affectans Memphiticos & Palæſtinos archimandritas. Is epiſcopus Antiolius: cujus relatu, qui pater vobis, quique qualeſque vos fratres, qua morum prærogativa pontificatu maximo ambo fungamini, ſolicitus cognoſcere ſtudui, & gaudens cognoviſſe me memini. Cui patri quondam videlicet vos habenti, vix domus Aaron pontificis antiqui merito compararetur: quem licet primum in medio plebis eremitidis, ſanctificationis oleo legiferi fratris dextra perfuderit, filios ejus in ſimilis officii munia vocans; tamen ipſius ſuper Ithamar & Eleazaro felicitatem, Nadab & Abiu fulminibus afflati decoloravere: quorum quamlibet interemtorum credamus abſolvendas animas, punitas tamen ſcimus eſſe perſonas. Vos vero tacturi paginam altaris, nihil, ut audio, offertis ignis alieni: ſed comitantibus victimis caritatis caſtitatiſque, fragrantiſſimum incenſum turibulis cordis adoletis. Ad hoc quoties jugum legis cervicibus ſuperbientium per vincula prædicationis adſtringitis, tunc Deo tauros ſpiritualiter immolatis. Quoties conſcientiæ luxuriantis fœtore pollutos, ad ſuaveolentiam pudicitiæ ſtimulis correctionis impellitis, hircorum vos obtuliſſe virulentiam Chriſtus ſibi computat. Quoties hortantibus vobis in quocumque compuncto culpas ſuas anima pœnaliter recordata ſuſpirat; quis vos ambigat paria turturum, aut binos pullos columbarum, qui duplicem ſubſtantiam

1. *Crate paradarum*] Paradæ ſunt integumenta naviolorum, ad arcendum ſolem, frigus, & reliquas cæli injurias. Auſonius Theoni epiſt. VI.

Puppe citus propera, ſinuoſaque lintea veli
Pande, Medullini te feret aura Noti,
Expoſitum ſubter paradas, lectoque jacentem,
Corporis ut tanti non moveatur onus.

2. *Lapurdenſium locuſtarum*] Bajonenſium. Quæ enim hodie Bajona eſt civitas in Novempopulis, olim erat caſtrum Lapurdum, in quo ſtationem tribunus cohortis Novempopulanæ, ut eſt in Notitia occidentis. Bajonenſes item epiſcopi in Tabulis antiquis Lapurdenſes appellantur. Denique tractus ipſe agri Bajonenſis patria indigenarum lingua integrum Lapurdi nomen retinet. Lapurdenſes ergo locuſtas, carabos dicit, qui Bajonæ ad Aturri oſtia capiebantur.

3. *Loca lautia*] Sic potius a Sidonio ſcriptum cenſeo, quam *loca Latia*, atque ita prorſus habuit vetuſtiſſimum & probatiſſimæ notæ exemplar: in quo tamen recentior manus lautia in Latia mutarat. Loca lautia, quæ legatis decerni ſolita: tectum ſcilicet, epulæque lautiores. Inde ad alia quoque transferebant: ut Apulejus lib. III. *Hoſpitium mihi & loca lautia præbiturum*. Symmachus lib. IV. epiſt. LVI. *Muſis in palatio loca lautia tu dediſti*.

4. *Nonnechio*] Nunechius, Νουνέχιος, emendatius ſcribitur in concilio Venetico, cui ſubſcripſit. Fuit alter poſtea ejuſdem nominis Guntramni regis temporibus Nonnechius epiſcopus Namnetenſis, Felicis epiſcopi conſobrinus & ſucceſſor, de quo Gregorius Turon. lib. VI. & VIII.

5. *Principio*] Sueſſionum epiſcopo, fratri Remigii epiſcopi Remenſis: quem etiam, patremque Æmilium tacito nomine laudat. De iiſdem omnibus Flodoardus lib. I. cap. X. Antiolius autem, quem olim cum Lupo Tricaſſino & Maximo Reienſi Lirinenſem eremum habuiſſe ſignificat, cujuſnam ſedis fuerit epiſcopus, incertum.

utriuſque hominis noſtri tam numero quam gemitu aſſignant, myſtico litaſſe ſacrificio? Quoties veſtro monitu obeſum quicumque corpus, æſtuantemque turgidi ventris arvinam, crebro jejuniorum decoquendus igne torruerit; nulli dubium eſt vos tunc ſimilam frixam in quadam continentiæ ſartagine conſecraturos. Quoties aliquem mentis perfidæ figmenta ponentem, ſanam reſpondere doctrinam, fidem credere, viam tenere, vitam ſperare ſuadetis; quis vos dubitet in hujus emendatione converſi, qui jam ſit liber ab hæreſi, liber ab hypocriſi, liber ab ſchiſmate, purgatiſſimum propoſitionis panem cum ſinceritatis & veritatis azymis dedicaturos? Poſtremo quis neſciat, quidquid legis diebus figuraliter immolabatur in corporibus, quod totum id gratiæ tempore manifeſte vos offeratis in moribus? Atque ideo grates uberes Deo refero, quod ſecundum veſtræ paginæ qualitatem, facile agnoſco antiſtitem ſuprafatum de vobis cum magna dixerit, majora tacuiſſe. Quapropter nemo dubitaverit, qui bonus es cum indicaris, & melior cum legeris, eſſe te optimum cum videris. Megethius clericus, veſtri gerulus eloquii, rebus ex ſententia geſtis, quia tuorum apicum detulit munera, meorum reportat obſequia: quem ſaltem juvimus voto, quia re forſitan non valemus: per quem obſecro impenſe, ut ſitim noſtram frequenter litteris litteratis, ambo germani, tu frequentius, irrigetis. Sed ſi difficultas itineris interſiti reſultat optatis, vel aliquoties pro ſupplicibus ſupplicate. Majus eſt autem, ſi nobis tribuere dignemini raris interceſſionibus ſalutem, quam ſi crebris affatibus dignitatem. Memor noſtri eſſe dignare, domine papa.

EPISTOLA XV.

Sidonius domino papæ [1] *Proſpero ſalutem.*

DUm laudibus ſummis ſanctum Anianum, maximum conſummatiſſimumque pontificem, Lupo parem, Germanoque non imparem vis celebrari; fidcliumque deſideras pectoribus inſigi viri talis ac tanti mores, merita, virtutes; cui etiam illud non abſque juſtitia gloriæ datur, quod te ſucceſſore deceſſit: exegeras mihi, ut promitterem tibi Attilæ bellum ſtilo me poſteris intimaturum: quo videlicet Aurelianenſis urbis obſidio, oppugnatio, irruptio, nec direptio, & illa vulgata exauditi cælitus ſacerdotis vaticinatio continebatur. Cœperam ſcribere, ſed operis arrepti faſce perſpecto, tæduit inchoaſſe: propter hoc nullis auribus credidi, quod primum me cenſore damnaveram. Dabitur, ut ſpero, precatui tuo & meritis antiſtitis ſummi, quatenus præconio ſuo ſub quacumque & quidem celeri occaſione famulemur. Ceterum tu creditor juſtus, laudabiliter hoc imprudentiæ temerarii debitoris indulſeris, ut quod mihi inſolubile videtur, tibi quoque videatur inrepoſcibile. Memor noſtri eſſe dignare, domine papa.

EPISTOLA XVI.

Sidonius Conſtantio ſuo ſalutem.

[2] SPoponderam Petronio, illuſtri viro, præſens opuſculum paucis me epiſtolis expediturum: cujus auribus non peperci, dum tuis parco. Malui namque ut illum correctionis labor, te honor editionis adſpiceret, perveniretque in manus veſtras volumen iſtud alieno periculo, obſequio meo. Peracta promiſſio eſt: nam peritia tua ſi coactorum in membranas inſpiciat ſigna titulorum, jam copioſum te, ni fallor, pulſat exemplar, jam venitur ad margines umbilicorum, jam tempus eſt, ut Satyricus ait, Oreſtem noſtrum vel ſuper terga finiri. Non heic ego commentitiam Terpſichorem more ſtudii veteris adſcivi; nec juxta ſcaturiginem fontis Aganippici, per roſcidas ripas & pumices muſcidos ſtilum traxi. Atque utinam heic nil molle, nil fluidum, nil de triviis compitalibus mutuatum reperiretur. Siquidem maturo, ut es ipſe, lectori non tantum dictio exoſſis, tenera, delumbis, quantum vetuſcula, toroſa & quaſi maſcula placet. Sed reſerventur iſta potioribus: mihi ſufficit, ſi cito ignoſcas, quod ſumus tardi. Præterea ſi vir illuſtris aliquid inſuper ampliuſcule ſcribi depopoſciſſet, in moras grandes incidiſſemus. Nam per [3] armariola & zothecula noſtras non remanſerunt digna prolatu.

1. *Proſpero*] Epiſcopo Aurelianenſi, cujus extra hunc locum & Bedæ Martyrologium IV. Kalend. Auguſti, mentio apud antiquos vix occurrit. Proſper enim epiſcopus, qui Carpentoratenſi & Vaſionenſi concilio interfuit, ab hoc diverſus eſt, ut pote poſterior. Nam ſynodorum iſtarum tempore Aurelianorum epiſcopus erat non Proſper, ſed Euſebius vel Leontius. Huic vero ætate propior, ac plane ſuppar fuit Proſper Aquitanus, quem alii Reienſem in Gallia, alii Regienſem in Italia epiſcopum faciant. Sed is mea quidem ſententia epiſcopus numquam fuit. Reienſi ſane (quod multis magniſque viris placuiſſe video) in Provincia II. eccleſiæ præeſſe non potuit: cum certum ſit, vel Sidonio auctore, in ea cathedra poſt Maximum ſediſſe Fauſtum: quorum ille Hilarii Arelatenſis temporibus (ut ex Reienſi Arauſicanoque concilio, atque ex Hilarii ipſius vita conſtat) epiſcopus jam erat, ac proinde ſuperſtite adhuc Proſpero, qui ultra Hilarii ætatem, hoc eſt urbem uſque a Vandalis captam ſua Chronica perduxit. Fauſtus vero Maximi ſucceſſor, ut ex Sidonii epiſtolis liquet, Proſperi annos exceſſit, quem omnes conſentiunt ad Anthemii Aug. tempora non perveniſſe. Unde ſequitur, Proſperum Aquitanum neque ante Maximum, neque poſt Fauſtum, Reienſem cathedram regere potuiſſe. Sed ut epiſcopum prorſus non fuiſſe ſentiam, facit veterum omnium auctoritas, Victorii de cyclo Paſchali ad Hilarum, Gennadii ſcriptorum eccleſiaſticorum cap. LXXXIV. Gelaſii papæ de libris apocryphis, Fulgentii ad Monimum lib. I. cap. XXX. Marcellini comitis in chronico ſincero & non vitiato, aliorumque: qui cum de Proſpero alia omnia narrent, de epiſcopali ejus honore mentionem nullam faciunt. Quare Proſperum qui inter Regii Lepidi antiſtites numeratur, alium ab Aquitano fuiſſe crediderim, fallique eos qui cum Trithemio & Flaminio utrumque confundunt.

2. *Spoponderam Petronio*] Cui peculiaris hic liber dicatus eſt epiſt. I. *Ut epiſtolarum*, inquit, *ſeriem parvi adhuc numeri ſumma prætendat.*

3. *Armariola & zothecula*] Per ſcrinia & muſeola. Plinius junior in deſcriptionem villæ ſuæ Laurentinæ, lib. II. epiſt. XVII. *Contra parietem medium Zotheca perquam eleganter recedit: quæ ſpecularibus & velis obductis reductiſve, modo adjicitur cubiculo, modo aufertur: lectum & duas cathedras capit.* Item lib. V. epiſt. VI. in deſcriptione Tuſcanicæ. *Mox Zothecula refugit quaſi in cubiculum idem atque aliud: lectulus heic & undique feneſtræ.* Dubium non eſt, quin vocem hanc mutuatus ſit a Plinio. Nunc tamen vulgata Plinii exemplaria, correctorum vitio, quia in toto utriuſque epiſtolæ textu diætarum zætarumve mentio crebra recurrit, heic etiam duobus in locis diætam & diætulam exhibent; ſed certa eſt veterum codicum lectio quam repræſentavi. Ex Plinii autem verbis non difficile eſt cognoſcere, Zothecas proprie dictas ſecretiores œcos & habitatiunculas domus cubiculis adjunctas, in quibus domini diverſabantur, privatiſque ſtudiis operam dabant qualia ſunt, quæ vulgo Studia aut Cabineta dicimus. Utitur iterum eadem voce Sidonius lib. IX. XI. extatque in Tiburtina inſcriptione quam Savaro protulit, & in hac Reatina nondum hactenus edita.

TI. CLAUDIO AUG. L. FELICI
SCAPULANO D. III. Q. III. QUINQUENNALI
IN MUNI TRIPLICARIO BENEMERENTI
EX CONSENSU DECURIÆ UNIVERSÆ
HONORIS CAUSSA ZOTHECAM
PUBLICÆ DEDERUNT
ATIMETUS L. SUA PECUNIA ADORNAVIT.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.

Unde cognosce, quod & si tacere necdum cepimus, certe taciturire jam deliberavimus, duplici ex caussa: ut si placemus, pauca lecturis incitent voluptatem; si refutamur, non excitent multa fastidium: quippe in hoc stilo, cui non urbanus lepos inest, sed pagana simplicitas. Unde enim nobis illud loquendi tetricum genus ac perantiquum? Unde illa [1] verba Saliaria, vel Sibyllina, vel Sabinis abusque Curibus accita? quæ magistris plerumque reticentibus promtius Fecialis aliquis, aut Flamen, aut veternosus legalium quæstionum ænigmatista patefe-
A cerit? Nos opuscula sermone edidimus arido, exili, certe maxima ex parte vulgato: cujus hinc honor rarus, quod frequens usus: hinc difficilis gratia, quia facilis inventio est. Sane profiteor audenter, sicut istic nil acre, nil eloquens; ita nihil inditum, non ab exemplo. Sed quid hæc pluribus? Dictio mea (quod mihi sufficit) placet amicis. In quibus tamen utrumque complector, sive non fallunt examine, seu caritate falluntur: Deumque quod restat, in posterum quæso, ut secuturi aut fallantur similiter, aut censeant. Vale,

1. *Verba Saliaria*] Symmachus lib. III. ad Siburium: *Si tibi vetustatis tantus est amor, pari studio in verba prisca* B *redeamus, quibus Salii canunt, Augures avem consulunt, Decemviri tabulas condiderunt.*



C. SOLLII
APOLLINARIS SIDONII
ARVERNORUM EPISCOPI,
EPISTOLARUM
LIBER IX.

EPISTOLA I.

Sidonius [1] Firmino suo salutem.

EXigis, domine fili, ut epistolarum priorum limite irrupto, stilus noster in ulteriora procurrat, numeri supra dicti privilegio non contentus includi. Addis & caussas, quibus hic liber nonus octo superiorum voluminibus accrescat: eo quod [2] C. Secundus, cujus nos orbitas sequi hoc opere pronuntias, paribus titulis opus epistolare determinet. Quæ jubes non sunt improbabilia: quamquam & hoc ipsum quod pie injungis, arduum exsistat, ac laudi quantulæcumque jam semel partæ non opportunum. Primum, quod opusculo prius edito præsentis augmenti sera conjunctio est: deinde quod arbitros ante quoscumque, nisi fallimur, indecentissimum est, materiæ unius simplex principium, triplices epilogos inveniri. Pariter & nescio qualiter fieri veniabile queat, quod coerceri nostra garrulitas nec post denuntiatum terminum sustinet; nisi quia forsitan qui modus paginis, non potest poni ipse amicitiis. Quapropter esse te in quadam tuendæ opinionis meæ quasi specula decet, curiosisque facti hujusce rationem manifestare: quidve ad hoc sentiant optimi quique, rescripto quam frequentissimo mihi pandere. Porro autem, si me garrire compulso, ipse reticere perseverabis, te quoque silentii nostri talione ad vicem plecti non perinjurium est. Itaque tu primus, maxime ignosce negotio quod imponis, ac ministerio. Nos vero, si quod exemplar manibus occurrerit, libri marginibus octavi ce-
C leriter addemus: & si Apollinaris tuus, [3] cui studium in ceteris rebus, est in hac certe negligentissimus: quippe qui perexiguum lectione teneatur, vel coactus, vel voluntarius: quantum tamen mihi videtur, qui patribus iis jungi non recusaverim, quorum studio, voto, timori laudabile aliquid in filiis, licet difficile persuadeatur, difficilius sufficit. Vale.

EPISTOLA II.

Sidonius domino papæ [4] Euphronio salutem.

ALbiso antistes, Proculusque levites, ideo nobis
D morum magistri pronuntiandi, quia vestri merentur esse discipuli, litteras detulerunt, quarum me sacrosancto donastis affatu; quæ tamen litteræ plurimum nobis honoris, plus oneris imponunt. Unde & ipsarum sic benedictione lætor, quod injunctione confundor: quippe qui ex asse turbatus, vel ex parte non pareo. Jubetis enim tam diversa, quam minima: explicarique decernitis opus, quod ab extremitate mea tam difficile completur, quam impudenter incipitur. Sed si amplitudinem in vobis pietatis expertæ bene metior, plus laborastis, ut affectus cordis vestri, quam nostri operis effectus publicaretur. Neque enim cum Hieronymus interpres, dialecticus Augustinus, allegoricus Origenes

E

1. *Firmino*] Arelatensi, viro genere ac pietate illustri. Hunc enim esse conjicio, quem in B. Cæsarii vita laudat Cyprianus, & a quo susceptum Cæsarium, opibusque adjutum testatur. Ad eumdem sunt epistolæ duæ Ennodii.

2. C. *Secundus*] Plinii epistolarum libros habemus decem: sed decimum qui totus est ad Trajanum e provincia scriptus, ceteris non adnumerat. Eodem modo Symmachi epistolarum libri proprie sunt novem, qui ad privatos: decimus relationes continet ad principes in præfectura urbi missas. Hunc ipsum porro numerum librorum alii etiam post Sidonium affectarunt, ut Avitus Viennensis, teste Gregorio Turon. lib. II. XXXIII. Idem lib. VI. VII. auctor est Ferreolum quoque Ucecensem episcopum libros aliquot epistolarum, quasi Sidonium imitando composuisse: sed librorum numerum non designat.

3. *Cui studium in ceteris*] Alii codices diverso sensu, *cujus animus cum in ceteris rebus, tum est in hac certe negligentissimus.*

4. *Euphronio*] Augustodunensi episcopo: ad quem epist. VIII. lib. VII. Rogatus ab eo Sidonius, ut aliquam sacrarum litterarum partem exponeret, modestissime deprecatur.

gravidas tibi spiritualium sensuum spicas doctrinæ salubris messe parturiant, non scilicet tibi partibus meis arida jejunantis linguæ stipula crepitabit? Hoc more tu & olorinis cantibus anseres ravos, & modificatis lusciniarum querelis improborum passerum fringultientes susurros jure sociaveris. Quid quod quoque arroganter fieret indecenterque, si negotii præcepti pondus aggrederer, novus clericus, peccator antiquus, scientia levi, gravi conscientia? videlicet ut si scriptum quocumque misissem, persona mea nec tunc abesset risui judicantum, cum defuisset obtutui. Ne quæso, domine papa, nimis exigas verecundiam meam, qualitercumque latitantem, cœpti operis hujusce temeritate devenustari: quia tantus est livor derogatorum, ut materia quam mittis, velocius sortiatur inchoata probrum, quam terminata suffragium. Memor nostri esse dignare, domine papa.

EPISTOLA III.

Sidonius domino papæ [1] *Fausto salutem.*

SErvat consuetudinem suam tam facundia vestra, quam pietas: atque ob hoc granditer, quod diserte scribitis, eloquium suscipimus, quod libenter affectum. Ceterum ad præsens, petita venia prius impetrataque, cautissimum reor ac saluberrimum, [2] per has maxime civitates quæ multum situ segreges agunt, dum sunt gentium motibus itinera suspecta, stilo frequentiori renuntiare; dilataque tantisper mutui sedulitate sermonis, curam potius assumere conticescendi. Quod inter obstrictas affectu mediante personas asperrimum quamquam atque acerbissimum est, non tamen caussis efficitur qualibuscumque, sed plurimis, certis & necessariis, quæque diversis proficiscuntur ex originibus. Quarum ista calculo primore numerabitur, quod custodias aggerum publicorum nequaquam tabellarius transit inrequisitus: qui & si periculi nihil, ut pote crimine vacans, plurimum sane perpeti solet difficultatis; dum secretum omne gerulorum pervigil explorator indagat. Quorum si forte responsio quantulumcumque ad interrogata trepidaverit, quæ non inveniantur scripta, mandata creduntur: ac per hoc sustinet injuriam plerumque qui mittitur; qui mittit, invidiam: plusque in hoc tempore, quo æmulantum invicem se se pridem fœdera statuta regnorum denuo per conditiones discordiosas ancipitia redduntur. Præter hoc, ipsa mens nostra domesticis hinc inde dispendiis saucia jacet. Nam per officii imaginem, vel (quod est verius) necessitatem, solo patrio exactus, hoc relegatus, variis quaqua versum fragoribus, quia patior heic incommoda peregrini, illic damna proscripti. Quocirca solvere modo litteras paullo politiores aut intempestive peror, aut impudenter aggredior: quas vel joco lepidas, vel stilo cultas alternare, felicium est. Porro autem quidam [3] barbarismus est morum, sermo jucundus, & animus afflictus. Quin potius animam male sibi consciam, & per horas ad recordata pœnalis vitæ debita contremiscentem, frequentissimis tuis illis & valentissimis orationum munerare suffragiis, precum peritus Insulanarum, quas de palæstra congregationis eremitidis, & de senatu Lirinensium cellulanorum, in urbem quoque cujus ecclesiæ sacra superinspicis, transtulisti, nil ab abbate mutatus per sacerdotem: quippe cum [4] novæ dignitatis obtentu, rigorem veteris disciplinæ non relaxaveris. His igitur, ut supra dixi, precatibus efficacissimis obtine, ut portio nostra sit Dominus: atque ut adscripti turmis contribulium levitarum, non remaneamus terreni, quibus terra non remanet: inchoemusque, ut a sæculi lucris, sic quoque a culpis peregrinari. Tertia est caussa vel maxima, exinde scribere tibi cur supersederim: quod immane suspicio dictandi istud in vobis tropologicum genus ac figuratum, limatisque plurifariam verbis eminentissimum, quod vestra, quam sumsimus, epistola ostendit. Licet enim prædicationes tuas, nunc repentinas, nunc cum ratio poposcisset elucubratas, raucus plosor audierim; tunc præcipue, cum in [5] Lugdunensis ecclesiæ dedicatæ festis hebdomadalibus, collegarum sacrosanctorum rogatu exorareris ut perorares: ibi te inter spiritales regulas, vel forenses medioximum quiddam concionantem, quippe utrarumque doctissimum disciplinarum, pariter erectis sensibus auribusque curvatis ambiebamus, hinc parum factitantem desiderio nostro, quia judicio satisfeceras. His de caussis temperavi stilo temperaboque, breviter locutus ut pæream, longum taciturus ut discam. Sunt de cetero tuæ partes, domine papa, doctrinæ salutaris singularisque, victuris operibus incumbere satis. Neque enim quisquis auscultat docentem te disputantemque, plus loqui discit, quam facere laudanda. Nunc vero, quod restat, donate venia paginam rusticantem, vobis obsecundantem: cui me quoque auctore, si vestris litteris comparetur, stilus infan-

1. *Fausto*] Reiensi in provincia xi. episcopo ex abbate Lirinensi: quo munere utroque post Maximum functus est: ideo Maximi bis successor dicitur in carmine Eucharistico sub finem Hunc adhuc abbatem quanti fecerit Hilarius Arelatensis, declarat ejus vitæ auctor his verbis. *In eodem loco tunc temporis S. Faustum, presbyterum pariter & abbatem ita futurorum præscius honoravit, ut inter se & sanctos sacerdotes Theodorum & Maximum medium compelleret residere.* Sed de Fausto pluribus alias. Nunc satis sit monere, præter hunc seniorem, alterum quoque Faustum in eadem Reiensis ecclesiæ cathedra xxc. circiter post annos sedisse. Quod ne penitus ignoraremus, docuerunt nos integræ subscriptiones synodi V. Aurelianensis: ubi inter ceteros qui pro episcopis absentibus subscripsere, Claudianus legitur diaconus directus a Fausto episcopo ecclesiæ Reiensis: is nimirum, qui ejusdem postea sedis fuit antistes Parisiacensique concilio in quo actum est de caussa Promoti episcopi Dunensis, interfuit, ut concilii hujus quæ nacti sumus acta testantur.

2. *Per has maxime civitates*] Assentior Savaroni, scriptam videri hanc epistolam Burdegalæ, cum in ea urbe apud Euricum, ut est in epist. ix. lib. VIII. exsul ageret Sidonius, post deditos Arvernos, pace cum Romanis iterum turbata.

3. *Barbarismus est morum*] Pari elegantia solœcismi vocem ad alia sæpe transferunt optimi auctores. Cicero lib. II. ad Atticum xi. *Ludos Antii spectare non placet: est enim ὑποσόλοικον, cum velim vitare omnem deliciarum suspicionem.* Hieronymus in Helvidium: *Apud Christianos solœcismus est magnus & vitium, turpe quid vel narrare, vel facere.* Sic & Lucianus περὶ ὀρχήσεως, Herculem in scena μονῳδεῖν, σολοικίαν ait videri, cum in Andromache & Hecuba ferri possit. Polemo sophist. de histrione, qui ὦ Ζεῦ dicens, ad terram, & ὦ γῆ cum diceret, manum ad cælum protenderet, οὗτος, inquit, τῇ χειρὶ ἐσολοίκισε. quod narrat in ejus vita Philostratus.

4. *Novæ dignitatis*] Sunt quibus ex hoc loco elici posse videatur, Faustum ad episcopatum non multo ante provectum fuisse, quam hæc scriberet Sidonius. Verum novam dignitatem appellat, non tunc temporis adeptam, sed quæ antiquæ abbatis dignitati successerat. Veteranum enim, hoc est annorum supra xii. episcopum fuisse Faustum, cum hæc scripsit Sidonius, docent Hilari papæ epistolæ, quæ Fausti jam episcopi cum Auxanio Romanam legationem anno CDLXII. peractam commemorant.

5. *Lugdunensis ecclesiæ*] A Patiente constructæ & dedicatæ lib. II. epist. x. Sacrarum Fausti concionum meminit iterum Sidonius in Eucharistico. Hodie quidem quæ Fausti nomen gerant, Homiliæ non exstant: occurrunt tamen interdum aliquæ in antiquis bibliothecis, citanturque a Sedulio Scoto in Collectaneis in Matthæum: ac nisi conjectura fallit, inter eas quæ Eusebii Emisseni nomine circumferuntur, Fausti hujus sunt nonnullæ.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.



tissimus inest. Sed ista quorsum stolidus allego? Nam nimis deprecari ineptias ipsas est ineptissimum: in quibus tu merus arbiter, si rem ex asse discingas, ridebis plurima, plura culpabis. Sed & illud amplector, si pro caritate qua polles, non fueris usquequaque censendi continentissimus; id est, si sententia tua quippiam super his apicibus antiquet. Tunc enim certius te probasse reliqua gaudebo, si liturasse aliqua cognovero. Memor nostri esse dignare, domine papa.

EPISTOLA IV.

Sidonius domino papæ Græco salutem.

VIator noster ac tabellarius terit orbitas itineris assueti, spatium viæ regionumque quod oppida nostra discriminat, sæpe relegendo. Quocirca nos quoque decet semel propositæ sedulitatis officia sectari: quæ cum reliquis commeantibus, cum præcipue Amantio intercurrente, geminare cum quadam mentis intentione debemus: ne forte videatur ipse plus litteras ex more deposcere, quam nos ex amore dictare. Ideo domine papa, vestrorum plus mementote, quos inter præsumimus computari: quique sicut vestris erigimur secundis, ita deprimimur adversis. Nam quod nuper quorumpiam fratrum necessitate multos pertuleritis angores, flebili ad flentes relatione pervenit. Sed tu, flos sacerdotum, gemma pontificum, scientia fortis, fortior conscientia, minas undasque mundialium sperne nimborum: quia frequenter ipse docuisti, quod ad promissa convivia patriarcharum, vel ad nectar cælestium poculorum, per amaritudinem terrenarum calices perveniretur. Velis nolis, quisque contemti mediatoris consequitur regnum, sequitur exemplum. Quantaslibet nobis anxietatum pateras vitæ præsentis propinet afflictio, parva toleramus, si recordamur quid biberit ad patibulum, qui invitat ad cælum. Memor nostri esse dignare, domine papa.

EPISTOLA V.

Sidonius domino papæ [1] *Juliano salutem.*

ET si plusculum forte discreta, quam communis animum optabat, sede consistimus: non tamen medii itineris objectu, quantum ad solvendum spectat officium, nostra sedulitas impediretur, nisi per regna divisi, a commercio frequentioris sermonis, diversarum sortium jure revocaremur: quæ nunc saltem, post pacis initam pactionem, quia fidelibus animis fœderabuntur, apices nostri incipient commeare crebri, quoniam cessant esse suspecti. Proinde, domine papa, cum sacrosanctis fratribus vestris pariter Christo supplicaturas jungite preces: ut dignatus prosperare quæ gerimus, nostrique dominii temperans lites, arma compe-
A scens, illos muneretur innocentia, nos quiete, totos securitate. Memor nostri esse dignare, domine papa.

EPISTOLA VI.

Sidonius domino papæ [2] *Ambrosio salutem.*

VIguit pro dilectissimo nostro (quid loquar, nomen, personam? tu recognosces cuncta) apud Christum tua sanctitas intercessionis effectu: de cujus facilitate [3] juvenili sæpe, nunc arbitris palam adscitis conquerebare, nunc tacitus ingemiscebas.
B Igitur hic proxime abrupto contubernio ancillæ propudiosissimæ cui se totum consuetudine obscena junctus addixerat, patrimonio, posteris, famæ, subita sui correctione consuluit. Namque per rei familiaris damna vacuatus, ut primum intelligere cœpit, & retractare, quantum de bonusculis avitis paternisque sumtuositas domesticæ charybdis abligurisset; quamquam sero resipiscens, attamen tandem veluti frenos momordit, excussitque cervices, atque Ulysseas (ut ferunt) ceras auribus figens, fugit, adversum vitia surdus, meretricii blandimenta naufragii: puellamque, prout decuit, intactam vir laudandus in matrimonium assumsit; tam moribus natalibusque summatem, quam facul-
C tatis principalis. Esset quidem gloria, si voluptates sic reliquisset, ut nec uxori conjugaretur. Sed & si forte contingat ad bonos mores ab errore migrare, paucorum est incipere de maximis: & eos qui diu totum indulserint sibi, protinus totum & pariter incidere. Quocirca vestrum est, copulatis obtinere quam primum prece sedula spem liberorum: & post consequens erit, ut filio uno alterove susceptis, (& nimis dixi) abstineat de cetero licitis, qui illicita præsumsit. Namque & conjuges ipsi, quamquam nupti nuper, iis moribus agunt ac verecundis, vere ut agnoscas, si semel videris, plurimum esse, quod differat ille honestissimus uxorius amor, figmentis illecebrisque concubinalibus.
D Memor nostri esse dignare, domine papa.

EPISTOLA VII.

Sidonius domino papæ [4] *Remigio salutem.*

QUidam ab Arvernis Belgicam petens (persona mihi cognita est, caussa ignota, nec refert) postquam Remos advenerat, scribam tuum, seu bibliopolam, pretio fors fuat officiove demeritum, copiosissimo velis nolis declamationum tuarum schedio emunxit. Qui redux nobis atque oppido gloriabundus, quippe perceptis tot voluminibus,
E quidquid detulerat, quamquam mercari paratis, (quod tamen [5] utrivis nec erat injustum) pro munere ingessit. Curæ mihi e vestigio fuit, iisque qui student, cum merito lecturiremus, plurima tenere,

1. *Juliano*] Episcopo, non Carpentoratensi, qui aliquanto posterior interfuit concilio Epaunensi, & per idem fere tempus Lugdunensi nondum edito de caussa Stephani & Palladiæ, sub Sigismundo rege Burgundionum: non huic, inquam, quem constat ad Arausicani etiam II. tempora pervenisse: sed Juliano alterius ignotæ sedis episcopo, qui & Fausti epistolæ subscribit, & a Lucido inter eos numeratur, qui ad synodum Arelatensem convenerant. Diversus autem, & utroque anterior videtur Julianus, ad quem cum aliis Galliæ episcopis scribit Leo magnus anno CDLII.

2. *Ambrosio*] Episcopo, ad quem Ruricius lib. II. epist. XLIII.

3. In aliquibus libris *juvenali*. Vide sis notas in Sidonii carmen XXIII. vers. 428.

4. *Remigio*] Remorum quæ Belgicæ II. metropolis, antistiti, regis Clodovei Francorumque Apostolo. Hanc vero epistolam cum Sidonii elogio Historiæ suæ intexuit Flodoardus lib. I. cap. XII. Sed declamationes Remigii, quarum eloquentiam Sidonius tantopere commendat, nullæ ad nos pervenerunt: nec recens hæc jactura: cum Hincmarus ipse ac Flodoardus eas penitus ignorasse videantur.

5. In editione Labbei *utilius*; aliqui libri (*quod tamen cujus nec erat, injustum.*)

cuncta transscribere. Omnium assensu pronuntiatum, pauca nunc posse similia dictari. Etenim rarus aut nullus est, cui meditaturo par assistat dispositio per caussas, positio per litteras, compositio per syllabas. Ad hoc opportunitas in exemplis, fides in testimoniis, proprietas in epithetis, urbanitas in figuris, virtus in argumentis, pondus in sensibus, flumen in verbis, fulmen in clausulis. Structura vero fortis & firma, conjunctionumque perfacetarum noxa cæsuris insolubilibus: sed nec hinc minus lubrica & levis, ac modis omnibus erotundata: quæque lectoris linguam inoffensam decenter expediat, ne salebrosas passa juncturas, per cameram palati volutata balbutiat. Tota denique liquida prorsus & ductilis, veluti cum crystallinas crustas, aut onychintinas non impacto digitus ungue perlabitur: quippe si nihil eum rimosis obicibus exceptum tenax fractura remoretur. Quid plura? Non exstat ad præsens vivi hominis oratio, quam peritia tua non sine labore transgredi queat ac supervadere. Unde & prope suspicor, domine papa, propter eloquium exundans atque ineffabile (venia sit dicto) te superbire. Sed licet bono fulgeas ut conscientiæ, sic dictionis ordinatissimæ; nos tibi tamen minime sumus refugiendi, qui bene scripta laudamus, & si laudanda non scribimus. Quocirca desine in posterum nostra declinare judicia, quæ nil mordax nihilque minantur increpatorium. Alioqui si distuleris nostram sterilitatem facundis fecundare colloquiis, aucupabimur nundinas involantum; & ultro scrinia tua, conniventibus nobis ac subornantibus, effractorum manus arguta populabitur: inchoabisque tunc frustra moveri spoliatus furto, si nunc rogatus non moveris officio. Memor nostri esse dignare, domine papa.

EPISTOLA VIII.

Sidonius domino papæ [1] *Principio salutem.*

Quamquam nobis non opinantibus, desiderantibus tamen, litteras tuas reddidit gerulus antiquus, idoneus inventus cui jure repetita credantur officia, quandoquidem prima sic detulit. Igitur affatu secundo, vel potius benedictione donatus, ipse quoque [2] repeto alterum salve, obsequia combinans, numeris æquata, non meritis. Et quia, domine papa, modo vivimus junctis abjunctisque regionibus, conspectibusque mutuis frui dissociatæ situ habitationis inhibemur; orate ut optabili religiosoque decessu, vitæ præsentis angoribus atque onere perfuncti, cum judicii dies sanctus obfulserit, cum resurrectione agminibus vestris famulaturi, vel sub Gabaoniticæ servitutis occasione, jungamur; quia secundum promissa cælestia, quæ spoponderunt filios fidei de nationibus congregandos, si nos reos venia soletur, dum vos beatos gloria manet, & si per actionum differentiam, non tamen per locorum distantiam dividemur. Memor nostri esse dignare, domine papa.

EPISTOLA IX.

Sidonius domino papæ Fausto salutem.

Longum tacere, vir sacratissime, nos in commune dequestus es; cognosco vestræ partis hinc studium, nostræ reatum non recognosco. Namque jam pridem jussus garrire non silui, istas litteris antecurrentibus: quibus etiam recensendis cum Reios advenerant, [3] quia tunc Aptæ fuistis, aptissime defuistis. Idque votivum mihi granditer fuit ac peroptatum, ut epistola injuncta nec negaretur scripta amicitiæ, nec subderetur lecta censuræ. Ista omittamus. Mitti paginam copiosam denuo jubes. Parere properanti adsunt vota, caussæ absunt. Nam salutatio, nisi negotium aliquod activa deportet materia, succincta est: quam qui porrigit verbis non necessariis, a regula Sallustiani tramitis detortus exorbitat, qui Catilinam culpat habuisse satis eloquentiæ, sapientiæ parum. Unde [4] Ave dicto, mox Vale dicimus, orate pro nobis. Sed bene est, bene est, quia chartulam jam jamque complicaturo res fortis accurrit, de qua exprobranda, si diutius vel lætitia se se mea vel ira cohibuerit, ipse me accepta dignum contumelia judicabo. Venisti, magister, in manus meas, nec exsulto tantum, verum insulto, venisti: & quidem talis, qualem ab hinc longo jam diu tempore desideria nostra præstolabantur. Dubito sane utrum & invitus, at certe similis invito; quippe quo providente, vel (si tamen hoc nimis abnuis) adquiescente, sim tuis libris insalutatus, iisque, quod multo est injuriosius, territorium Arvernum cum præterirent, non solum mœnia mea, verum etiam latera radentibus. An verebare ne tuis dictis invideremus? Sed Dei indultu, vitio nulli minus addicimur: cui si ita ut ceteris a mea parte subjaceretur, sic quoque auferret congrediendi æmulationem desperatio consequendi. An supercilium tamquam difficilis ac rigidi plosoris extimescebas? Et quænam est cuiquam peritiæ cervix tanta, quive hydrops, ut etiam tepida vestra non ferventissimis laudibus prosequatur? An ideo me fastidiendum negligendumque curasti, quia contemneres juniorem? quod parum credo. An quia indoctum? quod magis fero; ita tamen, ut qui dicere ignorem, non & audire: quia & qui Circensibus ludis adfuerunt, sententiam de curribus non

1. *Principio*] Episcopo Suessionensi, ut dictum lib. VIII. epist. xiv. in qua & Megethium clericum nominat, per quem litteras acceperat reddebatque: quem propterea gerulum antiquum nunc vocat.

2. In aliquibus libris *rependo*.

3. *Quia tunc Aptæ fuistis*] Non difficilis fuit hujus loci emendatio, pro eo quod legebatur, *qui tunc apte fuistis*. Qui enim antiquos codices manibus terunt, sciunt ab antiquariis qui dipthongos negligunt, raro ista distingui. Significat ergo, Faustum Aptæ in vicina urbe tum fuisse, cum Sidonii litteræ Reios perlatæ sunt: aptissime autem opportunissimeque ait Reis absuisse, ne litteræ illæ tam cito sub ejus censuram venirent. Sita est Apta Julia Vulgentium (sic enim a Plinio lib. III. c. iv. appellatur) medio fere spatio Reios inter & Avanionem: quod etiam videre est ex Itinerario Æthici & tabula Peutingeri. Coloniam fuisse ostendit antiqui lapidis hæc inscriptio Arelate.

JUL. C.F. TERTULLIN
FLAM. COL. APTA
L. VALLIUS ATILAN
NEPOS.

4. *Ave dicto, mox Vale*] Hinc patet, solitos veteres initio epistolæ Ave & Salve scribere, ut in fine Vale. Ausonius Paullino.

Quid prohibet Salve atque Vale brevitate parata
Scribere felicesque notas mandare tabellis?

Cujus moris vestigia restant in nonnullis principum rescriptis. *Have Felix carissime nobis, Salve Cynegi K. N.* Ductum id a more usus quotidiani. Nam iisdem formulis in quotidiano congressu digressuque utebantur. Græcis χαῖρε καὶ ὑγίαινε, ut est in Hadriano Dionis. Plutarchus περὶ ἀδολεσχίας de Augusto; qui Fulvio, cum temere nescio quid effutiisset, venienti postridie ac dicenti, Ave Cæsar, Vale Fulvi respondit. ἐλθόντος ἕωθεν, ὡς εἶωθει τοῦ Φουλβίου πρὸς αὐτὸν καὶ εἰπόντος, χαῖρε Καῖσαρ, ὑγίαινε εἶπε Φούλβιε.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.



ferunt. An aliquo casu diffidebamus, ut putaremur iis libellis quos edideris derogaturi? atqui præsule Deo, tenues nobis esse amicitias, nec inimici fingere queunt. Ista quorsum? inquis. Ecce jam pando, vel quid indagasse me gaudeam, vel quid te celasse succenseam. Legi volumina tua, quæ Riochatus antistes ac monachus, atque istius mundi bis peregrinus, Britannis tuis pro te reportat; illo jam in præsentiarum Fausto potius qui non senescit, quique viventibus non defuturus post sepulturam, fiet per ipsa quæ scripsit sibi superstes. Hic igitur ipse venerabilis, apud oppidum nostrum cum moraretur, donec gentium concitatarum procella defremeret, (cujus imaginis hinc & hinc turbo tunc inhorruerat) sic reliqua dona vestra detexit, ut perurbane quæ præstantiora portabat operuerit, spinas meas illustrare dissimulans tuis floribus. Sed post duos aut iis amplius menses, sic quoque a nobis cito profectum, cum quipiam prodidissent de viatoribus, mysticæ gazæ clausis involucris clam ferre thesauros, pernicibus equis insequutus abeuntem, qui faciles possent itineris pridiani spatia prævertere, osculo in fauces occupati latronis insilui, humano joco, gestu ferino; veluti si excussura quemcumque catulorum Parthi collo raptoris pede volatico tygris orbata superemicet. Quid multa? capti hospitis genua complector, jumenta sisto, frena ligo, sarcinas solvo, quæsitum volumen invenio, produco, lectito, excerpo, maxima ex magnis capita defrustans. Tribuit & quoddam dictare celeranti scribarum sequacitas saltuosa compendium, qui comprehendebat signis, quod litteris non tenebant. Quibus lacrymis sane maduerimus, mutuo vicissim fletu rigati, tunc cum ab amplexu sæpe repetito separaremur, longum est dixisse, nec refert: quod triumphali sufficit gaudio, spoliis onustum caritatis, & spiritualis compotem prædæ me domum retuli. Quæris nunc quid de manubiis meis judicem? nollem adhuc prodere, quo diuturnius exspectatione penderes: plus me enim ulciscerer, si quod sensi tacerem. Sed jam nec ipse frustra superbis; utpote intelligens, tibi inesse virtutem sic perorandi, ut lectori tuo seu reluctanti, seu voluntario, vis voluptatis excudat præconii necessitatem. Proinde accipe, quid super scriptis tuis & injuriam passi censeamus. [1] Legimus opus operosissimum, multiplex, acre, sublime, digestum titulis, exemplisque congestum, bipartitum sub dialogi schemate, sub caussarum themate quadripartitum. Scripseras autem plurima ardenter, plura pompose; simpliciter ista, nec argute illa, nec callide: gravia mature, profunda solicite, dubia constanter, argumentosa disputatorie, quædam severe, quæpiam blande, cuncta moraliter, lecte, potenter, eloquentissime. Itaque per tanta te genera narrandi toto latissimæ dictationis campo sequutus, nihil in facundia ceterorum, nil in ingeniis facile perspexi juxta politum. Quæ me vera sentire satis approbas, cum nec offensus aliter judico. Denique absentis oratio, quantum opinamur, plus nequit crescere, nisi forsitan aliquid his addat coram loquentis auctoris vox, manus, motus, pudor, artifex. His igitur animi litterarumque dotibus præditus, mulierem pulcram, sed illam Deuteronomio adstipulante nubentem, domine papa, tibi jugasti: quam tu adhuc juvenis inter hostiles conspicatus catervas, atque illic in acie contrariæ partis adamatam, nihil per obstantes repulsus prœliatores desiderii brachio vincente rapuisti. Philosophiam scilicet, quæ violenter e numero sacrilegarum artium exemta, raso capillo superfluæ religionis, ac supercilio scientiæ sæcularis, amputatisque pervetustarum vestium rugis, id est, tristis dialecticæ flexibus falsa morum & illicita velantibus, mystico amplexu jam defæcata tecum membra conjunxit. Hæc ab annis vestra jam dudum pedissequa primoribus; hæc tuo lateri comes inseparabilis, sive in palæstris exercereris urbanis, sive in abstrusis macerarere solitudinibus: hæc athenæi consors, hæc monasterii, tecum mundanas abdicat, tecum supernas prædicat disciplinas. Huic copulatum te matrimonio qui lacessiverit, sentiet ecclesiæ Christi Platonis Academiam militare, teque nobilius philosophari. Primum, ineffabilem Dei patris asserere cum sancti Spiritus æternitate sapientiam. Tum prætera non cæsariem pascere, neque pallio aut clava, velut sophisticis insignibus, gloriari, aut affectare de vestium discretione superbiam, nitore pompam, squalore jactantiam: neque te satis hoc æmulari, quod per gymnasia pingantur Areopagitica vel Prytaneum, curva cervice Zeusippus, Aratus panda, Zenon fronte contracta, Epicurus cute distenta, Diogenes barba comante, Socrates coma cadente, Aristoteles brachio exserto, Xenocrates crure collecto, Heraclitus fletu oculis clausis, Democritus risu labris apertis, Chrysippus digitis propter numerorum indicia constrictis, Euclides propter mensurarum spatia laxatis, Cleanthes propter utrumque corrosis. Quin potius experietur quisque conflixerit, Stoicos, Cynicos, Peripateticos, hæresiarchas, propriis armis, propriis quoque concuti machinamentis. Nam sectatores eorum, Christiano dogmati ac sensui si repugnaverint, mox te magistro ligati, vernaculis implicaturis in retia sua præcipites implagabuntur, syllogismis tuæ propositionis uncatis volubilem tergiversantum linguam inclamantibus, dum spiris categoricis lubricas quæstiones tu potius innodas, acrium more medicorum, qui remedium contra venena, cum ratio compellit, & de serpente conficiunt. Sed hoc temporibus istis, sub tua tantum vel contemplatione conscientiæ, vel virtute doctrinæ. Nam quis æquali vestigia tua insequatur gressu; cui datum est soli, loqui melius quam didiceris, vivere melius quam loquaris? Quocirca merito te beatissimum boni omnes, idque supra omnes tua tempestate concelebrabunt: cujus ita dictis vita factisque dupliciter inclaruit, ut quandoquidem tuos

1. *Legimus opus operosissimum*] Duos libros, ut cardinali Baronio visum est, de gratia Dei, & humanæ mentis libero arbitrio. De his enim loqui hoc loco Sidonium multis adstruit tomo VI. Annalium ecclesiasticorum. Mihi vero cum opus hoc Fausti *bipartitum sub dialogi schemate, sub caussarum themate quadripartitum* fuisse adfirmet Sidonius, quod neque his duobus neque ulli cuiquam ex aliis qui restant Fausti libris conveniat, reliquum videtur, ut opus hoc de quo agitur, vel interiisse, vel adhuc uspiam latere sentiamus. — Hæc Sirmondi nota sic habet in posteriore Sidonii editione, cui præfuit Labbeus. Ceterum in priore Sidonii verba, *Legimus opus .... bipartitum sub dialogi schemate*, Sirmondus in notis pag. 162. ex Baronio interpretatus fuerat *duos libros de gratia Dei & humanæ mentis libero arbitrio*. „ De his, inquit, loqui hoc „ loco Sidonium multis adstruit tomo VI. Annalium Baronius cardinalis; neque aliud nos in reliquis Fausti „ operibus videmus, cui hæc aptius conveniant. Quid ergo caussæ cur a Sidonio tot laudibus ornentur, quos „ constat a Gelasio, Fulgentio, Avito, Cæsario, Facundo & aliis vel damnatos, vel contrariis etiam voluminibus confutatos? At Sidonium difficile non est judicii „ aleæ subducere, qui Fausti in hoc opere ingenium, artem, eloquentiam prædicat; doctrinæ capita sententiasque non attingit. Faustum vero, & si qui tum in Gallia, quod dissimulari non potest, cum eo senserunt, „ aliquo modo excusare ratio illa videtur, quod ante „ synodum Arausicanam vixerint, cujus placitis ecclesia „ deinceps tamquam norma doctrinæ, adversus Semipelagianorum errores usa est. „ — BAUNIUS l. c. quem consule ibid.

[1] annos jam dextra numeraverit, sæculo prædicatus tuo, desiderandus alieno, utraque laudabilis actione decedas, te relicturus externis, tua proximis. Memor nostri esse dignare, domine papa.

EPISTOLA X.

Sidonius domino papæ [2] *Aprunculo salutem.*

REddidit tibi epistolas meas, quem mihi tuas offerre par fuerat: nam frater noster Cælestius, nuper ad te reversus [3] de Biterrensi, quoddam mihi super statu injuriosi nostri vinculum cessionis elicuit. Quod quidem scripsi, non minus tua verecundia fractus, quam voluntate. Namque nos ultro vestro pudori quasi quibusdam pedibus obsequii decuit occurrere. Quocirca me quoque volente possideindultum, sed liberaliter: nec enim, ut suspicor, plus aliquid hoc genere solatii vel ipse quæsisti. Quem litteris istis non commendatoriis minus, quam refusoriis, jam placatus insinuo: sic tamen ut tibi assistat, tibi pareat, te sequatur: atque ut si permanserit tecum, neutri nostrum judicetur famulus; si forte discesserit, quæratur utrique fugitivus. Memor nostri esse dignare, domine papa.

EPISTOLA XI.

Sidonius domino papæ [4] *Lupo salutem.*

PRopter libellum quem non ad vos magis quam per vos missum putastis, epistolam vestram non ad me magis, quam in me scriptam recepi. Ad exprobrata respondeo pro æquitate caussæ, non pro æqualitate facundiæ: quamquam quis nunc ego, aut quantus, qui agere præsumam vobis imputantibus innocentem? Quocirca delicto huic, quantulumcumque est, inter principia confestim supplico ignosci, diffidentiæ tantum, non & superbiæ fassus errorem. Nam cum mihi rigor censuræ tuæ in litteris æque ut moribus sit ambifariam contremiscendus, fateor tamen in voluminis ipsius operisque reseratu, illam mihi fuisse plus oneri, quam prætenditis caritatem. Nec citra justum ista conjicio: quan-
A doquidem mortalium mentibus vis hæc naturalitus inest, ut si quid perperam fiat, minus indulgeant plus amici. Scripseram librum, sicut pronuntiatis, plenum onustumque vario caussarum, temporum personarumque congestu: facturus rem videbar impudentissimam, si tantum mihi cuncta placuissent, ut nulla tibi displicitura confiderem. Huc item, quisquis judicii eventus foret, vidi partibus meis nequaquam pietatis ex solido constare rationem, si non saltem vobis esset anterius allatum volumen, & si non videretur oblatum: sub hoc videlicet temperamento, ut si forte placuissem, non vos arrogantia præteriisse; si secus, non vos improbitas expetisse judicaretur. Nec sane multo labore me cre-
B didi deprecaturum vitatas caussas erubescendi. Pariter illud nosse vos noveram, quod auctores in operibus edendis pudor potius quam constantia decet: quodque tetricis puncta censoribus, tardias procacitas recitatoris, quam trepidatio excudit. Alioquin si quis est ille, qui cum fiduciæ prærogativa, thematis ante inauditi operam [5] provulgat: incipit exspectationi publicæ quamvis solverit multa, plura redhibere. Præterea quidquid super hujusce rescripti tenore censueris, malui factum confiteri simpliciter, quam trebaciter diffiteri. Dixisset alius, Neminem tibi prætuli, nullas ad ullum peculiares litteras dedi: quem prædatum suspicabare, unius epistolæ forma contentus abscessit, atque ea quidem nihil super præsenti
C negotio deferente. Tu, qui te quereris omissum, tribus loquacissimis paginis fatigatus, potius in nauseam concitaris, dum frequenter insulsæ lectionis verbis inanibus immoraris. Adde, quia etiam in hoc, quod forsitan non notasti, reverentiæ tuæ meritorumque ratio servata est; quod sicut tu antistitum ceterorum cathedris, prior est tuus in libro titulus: illius nomen vix semel tantum, & sibi adscripta pagina sonat: tuo, præter tibi deputatas, frequenter illustrantur alienæ. Illud his junge, quod si quid ibi vel caussaliter placet, ut per consilium meum lectitas: ille quandoque per beneficium tuum: qui munusculi mei incassum pressus invidia, necdum ad facultatem legendi, ut suspicor, venit, cum jam diu
D ipse perveneris ad copiam transferendi. Aio, tamquam non sit [6] holographas membranas arbitratu-

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.



1. *Annos jam dextra numeraverit*] Juvenalis satyra x. de Nestore.

— atque suos jam dextra computat annos.

Dictum ex consuetudine veterum, qui vario flexu digitorum numeros indicabant: quos supputatorios digitorum gesticulos appellat Tertullianus. Totam artem inter Bedæ opera complectitur libellus, qui inscribitur de loquela digitorum. Lævæ ergo digitis usque ad centum numerabant: in centesimo ad dextram transibant. Hieronymus in Jovinianum I. *Centesimus numerus a sinistra transfertur ad dexteram*, Faustum igitur grandævum innuit fuisse: non quod re vera centesimum annum attigisset: est enim hyperbole: sed multo verecundior, quam illam Nicarchi poetæ in Cotyttarim anum, quam ait annos suos iterum manu sinistra numerare cœpisse: quod tum fiebat, cum ad decem millia pervenerant. Sic enim canit:

Ἡ φάος ἀθρήσασα ἐλάφου πλέον, ἡ χερὶ λαιῇ
Γῆρας ἀριθμεῖσθαι δεύτερον ἀρξαμένη.

Quæ soles vidit plures quam cervus, & annos
Jam lævæ rursum computat articulis.

2. *Aprunculo*] Andemantuni Lingonum episcopo, cui postea, cum Arvernos relicta Burgundionum odio pristina sede migrasset, cathedram suam Sidonius moriens reliquit.

3. *De Biterrensi*] Ita etiam id nomen scriptum lib. VIII. epist. IV. Græcis Βαίτεραι: quod propius accedit ad antiquam inscriptionem Narbonensem, in qua Septimani Bæterrenses hoc modo leguntur.

M. JULIO PHILIPPO
NOBILISSIMO CÆS
PRINCIPI JUVENTUTIS
SEP. BÆTERR.

4. *Lupo*] Episcopo Tricassino ad quem cum præcedentium librorum volumen misisset ea lege Sidonius, ut ad alium postea quemdam episcopum perferretur, questusque hoc nomine Lupus esset, facti culpam hac epistola deprecatur.

5. In aliquibus libris *pervulgat*.

6. *Holographas membranas*] Autographum exemplar, quod ad te misi. Holographa enim dicuntur, quæ auctoris sui manu scripta, idiographa, archetypa: ut *holographum testamentum*, quod testator ipse perscripsit: *holographa epistola* Hieronymo in Rufinum, auctoris manu exa-
E rata. Holographa etiam manu scribere, est sua ipsius manu scribere. In veteri codice Canonum Nicænorum: *Atticus episcopus ecclesiæ Constantinopolitanæ edidi canones sanctorum Patrum holographa manu a me subscriptos*. Itaque quod in principum rescriptis, atque in privatorum item epistolis, sub finem adjici solet, *& manu divina* vel *& alia manu*, id perinde sonat atque holographa manu: quia in hujusmodi epistolis hæ solum clausulæ auctoris manu perscriptæ, reliqua a notariis. At holographa epistola, tota ab auctore. Obvia sunt exempla. Ut Novella Valentiniani de episcoporum ordinatione: *Et manu divina: Divinitas te servet per multos annos, parens carissime*. Augustinus epistola XLV. ad Armentarium & Riparium: *Et alia manu. Gaudeamus de vobis in abundanti gratia Christi, domini eximii, meritoque honorabiles ac desiderabiles filii*. Sic enim est in optimis manu scriptis. Sed in vulgatis exemplaribus, illa diversæ manus adnotatio, & hoc loco, & in aliis passim apud Augustinum & alios, librariorum temeritate omissa est.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 472.



rus; si tamen quod ante percurras, vel exemplar acceperit: neque enim in iis quæ tractaveris, ulla culpabitur aut distinctionum raritas, aut frequentia barbarismorum. Nempe ad extremum palam videtur etiam tibi transmissa proprietas, cui usus absque temporis fixi præscriptione transmissus est, quique supra dicto tamdiu potes uti libello, ut eum non amplius zothecula tua, quam memoria includat. Hæc & his plura fors aliquis. Ego vero cuncta prætereo, & malo precari veniam, quam reatum, si hoc esse creditur, deprecari. Præsentum quoque negligentiam litterarum nunc nec excuso: primum, quod & si cupiam, parum cultius scribere queo: dein, quod libellari opere confecto, animus tandem feriaturus, jam quæ propalare dissimulat, excolere detrectat. At tamen cum satis tibi, & quidem merito (quidnam enim simile?) in omnibus cedam; quippe qui in alio genere virtutum, jam per quinquennia decem, non æquævis sacerdotibus tantum, verum & antiquis quoties collatus antelatusque sis; noveris volo, quamvis quæstibus quatias astra, atque majorum cineres favillasque in testimonium læsæ caritatis implores, pedem me conflictui tuo, si mutuo super amore certandum est, non retracturum: quia cum in ceteris rebus, tum fœdissimum perquam est in dilectione superari. Quæ velis nolis certa professio conviciis tuis illis, cuncta sane blandimentorum mella vincentibus, non præter æquum reponderatur. Ecce habes litteras tam garrulas ferme, quam requirebas: quamquam sunt omnes (si quæ uspiam tamen sunt) loquacissimæ. Namque in audentiam sermocinandi quem non ipse compellas, qui omnium (de me enim taceo) litteratorum, licet oculi affectent, sic ingenia producis, ut solet aquam terræ in visceribus absconditam per atomos bibulos radius extrahere solaris? Cujus lucis aculeo non sola penetratur aut arena subtilis, aut humus fessilis: sed si saxei montis oppressu fontium conditorum vena celetur, aperit arcanum liquentis elementi secretorum cælestium natura violentior. Ita si quos, vir sacrosancte, studiosorum senseris, aut quietos, aut verecundos, aut in obscuro jacentis famæ recessu delitescentes; hos eloquii tui claritas, artifice confabulatu dum compellat, & publicat. Sed quorsum ista, quid morarum est? redeamus ad caussam, super cujus abundante blateratu, quia pareo, precor ut errata confessum veniæ clementis indultu placatus impertias: licet quæ lætitia tua sancta, quæque communio, copiosius hilarere, si meæ culpæ defensio potius tibi scripta feratur, quam satisfactio. Memor nostri esse dignare, domine papa.

EPISTOLA XII.

Sidonius [1] *Oresio suo salutem.*

Venit in nostras a te profecta pagina manus, quæ trahit multam similitudinem de sale Hispano in jugis cæso Tarraconensibus. Nam recensenti lucida & salsa est, nec tamen propter hoc ipsum mellea minus: sermo dulcis & propositionibus acer: sic enim oblectat eloquio, quod turbat imperio: quippe qui parum metiens quid ordinis agam, carmina a nobis nunc nova petat. Primum ab exordio religiosæ professionis, huic principaliter exercitio renuntiavi: quia nimirum facilitati posset accommodari, si me occupasset levitas versuum, quem respicere cœperat gravitas actionum. Tum prætera constat, omnem operam, si longa intercapedine quiescat, ægre resumi. Quisnam enim ignoret cunctis aut artificibus aut artibus maximum decus usu venire? cumque studia consueta non frequentantur, brachia in corporibus, ingenia pigrescere in artibus? Unde est & illud, quod sero correptus aut raro, plus arcus manui, jugo bos, equus freno rebellat. Insuper desidiæ nostræ verecundia comes ad hoc sententiam inclinat, ut me, postquam in silentio decurri tres olympiadas, tam pudeat novum poema conficere, quam pigeat. Hoc item nefas, etiam difficilia factu tibi negari, cujus affectum tanto minus decipi decet, quanto constantius nil repulsam veretur. Tenebimus ergo quippiam medium: & sicut epigrammata recentia modo nulla dictabo, ita litteras, si quæ jacebunt versu refertæ, scilicet ante præsentis officii necessitatem, mittam tibi: petens, ne tu sis eatenus justitiæ prævaricator, ut me opineris numquam ab hujusmodi conscriptione temperaturum. Neque enim suffragio tuo minus augear, si forte digneris jam modestum potius, quam facetum existimare. Vale.

EPISTOLA XIII.

Sidonius [2] *Tonantio suo salutem.*

Est quidem, fateor, versibus meis sententia tua tam plausibilis olim, tam favorabilis, ut poetarum me quibusque lectissimis comparandum putes, certe compluribus anteponendum. Crederem tibi, si non, ut multum sapis, ita quoque multum me amares. Hinc est, quod de laudibus meis caritas tua mentiri potest, nec potest fallere. Præter hoc poscis, ut Horatiana incude formatos Asclepiadeos tibi quospiam, quibus inter bibendum pronuntiandis exerceare, transmittam. Pareo injunctis, licet si umquam, modo maxime prosario loquendi genere districtus occupatusque. Denique probabis circa nos plurima ex parte metrorum studia refrigescere. Non enim promtum est, unum eumdemque probe facere aliquid, & raro.

Jam dudum teretes hendecasyllabos,
Attrito calamis pollice lusimus,
Quos cantare magis pro Choriambicis
Excusso poteras mobilius pede.
Sed tu per Calabri tramitis aggerem
Vis ut nostra dehinc cursitet orbita;
Qua Flaccus lyricos Pindaricum ad melos
Frenis flexit equos plectripotentibus,
Dum metro quatitur chorda Glyconio,
Nec non Alcaico, vel Pherecratio,
Juncto Lesbiaco, sive Anapæstico,
Vernans per varii carminis eclogas,
Verborum violis multicoloribus.
Istud (da veniam) fingere vatibus
Priscis difficile est, difficile & mihi,
Ut diversa sonans os epigrammata,
Nil crebras titubet propter epistolas,
Quas cantu ac modulis luxuriantibus
Lascivire vetat mascula dictio.
Istud vix Leo, rex Castalii chori,
Vix hunc qui sequitur Lampridius queat,

1. *Oresio*] Homini Hispano, ut altera lib. VIII. ad Fortunalem. Hanc vero scripsit, cum in episcopi munere tres jam olympiadas, hoc est annos duodecim decurrisset. Anno ergo Christi, juxta Baronii calculum, CDXXCIV.

2. *Tonantio*] Tonantii Ferreoli filio, epist. IX. lib. II. qui doctus Tonantius appellatur in Propemptico: ubi & matrem ejus Papianillam laudat.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 472.

Declamans gemini pondere sub stili, A
Coram discipulis Burdegalensibus.
Hoc me, teque decet, parce precor jocis,
Quæso pollicitam servet ad extimum
Oratoris opus cura modestiam:
Quo nil deterius, si fuerit simul
In primis rigidus, mollis in ultimis.

Quin immo quoties epulo mensæ lautioris hilarabere, religiosis, quod magis approbo, narrationibus vaca: his proferendis confabulatio frequens, his redicendis solicitus auditus inserviat. Certe si saluberrimis avocamentis, ut qui adhuc juvenis, tepidius inflecteris, a [1] Platonico Madaurensi saltem formulas mutuare convivalium quæstionum: quoque red- B daris instructior, has solve propositas, has propone solvendas, iisque te studiis, & dum otiaris, exerce. Sed quia mentio conviviorum semel incidit; tuque sic carmen nobis vel ad aliam caussam personamque compositum sedulo exposcis, ut me ejus edendi diutius habere non possis hæsitatorem; suscipe libens, quod temporibus Augusti Majoriani, cum rogatu cujusdam sodalis ad cœnam conveniremus, in [2] Petri librum magistri epistolarum subito prolatum subitus effudi, meis quoque contubernalibus, dum rex convivii circa ordinandum moras nectit oxygarum, [3] Domnulo, Severiano atque Lampridio paria pangentibus, (jactanter hoc dixi, immo meliora) quos undique urbium adscitos impera- C tor in unam civitatem, invitator in unam cœnam forte contraxerat. Id moræ tantum, dum genera metrorum forte partimur. Placuit namque pro caritate collegii, licet omnibus eadem scribendi materia exsisteret, non uno tamen epigrammata singulorum genere proferri: ne quispiam nostrum, qui ceteris dixisset exilius, verecundia primum, post morderetur invidia. Etenim citius agnoscitur in quocumque recitante, si quo ceteri metro canat, an eo quoque scribat ingenio. Tu vero tunc opportunius subjecta laudabis, cum totum te socio indulseris. Non enim justum est, ut censor incipias cum severitate discutere, quod non potuit amicus cum serietate dictare. D

Age convocata pubes,
Locus, hora, mensa, caussa,
Jubet ut volumen istud,
Quod & aure & ore discis,
Studiis in astra tollas.
Petrus est tibi legendus,
In utraque disciplina
Satis institutus auctor.
Celebremus ergo, fratres,
Pia festa litterarum.
Peragat diem cadentem
Dape, poculis, choreis,
Genialis apparatus.
Rutilum toreuma bysso,
Rutilasque forte blattas,
Recoquente quas aheno
Melibœa fucat unda;
Opulentet ut meraco
Bibulum colore vellus.
Peregrina det supellex
Ctesiphontis ac Niphatis
[4] Juga texta, belluasque
Rapidas vacante panno,
Acuit quibus furorem
Bene ficta plaga cocco,
Jaculoque ceu forante
Cruor incruentus exit.
Ubi torvus, & per artem
Resupina flexus ora,
It equo, reditque telo,
Simulacra bestiarum
Fugiens, fugansque Parthus.
Nive pulcriora lina
Gerat orbis, atque lauris,
Hederisque, pampinisque
Viridantibus tegatur.
Cytisos, crocos, amellos,
Casias, ligustra, calthas,
Calathi ferant capaces,
Redolentibusque sertis
Abacum, torosque pingant.
Manus uncta succo amomi
Domet hispidos capillos,
[5] Arabumque messe pinguis
Petat alta tecta fumus.
Veniente nocte nec non
Numerosus erigatur
Laquearibus coruscis
Cameræ in superna lychnus;
Oleumque nescientes,
Adipesque glutinosos,
Utero tumente fundant
Opobalsamum lucernæ.
Geruli caput plicantes
Anaglyptico metallo
Epulas superbiores
Humeris ferant onustis.
Pateræ, scyphi, lebetes,
Socient falerna nardo:

1. *Platonico Madaurensi*] Apulejo: qui Quæstiones convivales scripserat, teste Macrobio lib. VII. cap. III. *Quæstiones*, inquit, *convivales proponas vel ipse dissolvas. Quod genus veteres ita ludricum non putarunt, ut & Aristoteles de ipsis aliqua conscripserit & Plutarchus, & vester Apulejus.* Frontonem addit Joannes Saresberiensis, qui Macrobii verba repetit Polycratici VIII. X.

2. *Petri magistri epistolarum*] Majoriani Augusti: quo legato & interprete Majorianus præsidium militum Lugduno impositum urbe depulit, ut est in panegyrico Majoriani sub finem. Eidem præterea panegyricum ipsum obtulit carmine III.

3. *Domnulo, Severiano, Lampridio*] De Domnulo dictum lib. IV. epistola ultima. Severianum iterum laudat epistola XV. & carmine XV. ubi præstantem tuba, hoc est grandiloquum vocat. Julium opinor Severianum, cujus artis rhetoricæ præcepta Syntomata leguntur. Lampridium vero rhetorem, cujus obitum luxit epist. XI. lib. VIII. cathedram Burdegalæ tenuisse hic locus ostendit.

4. *Juga texta belluasque*] Quæ belluata taperia in Plauti Pseudolo, Ζωωτὰ Græcis & Ζωδιωτά. Nec abs re Ctesiphontis ac Niphatis mentionem injecit, ut Babylonica designaret. Babylon enim, auctore Plinio, colores diversos vestium picturæ intexere maxime celebravit, & nomen imposuit. Babylonicæ vero picturæ argumentum, bella aut venatio. Ammianus Marcellinus rerum gestarum lib. XXIV. E Juliani Aug. mansionem in agro Ctesiphontino describens: *Diversorium*, inquit, *opacum & amœnum, gentiles picturas per omnes ædium parietes ostendens, regis bestias venatione multiplici trucidantis. Nec enim apud eos pingitur vel fingitur aliud, præter varias cædes & bella.*

5. *Arabumque messe*] Statius Papinius lacrymis Hetrusci:

— — tu messes Cilicumque Arabumque
Merge rogis.

Tibullus item lib. IV. in laude Sulpicii:

Cultor odoratæ dives Arabs segetis.

Arabum messis & seges, omnis generis odoramenta, quæ in Arabia nascuntur. Hinc promta emendatio versus Orientii, qui viros doctos exercuit, si *Arabum* legas, non *arvum*. Sic enim scribit, de cadaveribus quæ aromatibus condiuntur:

Non modo quæ tumulis bene condita saxa reservant,
Aut Arabum solidans pulvis odorque tenet.

Arabum pulvis & odor, nota figura, pro pulvere odoratu Arabiæ

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
472.

Tripodasque, cantharosque
Rosa sutilis coronet.
Juvat ire per corollas
Alabastra ventilantes,
Juvat & vago rotatu
Dare fracta membra ludo,
Simulare vel trementes
Pede, veste, voce Bacchas.
Bimari remittat urbe
Thymelem, Palemque doctas
Tepidas ad officinas
Citharistrias Corinthus:
Digiti quibus canentes,
Pariter sonante lingua,
Vice pectinis fatigent
Animata fila pulsu.
Date & æra fistulata
Satyris amica nudis:
Date [1] ravulos choraulas,
Quibus antra per palati
Crepulis reflanda buccis.
Gemit aura tibialis,
* Date carminata socco,
Date dicta sub cothurno,
Date quidquid advocati,
Date quidquid & poetæ
Vario strepunt in actu:
Petrus hæc & illa transit.
Opus editum tenemus,
Bimetra quod arte texens,
Iter asperum, viasque
Labyrinthicas cucurrit.
Sed in omnibus laborans
Et ab omnibus probatus,
Rapit hinc & inde palmam.
Per & ora docta fertur.
Procul hinc & Hippocrenen,
Aganippicosque fontes,
Et Apollinem canorum
Comitantibus Camœnis
Abigamus, & Minervam
Quasi præsulem canendi.
Removete ficta fatu,
Deus ista præstat unus.
Stupuit virum loquentem
Diadematis potestas,
Toga, miles, ordo equester,
Populusque Romularis:
Et adhuc sophos volutant
Fora, templa, rura, castra.
A Super hæc, fragorem alumno
Padus, atque civitatum
Dat amor Ligusticarum.
Similis favor resultat
Rhodanitidas per urbes,
Imitabiturque Gallos
Feritas Ibericorum.
Nec in hoc moratus axe,
Cito ad arva perget Euri,
Aquilonibusque & Austris,
Zephyrisque perferetur.

Ecce dum quæro quid cantes, ipse cantavi. Tales enim nugas in imo scrinii fundo muribus per- B foratas, post annos circiter viginti profero in lucem, quales pari tempore absentes, cum domum rediit, Ulysses invenire potuisset. Proinde peto, ut præsentibus ludicris libenter ignoscas. Illud vero nec verecunde, nec impudenter injungo, ut quod ipse de familiaris mei integro libro pronuntiavi, hoc tu quasi solicitatus exempli necessitate de meo sentias. Vale.

EPISTOLA XIV.

Sidonius [2] Burgundioni suo salutem.

Dupliciter excrucior, quod nostrum uterque lecto tenetur. Nihil enim est durius, quam C cum præsentes amici dividuntur communione languoris. Quippe si accidat, ut nec intra unum conclave decumbant, nulla sunt verba, nulla sunt solatia, nulla denique mutui oratus vicissitudo. Itaque singulis mæror ingens, isque plus de altero: nam parum possis, quamquam & infirmus, periclitante quem diligas, tibi timere. Sed Deus mihi, fili amantissime, pro te paventi validissimum scrupulum excussit, quia pristinas incipis vires recuperare. Diceris enim jam velle consurgere, quodque plus opto, jam posse. Me certe taliter consulis, & solicitudine prope præcoqua quæstiunculis litterarum, jam quasi ex asse vegetus exerces, audire plus ambiens, etsi adhuc æger, Socratem de moribus, D quam Hippocratem de corporibus disputantem. Dignus omnino, quem plausibilibus Roma foveret ulnis: quoque recitante, crepitantis Athenæi subsellia cuneata quaterentur. Quod procul dubio consequebare, si pacis locique conditio permitteret, ut illic senatoriæ juventutis contubernio mixtus erudirere. Cujus te gloriæ pariter ac famæ capacem, de

1. *Ravulos choraulas*] Qui tibias in choro inflant: quos pulcherrime itidem describit Cyprianus de spectaculis: *Alter cum choro, & cum hominis canora voce contendens spiritu suo, quem de visceribus suis superioribus nitens hauserat, tibiarum foramina modulans, nunc effuso, & nunc intus recluso ac represso, nunc certis foraminibus emisso, atque in aerem profuso: item in articulorum sonum frangens, loqui digitis laborat, ingratus artifici qui linguam dedit.*

2. *Burgundioni*] Adolescenti scholastico. Huic per litteras interroganti qui dicantur versus recurrentes, duo eorum genera proponit. Nam aut recurrunt per singulas litteras, cujus generis est Leonis Sapientis quasi distichum, lib. VI. Anthologiæ epigrammatum Græcorum, hoc modo:

Σοφὸς ἔγωγε ἤδη ὢν ἄνω, χαρᾷ τῶν ἄνω, γελῶ τὰ
Κάτω. λέγων, ἂν ὦ παραχῶν ἄνω, ἤδη ἔγωγε σοφός.

Hoc enim si retroacto cursu a fine relegatur, non motis loco litteris idem redit. Aut per singula tantum verba: quod genus Diomedes & Victorinus, qui prioris generis non meminerunt, reciprocos vocant. Sed horum rursus duæ sunt species. Nam reciproci (ut ad epistolam XI. lib. VIII. observari cœptum] aut per singulos versus redeunt, tum generis ejusdem, ur hic pentameter Porphyrianus:

Ausoniæ decus, & lux pia Romulidum,

in pentametrum alterum:

Romulidum pia lux, & decus Ausoniæ.

E Tum diversi, ut hic heroicus Porphyrii ejusdem:

Omne genus metri tibi pangens, optime Basse,

in Sotadicum,

Basse optime pangens tibi metri genus omne.

Aut per totum elegum: quale est distichum Sidonii de torrente, & hoc Nicodemi Heracleotæ eodem lib. VI. Anthologiæ.

Πηνελόπῃ τόδε σοι φᾶρος καὶ χλαῖναν Ὀδυσσεὺς
Ἤνεγκεν, δολιχὼ ἐξανύσας ἀτραπόν.

Quod ita recurrit,

Ἀτραπὸν ἐξανύσας δολιχὼ, ἤνεγκεν Ὀδυσσεὺς
Χλαῖναν καὶ φᾶρος σοὶ τόδε Πηνελόπῃ.

* *Date* CARMINATA *socco*] Barthius *Advers.* pag. 489. monet se in Trevirensi vetustissimo codice legisse *criminipta succo*: tum, *Quis non videat*, inquit sollers criticus, CARMINA APTA SOCCO *veram esse lectionem?* BAUNIUS Sirmond. editor præfat. ad tom. I. §. XI.

orationis tuæ qualitate conjecto : in qua decentissime te nuper pronuntiante , quæ quidem scripseras extemporaliter, admirabantur benevoli, mirabantur superbi, morabantur periti. Sed ne impudenter verecundiam tuam laudibus nimiis ultro premamus , præconia tua justius de te , quam tibi scribimus . Hoc potius, unde est caussa sermonis , intromittamus. Igitur interrogas per pugillatorem, quos recurrentes afferam versus , ut celer explicem , sed sub exemplo . Ii nimirum sunt recurrentes , qui metro stante , neque litteris loco motis, ut ab exordio ad terminum , sic a fine releguntur ad summum. Sic est illud antiquum.

B

Roma tibi subito motibus ibit amor.
Et illud.
Sole medere pede , ede perede melos.

Nec non habentur pro recurrentibus , qui pedum lege servata, & si non per singulos apices , per singula tamen verba replicantur : ut est unum distichon meum (qualia reor equidem legi multa multorum) quod de rivulo lusi, qui repentino procellarum pastus illapsu , publicumque aggerem confragoso diluvio supergressus , subdita culta viæ inundaverat , quamquam depositurus insanam mox abundantiam , quippe quam pluviis appendicibus intumescentem, nil superna venæ perennis pondera inflarent. Igitur istic (nam viator adveneram) dum C magis ripam quam vadum quæro , tali jocatus epigrammate , per turbulenti terga torrentis his saltem pedibus incessi.

Præcipiti modo quod decurrit tramite flumen,
Tempore consumtum jam cito deficiet.
Hoc si recurras , ita legitur :
Deficiet cito jam consumtum tempore flumen ,
Tramite decurrit quod modo præcipiti.

Ecce habes versus , quorum syllabatim mirere rationem . Ceterum pompam quam non habent , non docebunt . Sufficienter indicasse me suspicor , quod tu requirendum existimasti . Simile quiddam facis & ipse, si proposita restituas , eque diverso, quæ D repeteris expedias . Namque eminet tibi thematis celeberrimi votiva redhibitio , laus videlicet peroranda, quam ediderat, Cæsaris Julii. Quæ materia tam grandis est, ut studentum si quis fuerit ille copiosissimus , nihil amplius in ipsa debeat cavere , quam ne quid minus dicat . Nam si omittantur , quæ titulis dictatoris invicti scripta [1] Patavinis sunt voluminibus ; quis opera Suetonii , quis [2] Juventii Martialis historiam, quisve ad extremum [3] Balbi ephemeridem fando adæquaverit ? Sed tuis ceris hæc reservamus . Officii magis nostri est auditoribus scamna componere , & præparare aures fragoribus intonaturis : dumque virtutes tu dicis alie- E nas , nos moliamur tuas dicere . Neque vereare , me quospiam judices Catonianos advocaturum, qui modo invidiam , modo ignorantiam suam fictæ severitatis velamine tegant : quamquam imperitis venia debetur. Ceterum quisquis ita malus est, ut in- A telligat bene scripta, nec tamen laudet ; hunc boni intelligunt, nec tamen laudant. Proinde curas tuas hoc metu absolvo : faventes audient cuncti, cuncti foventes ; gaudiisque quæ facies recitaturus , una fruemur. Nam plerique laudabunt facundiam tuam, plurimi ingenium , toti pudorem . Non enim minus laudi feretur, adolescentem , vel quod est pulcrius, pæne adhuc puerum, de palæstra publici examinis tam morum referre suffragia , quam litterarum. Vale.

EPISTOLA XV.

Sidonius Gelasio suo salutem.

PRobas , neque deprecor , me deliquisse : deliqui quippe, qui necdum nomine tuo ullas operi meo litteras junxerim. Sed tamen scribis tum quod erraverim veniabile fore : si quod & ipse decantes mittam ab exemplo : quia scilicet Tonantio meo , ad parem caussam futuras usui litteras bimetras miserim. Præter hoc quereris, paginam meam, si resolvatur in lusum , solis hendecasyllabis frequentari . Qua de re trochaica garrulitate suspensa, senariolos aliquos plus requiris . Servio injunctis : tu modo placidus accipias : sive odam hanc ipsam mavis vocare, sive eclogam. Nam metrum diu infrequentatum durius texitur.

JUbes , amice, nostra per volumina
Modis resultet incitatioribus
Ferox Jambus, & Trochæus hactenus ,
Pigrasque bigas & quaterna tempora
Spondæus addat, ut moram volucripes
Habeat parumper insitam trimetria:
Resonetque mixtus ille pes celerrimus,
Bene nuncupatus quondam ab arte Pyrricha ,
Loco locandus undecumque in ultimo:
Spondam daturus & subinde versui,
Modo in priore parte, nunc in extima,
Anapæstus, ipse quamquam & absolutius
Pronuntietur, cum secuta tertia
Geminæ brevique longa adhæret syllaba.
Quæ temperare vix callet gregarius
Poeta, ut ipse cernis esse Sollium.
In pectine errat, nec per ora concava
Vaga lingua flexum competenter explicat.
Epos sed istud aptius paraverit
Leo, Leonis aut sequutus orbitas
Cantu in Latino, cum prior sit Attico,
Consentiorum qui superstes est patri,
Fide, voce, metris, ad fluenta Pegasi
Cecinisse dictus omniforme canticum;
Quotiesque verba Graja carminaverit,
Tenuisse celsa junctus astra Pindaro,
Montemque victor isse per biverticem
Nulli secundus inter astra Delphica.
At uterque vatum, si lyræ poeticæ
Latiare carmen aptet absque Dorico,
Venusina Flacce plectra ineptus exseras,
Japygisque verna cycnus Aufidi,

1. *Patavinis voluminibus*] Nondum enim perierat pars illa operis Liviani : de qua & Symmachus lib. IV. epist. XVII. *Priscas Gallorum memorias deferri in manus tuas postulas : revolve Patavini scriptoris extrema , quibus res C. Cæsaris explicantur .*

2. *Juventii Martialis*] Quidam *Viventii* . Idem fortasse qui Gargilius Martialis : quem inter auctores qui Cæsarum vitas in litteras miserunt , numerant Vopiscus in Probo , & Lampridius in Alexandro , cujus ætate vixit . Quamquam hic Gargilius quoque Martialis nuncupatur ab Æmiliano , Servio & Cassiodoro , qui ejus etiam de cura hortorum libros commemorant .

3. *Balbi ephemeridem*] Julii Cæsaris de rebus suis Ephemeridem citant Plutarchus & Servius ad XI. Æneidos . Ad Balbum item est Hirtii liber VIII. quem ad reliquos VII. Commentariorum Cæsaris adjecit . Balbi autem Ephemeridis quæ C. Cæsaris gesta explicaret , mentio nobis extra hunc locum apud veteres non occurrit .

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
472.



[1] Atacem tonare cum suis oloribus,
Cana & canora colla victus ingemas,
Nec ista sola sunt perita pectora,
Licet & peritis hæc peritiora sint.
Severianus ista rhetor altius,
Afer vaferque Domnulus politius,
Scholasticusque sub rotundioribus
Petrus camœnis dictitasset acrius:
Epistolaris usquequaque nec stilus
Virum vetaret, ut stupenda pangeret,
Potuisset ista semper efficacius,
Humo atque gente cretus [2] in Ligustide
Proculus, melodis insonare pulsibus,
Limans faceta quæque sic poemata,
Venetam lacessat ut favore Mantuam:
Homericæque par & ipse gloriæ,
Rotas Maronis arte sectans compari.
Ego corde & ore jure despicabilis,
Quid inter hosce te rogante garriam,
Loquacitatis impudentiam probans,
Animique [3] vota destituta litteris;
Sed quid negabo, nec pudore territus?
Amor timere nescit: inde parui.

Ignosce desueta repetenti, atque ob impleta quæ jusseras, nihil amplius quam raritatis indulgentiam præstolaturo. Ceterum mihi similia post si jusseris, quo queam magis fieri obsequens, curabis ad vi- C cem carminis, aut dictare quæ cantem, aut saltare quæ rideam. Vale.

EPISTOLA XVI.

Sidonius Firmino suo salutem.

SI recordaris, domine fili, hoc mihi injunxeras, ut hic nonus libellus, peculiariter tibi dictatus, ceteris octo copularetur, quos ad Constantium scripsi, virum singularis ingenii, salutaris consilii, certe in tractatibus publicis ceteros eloquentes, seu diversa, sive paria decernat, præstantioris facundiæ dotibus antecellentem. Sponsio impleta est, non D quidem exacte, sed vel instanter. Nam [4] peragratis forte diœcesibus, cum domum veni, si quod schedium temere jacens chartulis putribus ac veter- A nosis continebatur, raptim coactimque translator festinus exscripsi, tempore hiberno nil retardatus, quin actutum jussa complerem; licet antiquarium moraretur inficcabilis gelu pagina, & calamo durior gutta, quam judicasses imprimentibus digitis non fluere, sed frangi. Sic quoque tamen compotem officii prius agere curavi, quam duodecimum nostrum, quem Numæ mensem vos nuncupatis, Favonius flatu teporo, pluviisque natalibus maritaret. Restat ut te arbitro non reposcamus res omnino discrepantissimas, maturitatem celeritatemque. Nam quotiens liber quispiam scribi cito jubetur, non tantum honorem spectat auctor a merito, quantum ab obsequio. De reliquo, quia tibi nuper ad Gelasium B virum sat benignissimum missos jambicos placuisse pronuntias, per hos te quoque Mitylenæi oppidi vernulas munerabor,

JAm per alternum pelagus loquendi
Egit audacem mea cymba cursum;
Nec bipertito timuit fluento
Flectere clavum.
Solvit antennas, legit alta vela;
Palmulam ponit manus, atque transtris
Litori junctis, petit osculandum
Saltus arenam.
Mussitans quamquam chorus invidorum
Prodat irritu rabiem canino,
Nil palam sane loquitur, pavetque
Publica puncta.
Verberant puppem, quatiunt carinam.
Ventilant spondas laterum rotundas,
Arborem circa volitant sinistræ
Sibila linguæ.
Nos tamen rectam comite arte proram,
Nil tumescentes veriti procellas,
Sistimus portu, [5] geminæ potiti
Fronde coronæ:
Quam mihi indulsit populus Quirini,
Blattifer vel quam tribuit senatus,
Quam peritorum dedit ordo consors
Judiciorum.
Cum meis poni [6] statuam perennem
Nerva Trajanus titulis videret,

1. *Atacem sonare*] Qui fluvius Narbonem alluit: patriam Leonis & Consentii. Fortunatus:

Excipit hinc Narbo, qua litora plana remordens
Mitis Atax Rhodani molliter intrat aquas.

Id est, easdem quas Rhodanus. Cycno se post Pindarum comparavit Horatius lib. II. carminum. Sidonius ergo Atacem cum Aufido Apuliæ componit, Narbonenses hos poetas cum Horatio.

2. *In Ligustide Proculus*] De hoc, ut monui, Ennodius lib. I. carminum, in præfatione Proculi nepotibus dicta:

E

Horum Pindareus fulmina vincit avus.
Docta Camœnali cecinit qui carmina plectro,
Cujus Apollinei nil tacuere chori.

3. *Vota destituta litteris*] Male hactenus, *vota distent ut a litteris*. Certa & necessaria emendatio: in qua tamen divinandum fuit, cum manuscripti nihil juvarent. Sensus est apertus. Destituta enim litteris vota dicuntur, ejus qui velit quidem, sed ob imperitiam non possit.

4. *Peragratis diœcesibus*] Heic diœceses posuit pro parochiis: distinxerat lib. VII. epist. VI. *nulla in desolatis cura diœcesibus parochiisque*. Ibi enim diœcesim ea notione dixit, qua hodie sumitur, pro tota episcopi jurisdictione. Interdum vero latius porrigitur ad integram provinciam archiepiscopi, ut Remensis ac Senonensis diœcesis in Chronico Flodoardi anno DCCCCLXII. Immo etiam ad Primatis administrationem, quæ multas provincias complectitur, ut lib. VI. Capitularium, & in epist. Nicolai papæ ad Michaelem Imp. Nonnumquam etiam contrahitur ad curias seu parochias, quæ multæ in una diœcesi, ut hoc loco, & apud Gregorium Turon. *Brivatensis diœcesis* lib. IV. XIII. & diœceses Ruthenicæ ecclesiæ lib. VII. XXXVIII. Sic vicissim parochia sæpe pro integra diœcesi, ut Vivariensis parochia Adoni Viennensi, & Suessionensis Rothaldo in epistola ad Nicolaum. Capitularium libro eodem: *Unusquisque episcoporum habeat suæ parochiæ potestatem*. Hincmarus Nicolao: Quia *non solum diœcesis, verum etiam parochia mea inter duo regna sub duobus regibus habetur divisa*: id est, non solum provincia, verum etiam episcopatus Remensis.

5. *Geminæ coronæ*] Statuæ æreæ, & præfecturæ urbanæ. Has enim coronas vocat, ut sequentia declarant.

6. *Statuam perennem*] Statuam Sidonio positam fuisse sub Avito Aug. argumento est, quod statuæ hujus meminit in epigrammate ad Priscum Valerianum, quod superstite Avito, & calente adhuc panegyrici memoria, scriptum patet: idque miror viros doctos non animadvertisse, qui sub Majoriano positam volunt. Præfecturam autem ab Anthemio II. consule adeptus est, cum Romam iterum venisset, post annos circiter decem, quod est Sidonio, tempus prope post bilustre. Rursum duplici statua donatum Sidonium, una in Græca, altera in Latina bibliotheca, censuit elegantissimus Lipsius cap X. de bibliothecis. Mihi auctor est Sidonius, non solum hoc loco, sed in eodem etiam carmine ad Valerianum, unicam fuisse: in porticu nimirum, qua iter ad utramque bibliothecam. Sic enim ait:

Nil vatum prodest adjectum laudibus illud,
Ulpia quod rutilat porticus ære meo.

Sæcul. V.
circa
Ann. Chr.
472.



Inter auctores utriusque fixam
Bibliothecæ.
Quamque post visus prope post bilustre
Tempus, accepi capiens honorem,
Qui patrum ac plebis simul unus olim
Jura gubernat.
Præter heroos, joca multa multis
Texui pannis: elegos frequenter
Subditos senis pedibus rotavi
[1] Commate bino.
Nunc per undenas equitare suetus
Syllabas, lusi celer; atque metro
Sapphico creber cecini, citato
Rarus jambo.
Nec recordari queo, quanta quodam
Scripserim primo juvenis calore:
Unde pars major utinam taceri
Possit, & abdi.
Nam senectutis propiore meta,
Quidquid extremis sociamur annis,
Plus pudet, si quid leve lusit ætas,
Nunc reminisci.
Quod perhorrescens, ad epistolarum
Transtuli cultum genus omne curæ:
Ne reus cantu petulantiore,
Sim reus actu.
Neu puter solvi per amœna dicta,
Schema si chartis phalerasque jungam:
Clerici ne quid maculet rigorem
Fama poetæ.
Denique ad quodvis epigramma posthac
Non ferar pronus, teneroque metro,
Vel gravi, nullum cito cogar exhinc
Promere carmen.
Persequutorum nisi quæstiones
Forsitan dicam, meritosque cælum
Martyres mortis pretio parasse
Præmia vitæ.
E quibus primum mihi psallat hymnus
[2] Qui Tolosatem tenuit cathedram,
De gradu summo capitoliorum
Præcipitatum,
Quem negatorem Jovis ac Minervæ,
Et crucis Christi bona confitentem,
Vixit ad tauri latus injungati
Plebs furibunda:
Ut per abruptum bove concitato,
Spargere cursus lacerum cadaver,
Cautibus tinctis calida soluti
Pulte cerebri,
Post Saturninum, volo plectra cantent,
Quos patronorum reliquos probavi
Anxio duros mihi per labores
Auxiliatos.
Singulos quos nunc pia nuncupatim,
Non valent versu cohibere verba
Quos tamen chordæ nequeunt sonare,
Corda sonabunt.

Redeamus in finem ad oratoriorum stilum, materiam præsentem proposito semel ordine terminaturi: ne si epilogis musicis opus prosarium clauserimus, secundum regulas Flacci, ubi amphora cœpit institui, urceus potius exisse videatur. Vale.

1. *Commate bino*] Alioqui vitiosum est pentametrum, nisi duplici commate constet, quorum parti sit, ut loquitur Terentianus, finis utrique suus. Idem hunc improbat: *Inter nostros gentilis oberrat equus*, quia cola divisa non habet: & Hephæstion illum Callimachi, *Ἱερὰ νῦν δὲ Διοσκουρίδεω γενεή*.

2. *Qui Tolosatem*] Saturninum primum Tolosatum antistitem. Saturnini nomen respuebat metri ratio, sed carminis legem sprevit, ne sancti viri memoriam præteriret. Quod ipsum in hujusmodi nominibus caussati passim poetæ: ut in alio ejusdem nominis Saturnino Prudentius in martyres Cæsaraugustanos, in Earino Martialis lib. IX. XII. in Pariambo Terentianus. Vetus epitaphium Romæ duplici licentia.

Θ K

Φιλήτῳ τόδε σῆμα κατοιχομένῳ φωομένῳ
Ἀβασκαντὶς γαμετὴ μνημοσύνης ἕνεκεν.

Hoc est,

Phileto hunc tumulum defuncto morte marito
Abascantis conjunx grati animi officio.

Nam ectasi usus est auctor in Phileto, in Abascantide pleonasmo. Religiosior in Itinerario suo Numatianus, qui cum Venerii Rufii Volusiani verum nomen, hoc est ultimum, salvis metri legibus versu complecti non posset, satis habuit desiderium suum testari:

Heic præfecturam sacræ cognoscimus urbis
Delatam meritis, dulcis amice, tuis.
Optarem verum complecti carmine nomen:
Sed quosdam refugit regula dura pedes.
Cognomen versu Veneri carissime Rufi,
Illo te dudum pagina nostra canit.

Alloquitur enim, ut dixi, Volusianum, Albini filium, cujus proprium nomen Volusianus, cognomina Venerius Rufius, Idem paullo superius:

Rufius Albini gloria magna patris,
Qui Volusi antiquo derivat stemmate nomen.

Urbanæ vero Volusiani præfecturæ, quam ei delatam gratulatur, testis est Volusiani ipsius P. V. Edictum adversus Cælestium hæreticum. Itaque Numatiani Itinerario, nostra quidem conjectura, redintegrandus est titulus, AD RUFIUM VENERIUM VOLUSIANUM.

C. SIDONII ARVERNORUM EPISCOPI EPISTOLARUM FINIS.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
472.

C. SOLLII APOLLINARIS SIDONII

ARVERNORUM EPISCOPI

CARMINA

PRÆFATIO [1] IN PANEGYRICUM dictum ANTHEMIO Augusto bis consuli.

CARMEN I.

CUm juvenem super astra Jovem natura locaret,
    Susciperetque novus regna vetusta deus,
Certavere suum venerari numina numen,
    Disparibusque modis par cecinere sophos.
Mars clangente tuba patris præconia dixit,
    Laudavitque sono fulmina fulmineo.
Arcas, & Arcitenens fidibus strepuere sonoris,
    Doctior hic citharæ pulsibus, ille lyræ.
Castalidumque chorus vario modulamine plausit,
    Carminibus, cannis, pollice, voce, pede.
Sed post cælicolas etiam mediocria fertur
    Cantica semideum sustinuisse deus.
Tunc Faunis Dryades, Satyrisque Mimallones aptæ,
    Fuderunt lapidum rustica turba melos.
Alta cicuticines liquerunt Mænala Panes,
    Postque chelyn placuit fistula rauca Jovi.
Hos inter Chiron ad plectra sonantia saltans,
    Flexit inepta sui membra facetus equi:
Semivir audiri meruit, meruitque placere,
    Quamvis hinnitum dum canit ille daret.
Ergo sacrum dives & pauper lingua litabat,
    Summaque tunc voti victima cantus erat.
Sic nos, o Cæsar, nostri spes maxima sæcli,
    Post magnos proceres parvula tura damus,
Audacter docto [2] coram Victore canentes,
    Aut Phœbi, aut vestro qui solet ore loqui,
Qui licet æterna sit vobis Quæstor in aula,
    Æternum nobis ille magister erit.
Ergo colat variæ te, princeps, hostia linguæ:
    Nam nova templa tibi pectora nostra facis,

1. *In panegyricum dictum Anthemio*] Panegyricorum Sidonii præposterus est ordo. Recta series erat, ut primo loco appareret panegyricus Aviti, tum deinde Majoriani, postremo Anthemii, qui Majoriano post Severum successit, ἀνὴρ, ut Theophanes in Chronico scribit, Χριστιανικώτατος καὶ εὐσεβῶς τὴν βασιλείαν ἰθύνων. *Vir Christianissimus, & qui cum pietate imperium rexit.* Ex quo Damascii vanitatem redarguas, qui in vita Isidori Ægyptii Anthemium finxit impium, atque ἑλληνόφρονα, & qui occulta de renovando idolorum cultu consilia mente agitaret. Quæ autem occasio & caussa Sidonio fuerit panegyrici Anthemiani, docuit nos epist. IX. lib. I. Ex ea enim Romæ dictum constat Kalendis Januariis, cum Anthemius Aug. imperium nuper adeptus, consulatum alterum (priorem quippe adhuc privatus Constantinopoli egerat) solemni principum more auspicaretur, anno Christi CDLXVIII. Quare ab hac iteratorum fascium gratulatione laudationis ducit exordium.

2. *Coram Victore*] Alii *doctore*, ut vulgati. Sed cum in plerisque *victore* legeretur, non dubitavi, quin id ejus nomen esset, qui sacri palatii quæstor fuit Anthemio.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 472.

P A N E G Y R I C U S

quem Romæ Sidonius dixit ANTHEMIO Augusto bis consuli.

C A R M E N II.

Auspicio & numero fasces, Auguste, secundos
Erige, & effulgens trabealis mole metalli
Annum pande novum, consul vetus, ac fine fastu
Scribere bis fastis: quamquam diademate crinem
Fastigatus eas, humerosque ex more priorum
Includat Sarrana chlamys, te picta togarum
Purpura plus capiat: quia res est semper ab ævo
Rara, frequens consul. Tuque, o cui laurea Jane
Annua debetur, religa torpore soluto
Quavis fronde comas, subita nec luce pavescas
Principis, aut rerum credas elementa moveri.
Nil natura novat: sol hic quoque venit ab ortu.
Hic est, o proceres, [1] petiit quem Romula virtus,
Et quem vester amor: cui se ceu victa procellis,
Atque carens rectore ratis, respublica fractam
Intulit, ut digno melius flectenda magistro,
Ne tempestates, [2] ne te, pirata, timeret.
Te prece ruricola expetiit, te fœdere junctus
Assensu, te castra tubis, te curia plausu,
Te punctis scripsere tribus, collegaque misit
Te nobis, regnumque tibi: suffragia tot sunt,
Quanta legit mundus: fateor, trepidavimus omnes,
Ne vellet collega pius permittere voto
Publica vota tuo: credet ventura propago,
In nos ut possint, princeps, sic cuncta licere,
De te non totum licuit tibi. Facta priorum
Exsuperas, Auguste Leo: nam regna superstat
Qui regnare jubet: melius respublica vestra
Nunc erit una magis, quæ sic est facta duorum.
Salve sceptrorum columen, regina orientis,
[3] Orbis Roma tui, rerum mihi principe misso,
Jam non [4] eoo solum veneranda Quiriti
Imperii sedes; sed plus pretiosa, quod exstas
Imperii genitrix. Rhodopem quæ portat & Hemum,
Thracum terra tua est, heroum fertilis ora.
Excipit hic natos glacies, & matris ab alvo
Artus infantum molles nix civica durat.
Pectore vix alitur quisquam, sed ab ubere tractus,
Plus potat per vulnus equum: sic lacte relicto,
Virtutem gens tota bibit: crevere parumper,
Mox pugnam ludunt jaculis: hos suggerit illis
Nutrix plaga jocos: pueri venatibus apti,
Lustra feris vacuant: rapto ditata juventus
Jura colit gladii: consummatamque senectam
Non ferro finire pudet: tali ordine vitæ
Cives Martis agunt. At tu circumflua ponto
Europæ atque Asiæ, commissam carpis utrimque
Temperiem: nam Bistonios Aquilonis hiatus

1. *Petiit quem Romula virtus*] Legationis, qua Romani mortuo Severo principem a Leone postularunt, meminit Evagrius lib. II. cap. XVI. *ἐκ πρεσβείας δὲ τῶν ἑσπερίων Ῥωμαίων Ἀνθέμιος βασιλεὺς τῆς Ῥωμαίων ἐκπέμπεται*. Theophanes *τῆς συγκλήτου πρεσβείαν*, Senatus legationem vocat. Delatum autem a Leone imperium Anthemio testantur omnes, & Leo ipse in Novella *De bonis vacantibus*: ubi & filium suum ea caussa, quod purpuræ auctor illi fuisset, nominat Anthemium. Hinc illa utriusque principis concordia, quam toto poemate prædicat: cujusque index aureus nummus, in quo Leo & Anthemius consertis inter se manibus, & Pacis numen adscriptum.

2. *Ne te pirata*] De Genserico Vandalorum rege, quem piratam, prædonem, latronem appellare solet.

3. *Orbis Roma tui*] Constantinus cum urbem a se conditam omnibus ornamentis Romæ æquasset, quod reliquum erat, lata lege adjecit, ut Constantinopolis nova Roma diceretur, ut narrat Socrates lib. I. Hist. cap. XVI. Certant exinde scriptores in utriusque Romæ comparatione. Gregorius Nazianzenus in carmine de vita sua, adeo æquales facit, ut situ tantum ac loco discrepare dicat. Julianus vero Augustus in encomio Constantii novam veteri longe postponit. Πόλιν γε, inquit, *ἐπώνυμον αὑτοῦ κατέστησεν ἐν οὐδὲ ὅλοις ἔτεσι δέκα, τοσούτῳ τῶν ἄλλων ἁπασῶν μείζονα, ὅσῳ τῆς Ῥώμης ἐλαττοῦσθαι δοκεῖ. ὥστε τὸ δεύτερον τετάχθαι μακρῷ βέλτιον ἔμοιγε φαίνεται, ἢ τῶν ἄλλων ἁπασῶν μείζονα καὶ πρώτην νομίζεσθαι.*

4. *Eoo solum veneranda Quiriti*] Hæc vetus & vera lectio: nec aliam patitur sensus, aut structura orationis. Nam si *Quirini* legas, quod viro docto placuit, sententia corrumpitur, & τὸ *Eoo ἀσυνάρτητον* manet. Eoos ergo Quirites vocat cives Constantinopolitanos. Sequitur enim, si Constantinopolis nova est Roma, ut incolæ Quirites dicantur.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
472.



Proxima [1] Calchidici * sensim tuba temperat Euri,
Interea te Susa tremunt, ac supplice cultu
Flectit Achæmenius lunatum Persa tiaram.
Indus odorifero crinem madefactus amomo,
In tua lucra feris exarmat guttur alumnis,
Ut pandum dependat ebur: sic trunca reportat
Bosphoreis elephas inglorius ora tributis.
Porrigis ingentem spatiosis mœnibus urbem,
Quam tamen angustam populus facit: [2] itur in æquor
Molibus, & veteres tellus nova contrahit undas.
Namque Dicarcheæ translatus pulvis arenæ
Intratis solidatur aquis, durataque massa
Sustinet advectos peregrino in gurgite campos.
Sic te dispositam, spectantemque undique portus,
Vallatam pelago, terrarum commoda cingunt.
Fortunata satis, Romæ partita triumphos,
Et jam non querimur, valeat divisio regni:
Concordant lancis partes, dum pondera nostra
Suscipis, æquasti. [3] Tali tu civis ab urbe
[4] Procopio genitore micas: cui prisca propago
Augustis venit a proavis, quem dicere digno
Non datur eloquio, nec si modo surgat Averno
Qui cantu flexit scopulos, digitisque canoris
Compulit auritas ad plectrum currere silvas,
Cum starent Hebri latices, cursuque ligato
Fluminis attoniti carmen magis unda sitiret.
[5] Huic quondam juveni reparatio credita pacis
Assyriæ: stupuit primis se Parthus in annis

1. *Calchidici Euri*] Byzantiis Eurus spirat e proxima Calchedone, Calchidicum ergo dixit pro Calchedonio; ut Paullinus Natali XI.

Et quo Calchidicis Euphemia martyr in oris
Signat virgineo sacratum sanguine litus.

Nam Calchedone passam esse S. Euphemiam nemo nescit. Sic Apollonium Stoicum philosophum, Marci & Lucii Cæsarum magistrum, alii Calchedonium appellant, ut Capitolinus in Marco, & Eutropius lib. VIII. alii Calchidicum, ut Eusebii interpretes Hieronymus in Chronico, & Cassiodorus in Fastis. Et Capitolinus idem in Antonino Pio Apollonium Calchide accitum ait, quod alii dicerent Calchedone. Aliud est Chalcidicus a Chalcide Eubœæ: aliud Calchidicus a Calchide seu Calchedone Bithyniæ. Quam quidem Chalcedonem hodie scribunt omnes, & Græci Καλχηδόνα, quo etiam modo scribendam censuit Stephanus in voce Καρχηδών. Sed qui antiqua monumenta tractant, aliam in omnibus scripturam observant. Quarta denique ipsa synodus œcumenica in vetustissimis exemplaribus non Chalcedonensis, sed Calchedonensis nuncupatur. Et quod fidem præcipue facit, numquam aliter veteres nummi. Vidimus sane complures, tum Cæsarianos, tum antiquiores alios: atque in his unum, in quo parte adversa caput est Apollinis, cujus templum in ea urbe fuisse testis est in Pseudomante Lucianus, in aversa tripus cum inscriptione ΚΑΛΧΑΔΟΝΙΩΝ, quæ ipsa eadem est in omnibus aliis. Calchedonensium vero plurimi visuntur, quorum alii Mercurium habent impressum, alii Lyram, alii Χορδόντας, alii alia.

2. *Itur in æquor molibus*] De amplitudine ac frequentia urbis Constantinopolitanæ, ejusque ædificiis mari impositis, Zosimus lib. II. Historiæ. Sidonius moles illas pulvere Puteolano congestas fuisse significat, quem ad structuras quæ in aqua fiebant, transferri solitum docet Vitruvius lib. V. cap. XII. e regionibus quæ sunt a Cumis continuatæ ad promontorium Minervæ. Est autem pulvis Puteolanus similis arenæ. Ideo ἄμμον appellat Strabo, & juncta voce ἀμμοκονίαν. Noster arenam Dicarchæam, id est Puteolanam. Puteolorum enim vetus nomen, Plinio teste, Dicæarchia, Δικαιαρχεία. quod poetis est Dicarchia, Dicarchis Petronio.

3. *Tali tu civis ab urbe*] Constantinopolitanum domo fuisse Anthemium, docemur etiam ex libello περὶ κτισμάτων ΚΠ. de ædificiis Constantinopolitanis: in quo legimus Anthemium, ædes suas Constantinopoli, cum inde discederet, consecrasse in iisque templum, gerocomium & lavacrum condidisse. Sic enim habet: τὰ Ἀνθεμίου, οἶκος ἦν Ἀνθεμίου μαγίστρου ἐν τοῖς χρόνοις Μαρκιανοῦ τοῦ βασιλέως, ὃν ἔστεψεν ἡ πόλις, καὶ ἀπέστειλεν εἰς Ῥώμην βασιλέα. ὁ αὐτὸς δὲ Ἀνθέμιος ἔκτισε τὸν οἶκον αὐτοῦ ναὸν, καὶ γηροκομεῖον ἀνήγειρε, καὶ λοῦμα.

4. *Procopio genitore*] Patriæ laudibus patris avique materni laudes subjungit. Pater fuit Procopius, regio sanguine oriundus, a Procopio nimirum Cilice, cui de purpura & imperio cum Valente contentio: quem Juliani Augusti propinquum, cognatumque Constantii fuisse, auctor est Marcellinus libro XXVI. At Idacius noster Procopii fratrem, non filium appellat Anthemium: *De Constantinopoli*, inquit, *a Leone Augusto Anthemius frater Procopii cum Marcellino, aliisque comitibus viris electis, & cum ingenti multitudine exercitus copiosi ad Italiam Deo ordinante directus ascendit.*

5. *Huic quondam juveni*] A Procopio Anthemii patre pacem cum Persis renovatam ait; eumdem, mox magistrum militum per orientem creatum, atque patricium. Pacis descriptio tota est e Claudiano I. in Stiliconem. Idem enim argumentum. Pacis fœdus cum Persis sanxerat Stilico, sanxit & Procopius. Nam pax per illa tempora bis facta cum Persis. Primum a Theodosio magno cum Artaxerxe, sive alius rex fuit, Richomere & Clearcho consulibus anno Christi CCCXXCIV. Legationis Persicæ qua pacem a Theodosio postularunt, meminere Pacatus in panegyrico, Socrates lib. V. & Marcellinus comes consulibus supra scriptis, & alii. Appendix ad Victorem: *Cum Persis quoque peritus pacem pepigit*. Illa est quam Stilico legatus composuit, eleganterque & copiose describit Claudianus. Iterum a Theodosio minore cum Vararane rege, post acre ac multiplex bellum, icta est Honorio XIII. Theodosio X. coss anno CDXX. ut annotant idem Socrates & Marcellinus. De hac loqui Sidonium nulla est controversia, cum Theophanes & Cedrenus Procopio auctore factam confirment.

* *Calchidici*] Sic legendum, non *Chalcidici*, heic monet Sirmondus. At Heribertus Rosvveydus in notis ad S. Paullinum pag. 860. „ receptam, inquit, scriptionem „ tuentur omnes scriptores antiqui, & diserte Stephanus „ in Καρχηδών. Nec movere multum debent vetusta „ exemplaria, quum certo constet pleraque nomina quæ *h* „ adjunctum habent, diversimode scribi, & *h* sæpe trans- „ poni. Sic invenias etiam in vetustissimis exemplaribus „ *Chartago* pro *Carthago*: item *Phyton* pro *Python*: sic & „ *Cherintus* pro *Cerinthus*: itidem *Cheruci* pro *Ceruchi*. A „ nummis quoque nullum certum argumentum heic sumi „ potest, quum & in iis variatum sit. In Thesauro rei „ antiquariæ Huberti Goltzii, in nummo Sabinæ Tran- „ quillinæ habes ΧΑΛΚΗΔΩΝΙΩΝ: in alio nummo „ ΧΑΛΚΕΔΩΝΩΝ: in nummo Anniæ Faustinæ ΚΑΛ- „ ΚΗΔΩΝΩΝ. In Græcia ejusdem Goltzii exstat in duo- „ bus numismatibus ΧΑΛΚΕΔΩΝΩΝ. „ Vide Harduini *Nummos antiquos* pag. 235. — BAUNIUS Sirmond. editor præfat. ad tom. I. §. XI.

Confilium non ferre fenis: conterritus hæfit
Quifque fedet fub rege Satraps: ita vinxerat omnes
Legati genius: tremuerunt Medica rura,
Quæque draconigenæ portas non clauferat hofti,
Tum demum Babylon nimis eft fibi vifa patere.
Partibus at poftquam ftatuit nova formula fœdus,
[1] Procopio dictante Magis: juratur ab illis
[2] Ignis & unda deus: nec non rata pacta futura,
Hic divos teftatur avos. Chaldæus in extis
Pontificum de more fenex arcana peregit
Murmura: gemmantem pateram rex ipfe retentans.
Fudit turicremis carchefia cernuus aris.
[3] Sufcipit hinc reducem duplicati culmen honoris,
Patricius, nec non peditumque equitumque magifter,
Præficitur caftris, ubi Tauri clauftra coercens,
Æthiopafque vagos belli terrore relegans,
Gurgite pacato famulum fpectaret Orontem.
[4] Huic focer Anthemius præfectus, conful & idem,
Judiciis populos, atque annum nomine rexit.
Purpureos fortuna viros cum murice femper
Profequitur, folum hoc tantum mutatur in illis,
Ut regnet qui conful erat: fed omittimus omnes.
Jam tu ad plectra veni, tritus cui caffide crinis
Ad diadema venit: rutilum cui Cæfaris oftrum
Depofito thorace datur, fceptroque replenda
Mucrone eft vacuata manus: cunabula veftra
Imperii fulfere notis, & præfcia tellus
Aurea converfo promifit fæcula fetu.
Te nafcente, ferunt, exorto flumina melle
Dulcatis cunctata vadis, oleique liquores
Iffe per attonitas bacca pendente trapetas.
Protulit undantem fegetem fine femine campus:
Et fine fe natis invidit pampinus uvis.
Hibernæ rubuere rofæ, fpretoque rigore
Lilia permixtis infultavere pruinis.
Tale puerperium quotiens Lucina refolvit,
Mos elementorum cedit, regnique futuri
Fit rerum novitate fides: veniffe beatos
Sic loquitur natura deos: cunctantis Iuli
Lambebant teneros incendia blanda capillos.
Aftyages * Cyro pellendus forte nepoti,
Inguinis expavit diffufum vite racemum.
Præbuit intrepido mammas lupa feta Quirino.
Julius in lucem venit, [5] dum laurea flagrat.

1. *Procopio dictante Magis*] Vulgati hactenus, *Procopio dictante: magis juratur*, cet. nullo fenfu. Locum interpunctione correximus, nomine Magis reddito. Claudianus de pace Stiliconis:

Turis odorati cumulis, & meffe Sabæa
Pacem conciliant aræ, rituque juvencos
Chaldæo ftravere Magi: rex ipfe micantem
Inclinat dextra pateram, fecretaque Beli
Et vaga teftatur volventem fidera Mithram.

Magi enim Perfarum erant theologi & facerdotes, divinarum rerum periti & adminiftri: quod vocem ipfam fonare docet Porphyrius περὶ ἀποχῆς τῶν ζώων lib. III. *παρὰ μὲν γε τοῖς Πέρσαις οἱ περὶ τὸ θεῖον σοφοὶ, καὶ αὐτοῦ θεράποντες, Μάγοι μὲν ὀνομάζονται. τοῦτο γὰρ κατὰ τὴν ἐπιχώριον διάλεκτον σημαίνει ὁ Μάγος*. In penultimo verfu Claudiani *Beli* reftitui, pro *belli*. Belum enim intelligit, quem ut deum municipem colebant Chaldæi, ut obfervant Minucius Felix in Octavio, & Sulpicius Severus Hiftoriæ II.

2. *Ignis & unda deus*] Hos enim pro diis habuiffe Perfas compertum eft. Herodotus Thalia: *Πέρσαι θεὸν νομίζουσιν εἶναι τὸ πῦρ*. Idem etiam eodem libro de aqua teftatur, & Strabo lib. XV. Diogenes Laertius in procœmio operis fui. Sed præcipua ignis veneratio. Chryfoftomus *ἀνδριάντων* IV. *Θεὸς παρὰ τοῖς Πέρσαις νομίζεται τὸ πῦρ. καὶ τιμῶσιν αὐτὸ μετὰ πολλῆς θεραπείας οἱ βάρβαροι*. Inde facra illorum *πυρεῖα*. & apud Socratem & Evagrium, in caftris Ifdigerdæ & Chofroæ regum *σεβαστὸν πῦρ*. Nam ignem in facris foculis perpetuum circumferebant. Religionis originem ethnici fcriptores Perfæ adfcribunt: noftri Nembroto Cham nepoti, ut Marius Victor lib. III. in Genefim.

3. *Sufcipit hinc reducem*] Procopius poft fœdus Perficum magifter utriufque militiæ, ac patricius factus eft a Theodofio: quod teftatur Theodofii ipfius lex XXXVI. Cod. Theod. De erogatione annonæ militaris, cum infcriptione *Procopio magiftro militum per orientem*, Victore confule data, hoc eft biennio poft pacem. Magiftri militum in orientali imperio per diœcefes a Theodofio magno divifis tres fuere per orientem, per Thracias, per Illyricum. Diœcefeos orientis caput Antiochia ad Orontem: limes vero, ut Marcellinus lib. XIV. docet, a Tauri montis jugo ripifque Euphratis ad Nilum ufque porrigebatur. Quare Æthiopum quoque fines attingebat. Ita nec brevius, nec aptius a Sidonio comprehendi potuit tota adminiftratio magiftri militum per orientem.

4. *Huic focer Anthemius*] Maternus Anthemii Aug. avus fuit Anthemius, præfectus & conful fub Arcadio: is nimirum, qui poft mortem Arcadii totam imperii molem pro Theodofio adhuc impubere fuis humeris fuftinuit. *μέγας Ανθέμιος* Synefio, *τῶν τότε ἀνθρώπων φρονιμώτατος* Socrati, multis & eximiis laudibus ornatus a Chryfoftomo epift. CXLVII. Confulatum cum Stilicone geffit anno CDV. Præfecturam per annos XIII. continuavit.

5. *Dum laurea flagrat*] De hoc prodigio in Julii Cæfaris ortu, qui præter Sidonium fcribat, haud facile reperias. Neque tamen idcirco fidem minuam. Quam multa enim apud Sidonium funt, quæ alibi hodie non leguntur?

* *Aftyages Cyro pellendus* FORTE NEPOTI] Veram fcripturam effe SORTE, ait Barthius *Adverf.* pag. 874. fignificari quippe oraculum cujus meminit Herodotus. — BAUNIUS Sirmond. editor præfat. ad tom. I. §. XI.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
472.

Magnus Alexander, nec non Auguſtus, habentur
Concepti ſerpente deo: Phœbumque, Jovemque
Diviſere ſibi: namque horum quæſiit unus
Cinyphia ſub Syrte patrem: [1] maculis genitricis
Alter Phœbigenam ſe ſe gaudebat haberi,
Pœonii jactans Epidauria ſigna draconis.
Multos cinxerunt aquilæ, ſubitumque per orbem
Luſit venturas famulatrix penna coronas.
Aſt hunc, egregii proceres, ad ſceptra vocari
Jam tum noſſe datum eſt, laribus cum forte paternis
Protulit exciſus jam non ſua germina palmes.
Imperii ver illud erat: ſub imagine frondis,
Dextra per arentem florebant omnia virgam.
At poſtquam primos infans exegerat annos,
Reptabat ſuper arma patris: quamquam arcta terebat
Lamina cervicem, gemina complexus ab ulna,
Livida laxatis intrabat ad oſcula criſtis.
Ludus erat puero raptas ex hoſte ſagittas
Feſtina tractare manu, captoſque per arcus
Flexa reluctantes in cornua trudere nervos.
Nunc tremulum tenero jaculum torquere lacerto,
Inque frementis equi dorſum cum pondere conti
Indutas chalybum ſaltu transferre catenas,
Inventas agitare feras & fronde latentes
Quærere, deprenſas modo claudere caſſibus arctis,
Nunc torto penetrare veru: tum ſæpe fragore
Laudari comitum, frendens cum bellua ferrum
Ferret, & intratos exirent arma per armos.
Conde Pelethronios, alacer puer & venator
Æacida, titulos: quamquam ſubjecta magiſtri
Terga premens, & ob hoc ſecurus luſtra pererrans,
Tu potius regereris equo: non principe noſtro
Spicula direxit melius Pythona ſuperſtans
Pæan, cum vacua turbatus pæne pharetra,
Figeret innumeris numeroſa volumina telis.
Nec minus hæc inter veteres audire ſophiſtas.
Mileto quod crete Thales vadimonia culpas,
Lindie quod Cleobule canis, modus optimus eſto,
Ex Ephyra totum meditaris quod Periander,
Attice quodve Solon finem bene reſpicis ævi,
Priennæe Bia, quod plus tibi turba malorum eſt,
Noſcere quod tempus, Lesbo ſate Pittace, ſuades,
Quod ſe noſſe omnes vis ex Lacedæmone Chilon.
Præterea didicit varias nova dogmata ſectas,
Quidquid laudavit Scythicis Anacharſis in arvis,
Quidquid legifero profecit Sparta Lycurgo,
Quidquid Erichtheis [2] Cynicorum turba volutat
Gymnaſiis, imitata tuos Epicure ſodales:
Quidquid nil verum ſtatuens Academia duplex
Perſonat, arroſo quidquid ſapit ungue Cleanthes,
Quidquid Pythagoras, Democritus, Heraclituſque
Deflevit, riſit, tacuit: quodcumque Platonis
Ingenium, quod in arce fuit, docet ordine terno.
Quæ vel Ariſtoteles partitus membra loquendi,
Argumentoſis dat retia ſyllogiſmis.
Quidquid Anaximenes, Euclides, Archita, Zenon,
Arceſilas, Chryſippus, Anaxagoraſque dederunt,
Socraticuſque animus poſt fatum in Phædone vivus,
Deſpiciens vaſtas tenuato in crure catenas,
Cum tremeret mors ipſa reum, ferretque venenum
Pallida ſecuro lictoris dextra magiſtro.
Præterea quidquid Latiaribus indere libris
Priſca ætas ſtuduit, totum percurrere ſuetus:
Mantua quas acies, pelagique pericula luſit,

1. *Maculis genitricis*] Hæc verba divelli a ſuperioribus debent, ut cum ſequentibus cohæreant, & ad Auguſtum referantur, non ad Alexandrum. De Olympiade enim Alexandri matre nemo ſcribit, in corpore ejus relictam fuiſſe maculam a ſerpente ex quo conceperat. De Attia Auguſti matre ſcripſerat Aſclepiades Mendeſius, ex quo narrat Tranquillus cap. XCXV.

2. *Cynicorum turba*] Si utriuſque ſectæ originem ſpectes, antiquior Epicuro Antiſthenes Cynicorum parens: ſi dogmata, longe diſſimillima, præcipue circa finem bonorum. Quomodo ergo Cynici Epicureos ſectati? Docet Auguſtinus XIX. de Civitate, fuiſſe qui cum voluptatem cum Epicureis ſummum bonum prædicarent; Cynici tamen, quod eorum habitu & conſuetudine uterentur, appellari ſolerent. De his loqui videtur Sidonius, de quibus & Origenes lib. XV. in Exodum.

Smyrneas imitata tubas: quamcumque loquendi
Arpinas dat consul opem; sine fine locutus
Fabro progenitus, spreto cui patre polita
Eloquiis plus lingua fuit: vel quidquid in ævum
Mittunt Euganeis Patavina volumina chartis:
Qua Crispus brevitate placet, quo pondere Varro,
Quo genio Plautus, quo fulmine Quintilianus,
Qua pompa Tacitus, numquam sine laude loquendus.
His hunc formatum studiis, natalibus ortum;
Moribus imbutum, [1] princeps, cui mundus ab Euro
Ad Zephyrum tunc sceptra dabat, cui nubilis atque
Unica purpureos debebat nata nepotes,
Elegit generum: sed non ut deside luxu
Fortuna soceri contentus, & otia captans
Nil sibi deberet: [2] Comitis sed jure recepto
Danubii ripas, & tractum limitis ampli
Circuit, hortatur, disponit, discutit, armat.
Sic sub patre Pius moderatus castra parentis,
Sic Marcus vivente Pio, post jura daturi,
Innumerabilibus legionibus imperabant.
Hinc reduci datur omnis honor, & [3] utriquè magister
Militiæ, consulque micat: conjuncta potestas
Patritii, celerique gradu privata cucurrit
Culmina, conscenditque senum puer ipse curulem,
Sedit & emerito juvenis veteranus in auro.
[4] Jamque parens divos: sed vobis nulla cupido
Imperii: longam diademata passa repulsam
Insigne legere virum, quem deinde legentem
Spernere non posses: soli tibi contulit uni
Hoc fortuna decus, quamquam te posceret ordo,
Ut lectus princeps mage, quam videare relictus.
Post socerum Augustum regnas: sed non tibi venit
Purpura per thalamos, & conjunx regia regno
Laus potius, quam caussa fuit: nam juris habenis
Non generum legit respublica, sed generosum.
Fallor, bis gemino nisi cardine rem probat orbis.
Ambit te Zephyrus, rectorem destinat Eurus,
Ad Boream pugnas, & formidaris ad Austrum.
Ante tamen, quam te socium collega crearet,
Perstrinxisse libet, quos Illyris ora triumphos
Viderit, excisam quæ se [5] Valameris ab armis

1. *Princeps cui mundus*] Marcianus Augustus. Is enim filiam Anthemio desponderat. Evagrius lib. II. *ᾧ Μαρκιανὸς ὁ πρώην βεβασιλευκὼς τὴν οἰκείαν κατεγγύησε παῖδα.* Ita fere omnes, cum de Anthemii creatione agunt, Marciani generum dicunt. Sidonius Euphemiam infra vocat, eamque unicam patri filiam fuisse docet, quod alii scriptores non produnt.

2. *Comitis sed jure recepto*] Anthemium ait Comitivæ insignibus ornatum fuisse, cum ad tuendum Danubii limitem missus est. Quod quidem non est intelligendum de Comitiva orientis, cui nihil est cum Danubii tractu commune. Sed qualis erat Comitum rei militaris, qui cum primi ordinis Comitiva militaribus copiis præfici a principe solebant, & provinciarum ducibus æquabantur. Theodosius junior cod. de Comitibus rei militaris: *Eos*, inquit, *qui sub Comitivæ primi ordinis dignitate peculiariter ad quamlibet provinciam vel provincias defendendas milite credito auctoritate nostri numinis destinantur, ducibus adæquamus*. Erat is quasi gradus ad militum magisterium, ad quam postea provehebantur. Marcellinus lib. xxvi. *Equitius Illyriciano præponitur exercitui, nondum magister, sed comes*: & post alia: *Valentinianus Equitio aucto magisterii dignitate repedare ad Illyricum destinabat*. Quomodo & Constantium, Bonifacium, Aetium, prius comites, deinde magistros fuisse legimus: & Anthemius noster post hanc expeditionem continuo utriusque militiæ magister creatus est.

3. *Utrique magister militiæ*] Ἀρχαϊκῶς dictum, pro utriusque. Nam vetustissimi, teste Prisciano, omnem genitivum in *ius* desinentem *i* etiam littera terminabant. Cæcilius comicus: *Nulli alii rei, nisi amicitiæ eorum caussa*. Afranius in Suscepta: *Adeo ut te satias caperet toti familiæ*. Poterat & *utræque* dici, antiqua etiam consuetudine, quam secutus est Fortunatus ad Bodeg[illegible]um *D[illegible] tus lis est regionis utræque*.

4. *Jamque parens divos*] Sic optima exemplaria. Nec dubitandum, quin ita scriptum sit a Sidonio. Nam vulgata editio, *patris divos*, ridicula est & nulli rei. Divos parens Marcianus post mortem dicitur, ut divos Julius, & divos Augustinus in nummis, & divos Trajanus in hoc antiquæ inscriptionis fragmento, quod paucis ab hinc annis erutum est in agro Ricinensi.

DIVOS TRAJANUS,
AUGUSTUS
CONCESSA TUSCILI
NOMINATI HEREDITATE
REIPUB. RICINENSI
BALNEUM ET PLATIAS
. . . .

Sic infra de Marciano eodem,

— — *patrio vestiri murice natam*
Gaudeat Euphemiam sidus divale parentis.

Jam, inquit, defuncto sine mascula prole Marciano, imperium tibi ob conjugem ejus filiam debebatur. Sed tu regnandi minime cupidus, Leonem tibi præferri passus es, quo ipse postea non generis, sed virtutis prærogativa, in regni societatem vocarere. Hactenus ergo gesta superstite Marciano. Quæ sequuntur, ad Leonis tempora pertinent, ut duplex bellum Anthemii, Gothicum & Hunnicum.

5. *Valameris ab armis*] Belli Gothici auctor fuit Valamer Ostrogothorum rex, is qui cum Theodemire & V[illegible]demire fratribus Attilam bello Gallico secutus, post e[illegible]s interitum sedes in Pannonia cum annuis muneribus obtinuit a Marciano. Quæ cum lentius deinde præstarentur a Leone, Illyricum pæne totum, ut Jornandes in Geticis narrat, populando vastavit. Ideo populatores a Sidonio vocantur, repressique Anthemii viribus dicuntur. Coactus tamen imperator consueta munera largiri, pacis obside Theodemiri filio Theoderico qui Italiæ postea [illegible] fuit, a Gothis dato, sub annum, ut ex Theod[illegible] te quam Jornandes notat, con[illegible]

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
472.

Forte ducis nostri vitio deserta gemebat.
Haud aliter, cæsus quondam cum Cæpio robur
Dedidit Ausonium, subita cogente ruina,
Electura ducem post guttura fracta Jugurthæ,
Ultum Arpinatem Calpurnia fœdera lixam
Opposuit rabido respublica territa Cimbro.
Hic primum ut vestras aquilas provincia vidit,
Desiit [1] hostiles confestim horrere dracones.
Ilicet edomiti bello, prædaque carentes,
Mox ipsi tua præda jacent: sed omittimus istos
Ut populatores: [2] belli magis acta revolvo.
Quod bellum non parva manus, nec carcere fracto
Ad gradiaturam tu Spartace vincte parasti:
Sed Scythicæ vaga turba plagæ, feritatis abundans,
Dira, rapax, vehemens, ipsis quoque gentibus illic
Barbara barbaricis, cujus dux Hormidac atque
Civis erat, queis tale solum est, murique, genusque.
[3] Albus Hyperboreis Tanais qua vallibus actus,
Riphæa de caute cadit, jacet axe sub ursæ
Gens animis membrisque minax: ita vultibus ipsis
Infantum suus horror inest: consurgit in arctum
Massa rotunda caput: geminis sub fronte cavernis
Visus adest oculis absentibus: acta cerebri
In cameram vix ad refugos lux pervenit orbes,
Non tamen & clausos: nam fornice non spatioso,
Magna vident spatia, & majoris luminis usum
Perspicua in puteis compensant puncta profundis.
Tum ne per malas excrescat fistula duplex,
Obtundit teneras circumdata fascia nares,
Ut galeis cedant. Sic propter prœlia natos
Maternus deformat amor, quia tensa genarum
Non interjecto fit latior area naso.
Cetera pars est pulcra viris: stant pectora vasta,
Insignes humeri, succincta subilibus alvus.
Forma quidem pediti media est, procera sed exstat,
Si cernas equites, sic longi sæpe putantur,
Si sedeant. Vix matre carens ut constitit infans,
Mox præbet dorsum sonipes: cognata reare
Membra viris, ita semper equo ceu fixus adhæret
Rector. [4] Cornipedum tergo gens altera fertur,
Hæc habitat: teretes arcus, & spicula cordi:
Terribiles certæque manus, jaculisque ferendæ
Mortis fixa fides, & non peccante sub ictu,
Edoctus peccare furor. Gens ista repente
Erumpens, solidumque rotis transvecta per Istrum
Venerat, & sectas inciderat orbita lymphas.
Hanc tu directus [5] per Dacica rura vagantem

1. *Hostiles confestim horrere dracones*] Non quod dracones inter Romana signa non fuerint: sed quod eorum proprium ac princeps aquila. Nam, ut primum signum, Vegetio Renato teste, totius legionis aquila: sic dracones singularum cohortium. Atque ut in castris aquilifer, qui aquilam portabat, sic draconarii, qui dracones. Themistius oratione VI. *οὐ χρυσοῦς ἀετὸς, οὐδὲ δράκοντες λεπτῶν ὑφασμάτων*: & Prudentius de militibus qui Christiani fiebant:

Cesaris vexilla linquunt, eligunt signum crucis,
Proque ventosis draconum quæ gerebant palliis,
Proferunt insigne lignum quod draconem subdidit.

Sidonius ipse in panegyrico Majoriani:

— — jam textilis anguis
Discurrit per utramque aciem,

Romanam & Vandalicam.

2. *Belli magis acta revolvo*] Hunnici belli, quod Anthemio duce adversus Hormidacem ad Serdicam in Dacia gestum est, memoria omnis apud alios auctores interiit. Falluntur enim, qui cum Carolo Sigonio bellum hoc esse putant, in quo Arnegislus magister militum cum Attila pugnans in Dacia Ripense occisus est, ut Marcellinus comes & Jornandes narrant. Quis non videt de bello heic agi, in quo dux hostium Hormidac, non Attila; magister militum Anthemius, non Arnegislus? Discrepant etiam tempora. Nam Arnegislus Theodosio vivente occubuit, Callepio & Ardabure consulibus: Anthemius vero Leone, ut dictum est, regnante hæc gessit.

3. *Albus hyperboreis*] Comparanda hæc Hunnorum prosopographia cum iis quæ de illius gentis origine, forma, moribusque scribunt Marcellinus lib. XXX. Zosimus lib. IV. & omnium accuratissime Jornandes ex Prisco rhetore, Theodosii ad Attilam legato. Pleraque enim sunt Sidonii verbis simillima.

4. *Cornipedum tergo gens altera fertur, Hæc habitat*] Pessime antea vulgati. Sed de hujus loci emendatione jam monui ad epigramma XCIV. Ennodii. Aliæ, inquit, gentes equis subinde uti solent, hæc in illis habitat. Adeo enim in equis assidui erant Hunni, ut pedites numquam cernerentur. Zosimus supra: *ἐπὶ τῶν ἵππων καὶ διαιτώμενοι καὶ καθεύδοντες*. Marcellinus: *Equis prope affixi funguntur muneribus consuetis. In ipsis quivis in hac natione pernox & perdius emit & vendit, cibumque sumit & potum: & inclinatus cervici angustæ jumentis in altum soporem ad usque varietatem effunditur somniorum.*

5. *Per Dacica rura*] Belli aream in Dacia fuisse ostendit ad Serdicam urbem, quam a barbaris occupatam obsidione cinxit Anthemius. Serdicam Eusebius in Chronico, Itineraria, & synodi Nicænæ subscriptiones, Daciæ urbem cum Sidonio faciunt: Socrates & Hermias Sozomeni, ubi de synodo Serdicensi agunt, Illyrici. Ptolemæus Thraciæ, quo etiam spectat & vetus inscriptio, in qua Diogenes miles natione Thrax, civitate Serdica. Quæ quidem vera sunt omnia: quia Dacia magni Illyrici pars fuit, ut dicetur ad panegyricum Majoriani: unde & Serdicam Theodoretus *μητρόπολιν* vocat *Δακίας ἐν Ἰλλυριοῖς*. Daciæ rursum attributa fuit ora Thraciæ, qua Serdica olim conti-



Contra is, aggrederis, superas, includis; & ut te
Metato spatio castrorum Serdica vidit,
Obsidione premis: quæ te sic tempore multo
In vallo positum stupuit, quod miles in agros
Nec licitis, nec furtivis excursibus ibat.
Cui deesset cum sæpe Ceres, semperque Lyæus,
Disciplina tamen non defuit: inde propinquo
Hoste magis timuere ducem: sic denique factum est,
Ut [1] socius tum forte tuus, mox proditor, illis
Frustra terga daret, commissæ tempore pugnæ;
Qui jam cum fugeret, flexo pede cornua nudans,
Tu stabas acie solus, te sparsa fugaci
Expetiit ductore manus, te Marte pedestri
Sudantem repetebat eques: tua signa sequutus
Non se desertum sensit certamine miles.
I nunc, & veteris profer præconia Tulli
Ætas cana patrum, quod pulcro hortamine mendax
Occuluit refugi nutantia fœdera Metti.
Nil simile est, fallique tuum tibi non placet hostem.
Tunc vicit miles, dum se putat esse juvandum:
Hic vicit, postquam se comperit esse relictum.
Dux fugit, insequeris: renovat certamina, vincis:
Clauditur, expugnas: elabitur, obruis: atque
Sarmaticæ paci pretium sua funera ponis.
Paretur, jussum subiit jam transfuga letum,
Atque peregrino cecidit tua victima ferro.
Ecce iterum, si forte placet, conflige vetustas;
Hannibal ille ferox ad pœnam forte petitus,
Et si non habuit jus vitæ, fine supremo
Certe habuit mortis: quem cæcus carcer & uncus,
Et quem spectabat fracturus guttura lictor,
Hausit Bebrycio constantior hospite virus.
Nam te qui fugit, mandata morte peremtus,
Non tam victoris periit, quam judicis ore.
[2] Nunc ades, o Pæan, lauro cui gryphas obuncos
Docta lupata ligant, quoties per frondea lora
Flectis penniferos hederis bicoloribus armos:
Huc converte chelyn: non est modo dicere tempus
Pythona exstinctum, nec bis septena sonare
Vulnera Tantalidum, quorum tibi funera servat
Cantus, & æterno vivunt in carmine mortes.
Vos quoque, Castalides, paucis quo numine nobis
Venerit Anthemius, gemini cum fœdere regni,
Pandite: pax rerum misit, qui bella gubernet.
Auxerat Augustus [3] naturæ lege Severus
Divorum numerum: quem mox Oenotria casum
Vidit ut aerei de rupibus Apennini,
Pergit cærulei vitreas ad Tibridis ædes,
Non galea conclusa genas, nec sutilis illi
Circulis impactis loricam texuit hamis,
Sed nudata caput: pro crine racemifer exit
Plurima per frontem constringens oppida palmes,

nebatur. Duplex enim fuit Dacia provincia. Vetus Trajani, trans Istrum: altera Aureliani, quam priore omissa revocatis bis Istrum militibus, in utriusque Mœsiæ & Thraciæ finibus constituit: quæ sola deinceps appellata est Dacia. Sed hanc porro in duas divisam ex Imperii Notitia liquet: Ripensem, quæ per Præsidem regebatur: & Mediterraneam in qua Serdica, quæ per consularem. Paullinus de obitu Nicetæ:

Et Getæ currant, & uterque Dacus.
Qui colis terræ medio, vel ille
Divitis multo bove pelleatus
Accola ripæ.

1. *Socius, mox proditor*] De transfuga socio Anthemii, qui ad Hunnos in ipsa pugna defecit, in tanta illius ætatis scriptorum paucitate nihil habemus. Ex Sidonio constat, ab ipsis barbaris ex pacis fœdere cæsum fuisse. Ideo enim cum Hannibale confert, qui Romanis a Prusia rege dedendus erat, nisi veneno supplicium antevertisset.

2. *Nunc ades, o Pæan*] Pars altera panegyrici, quæ imperii auspicia continet, quam poetico genio pertractat. Fingit enim, mortuo Severo Italiam, cum principe careret, ad Tiberis fontes venisse, ac rogasse uti Romæ persuadeat, ut ad Auroram pergat, principemque ab ea petat. Auroram vero Anthemium Romæ precibus concessisse. Itaque horum omnium personas & congressus poetico more describit.

3. *Naturæ lege Severus*] Libius Severus (sic enim vocant veteres nummi) post cædem Majoriani, Ricimeris opera imperium tenuit ex A. D. XIII. Kalend. Decemb. CDLXI. deinde quarto post anno ejusdem, ut fama erat, Ricimeris dolo exstinctus est XVIII. Kalend. Septemb. Cassiodorus: *Herminerico & Basilisco coss. His consulibus ut dicitur, Ricimeris fraude Severus Romæ in palatio veneno peremtus est.* Alii sua morte functum tradunt, ut Paullus Diaconus lib. VI. Quod Sidonius quoque intelligi voluit, cum naturæ lege mortuum ait: sive quod ita crederet, sive ut Ricimere Anthemii generum ab ea nota vindicaret. Incidimus in brevem Indiculum, Justiniani temporibus scriptum, in quo principes omnes ab Augusto quot annis regnarint, ubi & quo genere leti perierint, paucis explicatur. De Severo autem sic habet: *Severus Romæ imperavit annis IV. ibique religiose vivens decessit.*



SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
472.

Perque humeros teretes, rutilantes perque lacertos
Pendula gemmiferæ mordebant suppara bullæ.
Segnior incedit genio, venerandaque membra
Viticomam retinens baculi vice flectit ad ulmum:
Sed tamen ubertas sequitur: quacumque propinquat,
Incessu fecundat iter, comitataque gressum
Læta per impressas rorat vindemia plantas.
Ilicet ingreditur Tiberini gurgitis antrum.
Currebat fluvius residens, & arundinis altæ
Concolor in viridi fluitabat silva capillo.
Dat sonitum mento unda cadens, licet hispida setis
Suppositis multum sedaret barba fragorem.
Pectore ructabat latices, lapsuque citato,
Sulcabat madidam jam torrens alveus alvum,
Terretur veniente dea, manibusque remissis
Remus, & urna cadunt: veniæ tum verba paranti
Illa prior, Venio viduatam præsule nostro:
Per te si placeat lacrymis inflectere Romam,
Expetat auroræ partes, fastuque remoto
Hoc unum præstet, jam plus dignetur amari.
Instrue quas quærat vires, orbique jacenti
Quo poscat dic orbe caput: quemcumque creavit
[1] Axe meo natum, confestim fregit in illo,
Imperii fortuna rotas: [2] hinc Vandalus hostis
Urget, & in nostrum numerosa classe quotannis
Militat excidium: conversoque ordine fati
Torrida Caucaseos infert mihi Byrsa furores.
Præterea [3] invictus Ricimer, quem publica fata
Respiciunt, proprio solus vix Marte repellit
Piratam per rura vagum, qui prœlia vitans,
Victorem fugitivus agit: quis sufferat hostem,
Qui pacem pugnamque negat? nam fœdera nulla
Cum Ricimere jacit: quem cur nimis oderit, audi.
Incertum crepat ille patrem, cum serva sit illi
Certa parens: nunc ut regis sit filius, effert
Matris adulterium: tum livet quod Ricimerem
In regnum duo regna vocant: nam patre Suevus,
A genitrice Gethes: simul & reminiscitur illud,
Quod Tartessiacis [4] avus hujus Vallia terris
Vandalicas turmas, & juncti Martis Alanos
Stravit, & occiduam texere cadavera Calpen.
Quid veteres narrare fugas, quid damna priorum?
[5] Agrigentini recolit dispendia campi.
Inde furit, quod se docuit satis iste nepotem
Illius esse viri, quo viso Vandale semper
Terga dabas: nam non Siculi illustrior arvis
Tu Marcelle redis, per quem tellure marique

1. *Axe meo natum*] Duplex caussa, cur Principem ab oriente posci velit. Una quod brevi atque inauspicato regno usi sint indigenæ omnes, qui superioribus annis regnarant, Maximus, Avitus, Majorianus & Severus. Altera, quod Ricimer, qui post Severi obitum per interregnum rempublicam moderabatur, Genserico solus ressistere non possit. Quare maturandum, ut illinc Imperator renuntietur, qui diu & feliciter regnet Vandalosque coerceat.

2. *Hinc Vandalus hostis*] Gensericus ex quo Carthaginem cepit, sed post excessum præcipue Valentiniani, utriusque imperii provincias assiduis incursionibus populari non desit, tanta sui fiducia, ut interrogante aliquando nauclero, ecquo vela dari juberet, respondisse feratur, Quo Deus impulerit. Ex quo nimirum patet, cur *pirata vagus* Sidonio dicatur, & *hostis repentinus* Theodorico regi apud Senatorem 1. Variar. IV. & *repentinus ejus incursus & fortuita deprædatio, cunctis litoribus formidanda*, Novella Valentiniani, quæ est XX. inter Theodosianas. Quia igitur præter morem est, ut ab Africa irruant Scythæ, hoc est Vandali & Alani, quos alibi Caucasigenas vocat, hinc est quod ait,

—— Conversoque ordine fati
Torrida Caucaseos infert mihi Byrsa furores.

Et carmine XXIII. eadem antithesi, Gensericum ipsum dixit

—— Africanæ
Telluris Tanaiticum rebellem.

3. *Invictus Ricimer*] Quod Ricimerem laudat Sidonius, Anthemii qui generum illum adsciverat, gratiæ imputandum est. Alioqui parum caussæ habuit, cur hominem amaret, a quo Avitum socerum purpura exutum meminerat. Erat is patricius & magister militum: vir, ut Jornandes scribit, egregius & in re bellica tum prope singularis: sed qui nimia potentia barbaro ingenio abusus est. Nam non solum Avitum imperio dejecit; sed Majorianum occidit, & Severum, si vera fuit fama, clam sustulit. Anthemium quoque socerum ipsum bello adortus Roma capta necavit: nondum scilicet a principum sanguine destiturus, nisi quadragesimo ipse post soceri necem die interiisset. Mixtum illis genus, sed regium utrimque, patre Suevo, matre Gotha, Valliæ regis filia, eoque nobilior quam Gensericus, qui Gundegisclo quidem rege, sed matre serva spurius natus est.

4. *Avus hujus Vallia*] Valliæ regis de Vandalis Alanisque ad Tartessum & Calpen victoriæ ab Idacio & Isidoro repetendæ sunt. Narrant enim Valliam sub annum Christi CDXVIII. Vandalos Silingos in Bætica delevisse: Alanos vero sic attrivisse, ut cum Vandalis qui in Gallæcia Gunderico regi parebant, unum postea in regnum coaluerint. Nec dubium quin de his bellis loquatur Sidonius.

5. *Agrigentini recolit dispendia campi*] Cladis Siculæ, qua Gensericus ipse a Ricimere in Agrigentino litore profligatus, illum Valliæ Vandalorum quondam victoris nepotem esse sensit, Avito ut reor imperante. Missum enim ab Avito adversus Vandalos cum exercitu Ricimere, auctor est Priscus in excerptis legationum. Cæsam etiam Ricimeris comitis circumventione Vandalorum multitudinem, quæ Carthagine cum LX. navibus solverat, inter Aviti res gestas adnotat Idacius.

Nostra Syracusios prefferunt arma penates:
Nec tu [1] cui currum Curii superare, Metelle,
Contigit, ostentans nobis elephanta frequentem,
Grex niger albentes tegeret cum mole jugales,
Auctoremque suum celaret pompa triumphi.
[2] Noricus Ostrogothum quod continet, iste timetur:
Gallia quod Rheni Martem ligat, iste pavori est.
Quod [3] consanguineo me Vandalus hostis Alano
Diripuit radente, suis hic ultus ab armis.
Sed tamen unus homo est, nec tanta pericula solus
Tollere, sed differre potest: modo principe nobis
Est opus armato, veterum qui more parentum,
Non mandet, sed bella gerat: quem signa moventem
Terra vel unda tremant, ut tandem jure recepto,
Romula desuetas moderentur classica classes.
Audiit illa pater, simul annuit: itur in urbem
Continuo: videt ipse deam, summissus adorat,
Pectus & exsertem tetigerunt cornua mammam.
Mandatas fert inde preces, quas diva secuta
Apparat ire viam: laxatos torva capillos
Stringit, & inclusæ latuerunt casside turres.
Infula laurus erat: bullis hostilibus asper
Applicat a læva surgentem balteus ensem.
Inseritur clypeo victrix manus: illius orbem
Martigenæ, lupa, Tibris, amor, Mars, Ilia, complent.
Fibula mordaci refugas a pectore vestes
Dente capit: micat hasta minax, quercusque tropæis
Curva tremit, placidoque deam sub fasce fatigat.
[4] Perpetuo stat planta solo, sed fascia primos
Sistitur ad digitos, retinacula bina cothurnis
Mittit in adversum vincto de fornice pollex,
Quæ stringant crepidas, & concurrentibus ansis
Vinclorum, pandas texant per crura catenas.
Ergo sicut erat liquidam transvecta per æthram,
Nascentis petiit tepidos Hyperionis ortus.
Est locus oceani, longinquis proximus Indis,
Axe sub Eoo, Nabathæum tensus in Eurum,
Ver ubi continuum est: interpellata nec ullis
Frigoribus pallescit humus: sed flore perenni
Picta peregrinos ignorant arva rigores.
Halant rura rosis, indescriptosque per agros
Fragrat odor: violam, cytisum, serpylla, ligustrum,
Lilia, narcissos, casiam, colocasia, calthas,
Costum, malobatrum, myrrhas, opobalsama, tura,
Parturiunt campi: nec non pulsante senecta,
Hinc rediviva petit vicinus cinnama phœnix.
Heic domus auroræ rutilo crustante metallo,
Baccarum præfert læves asprata lapillos.
Diripiunt diversa oculos, & ab arte magistra,
Hoc vincit quodcumque vides: sed conditur omnis
Sub domina præsente decor, nimioque rubore
Gemmarum varios perdit, quia possidet, ignes.
Fundebat coma pexa crocos, flexoque lacerto
Lutea depressus comebat tempora pecten.
Fundebant oculi radios, color igneus illis,

1. *Cui currum Curii*] Quidam *Curium curru*: quod eamdem habet sententiam. Primus elephantos de Pyrrho triumphans duxerat Curius Dentatus anno v. c. CDLXXVII. sed paucos, quatuor dumtaxat, ut docet Eutropius. At L. Metellus in triumpho, quem de victis in Sicilia Pœnis egit anno v. c. DIII. centum duxit & viginti, Livio auctore, ut est in Epitome XIX. & Seneca de brevitate vitæ cap. XIV. *Idem*, inquit, *narrabat Metellum victis in Sicilia Pœnis triumphantem unum omnium Romanorum ante currum C. & XX. captivos elephantos duxisse*. Vicit ergo Curii currum Metellus: nec Curii modo, sed aliorum, quotquot postea triumpharunt.

2. *Noricus Ostrogothum*] Barbarorum terror est Ricimer. Quod enim Ostrogothi per Noricos in Italiam, Franci, aliæque gentes Germanicæ per Rhenum in Gallias non irrumpunt, ejus metu continentur.

3. *Consanguineo Alano*] Alanos unam in gentem cum Vandalis in Hispania coaluisse jam dictum est. Quare una in Africam trajecerunt; quod notat Possidius in vita S. Augustini: & Gensericus, ac posteri, Vandalorum simul Alanorumque reges appellati: ut apud Victorem Uticensem, in præcepto Hunerici ad episcopos orthodoxos, cujus hæc est inscriptio: *Rex Hunericus Vandalorum & Alanorum universis episcopis homousianis*: itemque in edicto quod legitur lib. III. Inde ergo videre est, cur consanguineos & juncti Martis Alanos cum Vandalis, Romanæque di[…]ptionis socios dicat.

4. *Perpetuo stat planta solo*] Solea. Genus id cothurnorum describit, quod in antiquis statuis videre est: in quo, ut Gellii verbis utar, plantarum calces tantum infime teguntur, cetera nuda, & teretibus habenis vincta sunt. Solum ergo pro solea posuit, ut Plautus, Martialis, aliique. Fornicem vero, pro parte devexa, & cavo pedis opposita, quam lib. VIII. epist. XI. cameram dixit, fasceata pariter calceamenta describens, in quibus *vinculorum concurrentibus ansulis, reflexa Ad crus per cameram catena surgit*. Sunt tamen codices, qui non *fornice*, sed *fomite* legant.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.

Non tamen ardor erat: quamvis de nocte recussa
Excepti soleant sudorem fingere rores.
Pectora bis cingunt zonæ, parvisque papillis
Invidiam facit ipse sinus: pars extima pepli
Perfert puniceas ad crura rubentia rugas.
Sic regina sedet solio: sceptri vice [1] dextram
Lampadis hasta replet: nox adstat proxima divæ,
Jam refugos conversa pedes, ac pone tribunal
Promit lux summum vix intellecta cacumen.
Hinc Romam liquido venientem tramite cernens,
Exsiluit propere, & blandis prior orsa loquelis.
Quid caput o mundi, dixit, mea regna revisis:
Quidve jubes? Paullum illa silens, atque aspera miscens
Mitibus, hæc cœpit: Venio (desiste moveri,
Nec multum trepida) non ut mihi pressus Araxes
Imposito sub ponte fluat, nec ut ordine prisco
Indicus Ausonia potetur casside Ganges:
Aut ut tigriferi pharetrata per arva Niphatis
Depopuletur ovans Artaxata Caspia consul.
[2] Non Pori modo regna precor, nec ut hisce lacertis
Frangat Hydaspeas aries impactus Erythras.
Non in Bactra feror, nec committentia pugnas
Arsacias non quæro domus, nec tessera castris
In Ctesiphonta datur: totum hunc tibi cessimus axem;
Et nec sic mereor nostram ut tueare senectam?
Omne quod Euphratem Tigrimque interjacet, olim
Sola tenes: res emta mihi est de sanguine Crassi;
Ad Carras pretium scripsi, nec inulta remansi,
Aut periit sic emtus ager: si fallo, probasti
[3] Ventidio mactate Sapor: nec sufficit istud:
Armenias Pontumque dedi, quo Marte petitum,
Dicat Sylla tibi: forsan non creditur uni:
Consule Lucullum. Taceo jam Cycladas omnes,
Adquisita meo servit tibi Creta Metello.
Transscripsi Cilicas: hos Magnus fuderat olim.
Adjeci Syriæ, quos nunc moderaris, Isauros:
Hos quoque sub nostris domuit Servilius armis.
Concessi Ætolos veteres, Acheloiaque arva,
Transfudi Attalicum male credula testamentum.
Epirum retines: tu scis qui debeat illam
Pyrrhus: in Illyricum specto te mittere jura,
Ac Macetum terras: & habes tu, Paulle, nepotes.
Ægypti frumenta dedi: mihi vicerat olim
Leucadiis Agrippa fretis. Judæa tenetur
Sub ditione tua, tamquam tu miseris illuc
Insignem cum patre Titum. Tibi Cypria merces
Fertur: pugnaces ego pauper laudo Catones,
Dorica te tellus, & Achaica jura tremiscunt,
Tendis & in bimarem felicia regna Corinthum:
Dic: Byzantinus quis rem tibi Mummius egit?
[4] Sed si forte placet veteres sopire querelas,

1. *Dextram lampadis hasta replet*] Auroræ facem sceptri vice tribuit: quod ex vetere consuetudine ductum est. Nam cum face pingebatur: unde λαμπαδηφόρ@ quoque appellata, eoque habitu passim cernitur in antiquis monumentis. Ovidius v. Fastorum:

Posteram cum roseam pulsis Hyperionis astris
In matutinis lampada tollet equis.

Et Sidonius ipse carmine IX. Indos dixit

Auroræ face civica perustos.

2. *Non Pori modo regna precor*] Sic legendum censui non *Pharii*, ut in vulgatis. Regnum Pori ultra Hydaspem erat: in cujus ripa, ut Curtius lib. VIII. narrat, victus est prohibere transitu frustra conatus Alexandrum. Verum Erythras Jonicas, Bœoticas, Aetolicas legimus: Hydaspæas, hoc est Indicas, nusquam. Erithræos enim Bacchi triumphos Martialis, Erythræas gemmas & smaragdos Claudianus & alia alii, non ab urbe aliqua, sed ab Erythræo mari, quod Indiam alluit, nuncuparunt. At Sidonius urbis nomen esse existimavit, easque Hydaspæas, sagittiferas, tepidas Erythras appellare solet, ut a ceteris distinguat.

3. *Ventidio mactate Sapor*] Ita libri omnes. Atqui Parthorum regi quem occidit Ventidius, non Sapori, sed Pacoro nomen fuit. Sed Sapor Sidonio dici potuit quivis rex Parthorum, ut Arsaces. Ita enim in panegyrico Aviti legitur in optimis mss. *Parthicus ultro restituit mea signa Sapor*, cum restituerit Phraates. Pacorus Orodis filius illo ipso die, quo ante annos xv. Crassum ad Carras per Surenam occiderat, a Ventidio ipse cæsus est. Quare Crassianam cædem Pacori cæde pensatam ait Florus lib. IV. IX

4. *Sed si forte placet*] Pro tot, inquit, Romani juris provinciis, quas imperio Constantinopolitano transscripsi, principem mihi Anthemium concede: Euphemiam filiam, ejus uxorem Augustam videat divus Martianus: adde & Ricimeris nuptias cum filia Anthemii. Quæ omnia ex aliis Sidonii locis nota, præter nomen Euphemiæ, quod huic uni loco debemus. De hac tamen Hub. Goltzius antiqui nummi profert inscriptionem, in qua Fl. Marciana Augusta vocitatur: quod si verum est, Fl. Euphemiam Marcianam appellatam oportuit. Ceterum ex Anthemio & Euphemia nati sunt, præter incerti nominis filiam quæ Ricimeri nupsit, tres filii, Marcianus, Romulus & Procopius, de quibus multa Theodorus Lector in Collectaneis, Malchus Sophista in Byzantiacis & Candidus Isaurus lib. II. Historiæ.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
472.



Anthemium concede mihi: fit partibus iſtis
Auguſtus, longumque Leo: mea jura gubernet
Quem petii: patrio veſtiri murice natam
Gaudeat Euphemiam ſidus divale parentis.
Adjice præterea privatum ad publica fœdus,
Sit ſocer Auguſtus genero Ricimere beatus:
Nobilitate micant: eſt vobis regia virgo,
Regius ille mihi: ſi concors annuis iſtud,
Mox Libyam ſperare dabis: circumſpice tædas
Antiquas: par nulla tibi ſic copula præſto eſt.
Proferat heic veterum thalamos diſcrimine partos
Græcia, ni pudor eſt: reparatis Piſa quadrigis
Suſcitet Oenomaum, natæ quem fraude cadentem
Cerea deſtituit reſolutis axibus obex.
Procedat Colchis prius agnita virgo marito
Crimine, quam ſexu: ſpectet de carcere circi
Pallentes Atalanta procos, & poma decori
Hippomenis jam non pro ſolo colligat auro.
Dejanira tuas Acheloiis gymnade pinguis
Illuſtret tædas, & ab Hercule preſſus anhelo
Laſſatum foveat rivis rivalibus hoſtem.
Quantumvis repetam veteris connubia ſæcli,
Tranſſcendunt hic heroas, heroidas illa.
Hos thalamos, Ricimer, virtus tibi pronuba poſcit,
Atque Dionæam dat Martia laurea myrtum.
Ergo age: trade virum non otia pigra foventem,
Deliciiſque gravem: ſed [1] quem modo nauticus urit
Æſtus, Abydenique ſinus, & Seſtias ora
Helleſpontiacis circumclamata procellis:
Quas pelagi fauces non ſic tenuiſſe vel illum
Crediderim, cui ruptus Athos, cui remige Medo
Turgida ſilvoſam currebant vela per Alpem.
Nec Lucullanis ſi hæc freta cincta carinis,
Segnis ad inſignem ſedit cum Cyzicon hoſtis;
Qui cogente fame, cognata cadavera mandens,
Vixit morte ſua. Sed quid mea vota retardo?
Trade magis. Tum pauca refert Titonia conjunx:
  Duc, age, ſancta parens, quamquam mihi maximus uſus
Invicti ſummique ducis, dum mitior exſtes,
Et non disjunctas melius moderemur habenas.
Nam ſi forte placet veterum meminiſſe laborum,
Et qui pro patria veſtri pugnaret Iulii,
Ut nil plus dicam, prior hinc ego Memnona miſi.
  Finierant: geminas junxit concordia partes,
Electo tandem potitur quod principe Roma.
  [2] Nunc aliquos voto ſimili vel amore, vetuſtas
Te legiſſe crepa, numquam non invidia ſummis
Emeritiſque viris. Brenni contra arma, Camillum
Profer ab exſilio: Cincinnatoque ſecures
Expulſo Cæſone refer, flentemque parentem
A raſtris ad roſtra roga: miſeroque tumultu
Pelle prius quos victa petas: ſi ruperit Alpes
Pœnus, ad afflictos condemnatoſque recurre.
Improbus ut rubeat Barchina clade Metaurus,
Multatus tibi conſul agat: qui millia fundens
Haſdrubalis, rutilum ſibi cum fabricaverit enſem,
Concretum gerat ipſe caput: longe altera noſtri
Gratia judicii eſt: ſcit ſe non læſus amari.
  At mea jam nimii propellunt carbaſa flatus.
Siſte, Camœna, modos tenues, portumque petenti
Jam placido ſedeat mihi carminis anchora fundo.
Attamen, o princeps, [3] quæ nunc tibi claſſis & arma

1. *Quem modo nauticus urit æſtus*] Significat Anthemium, quo tempore ad imperium accitus eſt, Helleſponticæ claſſi præfuiſſe, quam in ejus freti portubus habere ſolebant imperatores orientis. Erant enim & claſſes aliæ toto illo mari ad varios uſus diſperſæ, ut Carpathia, Seleucena, Alexandrina, quarum mentio in legibus Auguſtis.

2. *Nunc aliquos voto ſimili*] Hoc nomine Anthemium opponit, & præfert aliquot Romanis ducibus antiquis, quod nulla prius, ut illi, læſus injuria ad imperium evectus ſit. Nam L. Cincinnatus in mærore ob Cæſonis filii exſilium verſabatur, quando ad dictaturam bellumque contra Æquos gerendum vocatus eſt. M. Camillus Ardeæ exſulabat ipſe, cum adverſus Brennum dictator II. creatus eſt. M. Livius Salinator (is enim eſt, qui conſul II. Haſdrubalem Pœnorum ducem ad Metaurum vicit & interfecit) ex priore conſulatu reus publico judicio damnatus, multatuſque fuerat. Quæ ſingula exponit Livius lib. III. v. & XXVII.

3. *Quæ nunc tibi claſſis*] Adverſus Vandalos: ut auxilio eſſet Baſiliſco, quem Leo cum ampliſſima claſſe in Africam miſerat contra Genſericum. Quin Anthemium hoc maxime conſilio imperatorem deſignatum, deſtina-

Sæcul. V.
circa
Ann. Chr.
472.



Tractentur, quam magna geras, quam tempore parvo,
Si mea vota Deus produxerit, ordine recto,
[1] Aut genero bis mox, aut te ter consule dicam.
Nam modo [2] nos jam festa vocant, & ad Ulpia poscunt
Te fora, donabis quos libertate Quirites,
Quorum gaudentes exceptant verbera malæ,
Perge, pater patriæ felix, atque omine fausto
Captivos vincture novos, absolve vetustos.

tumque Romam, auctor est Procopius in Vandalicis lib. I. ubi de hac Basilisci expeditione multa. De Anthemianæ vero successu Idacius noster his verbis: *Expeditio ad Africam adversus Vandalos ordinata metabularum commutatione & navigationis importunitate revocatur.*

1. *Aut genero bis mox*] Alterum consulatum optat Ricimeri, qui priorem jam gesserat anno CDLIX. tertium Anthemio, qui secundum tunc inibat.

2. *Nos jam festa vocant*] Solemnia publicæ manumissionis, quæ a consulibus magistratum ineuntibus celebrabantur: quam propterea solemnitatem consulatus appellat Honorius imp. L. XIII. Cod. Theod. de Infirmandis iis quæ sub tyrannis gesta sunt: & Cassiodorus in formula consulatus inter alia consulum munia recenset, *solvere famulos jugo servili*. Ut igitur Anthemium hoc loco Sidonius, sic Julianum Libanius, Mamertinum Marcellinus, Honorium atque Eutropium Claudianus, Heraclianum Honorius lege citata, initio consulatus servos manumisisse testantur. Marcellinus lib. XXII. *Mamertino consule Kalendis Januariis ludos edente, manumittendis ex more inductis per admissionum proximum.* Claudianus in Eutropium 1.

—— —— —— libertatemque daturus,
Quam nondum meruit, scandit sublime tribunal.

PANEGYRICI [1] EDITIO AD PETRUM.

CARMEN III.

Quid faceret lætas segetes, quod tempus amandum
Messibus, & gregibus, vitibus, atque apibus,
Ad Mæcenatis quondam sunt edita nomen:
Hinc, Maro, post audes arma virumque loqui.
At mihi Petrus erit Mæcenas temporis hujus,
Nam famæ pelagus sidere curro suo.
Si probat, emittit: si damnat, carmina celat,
Nec nos rhonchisono rhinocerote notat.
I liber, hic nostrum tutatur, crede, pudorem.
Hoc censore etiam displicuisse placet.

1. *Editio ad Petrum*] Carmen hoc male hactenus Anthemii panegyrico adnectabatur, quasi ad illum pertineret; cum pertineat ad panegyricum Majoriani, cujus magistro epistolarum Petro ejus editionem nuncupat. Quare illi præmittitur, sicut carmen ad Priscum Valerianum in antiquis libris præponitur panegyrico Aviti, cujus est editio. Panegyricus Anthemii editionis epigrammate caret, sicut omnes Claudiani.

PRÆFATIO PANEGYRICI

dicti [1] MAJORIANO Aug.

CARMEN IV.

Tityrus ut quondam patulæ sub tegmine fagi
Volveret inflatos murmura per calamos,
Præstitit afflicto jus vitæ Cæsar & agri,
Nec stetit ad tenuem celsior ira reum:
Sed rus concessum dum largo in principe laudat,
Cælum pro terris rustica musa dedit.
Nec fuit inferius Phœbeja dona referre:
Fecerat hic dominum, fecit & ille deum:
Et tibi, Flacce, acies Bruti Cassique sequuto,
Carminis est auctor, qui fuit & veniæ.
Sic mihi diverso nuper sub Marte cadenti,
Jussisti placido victor ut essem animo,
Serviat ergo tibi servati lingua poetæ,
Atque meæ vitæ laus tua sit pretium.
Non ego mordaci fodiam modo dente Maronem,
Nec civem carpam, terra Sabella, tuum.
Res minor ingenio nobis, sed Cæsare major:
Vincant eloquio, dummodo nos domino.

1. *Majoriano Aug.*] Avito Aug. post aliquot mensium interregnum successit Majorianus, anno Christi CDLVII. Proximo dehinc anno consulatum de more gessit, Alpibusque aspera hieme cum ingenti exercitu superatis, Lugdunum venit, quam urbem paullo ante in potestatem suam receperat. Adventantem Sidonius hoc panegyrico excepit, cum veniam ab eo, ut est in præfatione, hostilis societatis jam impetrasset. Hoc igitur est discrimen hujus panegyrici & reliquorum, quod alii duo Kalendis Januariis ad celebranda consulatus auspicia dicti: hic vero alia occasione, & sub anni finem: cum adhuc tamen consul esset Majorianus: ut excusari nequeat Carolus Sigonius, qui biennio post dictum scripsit ad annum CDLX. Nam clare Sidonius:

Imperium, ait, *jam consul habet*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.

PANEGYRICUS
JULIO VALERIO MAJORIANO
Augusto dictus.

CARMEN V.

Concipe præteritos, respublica, mente triumphos:
Imperium jam consul habet, quem purpura non plus
Quam lorica operit, cujus diademata frontem
Non luxu sed lege tegunt, meritisque laborum
Post palmam palmata venit: decora omnia regni
Accumulant fasces, & [1] princeps consule crescit.
Personat ergo tuum cælo, rure, urbibus, undis,
Exsultans Europa sophos, quod rector haberis,
Victor qui fueras: fateor, trepidaverat orbis,
Dum non vis vicisse tibi, nimioque pudore
Quod regnum mereare doles, tristique repulsa
Non moderanda subis, quæ defendenda putasti.
[2] Sederat exserto bellatrix pectore Roma
Cristatum turrita caput, cui pone capaci
Casside prolapsus perfundit terga capillus.
Lætitiam censura manet, terrorque pudore
Crescit, & invita superat virtute venustas.
Ostricolor pepli textus, quem fibula torto
Mordax dente vorat: tunc quidquid mamma refundit
Tegminis, hoc patulo concludit gemma recessu.
Hinc fulcit rutilus spatioso circite lævum
Umbo latus: videas heic crasso fusa metallo
Antra Rheæ, fetamque lupam, quam fauce retecta
Blandiri quoque terror erat, quamquam illa vorare
Martigenas & picta timet: pars proxima Tibrim
Exprimit: hic scabri fusus sub pumice tophi,
Proflabat madidum per guttura glauca soporem.
Pectus palla tegit, quam neverat Ilia conjunx,
Liquenti quæ juncta toro vult murmura lymphis
Tollere, & undosi somnum servare mariti.
Ista micant clypeo: cuspis trabe surgit eburna,
Ebria cæde virum: propter Berlona tropæum
Exstruit, & quercum captivo pondere curvat.
Consurgit solium saxis, quæ cæsa rubenti
Æthiopum de monte cadunt, ubi sole propinquo
Nativa exustas afflavit purpura rupes.
Jungitur heic Sinnas, Numadum lapis additur isthic
Antiquum mentitus ebur: post caute Laconum
Marmoris herbosi radians interviret ordo.
Ergo ut se mediam solio dedit, advolat omnis
Terra simul: tum quæque suos provincia fructus
Exposuit: fert Indus ebur, Chaldæus amomum,
Assyrius gemmas, Ser vellera, tura Sabæus,
Atthis mel, Phœnix palmas, Lacedæmon olivum,
[3] Arcas equos, Epirus equas, pecuaria Gallus,
Arma Chalybs, frumenta Libys, Campanus Iacchum,
Aurum Lydus, Arabs guttam, Panchaia myrrham,

1. *Princeps consule crescit*] In panegyrico Aviti:
— emerita trabeis diademata crescunt.
Imperatores enim, cum ceteras dignitates infra se ducerent, consulatus tamen infulas non solum fortunæ suæ congruere, sed nomini quoque Augusto, ut Valentinianus in Novella ad Sporatium loquitur, decus addere existimarunt. Ideo hunc solum ex omnibus adsumebant. Claudianus in Eutropium I.
— — hunc accipit unum
Aula magistratum: vobis patribusque recurrit
Hic alternus honos.
Libanius rhetor in Julianum: *μόνη γὰρ ἥδε τιμῶν καὶ βασιλείας ἥρμοσε τύχῃ.* Julianus ipse in encomio Eusebiæ Augustæ. *ὅτε ἰδιώτης, ὅτε βασιλεὺς ἐστιν ὁ γήμας, ὃν οὐ ξυλλεκτὸν ἐνόμιζεν ὕπατος ὀνομασθῆναι.* Claudianus idem in Stiliconem II.
— — titulum ne levem parvique decoris
Credimus, Augusti quo se decorare fatentur?

2. *Sederat exserto*] Romæ prosopographia, elegans in primis, & quæ Claudianæ in consulatu Olybrii & Probini, ad cujus exemplum efficta videtur, parum debeat. Porro panegyrici hujus partes præcipuæ sunt duæ, quarum altera fere occupat Africæ oratio Romam exorantis, ut Majorianus adversus Gensericum ultor veniat: alteram poeta ipse suapte ex persona loquens. In illa Majoriani laudes ex iis ducit quæ imperium antecesserunt: in hac reliqua persequitur ad adventum usque Lugdunensem.

3. *Arcas equos*] Vulgati *Argos*: sed veterum librorum consensus Sidonium *Arcas* scripsisse persuadet. Alioqui laudantur etiam equi Argolici, ut Arcadici. Strabo lib. VIII. *ἔστι δὲ καὶ τὸ γένος αὐτ ἵππων κράτιστον τὸ Ἀρκαδικόν, καθάπερ καὶ τὸ Ἀργολικόν.* Et Homero *Ἄργος ἱππόβοτον* dicitur, *ἵππιον Ἄργος* Euripidi, *aptum equis Argos* Horatio.

Sæcul. V.
circa
Ann. Chr.
472.



Pontus castorea, blattam Tyrus, æra Corinthus.
Sardinia argentum, naves Hispania defert,
[1] Fulminis & lapidem: scopulos jaculabile fulgur
Fucat, & accensam silicem fecunda maritat
Ira deum: quoties cælum se commovet illic,
Plus ibi terra valet. [2] Subito flens Africa nigras
Procubuit lacerata genas, & cernua frontem
Jam male fecundas in vertice fregit aristas,
Et sic orsa loqui est: Venio pars tertia mundi,
Infelix felice uno: famula satus olim
Hic prædo, & dominis exstinctis, barbara dudum
Sceptra tenet tellure mea, penitusque fugata
Nobilitate furens, quod non est, non amat hospes.
O Latii sopite vigor tua mœnia ridet
Insidiis cessisse suis: non concutis hastam?
Non pro me vel capta doles? tua nempe putantur
Surgere fata malis, & celsior esse ruina.
Sed melius, quo terror abit: jam vincere restat
Si pugnas, ut victa soles. [3] Porsenna superbum
Tarquinium impingens, complevit milite Thusco
Janiculum quondam: sed dum perrumpere portas
Obsidione parat, totam te pertulit uno
Coclitis in clypeo; presserunt millia solum
Multa virum, pendente via; nec ponte soluto
Cum caderet, cecidit. Rex idem denique morte
Admonitus scribæ didicit sibi bella moveri,
Non solum cum bella forent: mox pace petita,
In regnum rediit, non tam feriente fugatus,
Quam flagrante viro: steterat nam corde gelato
Scævola, & apposito dextram damnaverat igni,
Plus felix peccante manu, cum forte satelles
Palleret, constante reo, tormentaque capti
Is fugeret, qui tortor erat. Brennum tremuisti
Post melior: quodcumque tuum est, quodcumque vocaris
Jam solus Tarpejus erat: sed reppulit unus
Tum quoque totam aciem, Senones dum garrulus anser
Nuntiat, & vigilat vestrum sine milite fatum.
Me quoque (da veniam, quod bellum gessimus olim,)
Post Trebiam, Cannasque, domas: Romanaque tecta
Hannibal ante meus, quam nostra Scipio vidit.
Quid merui? fatis cogor tibi bella movere,
Cum volo, cum nolo: trepidus te territat hostis,
Sed tutus claudente freto, velut hispidus alta
Sus prope tesqua jacet, claususque cacuminat albis
Os nigrum telis gravidum, circumlatrat ingens
Turba canum, si forte velit concurrere campo:
Ille per objectos vepres tumet, atque superbit,
Vi tenuis, fortisque loco, dum proximus Eia
Venator de colle sonet: vox nota magistri
Lassatam reparat rabiem: tum vulnera cæcus
Fastidit sentire furor. Quid prœlia differs?
Quid mare formidas, pro cujus sæpe triumphis
Et cælum pugnare solet? Quid quod tibi princeps
Est nunc eximius, quem præscia sæcula clamant
Venturum excidio Libyæ, qui tertius ex me
Accipiet nomen? debent hoc fata labori,
Majoriane, tuo: quem cur conscendere classem,
Ac portus intrare meos, urbemqne subire,
Si jubeas, cupiam, paucis ex ordine fabor.

1. *Fulminis & lapidem*] Ceraunium gemmam. Claudianus in laude Serenæ.

— — *Pyreneique sub antris*
Ignea fulmineis legere ceraunia Nymphæ.

Solinus Polyhistoris cap. XXXVI. & Isidorus Originum XVI. non in Pyrenei jugis, sed in Lusitania legi tradunt. Duo enim faciunt genera cerauniorum: unum quod Carmania mittit, crystallo simile, quod splendet tamen cæruleo, & sub dio positum splendorem rapit siderum: alterum e Lusitanis Hispaniæ litoribus, cui color est prope rubentis. Alludit Ruricius lib. II. ep. XIV. Ceraunia. *Ut possis*, inquit, *secundum nomen tuum cum illa beatorum turba vera splendere ceraunia, & vocabuli tui auctor exsistere.* Nomen inde, quod alibi, quam in locis κεραυνῷ, id est fulmine tactis, non inveniatur.

2. *Subito flens Africa*] Africæ icon & oratio, quæ non parum etiam habet e Claudiani Gildoniacis. Ibi queritur illa se a Gildone oppressam; heic a Genserico, qui Vandalis in Africa imperans, barbara, ut ait, sceptra tenebat; nobilibus honoratisque, quod Prosper & Victor observant, præcipue infestus. Romam etiam triennio ante hæc captam suis opibus spoliarat.

3. *Porsenna superbum*] Quod Porsennæ, Brenno, Hannibali quondam accidit, ut a Romanis post maximas clades terroresque profligarentur: idem nunc Genserico eventurum spondet, si Majorianus in eum arma convertat: quasi in fatis sit illum, quod ait, venturum excidio Libyæ, tertiumque ex ea post Scipiones cognomen relaturum.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
472.

Fertur Pannoniæ qua [1] Martia pollet Acincus,
Illyricum rexiſſe ſolum cum tractibus Iſtri
Hujus avus: nam Theudoſius quo tempore Sirmi
Auguſtum ſumſit nomen, per utramque magiſtrum
Militiam, ad partes regni venturus eoas,
Majorianum habuit. Latiis ſunt condita faſtis
Facta ducis: quoties Scythicis illata colonis
Claſſica presſerunt Hypanim, Peucemque rigentem
Monte ſalutatis irriſit lixa pruinis?
Hunc ſocerum pater hujus habet, vir clarus, & uno
Culmine militiæ ſemper contentus, ut unum
Caſibus in dubiis junctus ſequeretur amicum.
Non ſemel oblatis tentavit faſcibus illum
Aetio rapere aula ſuo: ſed perſtitit ille
Major honoratis: cœpit pretioſior eſſe,
Sic pretio non capta fides: erat ille quod olim
Quæſtor conſulibus, tractabat publica jure
Æra ſuo, tantumque modum ſervabat, ut illum
Narraret rumor jam rebus parcere nati.
Senſerat hoc ſed forte [2] Ducis jam livida conjunx;
Augeri famam pueri, ſuffuſaque bili,
Coxerat internum per barbara corda venenum.
Ilicet explorat cælum, totamque volutis
Percurrit matheſim numeris, interrogat umbras,
Fulmina rimatur, fibras videt, undique gaudens
Secretum rapuiſſe Deo: ſic torva Pelaſgum
Colchis in apluſtri ſteterat trepidante marito:
Abſyrtum ſparſura patri, * facturaque cæſi
Germani plus morte nefas, dum funere pugnat,
Et fratrem ſibi tela facit: vel cum obruit ignem
Taurorum, plus ipſa calens, texitque trementem
Frigida flamma virum, quem defendente veneno
Inter flagrantes perhibent alſiſſe juvencos.
Ergo animi dudum impatiens, poſtquam audiit iſti
Imperium & longum ſtatui, laniata lacertos
Ingreditur qua ſtrata viri, vocemque furentem
His rupit. Secure jaces oblite tuorum,
O piger, & mundo princeps (ſic ſæcula poſcunt)
Majorianus erit: clamant hoc ſidera ſignis,
Hoc homines votis: iſti quid ſidera quæro,
Fatum aliud cui fecit amor? nil fortius illo.
Et puer eſt cupidus numquam, ſed parcus habendi.
Pauper adhuc jam ſpargit opes, ingentia ſuadet
Conſilia, & ſequitur: totum quod cogitat, altum eſt.
Urget quod ſperat: ludum ſi forte retexam,
Conſumſit, quidquid jaculis feciſſe putaris,
Iſtius una dies: tribus hunc tremuere ſagittis
[3] Anguis, cervus, aper: [4] non ſic libravit in hoſtem

1. *Martia pollet Acincus*] Urbs eſt Pannoniæ II. in qua & Sirmium provinciæ caput. Acincus eadem, non *Acincibus* ſcribitur etiam apud Marcellinum, & in Itinerariis, atque in Notitia, in qua & Acincenſes milites ſub magiſtro equitum per Gallias. Jam hoc quoque certum eſt, Illyrici nomen poſterioribus ſæculis imperii, non unius in Hadriatici maris ora provinciæ finibus, ut olim, clauſum fuiſſe: ſed ad plurimas circumquaque provincias pertinuiſſe: quod magnum Illyricum eſt Auſonio epigrammate I. Feſti Rufi ævo XVII. provincias complectebatur; poſt etiam XIX. quarum aliæ poſt imperii diviſionem quæ in Notitia deſcribitur, hoc eſt poſt Arcadii & Honorii tempora, Illyrico occidentali attributæ ſunt, ut Noricum, Pannoniæ, Dalmatia: aliæ orientali, ut Mœſia ſuperior, Dacia, Macedonia, Epirus & aliæ, quas in eadem Notitia videre eſt. Non male ergo Sidonius Pannoniam in Illyrico locat. Sed Majoriani magiſtri militum poteſtas extra Illyrici etiam fines porrigebatur. Hypanis etenim fluvius Scythiæ, & Peuce inſula Iſtri oſtiis in Mœſia inferiore adjacens, ad Thraciæ diœceſeos provincias pertinent, non ad Illyricianas. Nondum videlicet magiſtri militum a Theodoſio diviſa fuerat poteſtas: qui primus, Zoſimo teſte, lib. IV. hanc ita diſtinxit, ut alius in Illyrico, alius in Thracia militum magiſter eſſet, cum unus antea omnibus præeſſet.

2. *Ducis jam livida conjunx*] Aetii uxor. Nec temere conficta, quæ de illius in Majorianum juvenem odio dicuntur, quaſi timeret ne is præterito filio principatum conſequeretur. Re vera enim Gaudentio filio imperium parabat Aetius.

3. *Anguis, cervus, aper*] Hæc iterum commemorat carmine XIII. exſtatque de eadem re vetus diſtichum lib. IV. epigrammatum, quod Pithœus Sidonii ipſius eſſe conjectabat:

Cervus, aper, coluber, non curſu, dente veneno
Vitarunt ictus, Majoriane, tuos.

4. *Non ſic libravit in hoſtem*] Alcon hic Cretenſis: de quo & Phalero filio Manilius V. Aſtronomicon, & Valerius Flaccus Argonauticon I. Nec minus eleganter Græcus poeta Anthologiæ lib. VI. XI.

Παῖδα πατὴρ Ἄλκων ὀλοῷ σφιγχθέντα δράκοντι
Ἀθρήσας, δειλῇ τόξον ἔκαμψε χερί.
Θηρὸς δ' οὐχ ἁμάμαρτε. διὰ στόματος γὰρ ὀϊστὸς
Ἤϊξεν τυτθοῦ βαιὸν ὕπερθε βρέφους.
Παυσάμενος δὲ φόνου, παρὰ δρυῒ τῇδε φαρέτρην
Σῆμα καὶ εὐτυχίης θῆκε, καὶ εὐστοχίης.

* — — *facturaque cæſi*, „ *Germani plus morte nefas*,] Barthius *Advers.* pag. 1626. ſic ſcribi vult: *Germani plus morte* (*nefas*) nam alioqui abſonum dictu eſſe, *plus nefas facere* pro *majus ſcelus perpetrare*. — BAUNIUS Sirmond. editor præfat. ad tom. I. §. XI.

Sæcul. V.
circa
Ann. Chr.
472.

Spicula, qui nato ferpentis corpore cincto,
Plus timuit, dum fuccurrit, dum jactibus iifdem
Interitum vitamque daret, ftabilemque teneret
Corde tremente manum, totamque exiret in artem
Spe propiore metus, dans inter membra duorum
Unius mortem: libeat decernere cæftu,
Ceffit Eryx Siculus, fimili nec floruit arte
Sparta, Therapnæa pugilem cum gymnade pinguem
[1] Stratus Bebryciis Amycus fufpexit arenis,
Qui vigor in pedibus? fruftra fibi natus Ophelte
Sicaniam tribuit palmam, plantafque fuperbas
Haud ita per ficcam Nemeen [2] citus extulit Arcas,
Cujus in Aetolo [3] volitantem pulvere matrem
Horruit Hippomenes, multo qui cæfpite circi
Contemtu præmiffus erat, cum carceris antro
Emicuit pernix populo trepidante virago,
Nil toto tactura gradu, cum pallidus ille
Refpiceret medium poft fe decrefcere campum,
Et longas ad figna vias, flatuque propinquo
Preffus in hoftili jam curreret anxius umora,
Donec ad anfractum metæ jam jamque relictus
Concita ter fparfo fregit veftigia pomo.
Qui videt hunc equitem, Ledæum fpernit alumnum,
Ac juvenem Stheneboea tuum, cui terga vetuftas
Pennati largitur equi, Lyciamque Chimæram
Quem fuperaffe refert, vulnus cum fuftulit unum
Tres animas: vitam tum fi tibi fata dediffent,
Majoriane ferox, vetuiffes Caftora frenos,
Pollucem cæftus, Alconem fpicula noffe,
Bellerophontæis infultaturus opimis.
Si clypeum capiat, vincit Telamone creatum,
Qui puppes inter Grajas, contra Hectoris ignem,
Ipfam etiam infidi claffem defendit Ulyxis.
Miffile fi quanto jaculetur pondere quæris,
Segnius infertæ trepidans pro fafce Camillæ
Excuffit telum Metabus, nec turbine tanto
Stridula Pelidæ per Troilon exiit ornus:
Nec fic heroum tardantem bufta Creontem
Atticus Aegides rupit Marathonide quercu:
Nec fic intortum violatæ Phœbados ultrix
In Danas fulmen jecit, cum Græcia Trojæ
Noctem habuit, fimilemqne facem, fixufque Capharei,
Cautibus inter aquas flammam ructabat Oileus.
  Parva loquor: quid quod quoties tibi bella geruntur,
Difcipulus non miles adeft? & fingit alumnum,
Æmulus e contra fpectat? quod viceris odit,
Et quos vincis amat: totus dormitat ad iftum
Magnus Alexander, patris quem gloria torfit.
Quid faciam infelix? nato quæ regna parabo,
Exclufa fceptris Geticis, refpublica fi me.
Præterit, & [4] parvus fuper hoc Gaudentius hujus
Calcatur fatis? iftum jam Gallia laudat,
Quodque per Europam eft: rigidis hunc abluit undis,
Rhenus, Arar, Rhodanus, Mofa, Matrona, Sequana, [5] Ledus,

1. *Stratus Bebryciis Amycus*] Contrario fenfu vulgati, *ftratum Amycum*. Amycus enim is eft, qui pugilis Therapnæi, feu Lacedæmonii Pollucis vires fufpexit, cum ab eo proftratus effet, qui ceteros vincere folebat.

2. *Citus extulit Arcas*] Parthenopæus Atalantæ de qua mox, filius ex Milalione. *Arcada Partheropæum* vocat etiam Statius, curfuque in Nemea filva victorem facit libro VI. Thebaidos: & Apollodorus lib. III. belli Thebani duces enumerans, Παρθενοπαῖος Μηλανίωνος Ἀρκάς. *Parthenopæus Milanionis filius, Arcas*. De quo iterum poft alia, ἐγέννησε δὲ ἐκ Μηλανίωνος Ἀταλάντη Παρθενοπαῖον, ὃς ἐπὶ Θήβας ἐστρατεύσατο. *Genuit ex Milanione Atalanta Parthenopæum, qui Thebanam expeditionem fecutus eft*.

3. *Velitantem matrem*] Atalantam. Antea *Martem* legebatur nullo fenfu. Itaque certa eft & neceffaria, licet unius tantum & alterius, nec optimorum codicum emendatio. Filii occafione matrem commemorat, ut & Statius eodem loco:

Nota parens curfu. quis Mænaliæ Atalantæ
Nefciat egregium decus, & veftigia cunctis
Indeprehenfa procis?

4. *Parvus Gaudentius*] Filiorum Aetii, quorum quidem memoria exftat, alter de avi materni nomine Carpilio appellatus eft. Aetii namque uxor incerti nominis, filia fuit Carpilonis ex comite domefticorum, ut auctor eft apud Gregorium Turon. Frigeridus. Sidonius Gothicam illi, regiique fanguinis ftirpem fuiffe fignificat: alioqui exclufam fe a fceptris Geticis non quereretur. Alter Gaudentius, de quo heic fermo, avo item fed paterno cognominis. Aetio enim pater fuit Gaudentius, comes & magifter equitum, quem Profper in Galliis a militibus occifum notat. Hunnicæ legationis qua functus eft Carpilio filius, teftis eft Prifcus in excerptis legationum, & Senator I. Variar IV. Gaudentium vero hunc urbe capta in Africam cum Valentiniani filiabus abductum a Genferico narrat Idacius.

5. *Ledus, Clitis, Elaris*] In hoc elencho fluviorum Galliæ, quos Majoriani expeditionibus luftratos ait, pauci funt qui non ftatim agnofcantur. Nam Elaris fine dubio nofter eft Elaver, Cæfaris commentariis notiffimus, qui per Arvernorum plana decurrens, collectis utrimque ali-

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.

Clitis, Elaris, Athax, Vachalis, Ligerimque bipenni
Excisum per frusta bibit: cum [1] bella timentes
Defendit Turonos, aberas: post tempore parvo
Pugnastis pariter, [2] Francus qua Clojo patentes
Atrebatum terras pervaserat: hic coeuntes
Claudebant angusta vias, arcuque subactum
Vicum Helenam, flumenque simul sub tramite longo
Artus suppositis trabibus transmiserat agger.
Illic te posito, pugnabat ponte sub ipso
Majorianus eques: fors ripæ colle propinquo,
Barbaricus resonabat hymen, Scythicisque choreis
Nubebat flavo similis nova nupta marito.
Hos ergo, ut perhibent, stravit: crepitabat ad ictus
Cassis, & oppositis hastarum verbera thorax
Arcebat squamis, donec conversa fugatus
Hostis terga dedit: plaustris rutilare videres
Barbarici vada festa tori, conjectaque passim
Fercula, captivasque dapes, cirroque madente
Ferre coronatos redolentia serta lebetas.
Ilicet increscit Mavors, thalamique refringit
Plus ardens Bellona faces: rapit esseda victor,
Nubentemque nurum, non sic Pholoetica monstra,
Atque Pelethronios Lapithas Semeleius Evan
Miscuit, Aemonias dum flammant orgia matres,
Et Venerem Martemque cient, ac prima cruentos
Consumunt ad bella cibos, Bacchoque rotato
Pocula tela putant, cum crudescente tumultu
Polluit Æmathium sanguis Centauricus Othrim.
Nec plus nubigenum celebrentur jurgia fratrum.
Hic quoque monstra domat, [3] rutili quibus arce cerebri
Ad frontem coma tracta jacet, nudataque cervix
Setarum per damna nitet, tum lumine glauco
Albet aquosa acies, ac vultibus undique rasis,
Pro barba tenues perarantur pectine cristæ.
Strictius assutæ vestes procera coercent
Membra virum: patet iis altato tegmine poples,
Latus & angustam suspendit balteus alvum.
Excussisse citas vastum per inane bipennes,
Et plagæ præscisse locum, clypeosque rotare
Ludus, & intortas præcedere saltibus hastas,
Inque hostem venisse prius: puerilibus annis
Est belli maturus amor: si forte premantur
Seu numero, seu sorte loci, mors obruit illos,
Non timor: invicti perstant, animoque supersunt
Jam prope post animam. Tales te teste fugavit,
Et laudante viros: quisnam ferat? omnia tecum,
Te sine multa facit: [4] pugnant pro principe multi,

quot amnibus, in Ligerim paullo infra Nivernum evolvitur. Ledus in Septimania e Cemmenis montibus per Volcas Arecomicos & Montem pessulum in mare Gallicum decurrit. De Cliti unica est controversia: in qua plerique Papyrio Massono assentiuntur, qui Clanum Pictonum esse docuit. Olitis certe Theodulfi Aurelianensis, de quo aliis placuit, in hunc locum, nisi luxato versu, recipi non potest.

1. *Bella timentes defendit Turonos*] Timebant, opinor, a vicinis Armoricis, qui ad libertatem jam dudum, ut ex Zosimi lib. VI. patet, adspirantes, aut Romanos armis appetebant ipsi, aut appetebantur: ut quo tempore bellum adversus illos, Aetio absente, Hunnis auxiliantibus gessit Litorius, ut est in panegyrico Aviti, sub annum, ut ostendemus, CDXXXVIII.

2. *Francus qua Cloio*] Ita liber unus: quod certe aptius videtur, quam quod in aliis: *Pugrastis pariter. Francis, qua Cloio*. Francicum autem hoc bellum, in quo ab Aetio & Majoriano cum Clodione rege pugnatum est, plerique omnes ad Felicem & Taurum consules, Christique annum CDXXVII. referri volunt: quod eo anno Prosper & Cassiodorus partem Galliarum propinquam Rheno quam Franci occuparant, Aetii comitis armis receptam tradant. Verum quei potuit Majorianus tunc adesse, & tam acriter dimicare, qui XXX. post annos in hoc suo consulatu juvenis erat? Deinde prior illa expeditio ad Rhenum, hæc nostra ad Atrebates & Helenam vicum, cujus nunc quoque in pago Atrebatensi ad Caucium amnem vestigia restant: nam Hedinum vetus vocant. Certius ergo, hæc gesta videri post annum Christi CDXLV. quo tempore narrant cum Gregorio & Sigeberto Annales nostri, Clodionem e Thoringorum finibus egressum, protritis Romanis qui cis Rhenum erant, in Carbonariam silvam venisse, Tornacum & Cameracum urbes, aliaque mox omnia ad Somonam usque fluvium occupasse. Constat enim urbes illas Atrebatum agris proximas esse. Quare cum in hos quoque postea pervaderent Franci, ab Aetio inhibitos, & hac quam Sidonius laudat victoria repressos conjicio.

3. *Rutili quibus arce cerebri*] Graphica veterum Francorum descriptio; qua non solum oris habitum, cultumque omnem persequitur, procera corpora, rutilos crines, cæsios oculos, pronas in frontem tonso occipiti comas, tenues raso vultu barbas, vestes strictas & singulos artus exprimentes, nudos poplites, latos baltheos: sed propria etiam eorum arma, pugnandique modum, & infractos bellis animos commemorat. Armorum genera Francis eadem tribuit Agathias lib. II. secures scilicet, & breves hastas, quas anconas vocabant. Dictæ & secures ipsæ ab eorum usu Franciscæ, ut notat Isidorus, & Gallici Annales in Clodovæi rebus ostendunt. Bellicam vero Francorum virtutem asserit & Julianus imp. qui bellicosissimos Germanorum Francos & Saxones facit in encomio Constantii, de Magnentio loquens, in cujus castris utrique militabant. *ἠκολούθουν δὲ αὐτῷ κατὰ τὸ ξυγγενὲς σύμμαχοι προθυμότατοι Φράγκοι καὶ Σάξονες, τῶν ὑπὲρ τὸν Ῥῆνον καὶ τὴν ἑσπερίαν θάλατταν ἐθνῶν τὰ μαχιμώτατα.*

4. *Pugnant pro principe cuncti*] Locus antea obscurus vitio interpunctionum. Pugnant, inquit, omnes pro principe: pro se jam pugnat Majorianus, utpote princeps futurus. Quod si princeps futurus est, jam illi serviunt omnes victoriæ tuæ.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
472.



Quam timeo ne jam iste sibi: si regna tenebit,
Huic vincis, quodcumque domas: nil fata relinquunt
Heic medium: percussor enim si respuis esse,
Servus eris: certe recto si tramite servat
Sidera Chaldæus: novit si gramina Colchus,
Fulgura si Thuscus, si Thessalus elicit umbras,
Si Lyciæ sortes sapiunt, si nostra volatu
Fata loquuntur aves, doctis balatibus Hammon
Si sanctum sub syrte gemit, si denique verum
Phœbe, Themis, Dodona canis, post tempora nostra
Julius hic Augustus erit. Conjunctus amore
Præterea est [1] juveni grandis quem spiritus armat
Regis avi: quo te vertas? ad culmina mundi
Hic fatum fert, ambo animum: consurge, simulque
Aggredere ignaros: neutrum mactare valebis,
Si jubeas utrumque mori: sed necte dolosas
Blanditias uni, ferro tamen iste petatur.
Quid loquor incassum? nihil est quod tanta cavemus,
Ut regnet, victurus erit. Commotus in iras
[2] Aetius, sic pauca refert: compesce furentis
Impia vota animi: mortem mandare valebo
Insontis, taceam nostri? quisquam ne precatur
Ut sine criminibus crimen fiat bene nasci?
Ad pœnam quis fata vocet? tua viscera ferro
Majoriane petam? Phœbus si nocte refulget,
Luna die, duplex ponto si plaustra novatur
Parrhasis, Atlantem Tanais, si Bagrada cernit
Caucason, Hercinii nemoris si stipite lintris
Texta Nabathæum pro Rheno sulcat Hidaspem,
Si bibit Hispanus Gangem, tepidisque ab Erythris
Ad Tartesiacum venit Indus aquator Iberum:
Si se Pollucis perfundit sanguine Castor:
Thesea Pirithoi, Pyladem si stravit Oreste
Vel furibunda manus, raperet cum Taurica sacra
Matricida pius. Sed ne sprevisse dolorem
Forte tuum videar, vivat, careatque parumper
Militia: heu nobis potuit, nisi triste putasses,
Fortunam debere suam. Sic fatur, & illum
Rure jubet patrio suetos mutare labores,
Fatorum currente rota, quo disceret agro
Quid possessorem maneat, quos denique mores
Jus civile paret, ne solam militis artem
Ferret ad imperium. Suspenderat ilicet arma
Emeritus juvenis, sterilis jejunia terræ
Vomere fecundans, sic quondam consule curvo
Vertebas campos, paullum si pace sequestra
Classica laxasses, fortis cui læva regebat
Stivam post aquilas, humili dum juncta camino
Victoris fumum biberet palmata bubulci.
[3] Principis interea gladio lacrymabile fatum
Clauserat Aetius: cujus quo tutius ille
Magna Palatinis conjungeret agmina turmis,
Evocat hunc precibus: sed non se pœna moratur
Sanguinis effusi: numerum collegerat ergo,
Non animum populi: ferri mala crimina ferro
Solvit, & in nostram plus concidit ille ruinam.
Jam tunc imperium præsentis principis aurea
Volvebant bona fata colu: sed publica damna
Invidiam fugere viri: quicumque fuerunt
Nomen in Augustum lecti, tenuere relictum
Cæsaribus solium: postquam tu capta laboras,
Hic quod habet fecit. Trajanum Nerva vocavit
Cum pignus jam victor erat: Germanicus esset
Ut titulis, meritis fuerat: res ordine currit,

1. *Juveni quem spiritus armat*] Ricimeri, Valliæ, ut in Anthemiano dictum est, regis Gothorum ex filia nepoti.

2. *Aetius, sic pauca refert*] Quem occidi suadebat uxor, satis habuit Aetius Majorianum militia privare, domumque remittere: unde in aulam postea, mortuo Aetio evocatus est a Valentiniano. Ita saluti illi fuit, quod ejus exitio parabatur.

3. *Principis interea gladio*] Cæsus est a Valentiniano Aetius anno CDLIV. sequenti anno Valentinianus ipse ab Aetii familiaribus. Jam tum ergo regnare, inquit, poterat Majorianus. Sed felicitatis fuit tantisper differri, ne illo regnante a Vandalis Roma caperetur. Fuit & gloriæ, imperium a Majoriano prius restitui, quam suscipi. Nam Cæsares plerique relictum sibi ab aliis solium occupant: hic novum quodammodo post varias clades fecit, ut olim Vespasianus.

Sæcul. V.
circa
Ann. Chr.
472.

Hanc ambit famam, quisquis sic incipit. Olim
Post Capreas Tiberi, post turpia numina Cai,
Censuram Claudi, citharam thalamosque Neronis,
Post speculi immanis pompam, quo se ille videbat
Hinc turpis, quod pulcher Otho, post quinta Viteli
Millia, famosi ventris damnata baratro:
His titulis princeps lectus, similique labori
Vespasianus erat. [1] Sed ne fortasse latronis
Me clausam virtute putes, consumsit in illo
Vim gentis, vitæ vitium; Scythicam feritatem
Non vires sed vota tenent, spoliisque potitus
Immensis, robur luxu jam perdidit omne,
Quo valuit dum pauper erat: mea viscera pro se
In me nunc armat: laceror tot capta per annos
Jure suo, virtute mea: fecundaque pœnis
Quos patiar pario: propriis nil conficit armis,
Gætulis, Numidis, Garamantibus, Autololisque,
[2] Arzuge, Marmarida, Psyllo, Nasamone timetur
Segnis, & ingenti ferrum jam nescit ab auro.
Ipsi autem color exsanguis, quem crapula vexat,
Et pallens pinguedo tenet, ganeaque perenni
Pressus acescentem stomachus non explicat auram.
Par est vita suis; non sic Barchæus opimam
Hannibal ad Capuam periit, cum fortia bello
Inter delicias mollirent corpora Bajæ,
Et se Lucrinas qua vergit Gaurus in undas,
Brachia Massylus jactaret nigra natator.
Atque ideo hunc dominum saltim post sæcula tanta
Ultorem mihi redde, precor, ne dimicet ultra
Carthago Italiam contra. Sic fata, dolore
Ingemuit, lacrymisque preces adjuvit obortis.
[3] His hæc Roma refert. Longas succinge querelas,
O devota mihi: vindex tibi nomine divum
Majorianus erit: sed paucis pauca retexam.
[4] Ex quo Theudosius communia jura fugato
Reddidit auctoris fratri, cui guttura fregit
Post in se vertenda manus, mea Gallia rerum
Ignoratur adhuc dominis, ignaraque servit.
Ex illo multum periit, quia principe clauso,
Quidquid erat miseri diversis partibus orbis,
Vastari solemne fuit: quæ vita placeret,
Cum rector moderandus erat? comtemta tot annos
Nobilitas jacuit: pretium respublica forti
Rettulit invidiam. Princeps hæc omnia noster
Corrigit, atque tuum, vires ex gentibus addens,
Ad bellum per bella venit: nam maximus isse est,
Non pugnasse labor: terimus cur tempora verbis?

1. *Sed ne forte latronis*] Genserici: quem amplius metuendum negat: ut qui luxu cum suis, tamquam Hannibal ad Capuam, jam fractus & enervatus, sola Afrorum militum virtute nitatur. Hoc enim est quod queritur Africa, in se armari viscera sua, se parere quos patiatur. Aliter aliis visum sentio, qui hæc ad Bonifacii proditionem referunt, & ad filios Genserici, quorum jugum aliquando passura sit. Sed de quibus loquatur, ostendit Libycarum gentium enumeratio quæ sequitur.

2. *Arzuge*] Arzugum regionem Orosius eamdem ait fuisse cum Tripoli provincia, in qua Leptis est magna: *quamvis*, inquit, *Arzuges per longum Africæ limitem generaliter dicantur*. Quod sane verius puto; cum Arzuges a Tripolitanis perpetuo distingui videam, ut in synodo Africana can. XVI. & XIX. & ab Augustino epist. XLVIII. qui interiores ad meridiem esse docet, hoc est, in limite ipso Africæ. Publicola Augustino epist CLIII. *In Arzugibus, ut audivi, decurioni qui limiti præest, vel tribuno solent jurare barbari, jurantes per dæmones suos, qui ad deducendas bastagas pacti fuerint*. In Aurelii vero episcopi Carthaginiensis epistola contra Cælestium & Pelagium Azuritana provincia legitur pro Arzugitana.

3. *His hæc Roma refert*] Africæ precibus Roma ita respondet, ut venturum ad ipsam liberandam Majorianum spondeat, sed visendam ei prius Galliam esse, quæ ab interitu Valentiniani junioris per annos LXVI. legitimum principem nullum viderat: ubi tacite Honorii, & Plac. Valentiniani socordiam insimulat, qui Ravennæ fere mœnibus inclusi, barbaris provincias lacerantibus omnia passum dederunt: cum alter ob inertiam, alter ob ætatem moderatoribus egerent.

4. *Ex quo Theudosius*] Ita superius, & Claudianus passim metri caussa: vetus Inscriptio Constantinopoli supra auream portam:

Hæc loca Theudosius decorat post fata tyranni.
Aurea secla gerit qui portam construit auro.

Theodosii auctor est Gratianus, a quo imperium acceperat: auctoris frater Valentinianus, cui gulam qui fregit Arbogastes, idem sibi postea, cum Eugenio tyranno victus a Theodosio, mortem conscivit, septimo fere post anno quam Valentinianus a Maximo fugatus imperio per Theodosium restitutus fuerat. Auctores ergo dicti, qui vel generis, vel opum & honoris parentes aliis fuissent. Sic Hadriani auctorem Trajanum appellat Spartianus. Juliani Constantium Senatus apud Marcellinum lib. XXI. per quos ad imperium evecti fuerant. Sidonius ipse Apollinarem avum auctorem suum vocat in epistola quæ ejus epitaphium continet. Panegyristes vetus in Genethliaco Maximiani. *Iisdemque, Maximiane, Hercules tuus auctor, cum inter homines esset, terras omnes & monstra pacavit*. Ita enim legi debet. Auctorem Maximiani Herculem facit, ut paullo ante Diocletiani Jovem, quod ab illis orti videri voluerint. Symmachus denique lib. X. epist. XXII. & LVII. cum Theodosii ejusdem auctorem commemorat, ejus patrem intelligit Theodosium comitem: quem Africanum & Britannicum ducem nominat, ob bellicas lauros quas ab utraque gente retulerat. Verum hic generis auctor Theodosio, imperii Gratianus.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 472.

Pervenit, & vincit. Tali sermone peractum
Concilium est, verbisque deæ famulante metallo,
Aurea concordes traxerunt fila sorores.
Hos me, quos cecini, Romæ Libyæque labores
Vota hominum docuere loqui: [1] jam tempus ad illa
Ferre pedem, quæ fanda mihi vel Apolline muto.
Pro Musis mars vester erit. Conscenderat Alpes,
Rætorumque jugo per longa silentia ductus,
Romano exierat populato trux Alamannus,
[2] Perque Cani quondam dictos de nomine campos,
In prædam centum novies dimiserat hostes:
Jamque magister eras, Burconem dirigis illo,
Exigua comitante manu: sed sufficit istud,
Cum pugnare jubes: certa est victoria nostris
Te mandasse acies: peragit fortuna triumphum,
Non populo, sed amore tuo: nolo agmina campo
Quod mittis paucos: felix te respicit iste
Eventus belli: certatum est jure magistri,
Augusti fato. [3] Nuper post hostis aperto
Errabat lentus pelago: simul ordine vobis
Ordo omnis regnum dederat, plebs, curia, miles,
Et collega simul. Campanam flantibus austris
Ingrediens terram, securum milite Mauro
Agricolam aggreditur: pinguis per transtra sedebat
Vandalus, opperiens prædam, quam jusserat illuc
Captivo capiente trahi: sed vestra repente
Inter utrumque hostem dederant se se agmina planis,
Quæ pelagus collemque secant, portumque reducto
Efficiunt flexu fluvii. Perterrita primum,
Montes turba petit, trabibus quæ clausa relictis
Prædæ præda fuit, tum concitus agmine toto
In pugnam pirata coit: pars lintre cavata
Jam dociles exponit equos, pars ferrea texta
Concolor induitur, teretes pars explicat arcus,
Spiculaque infusum ferro latura venenum,
Quæ feriant bis missa semel: [4] jam textilis anguis
Discurrit per utramque aciem, cui guttur adactis
Turgescit zephyris: patulo mentitur hiatu
Iratam pictura famem, pannoque furorem
Aura facit, quoties crassatur vertile tergum
Flatibus, & nimium jam non capit alvus inane.
At tuba terrisono strepuit grave rauca fragore,
Responsat clamor lituis, virtusque repente
Ignavis vel parva furit: cadit undique ferrum,
[5] Hinc tamen in jugulos. Hunc torta falarica jactu
Præterit, ad mortem vix cessatura secundam:
Hunc conti rotat ictus, equo ruit aclide fossus
Ille, veruque alius: jacet hic simul alite telo,
Absentem passus dextram; pars poplite secto
Mortis ad invidiam vivit: partemque cerebri
Hic galeæ cum parte rapit, fortique lacerto
Difficit ancipiti miserabile sinciput ense.
Ut primum versis dat tergum Vandalus armis,
Succedit cædes pugnæ discrimine nullo.

1. *Jam tempus ad illa*] Hæc pars altera panegyrici, in qua redit ad partes suas poeta, & reliqua Majoriani gesta, postquam emersit ex privata fortuna, exsequitur: ac primum duplicem ejus victoriam: unam de Alamannis, qui per Alpes Rætias delapsi nongentos e suis ad prædam immiserant. Hos Majorianus nondum imperator, sed jam magister militum, directo in eos Burcone profligavit. Res itaque peracta mense Martio anni CDLVII. Nam ex incerti chronici auctore patet, Constantino & Rufo coss. pridie Kalendas Martias magistrum militum factum fuisse: purpuram deinde Kalendis Aprilibus suscepisse.

2. *Perque Cani campos*] Campi Canini in ea Rætiæ ora fuerunt, quæ Liguriæ contermina est. Situm docet item Marcellinus lib. XV. *Ad quem procinctum imperator egressus, in Rætias camposque venit Caninos.* Et ne ambigi queat, indicio est Bilitio, vetus castrum in his campis positum, hodieque non obscurum. Gregorius X. Histor. III. *Olo dux ad Bilitionem castrum in campis situm Caninis importune accedens, jaculo sauciatus cecidit & mortuus est.*

3. *Nuper post hostis*] Altera Majoriani palma de Vandalis Maurisque, quos ex Africa in Campaniam advectos Majorianus jam imperator, non solum præda quam collegerant spoliavit, sed gravi attritos clade in fugam egit. Pugnæ locum ita designat, ut perspicue Sinuessani tractus planities indicari videatur, quæ a Lyris ostiis ad Vulturnum porrecta, hinc mari, illinc Massici montis jugo clauditur. Mauros ergo, quia a Vandalis subacti fuerant, captivos vocat, & prædam quæ per illos agebatur, captivo capiente capi argute dixit, ac paullo post, prædæ prædam fuisse, cum Mauri a Majoriani copiis fugati & navium aditu exclusi, a Campanis ipsis quos ceperant capti sunt.

4. *Jam textilis anguis*] Gregorius Nazianzenus orat. I. in Julianum. *ὅσα τε συνδήματα δρακόντων φοβεροῖς χάσμασιν ἐμπνεόμενα ἐπ' ἄκρων δοράτων αἰωρουμένοις· καὶ διὰ τῶν ὁλκῶν ῥιπιζόμενα φολίσιν ὑφανταῖς κατάστικτον, ἥδιστόν τε ὁμοῦ καὶ φρικτὸν θέαμα προσπίπτει ταῖς ὄψεσι.*

5. *Hinc tamen in jugulos*] A parte Majoriani. Utrimque, ait, tela jaciebantur, sed quæ ab hac parte, jugulos petebant, & letales ictus infligebant, non item quæ a Vandalis.

Sternuntur passim campis, & fortia quæque
Fecit iners trepidante fuga: mare pallidus intrat,
Et naves pertransit eques, turpique natatu
De pelago ad cymbam rediit. Sic tertia Pyrrhi
Quondam pugna fuit, cæsis cum millibus illum
Dentatus premeret: laceræ vix fragmina classis
Traxit in Epirum, qui Chaonas atque Molossos,
Qui Thracum, Macetumque manus per litora nostra
Sparserat, & cujus vires Œnotria pallens,
Ipsaque, quæ petiit, trepidaverat uncta Tarentus.
Hostibus expulsis, campum qui maximus exstat
Jam lustrare vacat: videas heic strage sub illa,
Utrorumque animos: nullus non pectore cæsus,
Quisquis vester erat: nullus non terga foratus,
Illorum quisquis: clamant hoc vulnera primi
[1] Prædonum tum forte ducis, cui regis avari
Narratur nupsisse soror, qui pulvere cæco
Clausus, & elisus pilis, vestigia turpis
Gestat adhuc probrosa fugæ: sic agmina vestra
Cum spoliis campum retinent, & Marte fruuntur.
[2] Interea duplici texis dum litore classem
Inferno superoque mari, cadit omnis in æquor
Silva tibi, nimiumque diu per utrumque recisus
Apennine latus, navalique arbore dives,
Non minus in pelagus nemorum, quam mittis aquarum,
Gallia continuis quamquam sit lassa tributis,
Hoc censu placuisse cupit, nec pondera sentit,
Quæ prodesse probat: non tantis major Atrides
Carpathium texit ratibus, cum Doricus hostis
Sigæas rapturus opes, Rhœteia clausit
Pergama: nec tantæ Seston juncturus Abydo
Xerxes classis erat, tumidas cum sterneret undas,
Et pontum sub ponte daret, cum stagna superbo
Irrupit temerata gradu, turmæque frequentes
Hellespontiaco persultavere profundo.
Nec sic Leucadio classis Mareotica portu
Actiacas abscondit aquas, in bella mariti
Dum venit a Phario dotalis turba Canopo:
Cum patrio Cleopatra ferox circumdata sistro,
Milite vel piceo fulvas onerata carinas,
Dorida diffusam premeret Ptolemeide gaza.
Hoc tu non cultu pugnas, sed more priorum,
Dite magis ferro, merito cui subjacet aurum
Divitis ignavi: tales ne sperne rebelles,
Et si non acies, decorant tamen ista triumphos.
Nec me Lagæam stirpem memorasse pigebit
Hostis ad exemplum vestri: namque auguror [3] iisdem
Regnis fortunam similem, cum luxus in illa
Parte sit æqualis, nec pejor Cæsar in ista.
[4] Hlicet aggrederis, quod nullus tempore nostro
Augustus potuit: rigidum septemplicis Istri
Agmen in arma rapis: nam quidquid languidus axis
Cardine Sithonio sub Parrhase parturit ursa,
Hoc totum tua signa pavet. Bastarna, Suevus,

1. *Prædonum tum forte ducis*] Sersaonis, ut conjecit Savaro, ex Victore Uticensi, qui eum Genserici regis cognatum vocat.

2. *Interea duplici texis*] De classico in Africam Majoriani apparatu, quem Sidonius sic extollit, ut eum Agamemnonis, Xerxis, Antonii & Cleopatræ navalibus copiis conferre non dubitet, scribunt Procopius, Idacius & Cassiodorus. Procopius sane maximum exercitum fuisse testatur. At tanti conatus irritus fuit eventus: quia per proditores commoniti Vandali, naves in portubus Hispaniæ, priusquam solverent, diripuerunt. Ita frustratus belli Vandalici spe Majorianus. Nec tamen omnino frustratus: quia Gensericus, ut auctor est Idacius, pacem ab eo postea petiit, & impetravit.

3. *Iisdem regnis fortunam similem*] Romano & Africano. Sperabat futurum Sidonius, ut qui exitus post Actiacam pugnam Cleopatræ regnoque ejus fuerat, idem nunc esset Genserico, hoc est, ut eo victo cæsoque, Africa in Majoriani potestatem veniret. Inter eadem enim regna, Romanis scilicet Afrisque certamen: par Genserici luxus & Cleopatræ: nec minor Majoriani virtus, quam Augusti.

4. *Ilicet aggrederis*] Quod supra obscure posuit, *vires ex gentibus addens*, quid sit explicat barbararum gentium quæ sub Majoriani signis erant enumeratio. In his Bastarnæ supra Daciam sedes habuerunt, non procul a Roxolanis, quibus in Tiburtina Æliani inscriptione copulantur: apud Capitolinum item in Marco. Horum coloniam centum millium in Thraciam in Romano solo translatam a Probo memorant Vopiscus, & Zosimus lib. I. Supra hos Neuri, Borysthenis fonte & fabulosa in lupos metamorphosi nobiles. Licentius in carmine ad Augustinum:

Solstitio Neuros, bruma sectaberis Istrum.

Alitæ videntur, quos Plinius Alutas in Illyrico nominat. Bellonotos etiam in castris Attilæ numerat in panegyrico Aviti. Valerio Flacco Ballonoti lib. VI. apud quem & Bisaltæ Scythiæ populi supra Heniochos. Procrustes Attici latronis nomen fuit seu potius cognomen, a re ductum, ut narrat Diodorus lib. V. rerum antiquarum. Sidonius gentis nomen facit.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
472.



Pannonius, Neurus, Chunus, Geta, Dacus, Alanus,
Bellonothus, Rugus, Burgundio, Vesus, Alites,
Bisalta, Ostrogothus, Procrustes, Sarmata, Moschus,
Post aquilas venere tuas: tibi militat omnis
Caucasus, & Scythicæ potor Tanaiticus undæ.
Quid faciat fortuna viri? quascumque minatur,
Has tremuit jam Roma manus: modo principe sub te
Ne metuat, prope parva putat, nisi serviat illi,
Quod timuit regnante alio. Jam castra movebas,
Et te diversis stipabant millia signis:
[1] Obsequium gens una negat, quæ nuper ab Istro
Rettulit indomitum solito truculentior agmen,
Quod dominis per bella caret, populoque superbo
Tuldila plectendas in prœlia suggerit iras.
Heic tu vix armis positis, iterum arma retractas.
Bistonides veluti Ciconum cum forte pruinas
Ogygiis complent thyasis, seu Strimonos arvis,
Seu se per Rhodopen, seu qua nimbosus in æquor
Volvit Hyperboreis in cautibus Ismarus Hebrum:
Dat somno vaga turba, simul lassata quiescunt
Orgia, & ab biforem reboat nec tibia flatum.
Vix requies: jam ponte ligant, rotat enthea thyrsum
Bassaris, & maculis Erythrææ nebridos horrens,
Excitat Odrysios ad marcida tympana mystas.
Tu tamen hanc differs pœnam, sed sanguinis auctor
Majoris, dum parcis, eras: non pertulit ultra
Hoc pro te plus cauta manus, vestrumque pudorem
Sprevit pro vobis: primi cadit hostia belli,
Quisque rebellis erat: prædam quoque dividis illis,
Mens devota quibus fuerat, quæ territa servit
Exemplo, gaudet pretio. Pharsalica Cæsar
Arva petens, subitas ferro compescuit iras:
Sed sua membra secans, & caussa mole coactus,
Flevit quos perimit: vestris hæc proficit armis
Seditio: quodcumque jubes, nisi barbarus audit,
Hic cadit, ut miles timeat. [2] Jam tempore brumæ
Alpes marmoreas, atque occurrentia juncto
Saxa polo, rupesque vitri, siccamque minantes
Per scopulos pluviam, primus pede carpis, & idem
Lubrica præmisso firmas vestigia conto.
Cœperat ad rupis medium, quæ maxima turba est,
Interno squalere gelu, quod colle supino
Arctatis conclusa viis, reptare rigenti
Non poterat revoluta solo: fors unus ab illo
Agmine, canentem cujus rota triverat Istrum,
Exclamat, Gladios malo, & solemne quieta
Quod frigus de morte venit: mea torpor inerti
Membra rigore ligat: quodam mihi corpus adustum
Frigoris igne perit: sequimur sine fine labori
Instantem juvenem: quisquis fortissimus ille est,
Aut rex, aut populus, castris modo clausus, aprica
Vel sub pelle jacet: nos anni vertimus usum.
Quod jubet hic, lex rebus erit: non flectitur umquam
[3] Acceptis, damnumque putat, si temporis iras
Vel per damna timet: qua dicam gente creatum,

1. *Obsequium gens una negat*] Hunnorum, opinor, quos triplici nota designat: quod ab Istro profecti, quod in Italiam redeant, quod dominis per bella careant: quæ omnia Hunnis conveniunt: qui in Italiam paucis ante annis cum Attila venerant, & post Attilæ mortem, ut Jornandes in Geticis refert, orta inter Attilæ filios contentione, dum imperare cupiunt omnes, simul imperium perdidere, pulsique a Gepidis e Pannonia, juxta litus Pontici maris ad Istri ostia consederunt. Horum ergo seditionem rebellium cæde compressam, dissimilem ejus ait fuisse, quæ in castris Cæsaris accidit, describiturque a Lucano lib. V. Pharsalici, quia Cæsariana militum erat Romanorum, quorum interitu ejus vires minuebantur: hæc barbarorum, quos obsequium detrectantes ad militum terrorem plecti juvabat. Ita Hunnos, tametsi in Majoriani exercitu merebant, milites non vocat: quia milites proprie sunt Romani, & a barbaris auxiliaribus fœderatisque distinguuntur: ut Novella Valentiniani de reddito jure armorum: *Magister militum Sigisvultus tam militum, quam fœderatorum tuitionem urbibus ac litoribus non desinat ordinare*, & Sidonius ipse passim in epistolis.

2. *Jam tempore brumæ*] Hinc cognosci potest, quod initio præfati sumus, Majorianum consulem anno jam vertente in Galliam venisse. Et vero ex ejus Novellis constat, illum Ravenna non ante Idus Novembres discessisse. Quæ autem sequitur Scythæ militis ob Cinisii montis (de hoc enim sermo) asperum gelu conquerentis increpatio, seu gesta res est, seu ficta in gratiam Majoriani, eo spectat, ut eximiam in illo imperatoriæ virtutis indolem demonstret. Quare cum Attila, quem Arctoum regem vocat, aliisque Scythicis olim ducibus suis, adversus frigora & labores duratis, a Scytha comparatur. At Majorianus delicati barbari ignaviam ridens, post hibernas Alpium pruinas, æstivos Syrtium, quo tendebat ardores, hoc est post summa frigora summos calores prædicit.

3. In aliquibus editionibus *A cœptis*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.

Quem Scytha non patior? cujus lac tigridis infans
Hircana sub rupe bibit? quæ sustulit istum
Axe meo gravior tellus? cui vertice summo
Algentes cogit turmas, ac frigora ridet,
Dum solus plus mente calet: cum classica regis
Arctoi sequerer, Romani principis arma,
Cæsareumque larem luxu torpere perenni
Audieram: dominos nil prodest isse priores,
Si rex hic quoque fortis erat. Majora parantem
Dicere, de scopulo verbis accendis amaris.
Quisquis es, oppositi metuis qui lubrica clivi,
Frange cutem pendentis aquæ; [1] scalproque levata
Sit tibi lympha gradus, turpes depone querelas:
Otia frigus habent: numquid mihi membra biformis
Hylæi natura dedit? num Pegasus alis
Adjuvit quidquid gradior? pennasque volanti
Dat Calais Zetusque mihi, quem ninguida cernis
Calcantem jam dorsa jugi? vos frigora frangunt,
Vos Alpes: jam jam studeam pensare pruinas,
Æstatem sub Syrte dabo. Sic agmina voce
Erigis, exemploque levas, primusque labores
Aggrederis quoscumque jubes: tum cetera paret
Turba libens, servit propriis cum legibus auctor.
[2] Qui tibi præterea comites, quantusque magister
Militiæ, vestrum post vos qui compulit agmen,
Sed non invitum? dignus qui cederet uni
Sylla acie, genio Fabius, pietate Metellus,
Appius eloquio, vi Fulvius, arte Camillus.
[3] Si præfecturæ quantus moderetur honorem
Vir quæras, tendit patulos qua Gallia fines.
Vix habuit mores similes, cui teste senatu,
In se etiam tractum commiserat Ulpius ensem.
Qui dictat modo jura Getis, sub judice vestro
Pellitus ravum præconem suscipit hostis.
Quid loquar heic illum [4] qui scrinia sacra gubernat?
Qui cum civilis dispensat partis habenas,
Sustinet armati curas, interprete sub quo
Flectitur ad vestras gens effera conditiones.
Quid laudare Petrum parvis temeraria Clio
Viribus aggrederis? cujus dignatur ab ore
Cæsar in orbe loqui, licet & quæstore diserto
Polleat: attamen hic nuper, placidissime princeps,
Obside percepto, [5] nostræ de mœnibus urbis,
Visceribus miseris insertum depulit hostem.
Et quia lassatis nimium spes unica rebus
Venisti, nostris petimus succurre ruinis:
Lugdunumque tuam, dum præteris, aspice victor.
Otia post nimios poscit te fracta labores:
Cui pacem das, redde animum: lassata juvenci
Cervix deposito melius post sulcat aratro
Telluris glebam solidæ: bove, fruge, colono,
Civibus exhausta est: stantis fortuna latebat
Dum capitur, væ quanta fuit? post gaudia, princeps,
Delectat meminisse mali: populatibus, igni

1. Savaro & Labbeus *scalproque fluento*.

2. *Qui tibi præterea comites*] Principis laudibus trium ejus comitum laudes adjungit, magistri militum, præfecti prætorio Galliarum, & Petri magistri epistolarum: quem solum nominat, de aliis quinam fuerint divinandum. De magistro enim militum quæri potest, an Ricimerem intelligat, quem magistrum militum in Italia fuisse docent Novellæ Majoriani: an Nepotianum, qui magister militum hoc item anno in Gallia dicitur ab Idacio nostro.

3. *Si præfecturæ quantus*] Qui Basilium præfectum prætorio significari putant, non animadvertunt Basilium Italiæ præfectum fuisse; heic vero agi de præfecto Galliarum. Certior fortasse conjectura fuerit de Magno Narbonensi, cujus præfecturæ jam exactæ meminit lib. I. epist. XI. in epulo Majoriani, hoc est triennio post hunc panegyricum. Gothorum vero rex qui præfectum hunc reverebatur, Theodoricus junior, de quo epistola II.

4. *Qui scrinia sacra*] Petrum magistrum epistolarum Majoriani quanti fecerit Sidonius, docuit editio panegyrici, & epistola XIII. lib. IX. Scrinia sacra sunt scrinia principis, & in Glossis nostris *σκρινιάριοι, οἱ χαρτοφύλακες τῶν βασιλικῶν χαρτίων*, scrinia Augusta Symmacho lib. IX. epist. LIII. Alia enim erant scrinia Prætoriana, L. XIII. Cod. Theod. De indulgentiis debitorum: alia patriciæ sedis, ut in antiqua Inscriptione, quam protulimus ad epist. IX.

5. *Nostræ de mœnibus urbis*] Ex hoc loco intelligi licet, Lugdunenses, cum imperium Majoriani detrectarent, ejus armis subactos captosque fuisse: præsidium etiam militare, quod captæ urbi, ut eam in fide contineret, fuerat impositum, Petri interventu acceptis obsidibus remotum. Et quia multis incommodis attriti hoc bello fuerant Lugdunenses, tributorum laxationem per Sidonium postulant: qui & ipse paullo ante veniam participatæ defectionis impetrarat. De hac itaque venia paullo inferius capiendum est quod ait, *memini, cum parcere velles, Hic tibi vultus erat*, & illa in præfatione panegyrici:

Sic mihi diverso nuper sub Marte cadenti
Jussisti placido victor ut essem animo.



Et si concidimus, veniens tamen omnia tecum
Restituis: fuimus vestri quia caussa triumphi,
Ipsa ruina placet. Cum victor scandere currum
Incipies, crinemque sacrum tibi more priorum
Nectet muralis, vallaris, civica laurus,
Et regum aspicient capitolia fulva catenas:
[1] Cum vestes Romam spoliis, cum divite cera
Pinges Cinyphii captiva mapalia Bocchi:
Ipse per obstantes populos raucosque fragores
Præcedam, & tenui, sicut nunc, carmine dicam,
Te geminas Alpes, te Syrtes, te mare magnum,
Te freta, te Libycas pariter domuisse catervas:
[2] Ante tamen vicisse mihi. Quod lumina flectis,
Quodque serenato miseros jam respicis ore,
Exsultare libet: memini, cum parcere velles,
Hic tibi vultus erat, mitis dat signa venustas.
Annue, sic vestris respiret Byrsa tropæis.
[3] Sic Parthus rectum fugiat, Maurusque timore
Albus eat: sic Susa tremant, positisque pharetris
Exarmata tuum circumstent Bactra tribunal.

1. *Cum vestes Romam spoliis*] Sic aliquot mss. alii *vesties*. Quare aut metri legem neglexit, aut conjugationem mutavit, ut *evenat* Ennius apud Nonium, & *fodent* pro *fodient*, Fortunatus lib. IX. Versu proximo Cinyphium Bocchum figurate dixit Gensericum, qui Mauritaniam quoque Bocchi regnum tenebat.

2. Savaro *An te tamen vicisse, mihi quod lumina flectis*.

3. *Sic Parthus rectum fugiat*] Alii *certum*. Illud potius a Sidonio scriptum videtur: hoc est recta, & irretorto gressu, ἀνεπιστρόφως: ut vere fugiant, qui fugam simulare solent & fugiendo jaculari. Panegyrico Aviti:

Aut cum diffugiunt fugiendos tum mage Persas.

Ceterum cassa hæc vota Sidonii, quibus exitus non respondit. Majorianus enim biennio partim in Gallia, partim in Hispania consumto, classeque a Vandalis, ut dictum est, dissipata, in Italiam reversus, a Ricimere imperio spoliatus, ac necatus; est VII. Idus Augustas anno CDLXI. Humili conditum sepulcro testatur epitaphium quod inter Ennodii opera legitur in hunc modum:

Cum perstat gravior, bustum fortuna petitum
Contulit exuviis, Majoriane, tuis.
Nunc indignis pyramidum fors prospice mole:
Vilia principibus linque sepulcra piis.

PRÆFATIO [1] PANEGYRICI,

quem dixit [2] AVITO Augusto socero suo Romæ.

CARMEN VI.

PAllados armisonæ festum dum cantibus ortum
Personat Ismario Thracia vate chelys,

1. *Panegyrici quem dixit Avito*] Panegyricus Aviti Romæ, ut legenti statim liquet, dictus est in auspiciis consulatus: hoc est Kalendis Januariis, quæ imperii ejus exordium secutæ sunt anno Christi CDLVI. Illas enim fascibus suis dicavit. Retinent hactenus Aviti consulis memoriam non solum fasti Idaciani, quos commodum nuper nacti sumus, sed duo etiam Romæ lapides antiqui: quorum unus in basilica Lateranensi, his verbis.

DEP. TIMOTHEA
IN PACE D. KAL. NOV
CONS. D. N. AVITI

Alter in æde S. Agnes via Numentana sic habet:

LOCUS GERONTI PRESB
DEPOSITUS XIV. KAL. JUL
CONS. EPARCHI AVITI

Neque enim de posteriore, quamvis imperii notam non habeat, ambigi debet, quin is sit Avitus imp. Nam si hunc neges, quis ille alter Eparchius Avitus? ut omittam quod character ævo congruit, & Eparchii nomen Gallis in usu fuisse docent, tum Eparchius episcopus Arvernorum Sidonii decessor, tum Eparchius Engolismensium abbas, quorum meminit Gregorius Turonensis. Quid ergo caussæ esse dicemus cur Aviti consulatus apud alios nulla sit mentio, cum in Fastis Græcorum, & apud Marcellinum comitem, Cassiodorum, omnesque antiquos, non Avitus, sed Vararis & Joannes hujus anni consules describantur? Savaro inde factum putat, quasi Avito post abdicatum imperium suffectus sit Varares. Sed hoc refellunt, ut aliud nihil dicam, & lapides iidem, qui consulem Avitum post relictam purpuram notant: & Martiani Aug. Constitutio cod. de episcopali audientia, in qua Varares cum Joanne Martio mense, hoc est ante Aviti abdicationem, consul appellatur. Unde constat non alios in oriente toto anno consules fuisse, quam Vararim & Joannem, quos Martianus crearat: nec alium in occidente, quam Avitum. At Consularium chronicorum auctores consulatus Aviti, ut ambigui principis, rationem non habuerunt. Nec alia quærenda ratio cur prætermittatur, cum eodem modo alios omnes incertorum principum consulatus omittant. Omnes enim qui purpuram affectarant, & suos ipsi consulatus inibant, & alios suarum partium consules creabant. Quod videre est in libello de præfectis urbis, quem in lucem protulit Cuspinianus, in quo Magnentii consules eduntur, itemque Maxentii: utrique tamen a Cassiodoro, aliisque pari silentio teguntur. Rursum exstat in D. Paulli basilica Dativæ & Basiliæ sororum epitaphium: in quo depositæ dicuntur CONSULATU JOANNIS AUG. quem nemo infitiabitur illum esse, qui mortuo Honorio Ravennæ invasit imperium anno Christi CDXXV. tum deinde anno proximo, ut principum mos erat, consulatum. Et tamen Joannem hunc inter consules nulli Fasti recipiunt. Quin eodem ex fonte paria consulum interpolari nonnumquam, & uni consuli collegam heic unum, alibi alium copulari videas. Verbi gratia, in Titulo Equitii Romæ Eutychii cujusdam est epitaphium, in quo consules comparantur THEODOSIUS AUG. III. ET AUG. P. N. id est, ut interpretor, *Eugenius princeps noster*, is nimirum qui occupato Arbogasti factione principatu, in Italia eo anno dominabatur, editoque consulatu collegam se Theodosio Aug. dixerat, cum a Theodosio in oriente dictus esset Abundantius, quem consulem Fasti omnes agnoscunt, de Eugenio tacent. Et in Græca epigraphe Trevirensi, quam ad epistolam IX. lib. V. exposuimus, Honorio VIII. consuli collega tribuitur, non Theodosius III. sed Constantinus tyrannus, qui in Galliis tum regnabat, & consulatum eo anno gerebat. Unde in publicis actis monumentisque, in Gallia consules adscribebantur Honorius VIII. & Constantinus: in reliquis vero provinciis quæ Constantino non parebant, non Constantinus, sed Theodosius III. consul cum Honorio componebatur.

2. *Avito socero suo*] Filiam Aviti imp. in matrimonio

Et dum Mopfopium ftipantur per Marathonem,
Qui fteterant fluvii, quæque cucurrit humus:
Dulcifonum quatitur fidibus dum pectine murmur,
Has perhibent laudes laude probaffe deam.
Diva, Gigantæi fudit quam tempore belli
Armatus partus vertice dividuo:
Quam neque Deliacis peperit Latona fub antris,
Fixura errantem Cyclada pignoribus.
Nec quæ Cadmæis pariens Alciden in oris,
Sufpendit triplici nocte puerperium.
Nec cujus pluvio turris madefacta metallo eft,
Cum matrem impleret filius aurigena.
Sed te, cum trepidum fpectaret Phlegra tonantem,
Impulit excuffam vertice ruptus apex.
Cumque deos folæ traherent in prœlia vires,
Confufum valde te fine robur erat.
Protulit ut mox te patrius fapientia vertex,
Tum mage vicerunt cum te habuere dei.
Te propter ceffit manibus conftructa tremendis,
Jam prope per rutilum machina tenfa polum.
Pindos, Othrys, Pholoe, dextris cecidere Gigantum,
Decidit & Rhœti jam gravis Offa manu.
Sternitur Ægæon Briareus, Ephialta, Mimafque,
Arctoas fueti lambere calce rotas.
Enceladus patri jacuit, fratrique Typhœus,
Euboicam hic rupem fuftinet, hic Siculam.
Hinc fe fe ad totam genitricem tranftulit Orpheus,
Et docuit chordas dicere Calliopen.
Affurrexerunt Mufæ fub laude Sororis,
Et placuit divæ carmine plus pietas.
Quod fi maternas laudes cantaffe favori eft,
Nec valeo prifcas æquiparare fides:
Publicus hic pater eft, vovi cui carmen, Avitus:
Materia eft major, fi mihi Mufa minor.

fibi fociaffe Sidonium, auctor eft Gregorius Turon. lib.II. cap. XXI. Inde Sidonius ipfe aulam foceri fui nominat carmine XXIII. & purpureum focerum in Propemptico, Avitum defignans. Tot igitur indiciis teftatum habemus, non folum Aviti filiam fuiffe Papianillam uxorem Sidonii, fed nuptias has eo anno quo Avitus regnavit copulatas videri.

PANEGYRICUS
AVITO AUGUSTO
focero dictus.

CARMEN VII.

PHœbe, peragrato tandem vifurus in orbe,
Quem poffis perferre parem, da lumina cælo,
Sufficit hic terris: nec fe jam fignifer aftris
Jactet, Marmaricus quem [1] vertice conterit Atlas.
Sidera funt ifti, quæ ficut merfa nitefcunt,
Adverfis fic Roma micat: cui fixus ab ortu
Ordo fuit creviffe malis, modo principe furget
Confule. [2] Nempe, patres, collatos cernere fafces
Vos juvat, & fociam fceptris mandaffe curulem.
Credite, plus dabitis currus: jam necte bifrontes
Anceps Jane comas, duplicique accingere lauro.
Principis anterior, jam confulis ifte corufcat
Annus, & emerita trabeis diademata crefcunt.
Incaffum jam, Mufa, paves, quod propulit Aufter
Vela ratis noftræ, pelago quia currere famæ

1. *Vertice conterit Atlas*] Euripides in Jone r.
Ἄτλας ὁ χαλκέοισι νώτοις οὐρανὸν
Θεῶν παλαιὸν οἶκον ἐκτρίβων.

2. *Nempe patres*] Significat Avito delatum a Senatu cum imperio fuiffe confulatum. Avitus enim, ut Sidonius ipfe narrabit, poft mortem Petronii Maximi, vacante aula, Imperator, a Gallis primum levatus eft, deinde, quod ab Idacii chronico docemur, a Romanis evocatus & fufceptus, cum Martiano etiam, ipfo annuente, focietatem junxit imperii. Idacius: *In Galliis Avitus Gallus civis ab exercitu Gallicano, & ab honoratis, primum Tolofæ, dehinc apud Arelatum Auguftus appellatus, Romam pergit & fufcipitur:* & poft pauca: *Per Avitum, qui a Romanis & evocatus & fufceptus fuerat Imperator, legati ad Martianum pro unanimitate mittuntur imperii:* rurfum poft alia: *Martianus & Avitus concordes principatu Romani utuntur imperii.*

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 472.

Cœpimus, en fidus, quod nos per cærula servet.
[1] Forte pater superum profpexit æthere terras,
Ecce viget, quodcumque videt: mundum reparaffe
Afpexiffe fuit, folus fovet omnia nutus.
Jamque ut conveniant superi, Tegeaticus Arcas
Nunc plantis, nunc fronte volat: vix contigit arva.
Et toto defcendit avo: mare, terra, vel aer,
Indigenas mifere deos. Germane tonantis
Prime venis, viridi qui Dorida findere curru
Suetus, in attonita fpargis cito terga ferenum.
Humentes Nymphas Phorcus comitatur: ibique
Glaucus Glauce venis: vatum & certiffime Proteu
Certus eras: longo veniunt poft ordine divi,
Pampineus Liber, Mars trux, Tirynthius hirtus,
Nuda Venus, fecunda Ceres, pharetrata Diana,
Juno gravis, prudens Pallas, turrita Cybele
Saturnus profugus, vaga Cynthia, Phœbus ephebus,
Pan pavidus, Fauni rigidi, Satyri petulantes.
Convenere etiam cælum virtute tenentes,
Caftor equo, Pollux cæftu, Perfeius harpe,
Fulmine Vulcanus, Typhis rate, gente Quirinus.
Quis canat heic aulam cæli, rutilantia cujus
Ipfa pavimentum funt fidera? Jam pater aureo
Tranquillus fe fe folio locat: inde priores
Confedere dei: fluviis quoque contigit illo
Sed fenibus refidere loco: tibi maxime fluctu
Eridane, & flavis in pocula fracte Sicambris
Rhene tumens, Scythiæque vagis equitate catervis
Ifter, & ignotum plus notus Nile per ortum.
Cum procul erecta cæli de parte trahebat
Pigros Roma gradus, curvato cernua collo
Ora ferens: pendent crines de vertice tecti
Pulvere, non galea: clypeufque impingitur ægris
Greffibus, & pondus, non terror fertur in hafta.
Utque pii genibus primum eft affufa tonantis:
Teftor, fancte parens, inquit, te, numen & illud
Quidquid Roma fui, fummo fatis obruta fato,
Invideo abjectis: pondus non fuftinet ampli
Culminis arta domus, [2] nec fulmen vallibus inftat.
Quid, rogo, bis feno mihi vulture Thufcus arufpex
Portendit? jaciens primæ cur mœnia genti
Omnibus jam celfa fui, dum collis Hetrufci
Fundamenta jugis aperis mihi, Romule pauper?
Plus gladio fecura fui, cum turbine juncto
Me Rutulus, Vejens, pariterque Auruncus, & Æquus,
Hernicus, & Volfcus premerent: fat magna videbar
Et tibi, dum rumpit vitiatum femina ferro
Corpus, & ad caftum remeas pudor erute vulnus,
Jam cum vallatam focio me claufit Hetrufco
Tarquinius: pro Muti ignes! pro Coclitis undæ!
Pro dolor! hic quonam eft, qui fub mea jura redegit
Samnitem gurges? Volfci qui terga cecidit
Martius, & Senones fundens dictator & exful?
Fabritii vitam vellem, mortes Deciorum.
Vel fic vincentem, vel fic victos: mea redde
Principia: heu quo nunc pompæ, ditefque triumphi,
Et pauper conful? Libycum mea terruit axem
Cufpis, & infido pofui juga tertia Pœno.
Indorum Ganges, Colchorum Phafis, Araxes
Armeniæ, [3] Gir Æthiopum, Tanaifque Getarum,

1. *Forte pater superum*] Multa funt in poematis Sidonii ad exemplum afficta Claudiani, ad cujus imitationem argumentorum fimilitudinem ducebatur. Hujus generis eft profopopœia urbis Romæ hoc loco. Nam uterque Romam neglecto atque incomto corporis cultu fupplicem Jovi facit. Sed poftulationis apud Claudianum fumma, ut reprimat Gildonem: apud Sidonium, ut principem concedat.

2. *Nec fulmen vallibus inftat*] Vulgati *flumen*, male: quid enim flumini magis infitum, quam ut in valles decurrat? At fulmen montes ferit, non valles. Seneca choro IV. Hippolyti: *Humida vallis raros patitur fulminis ictus*.

3. *Gir Æthiopum*] Ita olim reftituimus, ms. unius veftigia fecuti, & Claudianum in Stiliconem I. *Et Gir*, inquit, *notiffimus amnis Æthiopum, fimili mentitus gurgite Nilum*. Alii cum vulgatis Tagum habent, cui nihil cum Æthiopia commune. Gir vero, Γεὶρ Ptolemæo, Libyæ interioris Æthiopumque fluvius. Item Gira metropolis, a qua Giræi feu Girræi populi Claudiano in Idyllio de Nilo.

Hunc bibit effrenis Garamas, domitorque ferarum
Girræus, qui vafta colit fub rupibus antra:
Qui ramos ebeni, qui dentes vellit eburnos.

Male enim vulgo *Cirtæus*: nec melius quod fubftituebat Scopas, *Gandæus*, cum utraque gens ab his locis procul abfit.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
472.

Tribunum tremuere meum. Me Teutone juncto
Quondam fracte subis Cimber, gladiisque gravatas
Ante manus solas jussi portare catenas.
Væ mihi qualis eram, cum per mea jussa juberent,
Sylla, [1] Asiagenes, Curius, Paullus, Pompejus,
Tigrani, Antiocho, Pyrrho, Persæ, Mithridati,
Pacem, regna, fugam, vectigal, vincla, venenum?
Sauromatem taceo ac Moschum, solitosque cruentum
Lac potare Getas, ac pocula tinguere venis,
Vel cum diffugiunt fugiendos tum mage Persas.
Nec terras dixisse sat est: fulgentibus armis
Tot maria intravi, duce te, longeque remotas
Sole sub occiduo gentes: victricia Cæsar
Signa Caledonios transvexit adusque Britannos.
Fuderit & quamquam Scotum, [2] & cum Saxone Pictum,
Hostes quæsivit, quem jam natura vetabat
Quærere plus homines: vidit te frangere Leucas,
Trux Auguste, Pharon: dum classicus Actia miles
Stagna quatit, profugisque bibax Antonius armis
Incestam vacuat patrio Ptolemæida regno.
Cumque prius quererer stricto de cardine mundi,
Sum limes nunc ipsa mihi. Plus summe deorum,
Sum justo tibi visa potens, quod Parthicus ultro
[3] Restituit mea signa pavor, positaque tiara
Funera Crassorum flevit, dum purgat, & hinc jam,
Pro dolor! excusso populi jure atque senatus,
Quod timui, incurri: sum tota in principe, tota
Principis, & fio lacerum de Cæsare regnum,
Quæ quondam regina fui. Capreasque Tiberi,
Et caligas Caii, Claudi censura secuta est,
Et vir morte Nero tristi. Pisone verendum
Galbam sternis Otho, speculo qui pulcher haberi
Dum captas, ego turpis eram: mihi fœda Vitelli
Intulit ingluvies ventrem, qui tempore parvo
Regnans sero perit: lassam post inclytus armis
Vespasianus habet. Titus hinc: post hunc quoque frater.
Post quem tranquillus vix me mihi reddere Nerva
Cœpit, adoptivo factus de Cæsare major.
Ulpius inde venit, quo formidata Sicambris
Agrippina fuit, fortis, pius, integer, acer.
Talem capta precor. Trajanum nescio si quis
Æquiparet, ni fors iterum tu Gallia mittas,
Qui vincat. Lacrymæ vocem clausere precantis,
Et quidquid superest luctus rogat. Undique cæli
Assurgunt proceres, Mars, Cypris, Romulus, & qui
Auctores tibi Roma dei: jam mitior ipsa
Flectitur, atque iras veteres Saturnia donat.
[4] Juppiter ista refert: Fatum quo cuncta reguntur,
Quoque ego, non licuit frangi: sat celsa laborant
Semper, & elatas nostro de munere vires

1. *Asiagenes*] Hæc constans veterum librorum lectio. Et quidem Asiagenes, Ἀσιαγενής, vox Græca & proba. Sed quid caussæ habuit cur L. Scipionem sic appellare mallet, cum versus nihilo minus claudicet, quam si Asiaticum scripsisset? Antonius Augustinus de familiis Romanorum in Cornelia, ex indiciis primæ editionis Sidonianæ, in qua *Asiæ gentes* legebatur, scriptum conjecit Asiagetes: quod ita primum in Græcia dictum existimet L. Scipionem: ejusque cognominis exstare etiam ait vestigia in nummis, & in antiquis exemplaribus Livianis. Mihi vero in Livii libris aliud hactenus videre non contigit, quam Asiaticus: nummorum vero hac in re levissima semper visa est conjectura. Unde enim in nummo Romano & Græcum & insolens vocabulum? deinde cum in his, Fulvio Ursino teste, aut L. SCIP. ASIA. G. excusum sit, aut sine interpunctione ASIAG. prius illud ad rem nihil facit, posterius nihil habet, unde Asiagetes potius legas, quam Asiagenes. Potuit tamen, ut viro doctissimo visum est, a Sidonio scribi hoc loco Asiagetes, potuit & Asiagenetes: quod ea forma pro Asiagenes diceretur, quo Eugenetes pro Eugene, apud Ennodium & Senatorem: & *ἐπιθυμήτης protiμεθετὴς*, apud Apollinarium.

2. *Et cum Saxone Pictum*] Manifesta prolepsis hoc loco. Sic enim loquitur quasi Picti, Saxones & Scoti, Britanniam jam tum incolerent, fusique a Cæsare forent, cum Britanniis bellum intulit. At certum est Britannis vicinas quidem has gentes tum fuisse, sed illis semper infestas. Quod innuens vetus panegyristes Constantii, Britannos ait ante Cæsaris adventum, Pictis modo & Hibernis, id est Scotis hostibus assuetos. Hiberniam enim olim habitabant Scoti, ut Picti Thulen, Saxones Orcadas. Unde illa Claudiani de quarto consulatu Honorii:

—— —— maduerunt Saxone fuso
Orcades, incaluit Pictorum sanguine Thule:
Scotorum cumulos flevit glacialis Hiberne.

Sero tandem, nec uno tempore, sedes in Britanniam transtulerunt, primum Picti, tum Saxones, postremo Scoti.

3. *Restituit mea signa pavor*] Quidam, ut ante monui, *Sapor*, ut pro quovis Parthorum rege ponatur. Restituit enim Phraates. Morem vero ponendæ tiaræ in supplice cultu regum tiaratorum, expressit etiam Cicero pro Sextio, & Plutarchus in Pompejo de Tigrane. *καὶ τέλος εἰς πρὸς αὐτὸν ἦλθε Πομπήϊον, ἀφελόμενος τὴν κίταριν ὥρμησε πρὸ τῶν ποδῶν θεῖναι.*

4. *Juppiter ista refert*] Reliquum poema in Jovis oratione consumitur, qua Juppiter ipse designati a se principis laudes exsequitur, ejusque patriam, genus, institutionem, res pace belloque gestas, imperii denique a Gallis delati solemnia describit.

Sæcul. V.
circa
Ann. Chr.
472.

[1] Invidit fortuna sibi: sed concipe magnos
Quamquam fracta animos. Si te Porsenna soluto
Plus timuit de ponte tremens, si mœnia capta
Mox Brenni videre fugam: si denique dirum
Hannibalem, juncto terræ cælique tumultu,
Reppulimus, cum castra tuis jam proxima muris
Starent, Collina fulmen pro turre cucurrit,
Atque illic iterum timuit natura paventem
Post Phlegram pugnare Jovem: torpentia tolle
Lumina, detersam mentem caligo relinquat.
Te mirum est vinci: incipies cum vincere, mirum
Non erit, utque tibi pateat quo surgere tandem
Fessa modo possis, paucis cognosce, docebo.
[2] Est mihi, quæ Latio se sanguine tollit alumnam;
Tellus clara viris, cui non dedit optima quondam
Rerum opifex natura parem: fecundus ab urbe
Pollet ager, primo qui vix proscissus aratro,
Semina tarda sitit, vel luxuriante juvenco
Arcana exponit piceam pinguedine glebam.
Assurrexit huic, coxit quod torridus Auster,
Niliacum Libycumque solum: collataque semper
Arida Mygdoniæ damnarunt Gargara falces.
Apulus & Calaber cessit: spes unica rerum,
Hanc, Arverne, colens, nulli pede cedit in armis;
Quosvis vincis equo: testis mihi Cæsaris esto
Heic nimium Fortuna pavens, cum colle repulsus
Gergoviæ, castris miles vix restitit ipsis.
Hos ego tam fortes volui, sed cedere Avitum
Dum tibi Roma paro: rutilat cui maxima dudum
Stemmata complexum germen: palmata cucurrit
Per proavos, gentisque suæ, te teste, Philagri,
Patricius resplendet apex. Sed portio quanta est
Hæc laudum laudare patres? quos quippe curules
Et præfecturas constat debere nepoti.
Sunt aliis, per quos se postuma jactet origo,
Et priscum titulis numeret [3] genus alter, Avite,
Nobilitas tu solus avos. Libet edere tanti
Gesta viri, & primam paucis percurrere vitam.
Solverat in partum generosa puerpera casti
Ventris onus: manifesta dedit mox signa futuri
Principis, ac totam fausto trepidi patris aulam
Implevi augurio: licet idem grandia nati
Culparet fata, & pueri jam regna videret.
Sed sibi commissum tanto sub pignore cernens
Mundi depositum, ne quid tibi Roma periret,
Juvit fortunam studio: lactentia primum
Membra dedit nivibus, glaciemque [4] irrepere plantis
Jussit, & attritas parvum ridere pruinas.
Surgentes anni Musis formantur, & illo
Quo Cicerone tonas: didicit quoque facta tuorum
Ante ducum: didicit pugnas, libroque relegit
Quæ gereret campo: primus vix cœperat esse
Ex infante puer, rabidam cum forte cruentis
Rictibus, atque escas jejuna fauce parantem,
Plus catulis, stravit (fuerant nam fragmina propter)
[5] Arreptam de caute lupam, fractusque molari
Dissiluit vertex, & saxum vulnere sedit.
Sic meus Alcides, Nemeæ dum saltibus errat,

1. *Invidit fortuna sibi*] Alii *natura*: sed illud rectius puto. Elegans dictum. Magnarum opum eversio alienæ vulgo invidiæ tribui solet. Apollodorus comicus:

Πρὸς γὰρ τὸ λαμπρὸν ὁ φθόνος βιάζεται.
Σφάλλει δ' ἐκείνους οὓς ἂν ὑψώσῃ τύχη.

Sidonius fortunam ipsam sibi invidere, suisque muneribus infestam esse ait. Invidiæ ergo imputat, quod P. Syrus levitati: *Levis*, inquit, *est fortuna: cito reposcit quod dedit*.

2. *Est mihi quæ Latio*] Aviti patria, Arverni. Gregorius Turon. lib. II. xi. *Avitus unus ex Senatoribus, & ut valde manifestum est, civis Arvernus*. In Arvernia duo laudat: soli fertilitatem, de qua dictum lib. IV. epist. xxi. & bellicam virtutem, cujus testes etiam Græci, quibus *Αρύερνοι ἔθνος μαχιμώτατον*, Arverni gens bellicosissima dicuntur. Sidonius argumentum ducit a Gergoviæ obsidione, a qua Cæsarem cum ingenti clade repulerunt, ut narrat Cæsar ipse lib. VII.

3. *Genus alter, Avite,*] Locus antea depravatus, & sine sensu: nunc, ut restitutus est, perspicua sunt omnia. Aliis, inquit, decori & gloriæ sint majores: tu majoribus tuis, quamvis clarissimis, præluces: per te illi nobilitantur.

4. Savarus & Labbæus *irrumpere*.

5. *Arreptam de caute lupam*] Legendum *arrepta*. Sensus enim est: lupam dum sibi & catulis escam quærit, obviam factam Avito, ab eoque, cum arma alia deessent, saxi quod inter vicinæ rupis fragmenta forte oblatum est, ictu prostratam. Itaque *τὸ propter* hoc loco adverbii vice positum, ut infra, *rex atque magister propter constiterant*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.

Occurrit monſtro vacuus, non robora portans,
Non pharetras: ſtetit ira tremens, atque hoſte propinquo
Conſuluit ſolos virtus decepta lacertos.
Parva quidem, dicenda tamen: quis promtior iſto
Tenſa catenati ſummittere colla moloſſi?
Et luſtris recubare feras interprete nare
Diſcere non viſas, & in aere quærere plantas?
Jam ſi forte ſuem latratibus improbus Umber
Terruit, albentes nigro ſub gutture lunas
Frangere ludus erat, colluctantique lacerto
Vaſta per adverſas venabula cogere prædas.
Quam pulcrum, cum forte domum poſt luſtra revertens
Horrore ſplenderet apri, virtuſque repugnans
Proderet invitum per fortia facta pudorem.
Sic Pandioniis caſtæ Tritonidos arvis,
Hippolytus roſeo [1] ſudans radiabat ab ore,
Sed ſimul a gemino flagrans cum Creſſa furore
Tranſiit affectu matres, & fraude novercas.
Quid volucrum ſtudium, dat quas natura rapaces,
In vulgus prope cognatum? quis doctior iſto
Inſtituit varias per nubila jungere lites?
Alite vincit aves, celerique per æthera plauſu
Hoc nulli melius pugnator militat unguis.
Nec minus hæc inter civilia jura ſecutus,
[2] Eligitur primus, juvenis, ſolus, mala fractæ
Alliget ut patriæ, poſcatque informe recidit
Vectigal: procerum tum forte potentior illic,
Poſt etiam princeps, Conſtantius omnia præſtat,
Indole defixus tanta, & miratus in annis
Parvis grande bonum, vel in ore precantis ephebi
Verba ſenis. Ducis hinc pugnas, & fœdera regum
Pandere Roma libet. Variis incuſſa procellis
Bellorum, [3] regi Getico tua Gallia pacis
Pignora juſſa dare eſt: inter quæ nobilis obſes
Tu, Theodore, venis, quem pro pietate propinqui
Expetis in media [4] pelliti principis aula
Tutus, Avite, fide: probat hoc jam Theuderis altum
Exemplum officii: res mira & digna relatu,
Quod fueris blandus, regi placuiſſe feroci.
Hinc te paullatim prælibat ſenſibus imis,
Atque animis vult eſſe ſuum: ſed ſpernis amicum
Plus quam Romanum gerere: ſtupet ille repulſam,
Et plus inde places: rigidum ſic, Pyrrhe, videbas
Fabritium, ingeſtas animo cum divite fugit
Pauper opes, regem temnens, dum ſupplice cenſu
Pignus amicitiæ vili mendicat ab auro.
[5] Aetium interea, Scythico quia ſæpe duello
Edoctus, ſequeris: qui quamquam celſus in armis
Nil ſine te geſſit, cum plurima tu ſine illo.
[6] Nam poſt Juthungos & Norica bella, ſubacto

1. Savaro aliique, *ſudum*.

2. *Eligitur juvenis*] Prima hæc Aviti legatio, cum ab Arvernis ſuis levandi tributi cauſſa miſſus eſt ad Honorium Aug. In hujus enim aula Conſtantius comes, cui nupſerat Placidia ejus ſoror. Quo anno peracta, vel quibus tum cladibus fracta fuerit patria, non liquet. Sed legatum oportuit ante annum CDXXI. quia hoc demum anno Conſtantius in conſortium imperii ab Honorio adſcitus eſt.

3. *Regi Getico*] Theodorico ſeniori, qui Gothorum in Gallia poſt Valliam rex fuit. Gregorius Turon. Theudonem vocat, Sidonius Theuderim & Theudoridam. Gothicum autem hoc fœdus, in quo dati ſunt obſides a Gallis, atque in his Theodorus Aviti propinquus, poſt Arelatenſem, ni fallor, obſidionem intelligi debet, cum Theodoricus, ut Iſidorus in Chronico ſcribit, regno Aquitanico non contentus, eam urbem obſedit, donec imminente Aetio liberata eſt, anno, ut Proſper notat, CDXXV. Dignus enim venia Sigonius, qui mendoſum nactus codicem in quo regis nomen deformatum erat, ad Valliam regem qui jam pridem obierat, referri hæc poſſe cenſuit.

4. *Pelliti principis*] Regis Gothorum. Auctor carminis de Providentia, quod Proſperi operibus inſertum:

Quod ſi forte lupos, lyncaſque, urſoſque creatos
Diſplicet, ad Scythicos proceres, regeſque Getarum
Reſpice, queis oſtro contemto & vellere Serum,
Eximius decor eſt tergis horrere ferarum.

5. *Aetium interea*] Duplex expeditio bellica, in qua utraque Aetio duci comes fuit Avitus. Una adverſus Juthungos, altera adverſus Burgundiones. Cum Juthungis res geſta ſub annum Chriſti CDXXX. ad quem Proſperi Pithœani verba ſunt: *Aetius Juthungorum gentem delere intendit*. Cum his autem Vindelicos jungit & Noricos, qui tunc una fortaſſe rebellarant. Idacius noſter: *Juthungi per Aetium debellantur & Nori*: & poſt pauca de nece Felicis patricii: *Aetius dux utriuſque militiæ Noros edomat rebellantes*.

6. *Nam poſt Juthungos*] Ita ex antiquis correximus, pro Vithungos. Quo etiam modo caſtigandus videtur panegyricus Conſtantii Cæſ. Nam Vithungorum alibi nulla eſt mentio. Juthungi autem, ut Marcellinus docet, Alamannorum pars, Rætiis contermini, quas proinde crebro vexabant. Ambroſius de legatione ſua ad Maximum: *In medio Romani imperii ſinu Juthungi populabantur Rætias: & ideo adverſus Juthungum Hunnus accitus eſt*. Olim etiam inde pulſi a Juliano fuerant per Barbationem comitem, ut idem narrat Marcellinus lib. XVII. Nunc in iiſdem oris per Aetium debellati. Fuere tamen etiam inter fœderatos Juthungi, ſub duce Syriæ, & ſub comite rei militaris per Ægyptum, ut eſt in Notitia.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
472.

Victor Vindelico, [1] Belgam, Burgundio quem trux
Preſſerat, abſolvit junctus tibi: vincitur illic
Curſu Herulus, Chunus jaculis, Francuſque natatu,
Sauromata clypeo, Salius pede, falce Gelonus,
Vulnere vel ſi quis plangit, cui fleſſe periſſe eſt,
Ac ferro peraraſſe genas, vultuque minaci
Rubra cicatricum veſtigia defodiſſe.
Illuſtri jam tum donatur celſus honore,
Squameus & rutilis etiamnum livida criſtis
Ora gerens. [2] Vix arma domum ſordentia caſtris
Rettulerat: nova bella iterum, pugnamque ſub ipſis
Jam patriæ muris periturus commovet hoſtis.
Litorius Scythicos equites tum forte, [3] ſubacto
Celſus Aremorico, Geticum rapiebat in agmen
Per terras, Arverne, tuas: qui proxima quæque
Diſcurſu, flammis, ferro, feritate, rapinis
Delebant, [4] pacis fallentes nomen inane.
Hujus tum famulum quidam truculentior horum
Mox feriende feris: ruit ille, & triſtia fata
Commendat domino abſenti, partemque futuram
Vindictæ moriens Stygium ſpe portat ad amnem.
Et jam fama viro turres, portaſque tuenti,
Intuitu pavidæ plebis perfert ſcelus actum.
Excutitur, reſtat, pallet, rubet, alget & ardet,
Ac ſibimet multas vultum variata per unum
Ira facit facies: vel qui mos ſæpe dolenti,
Plus amat exſtinctum: tandem prorumpit, & arma,
Arma fremit: pinguiſque etiamnum ſanguine fertur
Lorica, obtuſus per barbara vulnera contus,
Atque ſub aſſiduis dentatus cædibus enſis.
Includit ſuras ocreis, capitique micantem
Imponit galeam, fulvus cui creſcit in altum
Conus, & iratam jaculatur vertice lucem.
Et jam ſcandit equum, vulſiſque a cardine portis
Emicat: aſſiſtunt ſocio virtuſque dolorque,
Et pudor: armatas pilo petit impiger alas,
Pugnando pugnam quærens, pavidumque per agmen
Multorum interitu compenſat, quod latet unus.
Sic Phrygium Æmathia victorem cuſpide poſcens
Æacides, cæſo luctum frenavit amico,
Per mortes tot, Troja, tuas, jam vilia per ſe
Agmina contentus ruere, ſtrictumque per amplos
Exſerere gladium populos: natat obruta tellus
Sanguine; dumque hebetat turba grave cædua telum,
Abſens in cuncto ſibi vulnere jam cadit Hector.
Proditus ut tandem, tanti qui cauſſa tumultus,
Inquit Avitus, Age, Scythica nutrite ſub arcto,
Qui furis, & cæſo tantum qui fidis inermi,
Congredere armato: multum tibi præſtitit ira
Jam mea, conceſſi pugnam, jubeoque reſiſtas:
Certantem mactaſſe juvat. Sic fatur, & æquor
Proſilit in medium: nec non ferus advenit hoſtis.
Ut primum pectus vel cominus ora tulere,
Hic ira tremit, ille metu, Jam cetera turba

1. *Belgam Burgundio quem trux*] Hæc memorabilis illa clades, qua Burgundionum univerſa pæne gens per Aetium deleta, quarto, ut Proſper & Caſſiodorus notant, Valentiniani conſulatu, anno Chriſti CDXXXV. Idacius: *Burgundiones qui rebellaverant a Romanis, duce Aetio debellantur*. Idem auctor eſt cæſa in hoc prœlio fuiſſe XX. millia Burgundionum, Gothorum qui eis auxiliabantur, octo millia. Sidonius vero, cum multas gentes quæ in illorum caſtris erant, enumeret, de Gothis ſtudio diſſimulat.

2. *Vix arma domum*] Burgundionico bello ſucceſſit Gothicum alterum: cum eodem Theodorico: quod cœpit ab obſidione Narbonenſi anno CDXXXVI. Toloſæ peractum eſt, capto Litorio, & pace compoſita CDXXXIX. In hoc bello Hunnorum auxilio uſos Romanos, teſtantur Proſper, Caſſiodorus, Jornandes & Salvianus lib. VII. de Providentia. Horum ergo turmas cum ab Armoricis per Arvernos duceret Litorius, atque illi barbara feritate Arverniam vaſtarent, exortus eſt Aviti in illos impetus, & ſingulare cum Hunno equite certamen, quod a Sidonio tanta pompa deſcribitur. Quæ quidem Sigonius in libris de Occidentis imperio, non male ad annum CDXXXVII. refert: peſſime autem direptionem Arvernicam quæ Hunnis tribuenda erat, Gothis imputat; & verſus hoſce qui de Avito ſcripti ſunt, ad Theodoricum detorquet.

3. *Subacto celſus Aremorico*] Jam monuimus in panegyrico Majoriani, Armoricos rebellionis cauſſa crebro a Romanis appetitos. Nunc ergo a Litorio ſubacti: poſt decem circiter annos ab Aetio, per Eocharicum regem Alanorum, quem ad eos edomandos immiſit, teſte Conſtantio in vita S. Germani lib. II. cap. V. etſi eo loco mendoſe Alamannorum rex ſcriptum eſt pro Alanorum, quod Erici monachi verſus docent.

4. *Pacis fallentes nomen inane*] De hac auxiliarium Hunnorum perfidia, & hoſtili graſſatione, queritur item Paullinus lib. VI. de vita S. Martini:

Cum ſubito pavefacta metu, graviore periclo,
Auxiliatores pateretur Gallia Chunos.
Nam ſocium quis ferre queat, qui durior hoſte
Exſtet, & adnexum fœdus feritate repellat?

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 472.

Diverſis trepidat votis, varioſque per ictus
Pendet ab eventu: ſed poſtquam prima, ſecunda,
Tertiaque acta rota eſt, venit ecce, & celſa cruentum
Perforat haſta virum, poſt & confinia dorſi
Cedit transfoſſo ruptus bis pectore thorax:
Et dum per duplicem ſanguis ſingultat hiatum,
Dividua ancipitem carpſerunt vulnera vitam.
  Hæc poſt geſta viri, temet Styx livida teſtor,
Intemerata mihi [1] præfectus jura regebat:
Et caput hoc ſibimet ſolitis defeſſa ruinis
Gallia ſuſcipiens, Getica pallebat ab ira.
Nil prece, nil pretio, nil milite fractus agebat
Aetius: capto terrarum damna patebant
Litorio: in Rhodanum proprios producere fines
Theudoridæ fixum, nec erat pugnare neceſſe,
Sed migrare Getis: rabidam trux aſperat iram
Victor, quod ſenſit Scythicum pro mœnibus hoſtem,
Imputat, & nihil eſt gravius, ſi forſitan umquam
Vincere contingat, trepido. Poſtquam undique nullum
Præſidium, ducibuſque tuis nil, Roma, relictum eſt,
Fœdus, Avite, novas: ſævum tua pagina regem
Lecta domat: juſſiſſe ſat eſt te, quod rogat orbis.
Credent hoc umquam gentes, populique futuri?
Littera Romani caſſat, quod Barbare vincis.
Jura igitur rexit: namque hoc quoque par fuit, ut tum
Aſſertor fieret legum, qui nunc erit auctor:
Ne dandus populis princeps, caput, induperator,
Cæſar & Auguſtus, ſolum fera prœlia noſſet.
  Jam præfecturæ perfunctus culmine tandem
Se dederat ruri: numquam tamen otia, numquam
Deſidia imbellis: ſtudiumque & cura quieto
Armorum ſemper: [2] ſubito cum rupta tumultu
Barbaries totas in te transfuderat arctos,
Gallia: pugnacem Rugum comitante Gelono,
Gepida trux ſequitur, [3] Scyrum Burgundio cogit:
Chunus, Bellonotus, Neurus, Baſterna, Toringus,
Bructerus, ulvoſa quem vel * Nicer abluit unda,
Prorumpit Francus: cecidit cito ſecta bipenni
Hercinia in lintres, & Rhenum texuit alno.
Et jam terrificis diffuderat Attila turmis
In campos ſe, Belga, tuos: vix liquerat Alpes
Aetius, tenue & rarum ſine milite ducens
Robur, in auxiliis Geticum male credulus agmen
Incaſſum propriis præſumens adfore caſtris.
Nuntius at poſtquam ductorem perculit, Hunnos
Jam prope contemtum propriis in ſedibus hoſtem
Exſpectare Getas, verſat vagus omnia ſecum
Conſilia, & mentem curarum fluctibus urget.
Tandem cunctanti ſedit ſententia, celſum
Exorare virum, collectiſque omnibus una
Principibus, coram ſupplex ſic talibus infit.
  Orbis, Avite, ſalus, cui non nova gloria nunc eſt,
Quod rogat Aetius: voluiſti, & non nocet hoſtis:
[4] Vis? prodeſt: incluſa tenes tot millia nutu,
Et populis Geticis ſola eſt tua gratia limes.

1. *Præfectus jura regebat*] Renovatæ cum Theodorico pacis laudem tribuit Avito, tum præfecto prætorio Galliarum. Hujus enim maxime litteris inflexum ad pacem poſt victoriam ſuam ait, tum ſcilicet, cum Litorius comes qui ſecunda ab Aetio poteſtate Hunnis auxiliaribus præerat, pugna cum Gothis ad Toloſam temere conſerta, victus captuſque eamdem urbem hoſtium, ut ſcribit Salvianus, quam eo die victorem ſe intraturum præſumſit, captivus intravit, anno ut jam indicavimus CDXXXIX. Quare in eumdem incidit Aviti præfectura.

2. *Subito cum rupta tumultu*] Duplex alia legatio Aviti. Prior ad Theodoricum eumdem, cum irruente in Galliam Attila Toloſam Aetii rogatu profectus eſt, ut Gothos in belli Hunnici ſocietatem pertraheret.

3. *Scyrum Burgundio cogit*] Vulgati olim *Scotum*: ſcripti *Scerum* legunt, aut *Scoerum*, quod pro Scyro ab antiquariis ſcribi ſolitum. ut *goerum* pro *gyrum* apud Auſonium. Scyros autem Scythicam gentem, Alanorum partem fuiſſe docet Jornandes, eoſque poſt Attilæ mortem in Mœſia conſediſſe, tum poſtea Odoacrem in Italiam ſecutos.

4. *Vis? prodeſt*] Olim, inquit, cum tibi victorem Theodoricum ad pacem hortari libuit, deſiit nocere: nunc ſi vis iterum rogare, proderit ſuis auxiliis. Sic ergo legendus, & diſtinguendus hic locus. Nam ſententia in vulgatis nulla erat. Nec minus elegans clauſula orationis, qua optat Hunnos qui bello Gothico, cum auxiliares eſſent, victi nocuerant, cladiſque Litorianæ auctores fuga ſua fuerant, nunc cum hoſtes ſunt, iterum vinci atque ita bis victos prodeſſe.

* *Nicer*] Hadrianus Valeſius *Rer. Francic.* lib. V. pag. 221. ſcribi vult *Vicer*. (Vid. infra notam ad Carm. XXIII. ✝. 244.) Baudrius Sirmond. editor præfat. ad tom. I. §. XI.



Infensi semper nobis, pacem tibi præstant.
Victrices i prome aquilas: fac, optime, Chunos
Quorum forte prior fuga nos concusserat olim,
Bis victor prodesse mihi. Sic fatus, & ille
Pollicitus votum, fecit spem. Protinus inde
Advolat, & famulas in prœlia concitat iras,
Ibant pellitæ post classica Romula turmæ,
Ad nomen currente Geta; timet ære vocari
Dirutus, opprobrium non damnum barbarus horrens,
Hos ad bella trahit tum jam spes orbis Avitus,
Vel jam privatus, vel adhuc, Sic cinnama busto,
Collis Erythræi portans Phœbeius ales,
Concitat omne avium vulgus: famulantia currunt
Agmina, & angustus pennas non explicat aer,
[1] Jam prope fata tui bissenas vulturis alas
Complebant, (scis namque tuos, scis, Roma, labores)
[2] Aetium Placidus mactavit semivir amens
Vixque tuo impositum capiti diadema, Petroni;
Illico barbaries, nec non sibi capta videri
Roma Getis, tellusque suo cessura furori,
Raptores ceu forte lupi, quis nare sagaci
Monstrat odor pinguem clausis ab ovilibus auram,
Irritant, acuuntque famem, portantque rapinæ
In vultu speciem, patulo jejunia rictu
Fallentes: jam jamque tener spe frangitur agnus,
Atque absens avido crepitat jam præda palato.
Quin & Aremoricus piratam Saxona tractus
Sperabat, cui pelle salum sulcare Britannum
Ludus, & assuto glaucum mare findere lembo.
Francus Germanum primum, Belgamque secundum
Sternebat, Rhenumque ferox Alamanne bibebas
Romanis ripis, & utroque superbus in agro
[3] Vel civis, vel victor eras. Sed perdita cernens
Terrarum spatia, princeps jam Maximus, unum
Quod fuit in rebus, peditumque equitumque magistrum
Te sibi, Avite, legit: collati rumor honoris
Invenit agricolam, flexi dum forte ligonis
Exercet dentes, vel pando pronus aratro
Vertit inexcoctam per pinguia jugera glebam.
Sic quondam ad patriæ res fractas pauper arator
Cincinnate venis, veterem cum te induit uxor
Ante boves trabeam, dictatoremque salignæ
Excepere fores, atque ad sua tecta ferentem
Quod non persevit, turpique e fasce gravata
Vile triumphalis portavit purpura semen.
Ut primum ingesti pondus suscepit honoris,
Legas qui veniam poscant, Alamanne, furoris,
Saxonis incursus cessat, [4] Chattumque palustri
Alligat Albis aqua: vixque hoc ter menstrua totum
Luna videt. [5] Jamque ad populos & rura feroci
Tenta Getæ protendit iter, qua pulsus ab æstu
Oceanus, refluum spargit per culta Garumnam,
In flumen currente mari: transscendit amarus

1. *Jam prope fata*] Varro apud Censorinum de die natali cap. XVII. narrat, audisse se ex Vettio Augure, *si ita esset, ut traderent Historici de Romuli urbis condendæ auspiciis, ac* XII. *vulturibus, quoniam* CXX. *annos incolumis præterisset populus Romanus, ad* MCC. *perventurum*. Hujus vaticinii memores Romani, Alarico in Italiam irruente, ut Claudianus de bello Getico scribit, urbis ruinam metuebant, etsi annorum numerum nondum explerant. Juppiter Sidonianus augurii eventum sub Aetii & Valentiniani cædem impendere denuntiat, quo tempore urbs Roma mille ducentos paucis annis excesserat.

2. *Aetium Placidus mactarat*] Tempus notat, caussamque delati Avito per Petronium Maximum militiæ magisterii. Cæso enim post Aetii necem Valentiniano, cum Maximus purpuram induisset, continuo exorti sunt in Gallia varii motus Gothorum, Saxonum, Francorum & Alamannorum. Ad quos sedandos nihil consultius visum Maximo, quam ut Avitum peditum equitumque per Gallias magistrum crearet.

3. *Vel civis, vel victor eras*] Alamannorum enim sedes in Suevia trans Rhenum. Nunc Rheno trajecto citeriorem quoque Romanorum ripam infestabant. Itaque in hac, id est, in Gallicana victores, in Germanica quam dudum incolebant, cives erant. Sed non multo post in Gallicanam quoque immigrarunt, totamque illam Maximæ Sequanorum partem occuparunt, quæ a Rheno ad Juram usque montem porrigitur: cui & novæ Alamanniæ nomen fecerunt. De qua quidem Cisrhenana seu Gallica Alamannia, tum alii passim, tum Gregorius Turonensis in vita SS. Lupicini & Romani: *Illa Jurensis deserti secreta, quæ inter Burgundiam Alamanniamque sita, Aventicæ adjacent civitati*.

4. *Catthumque*] Id est Francum. Catthi enim populi Germaniæ ad Rhenum, inter Francicas seu Francici imperii gentes censebantur: quos etiam Marcomere duce Francorum adversus Arbogastem olim militasse scripserat, Gregorio teste, Sulpicius Alexander libro tertio.

5. *Jamque ad populos sedatis*] Sedatis aliarum gentium motibus, reliqui erant Gothi, ad quos pacandos Avitus ipse profectus est. Hæc posterior, quam dixi, ejus legatio, ad Theodoricum juniorem superioris filium: cujus hortatu, cum Tolosæ una essent, audita Maximi Aug. nece, imperium suscepit.

Blanda fluenta latex, fluviique impacta per alveum
Salfa peregrinum fibi navigat unda profundum.
Heic jam difpofito laxantes frena duello
[1] Veforum proceres raptim fufpendit ab ira
Rumor, [2] fuccincto referens diplomate Avitum
Jam Geticas intrare domos, pofitaque parumper
Mole magifterii, legati jura fubiffe.
Obftupuere duces pariter Scythicufque fenatus,
Et timuere fuam pacem ne forte negaret.
Sic rutilus Phaethonta levem cum carperet axis,
Jam pallente die, flagrantique excita mundo
Pax elementorum fureret, vel ficca propinquus
Sæviret per ftagna vapor, limufque fitiret
Pulvereo ponti fundo; tunc unica Phœbi
Infuetum clemens exftinxit flamma calorem.
Hic aliquis tum forte Getes, dum falce recocta
Ictibus informat, faxoque cacuminat enfem,
Jam promtus caluiffe tubis, jam jamque frequenti
Cæde fepulturus terram, non hofte fepulto,
Claruit ut primum nomen venientis Aviti,
Exclamat, Periit bellum, date rurfus aratra.
Otia fi replico prifcæ bene nota quietis,
Non femel ifte mihi ferrum tulit: o pudor! o dii!
Tantum poffe fidem! quid fœdera lenta minaris,
In damnum mihi fide meum? compendia pacis
Et præftare jubes nos, & debere: quis umquam
Crederet? en Getici reges parere volentes,
Inferius regnaffe putant: nec dicere faltim
Pacem fortis amas: jam parteis fternit Avitus:
Infuper & Geticas præmiffus continet iras
Meffianus: adhuc mandafti, & ponimus arma.
Quid reftat, quod poffe velis? quod non fumus hoftes,
Parva reor: prifco tu fi mihi notus in actu es,
Auxiliaris ero: vel fic pugnare licebit.
Hæc fecum rigido Vefus dum corde voluat,
Ventum in confpectum fuerat. Rex atque magifter,
Propter conftiterant: hic vultu erectus, at ille
Lætitia erubuit, veniamque rubore popofcit.
[3] Poft hinc germano regis, hinc rege retento,
Palladiam implicitis manibus fubiere Tolofam.
Haud fecus infertis ad pulvinaria palmis
Romulus & Tatius fœdus [4] jecere, [5] parentum
Cum ferro, & rabidis cognato in Marte maritis
Herfilia inferuit Pallantis colle Sabinas.
[6] Interea incautam furtivis Vandalus armis
Te capit, infidoque tibi Burgundio ductu
Extorquet trepidas mactandi principis iras,
Heu facinus! in bella iterum, quartofque labores
Perfida Eliffeæ crudefcunt claffica Byrfæ.
[7] Nutritis quod fata malum? Confcenderat arces
Evandri Maffyla phalanx, montefque Quirini
Marmarici preffere pedes, rurfufque revexit

1. *Veforum proceres*] Vefos dimidiata voce dicit Wifigothos, five ut apud veterem Horatii interpretem, Jornandem & alios legitur, Vefogothos, quafi Vefi pars fuerint Gothorum. In panegyrico Majoriani: *Geta, Vefus, Alites*.

2. *Succincto diplomate*] Brevibus litteris Aviti quas adventus fui nuntias præmiferat per Meffianum. Tertullianus Apolog. cap. XXIV. *O nuntios tardos! o fomniculofa diplomata, quorum vitio exceffum imperatoris non ante Cybele cognovit!* Meffianus vero is eft, quem poftea in principatu patricium fibi allegit. Vetus Chronicon incerti auctoris: *Captus eft Avitus Placentiæ a magiftro militum Ricimere, & occifus eft Meffianus patricius ejus*.

3. *Poft hinc germano regis*] Friderico. Hunc enim effe arbitror, qui cum Theodorico rege medium Avitum, honoris cauffa protegit, cum proximus Theodorico ætate fuerit, tefte Jornande, a quo Theodorici fenioris filii ordine numerantur, Thorifmundus, Theodoricus, Fridericus, Euricus, Rotemeris & Himmericus. Theorifmundus patri in Mauriacenfi pugna mortuo fucceffit, tertioque poft anno a Theodorico & Friderico fratribus necatus eft. Ita regnum iniit Theodoricus, ad quem hæc legatio. Poft Theodoricum, regnavit Euricus: quia Fridericus ad quem fucceffionis ordo pertinebat, paullo ante, ut Idacius refert, in Armoricis occubuerat. De hoc ipfo Friderico Hilarus papa in epiftola ad Leontium Arelatenfem.

4. Aliqui libri *icere*.

5. *Parentum cum ferro*] Parentum nomen ad Sabinas referri debet, quæ bello Sabino Romuli Herfilia duce aufæ, ut loquitur Livius, fe inter tela volantia inferre, hinc patres, hinc viros orando, diremere infeftas acies, ducefque ad fœdus faciendum permovere.

6. *Interea incautam*] Confentiunt omnes, Petronium Maximum, nuntiato Generici adventum, in ipfa fugæ trepidatione occifum: de auctore necis mira fcriptorum varietas. Profper ab Eudoxiæ reginæ famulis dilaniatum, Caffiodorus a militibus exftinctum, Jornandes ab Urfo milite Romano interemtum tradit, Theophanes a fuis. Μάξιμος, inquit, φυγῇ ἐχρήσατο. οἱ δὲ συνόντες αὐτῷ ἀνεῖλον αὐτόν. Sidonius Burgundionis, alicujus fortaffe de fchola protectorum, ductu cafum docet.

7. In editione Wouvveren *nutriftis*.

Quæ captiva dedit quondam ſtipendia Barche.
Exſilium patrum, plebis mala, principe cæſo
Captivum imperium ad Geticas rumor tulit aures.
Luce nova veterum cœtus de more Getarum
Contrahitur: ſtat priſca annis, viridiſque ſenectus
Conſiliis; ſqualent veſtes, ac ſordida macro
Lintea pingueſcunt tergo, nec tangere poſſunt
Altatæ ſuram pelles, ac poplite nudo
Peronem pauper nodus ſuſpendit equinum.
Poſtquam in concilium ſeniorum venit honora
Pauperies, paciſque ſimul rex verba popoſcit:
Dux ait, [1] Optaſſem patriis ſecurus in arvis
Emeritam fateor ſemper foviſſe quietem,
Ex quo [2] militiæ poſt munia trina, ſuperbum
Præfecturæ apicem quarto jam culmine rexi.
Sed dum me noſtri princeps modo Maximus orbis
Ignarum, abſentem, procerum poſt mille repulſas,
Ad lituos poſt jura vocat, voluitque ſonoris
Præconem mutare tubis, promtiſſimus iſtud
Arripui officium, vos quo legatus adirem.
Fœdera priſca precor, quæ nunc meus ille teneret,
Juſſiſſem ſi forte, ſenex, cui ſemper Avitum
Sectari creviſſe fuit: tractare ſolebam
Res Geticas olim: ſcis te neſciſſe frequenter
Quæ ſuaſi, niſi facta. Tamen fortuna priorem
Abripuit genium: periit quodcumque merebar,
Cum genitore tuo, [3] Narbonem tabe ſolutum
Ambierat, (tu parvus eras) trepidantia cingens
Millia, in infames jam jamque coegerat eſcas:
Jam triſtis propriæ credebat deſore prædæ,
Si clauſus fortaſſe perit: cum noſtra probavit
Conſilia, & refugo laxavit mœnia bello.
Teque ipſum (ſunt ecce ſenes) hoc pectore fotum
Hæ flentem tenuere manus, ſi forſitan altrix
Te mihi, cum nolles, lactandum tolleret. Ecce
Advenio, & priſci repeto modo pignus amoris.
Si tibi nulla fides, nulla eſt reverentia patris,
I durus, pacemque nega. Prorumpit ab omni
Murmur concilio: fremituſque & prœlia damnans,
Seditioſa ciet concordem turba tumultum.
Tum rex effatur: [4] Dudum, dux inclyte, culpo
Poſcere te pacem noſtram, cum cogere poſſis
Servitium, trahere ac populos in bella ſequaces.
Ne quæſo invidiam patrio mihi nomine inuras:
Quid mereor, ſi nulla jubes? ſuadere ſub illo
Quod poteras, modo velle ſat eſt, ſolumque moratur,
Quod cupias, neſciſſe Getas: mihi Romula dudum
Per te jura placent; parvumque ediſcere juſſit
Ad tua verba pater, docili quo priſca Maronis
Carmine molliret Scythicos mihi pagina mores.
Jam pacem tum velle doces: ſed percipe, quæ ſit
Conditio obſequii, forſan rata pacta probabis.
Teſtor, Roma, tuum nobis venerabile numen,
Et ſocium de Marte genus, vel quidquid ab ævo,
(Nil te mundus habet melius, nil ipſa ſenatu)
Me pacem ſervare tibi, vel velle abolere
Quæ noſter peccavit avus, quem fuſcat id unum,
Quod te, Roma, capit: ſed dii ſi vota ſecundant,
Excidii veteris crimen purgare valebit
Ultio præſentis, ſi tu, dux inclyte, ſolum
Auguſti ſubeas nomen. Quid lumina flectis?
Invitum plus eſſe decet; non cogimus iſtud,

1. *Optaſſem patriis*] Aviti oratio ſic efficta, quaſi adhuc viveret Maximus, de cujus interitu nihil dum cognorat.

2. *Militiæ poſt munia trina*] Cave cum iis ſentias, qui ex hoc loco Avitum ter magiſtrum militum, quater præfectum prætorio fuiſſe augurantur. Neque enim hoc dicit: ſed ſibi, cum triplici jam bello non ſine honoris titulo militaſſet, quarto loco præfecturam obtigiſſe. Qua ratione & de magiſteria militum dicere nunc poterat, quinto ſe illam culmine adeptum; nec tamen ſenſus eſſet, Avitum quinquies magiſtrum fuiſſe.

3. *Narbonem tabe ſolutum*] Initio belli Gothici, ut dictum eſt, anno CDXXXVI. Neque enim obſcurum eſt de ea obſidione agi, de qua Proſper, Iſidorus, Paullus diaconus & alii, cum a Litorio comite famis periculo liberatum Narbonem ſcribunt. Avitus conſilio ſuo ſolutam a Theodorico fuiſſe obſidionem commemorat.

4. *Dudum dux inclyte*] Theodoricus Avito non ſolum pacem, verum etiam belli adverſus Vandalos ſocietatem ſpondet, ſi modo ſe imperatorem, vacante per Maximi cædem aula, deligi patiatur. Ita enim fore ut Romæ vetus excidium ab Alarico admiſſum, Genſerici qui urbem per eos dies iterum ſpoliarat, vindicta expietur.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
472.



Sed conteftamur. Romæ fum te duce amicus,
Principe te miles: regnum non præripis ulli,
Nec quifquam Latias Auguftus poffidet arces:
Qua vacat aula, tua eft: teftor, non fufficit iftud,
Ne noceam, atque tuo hoc utinam diademate fiat
Ut profim! fuadere meum eft: nam Gallia fi te
Compulerit, quæ jure poteft, tibi pareat orbis,
Ne pereat. Dixit, pariterque in verba petita
Dat fanctam cum fratre fidem. [1] Difcedis, Avite,
Mæftus, qui Gallos fcires non poffe latere,
Quid poffint fervire Getæ te principe: namque
Civibus ut patuit trepidis, te fœdera ferre,
Occurrunt alacres, ignaroque ante tribunal
Sternunt: utque fatis fibimet numerofa coiffe
Nobilitas vifa eft, quam [2] faxa nivalia Cotti
Defpectant, variis nec non quam partibus ambit
Tyrrheni Rhenique liquor, vel longa [3] Pyrenei
Quam juga ab Hifpano feclufam jure coercent,
Aggreditur nimio curarum pondere triftem
Gaudens turba virum: procerum tum maximus unus,
Dignus qui patriæ perfonam fumeret, infit:
  Quam nos per varios dudum fortuna labores,
Principe fub puero, laceris terat afpera rebus,
Fors longum, dux magne, queri, cum quippe dolentum
Maxima pars fueris, patriæ dum vulnera lugens
Sollicitudinibus vehementibus exagitaris.
Has nobis inter clades ac funera mundi,
Mors vixiffe fuit: fed dum per verba parentum
Ignavas colimus leges, fanctumque putamus
Rem veterem per damna fequi: portavimus umbram
Imperii, generis contenti ferre vetufti
Et vitia, ac folitam veftiri murice gentem
More magis, quam jure pati: promtiffima nuper
Fulfit conditio, proprias qua Gallia vires
Exfereret, trepidam dum Maximus occupat urbem.
Immo orbem potuit, fi te fibi tota magiftro
Regna reformaffet. Quis noftrum Belgica rura,
Littus Aremorici, Geticas quis moverit iras,
Non latet: his tantis tibi ceffimus, inclyte, bellis.
Nunc jam fumma vocant: dubio fub tempore regnum
Non regit ignavus: poftponitur ambitus omnis,
Ultima cum claros quærunt: poft damna Ticini
Ac Trebiæ, trepidans raptim refpublica venit
Ad Fabium. Cannas celebres Varrone fugato,
Scipiadumque etiam turgentem funere Pœnum
Livius electus fregit: captivus, ut ajunt,
Orbis in Urbe jacet, princeps perit, hic caput omne
Nunc habet imperium: petimus, confcende tribunal,
Erige collapfos: non hoc modo tempora pofcunt,
Ut Romam plus alter amet: ne forte reare
Te regno non effe parem: cum Brennica figna
Tarpejum premerent, fcis, tum refpublica noftra
Tota Camillus erat, patriæ qui debitus ultor
Texit fumantes hoftili ftrage favillas.
Non tibi centurias aurum populare paravit,
Nec modo venales numerofoque affe redemtæ
Concurrunt ad puncta tribus: fuffragia mundi
Nullus emit: pauper legeris, quod fufficit unum,
Es meritis dives: patriæ cur vota moraris,
Quæ jubet, ut jubeas? hæc eft fententia cunctis,
Si dominus fis, liber ero. Fragor atria complet
[4] Ugerni, quo forte loco pia turba, fenatus

1. *Difcedis, Avite, mæftus*] Ambiiffe purpuram Avitum non diffimulat Gregorius Turon. lib. II. cap. XI. nec abeft ab ea fententia quod fcribit Ifidorus, Theodoricum Avito fumendi imperialis faftigii cum Gallis auxilium præbuiffe. Hanc ergo labem ut eluat Sidonius, imperium mæfto & invito delatum ingeftumque affirmat. Jam præfati fumus ex Idacio, Avitum Tolofæ primum, deinde Arelati Auguftum fuiffe appellatum. Quod cum Sidonio cohæret. Tolofæ enim, ut patet, acta funt, quæ de Aviti cum Theodorico congreffu, capeffendique imperii confiliis haftenus cecinit: concionem vero Gallicæ nobilitatis, qua in reditu exceptus inaugaratufque defcribitur, in Arelatenfium caftro coiiffe mox docebit.

2. *Saxa nivalia Cotti*] Alpes Cottiæ: fed harum nomine reliquas etiam intelligi voluit, quæ Galliam ab Italia fecludunt. Cottiæ autem mediæ funt inter Graias & maritimas.

3. Alii *Pyrene*.

4. *Ugerni*] Variant exemplaria. Quædam *Thierni* legunt: quo nomine appellant hodie vetus caftrum & oppidum Arvernorum, quod Gregorio Turonenfi & aliis eft Tigernum. Sed Thierni nomen nec metro, nec loco congruit.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
472.



Detrulerat vim, vota, preces. Locus, hora diesque
Dicitur imperio felix: ac protinus illic
Nobilium excubias gaudens sollertia mandat.
Tertia lux refugis Hyperiona fuderat astris:
Concurrunt proceres, ac milite circumfuso
[1] Aggere composito statuunt, ac torque coronant
Castrensi mæstum, donantque insignia regni.
Jam prius induerat solas de principe curas.
Haud alio quondam vultu Tirynthius heros
Pondera suscepit cæli, simul atque novercæ,
Cum Libyca se rupe Gigas subduceret, & cum
Tutior Herculeo sedisset machina dorso.
Hunc tibi, Roma, dedi, patulis dum Gallia campis
Intonat Augustum plausu, faustumque fragorem
Portat in exsanguem Boreas jam fortior Austrum.
Hic tibi restituet Libyen per vincula quarta.
Et cujus solum amissas post sæcula multa
[2] Pannonias revocavit iter, jam credere promtum est,
Quid faciet bellis: o quas tibi sæpe jugabit
Inflictis gentes aquilis! qui maxima regni
Omina privatus fugit, cum forte vianti
Excuteret præpes plebejum motus amictum.
Lætior at tanto modo principe, prisca deorum
Roma parens, attolle genas, ac turpe veternum
Depone: en princeps faciet juvenescere major,
Quam pueri fecere senem. Finem pater ore
Vix dederat, plausere dii, fremitusque cucurrit
Concilio: felix tempus nevere Sorores
Imperiis Auguste tuis, & consulis anno
Fulva volubilibus duxerunt sæcula pensis.

In aliis erat *Vierni*, ex quo feci *Ugerni*: quo more contra Bagocasses apud Ausonium scripti, qui Bajocasses. Fuit aut Ugernum, *Οὔγερνον* Straboni, notissimum olim castrum Arelatensium: de quo Gregorius idem lib. VIII. & IX. & Cyprianus Cæsarii discipulus in ejus vita. Porro jam docuit nos Idacius, Avitum Augusti nomen Arelati suscepisse. Quare nemo repugnabit, quin certa sit emendatio.

1. *Aggere composito*] Aggesta terra in speciem tribunalis: quod cæspititium tribunal appellat Vopiscus in Tacito. Torque autem diadematis vice coronatos legimus etiam Julianum Parisiis, & Firmum in Africa, de quibus Marcellinus lib. XX. & XXIX. Alios item, ut Hypatium Constantinopoli, de quo Marcellinus comes Lampadio & Oreste coss. De Juliano Socratis verba sunt, *ὡς δὲ Στέφανος βασιλικὸς οὐ παρῆν, εἷς τῶν δορυφόρων ὃν εἶχε περιτραχήλιον ἑαυτοῦ στρεπτὸν λαβὼν, τῇ κεφαλῇ Ἰουλιανοῦ περιέθηκε.*

2. *Pannonias revocatur iter*] Evectus ad imperium Avitus, Romamque, ut ex Idacio diximus, evocatus, iter opinor, flexit per Treviros: ubi ea contigerunt, quæ de Lucii Senatoris conjuge narrat Aimoinus lib. I. cap. III. Inde in Germaniam & Noricum transgressus Pannonias a barbaris, ut innuere Sidonius videtur, sine armis recepit. Romæ susceptus imperator consulatum edidit, in cujus auspiciis dictus est panegyricus. Quod de legatis ad Martianum missis Martianique concordia cum Avito subdit Idacius, id post initum ab Avito consulatum accipi debet, cum alios in oriente consules fuisse probaverimus.

EDITIO PANEGYRICI

[1] ad priscum VALERIANUM præfectorium.

CARMEN VIII.

Prisce decus semper nostrum, cui principe Avito
Cognatum sociat purpura celsa genus.
Ad tua cum nostræ currant examina nugæ,
Dico, state vagæ, quo properatis? amat.
Districtus semper censor qui diligit, exstat:
Dura fronte legit mollis amicitia,
Nil vatum prodest adjectum laudibus illud,
Ulpia quod rutilat porticus ære meo:
Vel quod adhuc populo simul & plaudente senatu,
Ad nostrum reboat concava Roma sophos.
Respondent illæ, Properabimus, ibimus, & nos
Non retines: tanto judice culpa placet.
Cognitor hoc nullus melior, bene carmina pensat,
Contemtu tardo, judicio celeri,
Et quia non potui temeraria sistere verba,
Hæc rogo ne dubites lecta dicare rogo.

1. *Ad priscum Valerianum*] Hoc carmen editio est panegyrici superioris, cui proinde in antiquis libris præponitur: ut monui ad carmen III. De Valeriano autem, & de statua ænea Sidonii dictum partim epistola x. lib. V. partim ultima lib. IX.

[1] EXCUSATORIUM AD V. C. FELICEM.

CARMEN IX.

Largam Sollius hanc Apollinaris
Felici domino, pioque fratri,
Dicit Sidonius suus salutem.

Dic, dic quod peto, Magne, dic amabo,
Felix nomine, mente, honore, fama,
Natis, [2] conjuge, fratribus, parente,
Germanis genitoris atque matris,
Et [3] summo patruelium Camillo,
Quid nugas temerarias amici,
Quas sparsit teneræ jocus juventæ,
In formam redigi jubes libelli?
Ingentem simul & repente fascem
Conflari invidiæ, & perire chartam?
Mandatis famulor, sed ante testor,
Lector quas patieris heic salebras.
Non nos currimus aggerem vetustum,
Nec quidquam invenies, ubi priorum
Antiquas terat orbitas Thalia.
Non heic antipodas, salumque rubrum,
Non heic Memnonios canemus Indos,
Auroræ face civica perustos:
Non Artaxata, Susa, Bactra, Carrhas,
Non coctam Babylona personabo,
Quæ largum fluvio patens alumno,
Inclusum bibit [4] hinc & inde Tigrim.
Non heic Assyriis Ninum priorem,
Non Medis caput Arbacem profabor:
Nec quam divite, cum refugit hostem,
Arsit Sardanapalus in favilla.
Non Cyrum Astyagis loquar nepotem,
Nutritum ubere quem ferunt canino,
Cujus non valuit rapacitatem
Vel Lydi satiare gaza Crœsi:
Cujus nec feritas subacta tunc est,
Cæsis millibus ante cum ducentis
In vallis Scythicæ coactus artum,
Orbatæ ad Tomyris veniret utrem.
Non heic Cecropios leges triumphos,
Vel si quo Marathon rubet duello:
Aut cum millia mille concitarent
Inflatum numerositate Xerxen;
Atque hunc fluminibus satis profundis
Confestim ebibitis adhuc sitisse:
Nec non Thermopylas, & Hellis undas,
Spretis obicibus soli salique,
Insanis equitasse cum catervis:
Admissoque in Athon tumente ponto
Juxta frondiferæ cacumen alpis
Scalptas classibus isse per cavernas.
Non prolem Garamantici tonantis,
Regnis principibusque principantem,
Porrectas Asiæ heic loquar [5] paterno
Actam fulmine pervolasse terras.
Et primum Darii tumultuantes
Præfectos satrapasque perculisse:
Mox ipsum solio patrum superbum,
Cognatosque sibi deos crepantem,
Captis conjuge, liberis, parente,
In casus hominis redire jussum.
Qui cum maxima bella concitasset,
Tota & Persidis undique gregatæ
Uno constituisset arma campo,
Hoc solum perhibetur affecutus,
Dormire ut melius liberet hosti.
[6] Non vectos Minyas loquente silva
Dicam Phasiaco stetisse portu,
Forma percita cum ducis Pelasgi
Molliret rabidos virago tauros,
Nec tum territa, cum suus colonus,
Post anguis domiti satos molares,
Armatas tremebundus inter herbas,
Florere in segetem stuperet hostem,

1. *Excusatorium ad V. C. Felicem*] Carmen hoc reliquorum quæ sequuntur est procemium, ac veluti præfatio, Rogarat enim Felix Sidonium, ut poematia quæ variis occasionibus scripserat, in unius libri formam redigeret ac publicaret. In quo etsi non ignorabat quam grave foret alieni judicii aleam subire; amici tamen desiderio deesse non potuit. Itaque editionem suam parendi studio excusat: unde & carmini titulus in libris antiquis: EXCUSATORIUM AD V. C. FELICEM. Felix ergo is est, ad quem aliquas epistolas vidimus, Magni consulis ex Majoriani epulo noti filius, a quo & cognomen tulit: nam Magnus Felix appellatus est. Consul tamen non fuit, sed præfectus tantum prætorio & patricius. Prius enim quam ad consulatum perveniret, sæculum reliquit & religiosam vitam amplexus est. Quo tempore insignem ad ipsum, quæ exstat, epistolam scripsit Faustus episcopus Reiensis, qua nuper *ἀποταξαμένῳ* pœnitentiæ formam tradit. Gennadius in Fausto: *Scripsit postea ad Felicem præfectum prætorio, & patriciæ dignitatis virum, filium Magni consulis jam religiosum, epistolam ad Domini timorem hortatoriam, convenientem personis pleno animo pænitentiam agere disponentum.* Utriusque præterea distincte meminit in Propemptico.

2. *Conjuge*] Attica nomine. Ea enim videtur, de qua Romæ vetus olim erat epigramma in ecclesia S. Laurentii in Damaso, in qua nescio quid operis suo sumtu construxerat:

Quisquis plena Deo mysteria mente requiris,
Huc accede: domus religiosa patet.
Hæc sunt tecta pio semper devota timori,
Auditumque Deus commodat heic precibus.
Ergo letiferos propera compescere sensus,
Jam propera sacras lætus adire fores.
Ut transacta queas deponere crimina vitæ,
Et quidquid scelerum noxius error habet.
ATTICA FELICIS MAGNI *clarissima conjunx,*
Sumtibus hoc propriis ædificavit opus.

3. *Summo patruelium Camillo*] Hunc Magni consulis fratris filium fuisse docuit epistola ultima lib. I. Nos magni Felicis Ennodii patrem conjecimus ad Ennodii epistolam xxv. lib. IV.

4. *Hinc & inde Tigrim*] Immo Euphratem, ut historiæ omnes tradunt, & Propertius lib. III.

Duxit & Euphratem medium qui condidit arces,

Quare Tigrim posuit, pro Euphrate.

5. *Paterno actam fulmine*] Summa celeritate tot gentes debellasse. Apelles Alexandrum *κεραυνοφόρον*, fulmen tenentem pinxit. Quod etsi ad fabulosam Jovis patris originem referre potuit: constat tamen, nulla re umquam aptius illi fulmen convenisse, quam cum ortus orbitusque, ut cum Papinio loquar, fulminaret, hoc est, pari pernicitate atque impetu opprimeret. Propterea sacri quoque interpretes nostri Alexandrum Macedonem a Daniele propheta cum pardo alato comparatum docent: quia id genus feræ concitatissimum, & Alexandri victoria, ut Hieronymus notat, nihil fuit velocius.

6. *Non vectos Minyas*] Argonautas. Seriem temporum Sidonius etiam in mythicis observat. Nam si ab Argonautis unde orditur, ad Odysseam usque in qua desinit, percurras, eodem omnia narrat ordine, quo gesta finguntur. *χρονικῇ* ergo *μεθόδῳ* usus est. At Lucianus *τοπικῇ* contentus, in dialogo *περὶ ὀρχήσεως*, post ea quæ ad deos spectabant, quæ primo loco commemorat, reliquam omnem mythologiam locis ac regionibus distinxit, Atticam, Thebaicam, Corinthiacam, Æthiopicam, Laconicam, Eliacam, Arcadicam, Thessalicam, & ceteras quas hoc filo persequitur. Ad Thessalicam autem refert Argonautas, *τὴν Ἀργὼ, τὴν λάλον αὐτῆς τρόπιν*, *Argo navim & garrulam ejus carinam.*

Et pugnantibus hinc & hinc ariſtis.
Supra belliferas madere glebas,
Culmoſos viridi cruore fratres.
Non heic terrigenam loquar cohortem,
Admixto mage vividam veneno,
Cui præter ſpeciem modo carentem,
Angues corporibus voluminoſis
Alte ſquamea crura porrigentes,
In veſtigia fauce deſinebant.
Sic [1] formæ triplicis procax juventus,
Tellurem pede proterens voraci,
Currebat capitum ſtupenda greſſu:
Et cum claſſica numinum ſonabant,
Mox contra tonitrus reſibilante
Audebat ſuperos ciere planta.
Nec Phlegræ legis ampliata rura,
Miſſi dum volitant per aſtra montes,
Pindus, Pelion, Oſſa, Olympus, Othris,
Cum ſilvis, gregibus, feris, pruinis,
Saxis, fontibus, oppidis, levati
Vibrantum ſpatioſiore dextra.
[2] Non heic Herculis excolam labores,
Cui ſus, cerva, leo, gigas, Amazon,
Hoſpes, taurus, Eryx, aves, Lycus, fur,
Neſſus, Libs, juga, poma, virgo, ſerpens,
Geta, Thraces equi, boves Iberæ,
Luctator fluvius, canis triformis,
Portatuſque polus polum dederunt.
Non heic Elida nobilem quadrigis,
[3] Nec notam minus amnis ex amore
Verſu proſequar, ut per ima ponti
Alpheus fluat, atque tranſmarina
In fluctus cadat unda conjugales.
Non heic Tantaleam domum retexam,
Qua mixtum Pelopea per parentem eſt
Prolis facta ſoror, novoque monſtro
Infamem genuit pater nepotem.
Nil mæſtum heic canitur; nec eſculentam
Fletus pangimus ad dapem Thyeſtæ,
Fratris crimine qui miſer voratis
Vivum pignoribus fuit ſepulcrum:
Cum poſt has epulas repente flexis
Titan curribus occidens ad ortum,
Convivam fugeret, diem fugaret.
Nec Phryx paſtor erit tibi legendus,
Decreſcens cui Dindymon reciſo
Fertur vertice texuiſſe claſſem:
Cum juſſu Veneris patrocinantis
A Terras Ochalias, & hoſpitales
Raptor depopulatus eſt Amyclas,
Prædam trans pelagus petens ſequacem.
Sed nec Pergama, nec decenne bellum.
Nec ſævas Agamemnonis phalangas:
Nec perjuria perſequar Sinonis,
Arx quo Palladio dicata ſigno,
Pellaci reſerata proditore,
Portantem pedites equum recepit.
Non heic Mæoniæ ſtilo camenæ,
[4] Civis Dulichiique Theſſalique
Virtutem ſapientiamque narro.
Quorum hic Peliaco putatur antro,
Venatu, fidibus, palæſtra & herbis,
B Sub Saturnigena ſene inſtitutus.
Dum nunc luſtra terens puer ferarum,
Paſſim per Pholoen jacet nivoſam,
Nunc præſepibus accubans amatis,
Dormit mollius in juba magiſtri.
Inde Scyriadum datus parenti,
Falſæ nomina pertuliſſe Pyrrhæ,
Atque inter tetricæ choros Minervæ.
Occultos Veneri rotaſſe thyrſos.
Poſtremo ad Phrygiæ ſonum rapinæ
Tractus laudibus Hectoris trahendi.
Aſt illum, cui contigit paternam
Quartum poſt Ithacam redire luſtrum,
Nec Smyrnæ ſatis explicat volumen.
C Nam quis continuare poſſit illos
Quos terra & pelago tulit labores?
Raptum Palladium, repertum Achillem,
Captum præpetibus Dolona plantis,
Et Rhœſi niveas prius quadrigas,
Xanthi quam biberent fluenta, tractas?
Ereptam quoque quem deus patronus,
Philocteta, tibi dedit pharetram?
Ajacem Telamonium furentem,
Quod ſe ſe ante rates agente cauſſam
Pugnacis tulit eloquens coronam?
Vitatum hinc Polyphemon, atque Circen,
Et Læſtrigonii famem tyranni?
Tum pomaria divitis Calypſus,
D Sirenas pereuntibus placentes,
Vitatas tenebras, facemque Naupli,
Et Scyllæ rapidum voracis inguen,
Vel Taurominitana quos Charybdis
Ructato ſcopulos cavat profundo?
Non [5] divos ſpecialibus faventes

1. *Formæ triplicis procax juventus*] Forma, ſi rem ſpectas, gigantibus duplex: ſi numerum, triplex: quia pube tenus homines erant, cetera ſerpentes: ſed geminus cuique ſerpens pro numero pedum. Hinc formæ triplicis dicti Sidonio, & ternæ Pelori gigantis, a Marte occiſi, animæ Claudiano: *Atque uno ternas animas interficit ictu*: quia binæ in pedibus erant, tertia in reliquo corpore.

2. *Non heic Herculis excolam labores*] Herculis labores vicenos ternos enumerat, nec pauciores carmine XV. Nam XII. qui celebrantur, præcipui ac legitimi fuerunt, ab Euryſtheo imperati: præter hos, quæ *πάρεργα τῶν ἄθλων* Græci vocant, plurima. Sed *ἄθλους* hoc loco XI. tantum commemorat, Augiæ ſtabulo prætermiſſo, quod ipſum etiam non ſatis probaſſe dicitur Euryſtheus. *πάρεργα* vero XII. in quibus gigas eſt Halcyoneus, hoſpes Buſiris, Libs Antæus, juga Calpe & Abyla, virgo Heſione, luctator E fluvius Achelous: reliqua ſunt notiora.

3. *Nec notam minus amnis ex amore*] Id rectius, quam quod in vulgatis *notam nimis*. Elidem ait non minus notam eſſe ex fabuloſis Alphei & Arethuſæ amoribus, quam ex ludis Olympicis. Utrorumque meminit etiam Lucianus. Sed Alphei amnis fabulam, Ἀλφειῦ ἔρωτα, καὶ ὕφαλον *ἀποδημίαν*, non Eliacæ, ut *πρώτους τῶν Ὀλυμπίων ἀγωνιστὰς*, ſed Arcadicæ tribuit mythologiæ: eo quod Alpheus, licet Elida præterfluat, fontes tamen primumque curſum ducit ex Arcadia.

4. *Civis Dulichiique Theſſalique*] Ulyſſis & Achillis. Verum Achillis geſta levius delibat, nec aliud attingit, quam ejus ſub Chirone Centauro educationem, & latentem inter Lycomedis filias moram, quæ Ἀχιλλέως ἐν Σκύρῳ *παρθένωσις* dicta Luciano. Ulyſſis contra hiſtoriam fere univerſam, tum belli tum errorum, accurate perſequitur.

5. *Non divos ſpecialibus*] Municipes deos appellat Minucius Felix, qui peculiari cultu in ſingulis civitatibus vel provinciis conſecrati ſunt. Horum catalogos texunt etiam Tertullianus Apologetici cap. XXIV. Lactantius lib. I. Prudentius in Symmachum II. Sidonius, qua excellit brevitate, binos ſingulis verſibus concluſit: vetus epigramma ſingulos ſingulis, in hunc modum:

Dodone tibi, Juppiter, ſacrata eſt,
Junoni Samos & Mycena Diti,
Undæ Tænaros æquoriſque regi.
Pallas Cecropias tuetur arces,
Delphos Pythius orbis umbilicum,
Creten Delia, Cynthioſque colles,
Faunus Mænalon, Arcadumque ſilvas.
Eſt tutela Rhodos beata Solis,
Gades Herculis, humidumque Tibur,
Cyllene celeri deo nivoſa.
Tardo gratior æſtuoſa Lemnos.
Ennæ Cererem nurus frequentant.
Raptam Cyzicos oſtreoſa divam,
Formoſam Venerem Cnidos, Paphoſque.



Agris, urbibus, insulisque canto,
Saturnum Latio, Jovemque Cretæ,
Junonemque Samo, Rhodoque Solem,
Hennæ Persephonem, Minervam Hymetto,
Vulcanum Liparæ, Papho Dionem,
Argis Persea, Lampsaco Priapum,
Thebis Evhion, Ilioque Vestam,
Tymbræ Delion, Arcadem Lycæo,
Martem Thracibus, ac Scythis Dianam:
Quos fecere deos dicata templa,
Tus, sal, far, mola, vel superfluarum
Consecratio cerimoniarum.
[1] Non cum Triptolemo verendam Eleusin,
Qui primas populis dedere aristas
Pastis Chaonium per ilicetum.
[2] Non Apin Mareoticum sonabo
Ad Memphitica sistra concitari.
Non dicam Lacedæmonis juventam
Unctas Tyndaridis dicasse luctas,
Doctos quos patriis Palem Therapnis
Gymnas Bebrycii tremit theatri.
[3] Non sortes Lyciasque, Cæritumque,
[4] Responsa aut Themidis priora Delphis.
Nec quæ fulmine Thuscus expiato,
Septum numina quærit ad bidental.
Nec quos Euganeum bibens Timavum
Colle Antenoreo [5] videbat augur
Divos Thessalicam movere pugnam.
Nec quos Amphiaraus, & Melampus.
Ex ipsis rapuit deos favillis,
Per templum male fluctuante flamma,
Gaudens lumine perdito Metellus.
Non heic Cinyphius canetur Ammon,
Mitratum caput elevans arenis,
Vix se post [6] hecatombion litatum
Suetus promere Syrtium barathro.
Non heic Dindyma, nec crepante buxo
Curetas Berecynthiam sonantes,
Non Bacchum trieterica exserentem
Describam, & tremulas furore festo
Ire in Bassaridas, vel infulatos
Aram ad turicremam rotare mystas.
Non heic Hesiodea pinguis Ascræ
Spectes carmina, Pindarique chordas.

A Non heic socciferi jocos Menandri,
Non læsi Archilochi feros jambos,
Vel plus Stesichori graves camœnas.
Aut quod composuit puella Lesbi.
Non quod Mantua contumax Homero,
Adjecit Latiaribus loquelis,
Æquari sibimet subinde livens
Busto Parthenopem Maroniano.
Non quod per satyras epistolarum,
Sermonumque sales, novumque epodon,
Libros carminis, ac poeticam artem,
Phœbi laudibus & vagæ Dianæ
Conscriptis voluit sonare Flaccus.
Non quod Papinius tuus, meusque,
B Inter Labdacios sonat furores.
Aut cum forte pedum minore rhythmo
Pingit gemmea prata silvularum.
[7] Non quod Corduba præpotens alumnis
Facundum ciet, heic putes legendum.
Quorum unus colit hispidum Platona,
Incassumque suum monet Neronem.
Orchestram quatit alter Euripidis,
Pictum fæcibus Æschylon secutus,
Aut plaustris solitum sonare Thespin,
Qui post pulpita trita sub cothurno
Ducebant olidæ marem capellæ.
Pugnam tertius ille Gallicani
Dixit Cæsaris, ut gener socerque
C Cognata impulerint in arma Romam.
Tantum dans lacrymas suis Philippis,
Ut credat Cremeræ levem ruinam,
Infra & censeat Alliam dolendam,
Ac Brenni in trutina Jovem redemtum:
Postponat Trebiam, gravesque Cannas,
Stragem nec Thrasimenicam loquatur.
Fratres Scipiadas pudet silendos,
Quos Tartesiacus retentat orbis:
Euphratem taceat male appetitum,
Crassorum & madidas cruore Carrhas,
Vel quos Spartace consulum solebas
Victrici gladios fugare sica,
Ipsum nec fleat ille plus duellum,
D Quod post Cimbrica turbidus tropæa,
Et vinctum Nasamonium Jugurtham,

1. *Non cum Triptolemeo verendam Eleusin.*] Cererem. Firmicus Maternus de erroribus profanarum relig. cap. VII. *Ad Atticæ urbis locum pervenit. Illic hospitio recepta incolis incognitum adhuc triticum dividit. Locus ex patria, & ex adventu mulieris nomen accepit. Nam Eleusin dictus est, quod illuc Ceres relicta Enna venerat.* Sed verendam Eleusin Sidonius dixit non urbem Atticæ, in qua Ceres celebatur, sed Cererem ipsam, Claudianum sequutus lib. I. de raptu:

— — sanctasque faces attollit Eleusin,
Angues Triptolemi strident.

2. *Non Apin Mareoticum*] Memphitarum proprium numen. Clemens Alexandrinus Protreptico, inter ἄλογα τῶν ζώων apud Ægyptios κωμηδὸν καὶ κατὰ πόλεις consecrata, E Heliopolitis ichneumonem adscribit, Saitis & Thebæis ovem, Lycopolitis lupum, Cynopolitis canem, hircum Mendesiis, Memphitis apin, id est Ægyptiorum lingua bovem. Tibullus lib. I. elegia VII. eumdem facit ac Osirin.

Te canit, atque suum pubes miratur Osirin
Barbara, Memphitem plangere docta bovem.

Et Apin Osiridis animam esse, ex sacerdotum quoque mysteriis tradit Plutarchus. Ex Osiri porro & Api a Sesostri rege, ut Clemens idem narrat, factus Serapis. Quare Serapis, Osiris & Apis, unus idemque Memphitarum deus.

3. *Non sortes Lyciasque, Cæritumque*] Lycias sortes, Virgilii exemplo, dixit aliud genus oraculi, quod per Apollinem in Lycia reddebatur. At Cæritum sortes proprie fuerunt, ut Prænestinæ, Antiatinæ, Falerinæ, Aponinæ: tabellæ nimirum ligneæ, litteris inscriptæ, quas oraculi vice consulebant. γραμματεῖα vocat Plutarchus, de Falerinis agens in Fabio. Quo genere qui utebantur, sortibus sublatis aliquid agere dicebantur. Antiqua Inscriptio Mediolani, SACRO SUSCEPTO, SORTIBUS SUBLATIS. Cicero de divinatione deorum II. de Prænestinis: *Ex illa olea arcam esse factam, in eaque conditas, quæ hodie Fortunæ monitu tolluntur.*

4. *Responsa aut Themidis*] Quæ prima omnium Delphis vaticinata fingitur, Apollinemque ipsum docuisse. Orpheus in hymno.

Η πρώτη κατέδειξε βροτοῖς μαντεῖον ἁγνόν.
Δελφικῷ ἐν κευθμῶνι θεμιστεύουσα θεοῖσι
Πυθίῳ ἐν δαπέδῳ, ὅθι Πυθοῖ ἐμβασίλευσεν·
Η καὶ πρώτη Φοῖβον ἄνακτα θεμιστοσύνας ἐδίδαξε.

5. *Videbat augur*] Cornelius sacerdos, qui pugnæ Pharsalicæ imaginem absens, qua hora pugnabatur, repente mota mente, conspexisse atque enuntiasse fertur. Lucanus lib. VII. Gellius lib. XV. c. XVIII. Julius Obsequens cap. LXIV. *C. Cornelius augur Patavinus eo die, cum aves admitterent, proclamavit rem geri, & vincere Cæsarem.*

6. *Hecatombion*] Sic liber optimæ notæ. Rectum erat, ut hecatombœum diceretur, quod est ἑκατόμβοιον, ut Eubœa, Sthenebœa, Bœotia. Sed in *oi* diphthongo, ut posteriorem interdum litteram auferri mos est, ut ποίημα poema, ποιητὴς poeta: sic priorem contra elidi non insolens fuit ævo inferiore. Ita enim solicismum apud Ausonium, & miras infra carmine XV. & meticos in panegyrico Aeduo legimus, quod Græce est σολοικισμὸς, μοῖρας, μέτοικοι.

7. *Non quod Corduba*] De iisdem Martialis lib. I. cap. LXII. ad Licinianum:

Duosque Senecas, unicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
472.

Dum quærit Mithridati cum triumphum,
Arpinas voluit movere Syllæ.
[1] Non Gætulicus heic tibi legetur,
Non Marfus, Pedo, Silius, Tibullus,
Non quod Sulpiciæ jocus Thaliæ
Scripfit blandiloquum fuo Celeno.
Non Perfi rigor, aut lepos Properti,
Sed nec centimeter Terentianus.
Non Lucilius heic, Lucretiufque eft.
[2] Non Turnus, Memor, Ennius, Catullus,
Stella, & Septimius, Petroniufque,
Aut mordax fine fine Martialis.
Non qui tempore Cæfaris fecundi
Æterno incoluit Tomos reatu.
Nec qui confimili deinde cafu,
Ad vulgi tenuem ftrepentis auram,
Irati fuit [3] hiftrionis exful.
Non Pelufiaco fatus Canopo
Qui ferruginei toros mariti,
Et mufa canit inferos fuperna.
Nec qui jam patribus fuere noftris
Primo tempore maximi fodales.
[4] Quorum unus Bonifacium fequutus,
Nec non præcipitem Sebaftianum,
Natales puer horruit Cadurcos,
Plus Pandionias amans Athenas.
Cujus fi varium legas poema,
Tum Phœbum, vel Hyantias puellas,
Potato madidas ab Hippocrene,
Tunc Amphiona, filiumque Majæ,
Tunc vatem Rhodopejum fonare
Collato modulamine arbitreris.
Non tu heic nunc legeris, tuumque fulmen,
O digniffime [5] Quintianus alter,
Spernens qui Ligurum folum & penates,
Mutato lare Gallias amafti,
Inter claffica figna, pila, turmas,
Laudans Aetium, vacanfque libro,
In caftris hedera ter aureatus.
[6] Sed nec tertius ille nunc legetur,
Bætin qui patrium femel relinquens,
Undofæ petiit fitim Ravennæ:
Plofores cui fulgidam Quirites,
Et carus popularitate princeps,
[7] Trajano ftatuam foro locarunt.
Sed ne tu mihi comparare tentes,
Quos multo minor ipfe plus adoro,
Paullinum, [8] Ampeliumque, Symmachumque,
[9] Meffalam ingenii fatis profundi,
[10] Et nulli modo Martium fecundum,
Dicendi arte nova parem vetuftis,
Petrum & cum loquitur nimis ftupendum,

1. *Non Gætulicus*] Lentuli Gætulici exftant Græca epigrammata in Anthologia. Martialis inter lafcivos poetas numerat, Plinius inter viros graves, qui ludicra fcripfere, lib. V. epift. III. Meminit ejufdem Sidonius lib. II. epift. x. Domitium vero Marfum & Pedonem, epigrammatographis quoque adnumerat idem Martialis. Sed Marfi hodie, præter Cicutæ fragmentum, nihil fupereft: C. Pedonis Albinovani aliquot elegiæ leguntur: Sulpitiæ quam Martialis quoque laudat lib. X. fatyra unica de temporibus Domitiani.

2. *Non Turnus, Memor*] Fratres fuerunt Vefpafianorum temporum poetæ; hic Tragicus, ille fatyricus, de quibus Martialis lib. XI. cap. xi. Turni e fatyra diftichum profert vetus interpres Juvenalis: *Scævæ Memoris Herculem* tragœdiam citat Fabius Fulgentius de prifco fermone. Stellæ autem poetæ laudes & epithalamium cecinit Papinius. De A. Septimio lyrico Sidonius iterum in epiftola ad Polemium carmine xiv.

3. *Hiftrionis exful*] Juvenalis. Ovidium ergo ab exfilii loco defignavit: Juvenalem ab auctore calamitatis, Paride pantomimo: Claudianum a patria Ægypto, & Proferpinæ raptu carminis argumento.

4. *Quorum unus Bonifacium fequutus*] Cadurci hujus poetæ, qui Bonifacio comiti, ejufque genero adhæfit, nomen ignotum. Præcipitem autem Sebaftianum appellat, ob varia & fubita confilia, quæ fæpe variavit. Primum enim, ut auctor eft Idacius, poft mortem Bonifacii cui fucceſferat, ab aula per Aetium pulfus ad palatium orientis navigavit. Inde poft aliquot annos, cum res novas moliri cœpiffet, fugere coactus, ad Theodoricum Gothorum regem in Galliam venit, Barcinonemque repente hoftis factus invafit. Qua ejectus ad Vandalos migravit & Genfericum: a quo tandem haud multo poft feliciore exitu, quam vita, quia fidei catholicæ odio, ut Victor fcribit, necatus eft.

5. *Quintianus alter*] Diverfus hic a Proculo, Ligure item poeta, de quo dictum lib. IX. epift. xv. ad Gelafium.

6 *Sed nec tertius ille*] Vide an Merobaudes. Fuit enim hic poeta, & ortu Hifpanus, ut tradunt, & Afterii, quo confule Sidonii pater præfecturam geffit, gener, & ftatuis donatus. Idacius in Chronico: *Afturio magiftro utriufque militiæ gener ipfius fucceffor ipfi mittitur Merobaudes, natu nobilis, & eloquentiæ merito, vel maxime in poematis ftudio veteribus comparandus: teftimonio etiam provectus ftatuarum.* Hujus eft de Chrifto breve carmen; quod editum eft cum aliis Chriftianorum.

7. *Trajano ftatuam foro*] Quo in loco & Sidonio ipfi pofitam didicimus ex epiftola ultima, & ex carmine VIII. aliafque aliis pofitas docent antiquæ Infcriptiones vulgatæ: quibus addi hæc etiam poteft non inelegans nondum edita, quam Romæ obfervavimus in Hortis Montaltinis in Exquilino.

FL. PEREGRINO SATURNINO.

A PRIMIS ADULESCENTIÆ SUÆ ANNIS PACE BELLOQUE IN REPUBLICA DESUDANTI POST JUGES EXCUBIAS MILITIÆ TRIBUNO MILITUM COMITI ORDINIS PRIMI MODERANTI INLUSTREM SACRI PATRIMONII COMITIVAM SECUNDO URBI PRÆFECTO. CUI OB TESTIMONIUM MORUM INTEGRITATIS ATQUE JUSTITIÆ SINGULARIS INLUSTRIS URBANÆ PRÆFECTURÆ GEMINAM DIGNITATEM SACRO JUDICIO ÆTERNI PRINCIPES DETULERUNT MERITORUMQUE INSIGNIUM CONTEMPLATIONE AD POSTERITATIS MEMORIAM DECORANDAM STATUAM SUB AURO FULGENTEM IN FORO DIVI TRAJANI ERIGI COLLOCARIQUE JUSSERUNT.

8. *Ampelium*] L. Ampelii ad Marinum fragmenta quædam prolixioris operis exftare Divione in bibliotheca S. Benigni docuit nos olim P. Pithœus, & præfationem oftendit. Idem ne an alius fuerit ab hoc Ampelio, non affirmem.

9. *Meffalam*] Hunc vero dulcem illum poetam effe non dubito, quem præterea a generis, honorum, vitæ ac litterarum fplendore laudat Numatianus, de Tauri Thermis agens, lib. I. Itinerarii:

Hæc quoque Pieriis fpiracula comparat antris
Carmine Meffalæ nobilitatus ager.
Intrantemque capit, difcedentemque moratur
Poftibus affixum dulce poema facris.
Hic eft qui primo feriem de confule ducit,
Ufque ad Publicolas nobilitatus avos.
Hic & præfecti nutu prætoria rexit,
Sed menti & linguæ gloria major ineft.
Hic docuit qualem pofcat facundia fedem,
Ut bonus effe velit quifque, difertus erit.

Præfecturam ejus prætorianam, quam Theodoro confule fequentique anno geffit, teftantur variæ leges codicis, & Symmachus aliarum fimul ejus laudum adftipulator, libro VII. epift. xxc. & fequentibus. FL. VALERIUM MESSALAM appellat vetus Romæ infcriptio.

10. *Et nulli modo Martium fecundum*] In Narbone Martium Myronem commemorat. Sed ille Gallus, hic Romanus. Quare diftinguendi funt. De Villico etiam poeta quærendum. Reliqui enim ex aliis jam locis innotuere. Petrus magifter epiftolarum Majoriani, Anthedius Vefunnicus, Lampridius rhetor Burdegalæ, Leo Eurici confiliarius, & Julius Severianus auctor præceptorum artis rhetoricæ.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
472.



Vel quem municipalibus poetis
Præponit bene Villicum senatus.
Nostrum aut quos retinet solum disertos
Dulcem Anthedion, & mihi magistri
[1] Musas sat venerabiles Hoeni:
Acrem Lampridium, catum Leonem,
Præstantemque tuba Severianum,
Et sic scribere non minus valentem,
Marcus Quintilianus ut solebat.
Nos valde sterilis modos camœnæ
Raræ credimus hos, brevique chartæ,
Quæ scombros merito piperque portet.
Nam quisnam deus hoc dabit rejectæ,
Ut vel suscipiens bonos odores,
Nardum, ac pinguia niceroțianis
Quæ flagrant alabastra tincta succis,
Indo cinnamon ex rogo petitum,
Quo Phœnix juvenescit occidendo,
Costum, malobatrum, rosas, amomum,
A Myrrham, tus, opobalsamumque servet?
Quapropter facinus meum tuere,
Et condiscipuli tibi obsequentis,
Incautum, precor, afferas pudorem.
Germanum tamen ante sed memento
Doctrinæ columen [2] Probum advocare:
Isti qui valet exarationi
Districtum bonus applicare theta.
Novi sed bene, non refello culpam,
Nec doctis placet impudens poeta.
Sed nec turgida contumeliosi
Lectoris nimium verebor ora,
Si tamquam gravior severiorque
Nostræ Terpsichores jocum refutans,
B Rugato [3] Cato Tetricus labello
Narem rhinoceroticam minetur.
Non te terreat hic nimis peritus:
Verum si cupias probare, tanta
Nullus scit, mihi crede, quanta nescit.

1. *Musas Hoeni*] Sic legendum. Idem enim huic nomen, quod T. Hoenio Severo consuli sub Antonino Pio, cujus & collegæ consulatus in ara antiqua e marmore Pario Romæ adscriptus est.

SILVANO AUG.
SACRUM
C. IULIUS
CASTRENSIS
EX VOTO.

Ad latus.

DEDIC. VIIII. KAL. IUN.
T. HOENIO SEVERO
M. PEDUCÆO SILOCA COS.

2. *Probum*] Eulaliæ maritum: ad quem epist. 1. lib. IV.

3. *Cato Tetricus*] Veteres lib. *tertius*. Juvenalis satyra 11. *Tertius e cælo cecidit Cato*. Tertius Cato ea proverbii forma dicitur, qua Sapientum octavus Horatio, & apud Ausonium, *ἢ ἐνάτη μελικῶν, Ἀονίδων δεκάτη*. *Nona inter lyricas, Aonidum decima*.

PRÆFATIO EPITHALAMII

RURICIO & IBERIÆ dicti.

CARMEN XI.

Flucticolæ cum festa nurus Pagasæa per antra
Rupe sub Æmathia Pelion explicuit;
Angustabat humum superum satis ampla suppellex,
Certabant gazis, hinc polus, hinc pelagus.
Ducebatque choros, viridi prope tectus amictu,
Ceruleæ pallæ concolor ipse socer.
Nympha quoque in thalamos veniens de gurgite nuda,
Vestiti cœpit membra timere viri.
Tum divum quicumque aderat, terrore remoto,
Quo quis pollebat lusit in officio.
Juppiter emisit tepidum sine pondere fulmen,
Et dixit, melius nunc Cytherea calet.
Pollux tum cæstu laudatus, Castor habenis,
Pallas tum cristis, Delia tum pharetris.
Alcides clava, Mavors tum lusit in hasta,
Arcas tum virga, nebride tum Bromius.
Heic & Pimpliadas induxerat optimus Orpheus.
Chordis, voce, manu, carminibus, calamis.
Ambitiosus Hymen totas ibi contulit artes:
Qui non ingenio, fors placuit genio.
Fescennina tamen non sunt admissa, prius quam
Intonuit solita noster Apollo lyra.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.

[1] EPITHALAMIUM RURICIO & IBERIÆ dictum.

CARMEN XI.

INter Cyaneas Ephyræa cacumina cautes,
Qua super Idalium levat Orithion in æthram
Exesi sale montis apex, ubi forte vagantem
Dum fugit, & fixit trepidus Symplegada Tiphis,
Atque recurrenrem ructatum ad rauca Maleam,
Exit in Isthmiacum pelagus claudentibus alis
Saxorum de rupe sinus; quo sæpe recessu,
Sic tamquam toto coeat de lumine cæli,
Arctatur collecta dies, tremulasque per undas
Insequitur secreta vadi: transmittitur alto
Perfusus splendore latex, miroque relatu
Lympha bibit solem, tenuique inserta fluento
Perforat arenti radio lux sicca liquorem.
Profecit studio spatium: nam Lemnius illic
Ceu templum lusit Veneri, fulmenque relinquens,
Heic ferrugineus fumavit sæpe Pyracmon,
Heic lapis est de quinque locis, dans quinque colores,
[2] Æthiops, Phrygius, Parius, Pœnus, Lacedæmon,
Purpureus, viridis, maculosus, eburnus & albus.
Postes chrysolithi fulvus diffulgurat ardor,
Myrrhina, sardonyches, amethystus, Iberus, iaspis.
Indus, Calchidicus, Scythicus, beryllus, achates,
Attollunt duplices argenti cardine valvas,
Per quas inclusi lucem vomit umbra smaragdi.
Limina crassus onyx crustat, propterque hyacinthi
Cærula concordem faciunt in stagna colorem.
Exterior non comta silex, sed prominet alte
Asper ab assiduo lympharum verbere pumex.
Interiore loco simulavit Mulciber auro
Exstantes late scopulos, atque arte magistra
* Ingenti cultu naturæ inculta fefellit,
Huic operi insistens, quod necdum noverat illa,
Quæ pro Lemniacis damnavit furta catenis.
Squameus huc Triton, duplicis confinia dorsi
Qua coeunt, supra sinuamina tortilis alvi,
Inter aquas calido portabat corde Dionem.
Sed premit adjecto radiantis pondere conchæ
Semiferi Galatea latus, quod pollice fixo
Vellit, & occulto spondet connubia tactu.
Tum gaudens torquente joco, subridet amator
Vulnere, jamque suam parcenti pistre flagellat.
Pone subit turmis flagrantibus agmen Amorum.
Hic cohibet delphina rosis, viridique juvenco
Hic vectus, spretis pendet per cornua frenis.
Hi stantes motu titubant, plantaque madenti

1. *Epithalamium Ruricio & Iberiæ dictum*] Jam monui ad epistolam XVI. lib. IV. Ruricium hunc esse, qui postea episcopus fuit Lemovicum: quod de seniore accipiendum est. Duo enim hujus cathedræ antistites Ruricii fuere: quorum alter alteri, hoc est avo nepos successit. Fortunatus lib. IV. utrumque uno complexus est epitaphio: in quo hæc post alia:

Ruricii gemini flores, quibus Aniciorum
Juncta parentali culmine Roma fuit.
Actu, mente, gradu, spe, nomine, sanguine nexi,
Exsultant pariter hinc avus, inde nepos.

Huic ergo Sidonius, cum uxorem apud Arvernos duceret, nuptiale hoc carmen cecinit. Duxit autem Iberiam, Ommatii nobilis viri filiam: quæ sæculi curis se postea, ut Deo religiosius serviret, una cum Ruricio marito abdicavit, ut docent Fausti Reiensis epistt. VI. & VII.

2. *Æthiops*] Αἰθίοψ. Græcum accentum secutus est, non quantitatem. Æthiopici autem marmoris color est purpureus. In panegyrico Majoriani: *Nativa exustus afflavit purpura rupes:* &, *saxa genuino fucata conchylio*, lib. II. ep. II. Phrygii, hoc est Sinnadici, puniceus & maculosus. Statius in Balneo Hetrusci:

Purpura sola, cavo Phrygiæ quam Sinnados antro
Ipse cruentavit maculis lucentibus Atys.

Parii albus. In Burgo Leontii: *Candentem jam nolo Paron*. Punici, seu Numidici eburneus. Panegyrico eodem: *Numadum lapis additur istis, Antiquum mentitus ebur*. Laconici viridis. Prudentius in Symmachum II. *Quæ viridis Lacedæmon habet, maculosaque Sinnas*. Statius: *Hic dura Laconum Saxa virent*. De iisdem omnibus in Burgo Leontii.

* V. 31. *Ingenti cultu*] Barthius in *Adversar.* pag. 1336. legit *ingenii cultu*.

Labuntur, firmantque pedum vestigia pinnis.
Illa recurvato demiserat ora lacerto
Mollia: marcebant violæ, graviorque sopore
Cœperat attritu florum descendere cervix.
Solus de numero fratrum, qui pulcrior ille est,
Deerat Amor, dum festa parat celeberrima Gallis,
[1] Qua socer Ommatius, magnorum major avorum,
Patriciæque nepos gentis, natæ, generoque
Excolit auspiciis faustis: sed fulsit ut ille
Forte dies, matrem celeri petit ipse volatu.
Cujus fax, arcus, [2] corytus pendebat: at ille
Cernuus, & lævæ pendens in margine palmæ,
Libratos per inane pedes adverberat alis,
Oscula sic matris carpens, somnoque refusæ
Semisopora levi scalpebat lumina penna.
Tum prior his alacer cœpit. Nova gaudia porto
Felicis prædæ, genitrix; calet ille superbus
Ruricius nostris facibus, dulcique veneno
Tactus, votivum suspirat corde dolorem.
Esset si præsens ætas, impenderet illi
Lemnias imperium; Cressa stamen labyrinthi,
Alceste vitam, Circe herbas, poma Calypso,
Scylla comas, Atalanta pedes, Medea furores,
Hippodame ceras, cycno Jove nata coronam.
Huic Dido in ferrum, simul in suspendia Phyllis,
Evadne in flammas, & Sestias isset in undas.
His hæc illa refert. Gaudemus, nate, rebellem
Quod vincis, laudasque virum; sed forma puellæ est.
Quam si spectasset quondam Sthenebœius heros,
Non pro contemtu domuisset monstra Chimeræ:
Thermodoontiaca vel qui genitrice superbus
Sprevit Gnosiacæ temeraria vota novercæ,
Hac visa occiderat, fateor, sed crimine vero.
Et si judicio forsan mihi quarta fuisset,
Me quoque Rhœtea damnasset [3] pastor in Ida,
Vincere vel si optas, istam da malo puellam
Dixerat, hanc dederam formam pro munere formæ:
Tantus honor geniusque genis: collata rubori
Pallida blatta latet, depressaque lumine vultus
Nigrescunt vincto baccarum fulgura collo.
Te quoque multimodis ambisset Iberia ludis,
Axe Pelops, cursu Hippomenes, luctaque Achelous,
Æneas bellis, spectatus Gorgone Perseus.
Nec minor hæc species, toties cui Juppiter esset
[4] Delia, taurus, olor, satyrus, draco, fulmen & aurum.
Quare age, jungantur: nam census, forma, genusque
Conveniunt: nil heic dispar tua fixit arundo.
Sed quid vota moror? Dixit, currumque poposcit,
Cui dederant crystalla jugum, quæ frigore primo
Orbis adhuc teneri, glacies ubi Caucason auget,
Strinxit Hyperboreis Tanaitica crusta pruinis,
Naturam sumens gemmæ, quia perdidit undæ.
Perforat hanc fulvo formatus temo metallo:
Miserat hoc fluvius, cujus sub gurgite Nymphæ
Mygdonium fovere Midam, qui pauper in auro
Ditavit versis Pactoli flumina votis.
Splendet perspicuo radios rota margine cingens
Marmaricæ de fauce feræ, dum bellua curvis
Dentibus excussis gemit exarmarier ora.
Misit & hoc munus, tepidas qui nudus Erythras

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 472.

1. *Qua socer Ommatius*] Iberiæ pater, ad quem est Sidonii carmen XVII. Hujus nomen Ruricius, ut mox erat, in filio postea renovavit. Filio enim Ommatii nomen imposuit, ut videre est in ejus epistola XVIII. lib. I. & XXVII. lib. II. Ex quibus hoc etiam colligere est, Ommatium filium patre superstite in clerum allectum, presbyterique gradu ornatum fuisse.

2. *Corytus pendebat*] Duas priores in goryto corripuit, præter etymi rationem. Nam corytus est *γωρυτός*, proprie *τόξου θήκη*, ut pharetra sagittarum, sagma scuti. Homerus Iliad. ρ. *αὐτῷ τόξον αὐτῷ γωρυτῷ*. Heic pro pharetra, ut apud Statium: *Cælestibus implet gorytum telis*: & in Glossis, *goritus βελοθήκη*.

3. *Pastor in Ida*] Paris. Iberiam, inquit, Helenæ prætulisset Paris; istamque sibi, si optio foret, a me dari maluisset.

4. *Delia*] Diana, sive ut in Polemii epithalamio, Dictynna:

Jamque Jovem in formas mutat, quibus ille tenere
Mnemosynem, Europam, Semelem, Ledam, Cynosuram,
Serpens, bos, fulmen, cycnus, Dictynna solebat.

Quo ex loco patet, quonam heic referri singula debeant, præter Satyrum, qui ad Antiopam. Græcum epigramma:

Ζεὺς κύκνος, ταῦρος, σάτυρος, χρυσὸς δι' ἔρωτα
Λήδας, Εὐρώπης, Ἀντιόπης, Δανάης.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
472.



Concolor Æthiopi, vel crinem pinguis amomo
Fluxus odoratis vexat venatibus Indus.
Illa tamen pasci suetos per Cypron olores
Vittata stringit myrto, queis cetera tensis
Lactea puniceo sinuantur colla corallo.
Ergo iter aggressi: pendens rota sulcat inanem
Aera, & in liquido non solvitur orbita tractu.
Hic triplex uno comitatur gratia nexu,
Hic redolet patulo fortunæ copia cornu,
Hic spargit calathis sed flores Flora perennes,
Hic Cererem Siculam Pharius comitatur Osiris,
Hic gravidos Pomona sinus pro tempore portat,
Hic Pallas madidis venit inter prœla trapetis.
Hic distincta latus maculosa nebride Thyas
Indica Echionio Bromii rotat orgia thyrso.
Hic & Sigæis specubus qui Dindyma ludit,
Jam sectus recalet Corybas, cui gutture ravo
Ignem per bifores regemunt cava buxa cavernas.
Sic ventum ad thalamos: tus, nardus, balsama, myrrhæ
Heic sunt, heic phœnix busti dat cinnama vivi.
Proxima quin etiam festorum afflata calore,
Jam minus alget hiems, speciemque tenentia vernam
Hoc dant vota loco, quod non dant tempora mundo.
Tum juvenis dextram Paphie dextramque puellæ
Complectens, paucis cecinit solemnia dictis,
Ne facerent vel verba moram: Feliciter ævum
Ducite concordes: sint nati, sintque nepotes,
Cernat & in proavo sibimet quod pronepos optet.

[1] AD V. C. CATULLINUM,

quod propter hostilitatem barbarorum Epitalamium scribere non valeret.

CARMEN XII.

QUid me, & si valeam, parare carmen
Fescenninicolæ jubes Diones,
Inter crinigeras situm catervas,
Et Germanica verba sustinentem,
Laudantem tetrico subinde vultu,
Quod Burgundio cantat esculentus,
Infundens acido comam butyro?
Vis dicam tibi, quid poema frangat?
Ex hoc barbaricis abacta plectris
Spernit senipedem stilum Thalia,
Ex quo [2] septipedes videt patronos.
Felices oculos tuos & aures,
Felicemque libet vocare nasum,
Cui non allia, sordidæque cepæ,
Ructant mane novo decem apparatus.
Quem non ut vetulum patris parentem,
Nutricisque virum, die nec orto,
Tot tantique petunt simul Gigantes,
Quot vix Alcinoi culina ferret.
Sed jam Musa tacet, tenetque habenas
Paucis hendecasyllabis jocata.
[3] Ne quisquam satyram vel hos vocaret.

1. *Ad V. C. Catullinum*] Catullinum virum illustrem, & commilitio sibi familiarem dixit epistola XI. lib. I. Ab hoc rogatus, ut epithalamium scriberet, negat se posse inter Burgundiones, cum quibus versabatur. Hos ergo crinigeros vocat, ut reliquos Germanos Lucanus & Claudianus. Insuaves præterea & asperos eorum cantus notat: quales Transrhenanis tribuit item Julianus in Misopogone: *ἐθεασάμην μέν τοι τοὺς ὑπὲρ Ῥῆνον βαρβάρους, ἄγρια μέλη λέξει πεποιημένα παραπλήσια ταῖς κλαγγαῖς τῶν τραχὺ βοώντων ὀρνίθων ἀσμενίζοντας, καὶ εὐφραινομένους ἐν μέλεσι.*

2. *Septipedes vidit patronos*] *Burgundio septiges*, lib. IX. epist. ad Lampridium. Varro I. hebdomadum, modum dixit summum adolescendi humani corporis septem pedes. Einartus tamen justum censuit. Sic enim de Carolo magno scribit: *Statura fuit eminenti, quæ tamen justam non excederet. Nam septem suorum pedum proceritatem eum constat habuisse figuram.*

3. *Ne quisquam satyram*] Ut Pæonius, de quo lib. I. epistola XI. Eo enim alludit. Quare Majoriani temporibus hæc scribebat.

EPIGRAMMA

quo ab imperatore MAJORIANO trium capitum remedium postulavit.

CARMEN XIII.

AMphitrioniadem perhibet veneranda vetustas,
  Dum relevat terras, promeruisse polos.
Et licet in nuda torvus confregerit ulna
  Ille Cleoneæ guttura rauca feræ.
Et quamquam ardenti gladio vix straverit hydram,
  Cum duplices pareret vulnere mors animas:
Captivumque ferens silva ex Erymanthide monstrum
  Exarmata feri riserit ora suis.
Collaque flammigenæ dirumpens fumida furis,
  Tandem directas jusserit ire boves:
Taurus, cerva, gigas, hospes, luctator, Amazon,
  Cres, canis, Hesperides sint monimenta viri.
Nulla tamen fuso prior est Geryone pugna,
  Uni tergeminum cui tulit ille caput.
Hæc quondam Alcides: at tu Tirynthius alter,
  Sed princeps magni maxima cura Dei,
Quem draco, cervus, aper, paribus sensere sagittis,
  Cum dens, cum virus, cum fuga nil valuit.
Geryones nos esse puta, monstrumque tributum:
  Heic capita, ut vivam, tu mihi tolle tria.

HAs supplex famulus preces dicavit,
Responsum opperiens pium ac salubre,
Ut reddas patriam, simulque vitam,
Lugdunum exonerans suis ruinis.
Hoc te Sidonius tuus precatur.
Sic te Sidonio recocta fuco,
Multos purpura vestiat per annos.
Sic [2] lustro imperii perennis acto,
Quinquennalia fascibus dicentur.
Sic ripæ duplicis tumore fracto,
Detonsus Vachalim bibat Sicamber.
Quod si contuleris tuo poetæ,
Mandem perpetuis legenda fastis,
Quæcumque egregiis geris triumphis.
Nam nunc Musa loquax tacet tributo,
Quæ pro Virgilio Terentioque,
Sextantes legit unciasque fisci,
[3] Marsyæque timet manum ac rudentem,
Qui Phœbi ex odio vetustiore
Nunc suspendia vatibus minatur.

1. *Epigramma quo ab imp. Majoriano*] De hoc duplicis metri acuto, elegantique epigrammate dubium non est, quin Majoriano tum oblatum sit, cum is Lugdunum post receptam illam urbem venit. Qua de re dictum est in Panegyrico. Remedia tributorum sunt indulgentiæ. Ennodius in vita Epiphanii: *Fessis urbis habitatoribus remediorum utilitate prospexit. Nam directa legatione ad Odoacrem quinquennii vacationem fiscalium tributorum impetravit.* Capita quorum remedium quærit, sunt tributa quæ in singula capita indicebantur. Glossæ veteres, *Tributum capitulare*, ἐπικεφάλαιος φόρος. Panegyristes Æduus: *Septem millia capitum remisisti, quartam amplius partem nostrorum censuum.* Sidonius tria, quæ suo vel suorum nomine debebat, sibi remitti postulat.

2. *Lustro imperii peracto*] Hinc videre est Quinquennalia, Decennalia, & cetera id genus, non ineunte sed peracto ultimi anni circulo celebrari consuesse. Quod docet etiam locus Marcellini XV. *Arelate hiemem agens Constantius, post theatrales ludos atque Circenses ambitioso editos apparatu A. D. VI. Idus Octobres, qui imperii ejus annum XXX. terminabat.* Designat enim Tricennalia. Ceterum Majorianus quintum imperii annum attigit tantum, non absolvit. Quare cassa fuere vota Sidonii.

3. *Marsya manum, ac rudentem*] Marsyæ statua erat in foro Romano, ad quam lites agebantur, de qua Horatius I. Sermonum VI. *obeundus Marsya*, & Martialis II. LXIV.
—— *fora litibus omnia fervent,*
Ipse potest fieri Marsya caussidicus. Scite ergo Marsyam, hoc est vadimonium, sibi poetæ, si tributa differat, metuendum ait, quod poetis propter Apollinem qui victo pelle detraxit, infestus sit Marsyas.

SIDONIUS [1] POLEMIO SUO SALUTEM.

DUm post profectionem tuam, mi Polemi frater amantissime, mecum granditer reputo, quatinus iu votis tuis philosophi fescennina cantarem, obrepsit materia, qua decursa facile dignosci [2] valet, magis me doctrinæ, quam caussæ tuæ habuisse rationem. Omissa itaque epithalamii teneritudine, per asperrimas philosophiæ & salebrosissimas regulas stilum traxi. Quarum talis ordo est, ut sine plurimis novis verbis quæ, præfata pace plurimorum eloquentum, specialiter tibi & complatonicis tuis nota sunt, nugæ ipsæ non valuerint expediri. Videris utrum aures quorumdam per imperitiam temere mentionem centri, proportionis, diastematum, climatum, vel [3] mirarum, epithalamio conducibilem non putent. Illud certe consulari viro vere Magno, quæstorio viro Domnulo, spectabili

1. *Polemio suo salutem*] Polemio eidem biennium jam præfecto Galliarum postea scripsit epistolam XIV. lib. V. ex qua itidem ut ex hac ipsa, Platonicæ philosophiæ studiosum fuisse patet: ut non immerto Sidonius in pangendo ejus epithalamio, dum philosophicum lemma tractat, ejus se doctrinæ potius quam caussæ rationem habuisse dicat.

2. Savaro & Labbeus *valeret*.

3. Pro *matarum*. Vide infra annotationem ad vers. 66.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.



viro Leone ducibus audacter affirmo, muſicam & aſtrologiam, quæ ſunt infra arithmeticam conſequentia membra philoſophiæ, nullatenus poſſe ſine hiſce nominibus indicari. Quæ ſi quiſpiam ut Græca, ſicut ſunt, & peregrina verba contemſerit, noverit ſibi aut ſuper ejuſcemodi artis mentione ſuperſedendum, aut nihil omnino ſe, aut certe non ad aſſem, Latiari lingua hinc poſſe differere. Quod ſi aliquis ſecus atque affero, rem ſe habere cenſuerit, do quidem abſens obtrectatoribus manus: ſed noverint ſententiam meam diſcrepantia ſentientes ſine Marco Varrone, ſine [1] Sereno, non Septimio, ſed Sammonico, ſine Cenſorino, qui de die natali volumen illuſtre confecit, non poſſe damnari. Lectorus es hic etiam novum verbum, id eſt, eſſentiam: ſed ſcias hoc ipſum dixiſſe Ciceronem. Nam [2] eſſentiam, nec non & indoloriam nominavit addens, *Licet enim novis rebus nova nomina imponere*: & recte dixit. Nam ſicut ab eo quod eſt, verbi gratia, ſapere & intelligere, ſapientiam & intelligentiam nominamus, regulariter & ab eo quod eſt eſſe, eſſentiam non tacemus. Igitur quoniam tui amoris ſtudio inductus homo Gallus, ſcholæ ſophiſticæ intromiſi materiam, vel te potiſſimum facti mei deprecatorem requiro. Illi Venus, vel Amorum commentitia pigmenta tribuantur, cui defuerit ſic poſſe laudari. Vale.

1. *Sereno, non Septimio, ſed Sammonico*] Sereni ergo inter ſcriptores duo. A. SEPTIMIUS SERENUS, lyricus poeta, Veſpaſianorum ævo clarus. Neque enim, quod in concinnandis veterum poetarum hiſtoriis, eorumque fragmentis vulgo fit, Septimius a Sereno diſtingui debet: cum Sidonius reclamet, & Marius Victorinus lib. III. de ratione carminum, ac Terentianus ipſe, qui utroque nomine appellat, ruriſque opuſcula e Septimio citat, quorum auctorem alii Serenum nominant. Alter Q. SERENUS SAMMONICUS, qui Severi Aug. ætate floruit, & a Caracalla ejus filio, ut Lampridius narrat, necatus eſt. Cujus quidem libri plurimi olim fuerunt: nunc unicus reſtat libellus metrice conſcriptus de Medicina. Macrobius Sammonici rerum reconditarum libros laudat lib. III. Saturnalium: quos a Sidonio hoc loco intelligi verſimile eſt. Filium is cognominem reliquit Serenum Sammonicum, præceptorem Gordiani minoris, cui moriens patris ſui bibliothecam legavit, quæ ad LXII. millia librorum cenſebatur. Quæ ideo fuſius explicanda fuerunt, quod hunc contrario, quam in Septimio Sereno, errore nonnulli cum Sammonico patre confundant.

2. *Eſſentiam, indoloriam*] Eſſentiæ vocabulum M. Tullio aſſeruit etiam Seneca, ut recte obſervavit Muretus lib. XV. Variarum extremo. Idem mox non *indoloriam*, ſed *indolentiam*, ſcribendum cenſet, quod ita Cicero non ſemel uſurparit. Nos cum veteres Sidonii libros complures viderimus, unicum nacti ſumus, in quo *indolentia* legeretur, in reliquis omnibus *indoloria*: quæ vox apud Ciceronem quoque lib. II. de Finibus in quibuſdam antiquis exemplaribus exſtare dicitur, ubi vulgati *indolentiam* legunt.

PRÆFATIO EPITHALAMII

POLEMIO & ARANEOLÆ dicti.

CARMEN XIV.

Roſper connubio dies coruſcat,
Quem Clotho niveis benigna penſis,
Albus quem picei lapillus Indi
Quem pacis ſimul arbor & juventæ,
Æternumque virens oliva ſignet.
Eja, Calliope, nitente palma,
Da ſacri laticis loquacitatem,
Quem fodit pede Pegaſus volanti,
Cognato madidus jubam veneno.
Non heic impietas, nec hanc puellam
Donat mortibus ambitus procorum.
Non heic Œnomai cruenta circo
Audit pacta Pelops, nec inſequentem
Pallens Hippomenes ad ima metæ
Tardat Schœnida ter cadente pomo.
Non heic Herculeas videt palæſtras
Ætola Calydon ſtupens ab arce,
Cum cornu fluvii ſuperbientis
Alcides premeret, ſubinde feſſum
Undoſo refovens ab hoſte pectus.
Sed doctus juvenis, decenſque virgo,
[1] Ortu culmina Galliæ tenentes:
Junguntur: cito Diva necte chordas:
Nec quod detonuit camœna major,
Noſtram pauperiem ſilere cogas.
At tædas Thetidis, probante Phœbo,
Et Chiron cecinit minore plectro:
Nec riſit pia turba ruſticantem,
Quamvis ſæpe ſenex biformis illic
Carmen rumperet hinniente cantu.

1. *Ortu culmina Galliæ tenentes*] Prima e nobilitate Galliæ. Polemii originem a Cornelio uſque Tacito repetiit epiſtola ſupra ſcripta. Araneolæ proavum conſulem infra oſtendet.

EPITHALAMIUM

POLEMIO & ARANEOLÆ

dictum.

CARMEN XV.

Forte proceloſi remeans ex arce Capharei,
Phœbados Iliacæ raptum ſatis ulta pudorem
Pallas, Erichthæo Xanthum mutabat Hymetto:
Aurato micat ære caput, majuſque ſerenum
De terrore capit: poſito nam fulmine necdum
Cinyphio Tritone truces hilaraverat artus.
Gorgo tenet pectus medium, factura videnti

Et truncata moras; nitet insidiosa superbum
Effigies, vivitque anima pereunte venustas.
Alta cerastarum spiris caput asperat atrum
Congeries: torquet maculosa volumina mordax
Crinis, & irati dant sibila terra capilli.
Squammeus ad mediam thorax non pervenit alvum,
Post chalybem pendente peplo; tegit extima [1] limo
Circite palla pedes, qui cum sub veste moventur,
Crispato rigidæ crepitant in syrmate rugæ.
Lævam parma tegit, Phlegræi plena tumultus.
Heic rotat excussum vibrans in sidera Pindum
Enceladus, rapido fit missilis Ossa Typhœo.
Porphyrion Pangæa rapit, Rhodopenque Adamasthor
Strymonio cum fonte levat, venensque superne
Intorto calidum restinguit flumine fulmen.
Heic Pallas Pallanta petit, cui Gorgone visa
Invenit solidum jam lancea tarda cadaver.
Heic Lemnon pro fratre Mimas contra ægida torquet,
Impulsumque quatit jaculabilis insula cælum.
Plurimus heic Briareus populoso corpore pugnat,
Cognatam portans aciem, cui vertice ab uno
Cernas ramosis palmas fruticare lacertis.
Nec species solas monstris, dedit arte furorem
Mulciber, atque ipsas timuit quas finxerat iras.
Hastam dextra tenet, nuper quam [2] valle Aracynthi
Ipsa sibi posita Pallas protraxit oliva.
Hoc steterat genio, super ut vestigia divæ
Labentes teneat Marathonia bacca trapetas.
Heic duo templa micant, quorum supereminet unus
Ut meritis, sic sede locus, qui continet alta
Scrutantes ratione viros, quid machina cæli,
Quid tellus, quid fossa maris, quid turbidus aer,
Quid noctis lucisque vices, quid menstrua lunæ
Incrementa parent, totidem cur damna sequantur.
Ilicet heic summi resident septem sapientes,
Innumerabilium primordia philosophorum.
Thales Mileto genitus vadimonia damnat,
Lyndie tu Cleobule jubes modus optimus ut sit,
Tu meditans totum decoras Periandre Corinthon,
Atticus inde Solon ne quid nimis approbat unum,
Prienæe Bia, plureis ais esse malignos,
Tu Mitylene satus cognoscis Pittace tempus,
Noscere se se ipsum Chilon Spartane docebas.
Afferit heic Samius post docta silentia lustri
Pythagoras, solidum princeps quod musica mundum
Temperet, & certis concentum reddat ab astris,
Signaque Zodiacus quæ circulus axe supremo
Terna quater retinet, proprio non currere motu,
Æquis inter se spatiis tamen esse locata.
Fixaque signifero pariter quoque cernua ferri,
Præcipuumque etiam septem vaga sidera cantum
Hinc dare, perfectus numerus quod uterque habeatur:
Hoc numero affirmans, hoc ordine cuncta rotari.
Falciferi [3] Cronon ire senis per summa polorum,
Martis contiguum, medio Jove, pergere sidus,
Post hos, jam quarto se flectere tramite solem,
Sic placidam Paphien servare diastema quintum,
Arcadium sexto, lunam sic orbe supremo
[4] Ter denas tropico prope currere climate miras.
Si quos ergo chelys, si quos lyra, tibia si quos

1. *Limo circite palla*] Obliquo vestis flexu ac circuitu. Hæc optimi libri lectio: quæ aptior videtur, quam si cum aliis *limi* legas. Limus enim genus vestis, quale a Servio describitur, ab umbilico ad pedes propendens, non satis convenit Minervæ: nisi forte limum dici quis velit eam ejus pallæ partem, quæ sola infra thoracem instar limi apparebat. Circitem autem pro circulo aliis etiam locis dixit: ut Marius victor lib. III. de Iride.

Effundam radios, & pulcrum circite summo
Arcum curva mihi decorabit Solis imago.

2. *valle Aracynthi*] Montis Bœotiæ: unde Aracynthias. dea. Rhianus ἐν ούμῃ.

Κλῦθί μοι ἀχάων Ἀρακυνθιὰς ἀστερόπαια.

3. *Cronon ire senis*] Φαίνοντα Κρόνου, id est Saturni stellam.

4. *Ter denas miras*] Quidam *maeras* reponunt, μοίρας: ut apud Censorinum cap. VIII. Et quidem ita res exigebat, & Græca diphthongus. Sed de hoc genere scripturæ supra carmine IX. jam dictum est ad *hecatombion*. Sunt autem μοῖραι & μοιρία Græcis Astronomis, quæ partes signorum, & gradus Latinis. Ambrosius in Hexaemeron IV. *In triginta particulas, quas μοιρίδας vocant, unaquamque duodecim illorum distribuunt portionem.*

Ediderint cum voce modos, exemplar ad iſtud
Ponderibus poſitis, quantum proportio ſuadet,
Intervalla ſequi ſepteni ſideris edit.
Harmoniam dicens etiam, quod quatuor iſtis
Sic ſedeant elementa modis, ut pondere magnis
Sit locus inferior: media tellure quod autem
Perfecte medium eſt, imum patet eſſe rotundi,
Hinc fieri, ut terram levior ſuperemicet undas:
Altior his quoque ſit, qui purior eminet aer:
Omnia concludat cælum levitate ſupremæ,
Pendeat & totum ſimul hoc ab origine centri.
Thales heic etiam numeris perquirit, & aſtris,
Defectum ut Phœbi, nec non lunæque laborem
Nuntiet anterius: ſed rebus inutile ponit
Principium, dum credit aquis ſubſiſtere mundum.
Hujus diſcipuli verſa eſt ſententia, dicens
Principiis propriis ſemper res quaſque creari.
Singula qui quoſdam fontes decernit habere
Æternum irriguos, ac rerum ſemine plenos,
Hunc etiam ſequitur qui gignere cuncta putabat
Hunc aerem, pariterque deos ſic autumat ortos.
Quartus Anaxagoras Thaletica dogmata ſervat.
Sed divinum animum ſentit, qui fecerit orbem.
Junior huic junctus reſidet collega; ſed idem
Materiam cunctis creaturis aera credens,
Judicat inde Deum, faceret quo cuncta, tuliſſe.
Poſt hos Arceſilas divina mente paratam
Conjicit hanc molem, confectam partibus illis,
Quas atomos vocat ipſe leves. [1] Socratica poſt hunc
Secta micat, quæ de naturæ pondere migrans
Ad mores hominum limandos tranſtulit uſum.
Hanc ſectam perhibent ſummum excoluiſſe Platona,
Sed triplici formaſſe modo, dum primus & unus
Phyſica vel logico, logicum vel jungit ad ethos.
Invenit hic princeps quid prima eſſentia diſtet
A ſummo, ſextoque bono: cum denique ſaxa
Sint tantum, penituſque nihil niſi eſſe probentur:
Proxima ſuccedant, quibus eſſe & vivere promtum eſt,
Addere quis poſſis nil amplius arbore & herba:
Tertia ſit pecorum, quorum eſſe & vivere motu
Non caret & ſenſu: mortales quarta deinde
Reſpiciat factura ſuos, quibus eſſe, moveri,
Vivere, cum ſenſu datur, & ſupereminet illud
Quod ſapiunt, veroque valent diſcernere falſum:
Quinta creaturas ſuperas ſubſtantia prodat,
Quas quidam dixere deos, quia corpora ſumant
Contemplanda homini, paullo poſt ipſa relinquant,
Inque ſuam redeant, ſi qua eſt tenuiſſima, formam:
Sic fieri ut pateat ſubſtantia ſumma creator:
Sexta tamen, ſupraque nihil,] ſed cuncta ſub ipſo.
Hoc in gymnaſio Polemi ſapientia vitam
Excolit, adjunctamque ſuo fovet ipſa Platoni.
Obviet & quamquam totis Academia ſectis,
Atque neget verum, veris hunc laudibus ornat.
Stoica poſt iſtos, ſed concordantibus ipſis,
Chryſippus, Zenonque docent præcepta tenere.
Excluſi prope jam Cynici, ſed limine reſtant,
Aſt Epicureos eliminat undique virtus.
At parte ex alia textrino prima Minervæ
Palla Jovis rutilat, cujus bis coctus aheno
Serica Sidonius fucabat ſtamina murex.
Ebria nec ſolum ſpirat conchylia ſandix:
Inſertum nam fulgur habet, filoque rigenti
Ardebat gravidum de fragmine fulminis oſtrum.
Heic viridis patrio Glaucus pendebat amictu:
Undabant heic arte ſinus, fictoque tumore

1. *Socratica*] Secundam produxit, ut Prudentius hymno x. in *Hippocratica* tertiam: quia in Socrates & Hippocrates eaſdem producebant Græcum accentum ſecuti, Σωκράτης, Ἱπποκράτης. Ita enim & Maximianus Elegia 1.
Hoc quoque virtutum quondam certamine magnum
Socratem palmam promeruiſſe ferunt.
Et Paullinus auctor Euchariſtici: *Dogmata Socratus, & bellica plaſmata Homeri*. Hujus generis & alia paſſim apud Sidonium: ut Æthiops & Euripides penultima longa: Aratus, Phædonis, diaſtema, matheſis, Heraclitus, ſapphirus eadem brevi.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
472.

Mersabat pandas tempestas texta carinas.
Amphitryoniadi surgebat tertia vestis:
Parvulus heic gemino cinctus serpente novercæ,
Inscius arridet monstris, ludumque putando
Insidias dum nescit amat, vultuque dolentis
Exstingui deflet, quos ipse interficit angues.
Præterea sparsis sunt hæc subjecta figuris,
Sus, leo, cerva, gigas, taurus, juga, Cerberus, hydra,
Hospes, Nessus, Eryx, volucres, Thrax, Cacus, Amazon.
Cres, fluvius, Libs, poma, Lycus, virgo, polus, Oete.
Hoc opus, & si quid superest, quod nomina nescit,
Virgineæ posuere manus: sed in agmine toto
Inter Cecropias, Ephyreiadasque puellas
Araneola micat: proprias conferre laborat
Ipsa Minerva manus, calathisque evicta recedens,
Cum tenet hæc telas, vult hæc plus tela tenere.
Heic igitur proavi trabeas imitata rigentes,
[1] Palmatam parat ipsa patri, qua consul & idem
Agricolam contingat avum, doceatque nepotes
Non abavi solum, sed avi quoque jungere fasces.
Texuerat tamen & chlamydes, quibus ille magister
Per Tartesiacas conspectus splenduit urbes,
Et quibus ingestæ sub tempore præfecturæ
Conspicuus, sanctas se reddit præsule leges.
Attamen in trabea segmento luserat alto,
Quod priscis illustre toris. Ithacesia primum
Fabula, Dulichiique lares formantur, & ipsam
Penelopen tardas texit distexere telas.
Tænaron heic frustra, bis rapta conjuge, pulsat
Thrax fidibus, legem postquam temeravit Averni,

1. ***Palmatam parat ipsa patri, qua consul***] Turbato antea sensu, *pater qua consul*. Araneolæ proavus, qui & patris avus, Agricola consul fuerat. Optabat illa palmatam patri texens, ut pater item consul fieret, quo filii deinceps non abavum solum, sed avum etiam suum consulem ciere possent. Agricola Honorio imperante consul cum Eustathio fuerat anno CDXXI. Præfecturam idem prætorii Galliarum præcedentibus annis administrarat: quod patet ex edicto ipsius, & Palladii præfecti Italiæ de exsilio Pelagii ac Cælestii, quod insertum est Annalibus ecclesiasticis: & ex constitutione imperatoria ad Agricolam præfectum Galliarum de agendo singulis annis Arelate conventu VII. provinciarum, quam in lucem primi dederunt Nicolaus de Cusa lib III. Concordiæ catholicæ XXXV. & Josephus Scaliger in Lectionibus Ausonianis lib. I. cap. XXIV. sed falsa uterque inscriptione. Est enim, non Constantini magni, ut Cusanus censuit, neque Constantini tyranni, ut Scaligero visum est, sed Honorii Augusti, vel Hincmaro teste in epist. VI. & codice antiquo Arelatensi, ex quo integrum Constitutionis exemplum, quod V. C. Nicolai Fabricii Pereschii Senatoris Aquensis beneficio nactus sum, hoc loco subjiciam, quod in eo non pauca sint, quam in hactenus editis, meliora & auctiora.

HONORIUS ET THEODOSIUS

August. V. I. Agricolæ præfecto Galliarum.

Saluberrima magnificentiæ tuæ suggestione inter reliquas reipub. utilitates evidenter instructi, observanda provincialibus nostris, id est per septem provincias; mansura in ævum auctoritate decernimus, quod sperari plane ab ipsis provincialibus debuisset. Nam cum propter privatas ac publicas necessitates, de singulis civitatibus, non solum de provinciis singulis, ad examen magnificentiæ tuæ vel honoratos confluere, vel mitti legatos, aut possessorum utilitas, aut publicarum ratio exigat functionum: maxime opportunum & conducibile judicamus, ut servata posthac annis singulis consuetudine, constituto tempore in metropolitana, id est in Arelatensi urbe, incipiant septem provinciæ habere concilium. In quo plane tam singulis quam omnibus commune consulimus. Primum ut optimorum conventu sub illustri præsentia præfecturæ, si id tamen ratio publicæ dispositionis obtulerit, saluberrima de singulis rebus possint esse consilia. Tum quidquid tractatum fuerit, & discussis ratiociniis constitutum, nec latere potiores provincias poterit, & parem necesse est inter absentes æquitatis formam justitiæque servari. Ac plane præter necessitates publicas, etiam humanæ ipsi conversationi non parum credimus commoditatis accedere, quod in Constantina urbe jubemus annis singulis esse concilium. Tanta enim loci opportunitas, tanta est copia commerciorum, tanta illic frequentia commeantium, ut quidquid usquam nascitur, illic commodius distrahatur. Neque enim ulla provincia ita peculiari fructus sui felicitate lætatur, ut non hæc propria Arelatensis soli credatur esse fecunditas. Quidquid enim dives oriens, quidquid odoratus Arabs, quidquid delicatus Assyrius, quod Africa fertilis, quod speciosa Hispania, quod fortis Gallia potest habere præclarum, ita illic affatim exuberat, quasi ibi nascantur omnia, quæ ubique constat esse magnifica. Jam vero decursus Rhodani, & Tirrheni recursus, necesse est ut vicinum faciant, ac pæne conterminum, vel quod iste præterfluit, vel ille quod circuit. Cum ergo huic serviat civitati quidquid habet terra præcipuum, ad hanc velo, remo, vehiculo, terra, mari, flumine deferatur, quidquid singulis nascitur: quomodo non multum sibi Galliæ nostræ præstitum credant, cum in ea civitate præcipiamus esse conventum, in qua divino quodammodo munere commoditatum & commerciorum opportunitas tanta præstatur? Siquidem hoc, rationabili plane probatoque consilio, jam & vir illustris præfectus Petronius observari debere præceperit: quod interpolatum vel incuria temporum, vel desidia tyrannorum reparari solita prudentia nostra auctoritate decernimus, Agricola parens carissime atque amantissime. Unde illustris magnificentia tua & hanc præceptionem nostram, & priorem sedis suæ dispositionem secuta, ita per septem provincias in perpetuum faciet custodiri, ut ab Idibus August., quibuscumque mediis diebus, in Idus Septembris, in Arelatensi urbe noverint honorati vel possessores, judices singularum provinciarum, annis singulis concilium esse servandum. Ita ut de Novempopulana & secunda Aquitania, quæ provinciæ longius constitutæ sunt, si earum judices certa occupatio tenuerit, sciant legatos juxta consuetudinem esse mittendos. Qua provisione plurimum & provincialibus nostris gratiæ nos intelligimus utilitatisque præstare, & Arelatensi urbi, cujus fidei, secundum testimonia atque suffragia parentis patriciique nostri, multa debemus, non parum adjicere nos constat ornatui. Sciat autem magnificentia tua, quinis auri libris judicem esse mulctandum, ternis honoratos vel curiales, qui ad constitutum locum intra definitum tempus venire distulerint. Data XV. *Kal. Maias accepta Arel.* X. *Kal. Junias. DD. NN. Honorio XII. & Theodosio VIII. Augg. coss.*

Is fuit annus Christi Dionysianus CDXVIII. In altero codice Autissiodorensi eadem constitutio Factum appellatur, ab Hincmaro Edictum. Ex ipsis autem ejus verbis, ut alia desint argumenta, facile est colligere, illam nec ad Constantinum tyrannum referri posse, cum hujus aliorumque tyrannorum desidiam notet: nec ad Constantinum magnum, quamvis hic primum Arelatensium urbi Constantinæ nomen imposuerit, cum infra ejus ætatem non solum Petronius & Agricola præfecti, verum etiam septem Galliæ provinciarum divisio fuerit.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 472.

Et prodesse putans, iterum non respicit umbram
Heic vovet Alceste prælato conjuge vitam
Rumpere: quam cernas Parcarum vellere in ipso
Nondum pernetam, fato præstante salutem.
Heic nox natarum Danai lucebat in auro,
Quinquaginta enses genitor quibus impius aptat,
Et dat concordem discordia jussa furorem.
Solus Hypermnestræ servatus munere Lynceus
Effugit, aspicias illam sibi parva paventem,
Et pro dimisso tantum pallere marito.
Jamque Jovem in formas mutat, quibus ille tenere
Mnemosynem, Europam, Semelen, Ledam, Cynosuram,
Serpens, bos, fulmen, cygnus, Dictynna solebat.
Jamque opus in turrem Danaæ, pluviamque metalli
Ibat, & heic alio stillabat Juppiter auro.
Cum virgo aspiciens vidit Tritonida verso
Lumine, doctisonas spectare libentius artes:
Commutat commota manus, ac pollice docto
Pingere ¹ philosophi victricem * Laida cœpit,
Quæ Cynici per menta feri, rugosaque colla,
Rupit odoratam redolenti forpice barbam.
Subrisit Pallas, castoque hæc addidit ore:
Non nostra ulterius ridebis dogmata, virgo
Philosopho nuptura meo: mage flammea sumens,
Hoc mater sine texat opus. Consurge sophorum
Egregium Polemi decus, ac nunc stoica tandem
Pone supercilia, & Cynicos imitatus amantes,
Incipias iterum parvum mihi ferre Platona.
Hærentem tali compellat voce magister:
Perge libens, neu tu damnes fortasse jugari
Quod noster jubet ille senex, qui non piger hausit
Numina condemnans Anyto pallente venenum.
Dixerat: ille simul surgit, vultuque modesto
Tetrica nodosæ commendat pallia clavæ,
Amborum tum diva comas viridantis olivæ
Pace ligat, nectit dextras, ac fœdera mandat,
Nymphidius quæ cernat avus: probat Atropos omen,
Fulvaque concordes junxerunt fila Sorores.

1. *Philosophi victricem Laida.*] Diogenis, a quo Laidem uxorem ductam prodit Lucianus, ἀληθῶς ἱστορίας II. Διογένης μὲν ὁ Σινωπεὺς τοσοῦτον μετέβαλε τῷ τρόπῳ, ὥστε γῆμαι Λαΐδα τὴν ἑταίραν, ὀρχεῖσθαι τὸ ὑπὸ μέθης ἀνιστάμενον καὶ παροινεῖν.

* Fabricius *Bibl. Gr.* tom. III. pag. 497. miratur, Sirmondum ad hunc Sidonii locum adnotasse, Laidem in uxorem ductam a Diogene Cynico ex Luciani ἀληθοῦς ἱστορίας lib. II. quasi vere hoc contigisset; quum in iis libris narrationes fictas scripserit Lucianus.

¹ EUCHARISTICUM AD FAUSTUM REIENSEM EPISCOPUM.

CARMEN XVI.

Phœbum & ter ternas decima cum Pallade Musas,
Orpheaque, & laticem simulatum fontis equini,
Ogygiamque chelyn, quæ saxa sequacia flectens
Cantibus, auritos erexit carmine muros,
Sperne fidis: magis ille veni nunc spiritus oro
Pontificem dicture tuum, qui pectora priscæ
Intrasti Mariæ, rapiens cum tympana siccus
Israel appensi per concava gurgitis iret,
Aggeribus vallatus aquæ, mediasque per undas
Pulverulenta tuum clamaret turba triumphum.
Quique manum Judith ferientem colla Holofernis
Juvisti, exciso jacuit cum gutture truncus,
Et fragilis valido latuit bene sexus in ictu.
Expresso vel qui complens de vellere pellem,

1. *Eucharisticum ad Faustum Reiensem*] De Fausto Reiorum Apollinarium episcopo dictum ad epist. III. lib. IX. Ei nunc gratias agit duplici de caussa tum quod germani fratris sui adolescentiam, id est amicam vitiis ætatem, disciplinæ suæ commissam fideliter rexerit: tum quod se ipsum Reios olim profectum amanter exceperit, ad matremque salutandam deduxerit.

Inficiensque dehinc non tacto vellere terram,
Firmasti Gedeona, tubis inserere canoris
Spiritus, & solo venit victoria cantu.
Quique etiam adsumtum pecorosi de grege [1] Jesse
Afflasti regem, plaustro cum fœderis arcam
Imponens hostis, nullo moderante bubulco,
Proderet obscenum turgenti podice morbum.
Quique trium quondam puerorum in fauce sonasti,
Quos in Chaldæi positos fornace tyranni,
Roscida combusto madefecit flamma camino.
Quique volubilibus spatiantem tractibus alvi
Complesti Jonam, resonant dum viscera monstri
Introrsum psallente cibo, vel pondera ventris
Jejuni, plenique tamen vate intemerato,
Ructat cruda fames: quem singultantibus extis
Esuriens vomuit suspenso bellua morsu.
Quique duplex quondam venisti in pectus Elisei,
Thesbiten cum forte senem jam flammeus axis
Tolleret, & sciffam linquens pro munere pellem.
Hispidus ardentes auriga intraret habenas.
Quique etiam Eliam terris missure secundum,
Zachariæ justi linguam placate ligasti,
Dum faceret serum rugosa puerpera patrem,
Edita significans jusso reticere propheta,
Gratia cum fulsit, nosset se ut lex tacituram.
Quique etiam nascens ex virgine semine nullo,
Ante ullum tempus Deus, atque in tempore Christus,
Ad corpus quantum spectat tu te ipse creasti.
Qui visum cæcis, gressum quoque reddere claudis,
Auditum surdis, mutis laxare loquelam
Suetus, ad hoc etiam venisti, ut mortua membra
Lecto, sandapila, tumulo consurgere possint.
Quique etiam pœnas suscepta in carne tulisti,
Sustentans alapas, ludibria, verbera, vepres,
Sortem, vincla, crucem, clavos, fel, missile, acetum,
Postremo mortem, sed surrecturus, adisti,
Eripiens quidquid veteris migraverat hostis
In jus, per nostrum facinus, cum femina prima
Præceptum solvens culpa nos perpete vinxit.
Qui cum te interitu petiit, nec reperit in te
Quod posset proprium convincere, perdidit omne,
Quod lapsu dedit Eva suo: chirographon illud,
Quo pervasus homo est, hæc compensatio rupit.
Expers peccati, pro peccatoribus amplum
Fis pretium, veteremque novus vice fenoris Adam
Dum moreris de morte rapis: sic mortua mors est,
Sic se se insidiis quas fecerat ipsa, fefellit.
Nam dum indiscrete petit insontemque reosque,
Egit ut absolvi possent & crimine nexi.
Quique etiam justos ad tempus surgere tecum
Jussisti cineres, cum tectis tempore longo
Irrupit festina salus, infusaque raptim
Excussit tumulis solidatas vita favillas.
Da Faustum laudare tuum, da solvere grates
Quas & post debere juvat. Te magne sacerdos,
Barbitus hic noster plectro licet impare cantat.
  Hæc igitur prima est vel caussa, vel actio laudum,
Quod mihi germani, dum lubrica volvitur ætas,
Servatus tecum domini per dona probatur
Nec fama titubante pudor: te respicit istud
Quantumcumque bonum: merces debebitur illi,
Ille tibi: sit laus, si labi noluit, ejus:
Nam quod nec potuit, totum ad te jure redundat.
  Præterea, quod me pridem Reios veniente,
Cum Procyon fureret, cum solis torridus ignis
Flexilibus rimis sitientes [2] scriberet agros,

1. *Jesse afflasti regem*] Memoriæ lapsus. David enim coram Area cecinit, & saltavit cum illa ex ædibus Abinadab ad Obed-Edon, indeque in urbem deducta est II. Regum VI. At Philistæi ante Davidis, immo ante Saulis regis inaugurationem: fœdo illo vulnere percussi, arcam plaustro sine rectore vectandam imposuerant: quo tempore cum in agro sponte constitisset, illata est in domum Abinadab I. Regum VI. & VII.

2. *Scriberet agros*] Lib. II. epist. II. *biulcis arentium rimarum flexibus terra perscribitur*. Quod genus tropi anti-

Sæcul. V.
circa
Ann. Chr.
472.

Hoſpite te noſtros excepit protinus æſtus
Pax, domus, umbra, latex, benedictio, menſa, cubile.
Omnibus attamen his ſat præſtat, quod voluiſti
Ut ſanctæ matris ſanctum quoque limen adirem.
Dirigui, fateor, mihi conſcius, atque repente
Tinxit adorantem pavido reverentia vultum.
Nec ſecus intremui, quam ſi me forte Rebeccæ
Iſrael, aut Samuel crinitus duceret Annæ.
Quapropter vel te votis ſine fine colentes,
Affectum magnum per carmina parva fatemur.
Seu te flammatæ Syrtes, & inhoſpita teſqua,
Seu cœno viridante palus, ſeu nigra receſſu
Incultum mage ſaxa tenent, ubi ſole remoto
Concava longævas aſſervant antra tenebras.
Seu te præruptis porrecta in rupibus Alpis,
Succinctos gelido libantem cæſpite ſomnos,
[1] Anachoreta tremit, quæ quamquam frigora portet,
Conceptum Chriſti numquam domat illa calorem.
[2] Qua nunc Elias, nunc te jubet ire Joannes,
Nunc duo Macarii, nunc & Paphnutius heros,
Nunc Or, nunc Ammon, nunc Sarmata, nunc Hilarion,
Nunc vocat in tunica nudus te Antonius illa,
Quam fecit palmæ foliis manus alma magiſtri.
[3] Seu te Lirinus priſcum complexa parentem eſt,
Qua tu jam fractus pro magna ſæpe quiete
Diſcipulis ſervire venis, vixque otia ſomni
Vix coctos capture cibos, abſtemius ævum
Ducis, & inſertis pingis jejunia pſalmis.
Fratribus inſinuans, * quantos illa inſula plana
Miſerit in cælum montes: quæ ſancta [4] Capraſi
Vita ſenis, [5] juveniſque Lupi: quæ gratia [6] patrem
Manſit Honoratum; fuerit [7] quis Maximus ille,
Urbem tu cujus monachoſque antiſtes & abbas
[8] Bis ſucceſſor agis: celebrans quoque laudibus illis
[9] Eucherii venientis iter, [10] redeuntis Hilari.

quis uſitatiſſimum. Varro Marcipore: *Aſtrologi non ſunt qui conſcribillarunt pingentes cælum.* Virgilius:

—— —— *verſa pulvis inſcribitur haſta*,

Lycophron: *Πτεροῖσι χερσὸν αἰετὸς διαγράφων.*

1. *Anachoreta tremit*] Aut vocandi caſu dixit, aut *Anachoronta* legendum: cujus lectionis hærent notæ in quibuſdam libris. Anachoronta autem, *ἀναχωροῦντα*, ea forma dicere potuit, qua Juvenalis & Sidonius ipſe *Chironomonta*.

2. *Qua Elia, qua Joannes*] Et ſi non defuere inter Ægypti monachos, qui his nominibus cenſerentur: tamen cum hos ceteris omnibus præponat, dubium non videtur, quin Eliam prophetam, & Joannem Baptiſtam deſignet: quos inſtituti ſui duces ac principes prædicant Anachoretæ, ut Hieronymus in Paulli vita teſtatur, & Socrates lib. I. XII. Quo ſpectans Gregorius Nazianzenus in Apologia poſt reditum, Ηλίου, inquit, *τὸν Κάρμηλον, καὶ Ἰωάννου τὴν ἔρημον. καὶ τῶν ἄνω φιλοσοφούντων τὸ ὑπερκόσμιον*

3. *Seu te Lirinus*] Notiſſimæ ſunt in mari Gallico Inſulæ duæ, e regione Antipolis oppidi provinciæ II. Narbonenſis, Lero & Lerinus. Illa *Λήρων* Straboni, *Λήρωνη* Ptolemæo: hæc Lerina Plinio: utramque nominant Æthicus in Itinerario, & Ennodius in vita Epiphanii: *Toloſa*, inquit, *regrediens ſingula ſanctarum habitationum loca viſitavit. Medianas Inſulas, Stœchadas, Lerum ipſamque nutricem ſummorum montium planam Lirinum.* Illi hodie nomen a S. Margarita, huic a S. Honorato qui in ea primus celeberrimi olim tota Gallia cœnobii fundamenta jecit: cui tertius ab Honorato abbas præfuit Fauſtus, quem propterea priſcum Lirini patrem vocat, quia hoc tempore non abbas, ſed epiſcopus erat Reienſis.

4. *Capraſi vita ſenis*] Quem religioſæ vitæ magiſtrum habuit Honoratus: *virum*, ut in Hilarii Arelatenſis vita ſcriptum eſt, *angelica in Inſulis converſatione degentem. Venerabilem*, ut Eucherius in libello de laude eremi ait, *gravitate, veteribus ſanctis parem.*

5. *Juveniſque Lupi*] Epiſcopi poſtea Tricaſſini. Eucherius ibidem, de Lirino Inſula: *Hæc habuit reverendi nominis Lupum, qui nobis illum ex tribu Benjamin Lupum retulit.*

6. *Patrem Honoratum*] Lirinenſis monaſterii, ut diximus, auctorem. Eucherius de eadem Inſula: *Digna quæ Honorato auctore fundata ſit: quæ tanti inſtituti tantum nacta ſit patrem, apoſtolici ſpiritus vigore, & vultus honore radiantem: digna quæ illum ſuſcipiens, ita emitteret:* ad cathedram ſcilicet Arelatenſem, ad quam ab Inſulæ præfectura evectus eſt.

7. *Quis Maximus ille*] Honorati in monaſterii præfectura ſucceſſor, epiſcopus inde Reienſis. Eucherius de Honorato: *Hæc nunc ſucceſſorem ejus tenet Maximum nomine clarum, quia poſt ipſum meruit adſciſci.* Fauſtus de Maximo: *Dignus cui primus ille fundator gubernacula Lirinenſis navis poſt ſe moderanda committeret.* Hæc ille in pſeudepigrapha Euſebii Emiſeni homilia de S. Maximo: quam ut Fauſto vindicandam putem, hic ejus locus inter cetera perſuadet: *Merito*, inquit, *ſe vobis imputet beata illa Inſula ex hoc uno atque unico munere, licet multum erubeſcat ex altero.* Significat enim Lirinum Inſulam duos Reiis epiſcopos dediſſe: Maximum, de quo jure gloriari poſſit, & Fauſtum ipſum de quo erubeſcat. Quæ verba de Fauſto præter Fauſtum ipſum nemo uſurpaſſet.

8. *Bis ſucceſſor*] Succeſſit enim Maximo Fauſtus, primum in munere abbatis, cum Maximus a Lirinenſi præfectura ad Reienſem cathedram adſcitus eſt. Deinde iterum in epiſcopatu, cum mortuo Maximo Reiorum epiſcopus ex abbate creatus eſt. Ita ergo & monachos Maximi, & urbem ejus poſt illum rexit.

9. *Eucherii*] Lugdunenſis poſtea epiſcopi. Lirinenſis ſuæ habitationis teſtis eſt Eucherius ipſe in libello de laudibus eremi: *Equidem*, inquit, *cunctis eremi locis quæ piorum illuminantur receſſu, reverentiam debeo: præcipue tamen Lirinum meam honore complector, quæ procelloſis naufragiis mundi effuſos piiſſimis ulnis receperat venientes.*

10. *Redeuntis Hilari*] Epiſcopi Arelatenſis. Innuit Hilarium Lirinenſem Inſulam bis incoluiſſe: quod verum eſt.

* Hunc Sidonii locum de inſula Lerinenſi ſunt imitati Cæſarius Arelatenſis & Ennodius Ticinenſis. Ille quidem Homil. xxv. (Bibl. PP. Pariſ. tom. II. pag. 318. b.) *Beata*, inquit, *& felix inſula Lirinenſis, quæ quum parvula & PLANA eſſe videatur, innumerabiles tamen MONTES ad cælum miſiſſe cognoſcitur.* Iſte vero in *Vit. B. Epiphanii Ticin.* (inter opp. Sirmondi tom. I. pag. 1668. d.) *Medianas inſulas*, ait, *Stœchadas, Lerum, ipſamque nutricem ſummorum MONTIUM PLANAM Lerinum adiit.*

Seu te commiſſus populus tenet, & minor audet
Te medio tumidos majorum temnere mores.
Seu tu ſolicitus curas, qua languidus eſca,
Quave peregrinus vivat, quid paſcat & illum,
Lubrica crura cui tenuat ſub compede carcer.
Seu mage funeribus mentem diſtractus humandis,
Livida defuncti ſi pauperis oſſa vireſcant,
Infaſtiditum fers ipſe ad buſta cadaver.
Seu te conſpicuis [1] gradibus venerabilis aræ
Concionaturum [2] plebs ſedula circumſiſtit,
Expoſitæ legis bibat auribus ut medicinam.
Quidquid agis, quocumque loci es, ſemper mihi Fauſtus,
Semper Honoratus, ſemper quoque Maximus eſto.

Primum ſiquidem Honorati precibus evictus eo ſeceſſit: ibique aliquamdiu vixit cum Honorato. Quem deinde ad Arelatenſem cathedram translatum cum ipſius rogatu relicta Inſula ſecutus eſſet; priſtino tandem eremi amore captus, Lirinum rediit: quo tempore Eucherius elegantem de laude eremi libellum Hilario ſcripſit, qui hæc omnia confirmat: & Hilarius ipſe homilia de ſancto Honorato.

1. *Gradibus venerabilis aræ*] Inde enim ſedentes in cathedra tribunali concionari ſolebant: quod ritualium quoque librorum auctores docent. Prudentius de S. Hippolyti eccleſia:

Fronte ſub adverſa gradibus ſublime tribunal
Tollitur, antiſtes prædicat unde Deum.

Eumdem etiam Græcis morem fuiſſe, & hodiernus eorum mos oſtendit, & quod de Chryſoſtomo a Socrate & aliis, ut peculiare proditum eſt, illum in ambonem conſcendiſſe, ut a pluribus audiretur. Concionabantur ergo pro gradibus aræ, intra cancellos, qui *βῆμα* ſeu *ἱερατεῖον*, hoc eſt tribunal, ſive ſacrarium dirimebant a capſo, quod illi *ναὸν* appellabant. Hunc enim locum indicat Gregorius theologus, cum de Conſtantinopolitanis concionibus ſuis loquens in oratione ad epiſcopos CL. cancellos ab auditorum ſe ſe impellentium turba vim paſſos ſcribit, his verbis. *χαίρετε τῶν ἐμῶν λόγων ἐρασταὶ, καὶ σύνδρομοι σύνδρομαὶ, καὶ γραφίδες φανεραὶ καὶ λανθάνουσαι, καὶ ἡ βιαζομένη κιγκλὶς αὕτη τοῖς περὶ λόγον ὠθιζομένοις.*

2. *Plebs ſedula circumſiſtit*] Neque hoc prætereundum, eam olim fuiſſe divini verbi reverentiam, ut ſtantes, non ſedentes, quod paſſim hodie fit, ſacras conciones audirent. Auctor in primis Auguſtinus, in ſermone de honeſtate clericorum, & homilia XXVI. Et colligi licet ex libro IV. Optati Milevitani, qui populum in eccleſia negat habere ſedendi licentiam. Ita & Conſtantinum magnum Euſebius libro vitæ IV. *ὄρθιον ἑστῶτας* ſtantem inter ceteros oranti ſibi aures dediſſe teſtatur, cum æquum diceret, ut ſtando divina audiantur. *ἑστῶτα γὰρ ὑπακούειν τῶν θείων ὅσιον*. Nec tamen infitias eundum, ſua etiam auditoribus ſedilia olim fuiſſe in quibuſdam eccleſiis. Hoc enim docet, aptiuſque ad attentionem judicat idem Auguſtinus in libro de catechizandis rudibus cap. XIII. *Longeque*, ait, *conſultius in quibuſdam tranſmarinis eccleſiis, non ſolum antiſtites ſedentes loquuntur ad populum: ſed ipſi etiam populo ſedilia ſubjacent: ne quiſquam infirmior ſtando laſſatus, a ſaluberrima intentione avertatur, aut etiam cogatur abſcedere.*

Invitat [1] OMMATIUM V. C. ad natalem diem ſuorum.

CARMEN XVII.

Quatuor ante dies, quam lux Sextilis aduſti
  Prima ſpiciferum proferat orbe caput,
Natalis noſtris decimus ſextuſque coletur,
  Adventu felix qui petit eſſe tuo.
Non tibi gemmatis ponentur prandia menſis,
  Aſſyrius murex nec tibi ſigma dabit.
Nec per multiplices abaco ſplendente cavernas
  Argenti nigri pondera defodiam.
Nec ſcyphus heic dabitur, rutilo cui forte metallo
  Cruſtatum ſtringat tortilis anſa latus.
Fercula ſunt nobis mediocria, non ita facta,
  Menſuræ ut grandis ſuppleat ars pretium.
Non panes Libyca ſolitos flaveſcere Syrte
  Accipiet [2] Galli ruſtica menſa tui,

1. *Ommatium*] Ommatium Ruricii ſocerum docuit nos carmen XI. quo loco Arvernum illum fuiſſe monuimus. Idem de Ommatio juniore, qui Turonorum antiſtes fuit, monet Gregorius lib. X. Hiſtoriæ. Hunc vero Sidonius ſuorum natalem celebrans invitat pulcherrimo epigrammate: quod quidem Martino Dumienſi olim epiſcopo ita probatum eſt, ut triclinio ſuo, paucis mutatis, deſcribendum curarit, in hunc modum.

B. MARTINI DUMIENSIS EPISCOPI. IN REFECTORIO.

Non heic auratis ornantur prandia fulcris,
  Aſſyrius murex nec tibi ſigma dedit.
Nec per multiplices abaco ſplendente cavernas
  Ponentur nitidæ codicis arte dapes.
Non ſcyphus heic dabitur, rutilo cui forte metallo
  Cruſtatum ſtringat tortilis anſa latus.
Vina mihi non ſunt Gazetica, Chia, Falerna,
  Quæque Sarapteno palmite miſſa bibas.
Sed quidquid tenuis non complet copia menſæ,
  Suppleat hoc petimus gratia plena tibi.

2. *Galli ruſtica menſa tui*] Id eſt Celtæ Lugdunenſis. De Sidonii enim patria cogor a doctiſſimo Savarone, qui Arvernum facit, diffidere: cum religio ſit aliter ſentire, quam Sidonius ipſe ſignificet, qui ſe paſſim Lugdunenſem teſtatur, ut lib. I. epiſt. V. & VIII. lib. IV. epiſt. XXV. carmine V. XIII. Apollinaris avi tumulum non in Arvernis, ut eidem videbatur, ſed in Lugdunenſi agro fuiſſe, jam oſtendimus ex epiſt. XII. lib. III. Nunc Arvernum ortu Sidonium non fuiſſe hic locus indicat, cum Gallum ſe nominat, diverſam ſibi, quam Ommatio Arverno, id eſt Aquitano, patriam ſignificans. Aquitanos enim a Gallis illa ætas diſtinguebat. Sulpicius Severus Hiſtoriæ II. *Sed id noſtris*, inquit, *id eſt Aquitanis, Gallis ac Britannis indecens viſum*. Auſonius in Arelate,

—— —— populos alios & mœnia ditas:
Gallia queis fruitur, gremioque Aquitania lato.

Eoque ſpectat, quod in Æthici Itinerario deſcriptum iter eſt de Aquitania in Gallias, a Burdegala Auguſtodunum. Hoc itaque ſenſu, Gallum ſe Sidonius, quia Lugdunenſis; Ommatium vero, quia Arvernus erat, Aquitanum quidem, ſed non Gallum vult intelligi: quemadmodum



Vina mihi non sunt [1] Gazetica, Chia, Falerna,
Quæque Sareptano palmite missa bibas.
[2] Pocula non heic sunt illustria nomine pagi,
Quod posuit nostris ipse Triumvir agris.
Tu tamen ut venias, petimus: dabit omnia Christus
[3] Heic mihi qui patriam fecit amore tuo.

apud Severum eumdem in dialogis, quidam re ac nomine Gallus, ait se hominem Gallum inter Aquitanos verba facturum: quia nimirum Aquitani ea quam dixi notione Galli non erant.

1. *Gazetica*] Gazetum vinum Isidoro, a regione unde defertur, hoc est a Gaza Palæstinæ: ut Sareptanum a Sarepta Sidoniorum: quod σερεφθῖνον οἶνον appellat Alexander Trallianus. Utrumque celebrant Corippus lib. III. & Fortunatus lib. IV. de vita Martini. Gazetum vero Gregorius Turon. de Gloria Confessorum LXV. & Senator XII. Variar. XII.

2. *Pocula non sunt heic*] De Arvernorum vinis non loquitur. Alioqui quomodo in Arvernis vina non essent, quæ Arvernorum erant? sed de Lugdunensibus patriæ suæ. Quemnam vero Lugdunensium pagum vinetis celebrem dicat, cui Triumvir nomen imposuit, quærendum est. Scimus enim ex Dionis XLVI. Lugdunensis coloniæ deducendæ Triumviros fuisse Silanum, Lepidum & Plancum, & multa ab illis potuisse nomina derivari.

3. *Heic mihi qui patriam*] Apud Arvernos. Alibi ergo natus, qui huc postea migrarit. Quare maneat, Sidonium ortu Lugdunensem, conjugio & cathedra Arvernum fuisse. Nec indignentur Arverni nostri, non totum sibi concedi, qui meliore illius parte potiti sunt cum ea fuerit Sidonii dignitas & splendor, quo non unicam patriam illustrari par erat.

CARMEN XVIII.

[1] De BALNEIS villæ suæ supra lacum positæ.

SI quis Avitacum dignaris visere nostram,
Non tibi displiceat: si quod habes placeat,
Æmula Bajano tolluntur culmina cono,
Parque cothurnato vertice fulget apex.
Garrula Gauranis plus murmurat unda fluentis,
Contigui collis lapsa supercilio.
Lucrinum dives stagnum Campania nollet,
Æquora si nostri cerneret illa lacus.
Illud puniceis ornatur litus echinis,
Piscibus in nostris hospes utrumque vides,
Si libet, & placido partiris gaudia corde,
Quisquis ades, Bajas tu facis heic animo.

1. *De Balneis villæ suæ*] Avitacum villam, ejusque balneas & piscinam copiose descripsit epist. II. lib. II.

CARMEN XIX.

Tetrastichum supra piscinam.

INtrate algentes post balnea torrida fluctus,
Ut solidet calidam frigore lympha cutem.
Et licet hoc solo mergatis membra liquore,
Per stagnum nostrum lumina vestra natant.

CARMEN XX.

[1] Ad sororium suum ECDICIUM.

NAtalis noster nonas instare Novembres
Admonet, occurras non rogo, sed jubeo:
Sit tecum conjunx: duo nunc properate: sed illud
Post annum optamus tertius ut venias.

1. *Ad sororium suum Ecdicium*] Ecdicii soror fuit Papianilla, uxor Sidonii. Sidonii ergo sororius Ecdicius; Ecdicii vero cognatus Sidonius. Sororius enim proprie frater uxoris, cognatus vir sororis. Quare inter se opponuntur, ut in antiquo lapide Brixiæ: COGNATUS DULCISSIMUS SORORIO AMANTISSIMO.

De piscibus nocte captis.

CARMEN XXI.

QUatuor hæc primum pisces nox insuit hamis.
Inde duos tenui, tu quoque sume duos.
Quos misi sunt majores: rectissimus ordo est.
Namque animæ nostræ portio major eras.

SOLLIUS APOLLINARIS SIDONIUS PONTIO LEONTIO SALUTEM.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 472.

DUm apud [1] Narbonem quondam Martium dictum, sed nuper factum, moras necto, subiit animum quospiam secundum amorem tuum hexametros concinnare, quibus lectis oppido scires, etsi utrique nostrum disparatis æquo plusculum locis lar familiaris incolitur, non idcirco tam nobis animum diffidere, quam patriam. Habes ergo heic Dionysium inter triumphi Indici oblectamenta marcentem: habes & Phœbum, quem tibi jure poetico inquilinum factum constat ex numine: illum scilicet Phœbum, [2] Anthedii mei perfamiliarem: cujus collegio vir præfectus, non modo musicos quosque, verum etiam geometras, arithmeticos & astrologos differendi arte supervenit. Si quidem nullum hoc exactius compertum habere censuerim, quid sidera zodiaci obliqua, quid planetarum vaga, quid [3] exotica sparsa prævaleant. Nam ita, ut sic dixerim, his membris philosophiæ claret, ut videatur mihi Julium Firmicum, Sammonicum, Julianum Vertacum, Fullonium Saturninum, in libris matheseos peritissimos conditores absque interprete, ingenio tantum suffragante, didicisse. Nos vestigia doctrinæ ipsius adorantes, coram canoro cycno raucum anserem profitemur. Quid te amplius moror? Burgum tuam, quo jure amicum decuit, meam feci: probe sciens, vel materiam tibi esse placituram, etiam si ex solido poema displiceat.

1. *Narbonem quondam Martium*] Vetus inscriptio nondum vulgata Narbone, in qua singulares litteræ Coloniam Juliam Paternam Narbonem Martium denotant. His enim nominibus in aliis quoque monumentis ornatur.

C. MANLIUS C. F
PAP RUFUS UMBER EX'S
DECURIA LICTORUM VIATO
RUM QUÆ EST C. I. P. N. M
FECIT SIBI ET SUIS.

Sed Juliam Paternam de Julii Cæsaris nomine, qui coloniam eo, ut Suetonius narrat, iterum deduxit, appellatam fuisse ambigit nemo. De Martii autem cognomento, qui a Q. Martio, quo consule deducta primum colonia fuerat, derivandum censet, & manifestis, ut alii docuere, rationibus revincuntur, & adversantem habent hoc loco Sidonium, qui non obscure ad Martem refert. Eo enim spectans, Narbonem re ipsa Martium nuper factum ait, cum acerrimam Gothorum obsidionem de qua iterum carmine sequenti, fortissime sustinuit.

2. *Anthedii mei*] Dulcem poetam alibi dixit: heic poetarum collegio præfectum facit.

3. *Exotica*] Extra Zodiacum posita. Tres enim Sidonio stellarum classes. Planetæ, qui suis in orbibus vagantur: sidera Zodiaci, quæ duodecim ejus signis continentur: & reliqua extra Zodiacum, quæ propterea exotica nominat, quasi ἔξω τῶ ζωδιακῶ.

[1] BURGUS PONTII LEONTII

CARMEN XXII.

BIstonii stabulum regis, Busiridis aras,
Antiphatæ mensas, & Taurica regna Thoantis,
Atque Ithaci ingenio fraudatum luce Cyclopem,
Portantem frontis campo per concava montis
Par prope transfossi tenebrosum luminis antrum,
Hospes adi, siquis Burgum taciturus adisti:
Et licet in carmen non passim laxet habenas
Phœbus, & hic totis non pandat carbasa fandi;
Quisque tamen tantos non laudans ore penates
Inspicis, inspiceris: resonat sine voce voluntas:
Nam tua te tacitum livere silentia clamant.
Ergo age, Pierias Erato mihi percute chordas:
Responsent Satyri, digitumque pedemque moventes,
Ludant, & tremulo non rumpant cantica saltu.
Quidquid forte Dryas, vel quidquid Hamadryas umquam
Connexis sibimet festum plausere Napæis,
Dependant modo, Burge, tibi, vel Naidas istic
Nereidum chorus alme doce, cum forte Garumna
Huc redeunte venis, pontumque in flumine sulcas.
Pande igitur caussas Erato, laribusque sit ede
Quis genius: tantum non est sine præsule culmen.
Forte sagittiferas Evan populatus Erythras,
Vite capistratas cogebat ad esseda tigres:
Intrabat duplicem qua temo racemifer arcum,
Marcidus ipse sedet curru: madet ardua cervix

1. *Burgus Pontii Leontii*] Burgi Paullinianæ, quam hoc Idyllio describit, nomen antiquum hodie manet. Burgum enim castrum vocant, ad Duranii fluminis ripam, non procul ab illius & Garumnæ confluentibus. De Leontio autem, in cujus gratiam hæc scripsit, dictum epistt. xi. & xii. lib. VIII. Burgi vocis Græca est origo. Glossarium vetus: Πύργος, *turris*, *burgus*. Inde burgos vocarunt Romani turres, seu turrita propugnacula in limitibus constituta. Ab his porro, similia omnia munitiora loca burgorum quoque nomen tulerunt. Neque ratio alia requirenda, cur ita Burgum suam appellarit Pontius Paullinus conditor, cum hanc ipsam prodat tota ejus descriptio.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
472.

Sudati de rore meri: caput aurea rumpunt
Cornua, & indigenam jaculantur fulminis ignem.
Sumserat hoc primum nascens, cum transiit olim
In patrium de matre femur: fert tempus utrumque
Veris opes, rutilosque ligat vindemia flores.
Cantharus & thyrsus dextra lævaque feruntur:
Nec tegit exsertos, sed tangit palla lacertos.
Dulce natant oculi, quos si fors vertat in hostem,
Attonitos solum dum cernit inebriat Indos.
Tum salebris saliens quoties se concutit axis,
Passim deciduo perfunditur orbita musto.
Bassaridas, Satyros, Panas, Faunosque docebat
Ludere Silenus, jam numine plenus alumno,
Sed comtus tamen ille caput; nam vertice nudo
Amissos sertis studet excusare capillos.
Corniger inde novi Ganges fit pompa triumphi,
Cernuus impexam faciem stetit ore madenti, &
Arentes vitreis adjuvit fletibus undas,
Conjectas in vincla manus post terga revinxit
Pampinus: heic sensim captivo humore refusus
Sponte refrondescit per brachia roscida palmes.
Nec non & rapti conjunx ibi vincta mariti
It croceas demissa genas, vetitaque recondi
Lampade, cum solis radiis aurora rubebat.
Affuit heic etiam post perdita cinnama phœnix,
Formidans mortem sibi non superesse secundam,
Succedit captiva cohors, quæ fercula gazis
Fert onerata suis; ebur heic, hebenusque, vel aurum,
Et niveæ piceo raptæ de pectore baccæ
Gestantur: quicumque nihil sustentat odoris,
Mittitur in nexus. Videas heic ipsa placere
Supplicia, & virides violis halare catenas.
Ultima nigrantes incedunt præda elephanti.
Informis cui forma gregi: riget hispida dorso
Vix ferrum passura cutis: quippe improba cratem
Nativam nec tela forant, contracta vicissim
Tensaque terga feris crepitant, usuque cavendi
Pellunt excussis impactum missile rugis.
Jamque iter ad Thebas per magnum victor agebat
Aera, & ad summas erexerat orgia nubes:
Cum videt Aonia venientem Delion arce.
Grypas & ipse tenet: vultus his laurea curvos
Fronde lupata ligant, hederis quoque circumplexis
Pendula lora virent: sensim fera subvolat ales
Aerias terræque vias, ne forte citato
Alarum strepitu lignosas frangat habenas.
Æternum nitet ipse genas: crevere corymbis
Tempora, & auratum verrit coma concolor axem.
Læva parte tenet vasta dulcedine raucam
Cælato Pythone lyram, pars dextra sagittas
Continet, atque alio resonantes murmure nervos.
Ibant Pimpliades pariter, mediumque noveno
Circumsistentes umbrabant syrmate currum.
Pendet per teretes tripodas Epidaurius anguis,
Diffusus sanctum per colla salubria virus.
[1] Heic & crinisatas jungebat Pegasus alas,
Portans doctiloquo facundum crure Creontem.
Ut se se junxere chori, consurgit uterque
Fratris in amplexus: sed paullo segnior Evan,
Dum pudet instabiles, si surgat, prodere plantas.
Tum Phœbus, Quo pergis? ait: num forte nocentes
Bacche petis Thebas? te cretus Echione nempe
Abnegat esse deum: linque iis rogo mœnia, linque:
Et mecum mage flecte rotas: despexit Agave
Te colere, & nosmet Niobe: riget inde superbum,
Vulnera tot patiens, quot spectat pignora ventris,
Optantemque mori gravius clementia fixit.
Parcere sæpe malum est, sensumque inferre dolori.
Ipsa autem nato occiso Pentheja mater
Amplius ut furiat, numquid vesana futura est?

1. *Hippocrinisatas*] Rectius alii, *Heic & crinisatas*: tamquam ex ipsis Pegasi crinibus natas.

Sæcul. V.
circa
Ann. Chr.
472.

Ergo nec Aonios colles habitare valemus,
Cum patris exſtincti thalamis potietur adulter,
Frater natorum, conjunx genitricis habendus,
Vitricus ipſe ſuus. Cordi eſt ſi jungere greſſum,
Dicam, qua pariter ſedem tellure locemus.
[1] Eſt locus, irrigua qua rupe Garumna rotate,
Et tu, qui ſimili feſtinus in æquora lapſu
Exis, curvata Durani muſcoſe ſaburra,
Jam pigreſcentes ſenſim confunditis amnes.
Currit in adverſum heic pontus, multoque recurſu
Flumina quas volvunt, & ſpernit & expedit undas.
At cum ſummotus lunaribus incrementis
Ipſe Garumna ſuos in dorſa recolligit æſtus,
Præcipiti fluctu raptim redit, atque videtur
In fontem jam non refluus, ſed defluus ire.
Tum recipit laticem, quamvis minor ille, minore
Stagnanti de fratre ſuum, turgeſcit & ipſe
Oceano, propriaſque facit ſibi litora ripas.
Hos inter fluvios, uni mage proximus unde eſt
Æthera mons rumpens, alta ſpectabilis arce,
Plus celſos habiturus heros, vernamque ſenatum.
Quem generis princeps Paullinus Pontius olim,
Cum Latius patriæ dominabitur, ambiet altis
Mœnibus, & celſæ tranſmittent aera turres.
Quarum culminibus ſedeant commune micantes
Pompa, vel auxilium: non illos machina muros,
Non aries, non alta ſtrues, vel proximus agger,
Non quæ ſtridentes torquet catapulta molares,
Sed nec teſtudo, nec vinea, nec rota currens,
Jam poſitis ſcalis umquam quaſſare valebunt.
Cernere jam videor quæ ſint tibi, Burge, futura.
Diceris ſic: namque domus de flumine ſurgunt,
Splendenteſque ſedent per propugnacula thermæ.
Heic cum vexatur piceis aquilonibus æſtus,
Scrupeus aſprata latrare crepidine pumex
Incipit: at fractis ſaliens e cautibus altum
Excutitur torrens, ipſiſque aſpergine tectis
Impluit, ac tollit nautas, & ſæpe jocoſo
Ludit naufragio: nam tempeſtate peracta
Deſtituit refluens miſſas in balnea claſſes.
Ipſa autem quantis, quibus aut ſunt fulta columnis?
Cedat puniceo pretioſus livor in antro
Synnados, & Numadum qui portat eburnea ſaxa
Collis, & herboſis quæ vernant marmora venis.
Candentem jam nolo Paron, jam nolo Caryſton.
Vilior eſt rubro quæ pendet purpura ſaxo.
Et ne poſteritas dubitet, quis conditor exſtet,
Fixus in introitu lapis eſt: hic nomina ſignat
Auctorum: ſed propter aqua, & veſtigia preſſa
Quæ rapit, & fuſo deterget gurgite cœnum.
Sectilibus paries tabulis cruſtatus ad aurea
Tecta venit, fulvo nimis abſcondenda metallo.
Nam locuples fortuna domus non paſſa latere,
Divitias prodit, cum ſic ſua culmina celat.
Hæc poſt aſſurgit, duplicemque ſupervenit ædem,
Porticus, ipſa duplex, duplici non cognita plauſtro.
Quarum unam molli ſubductam vertice curvæ
Obverſis paullum reſpectant cornibus alæ.
Ipſa diem natum cernit ſinuamine dextro,
Fronte videns medium, lævo viſura cadentem.
Non perdit quidquam trino de cardine cæli,
Et totum ſolem lunata per atria ſervat.
Sacra tridentiferi Jovis heic armenta profundo
Pharnacis immergit genitor: percuſſa ſecuri
Corpora cornipedum, certaſque rubeſcere plagas
Sanguineo de rore putes: ſtat vulneris horror
Verus, & occiſis vivit pictura quadrigis.
Ponticus hinc rector numeroſis Cyzicon armis

1. *Eſt locus irrig.*] Topotheſia confluentium Duranii & Garumnæ, ubi ſitam diximus Burgum in ripa Duranii ſive ut Gregorius ad hodiernum fere ſonum lib. VIII. nuncupat, Dorononiæ. Nunc enim Dordoniam dicunt.

Sæcul. V.
circa
Ann. Chr.
472.



Claudit: at hinc sociis consul Lucullus opem fert,
Compulsusque famis discrimina summa subire,
Invidet obsesso miles Mithridaticus hosti.
Enatat heic pelagus Romani militis ardor,
Et chartam madido transportat corpore siccam.
Desuper in longum porrectis horrea tectis
Crescunt, atque amplis angustant fructibus ædes:
Huc veniet calidis quantum metit Africa terris,
Quantum vel Calaber, quantum colit Apulus acer,
Quanta Leontino turgescit messis acervo,
Quantum Mygdonio committunt Gargara sulco,
Quantum, quæ tacitis Cererem venerata choreis
Attica Triptolemo civi condebat Eleusin,
Cum populis hominum glandem linquentibus olim
Fulva fruge data jam sæcula fulva perirent.
  Porticus ad gelidos patet hinc æstiva triones.
Hinc calor innocuus thermis hiemalibus exit,
Atque locum tempus mollit: quippe illa rigori
Pars est apta magis: nam quod fugit ora leonis,
Inde Lycaoniæ rabiem male sustinet ursæ.
Arcis at in thermas longe venit altior amnis,
Et cadit in montem, patulisque canalibus actus,
Circumfert clausum cava per divortia flumen.
  Occiduum ad solem, post horrea, surgit opaca
Quæ dominis hiberna domus; strepit heic bona flamma
Appositas depasta trabes: sinuata camino
Ardentis perit unda globi, fractoque flagello
Spargit [1] lentatum per culmina tota vaporem.
Continuata dehinc videas, quæ conditor ausus
Æmula Palladiis textrina educere templis.
Hac celsi quondam conjunx veneranda Leonti,
Qua non ulla magis nurus umquam Pontia gaudet
Illustris pro sorte viri, celebrabitur æde
Vel Syrias vacuasse colus, vel serica fila
Per cannas torsisse leves, vel stamine fulvo
Prægnantis fusi mollitum nesse metallum.
Parietibus post hinc rutilat quæ machina junctis,
Fert recutitorum primordia Judæorum.
Perpetuum pictura micat, nec tempore longo
Depretiata suas turpant pigmenta figuras.
Flecteris ad lævam? te porticus accipit ampla
Directis curvata viis: ubi margine summo
Pendet, & arctatis stat saxea silva columnis.
Alta volubilibus patet hinc cœnatio valvis.
Fusilis euripus propter: cadit unda superne
Ante fores pendente lacu, venamque secuti
Undosa inveniunt nantes cœnacula pisces.
Cominus erigitur vel prima, vel extima turris.
Mors erit heic dominis hibernum sigma locare:
Hujus conspicuo residens in culmine, sæpe
Dilectum nostris musis simul atque capellis
Aspiciam montem lauri: spatiabor in istis
Frondibus, heic trepidam credam mihi credere Daphnem.
Jam si forte gradus geminam convertis ad Arcton,
Ut venias in templa dei, qui maximus ille est:
Deliciis redolent junctis apotheca penusque.
Heic multus tu frater eris. Jam divide sedem,
Cessurus mihi fonte meo, quem monte fluentem
Umbrat multicavus spatioso circite fornix.
Non eget hic cultu, dedit huic natura decorem.
Nil fictum placuisse placet, non pompa per artem
Ulla, resultanti non comet malleus ictu
Saxa, nec exesum supplebunt marmora tophum.
Hic fons Castaliæ nobis vice sufficit undæ,
Cetera dives habe: colles tua jura tremiscant.
Captivos heic solve tuos, & per juga Burgi
Læta relaxatæ fiant vineta catenæ.
  Confirmat vocem jam jam prope sobrius istam

1. *Spargit lentatum vaporem*] Per tubulos nimirum parietibus impressos, ut loquitur Seneca epist. xc. Atque ita legendus, intelligendusque Plinius junior lib. II, epist. xvii. *Adhæret dormitorium membrum, transitu interjacente: quod suspensum & tubulatum, conceptum vaporem salubri temperamento huc illuc digerit & ministrat.*

Silenus, pariterque chori cecinere faventes.
Nysa vale Bromio, Phœbo Parnasse bivertex.
Non illum Naxus, non istum Cyrrha requirat:
Sed mage perpetuo Burgus placitura petatur.

Ecce, quoties tibi libuerit pateris capacioribus hilarare convivium, misi quod inter scyphos & amystidas tuas legas. Subveneris verecundiæ meæ, si in sobrias aures ista non venerint: nec injuria hoc ac secus atque æquum est, flagito: quandoquidem Baccho meo judicium decemvirale passuro, tempestivius quam convenit tribunal erigitur. Si quis autem carmen prolixius eatenus duxerit esse culpandum, quod epigrammatis excesserit paucitatem: istum liquido patet, neque balneas Etrusci, neque Herculem Surrentinum, neque [1] comas Flavii Earini, neque Tybur Vopisci, neque omnino quidquam de Papinii nostri silvulis lectitasse: quas omnes descriptiones vir ille præjudicatissimus, non distichorum aut tetrastichorum stringit angustiis, sed potius, ut lyricus Flaccus in artis poeticæ volumine præcipit, multis iisdemque purpureis communium pannis semel inchoatas materias decenter extendit. Hæc me ad defensionis exemplum posuisse sufficiat, ne hæc ipsa longitudinis deprecatio longa videatur. Vale.

1. *Comas Flavii Earini*] Ita reposui, pro *Cumas Fl. Sabini*, quod antea legebatur. Neque dubia emendatio, cum Silvæ Papinianæ lib. III. argumentum sit Coma Earini: de qua & Martialis exstat epigramma, lib. IX.

[1] NARBO.

Ad CONSENTIUM V. C. civem Narbonensem.

CARMEN XXIII.

Cum jam pro meritis tuis pararem
Consenti, columen decusque morum,
Vestræ laudibus hospitalitatis
Cantum impendere pauperis cicutæ:
Ultro in carmina tu tubam recludens,
Converso ordine, versibus citasti
Suetum ludere sic magis sodalem.
Paret musa tibi: sed impudentem
Multo cautius hinc stilum movebit.
Nam cum carmina postules diserte,
Suades scribere, sed facis tacere.
Nuper quadrupedante eum citato
Ires, [2] Phocida, Sextiasque Bajas
Illustres titulisque prœliisque
Urbes, per duo consulum tropæa:
(Nam Martem tulit ista Julianum,
Et Bruto duce nauticum furorem:
Ast hæc Teutonicas cruenta pugnas,
Erectum & Marium cadente Cimbro)
Misisti mihi multiplex poema,
Doctum, nobile, forte, delicatum.
Ibant hexametri superbientes,
Et vestigia juncta, sed minora,
Per quinos eligi pedes ferebant.
Misisti & triplicis metrum trochæi,
Spondœo comitante, dactyloque,
Dulces hendecasyllabos, tuumque
Blando fenore Sollium ligasti.
Usuram petimurque, reddimusque.
Nam quod carmine pro tuo rependo,
Hoc centesima laudum tuarum est.
Quid primum venerer, colamque pro te?
Ni fallor, patriam, patremque juxta.
Qui quamquam sibi vindicare summum
Possit jure locum, tamen necesse est
Illam vincere, quæ parit parentes.

Salve Narbo, potens salubritate,
Urbe & rure simul bonus videri,
Muris, civibus, ambitu, tabernis,
Portis, porticibus, foro, theatro,
Delubris, capitoliis, monetis,
Thermis, arcubus, horreis, macellis,
Pratis, fontibus, insulis, salinis,
Stagnis, flumine, merce, ponte, ponto.
Unus qui venerere jure divos,
Lenæum, Cererem, Palem, Minervam,
Spicis, palmite, pascuis, trapetis.
Solis fise viris, nec expetito
Naturæ auxilio, procul relictis
Promens montibus altius cacumen,
Non te fossa patens, nec hispidarum
Objectu sudium coronat agger.
Non tu marmora, bracteam, vitrumque,
Non testudinis Indicæ nitorem,

1. *Narbo ad Consentium*] Sidonius Narbonem olim profectus, cum humaniter acceptus habitusque esset a Consentio, decreverat hospiti suo gratiam suis versibus rependere; cum prior ille aliquot carminum eclogis Sidonium provocavit. Tum ergo carmen hoc ad illum misit, quo Narbonem mirificis laudibus, sed non alia re magis commendat, quam quod Consentios cives nobilissimos & doctissimos tulerit, hunc ipsum ad quem scribit, & ejus patrem: quorum utriusque meminit lib. IX. epist. xv. ad filium autem data est epist. iv. lib. VIII.

2. *Phocida, Sextiasque Baias*] Massiliam & Aquas Sextias. Massiliensium urbem a Phocæensibus Asiæ populis conditam constat. Aliud autem fuerunt Φωκαεῖς, Phocæenses a Phocæa urbe Asiæ; aliud Φωκεῖς, Phocenses a Phocide, quæ regio fuit in Hellade. Sed multi, etiam antiqui, Phocenses & Phocidem nuncuparunt, ex qua orti Massilienses, vel nomina confundentes, vel historiam. Baias autem calidas omnes aquas dicebant, ab illis Campanis omnium, ut Eunapius scribit, toto orbe nobilissimis. Quare Aquis Sextiis, quod in iis thermæ essent, id etiam nomen obtigit. Sextias autem a Sextio Calvino dictas, qui primus urbem illam muro cinxit, omnes consentiunt. Ejus porro coloniæ quæ metropolis est provinciæ II. Narbonensis, egregium hoc monimentum exstat Romæ in antiqua basi statuæ.

L. ANTONIO
EPITYNCHANO

LICTORI DEC. CURIA
TIÆ QUÆ SACRIS
PUBLICIS APPARET
QQ. COLLEGI FABRUM
TIGNUARIORUM OSTIS
SEVIRO AUG. IN PROVINC
NARBONENSI COLONIA
AQUIS SEXTIS

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
472.



Non si quas eboris trabes refractis
Rostris Marmarici dedere barri,
Figis mœnibus, aureasque portas
Exornas [1] asaroticis lapillis.
Sed per semirutas superbus arces,
Ostendens veteris decus duelli,
Quassatos geris ictibus molares,
Laudandis pretiosior ruinis.
Sint urbes aliæ situ minaces,
Quas vires humiles per alta condunt,
Et per præcipites locata cristas
Numquam mœnia cæsa glorientur.
Tu pulsate places, fidemque fortem
Oppugnatio passa publicavit.
[2] Hinc te Martius ille rector, atque
Magno patre prior decus Getarum,
Romanæ columen salusque gentis,
Theodoricus amat, sibique fidum
Adversos probat ante per tumultus.
Sed non hinc videare forte turpis,
Quod te machina crebra perforavit.
Namque in corpore fortium virorum
Laus est amplior amplior cicatrix.
In castris Marathoniis merentem
Vulnus non habuisse, grande probrum est.
Inter Publicolas manu feroces,
Trunco Mutius eminet lacerto.
Vallum Cæsaris opprimente Magno,
Inter tot facies ab hoste tutas,
Luscus Scæva fuit magis decorus.
Laus est ardua dura sustinere.
Ignavis, timidis, & improbatis
[3] Multum ringitur otiosa virtus.
Quid quod Cæsaribus ferax creandis,
Felix prole virum, simul dedisti
[4] Natos cum genitore principantes?
Nam quis Persidis expeditionem,
Aut victricia castra præteribit
Cari principis, & perambulatum
Romanis legionibus Niphatem:
Tum, cum fulmine captus imperator,
Vitam fulminibus parem peregit?
His tu civibus, urbe, rure pollens,
[5] Consenti, mihi gignis alme patrem,
Illum, cui nitidi sales, rigorque
Romanus fuit Attico in lepore.
Hunc Milesius & Thales stupere
Auditum potuit, simulque Lindi est
Notus qui Cleóbulus inter arces,
Et tu, qui Periandre de Corintho es,
Et tu, quem dederat Bias Priene,
Et tu Pittace Lesbius sophistes,
Et tu, qui tetricis potens Athenis
A Vincis Socraticas Solon palæstras,
Et tu Tyndareis satus Therapnis
Chilon, legifero prior Lycurgo.
Non hic si voluit, vacante cura,
Quis sit sideribus notare cursus,
Diversas Arato vias cucurrit.
Non hunc cum geometricas ad artes
Mentem composuit, sequi valebat
Euclides spatium sciens olympi.
Non hunc, si voluit rotare rhythmos,
Quidquam proposito virum morari
Chrysippus potuisset ex acervo.
Hic cum Amphioniæ studebat arti,
Plectro, pollice, voce, tibiaque,
B Thrax vates, deus Arcas, atque Phœbus,
Omni carmine post erant, & ipsas
Musas non ita musicas putares.
Hic si syrmate cultus & cothurno,
Intrasset semel Atticum theatrum,
Cessissent Sophocles & Euripides.
Et si pulpita personare socco
Comœdus voluisset, huic levato
Palmam tu digito dares, Menander.
Hic cum senipedem stilum polibat,
Smyrnææ vice doctus officinæ,
Aut cum se historiæ dabat severæ,
Primos vix poterant locos tueri
Torrens Herodotus, tonans Homerus.
C Non isto potior fuisset olim,
Qui Pandioniam movebat arte
Orator caveam tumultuosus,
Seu luscum raperetur in Philippum,
Caussam seu Ctesiphontis actitaret,
Vir semper popularitate crescens,
Et juste residens in arce fandi,
Qui fabro genitore procreatus,
Oris maluit expolire limam.
Quid vos eloquii canam Latini
Arpinas, Patavine, Mantuane?
Et te, comica qui doces, Terenti?
Et te, tempore qui satus severo,
Grajos Plaute sales lepore transis?
D Et te multimoda satis verendum
Scriptorum numerositate, Varro?
Et te qui brevitate Crispe polles?
Et qui pro ingenio fluente nulli
Corneli Tacite es tacendus ori?
Et te Massiliensium per hortos
Sacri stipitis, Arbiter, colonum
Hellespontiaco parem Priapo?
Et te carmina per libidinosa
Notum Naso tener, Tomosque missum;
Quondam Casareæ nimis puellæ

1. *Asaroticis lapillis*] Testulis in varios colores tinctis, quales in asarotis pavimentis, de quibus Statius in Tiburtino Vopisci, & Plinius lib. XXXVI. cap. xx. *Sosus Pergami statuit quem vocant asaraton œcon, quoniam purgamenta cœnæ in pavimento, quæque everri solent, veluti relicta fecerat parvis testulis tinctis in varios colores.*

2. *Hinc te Martius ille*] Theodoricus junior, Theodorici magni filius, de quo epistola II. Gothi enim cum Ataulfo duce Gallias ingressi Narbonem quoque occupassent, inde summoti sunt a Constantio Comite, anno, ut ex Orosio & Idacio colligitur, CDXVI. Post hæc Theodoricus pater, Aquitania non contentus, Narbonem longa illa obsidione cinxit, quæ hoc loco describitur, sed repulsus est tandem a Litorio, ut dictum est in Panegyrico Aviti. Demum vero junior hic Theodoricus prodita sibi per Agrippinum comitem urbe Narbonensi potitus est, anno, ut ex Idacio eodem patet, CDLXII. Quare post hunc annum, sed ante CDLXVI. quo mortuus est Theodoricus, a Sidonio scriptum hoc Carmen dici necesse est.

3. *Multum ringitur*] In aliis *fingitur*. Horatius,

E *Paullum sepultæ distat inertiæ*
Celata virtus.

4. *Natos cum genitore*] Carinum & Numerianum cum Caro patre. Quamquam de Cari Aug. patria nihil certi fuisse docet Vopiscus, & quod mirere, inter varias opiniones non meminit Narbonis. Sed Narbone genitum, ante Sidonium prodidere e Græcis Eusebius in Chronico, e Latinis Sextus Victor, Eutropius & Orosius. Josephus Scaliger ad Eusebium, quia Carum in Illyrico natum quidam scripserant, ut Fabius Cerilianus, ita rem componit, ut Narbonæ natum affirmet, non in Gallia, sed in Illyrico, ubi Narbonam item oppidum esse contendit nominis ejusdem. Verum Dalmatiæ oppido, quod Scaliger designat, nomen fuit non Narbona, etsi mendose ita legitur apud Ptolemæum, sed Narona: quomodo in epistola Vatinii apud Ciceronem appellatur: itemque apud Plinium & Aethicum, & in Tabula Peutingeri.

5. *Consenti patrem*] Consentium patrem laudat a philosophicis poeticisque disciplinis, tum Græcis, tum Latinis.

Secul. V. circa Ann. Chr. 47?.

Ficto nomine subditum Corinnæ.
* Quid celsos Senecas loquar, vel illum
Quem dat Bilbilis alta Martialem,
Terrarum indigenas Hibericarum?
Quid quos duplicibus jugata tædis
Argentaria [1] Polla dat poetas?
Quid multos varii stili retexam,
Arguti, teneri, graves, dicaces?
Si Consentius affuit, latebant.
Huic summi ingenii viro, simulque
Summæ nobilitatis atque formæ,
Juncta est femina, quæ domum ad mariti
Prisci [2] insignia transferens Jovini,
Implevit trabeis larem sophistæ.
Sic intra proprios tibi penates,
Consenti, patriæ decus superbum,
Fastis vivit avus, paterque libris.
Hæc per stemmata te satis potentem,
Morum culmine sed potentiorem,
Non possim merita sonare laude:
Nec si me Odrysio canens in antro,
Qua late trepidantibus fluentis
Cautes per Ciconum resultat Hebrus,
Princeps instituisset ille vatum,
Cum dulces animata saxa chordæ
Ferrent per Rhodopen trahente cantu,
Et versa vice fontibus ligatis,
Terras currere cogerent anhelas.
Nec non Ismara solibus paterent,
Aurita chelyn expetente silva,
Et nulli resolubiles calori
Curvata ruerent nives ab Ossa,
Stantem aut Strymona Bistones viderent,
Cum carmen rapidus latex sitiret.
Nec si Peliaco datus bimembri
Ad Centaurica plectra constitissem,
Hinnitum duplicis timens magistri.
Nec si me docuisset ille fari,
Jussus pascere qui gregem est clientis,
Amphrysi ad fluvium, deus bubulcus,
Quod ferrugineos Cyclopas arcu
Stravit sub Liparensibus caminis,
Vibrans plus grave fulmen in sagitta.
Jam primo tenero calentem ab ortu,
Excepere sinu novem sorores,
Et te de genitrice vagientem
Texerunt vitreæ vado Hippocrenes.
Tunc hac mersus aqua loquacis undæ,
Pro fluctu mage litteras bibisti.
Tunc tu jam puer aptior magistro,
Quidquid rhetoricæ institutionis,
Quidquid grammaticalis aut palestræ est,
Sicut jam tener hauseras, vorasti.
Et jam te aula tulit, [3] piusque princeps
A Inter conspicuos statim locavit,
Consistoria quos habent, tribunos:
Namque & purpureus in arce regni
Præesse officiis tuis solebat,
Mores nobilitate quod merebant.
Tantum culminis & decus stupendum
Scripti annalibus indicant honores.
Hinc tu militiam secutus amplam,
Castrensem licet ampliare censum
Per suffragia justa debuisses.
Solennis tamen abstinens lucelli,
Fama plus locuples domum redisti,
Solum quod dederas tuum putando.
Tum si forte fuit quod imperator
B [4] Eoas soceri venire in aures
Fido interprete vellet & perito,
Te commercia duplicis loquelæ
Doctum solvere protinus legebat.
O, sodes, quoties tibi loquenti
Byzantina sophos dedere regna?
Et te seu latialiter sonantem,
Tamquam Romulea satum suburra,
Seu linguæ Argolicæ rotunditate
Undantem, Marathone ceu creatum:
Plaudentes stupuere Bosphorani,
Mirati minus Atticos alumnos.
Hinc si fœdera solverentur orbis,
Pacem te medio darent feroces
C Chunus, Sauromates, Getes, Gelonus.
Tu ** Tuncrum, & Vachalim, Visurgin, Albin,
Francorum & penitissimas paludes
Intrares, venerantibus Sicambris,
Solis moribus inter arma tutus.
Tu Mœotida, Caspiasque portas,
Tu fluxis equitata Bactra Parthis
Constans intrepidusque sic adires,
Ut fastu posito tumentis aulæ,
Qui supra satrapas sedet tyrannus,
Ructans semideum propinquitates,
Lunatum tibi flecteret tiaram.
Tu si publica fata non vetarent
Ut Byrsam peteres, vel Africanæ
D Telluris Tanaiticum rebellem:
Confestim posito furore Martis,
Post piratica damna dest naret
Plenas mercibus institor carinas:
Et per te bene pace restituta,
Non ultra mihi bella navigarent.
Jam si feria forte terminantem
Te spectacula ceperant theatri,
Pallebat chorus omnis histrionum,
Tamquam si Arcitenens, novemque Musæ
Propter pulpita judices sederent.
Coram te [5] Caramalus, aut Phabaton

1. *Polla dat poetas*] Lucanum & Statium. Lucani enim uxor fuit Polla Argentaria, & mortuo Lucano, Statii, ut Statius ipse in Silvis docet. Quidam libri *pallidas* legunt.

2. *Prisci Jovini*] Trabeæ & fastorum nomen consulatum den tat Fl. Valentis Jovini, quem Lupicino collega sub Valentiniano seniore gessit, cum equitum magister esset per Gallias, & Alamannos ingenti strage in Catalaunis profligasset, ut Marcellinus narrat l. XXVII. De quo etiam scribit Flodoardus 1. Historiæ VI. & antiquos versus profert, a Jovino positos in S. Agricolæ basilica quam Remis fundarat. Hujus itaque filiam Consentio seniori nuptam ait. Quæ vero sequuntur, de juniore Consentio ad quem scribit, capi debent.

3. *Piusque princeps*] Plac. Valentinianus, a quo Tribunus & Notarius in consistorio Consentius creatus est. In consistorio enim principis militabant Tribuni & Notarii. l. 11. Cod Theod. De primicerio & notariis. Inscriptio statuæ Petronii Maximi, PRIMÆVUS IN CONSISTORIO SACRO TRIBUNUS ET NOTARIUS MERUIT.

4. *Eoas soceri*] Theodosii junioris Aug filiam Eudoxiam duxerat Valentinianus. Ad Theodosium ergo in oriente legatum a Valentin ano Consentium ait, & idoneum fuisse qui ad Francos item, Persas, Vandalos aliosque reges mitteretur.

5 *Caramallus, aut Phabaton*] Nobilium pantomimorum nomina: quorum alterum, id est Caramallum, laudat et-

* *Quid celsos Senecas loquar*] Barthius *Advers.* pag. 489. legit ex antiquo libro, *Quid Celsos, Senecas loquar*: fuisse enimvero præter Cornelium, & alios Celsi nomine celebres. — Baunius Sirmond. editor præfat. ad tom. I. §. XI.

** *Tuncrum*] Hadrianus Valesius *Rer. Francic.* lib. V. pag. 221. non *Tuncrum*, flumen omnibus, ut ipse ait, geographis & historicis ignotum, sed *Vicrum* legit. „ Est „ autem *Vicer*, inquit, Franciæ transrhenanæ amnis, „ oppidum sui nominis attingens, vulgo Zuiderseum, „ hoc est, paludem Austrinam dictum: quem a Claudio „ Ptolemæo in Germania inter Rhenum & flumen Amisium positum, vitio exemplarium Vidrum pro Vicero „ appellari, & hodieque Vectum vocari animadverto. „ — Baunius l. c.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
472.

Clauſis faucibus, & loquente geſtu,
Nutu, crure, genu, manu, rotatu,
Toto in ſchemate vel ſemel latebit,
Sive Aeetias, & ſuus Jaſon
Inducuntur ibi, feruſque Phaſis,
Quis jactos ſuper arva Colcha dentes
Expavit, fruticante cum duello
Spicis ſpicula mixta fluctuarent.
Sive prandia quis refert Thyeſtæ
Seu veſtros Philomela torva planctus,
Diſcerptum aut puerum, cibumque factum
Jam jam conjugis innocentioris.
Seu raptus Tyrios, Jovemque taurum
Spreto fulmine fronte plus timendum.
Seu turris Danae refertur illic,
Cum multum pluvio rigata cenſu eſt,
Dans plus aurea furta, quam metalla.
Seu Ledam quis agit, Phrygemque ephebum
Aptans ad cyathos, facit tonanti
Succo nectaris eſſe dulciorem.
Seu Martem ſimulat modo in catenas
Miſſum Lemniacas, modo aut repulſo
Formam imponit apri, caputque ſetis
Et tergum aſperat, hiſpidiſque malis
Læve incurvat ebur, vel ille fingit
Hirtam dorſa feram, repanda tela
Attritu aſſiduo cacuminantem.
Seu Perſeja virgo vindicata
Illic luditur harpe conjugali:
Seu quod carminis atque fabularum
Clauſa ad Pergama dat biluſtre bellum.
Quid dicam cithariſtrias, choraules,
Mimos, ſchœnobatas, gelaſianos,
Cannas, plectra, jocos, palem, rudentem,
Coram te trepidanter explicare?
Nam [1] Circenſibus ipſe quanta ludis
Victor geſſeris intonante Roma,
Lætam par fuit exarare muſam.
Janus forte ſuas bifrons calendas,
Anni tempora circinante Phœbo,
Sumendas referebat ad curules.
Mos eſt Cæſaris heic die bis uno
(Privatos vocitant) parare ludos.
Tunc cœtus juvenum, ſed aulicorum,
Elei ſimulacra torva campi
Exercet ſpatiantibus quadrigis.
Et [2] jam te urna petit, cietque raucæ
Acclamatio ſibilans coronæ.
Tum qua eſt [3] janua, conſulumque ſedes,
Ambit quam paries utrimque ſenis.
Cryptis, carceribuſque fornicatus,
Uno e quatuor axe forte lecto,
Curvas ingrederis premens habenas.
Id collega tuus, ſimulque vobis
Pars adverſa facit: [4] micant colores,
Albus, vel Venetus, virens, rubenſque:

iam Ariſtænetus epiſtola xxvi. & Leontius Scholaſticus lib. IV. Anthologiæ xxv. Pantomimi, ὀρχησταὶ, ore tacito geſtibus omnia explicabant. Caſſiodorus lib. IV. *Orcheſtarum loquaciſſimæ manus, linguoſi digiti, ſilentium clamoſum, expoſitio tacita*: & Incertus auctor de pantomimo:

Tot linguæ, quot membra viro: mirabilis ars eſt,
Quæ facit articulos ore ſilente loqui.

Artis auctores Romæ, Auguſti temporibus, Pylades & Bathyllus. Nam cum veteres ipſi canerent & ſaltarent, hi chorum & fiſtulam ſibi præcinere fecerunt: ut tradunt Lucianus περὶ ὀρχήσεως, Euſebius in Chronico, Zoſimus lib. I. & alii. Pantomimorum autem tot erant argumenta, quot fabulæ poetarum: nulla enim erat, quam non repræſentarent. Itaque Sidonius multas hoc loco recenſet: longe plures Lucianus dialogo ſupra ſcripto. Cyprianus de ſpectaculis. *Nulla enim obſcenis motibus membra diſtorquens deſaltavit Græcæ libidinis fabulam.*

1. *Nam Circenſibus*] Circenſium Plac. Valentiniani nummum vidimus cum Vicennalium ejus nota. Sed ii publici & ſolemnes ludi erant: hi vero privati: ſicut privatum Elagabali ſpectaculum, in quo Lampridius narrat junxiſſe illum camelos quaternos ad currus in Circo. In publicis agitare ſolebant promiſcui aurigæ factionum Circenſium: in privatis nobiles plerumque ac principes ipſi exercebantur, ut hoc loco juvenes aulici.

2. *Et jam te urna petit*] Sortes in Circo ad electionem ducebantur, tum loci, tum quadrigarum. De quadrigarum electione Symmachus teſtatur, lib. X. xxii. *Malo*, inquit, *fremitum Murtiæ vallis exponere, atque illam quadrigarum diſtributionem, in qua ſibi cum fortunatus videretur, cui electionem mox urna tribuebat par vel potior erat, quem ſors feciſſet extremum. Quoties ſequenti primus invidit? Dubia eſt enim optio, cum de ſimilibus judicatur.* Ubi aperte optionem ſorte datam dicit: ſed quadrigas a Theodoſio miſſas adeo præſtantes omnes fuiſſe, ut ſors primo nihil conferre videretur, cum illa ambiguam redderent optionem. Sed quadrigarum electio non ſemper fuit in uſu, loci numquam omiſſa. Nam apud Homerum Iliad. xxiii. Sophoclem in Electra, Statium Thebaidos vi. quia Heroes antiqui ſuos ipſi currus agitant, ſolius loci fit ſortitio. Item apud Virgilium in ludrico navali Æneidos v. *Tum loca ſorte legunt.* Loca autem hæc in Circo erant oſtia ipſa & carceres equorum: ita ut primus, aut ſecundus locus, nihil aliud fuerit, quam primum aut ſecundum oſtium. Conſentius ergo, quem primum urna vocarat, & axem, hoc eſt quadrigas eligit, & primum oſtium ingreditur: poſt eum reliqui alia deinceps ſuo quiſque ordine. Cur autem in capiendis locis ſors adhiberetur, cauſſam innuit, non explicat Donatus ad Virgilii verba, quæ proxime citavimus: *Non eſt*, ait, *idem labor in ſingulis locis: & inde ſors adhibetur, ut fieri conſuevit in Circo, ne ſit in ordinatione contentio.* Cur enim non idem eſt labor? Ideo nimirum, quia non idem erat a ſingulis oſtiis ad metam ſpatium: ſed a primo rectum ac breviſſimum, ab ultimo longiſſimum. Quare quo quis remotior a primo curſum inibat, hoc longiore ſpatio ferebatur, & viæ ac laboris plus habebat. Ex quo etiam patet, cur in Dioclis agitatoris laude ponat vetus inſcriptio, quod SUMMA QUADRIGA, ET OSTIO QUARTO MISSUS vicerit. Nam cum quaterni fere agitare ſolerent, quatuor tantum primis oſtiis utebantur. Unde qui quarto exibat, is ſumma & ultima quadriga certabat, cujus difficillima erat victoria. Quo etiam ſenſu dictum ſit ab Ovidio iii. Amorum ii.

Hoc mihi contingat: ſacro de carcere miſſis
Inſiſtam forti mente vehendus equis.

Idem enim eſt, ac ſi dicat, Te favente non dubitem vel e ſacro, id eſt ultimo ſextoque oſtio miſſus certamen inire, ac palmam ſperare.

3. *Janua conſulumque ſedes*] In prima Circi fronte janua erat, qua ingreſſus in circum. Januæ latera hinc inde ſepta carceribus, ſenis utrimque, quos cryptas vocat, quod abſidati eſſent, pariete in quo carceres erant in fornices inflexo, atque ut loquitur ipſe, fornicato. Dicebantur & portæ, januæ, oſtia Circi: quoniam his oſtiis ad curſum mittebantur equi: ut contra, carceres dictos docuit Varro, quod iis coerceantur, ne inde exeant, prius quam mittat Magiſtratus. Portas vocat P. Victor, cum ait Circi maximi duodecim portas fuiſſe. Januas auctor epiſtolæ de viro perfecto inter pſeudepigrapha Hieronymi: *Adhuc*, inquit, *prior illa adſtat in januis, cui æque ſua ſpatia debentur*: & Paullinus epiſt. ii. *Non decurſus ſtadii, ſed ingreſſus: nec ut meta, ſed janua eſt.* Eodemque modo θύραι Græci. Gloſſæ noſtræ: *Carceres*, θύραι ἱπποδρόμου. πύλας Himerius ἐκ πυλῶν εἰς νύσσαν δρόμον ἰθύνοντε. Oſtia Senator lib. III. li. *Biſſena oſtia ad duodecim ſigna poſuerunt*: & ſine controverſia Auſonius in epiſtola ad Urſulum, ſenarium numerum ſignificans:

Oſtia quot pro parte aperit ſtridentia Circus,
Excepto medium quod patet in ſtadium.

De his enim carcerum oſtiis loquitur, non de januis, quas per circi ambitum ſibi fingunt interpretes doctiſſimi. Oſtia enim carcerum, ut dictum eſt, in Circo maximo fuerunt omnino xii. ſed ſena utrimque: quod pro parte dixit Auſonius. Septimum autem oſtium quod excipit, ipſa eſt Circi janua: quæ in medio carcerum poſita, in mediam circi latitudinem patebat. Supra januam porro, conſulum ſedes, aliorumve magiſtratuum, qui ludis præſidebant. Nam ut conſulum ſedes heic dicitur, ſic *Prætorum ſedes* Svetonio, Neronis xii. & *Prætoris tribunal* eidem, Auguſti xlv. De qua & Livius lib. xlv. *Ludorum Romanorum die, C. Licinio conſuli ad quadrigas mittendas deſcendenti tabellarius reddidiſſe laureatas litteras dicitur.*

4. *Micant colores*] Circi factiones tunicarum coloribus

vestræ insignia, continent ministri
Ora, & lora manus, jubasque tortas
Cogunt flexilibus latere nodis,
Hortanturque obiter, juvantque blandis
Ultro plausibus, & voluptuosum
Dictant quadrupedantibus furorem.
Illi ad claustra fremunt, repagulisque
Incumbunt simul, ac per obseratas
Transfumant tabulas, & ante cursum
Campus flatibus occupatur absens.
Impellunt, trepidant, trahunt, repugnant,
Ardescunt, saliunt, timent, timentur,
Nec gressum cohibent, sed inquieto
Duratum pede stipitem flagellant.
[1] Tandem murmure buccinæ strepentis
Suspensas tubicen vocans quadrigas,
Effundit celeres in arva currus.
Non sic fulminis impetus trisulci,
Non pulsa Scythico sagitta nervo,
Non sulcus rapide cadentis astri,
Non fundis balearibus rotata
Umquam sic liquidos poli meatus
Rupit plumbea glandium procella.
Cedit terra rotis, & orbitarum
Moto pulvere sordidatur aer.
Instant verberibus simul regentes,
Jamque & pectora prona de covinno
Extensi rapiuntur, & jugales
Trans armos feriunt, vacante tergo:
Nec cernas cito, cernuos magistros
Temones mage sufferant, an axes,
Jam vos ex oculis velut volantes,
[2] Consumto spatio patentiore,
Campus clauserat arctus arte factus:
Per quem longam, humilem, duplamque muro
Euripus sibi machinam tetendit.
[3] Ut meta ulterior remisit omnes,
Fit collega tuus prior duobus,
Qui te transierant: ita ipse quartus
Gyri conditione tum fuisti.
[4] Curæ est id mediis, ut ille primus
Pressus dexteriore concitatu,
Partem si patefecerit sinistram,
Totas ad podium ferens habenas,
Curru prætereatur intus acto.
Tu conamine duplicatus ipso
Stringis [5] quadrijugos, & arte summa
In gyrum bene septimum reservas.

distinctæ. Erat enim factio albata, russata, prasina, veneta: quomodo nominantur in Dioclis inscriptione. *οἱ λευκῇ, καὶ πυῤῥᾷ σκευῇ χρώμενοι, καὶ τῇ πρασίνῃ, καὶ οὐενετίων*, a Dione. *βενέτων, πρασίνων, ῥουσίων, λευκῶν, μέρη καὶ δῆμοι*, in Anthologia epigrammatum Græcorum. Ab his diversorum colorum tunicis, ut Plinius junior vocat, (*στολὰς* Dio, *πέπλους* vetus epigramma) discolor agmen agitatorum dicitur Ovidio. Utebanturque ut hinc liquet, non solum in publicis ludis, verum etiam in privatis: quod & Commodi atque Heliogabali exempla docent, qui prasino domi aurigantes usi memorantur.

Effossa est paucis ab hinc annis, cum Romæ essemus, via Prænestina, tertio ab urbe lapide, vetus altera duplex inscriptio, quæ Polynici & Tatiani filii agitatorum in singulis factionibus palmas enumerat, senis versibus Græcis adjectis, quorum duo tantum primi restant incolumes. Sic enim habent.

M. AUR. POLYNICES NAT. VER-
NA. QUI VIXIT ANN. XXIX. MENS
IX. DIEBUS V. QUI VICIT PALMAS
N. DCCXXXIX. SIC. IN RUSSEO N
DCLV. IN PRASINO LV. IN VENE
TO XII. IN ALBO N. XVII. PRÆ
MIA XXXX. N. III. XXX. XXVI. PU
RA. N. XI. OCTOJUG. N. VIII. DEC. N
VIIII. SEJUG. N. III.

Pari jugo cum superiore.

M. AUR. MOLLICIUS TATIANUS
NATIONE VERNA QUI VIXIT ANN.
XX. MENS. VIII. DIEBUS VII. QUI
VIC. PALMAS N. CXXV. SIC. IN RUS
SEO LXXXVIIII. IN PRASINO XXIII.
IN VENETO N. V. IN ALBO N. VII.
PRÆMIA XXX. N. II.

Θρέψε πάτρη Ῥώμη κλυτὸς ἡνίοχος πολυνίκης
Τὼ δύο μάκαρεν πατρικόν τε κλέος.

1. *Tandem murmure buccinæ*]. Mittendis quadrigis signum dabat magistratus: prolatoque signo, carceres illico simul omnes pandebantur. Id signum Romæ projecta mappa dari mos fuit. At Sidonius mappa omissa, quæ in privatis fortasse ludis locum non habuit, solius tubæ meminit quæ mappam sequebatur: quam solam norant antiqui. Sophocles: *χαλκῆς ὑπαὶ σάλπιγγος ᾖξαν*. Virgilius,

Inde ubi clara dedit sonitum tuba.

Statius,

Insonuit contra Tyrrhenum murmur.

2. *Consumto spatio patentiore*] Circo figura eadem quæ obelisco jacenti. Itaque prima sui parte, qua cursum inibant, latior erat, spatio a carceribus ipsis paullatim decrescente: circi porro longitudo bifariam, septo seu pariete interjecto, in æqua utrimque latera dividebatur, hinc dextrum, illinc lævum, dextris lævisque ostiis oppositum. Per hæc autem laterum spatia procurrebat Euripus, structilis aquæ fossa per circi gyrum acta, excepta ea parte qua carceres erant, ut describit Dionysius Halicarnasseus lib. III.

3. *Ut meta ulterior*]. Meta enim duplex fuit. Ulterior in imo circo, quam interiorem dixit Statius, *ἐσχάτην στήλην* Sophocles: altera citerior, in prima ejus fronte, non longe ab ostiis: primas metas appellat Tertullianus. Inter utrasque paries ille porrectus, qui circi latera dirimebat. Ad primam metam curriculorum spatia incipiebant & desinebant: ad ultimam flectebantur: ideo Græci a flexu illo *καμπτῆρα* vocarunt, campterem Pacuvius in Atalanta. Sidonius ergo totam Consentiani certaminis scenam hoc modo designat. A primo, inquit, flexu Consentii socius omnes anteibat: proximi ab eo adversarius uterque; tum denique Consentius ipse e primo postremus: sed equos studio inhibens, ac septimo spatio integros reservans. Hoc ordine secundum, tertium, quartum spatium peregere. Quinto curriculo socius ille fessis equis currum avertit, ac primum locum cessit adversariis. Qui sextum jam spatium emensi, palmæ proximi videbantur, cum subito citatis equis Consentius ambos antevertit, & septimo spatio victor evasit.

4. *Curæ est id mediis*] Cum in circo initium currendi ducerent a dextro ejus latere, seu dextra serie carcerum, hinc fiebat ut currentibus aurigis ad lævam semper essent metæ, ad quas, & secundum quas decurrebant: ad dextram podium & cunei spectatorum. Quare cursus sinisterior interior ac brevior erat, dexter exterior, longiorisque anfractus. Atque hoc sensu poetæ dextram in his ludis perpetuo damnant. Virgilius:

Quo tantum mihi dexter abis?

Statius:

Spargitur in gyros, dexterque exerrat Arion.

& Consentii adversarius Sidonio:

Dexter sub cuneis nimis cucurrit.

Qui ergo cursu antecedit, si quando ad podium & cuneos, hoc est ad dextram deflectat, tum curæ, inquit, est sequenti æmulo, ut introrsum parte sinistra succedat & prætervehatur. Quomodo Consentius, cum adversariis suis posterior esset, utrumque tandem præteriit, & Menelaum Antilochus Homeri, & Gyam Maronis Cleanthus. Quo spectant & illa, *Successit & vicit*, in Dioclis inscriptione.

5. *Stringis quadrijugos*] Septem gyris circi agon peragebatur: & qui septimo præibat, victor erat quamvis prioribus cessisset. Quare artis erat, lentius principio currere, ne equorum vires ante septimum spatium exhaurirentur. Hinc laudatur ab Ausonio Phosphorus equus Valentiniani:

Improperanter agens primos a carcere cursus.

at contra, Silii Cyrnus ab iis jure damnatur, *queis interior cura & prudentia circi Altior*, quod primo certamine habenas effunderet. quo factum ut lassatis equis mox præteriretur, sicut hic Consentii collega cedere coactus.

Qui velocibus imperans quadrigis,
Exhaustos sibi senserat jugales.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.

Instabant alii manu atque voce,
Passim & deciduis in arva guttis
Rectorum, alipedumque sudor ibat.
Raucus corda ferit fragor faventum,
Atque ipsis pariter viris equisque
Fit cursu calor, & timore frigus.
Itur sic semel, itur & secundo,
Est sic tertius, atque quartus orbis.
Quinto circite, non valens sequentum
Pondus ferre prior, retorquet axem,
Quod velocibus imperans quadrigis,
Exhaustos sibi senserat jugales.
Jam sexto reditu perexplicato
Jamque & præmia flagitante vulgo,
Pars contraria nil timens tuam vim
Securas prior orbitas terebat;
Tensis cum subito sinu lupatis,
Tensis pectoribus, pede ante fixo,
Quantum auriga suos solebat ille
Raptans Oenomaum tremente Pisa,
Tantum tu rapidos teris jugales.
Hic [1] compendia flexuosa metæ
Unus dum premit, incitatus a te
Elatas semel impetu quadrigas
Juncto non valuit plicare gyro.
Quem tu, quod sine lege præteriret,
Transisti remanens, ab arte restans,
Alter dum popularitate gaudet,
Dexter sub cuneis nimis cucurrit.
Hunc, dum obliquat iter, diuque lentus
Sero cornipedes citat flagello,
Tortum tramite transis ipse recto.
Heic te incautius assecutus hostis,
Sperans anticipasse jam priorem,
Transversum venit impudens in axem,
Incurvantur equi, proterva crurum
Intrat turba rotas, quaterque terni
Arctantur radii, repleta donec
Intervalla crepent, volubilisque
A Frangat margo pedes: ibi ipse quintus
Curru præcipitatus obruente,
Montem multiplici facit ruina,
Turpans prociduam cruore frontem.
Miscet cuncta fragor resuscitatus,
Quantum non cyparissifer Lycæus,
Quantum non nemorosa tollit Ossa,
Crebras inrequieta per procellas:
Quantum nec reboant volutæ ab austro
Doris, Trinacris, aut voraginoso
Quæ vallat sale Bosphorum Propontis.
Heic mox præcipit æquus imperator,
Palmis [2] serica, torquibus coronas
Conjungi, & meritum remunerari,
B Victis [3] ire jubens, satis pudendis,
Villis versicoloribus tapetas.
[4] Jam vero juvenalibus peractis
Quem te præbueris sequente in ævo,
Intra [5] aulam soceri mei expetitus
Curam cum moderatus es palati,
Chartis posterioribus loquemur,
Si plus temporibus vacat futuris.
Nunc [6] quam diximus hospitalitatem,
Paucis personet obsequens Thalia.
O dulcis domus, o pii penates!
Quos res difficilis sibique discors,
Libertas simul excolit pudorque.
O convivia, fabulæ, libelli,
C Risus, serietas, dicacitates,
Occursus, comitatus unus idem!
Seu delubra Dei colenda nobis,
Sive ad pontificem gradus ferendi,
Sive ad culmina Marcii Myronis,
Tecta illustria seu videnda Livi:
Sive ad doctiloqui Leonis ædes,
Quo bis sex tabulas docente juris,
Ultro Claudius Appius taceret,
Claro obscurior in decemviratu.
At si dicat epos, metrumque rhythmis

1. *Compendia flexuosa metæ*] Præcipuus agitatorum labor & industria, metam apte circumflectere, quod est ἀ περὶ τέρματ' ἑλισσέμεν Homero. Artis caput, INTERIUS FLECTERE, non spatioso, sed breviore gyro, & proximo metæ: quod adversarius iste Consentii ab eo incitatus præstare non potuit. Ovidius.

Me miserum! metam spatioso circuit orbe.
Quid facis? admoto proximus axe subi.

Silius Italicus:

Non umquam effusum sinuebat devius axem,
Sed lævo interior stringebat tramite metam.

Et pulcre Seneca eo spectans, de Tranquillitate animi XI. *Non in cursu tantum circique certamine, sed in his spatiis vitæ interius flectendum est.* ET METAM VITARE, ne ad eam hærerent, currumve frangerent in occursu. Unde evitata rotis meta dicitur Horatio. Theocritus in Heraclisco.

Ἵππως δ' ἐξελάσασθαι ὑφ' ἅρματι· καὶ περὶ νύσσαν
Ἀσφαλέως κάμπτοντα τροχῷ σύριγγα φυλάξαι

Homerus in Nestoris ad Antilochum protreptico:

—— —— λίθου δ' ἀλέασθαι ἐπαυρεῖν.
Μήπως ἵππους τε τρώσῃς, κατὰ θ' ἅρματα ἄξῃς.

Et huc pariter alludens Cicero pro Cælio: *In hoc*, inquit, *flexu quasi ætatis, fama adolescentis paullum hæsit ad metas notitia nova mulieris.*

2. *Palmis serica*] Victoriæ circensis præmia, palmæ & coronæ: quibus interdum honoris caussa fasciolæ, seu lemnisci, e serico vel auro addebantur: unde lemniscatæ coronæ, aut palmæ dicebantur. De coronis Plinius lib. XXI. *Accesserunt & lemnisci, quos adjici ipsarum coronarum honor erat, propter Hetruscas, quibus jungi nisi aurei non debebant.* De palma Ausonius Paullinus:

Et quæ jam dudum tibi palma poetica pollet.
Lemnisco ornata est, quo mea palma caret.

3. *Victis tapetas*] Non solum victori, sed victis etiam præmium aliquod solatii caussa dari mos fuit. Ambrosius lib. I. de Pœnitentia cap. III. *Nam sæpe in hoc athletarum sæculari certamine etiam victos quorum fuerint certamina probata, vulgus hominum cum victoribus coronare consuevit, maxime quos viderit, aut forte dolo aut fraude exclusos victoria.* Ita fingunt in certaminibus suis Homerus, Virgilius, Statius, Silius. Et scenicis ludis Julii Cæsaris, in qui-
D bus Laberius & Publius Syrus mimorum poetæ certarunt, cum superatus esset Laberius, Cæsar Syro victori palmam, victo anulum dedit, ut est apud Macrobium lib. II. Saturnalium VII.

4. *Jam vero juvenalibus peractis*] Juvenili ætate. Plane quod sequitur, *sequente in ævo*, satis hanc interpretationem confirmat, doctissimorumque virorum errorem redarguit, qui Juvenales ludos hoc loco suspicati sunt: cum meminisse præterea debuerint, Juvenalia diversi a Circensibus generis ludos fuisse. Juvenalia ergo Sidonio dicuntur juvenilia, juvenilis ætatis studia. Utrumque enim promiscue scribebant antiquarii: & apud Sidonium ipsum lib. I. epist. II. *juvenali rubore*, non juvenili, lib. IV. XIII. *juvenali sanitate*, lib. IX. VI. *facilitate juvenali* scriptum est in libris plerisque.

5. *Intra aulam soceri mei*] Aviti imperatoris: cujus curam palatii gessit Consentius, ut Equitius olim Valen-
E tis, Constantius Honorii, Aetius Joannis. Quo munere qui fungebantur, Curopalatæ postea summa cum auctoritate dicti sunt in aula orientis, τὴν φυλακὴν τῆς αὐλῆς ἐμπεπιστευμένοι, ut scribit Evagrius lib. V. 1. & in Francia majores domus. Fredegarius: *Warattonem in Ebroini locum Majorem domus constituerunt. Erat Waradoni filius, qui vice patris curam palatii gerebat, nomine Gislemarus.*

6. *Nunc quam diximus hospitalitatem*] Hæc enim illi, ut præfatus est, scribendi carminis fuit occasio. Laudibus porro Consentii more suo amicorum elogia breviter adjungit, clarorum civium Narbonensium. Inter quos Leo, Magnus & Marcellinus, ex aliis locis noti sunt: Myronis, Lympidii & Marini, nunc primum nomina celebrantur. Itemque Livii insignis ejus ævi poetæ, quem laudat etiam auctor vitæ Hilarii Arelatensis, cum Hilarii eloquentiam peritissimis ait tunc temporis auctoribus sæculi desperationem intulisse. *In tantum*, inquit, *ut hujus temporibus* LIVIUS *poeta & auctor insignis publice proclamaret, Si Augustinus post Hilarium fuisset, judicaretur inferior.*

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 472.

Flectat commaticis, tonante plectro,
Mordacem faciat silere Flaccum;
Quamvis post satyras lyramque tendat
Ille ad Pindaricum volare cycnum.
Seu nos, Magne, tuus favor tenebat,
Multis prædite dotibus virorum,
Forma, nobilitate, mente, censu.
Cujus si varios eam per actus,
Centum & ferrea lasset ora laude.
Constans, ingeniosus, efficaxque,
Prudens arbiter, optimus propinquus,
Nil fraudans genii sibi vel ulli,
Personas, loca, tempus intuendo.
Seu nos atria vestra continebant,
Marcelline meus, perite legum.
Qui verax nimis, & nimis severus,
Asper crederis esse nescienti.
At si te bene quispiam probavit,
Noscit quid velit ipse judicare.
Nam numquam metuis loqui quod æquum est.
Si te Sylla premat, ferusque Carbo,
Si tristes Marii, trucesque Cinnæ,
Et si forte tuum caput latusque
Circumstent gladii triumvirales.
Seu nos Limpidii lares habebant,
Civis magnifici, virique summi,
Fraternam bene regulam sequentis.
Seu nos eximii simul tenebat
Nectens officiositas Marini,
Cujus sedulitas sodalitasque
Æterna mihi laude sunt colendæ.

A Seu quoscumque alios videre fratres
Cordi utrique fuit, quibus vacasse
Laudandam reor occupationem.
Horum nomina cum referre versu
Affectus cupiat, metrum recusat.
Hinc nos ad propriam domum vocabas,
Cum mane exierat novum, & calescens
Horam sol dabat alteram secundam.
Heic promens teretes pilas trochosque,
Heic talos crepitantibus fritillis,
Nos ad verbera tractuum struentes,
Tamquam Naupliades repertor artis,
Gaudebas hilarem ciere rixam.
Hinc ad balnea non Neroniana,
B Nec quæ Agrippa dedit, vel ille cujus
Bustum Dalmaticæ vident Salonæ:
Ad thermas tamen ire sed libebat,
Privato bene præbitas pudori.
Post quas nos tua pocula, & tuarum
Musarum medius torus tenebat:
Quales nec statuas imaginesque,
Ære, aut marmoribus, coloribusque
Mentor, Praxiteles, Scopas dederunt:
Quantas nec Polycletus ipse finxit,
Nec fit Phidiaco figura cælo.
Sed jam te veniam loquacitati
Quingenti hendecasyllabi precantur.
Tantum, & si placeat, poema longum est.
C Jam jam sufficit, ipse & impediris,
Multum in carmine perlegens amicum,
Deim.tantibus otiosiorem.

[1] PROPEMPTICON AD LIBELLUM.

CARMEN XXIV.

Egressus foribus meis, libelle,
Hanc servare viam precor memento,
Quæ nostros bene ducit ad sodales,
Quorum nomina sedulus notavi.
Antiquus tibi nec teratur agger,
Cujus per spatium satis vetustis
Nomen [2] Cæsareum viret columnis.
Sed sensim gradere, ut moras habendo
Affectum veterem noves amicis.
[3] Ac primum Domiti larem severi

1. *Propempticum ad libellum*] Propempticum Carmen dixit, quo librum emittit, abeuntemque per omnia amicorum domicilia Narbonem usque prosequitur. Hoc enim Græcis est προπέμπτικον. Tale olim fuit Propempticum Pollionis, quod Helvius Cinna scripserat, teste Charisio & Propempticum Ampelii ab Himerio editum. Tale & Metii Celeris Propempticum, quod legitur apud Statium lib. III. Silvarum.

D

2. *Nomen Cæsareum viret columnis*] In codice Theodosiano, De itinere muniendo L. VI. *Absit ut nos instructionem viæ publicæ & pontium, stratarumque operam, titulis magnorum principum dedicatam, inter sordida munera numeremus*. Lapides, seu columnæ, quæ in viis publicis millia passuum notabant, aliæ solos milliarium numeros habebant, aliæ titulos etiam & nomina principum, per quos vel quorum ævo viæ refectæ restitutæque fuerant. Hujus generis illam, quam Savaro in originibus Claromontanis edidit, e via militari eruta, quæ Augustonemeto Arvernorum Lugdunum olim ducebat:

TI. CLAUD. DRUSI F.
CÆSAR. AUG. GER
PONT. MAX. TRIB
POTEST. V. IMP. XI.
PP. COS. III. DES. IV.
AUG. M. P. XXI.

Et hæc altera in finibus Arvernorum Gabalorumque, ante aliquot annos effossa, quæ lucem nondum vidit, sed mendosa, vereor, ad nos pervenit.

IMP. CÆS
M. CAS. LAT
POSTUMO
P. F. AUG. COS.
M. P. GABALL. V.

Prior millia passuum ab Augustonemeto numerat: posterior a Gabalis, quos inferior ætas ad morem hodiernum deflectens, Gebaldanenses appellavit, ut in Joannis VIII. epistolis videre est.

3. *Ad primum Domiti larem*] Libello suo decem stativa mansionesque designat. Primam Domitii Grammatici, ad quem epist. II. lib II. Secundam Brivatem, quæ hodie duplex est: nova nobili Canonicorum collegio clara, & E vetus quam vocant, de qua Sidonius. Tertiam Gabalorum urbem, emenso prius jugo, & Triobre fluvio, qui nunc etiam Trobris vocitatur, e jugis Gabalum defluens in Ruthenos. Quartam Sacerdotis & Justini fratrum: quorum domicilii sedem reticet: utrique autem scribit lib. V. epistolarum. Quintam Ferreoli præfectorii & Papianillæ ejus, apud Trevidum in finibus Ruthenorum. Sextam Apollinaris, apud Voroangum ejus villam, de qua lib. II. epist. IX. ubi Lesoræ vicini montis meminit, Romæ quondam, ut Plinius lib. XI. cap. XLII. refert, præcipua casei laude noti: nunc trajectis litteris Loseram nominant. Meminit & Tarnis fluvii auriferi, qui e Cebennis ortus, per Aquitaniæ Narbonensisque fines evolvitur in Garumnam. Septimam Aviti apud Cottium, ad quem epist. I. lib. III. Octavam Fiduli, sed quo loco non dicit. Nec Fiduli hujus alibi ulla mentio: nomen tamen Gallis non ignotum. Floruit enim haud multo post Sidonium, Theodorici re-

Sæcul. V.
circa
Ann. Chr.
472.

Intrabis, trepidantibus camœnis:
Tam cenforius haud fuit vel ille,
Quem rififfe femel ferunt in ævo.
Sed gaudere potes rigore docto:
Hic fi te probat, omnibus placebis.
Hinc te fufcipiet benigna Brivas,
Sancti quæ fovet offa Juliani:
Quæ dum mortua mortuis putantur,
Vivens e tumulo micat poteftas.
Hinc jam dexteriora carpis arva,
Emenfufque jugum die fub uno,
Flavum craftinus afpicis Triobrem.
Tum terram Gabalum fatis nivofam,
Et quantum indigenæ volunt putari,
Sublimem in puteo videbis urbem.
Hinc te temporis ad mei Laconas
Juftinum rapies, fuumque fratrem,
Quorum notus amor per orbis ora
Calcat Pirithoumque, Thefeumque,
Et fidum rabidi fodalem Oreftæ,
Horum cum fueris finu receptus,
Ibis * Trevidon, & calumniofis,
Vicinum nimis heu jugum Rutenis,
Heic docti invenies patrem Tonanti,
Rectorem columenque Galliarum,
Prifci Ferreolum parem Syagri:
Conjunx Papianilla quem pudico
Curas participans juvat labore,
Qualis nec Tanaquil fuit, nec illa
Quam tu Tricipitine procreafti,
Qualis nec Phrygiæ dicata Veftæ,
Quæ contra fatis Albulam tumentem
Duxit virgineo ratem capillo.
Hinc te Lefora, Caucafum Scytharum
Vincens, afpiciet, citufque Tarnis
Limofum & ** folido fapore preffum
Pifcem perfpicua gerens in unda.
Heic Zeti & Calais tibi adde pennas,
Nimbofumque jugum fugax caveto,
Namque eft affiduæ ferax procellæ.
Sed quamvis rapido ferare curfu,
Laffum te *** Voroangus obtinebit.
Noftrum heic invenies Apollinarem,
Seu contra rabidi leonis æftus
Veftit frigore marmorum penates:
Sive hortis fpatiatur in repoftis,

A Quales mellifera virent in Hybla,
Quales Coricium fenem beantes
Fufcabat picei latex Galefi.
Sive inter violas, thymum, liguftrum,
Serpyllum, cafiam, crocum atque caltham,
Narciffos, hyacinthinofque flores
Spernit, quam pretii petitor ampli
Glebam turifer advehit Sabæus.
Seu ficto potius fpecu quiefcit,
Collis margine qua nemus reflexum
Nativam dare porticum laborans,
Non lucum arboribus facit, fed antrum.
Quis pomaria prifca regis Indi
Heic nunc comparet, aureafque vites,
B Electro viridante pampinatas,
Cum Porus pofuit crepante gaza
Fulvo, ex palmite vineam metalli,
Gemmarum fluitantibus racemis?
Hinc tu Cottion ibis, atque Avito
Noftro dicis ave, dehinc valeto.
Debes obfequium viro perenne:
Nam dent hinc veniam mei propinqui,
Non nobis prior eft parens amico.
Hinc jam te Fidulus decus bonorum,
Et nec Tetradio fatis fecundus,
Morum dotibus aut tenore recti,
Sancta fufcipit hofpitalitate.
Exin tende gradum, Tribufque villis
C Thaumaftum expete, quemlibet duorum:
Quorum junior eft mihi fodalis
Et collega fimul, graduque frater.
Quod fi fors fenior tibi invenitur,
Hunc pronus prope patruum faluta,
Hinc ad confulis ampla tecta Magni,
Felicemque tuum veni libelle.
Et te bibliotheca quæ paterna eft,
Qualis nec tetrici fuit Philagri,
Admitti faciet Probus probatum.
Heic fæpe Eulaliæ meæ legeris,
Cujus Cecropiæ pares Minervæ
Mores, & rigidi fenes, & ipfe
Quondam purpureus focer timebant.
D Sed jam fufficit, ecce linque portum,
Ne te pondere plus premam faburræ,
His in verfibus ancoram levato,

gis temporibus, S. Fidulus Arvernus patria, & apud Tricaffes abbas, qui eum præcipua veneratione habent; & S. Falum vocant. Nonam Thaumafti, ad Tref illas. De Thaumafto autem & Apollinare ejus fratre, fæpius dictum in epiftolis. Decimam Magni & Felicis ac Probi filiorum. Et Magnum quidem domo Narbonenfem fuiffe, didicimus ex carmine XXIII. Probi vero conjugem Eulaliam, Sidonii propinquam ex hoc loco notavimus ad epift. I. lib. IV.

* *Trevidon*] Hic Sidonii locus illuftratur in *Memoir. de l'Acad. des Infcript.* tom. III. pag. 260. *dans l'Hift.*

** *Solido fapore preffum*] Hadrianus Valefius in *Not. Galliæ* pag. 544. ait, harum vocum *folido fapore preffum*, tolerabilem fenfum nullum effe: itaque legendum haud dubie, *ftolido fapore preffum*. At nobis correctio hæc minus neceffaria videtur. Quidni enim illius fluvii pifces laudentur ob carnem *folidam & preffam*, eoque gratioris faporis; quum in multis pifcibus fapor dilutior fit ob mollitudinem? Deinde *pifcium fapor ftolidus* haud valde arridet. — Baunius Sirmond. editor præfat. ad tom. I. §. XI.

*** Vid. l. c. *Memoir.* pag. 261.

CORONIS SIDONIANA.

De loci prærogativa: quisve interior dicatur, quis exterior: quid tegere latus, aut μέσον ἔχειν. dextra ne potior, an sinistra.

STudio huc distuli binos versus, quibus Avitum A Sidonius in Gothica legatione medium inter Theodericum regem & Fridericum regis fratrem incessisse dixit.

> *Post hinc germano regis, hinc rege retento,*
> *Palladiam implicitis manibus subire Tolosam.*

Non quod multis demonstrandum sit, honoris caussa id factum fuisse: cum ambigat nemo, ubi tres una sint, honoratissimum locum medium esse: sed ut extremo libri spatio liberius evagari, & quæ de interioris exteriorisque loci notione, de lateris protectione, dextræ ac sinistræ in honoris prærogativa discrimine, commentati olim sumus, ac paullo fusius exponere, ac Notis hisce vel coronidis saltem loco addere liceat. Parergum enim id fortasse, nec B abnuo. Sed operæ non pœnitebit, si vel extra lineam quid dixero, quod philologis probari, bonisque scriptoribus lucem aliquam adferre possit. Non igitur ex eo quod verbi gratia in ludicro Circensi, ne ab auctore nostro discedamus, Carmine XXIII. *dexteriorem concitatum* appellavit exteriorem, & *currum intus actum*, qui in sinistram partem actus esset; propterea ex similibus locis colligi statim debet, quod viros doctos fefellisse mirum est, interiorem ubique sinisteriorem esse, aut dexteriorem semper exteriorem: cum certum sit interiorem, prout res ferant, nunc dextrum esse, nunc sinistrum: eodemque modo exteriorem. In Circo sane interior lævus erat: sed ideo quia metæ cur- C rentibus ad lævam, & in lævam ad eas flexus. Fac contra in dextram flecti, omnia erunt contraria: jam interior dexter erit, & sinister exterior: ut in illa quadriga evenisse necesse est, quam narrat Solinus cap. XLVI. excusso auriga, relicto certamine, ad Capitolium prosiliisse, Jovemque Tarpeium terna dextratione lustrasse: & in diurno cæli siderumque motu, quæ & ipsa dextro gyro polum, quasi perpetua quadam dextratione, circumagunt, Cynosura Helice interior est, & tamen dexterior. Nec aliter in hoc de illa versu e Ciceronis Arato, *Nam cursu interiore brevi convertitur orbe*, interiorem cursum capere possis, quam dexteriorem. Quid multis? nam quotidie videmus in bigis, cum ad vico- D rum capita flectunt, aut in bubus, cum arant & alternos sulcus ducunt, e duobus vel bubus vel equis, interiorem in flexu esse nunc dextrum, nunc sinistrum. Quodque in his videmus, idem in hominum incessu consessuque æstimare est. Par enim est caussa, cum eadem quoque nominum sit ratio. Ut enim in circo flexuque metæ, is dicitur interior, qui adversarium inter metamque propius flectit: sic in ingressu, si duo simul ambulent, interioris erit, qui interiore loco incedet, hoc est, medio inter comitem exteriorem & ædes, sive aliud quidpiam, quod ejus alterum latus claudat. Quare non alia, meo quidem sensu, interioris notio in vulgatissimis versibus Ovidii V. Fastorum, cum seni E honorem hunc a junioribus habitum scribit, ut si comites illi duo essent, medius incederet; si unus, interior.

> *Et medius juvenum, non indignantibus illis,*
> *Ibat, & interior si comes unus erat.*

Nec alia exterioris, ejusque qui latus tegere dicatur, Horatio Satyra V. lib. II.

> ——— *ne tamen illi*
> *Tu comes exterior, si jusserit, ire recuses.*
> *Ut ne tegam spurco Damæ latus?*

Quod enim summi ingenii viro Justo Lipsio in mentem venit, ut interiorem eum dici vellet, cui exterior leviter & in parte præiret honoris gratia: aut qui ipse contra (sic enim postea interpretari maluit) alterum anteiret: vereor ne argute magis & ingeniose fictum sit, quam vere. Nam ut non dicam permirum videri ac prope ridiculum, si tres sint, omnes pari jugo ambulare: si comitum recedat unus, alterum mox de suo gradu exsilire, ut senem modice antecedat aut sequatur: perspicuum est, in ea sententia nec latus proprie ab eo tegi qui dicitur exterior, nec quidquam esse cur interior potius dici debeat, quam anterior. At in nostra interpretatione plana omnia, certa & expedita. Interior vere, qui inter comitem ædesque medius ambulat: exterior plane, qui exteriore loco: idemque latus tegere interioris jure dicitur: ut qui ejus id latus claudit, quod intectum alioqui & nudum foret; cum alterum ab ædibus protegatur. Quo sensu Seneca epist. XXII. *Nudum erit latus? incomitata lectica?* nudum latus dixit, quod exterior comes nullus tegat: & Minucius Felix contra, ejus qui inter duos medius sedeat, protegi ab utroque latera scripsit in Octavio. *Et cum dicto*, inquit, *ejus assedimus, ita ut me ex tribus medium lateris ambitione protegerent*. Nec vero quærendum, dextram ne semper teneat interior, ut Lipsio & aliis visum est, an sinistram, ut Nebrissensi: cum satis constet, interiorem in incessu, perinde ut ceteris in rebus, nunc dextrum esse, nunc sinistrum: neutrumque ad vim nominis pertinere: sed fortuito evenire, prout ad dextram aut lævam id fuerit, cui propior is est qui dicitur interior. Quid ergo, dicet quispiam, si contingat, ut ad lævam sit qui interior ambulat, eum ne honestiore loco ambulare dices? Sane, inquam, cum interior sit, qui locus honoris: cum exterior sit alter, ejusque latus tegat, quod inferioris & honorem deferentis. Denique, ut paucis complectar, ita censeo. Apud veteres Romanos, ut hodieque apud Gallos nostros & plerasque alias gentes, in incessu consessuque præcipuum honoris locum interiorem semper fuisse, licet is dexter non semper esset. Clare id quidem ac sine exceptione, Ovidius & Horatius: ut frustra sint qui pro dextra tantum, aut pro sinistra pugnare velint. Neque tamen dextræ prærogativam suam detraxerim. Dextræ honori hoc datum liquet. Primum ut quando proximum nihil erat, unde interior alter altero, vel latus ei tegere diceretur, tum dexteram semper sinistræ præferrent: quomodo apud Tranquillum Tiberii cap. VI. prælatus haud dubie Marcellus, qui in Actiaci triumphi pompa dexteriore invectus est equo, cum Tiberius sinisteriore veheretur. Deinde in ipso interioris loci obsequio contenderent, quoad fieri posset, ut cum eo loco dextræ simul honor jungeretur, ita ut idem dexter atque interior esset. Quo spectans Helenius Acro, exteriorem in Horatii versu sinisteriorem exposuit: & Eutropius lævum incedere, quod Tranquillus de Claudio imperatore scripserat, illum Plautio in Capitolium eunti latus texisse: non quod necessario hæc ita semper conjun-

ƈa sint: sed quod plerumque ita fieri mos esset. Ceterum ubi res non ferebat, ut interior dexter esset: tum ad eum plane modum quo solemus in Gallia, interioris potiorem habuisse rationem: ut cum locum honoratis potius cum læva tribuerent, quam cum dextra exteriorem. Ita & sinistræ suus nonnumquam honos fuit, sed tum scilicet, quando interior erat: & dextra numquam non prælata, nisi cum interior esse non potuit. Interioris autem loci præcipua semper ac perpetua dignitas: non quia dexter, aut sinister: sed quia superior, quia prior, quia medius quodammodo: medius, inquam, inter comitem, & illud quidquid est quod alterum latus claudit. Sic enim Græci μέσον ἔχειν, μέσον λαβεῖν, etiam de duobus dicunt, cum alter interiore loco recipitur: ut Plutarchus in Catone Uticensi, quem A ait Philostrato, cum una deambularent, exteriorem incessisse ob honorem philosophiæ. Φιλόστρατον ἐν Σικελίᾳ μέσον εἶχε περιπατῶν, ἐπὶ τιμῇ φιλοσοφίας. & Vetus Interpres Juvenalis versum exponens Satyræ III.

Divitis hic servi claudit latus ingenuorum
Filius.

Aut in medium, inquit, *servum mittit*, *aut in sinistra ambulat*. Quibus verbis totam præterea sententiam nostram mirifice confirmat. De duobus enim sermo est, ut apud Horatium, cujus umbra hoc loco Juvenalis. Quare duo hæc ita distinguit, ut in medium mittere sit interiorem locum dare, sive læva sive dextra: in sinistra ambulare, tum sci- B licet, quando neuter locus interior est, & solius dextræ honor restat, qui potiori deferatur.

DE PROPRIIS NOMINIBUS MEDIÆ ÆTATIS,

unde sumi solita, & quid a prisco Romanorum usu discreparint.

DE nominibus mediæ ætatis jam præfati ad Ennodium sumus, & Romæ post eversam rempublicam, & in provinciis morem obtinuisse, ut cum multis fere nominibus nobiliores uterentur, proprium tamen unum cuique nomen esset, quod postremum semper collocarent. Qua de re iterum nobis, quia Sidonii quoque nomen admonet, fidemque obstrictam meminimus, paullo uberius hoc loco disserendum. Neque enim obscurum est, Sidonii nomen ex hac lege post reliqua ejus omnia positum fuisse, ut proprium. Semper enim proprium nomen posterior ætas ceteris omnibus postposuit. In quo sane a veterum Romanorum usu & consuetudine deflexit. Romanis enim stante republica proprium id nomen fuit quod primum, id est prænomen: quo nimirum fratres ipsi, cum cetera nomina communia haberent, inter se distinguebantur: ut P. Cornelius Scipio, & L. Cornelius Scipio fratres, itemque M. Tullius Cicero, & Q. Tullius Cicero fratres. Postea vero non primis, sed ultimis nominibus ut propriis uti ac distingui cœpere: ut Salvius Otho, & Salvius Titianus, item Flavius Vespasianus, & Flavius Sabinus fratres apud Svetonium. Quo spectans Svetonius idem, in Vitelliis fratribus tamquam peculiare notat, solis eos prænominibus distinctos fuisse: quod certe reipublicæ temporibus novum non fuisset: tum quippe fratres, ut dixi, non aliter distinguebantur. Hinc & illa Plutarchi cum Posidonio disceptatio. Quod enim initio vitæ Marii Posidonium reprehendit Plutarchus, qui proprium Romanis primum nomen fuisse docuerat, cum ipse tertium dici mallet; ita prorsus accipiendum est, ut Posidonium accommodate ad florentis reip. tempora locutum intelligamus; Plutarchum ad sua, hoc est ad Cæsariana, quibus non jam primum, ut olim, sed ultimum nomen cuique proprium erat. Proprium, inquam, & quo uno (quod ad Ennodium quoque monuimus) si quando pluribus abstinere placuisset, unumquemque designabant: quodque unicum sæpe in fastis, in nummis, in marmoribus, in librorum titulis adnotabant. In fastis enim, ut hoc exemplo utamur, collega Domitiani Aug. in nono ejus consulatu, nunc Rufus tantum, nunc omnibus nominibus, ut ex lapide Romano didicimus, C Q. Petilius Rufus scribebatur. Item Philippi collega sub Honorio, nunc Bassus, nunc Anicius Auchenius Bassus. Et Postumi Augusti nummi, alii solum hoc ejus nomen exhibent, alii M. Cassium Latienum Postumum vocant. In lapidum denique, librorumque inscriptionibus, ceterisque antiquis monimentis eadem est observare. Quamquam de librorum titulis dissimulandum non est, nonnihil videri in quibusdam aberratum. Etenim Palladium rei rusticæ scriptorem tamquam proprio nomine appellamus, qui verius Æmilianus, quomodo eum Isidorus XVII. Originum [1] nominat, appellandus esset; quia ultimum hoc ejus nomen est, cum omnia exprommuntur, hoc modo, Palladius Rutilius Taurus Æmilianus. Rursum quem Macrobium dicimus, D Avienus in epistola quam Æsopicis suis fabulis præfixit, & Boetius Theodosium vocant: nec dubium, quin hoc verum ejus nomen fuerit, quod postremum est, cum adjectis ceteris Macrobius Ambrosius Aurelius Theodosius nuncupatur. Quare quod Variarum auctori accidisse constat, ut Cassiodorus pro Senatore ab iis primum vocaretur, qui Senatoris nomen non proprium, sed epithetum esse suspicabantur: id ipsum his duobus & aliis nonnullis, librariorum oscitantia evenisse credendum est, ut cum unicum illorum nomen brevitatis studio ipsorum libris adscribere instituissent, pro ultimo quod proprium erat, id potius quod primo loco occurrebat, imperite deligerent. Sed exploratæ E certæque rationi paucorum hic error fraudi esse non debet. Maneat ergo, inferioris ævi hominibus proprium nomen id fuisse quod ultimum, quod illi proinde, ut ex historiæ Augustæ scriptoribus videre est, nunc verum, nunc proprium nomen appellabant: interdum etiam (quod Valeriani Aug. de Probo apud Vopiscum epistola declarat) nomen absolute: cum cetera quæ præibant, vel prænomina, vel cognomina, promiscue & sine discrimine vocitarent. Reliquum est, ut undenam peti atque imponi ab illis nomina solerent, & quid hac etiam in

1. Et Cassiodorus divinarum lectionum II.

parte ab antiquis discreparent, investigemus. In quo A rursum indicio nobis erunt nomina & exempla Sidoniana. Ex his enim docemur, posterioribus sæculis imponendorum nominum hunc pariter morem fuisse, ut tum propria cujusque, tum adjuncta seu cognomina, seu prænomina (quæ omnia in singulis prope capitibus variabant) a parentibus ut plurimum cognatisque, patribus, patruis, avis, proavis, reliquisque affectibus mutuarentur. Quod sane verum est. Verbi gratia, Fulgentii episcopi nomina fuerunt Fabius Claudius Gordianus Fulgentius, ex quibus Claudius patri, Gordianus avo proprium nomen fuerat. Et Symmachi, oratoris filii, nomina fuere [1] Q. Flavianus Memmius Symmachus, ex quibus Flaviani cognomen a patruo; Memmii ab B avo materno Memmio Orfito sortitus est. Ita & Apollinaris nomen, quod Sidonii avo proprium fuerat, Sidonio ipsi inter cetera est prænomen. Itemque apud Sidonium, Magno Felici prænomen est, quod Magno patri proprium nomen fuerat: & contra Tonantio nomen, quod Tonantio Ferreolo ejus patri prænomen. Rursum Majorianus & Anthemius materni uterque avi nomen gerit, Himerius vero paterni. Denique non alia in posterioris ævi nominibus norma quærenda est. Neque enim certa & stata, ut olim, generis ac familiæ vocabula in usu tunc fuerunt, quæ & fratribus communia essent, & ad posteros transirent: ut cum Cornelii aut Julii omnes dicebantur, qui e gente Cornelia aut Julia C nati essent: & Scipiones item aut Cicerones, qui in domo & familia Scipionum aut Ciceronum. Sed omnia mox cum occasu reipublicæ mutari sensim ac labi cœperunt. Ut quamquam initio antiqui moris aliqua hæserint vestigia in gentilitiis nominibus quæ a nonnullis familiis retinebantur, sicut in Salviis Flaviisque docent exempla quæ protulimus; postmodum tamen hoc ipsum quoque neglectum sit: adeo ut nullum tandem familiæ, nullum gentis certum nomen fuerit; filii etiam a patribus & fratribus inter se omnibus sæpe nominibus aut fere omnibus discreparint. Quod videre est, ut paucorum exemplo de ceteris fiat conjectura, in Flavio Avito Mariniano, Asclepiodoti collega in consulatu: cujus filius Rufius Prætextatus Postumianus appellatus est, consul & ipse, Sidonio puero, cum Zenone. Item in Q. Clodio Hermogeniano Olybrio, & Faltonio Probo Alypio, qui Theodosii ævo fratres fuerunt: eodemque modo in aliis. Ceterum in hac ipsa diversi nominum usus varietate, hoc nihilominus quod dixi observabant, ut ea fere omnia, aut pleraque a consanguineis cognatisque desumerent: nonnulla etiam tamquam familiæ usitatoria crebrius iterarent. Quo sensu Trebellius Pollio Censorini tyranni familiam Censorini nomine frequentatam scribit, & Cassiodori vocabulum familiæ suæ proprium asserit Senator I. Variarum II. non quod extra has familias Censorini aut Cassiodori nulli vocarentur: sed quod in his duabus hæc nomina frequentius usurparent. Ut rem paucis concludam, mediæ ætatis nominum duplex quodammodo lex fuit. Una, ut proprium cujusque nomen ultimum in locum conjicerent: altera, ut tum proprium hoc nomen, tum cetera, interdum quidem aliunde pro arbitrio, ut plurimum vero a propinquis affectibus deducta imponerent.

1. In editione posthuma, cura Labbei: *Q. Fabius Memmius Symmachus, ex quibus Fabii cognomen incertum ex quo, Memmii ab avo*, cet. At Juretus qui Symmachi epistolas notis illustravit, contendit Symmachi, oratoris filii, nomen fuisse Q. Flavium Memmium Symmachum.

VITA S. SIDONII
ARVERNORUM EPISCOPI.

Sidonium nobilissimo inter Gallos genere, ac patre D avoque præfectis prætorio Galliarum natum constat. De patria cum alii diversa sentiant, ipse Lugdunensem se non semel nec obscuris verbis significat. Sed crebra in ejus Arvernorum mentio, apud quos conjugem primum Aviti imper. filiam, deinde cathedram episcopalem sortitus est, nonnullis ansam dedit, ut Arvernum suspicarentur. Lugduni ergo natus, atque optimis, quibus tum adhuc referta erat Gallia, liberalium artium usus magistris, inter quos Hoenium in poeticis, Eusebium in philosophicis commemorat, eam in omnibus natura & studio laudem est consecutus, ut eruditorum sui ævi (quod Mamerti Claudiani de ipso elogia docent) peritissimus ac disertissimus habere- E tur. Poeticæ in primis fama clarus, non solum apud æquales amicos, verum etiam apud principes ipsos in pretio fuit. Quorum alterum declarant omnium generum epigrammata & carmina, quæ amicorum rogatu variis de rebus officiosissime scripsit: alterum tres panegyrici, quibus Avitum socerum, Majorianum & Anthemium Augustos publice laudavit, benevolentiæque a singulis fructum tulit. Nam & Romæ statuam inter Poetas sub Avito in fori Trajani bibliotheca meruit: & a Majoriano, cum Circenses daret Arelate, solenni ejus epulo inter honoratos adhibitus est, atque a Satyræ cujus insimulabatur, invidia singulari exemplo vindicatus. Ab Anthemio denique, post Comitivam aliasque quibus ornatus ante fuerat dignitates, Præfectus Urbi creatus, atque Patricius, familiam suam quam præfectoriam a majoribus acceperat, reddidit patriciam. Nec multo post defuncto Arvernorum episcopo Eparchio in ejus locum, quamvis retinens & nondum clericus, suffectus est. Quod munus summa cum modestia susceptum, pari cum sanctitate ac vigilantia, turbidissimis temporibus, maximasque inter difficultates tum privatas tum publicas administravit. Primum enim obsessis per Gothos Arvernis, diuturnæ acerrimæque oppugnationis molestias pertulit: deinde redacto ex Nepotis Aug. fœdere in hostium potestatem oppido, ab his per legationis speciem relegatus aliquamdiu exsulare coactus est. Tum suis tandem redditus, cum in officii curam intentus, nullam inter barbaros optimi pastoris partem omitteret, ac singulari in omnes benignitate, præcipua in egenos munificentia, neminem ipse lacesseret, æmulorum tamen, ut mos est, in se odia concitavit: duorum videlicet presbyterorum, qui omni ecclesiæ suæ potestate per summam

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 472.

contumeliam exutum, in maximas rerum omnium angustias conjecerunt. Sed diuturnam eam cladem esse divina ultio passa non est. In integrum ergo restitutus, nec diu tamen postea superstes, Aprunculo successore non sine divina præsensione designato, ad cæli præmia evolavit XII. Kalendas Septembris. Qui dies exinde anniversariæ ipsius memoriæ apud Arvernos dicatus, & tumulo inscriptus cum epitaphio. Liberos ex Papianilla conjuge ante episcopatum susceptos reliquit Apollinarem filium, & Rosciam ac Severianam filias. Ingenii vero monimenta, quamvis alia plurima scripserit, hæc sola quæ restant publici juris esse voluit. In quibus sane, seu metro vinctis, seu liberis ac solutis sive narret aut suadeat, sive laudet aut vituperet, & quodcumque argumentum tractet, par in omnibus felicitas & copia, atque ea tum verborum, tum sententiarum varietas, ut mira in eo vis ingenii, & abundantia quædam doctrinæ statim eluceat. Qua opinor fiebat, ut doctis etiam ætatis suæ hominibus, velut Ruricio Lemovicensi, obscurior atque interprete egere judicaretur. Neque vero in iis tantum quæ attentius meditabatur & elaborabat, quantus esset ostendit; sed in extemporalibus etiam repentinisque scriptionibus: quarum illi tam promta facultas erat, ut non pauculos dumtaxat versus non meditatos funderet e vestigio, quale fuit distichum, quo Satyræ calumniam deprecatus est apud Majorianum, & alterum reciprocum quo lusit in torrentem, aut tetrastichum quod in Philematii gratiam composuit: sed justa interdum utroque oratio- A nis genere opuscula pari celeritate pertexeret. Ejusmodi enim fuit Concio Bituricensis, quam paucis horis dictavit, & Anacreonticum carmen, quod Burdegalæ in Petri librum magistri epistolarum subito proferens, cum eximiis illius sæculi poetis Domnulo, Severiano atque Lampridio decertavit. Sed numquam quid in hoc genere posset clarius enituit, quam cum subtracto sibi, ut est apud Gregorium Turonensem, inter sacra libello ex quo recitare consueverat, totam nihilominus dicendorum seriem apposite ac luculenter explicuit. Ceterum cum talis omni ex parte tantusque esset Sidonius, ejusque scripta omnibus mirifice probarentur; ipse unus de se modice sentire, ac parum sibi usquequa- B que satisfacere videbatur. Itaque & multa, ut dictum est, suppressit, & quædam adorsus, ut Attilæ bellum, operis pertæsus abjecit. Historiam præterea sui temporis ut scriberet hortante Leone, Eurici regis consiliario, detrectavit, cum diceret historiæ scribendæ consilium clerico minime convenire. Atque hæc fere omnia, multoque etiam plura de Sidonio, discere licet ex ipsis operibus Sidonianis. Colitur autem apud Arvernos, ut jam quoque monuimus stato die rituque Sanctorum numero præclari antistitis memoria, religioseque asservantur sacra ejus ossa in basilica Genesiana, quo jam olim ex vetere S. Saturnini ædicula in qua primum conditus fuerat, translata commemorant. Ejus porro epitaphium cujus supra meminimus, ex veteri codice Cluniacensi depromtum sic habet.

EPITAPHIUM SIDONII.

SAnctis contiguus, sacroque patri
Vivit sic meritis Apollinaris,
Inlustris titulis, potens honore,
Rector militiæ, forique judex.
Mundi inter tumidas quietus undas,
Caussarum moderans subinde motus,
Leges barbarico dedit furori;
Discordantibus inter arma regnis,
Pacem consilio reduxit amplo.
Hæc inter tamen & philosophando
Scripsit perpetuis habenda sæclis.
Et post talia dona gratiarum,
Summi pontificis sedens cathedram,
Mundanos suboli refundit actus.
Quisque heic dum lacrymis Deum rogabis,
Dextrum funde preces super sepulcrum.
Nulli incognitus, & legendus orbi,
Illic SIDONIUS tibi invocetur.

XII. Kalend. Septemb. Zenone imp.

INDEX EORUM

AD QUOS SCRIPTÆ SUNT

EPISTOLÆ SIDONII.

INDEX CARMINUM.

ÆNEÆ GAZÆI

PHILOSOPHI CHRISTIANI

THEOPHRASTUS,

SIVE

De animarum immortalitate & corporum resurrectione

DIALOGUS.

[1] ΑΙΝΕΙΟΥ ΓΑΖΑΙΟΥ ΣΟΦΙΣΤΟΥ

Θ Ε Ο Φ Ρ Α Σ Τ Ο Σ,

ἤτοι περὶ ἀθανασίας ψυχῶν καὶ ἀναστάσεως σωμάτων

Δ Ι Α Λ Ο Γ Ο Σ.

ÆNEÆ GAZÆI PHILOSOPHI CHRISTIANI

T H E O P H R A S T U S,

five de animarum immortalitate & corporum refurrectione

D I A L O G U S.

ΤΟΥ ΔΙΑΛΟΓΟΥ ΤΑ ΠΡΟΣΩΠΑ·

Αἴγυπτος Ἀλεξανδρεὺς, Ἀξίθεος Σύρος, Θεόφραστος Ἀθηναῖος.

I N T E R L O C U T O R E S:

Ægyptus Alexandrinus, Axitheus Syrus, Theophrastus Athenienfis.

A ΑΙΓΥΠΤΟΣ. Ποῖ δὴ καὶ πόθεν Ἀξίθεε;

ΑΞΙΘ. Παρὰ τῶν Σύρων, καὶ πρὸς Ἀθηναίους ὦ Αἴγυπτε. σκαιὸς δέ τις ἄνεμος τὴν ναῦν ἐκβιάζεται, καὶ προκαταλύει τὸν πλοῦν. καὶ ἰδού σοι πάρειμι· τὸν Νεῖλον οὐ τὸν Ἰλισσὸν, τὴν δὲ Φάρον οὐ τὸν Πειραιᾶ θεώμενος.

ΑΙΓΥΠΤ. Ἦ πολλὴν χάριν οἶδα τῷ πνεύματι, ὅτι σε παρὰ φίλους κατάγειν ἐκβιάζεται. ἢ οὐ μέμνησαι [2] τοῦ Ἱεροκλέους, καὶ τῆς Ἱεροκλέους φιλοσοφίας, παρ' ᾧ φιλοσοφίαν ἐκ παιδὸς καὶ ἀλλήλων ἐρῶντες, πολλοὺς εἴχομεν τοὺς ἐραστάς; ἐγὼ γοῦν οὐκ οἶδα τοσοῦτον ἀλγήσας, ὡς ὅτε παρ' ἡμῶν ἀπῄεις ποικίλης σοφίας B σεαυτὸν γεμίσας τοῖς Σύροις. καὶ συχνὸς μὲν ὁ χρόνος· οὔπω δὲ κατέλυσε τὸν ἔρωτα. ἀλλ' ὁμοίως ἀκμάζει, ὥσπερ ἂν εἶχε ὅτ' ἀπῄεις, καί τοι πολλῶν ἐτῶν οὐκ εἶδον οὐδὲ ᾤμην ὄψεσθαι. ἀλλά μοι τύχη τις συναγωνιζομένη, καὶ ποθούμενον παρ' ἐλπίδα θηρεύει.

Ægyptus. Quonam tendis, & unde nobis ades, Axithee?

Axitheus. A Syris quidem huc advenio, & ad Athenienses contendebam, Ægypte: fed ventus finifter navim violenter abripuit, atque interrupit navigationem. Quo fit ut tibi nunc adfim, Nilum quidem non autem Ilissum, Pharum non Piræum intuens.

Ægyptus. Magnam mehercle vento gratiam habeo, qui te vi fua actum ad amicos adduxerit. Sed obfecro te, num adhuc meminifti Hieroclis, & ejus quam is docebat, philofophiæ; quem nos pueri in philofophia præceptorem habuimus: quando nobis hoc ipfo quod mutuum amaremus, permultos amicos conciliabamus? Ego vero haud fcio an umquam tantopere doluerim, quam cum ipfe multa ac varia fapientia repletus & excultus, hinc ad Syros tuos difcederes. Ac longum quidem tempus hoc eft: fed tamen amorem in te meum haudquaquam interrupit, magifque in eodem ipfum, quo te difcedente fuit, vigore confervavit, ut multis annis te nec viderim, nec vifurum umquam fperaverim. Igitur mihi bona quædam fortuna ad id, ut in confpectum meum mihi reddirere, nunc adjumento fuit: teque mihi tantopere petitam prædam, optima venatrix ipfa, præter fpem meam eft affecuta.

ΑΞΙΘ. Νῦν τῇ τύχῃ συνῄδειν, καὶ οὐκ ἄρα σκαιὸς ἦν ὁ ἄνεμος, ἀλλ' εὔχαρις τε καὶ τῷ ἔρωτι φίλος, εἴγε τῷ ἐραστῇ παραπέμπει τὸν C ἐρώμενον. ἀλλ' εἰπέ μοι, ἔτι παρ' ἡμῖν εἰσιν οἱ τῆς φιλοσοφίας δεικνύντες τὰς τελετὰς, οἷον ἦν Ἱεροκλῆς ὁ διδάσκαλος; ἔτι δὲ φοιτῶσιν νέοι καλοὶ κἀγαθοί· οἷος ἦν Πρωταγόρας ἐκεῖνος Λύκιος, ὁ ἐμοὶ μὲν ἡλικιώτης, κάλλει δὲ καὶ σοφίᾳ προήκων;

Axith. Jam vero cum ea quam dicis, fortuna confentit, nec finifter eft, fed gratiofus & amicitiæ noftræ amicus ventus, qui amicum amico tranfmiferit. Verum dic mihi num adhuc fint apud nos aliqui, qui perinde ut Hierocles præceptor nofter confueverat, philofophiæ myfteria doceant? Et utrum eorum fcholas adeant nobiles aliqui & boni adolefcentes, cujufmodi erat Protagoras ille Lycius, qui mihi ætate quidem par atque æqualis fuit, fed me venuftate & ingenio longe fuperabat?

ΑΙΓΥΠΤ. Πάλαι μὲν ἦν τὰ καλὰ, νῦν δὲ

Ægypt. Olim quidem vigebant heic præclara il-

1. Εἰνέου] In duobus codd. mss. regis Chriftianiffimi infcribitur, tefte Cotelerio ad Patres Apoftolicos tom. I. pag. 397. *Αἰνέα σοφιστοῦ καὶ Πλατωνικοῦ Χριστιανοῦ* — Fabric. in *Delectu Argum.* cap. II. pag. 107. not. (a)

2. Τοῦ Ἱεροκλέους] Hunc Hieroclem infra diftinguit Æneas ab Hierocle Bithyno, qui contra Chriftianos fcripfit. — Idem ibid. not. (b)

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 486.

οἴχεται καὶ διαλέλυται. ὁ μὲν γὰρ οὐκ ἐθέλει μανθάνειν, εἰς τοὺς μαθητὰς ἐγγεγραμμένος· ὁ δὲ διδάσκειν οὐκ οἶδε, τὸν μυσταγωγὸν ὑποκρινόμενος. ὀρχήστρα μὲν ἀνθεῖ καὶ ἱπποδρομία, φιλοσοφία δὲ καὶ τὰ μουσεῖα εἰς δεινὴν ἐρημίαν ἀφῖκται.

ΑΞΙΘ. Ταῦτα καὶ αὐτὸς ὑποπτεύων, τὴν Αἴγυπτον περιδραμὼν, τὰς Ἀθήνας ἐζήτουν· εἴ τίς που σοφὸς παρὰ Ἀθηναίοις ὑπολείπεται. βούλομαι γὰρ πυθέσθαι παρ' αὐτοῦ, ὃ τοῖς τε πάλαι καὶ τοῖς νῦν πολλὴν παρέχει τὴν ἀπορίαν, ὡς ἄλλοτε ἄλλα καὶ περὶ αὐτοῦ διαλέγεσθαι.

ΑΙΓΥΠΤ. Ἔχεις, ὦ φιλότης, τὰς Ἀθήνας· εἰ γὰρ μήτε τὴν ἀκρόπολιν, μήτε τὰ προπύλαια, μήτε τὰ νεώρια βούλει θεωρεῖν, ἀλλ' ἄνδρα σοφόν· κατῆρεν ἡμῖν τὸ μέγα κλέος Ἀθηνῶν ὁ Θεόφραστος, καὶ τρίτην ἄγει ταύτην ἡμέραν. ἀλλὰ παρ' αὐτὸν ἴωμεν· παρ' ἐκείνου μάθοις ἂν ὅ τι ζητεῖς, ἢ μάθοις ἂν ὡς οὐδὲ παρ' ἀνθρώπων τοῦτο προσήκει ζητεῖν. οὐ γάρ ἐστιν οὔτε παρ' Ἀθηναίοις, οὔτε παρ' ἄλλοις Θεοφράστου σοφωτέροις περιτυχεῖν.

ΑΞΙΘ. Ἕρμαιον λέγεις· εἰ παρὰ τὸν Νεῖλον εὕροιμεν ἂν τὴν τῶν Ἀθηναίων φιλοσοφίαν· ὡς μήτε μεγάλα πελάγη διατέμνειν, καὶ ταῦτα μανθάνειν. ἀλλ' ἴωμεν, ἤδη γάρ με Θεοφράστου πεποίηκας ἐραστήν.

ΑΙΓΥΠΤ. Ἥκω σοι τὸν Ἀξίθεον ἄγων ἀντεραστὴν, ὦ Θεόφραστε. ἐρᾷ γὰρ καὶ αὐτὸς φιλοσοφίας.

ΘΕΟΦ. Ἦ μάλα μοι παλαιὸς φίλος Ἀξίθεος, εἴγε φιλοσοφίας ἐραστής. καλὸν γὰρ καὶ σπάνιον τὸ χρῆμα· ἐπεὶ καὶ παρ' Ἀθηναίοις, ἔνθα μάλιστα διεφάνη φιλοσοφία, παντελῶς ἄγνωστος καὶ ἐς τὸ μηδὲν ἀπέρριπται.

ΑΞΙΘ. Μάτην ἄρα πρὸς Ἀθηναίους ἐκομιζόμην, εἰ μηδένα φὴς ἀξιόχρεων καταλιπεῖν τὸ ἐρωτώμενον ἀποκρίνεσθαι. οὐ μάτην δὲ προκατέλυσα τὸν πλοῦν, εἰ κατὰ θεῖον, τὸν φιλοσοφίᾳ προήκοντα, καὶ τῶν Ἀθηναίων τὸν κράτιστον, παρὰ τὸν Νεῖλον εὑρίσκω. ἀλλ' εἰπέ μοι· λέγει γὰρ ὁ Αἴγυπτος ὡς οὐκ ἔστιν, ἄλλοθεν ἢ παρά σου μανθάνειν· ἔξεστιν ἐρωτᾷν ὅ τι καὶ βούλομαι;

ΘΕΟΦ. Ἐρώτα δὴ εἴπερ μοι βούλει χαρίζεσθαι· οὐδεὶς γάρ με πολλῶν ἐτῶν ἠρώτηκε καινὸν οὐδέν.

ΑΞΙΘ. Εὐτυχοῦμεν εἴγε μανθάνειν ἔξεστι, καὶ τῷ ἐκδιδάσκοντι χαρίζεσθαι. πρότερον ἐνταῦθα προβεβίωκεν ἡ ψυχὴ, καὶ πάλιν βιώσεται; ἢ τὸν παρόντα βίον βεβιωκυῖα, τῶν τῇδε πραγμάτων ἀπηλλάγη;

ΘΕΟΦΡ. Προβεβίωκε καὶ βιώσεται· τουτὶ γάρ με διδάσκειν ἐθέλουσιν οἱ πάλαι σοφοί.

ΑΞΙΘ. Λέγεις ὡς πολλάκις ἡ αὐτὴ ψυχὴ κάτεισιν εἰς τόνδε τὸν βίον;

ΘΕΟΦ. Λέγω γὰρ μὲν οὖν, εἰ μή τι σοφώτερον λέγεις.

ΑΞΙΘ. Ἥξει δὲ πάλιν ἑκοῦσα, ἢ ἐξ ἀνάγκης;

ΘΕΟΦ. Ἐγώ σοι διανοίγειν ὥσπερ ἐν ἱεροῖς πειράσομαι τὰ τῶν παλαιῶν ἀπόρρητα. ὁ μὲν

A la humanitatis ſtudia, verum jam periere prorſus & diſſoluta ſunt. Nam qui in numero diſcipulorum ſunt, ii prorſus abhorrent a diſcendi ſtudio: qui vero doctorum perſonas ſuſcipiunt atque gerunt, ii docendi viam ac rationem prorſus omnem ignorant. Orcheſtra quidem & circus abundant hominum frequentia ac turbis: at philoſophorum auditoria & muſis ſacra loca ſunt in vaſtam atque aſperam ſolitudinem redacta.

AXITH. Eadem ipſe quoque ſuſpicatus, Ægypto prætерita, Athenas contendebam, exploratum videlicet, an ſapiens aliquis apud Athenienſes ſupereſſet. Id enim velim ab eo ſciſcitari, quod & apud priſcos & apud noſtros homines ſæpe & multum in quæ-B ſtionem venit: at adeo dubium & incertum fuit, ut de eo aliter atque aliter ſit diſceptatum.

ÆGYPT. Habes heic, o amicum caput, ipſas Athenas; ni malis, arcem aut propugnacula aut navalia, quam ſapientem virum videre. Appulit huc ad nos magna Athenarum gloria, Theophraſtus, & tertium heic jam agit diem. Sed agedum ipſum accedamus. Ab illo diſces quidquid rogaveris; ſin minus, hoc diſces tamen, illud ipſum ab homine ne quæri quidem oportere. Neque enim fieri poteſt ut vel Athenis vel uſpiam alibi, Theophraſto ſapientiorem hominem nanciſci queas.

AXITHEUS. Divinum quiddam ac ſane quam auſpicatum narras: quando penes Nilum philoſophiam C Atticam invenio; ac propterea, ut hanc diſcam, immenſa maria percurrere non neceſſe habeo. Sed eamus ad illum: jam enim effeciſti me Theophraſti illius amantiſſimum.

ÆGYPTUS. Venio, Theophraſte, mecum adducens Axitheum illum, quaſi quemdam rivalem meum, qui philoſophiæ ſtudia perinde atque ego amplectitur.

THEOPHRASTUS. Veteris amici loco mihi ſane fuerit hic Axitheus, quando philoſophiæ ſtudio ducitur. Hæc enim & præclara & rara quædam res eſt: quippe quæ Athenis, qua in urbe quondam illuſtris fuit, jam prorſus eſt obſcurata atque in nihilum redacta.

D AXITH. Igitur fruſtra Athenas ferebar, ſi nemo, quemadmodum ipſe aperis, iſthic ſupereſt, qui ad propoſitam quæſtionem quamque poſſit reſpondere; minimeque fruſtra navigationem interrupi meam, quando mihi ceu Deo ad philoſophiam duce, præcipuum Athenienſium virum ad fluenta Nili reperio. Sed quæſo te, quoniam dicit Ægyptus, non poſſe me ex quoquam melius quod velim, quam ex te cognoſcere: an ne mihi licet, quacumque de re libuerit te percontari?

THEOPHRASTUS. Quin percontare, ſi quidem mihi velis gratum facere. Neque enim quiſquam multis jam annis, novi quidquam ex me quæſivit.

AXITH. Perbeati nobis videmur eſſe, quibus da-E tur & diſcere, & hoc ipſo quod diſcere volumus, doctori gratum facere. Igitur quæro, num heic viva prius exſtiterit anima, & poſt iterum ſit victura: an etiam peracto vitæ præſentis curſu, rebus humanis ſoluta ac libera ſit futura.

THEOPH. Et vixit antea, & eſt omnino iterum victura; ſi quidem verum eſt quod ſapientes priſci mihi tradiderunt.

AXITHEUS. An ſtatuis eamdem animam in humanam hanc vitam iterum atque iterum deſcendere?

THEOPH. Sane quidem hoc ipſum dico, niſi tu quid ſapientius proferas.

AXITH. Sed eſt ne ſua ſponte, an neceſſitate quadam acta reditura?

THEOPH. Ego tibi veterum arcana, quaſi in ſacrario quodam ſedens, pandam. Heraclitus igitur,

γὰρ Ἡράκλειτος διαδοχὴν ἀναγκαίαν τιθέμενος, ἄνω καὶ κάτω τῆς ψυχῆς τὴν πορείαν ἔφη γίγνεσθαι. ἐπεὶ καμάτος ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς ἄνω μοχθεῖν, καὶ τοῖς θεοῖς συμπεριπολεῖν καὶ ἄρχεσθαι. διὰ τοῦτο τῇ τοῦ ἠρεμεῖν ἐπιθυμίᾳ καὶ ἀρχῆς ἐλπίδι, κάτω φησὶ φέρεσθαι τὴν ψυχήν. ὁ δὲ Ἐμπεδοκλῆς ἐκφοβεῖ, νόμον εἶναι λέγων ταῖς ψυχαῖς ἁμαρτούσαις, ἐνταῦθα πεσεῖν· ὑποδεικνὺς ἠρέμα, ὃ καὶ Πυθαγόρας αἰνίττεται. ὁ δὲ δὴ Πλάτων ὁ ἡμέτερος πρόγονος πολλά τε καὶ καλὰ περὶ ψυχῆς διαλέγεται· περί τε τῆς πορείας πολλαχῇ λέγων, οὐ ταὐτὰ πανταχοῦ λέγων. ἀλλὰ νῦν μὲν ὁ ἐν Φαίδωνι Σωκράτης αὐτῷ, τὸ αἰσθητὸν ἅπαν ἀτιμάσας, καὶ τὴν πρὸς τὸ σῶμα τῆς ψυχῆς κοινωνίαν μεμψάμενος, δεσμῷ τινι καὶ οἷον ἐν σώματι θαπτομένην τῷ σώματι τὴν ψυχὴν ὀλοφύρεται. καὶ τὸν ἐν ἀπορρήτοις λόγον ἀποθαυμάζει λέγοντα, ὡς ἔν τινι φρουρᾷ, ἐπειδὴ ἀφικόμεθα, γεγόναμεν. καὶ τόδε τὸ πᾶν, Ἐμπεδοκλῆς ἄντρον πεποίηκεν· ἐν πολιτείᾳ δὲ Πλάτων μεταβάλλων, σπήλαιον ὀνομάζει. ἀμέλει καὶ τῶν δεσμῶν λύσιν, καὶ τοῦ σπηλαίου φυγὴν, τὴν ἐνταῦθα τῆς ψυχῆς ἔφη πορείαν. ἄλλοτε δὲ ὁ τοῦ Φαίδρου Σωκράτης, τὰς κατιούσας ψυχὰς τῶν πτερῶν ἐψιλωμένας φησὶ θεωρεῖν· τὴν γὰρ πτερορρυήσασαν, βαρύνεσθαι καὶ φέρεσθαι κάτω, ἕως ἂν στῇ, σώματι προσπελάσασα. καὶ αὕτη τῆς ἀφίξεως αἰτία. καὶ περίοδοι πάλιν ἀνελθοῦσαν αὐτὴν τῇδε φέρουσιν, καὶ κρίσει καὶ δίκῃ καταπέμπουσιν· ἀλλὰ καὶ κλῆροι καὶ τύχαι καὶ ἀνάγκαι καθέλκουσιν.

A qui idem successionem esse necessariam voluit, animam sursum & deorsum ferri statuit. Esse etiam ajebat immodici laboris, apud superos eodem subinde loco fatigari, & cum diis habere commercium, eorumque imperio subjici. Qua de caussa non solum quietis & otii desiderio, verum etiam libertatis ac dominationis, ipse excitatam animam dictitabat a superis in terras descendere. Ab hac autem opinione deterret nos Empedocles, qui dicit lege cautum esse, ne quæ peccatorum aliquorum reæ sunt animæ, possint inde descendere: nimirum ad id ipsum sensim accedens quod Pythagoras etiam subobscure significavit. Proavus autem noster Plato multa præclare de anima disseruit. Ac de hac, sive ejus motu B sive incessu multa cum dicat, non ubique eadem dicit. Et in Phædone Socrates, quidquid sensum habet, honore omni quasi exspoliat, & eam quæ est animæ cum corpore conjunctionem sic reprehendit, ut animam quasi vinculis constrictam, atque in corpore quasi in quodam tumulo sepultam conqueratur: tum vetus illud quasique mysterii loco habitum dictum probet. ὡς ἔν τινι φρουρᾷ, ἐπειδὴ ἀφικόμεθα, γεγόναμεν: id est, quasi in quodam carcere, postquam huc ventum est, fuimus. Quod Empedocles ἄντρον: Plato vero in libro de Republica nomine σπήλαιον appellat. Quod denique anima hinc emigrat, id aliud nihil esse ait ipse, quam vinculis solvi & ex antro effugere. Alias autem in C Phædro Socrates dicit, se videre animas quasi pennis sensim nudatas descendere: ac nonnullas pennis jam diffluentibus gravatas eo usque descendere, dum corpori alicui conjunctæ consistant. Atque hæc sit ejus in terras descensus caussa. Post evolutis aliquot temporis partibus, ferunt, eam iterum eodem ascendere; quo quidem eam tamquam in judicium atque ad pœnas mittunt. Quin volunt etiam eam & sorte & fortuna & necessitate trahi.

Οὕτω πανταχοῦ τὴν πρὸς τὸ σῶμα τῆς ψυχῆς κάθοδον μεμψάμενος, τὸν Τίμαιον συντιθεὶς, μεταβαλλόμενος τὴν ἄφιξιν ἐπαινεῖ, καὶ τόνδε τὸν κόσμον ἀποθαυμάζει, Θεὸν εὐδαίμονα προσονομάζων, καὶ τὴν ψυχὴν ἐνταῦθα φανεῖσαν ἀσπάζεται· παρ' ἀγαθοῦ γὰρ τοῦ δημιουργοῦ αὐτὴν δεδόσθαι πείθεται, καὶ τοὺς ἄλλους πείθειν παρασκευάζεται. ἔδει γὰρ ἔννουν εἶναι τόδε τὸ πᾶν, ἄνευ δὲ ψυχῆς οὐχ οἷόν τε ἦν γενέσθαι, ἀλλὰ καὶ τέλειον. τοῦτο δὲ ἡ ἑκάστου ψυχὴ δίδωσι τῷ παντὶ, τὸ αἰσθητὸν ἐγείρουσα καὶ συνέχουσα καὶ κοσμοῦσα καὶ τάττουσα· ὥστε ἑκοῦσαν ἑκόντι τῷ δημιουργῷ διακονεῖν πρὸς τὸ μὴ ἀτελὲς διαμένειν τόδε τὸ καλὸν αὐτοῦ ποίημα. ἐβούλετο γὰρ ἐν τῷ αἰσθητῷ κόσμῳ δεικνύναι ὅσαπερ ἐν τῷ νοητῷ προϋπάρχει. ταῦτα μὲν ὁ Πλάτων. ὁ δὲ τούτου μαθητὴς Ἀριστοτέλης οὐ ταῦτ', ἀλλ' ἐντελέχειαν ὀνοματοποιῶν εἶναι τὴν ψυχὴν, οἷον τῇ ὕλῃ τὸ τέλειον ἐπεισάγουσαν· καὶ εἶδος οὖσαν τῷ σώματι συνδιαλύεσθαι.

Verum ad hunc modum illo animæ in corpus descensu vituperato, eum qui Timæus inscribitur, librum deinceps componens, sententiam mutavit, quando animæ in corpus adventum illum magnis laudibus vehit, & mundum hunc admiratur, eumque beatum Deum appellat, & animam quæ in ipso apparuit, multa salute impertit, ac peramanter appellat, ut quam ab optimo maximo opifice datam credat, id- D que ab omni hominum genere credi postulat. Illud ipsum enim quod Universum appellatur, etiam mente præditum sit necesse est: quippe quod citra animam non potuerit fieri perfectum ac suis partibus omnibus absolutum. At hoc ipsum ut perfectum sit, ei quod Universum dicitur, anima cujusque suppeditat, quando id quod sensum habet, & solet excitare, & complecti, & exornare, & loco suo collocare: nempe ut hoc requirenti opifici ipsi sua sponte subserviat, ac ne pulcrum hoc opus ejus maneat imperfectum, facit. Voluit enim rerum conditor quæ in illo qui mentis & rationis compos est, mundo jam ante exstiterunt, in hoc nostro qui sensibus est expositus atque coram cernitur, mundo demonstrare. Atque hæc quidem Plato. Aristoteles autem ejus discipulus diversum sentit, & animam, excogitato novo nomine, ἐντελέχειαν, id est, continuatam quamdam & perennem motionem appellat: quam existimat materiæ quasi extremam manum imponere, ac forma cum sit, simul cum corpore dissolvi.

ΑΞΙΘ. Εὐδαίμων εἶ, ὦ Θεόφραστε, ὅτι πολλῶν ὄντων καὶ ποικίλων τῶν πάλαι λεγομένων, οὐδέν σε διέλαθεν, ἀλλὰ πάντα διδάσκεις σαφῶς, ὡς αὐτὸς ἐξευρὼν, οὐ τὰ τῶν παλαιῶν διεξιών. μνημονικὸς δὲ μᾶλλον τοῦ Ἱππίου ἐφάνης, καὶ οὐκ ἀμελέτητος. ἀλλὰ τί δράσω, ἀμφ[illegible] ἔτι διαμένω, καὶ οὐκ ἔχω τίς γένωμαι, οὐκ εἰδὼς ὅτῳ χρὴ μᾶλλον συνέπεσθαι. πότερον Ἡρακλείτῳ, ᾧ δοκεῖ τῶν ἄνω πόνων τῆς ψυχῆς ἀνα-

E Axith. Equidem felicem te esse, Theophraste, judico, qui cum hac de re veterum placita sint multa ac varia, nullum eorum omnium ignores, eaque adeo perspicue tradas, ut abs te ipso potius quam a priscis sapientibus inventas res, oratione efferre videare. Quin mihi videris Hippiam superare memoria, & in his rebus usu atque experientia plurimum valere. Verum ipse quid faciam, incertus sum, necdum comperi, cujus partes sequi potissimum conveniat. Heraclito ne accedam, cui vi-

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 486.

πάλιν εἶναι τὴν εἰς τόνδε τὸν βίον φυγήν; ἢ τῷ Ἐμπεδοκλεῖ, ὃς κατά τισιν ὑπὲρ ὧν ἥμαρτεν ἐνταῦθα τὴν ψυχὴν ἀπέῤῥιψεν; ἢ τῷ Πλάτωνι μᾶλλον, ὃς νῦν μὲν κατὰ τίσιν, νῦν δὲ πρὸς τὸ τέλειον εἶναι τόδε τὸ πᾶν· καὶ νῦν μὲν ἄκουσαν, νῦν δὲ ἑκοῦσαν· καὶ ἐνίοτε μὲν πρὸς βίαν· ἐνίοτε δὲ αὐτοκινήτως ὅπῃ βούλεται τὴν ψυχὴν ἐκπέμπεσθαι. (τὸν γὰρ Ἀριστοτέλην σιωπήσομαι· ὃς δι' ὑπερβολὴν σοφίας τὴν τῆς ψυχῆς ἀθανασίαν ἀφείλετο·) τὰ ἀλλήλων ἕκαστοι καταλύοντες, καὶ τοῖς ἄλλοις καὶ ἑαυτοῖς τἀναντία φιλοσοφοῦντες.

A detur anima quæ defuncta suis apud superos laboribus, quietis locum cum aliquem inveniat, in hanc vitam quasi confugere: an Empedocli assentiar, qui putat animam, ut peccatorum antea commissorum pœnas luat, in hanc vitam ablegari: aut Platoni potius adstipuler, qui modo statuit, animam ad exsolvenda supplicia, modo dicit eamdem, ut illud quod Universum dicimus, perficiatur, idque modo sua sponte, modo coactam: jam aliunde excitatam, jam suo ipsius motu proprio emitti. (Aristotelem enim, qui nimia quadam sua atque intemperata sapientia falsus, animarum immortalitatem e medio omnem tulit, silentio prætereo) Reliqui deinceps hoc omnes agunt, ut alii aliorum sententias destruant B atque convellant: quo fit ut & aliis & sibi ipsis contrarias opiniones prodant.

ΘΕΟΦΡ. Βούλονται μὲν οἱ ἐξ ἀκαδημίας πείθειν, ὡς οὐ διαφωνεῖ Πλάτων αὐτὸς ἑαυτῷ· νοήματα καὶ ὀνόματα ὡς ἂν ἐθέλωσι μετατιθέντες· ὥσπερ οἱ τοὺς χρησμοὺς πρὸς τὴν ἑαυτῶν βούλησιν ἑρμηνεύοντες. δοκοῦσι δέ μοι παντελῶς ὑβρίζεσθαι. οὔτε γὰρ γέγονεν, οὐδ' ἂν γένοιτο μᾶλλον τοῦ Πλάτωνος ἱκανὸς ἑρμηνεῦσαι σαφῶς πᾶν ὅ τι ἐθέλῃ. οἱ δὲ αἰσχυνόμενοι τὸ δοκεῖν διαφωνεῖν, ἑτέραν ἐξ ἀπολογίας αὐτῷ κατηγορίαν ἐφέλκονται. ἢ γὰρ ἀσαφὴς διδάσκαλος ὁ φιλόσοφος, ἢ φθόνῳ τὴν διάνοιαν ἀποκρύπτει. οὐδέτερον δὲ πέπονθεν ὁ Πλάτων· ἀλλὰ τοὺς τἀκείνου σοφιζομένους λέληθε· τὴν τῶν Χαλδαίων καὶ Αἰγυπτίων φιλοσοφίαν εἰσφέρων τῇ Ἑλλάδι· καὶ τὰ Πυθαγόρου καὶ Ἡρακλείτου καὶ Ἐμπεδοκλέους ἐπιδεικνύς· ὅθεν ἄλλοτε ἄλλων λόγων ἐστὶν, ὡς ἂν μηδὲν τῶν πανταχοῦ σοφῶς εὑρημένων διαλάθοι τοὺς ἐν ἀκαδημίᾳ φιλοσοφοῦντας. οἷον καὶ περὶ τῆς ὕλης, τῇ μὲν γεγενῆσθαι, τῇ δὲ ἀγέννητον αὐτὴν ἀποφαίνει. οἱ δὲ ὕστεροι τὸ γλαφυρὸν καὶ ποικίλον τῆς Πλάτωνος γνώσεως ἀγνοήσαντες, καὶ ὀρεγόμενοι τοῦ, πρῶτος ἕκαστος ἐπινοεῖν τι καινὸν, ἐν σφίσιν αὐτοῖς συνεταράχθησαν, καὶ διασκεδασθέντες, οὔτε τῷ Πλάτωνι, οὔτε ἀλλήλοις συνέπονται· ἃ πολλάς μοι παρέχει τὰς ὠδῖνας.

Theophrastus. Equidem in hoc mirifice se se torqueant Academici, ut omnibus persuadeant, Platonem secum ipsum minime diffidere, ideoque solent ejus & sententias & dictiones, quocumque placet, detorquere; haud secus ac qui divina oracula ex animi sui sententia exponunt. At illi mihi videntur Platonem ipsum injuria afficere. Neque enim quisquam aut fuit aut futurus est, qui potuerit Platone plenius ac melius, quæ voluerit, verbis efferre. Alii quos itidem pudet videri diversum quiddam ab ejus sententia docere, hoc ipso quod ejus defensionem suscipiunt, novum ei crimen impin- C gunt. Aut enim obscurus præceptor est philosophus, aut invidia quadam agitatus mentem & sententiam suam de industria obscuravit. At neutro horum vitiorum Plato noster laboravit, magisque hi ipsi ejus interpretes ignoratione philosophiæ Platonicæ laborarunt. Is enim in eam curam ac cogitationem potissimum incubuit, ut Chaldæorum & Ægyptiorum philosophiam in Græciam suam importaret: itemque Pythagoræ & Heracliti & Empedoclis placita in medium afferret. Itaque dum studet efficere, ut eos qui in Academia philosophantur, omnium quæ sunt uspiam sapienter cogitata nihil lateat; accidit, ut alias aliud dicere videatur. Quale est illud, quod ab eo de materia dicitur, alibi quidem eam natam, D alibi vero non natam esse. Verum posteri cum Platonis doctrinam multarum & variarum rerum atque opinionum cognitione perpolitam atque ornatam ignorarent, idque unice spectarent, ut novæ alicujus opinionis excogitatione, alius alium anteverteret: turbas inter se se ipsi concitarunt, ac deinceps partes in contrarias sparsi, neque Platonem neque se ipsi sequuti sunt. Qua ex re dolorem maximum cepi.

ΑΞΙΘ. Τίκτεις οὐκ ἀγεννῶς. ἐγὼ δὲ πρὸς ταύτην ἰλιγγιάσας τὴν ἀπορίαν, πατρίδος καὶ φιλτάτων ἀπολελησμένος, ἔπλεον Ἀθήναζε. νῦν δέ σοι περιτυχὼν καὶ τὴν ἐν σοὶ σοφίαν θαυμάζων, ἔτι μᾶλλον τεθαύμακα, εἰ ταῦτα καταμαθὼν ἔτι Πυθαγόρᾳ καὶ Πλάτωνι, Χαλδαίοις τε καὶ Αἰγυπτίοις ἄνω κάτω συμπαραχθῇς. οἵ γε μὴ ταυτὰ περὶ τῶν αὐτῶν λέγουσιν ἅπαντες, μηδὲ ταυτὰ ἕκαστοι. ἀπειρίας δὲ τἀναντία λέγειν, οὐκ ἐπιστήμης. καὶ ὡς ἔοικεν, τούτου τοῦ δόγματος οὐ Θεὸς ἦν ἡγεμών· ἢ γὰρ ἂν ταυτὸ πᾶσιν ἐδόκει· ἀλλ' ἀνθρωπίνη τις οἴησις, ἐν ᾗ πολλά τε καὶ ἐναντία ποικίλλεται.

Axitheus. Egregie tu quidem ista profers. Ego vero multitudine & varietate illarum opinionum perturbatus, patria amicisque relictis, Athenas navigandum mihi duxi. Jam vero ubi in te incidi, eam quæ in te est, sapientiam suspicio, multoque magis miror te, qui istis jam explorate cognitis, adhuc studeas Pythagoram, Platonem, Chaldæos & Ægyptios sursum vorsum ferri solitos, sibi ipsis con- E ciliare. Hi enim iisdem de rebus non unum idemque judicium omnes ferunt, ac ne singuli quidem eadem statuunt. At pugnantia atque inter se contraria dicere, non est hominis sapientis, verum imperiti. At mihi quidem non videtur Deus hujus doctrinæ dux esse, alioquin eadem omnes docerent: sed existimandum esse humanam quamdam sui ipsius admirationem atque arrogantiam, in qua multæ eæque inter se contrariæ opiniones varient.

ΘΕΟΦ. Οἶδα ὦ ἀγαθέ. ἀλλὰ καὶ Πλάτωνι συνδοκεῖ τοῖς αὐτοῦ πείθεσθαι· ἕως ἂν θειότερος ἄνθρωπος αὐτοῦ ἀναφανεὶς αὐτῷ τἀληθὲς ἐκδιδάσκοι, ᾧ προσήκοι πάλιν συνέπεσθαι.

Theophrastus. Agnosco quod dicis, optime. Nam & Platoni ipsi placuit, uti suis decretis eatenus staretur, dum aliquis divinior homo in terris appareret, qui veritatem ipsam aperiat: cui conveniens sit omnes assentiri atque obtemperare.

ΑΞΙΘ. Ἦ καλῶς λέγεις· ἀλλ' εἰπέ μοι, ἤδη ποτὲ διενοήθης καὶ τοῦτο; ἐμὲ γὰρ ἐκταράττει τῶν

Axitheus. Recte sane hæc dicis. Verum dic sodes, num hoc antea aliquando cognitum atque etiam

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 486.



πάλαι φιλοσοφούντων ἡ ταραχή, οἱ μὲν γὰρ εἰς A ἀνθρώπους αὖθις, οἱ δὲ εἰς θηρία τὴν ψυχὴν ἀπέῤῥιψαν.

ΘΕΟΦ. Εἰ πάντας εἰδείης, θαυμάσαις ἂν ὅση τῶν λεγόντων ἡ μάχη. ἐγὼ γὰρ κατ' ἐμαυτὸν στὰς ἐξ ἀνδροκτασίης ἔκ θ' αἵματος, ἔκ τε κυδοιμοῦ, οἷον ἐκ περιωπῆς τῆς μάχης τὴν ποικιλίαν ἐθεώρουν· καί σοι ταύτην, (φιλήκοος γὰρ εἶ καὶ φιλομαθὴς) ἐθέλω συγγράφειν. Αἰγυπτίοις μὲν γὰρ δοκεῖ τὴν αὐτὴν ψυχὴν καὶ ἄνθρωπον, καὶ βοῦν, καὶ κύνα, καὶ ὄρνεον, καὶ ἰχθὺν μεταμπίσχεσθαι. καὶ νῦν μὲν αὐτοῖς οἷόν τι θηρίον, μύρμηξ ἢ κάμηλος, τὴν γῆν νέμεται· νῦν δὲ εἰς ἰχθὺν ὀλισθήσασα κῆτος ἢ μεμβρὰς γενομένη τὴν B θάλατταν ἔδυ· αὖθις δὲ εἰς ὀρνέου φύσιν μετατιθεμένη, κολοιὸς ἢ ἀηδὼν ὀφθεῖσα, εἰς ἀέρα διέπτη· ἄλλοτε ἄλλο δεικνῦσα τῶν ζώων, ἕως ἅπαντα διεξελθοῦσα, πάλιν ἀναδράμοι, ὅθεν τὸ πρῶτον κατέβη.

ΑΙΓΥΠΤ. Φεῦ τῆς τερατολογίας· εὐδαιμονοίην ἂν εἰ κάμηλος, ἢ μεμβρὰς, ἢ κολοιὸς γενοίμην.

ΑΞΙΘ. Σὺ μὲν Αἴγυπτε καταγελᾷς· ἐγὼ δὲ τὸν Θεόφραστον ἐκπέπληγμαι, εἰ ταῦτα εἰδὼς ἔτι τοῖς Αἰγυπτίοις συμφέρεται.

ΘΕΟΦ. Αὐτὸς ὁ Ἀπόλλων, καὶ ὁ τούτου παῖς ὁ Πλάτων, ὁμογνώμονες ὦ Ἀξίθεε τοῖς Αἰγυ- C πτίοις γεγόνασι. ὁ μὲν, οὕτως πως χρησμῳδῶν ὁ Ἀπόλλων, καὶ κελεύων τοῖς τῶν Αἰγυπτίων εὑρήμασι πανταχοῦ πείθεσθαι. ὁ δὲ δὴ Πλάτων τὸν Τίμαιον ἐπιδεικνὺς, τὰς τῶν ἀνδρῶν ἔφη ψυχὰς ἐν τῷδε τῷ βίῳ θηλυνομένας εἰς γυναῖκας ἀναβιῶναι. κακίας δὲ ἐμπιπλαμένας, εἰς θηρία καταβαίνειν, καὶ χερσαίοις συνδιαιτᾶσθαι, τοῖς τε πτηνοῖς συμπέτεσθαι, καὶ τοῖς ἐνύδροις συναγελάζεσθαι. τὴν δὲ πρὸς Φαίδωνα Σωκράτους συνουσίαν διεξιὼν, τοὺς ὑπὸ πλεονεξίας ἐπαιρομένους, καὶ πρὸς ἁρπαγὰς ἑτοίμους, εἰς ἰκτίνους καὶ λύκους μεταβάλλει. τοὺς ὑπὸ ἐπιθυμιῶν δεδουλωμένους, εἰς τοὺς ὄνους ἀπελαύνει. τὴν δὲ εὐδαίμονα πόλιν οἰκίζων, ἐκεῖ που λέγει τὸν D Ὀρφέα τὸν τῆς Καλλιόπης, ἐπειδὴ παρὰ γυναικῶν διασπασθεὶς τόνδε τὸν βίον ἐτελεύτησεν, τὸν ἄνθρωπον φεύγοντα, κύκνον γενόμενον, οἷα μουσικὸν ὄντα, τὴν μουσικὴν ἐργάζεσθαι. ὁ δὲ Θερσίτης, ὃς πάντων αἴσχιστος ἦν ὅσοι ὑπ' Ἴλιον ἦλθον, τὸν Ἀχιλλέα οὐ πολεμοῦντα, ἀλλ' ὀνειδίζοντα τῷ Ἀγαμέμνονι, καὶ τοὺς ἥρωας μιμούμενος, εἰς πίθηκον μετασχηματίζεται, καὶ ἐκμιμεῖται τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα, τὸ εἶδος οὐ τὸ ἦθος αὐτῷ μεταβάλλων.

ΑΞΙΘ. Τί οὖν ὦ φιλότης, οἱ τῶν Πλάτωνος ὀργίων μυσταγωγοί; οὐδὲ ἐν τούτοις ὥσπερ ἐν τοῖς ἄλλοις σοφίζονται, οὐδὲ τὸν πλατὺν γέλωτα συγκαλύπτουσιν, ὀνόματα μετακινοῦντες καὶ νοήματα E συγχέοντες;

ΘΕΟΦ. Οἱ μὲν παλαιοὶ μυσταγωγοὶ τῶν λεγομένων μετεκίνησαν οὐδέν· εὖ εἰδότες ὅτι τῶν Αἰγυπτίων ὁ Πλάτων μαθητὴς γενόμενος, καὶ παρ' ἐκείνων διατεθρυλλημένος τὰ ὦτα, ὡς ἡ τῶν ἀνθρώπων ψυχὴ πάντα ζῶα μεταβαίνει, πανταχοῦ τῶν λόγων διασπείρει τὸ δόγμα. Πλωτῖνος γοῦν καὶ Ἁρποκρατίων ἀμέλει καὶ Βοηθὸς καὶ Νουμήνιος τὸν τοῦ Πλάτωνος ἴκτινον παραλαβόντες, ἴκτινον παραδεδώκασιν, καὶ τὸν λύκον λύκον, καὶ τὸν ὄνον ὄνον· καὶ ὁ πίθηκος αὐτοῖς οὐκ ἄλλο ἢ τοῦτο· καὶ ὁ κύκνος οὐκ ἄλλο ἢ κύκνος νομίζεται. καὶ πρὸ τοῦ σώματος ἐμπίπλασθαι τὴν ψυχὴν, δυνα-

animo reputatum fuerit. Me enim priſcorum philoſophorum perturbatio ſane quam perplexum facit: quando eorum alii rurſus in homines, alii in feras animam quaſi præcipitem agunt.

Theoph. Si omnes noſſes, non poſſes ſatis demirari tantam docentium contentionem. Sæpe ego quaſi e ſublimi ſpecula perſpiciens, ſolus omnia quaſi cæde, ſanguine, tumultu plena vidi; quæ tibi, quoniam & audire & diſcere multa cupis, in tabula depingere minime gravabor. Ægyptiis ſane videtur, eadem anima cum hominem, tum vero bovem, & canem, & avem, & piſcem induere. Quæ ipſa, quemadmodum eorum fert opinio, modo ceu brutum animal, ut formica, aut camelus, humi paſcitur: modo in balenam ſeu rhombum converſa in mari vivit: rurſus in naturam avis traducta, monedula aut luſcinia apparet, & in aerem tendit: denique in aliud atque aliud animantium genus verſa, tandem peragratis omnibus eo rurſus unde erat digreſſa, recurrit.

Ægyptus. Heu quæ prodigia commemoras! quam felix eſſem, ſi camelus aut rhombus aut monedula evaderem.

Axitheus. Rides tu quidem, Ægypte: ego vero Theophraſtum intuens obſtupui, quod etiam cognitis his næniis Ægyptiorum, conſuetudine & placitis nihilominus adhuc detinetur.

Theophrastus. Ipſe etiam Apollo, atque hujus filius Plato, idem, Axithee, quod Ægyptii ſenſerunt. Ubicumque enim Apollo oracula reddit, ſemper ut Ægyptiorum inventis homines acquieſcant, mandat. Plato vero tradit virorum animas molles atque effeminatas in mulieres reviviſcere. Eas item quæ vitiis ſint immerſæ, in feras deſcendere, & cum terreſtribus animantibus victitare, cum avibus volitare, vel cum aquatilibus conjungi & commiſceri. Socratis autem cum Phædone habitum colloquium perſequens, animas eorum qui ab avaritia in tranſverſum rapti, & ad prædam prompti ſemper ac parati fuiſſent, in milvos & in lupos transformat. Qui vero fœdis libidinibus ſe ſe dediſſent, eos in aſinos vertit. At ubi felicem illam civitatem conſtituit, Orpheum Calliopes filium, poſtquam a mulieribus diſcerptus vitam cum morte commutaſſet, dum homo fugeret, cygnum dicit evaſiſſe: nempe ut qui muſicus inſignis exſtitiſſet, artem muſicam deinceps etiam exerceret. Therſites autem is, qui fuit omnium, quotquot ad Ilium venere, turpiſſimus, qui Achillem non quidem in bello fortiter pugnando, ſed Agamemnonem reliquoſque heroas conviciis petendo imitari conſuevit, in ſimiam transformatus eſt, atque etiamnum hominem videtur magis imitari, quam præſtare poſſe.

Axith. Quid igitur, o amice, Platonis ſacrorum cuſtodes & interpretes? nihil ne in his, perinde ut ſolent in aliis ejus placitis, ſubtiliter & acute excogitant, aut nomina tranſponunt, aut ſententias alias aliis confundunt?

Theoph. Priſci quidem horum ſacrorum antiſtites, eorum quæ ſunt dicta nihil ſuo loco movent, quippe quibus explorate ſit cognitum, Platonem poſtquam Ægyptiorum diſcipulus exſtitiſſet, illorumque verbis aures impleſſet, hoc ipſum quod anima humana in omne genus animantium tranſeat, per omnes libros ſuos ſparſiſſe. Plotinus igitur & Harpocration: itemque Boethus atque Numenius, Platonis milvum, qualem acceperant, aliis tradiderunt milvum: & lupum, lupum: & aſinum, aſinum: nec ſimia quidquam aliud eſt eis quam ſimia, nec cygnus aliud quam cygnus. Et animam, ajunt illi, prius quam cum aliquo corpore conjungatur, poſſe

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 486.

τὸν εἶναι λέγουσι, καὶ τοῖς ἀλόγοις ἐξεικάζεσθαι· ᾧ γοῦν ὁμοιωθῇ, κατὰ τοῦτο φέρεσθαι, ἄλλη ἄλλο ζῶον ὑποδῦσα. ἐπιγενόμενοι δὲ Πορφύριός τε καὶ Ἰάμβλιχος καὶ τοὺς πρὸ αὐτῶν σοφίᾳ περιφρονοῦντες, καὶ ἐρυθριῶντες τὸν Πλάτωνος ὄνον καὶ λύκον καὶ ἴκτινον, καὶ κατανοήσαντες ὡς ἄλλη μὲν λογικῆς ψυχῆς ἡ οὐσία, ἄλλη δ᾽ ἀλόγου· καὶ ὅτι οὐ μεθίστανται, ἀλλ᾽ ὡσαύτως ἔχουσιν αἱ οὐσίαι οἷαι τὸ πρῶτον προῆλθον. οὐ γὰρ τὸ λογικὸν τῇ ψυχῇ συμβεβηκὸς ὡς μεταχωρεῖν, ἀλλ᾽ οὐσίας διαφορὰ βεβαίως ἱδρυμένη· καὶ ὅλως ἀδύνατον τὸν λόγον εἰς ἀλογίαν μετατίθεσθαι· εἰ μὴ καὶ τὸ ἄλογον φήσουσιν ὑφαρπάζειν τοῦ λόγου τὴν φύσιν. ταῦτα ὀψέ ποτε διαλογισάμενοι, ὑπερπηδήσαντες τὰ ἄλογα τῶν ζώων μεταβαλόντες, οὐκ εἰς ὄνον φασὶν, ἀλλ᾽ ὀνώδη ἄνθρωπον ἀναβιῶναι τὸν ἄνθρωπον· οὐδ᾽ εἰς λέοντα, ἀλλ᾽ εἰς λεοντώδη ἄνθρωπον. οὐ γὰρ τὴν φύσιν, ἀλλὰ τὴν τῶν σωμάτων μορφὴν μεταμπίσχεσθαι· ὥσπερ ἐπὶ τῆς σκηνῆς οἱ τῆς τραγῳδίας ὑποκριταὶ, οἳ νῦν μὲν τὸν Ἀλκμαίωνα, νῦν δὲ τὸν Ὀρέστην ὑποκρίνονται.

ΑΞΙΘ. Λίνον λίνῳ συνάπτουσι, τὸ τοῦ λόγου, Θεόφραστε· καὶ κακῷ τὸ κακὸν ἰάσαντο. τί γὰρ ἔδει σώματος τὴν ψυχὴν ἀπαλλάττεσθαι, εἰ πάλιν εἰς ἕτερον σῶμα καταπέμπεται; περίεργος ἡ τελευτὴ, καὶ μάτην εἰς μέσον παρεισφέρεται. ἔδει γὰρ τῶν πονηροτάτων ἐπιτείνειν τὸν βίον, εἰς ὅσον ἔδει τὴν τιμωρίαν παρεκτείνεσθαι. καὶ ἄλλως, εἰ πρὸς ἀκολασίαν ἐκπέσοι ψυχὴ, καὶ ὑπὸ μυρίων ἐπιθυμιῶν ὥσπερ δεσποινῶν ἐν τῷδε τῷ βίῳ κρατουμένη, καὶ αἰσχρῶς δουλεύουσα· διὰ τοῦτο πάλιν ὑπὸ τῆς δίκης ἐκπεμπομένη εἰς ὀνώδη ἄνθρωπον ἀναβιώῃ; ὡς ἂν ἔτι μᾶλλον ἐπιθυμίαις δουλεύοι, κακίας χορηγίαν τὴν τιμωρίαν ἐδέξατο· καὶ γίγνεται τῆς ἀκολασίας οὐκ ἀφαίρεσις ἡ τίσις, ἀλλὰ βεβαιοτέρα προσθήκη. καὶ μὴν ἡ δίκη τῶν παθημάτων ἰατρικὴ νομίζεται, συστέλλουσά τε καὶ κολοβοῦσα καὶ διατέμνουσα καὶ ὅλως ἐκκόπτουσα, ἀλλ᾽ οὐ διεγείρουσα, οὐδὲ παροξύνουσα, οὐδετέραν ἐπινοοῦσα τῷ πάθει τὴν ὕλην. εἰ γὰρ τοῦτο ἦν, παραπλήσιον ἦν, ὥσπερ ἂν εἴ τις δικαστὴς λαβὼν ἄνθρωπον κλοπῆς ἑαλωκότα, οὐ παθεῖν τι κελεύοι, ἀλλ᾽ εἰς ἱερὰ φοιτῶντα λαμβάνειν ὅ τι βούλοιτο. ὡς ἂν τῆς πλεονεξίας ἀφθόνως ἔχοι, καὶ αὐτῷ παρέχοι τῶν ἀναθημάτων ἀδεῶς ἅπτεσθαι, ἐπειδὴ κλοπῆς ἑάλωκεν. νῦν ὁ δεῖνα τῶν ἀγελαίων ἐστὶ, καὶ τῶν νέων διαφθείρει τὴν ὥραν· αὖθις γιγνέσθω νέος καλὸς, ὡς ἂν καὶ αὐτὸς ταῦτα πάθοι· ἕτερος μοιχὸς εἰς γυναῖκα μεταβαλλέσθω, ὡς ἂν ὑπὸ μοιχείας ὑβρίζοιτο.

ΑΙΓΥΠΤ. Τοῦ ἴσου τῆς ἀτοπίας προαγωγὸς ἡ δίκη γίγνεται.

ΑΞΙΘ. Κελεύει γὰρ ὦ Αἴγυπτε ὁ πολυμαθὴς Πορφύριος, καὶ ὁ ἔνθους Ἰάμβλιχος, τὸ ἐφ᾽ ἡμῖν τοῖς ἐν ᾅδου δικασταῖς ἀνατιθέντες, καὶ τῶν ἀνθρωπίνων πταισμάτων τὴν δίκην αἰτώμενοι. τούτοις ἀκολουθεῖν ἡμᾶς ὁ Θεόφραστος βούλεται.

ΘΕΟΦ. Οὐκ ἂν ἔτι βουλοίμην Αξίθεε. οὔτε γὰρ Συριανὸς οὔτε ὁ Πρόκλος αὐτοῖς συνέπονται· ἀλλ᾽ ἴδιόν τι καὶ καινὸν εἰρήκασι.

ΑΞΙΘ. Τί τοῦτο, ὦ Θεόφραστε;

ΘΕΟΦ. Τὴν πρὸς ἁρπαγὴν παρεσκευασμένην

A eorum quæ ratione carent, animantium similitudinem assumere: at cuicumque similis facta fuerit, secundum ejus naturam ferri: denique etiam aliam aliud animal induere. Hos secuti Porphyrius & Jamblichus, non solum majorum suorum philosophiam paullo altius considerarunt, sed etiam veriti sunt de Platonis asino & lupo & milvo dicere: tum etiam reputarunt, aliam esse ejus quod rationem habet, & aliam rursus ejus quod ratione caret, animantis substantiam: quodque non soleant ita solum vertere substantiæ, verum eædem, quæ cum primum egrederentur erant, permanere. Neque enim ratione esse præditum, accidens quoddam animæ esse, quod eam modo accedere, modo deserere soleat, sed esse
B differentiam in ipsa substantia constanter permanentem; minimeque fieri posse, ut ratio in naturam brutam convertatur; nisi concedas, ajunt, animali bruto hoc datum esse, ut rationem furto auferre queat. His sero tandem consideratis & errorem veterum minuendum, & bruta animalia silentio prætereunda arbitrati: hominem, inquiunt, non in asinum, verum in hominem asininum; neque in leonem, sed in leoninum hominem reviviscere. Non enim naturam, sed corporum formam transmutari: quemadmodum in scena qui personas tragicas suscipiunt, ac modo Alcmæonis, modo Orestis personam gerunt.

AXITHEUS. Linum lino, Theophraste, mihi videntur illi nectere, & malum remedium adhibere malo. Quid enim attinet corporis vinculis animam
C liberari, quæ rursus in aliud corpus immittitur? Inutilis etiam ad levandam molestiis animam, frustraque in medium introducta mors est. Erat enim perditissimorum hominum vita eo usque propaganda, quoad ipsorum pœnæ fuerant extendendæ. Ac si in lasciviam provoluta anima, mille libidinibus in hac vita, haud secus ac reginis quibusdam turpiter mancipata servierit: quæ ratio suaserit, ut ob hoc ipsum supplicio afficienda in hominem asininum reviviscat? Nimirum ut suæ libidini magis magisque inserviat; ac supplicio illo non tollatur, sed augeatur etiam & firmetur lascivia. Atqui pœna vitiosorum animæ motuum, quasi medicina quædam existimatur, quæ coerceat, truncet, secet & penitus exscindat: non
D autem suscitet, inflammet, ullam materiam vitioso motui suppeditet. Id enim si fiat, perinde fuerit, ac si quis judex hominem furti reum, non supplicio aliquo affici, verum in sacram ædem ingredi, & inde, quidquid libeat, abripere jubeat: tum quoniam furti reus est, ut habendi studium satis superque expleat, etiam dona diis suspensa auferenda præbeat. Jam turpis aliquis puerorum amator qui consuevit florentem adolescentium ætatem corrumpere, fiat iterum ipse puer formosus, ut eadem ipse patiatur scilicet: alius fit adulter, & in mulierem convertatur, ut adulterio prorsus infamis efficiatur.

ÆGYPTUS. Heu quam absurda narras: sic enim
E pœna sceleribus irrogata, ac scelerum omne genus homines, ceu leno quispiam prostitueret.

AXITHEUS. Sane o Ægypte, cum jubeant doctissimus ille Porphyrius & numine afflatus Jamblichus, id quod in nobis est, iis qui sunt apud inferos, judicibus remittere, & illas humanis delictis pœnas irrogare: atque hosce ut sequamur, Theophrastus volet scilicet.

THEOPHRASTUS. Minime vero isthuc amplius velim Axithee. Nam neque Syrianus, neque Proclus hos sequuntur: verum proprium quiddam ac novum excogitarunt.

AXITHEUS. Quid vero id est, Theophraste?

THEOPHRASTUS. Animam eam quæ semper ad

ψυχὴν οὐκ εἰς ἰκτῖνον μεταβάλλουσιν· ἄλογον γὰρ εἰς ἄλογον τὴν λογικὴν μετατίθεσθαι. οὐδ' εἰς ἰκτινώδη ἄνθρωπον ἐκπέμπουσιν· ἄτοπον γὰρ εἰ πλεονεξίας αἰτία γίγνεται κόλασις. ἀλλὰ τὸν μὲν ἰκτῖνον λέγουσι τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν ἔχειν τὴν ἄλογον, τὴν δὲ ἀνθρωπείαν ταύτῃ συνδεδέσθαι, καὶ παραμένειν καὶ συμπέτεσθαι. καὶ οὗτος τῆς τιμωρίας ὁ τρόπος.

ΑΞΙΘ. Καινότερον μὲν τὸ εὕρημα, ἀλλ' ἔτι μᾶλλον καταγέλαστον. εἰ μύρμηκι μὲν Ὀδυσσεὺς συνέπεται· οἰκονόμω γὰρ ἄμφω, καὶ πολλοὺς πόνους ἀνατλῆναι δυναμένω. σφηκὶ δὲ ὁ Ἕκτωρ συνδέδεται· κορυθαιόλω γὰρ ἄμφω, καὶ μαχιμωτάτω. ὁ δὲ δὴ βάτραχος καὶ Κλέων ἦν· θαμὰ γὰρ βοῶσιν ἀμφότεροι, καὶ καθὰ τὸν ὑπέρβολον ἕλκει. ἀναίδεια γὰρ ἑκατέρου τὸ γνώρισμα. καὶ διπλοῦς τις ὢν μύρμηξ, ὁ σφὴξ, ὁ βάτραχος, ἡμᾶς οὐ διελάνθανεν. οὐ γὰρ ἄνευ σώματος, οὔτ' Ὀδυσσεὺς, οὔτ' ἄλλος οὐδεὶς συνέπεται, εἴπερ συνέπεται. οὐ γὰρ παντελῶς φὴς τοῦ σώματος ἀπαλλάττεσθαι τὸν ἔτι τῆς τιμωρίας δεόμενον.

ΘΕΟΦ. Οὐ μὲν οὖν.

ΑΞΙΘ. Πότερον οὖν ἐντὸς τῆς μύρμηκος ὁ Ὀδυσσεὺς ἀποκρύπτεται, ἢ τοῦ ποδὸς ἐξήρτηται, καθάπερ τοῦ κριοῦ παρὰ τῷ Κύκλωπι; καὶ ἐπισύρεται ὅποι ἂν τῷ μύρμηκι δοκεῖ; τί τοῦτο γελᾷς ὦ Αἴγυπτε;

ΑΙΓΥΠΤ. Οὐ καταγέλαστος μυθολογία ὑπὸ ἀλαζονείας μηδὲν ἐπαισθάνεσθαι;

ΑΞΙΘ. Φέρε γὰρ ὦ Θεόφραστε, εἰ ψάρων ἀγέλην, ἢ γεράνων κλαγγηδὸν πετομένων κατίδοις, ἴσως ἂν φαίης τοὺς ἐπὶ σκηνῆς [1] διαταττοντας, καὶ ὑβριστὰς, καὶ θορυβοῦντας καὶ ἀσελγαίνοντας πελατήσαντας, τούτοις τοῖς ὀρνέοις συνδεδέσθαι· καὶ συνταράττειν καὶ βοᾶν οἷά περ ἐκεῖνα, καὶ πανταχοῦ συνέπεσθαι. εἰ δὲ ἁλόντα τὰ ὄρνεα θύοιτο, τῶν δεσμῶν γίνεται φυγὴ ἡ τῶν ὀρνίθων σφαγή· λύονται γὰρ ἀφανιζομένης τῆς ψυχῆς ᾗ συνεδέθησαν. οὐ γὰρ ἀθάνατον τὴν ἄλογον ψυχὴν εἶναι φήσουσιν. τί δὲ, εἰ ταῖς ἀφύαις συνδεθεῖεν, ἐμπράττοι δὲ καὶ τῶν θαλαττίων ἡ σαγήνη, ἀλλό τι ἢ λυθεῖσαι τῆς τιμωρίας καταγελάσουσιν; ὁ γὰρ τῶν ἰχθύων δεσμὸς τῶν ψυχῶν λύσις ἐστὶ, καὶ τῶν ἀφύων ἡ θήρα ταῖς ἀνθρωπίναις ψυχαῖς ἐλευθερία γίγνεται. ἤδη δὲ μελιττουργοὶ τῆς μελίσσης ἀπολειπούσης μηχανῶνται τοιόνδε· εἰς οἰκίσκον βοῦν εἰσελάσαντες, παίουσι ξύλοις ἕως ἄπειποι· καὶ ὁ μὲν, ἐλεεινῶς ἔκειτο· οἱ δὲ τὰς θύρας ἀκριβῶς συγκλείσαντες, ὡς μηδαμόθεν εἰσδύειν τὸ πνεῦμα, ποτὲ μὲν ἀπῆλθον. ἀριθμήσαντες δὲ ἡμέρας τετταράκοντα, καὶ ὕστερον διανοίξαντες, σεσηπότα μὲν τὸν βοῦν εὑρίσκουσι· μυρία δὲ ἀνθ' ἑνὸς ζῶα περιϊπτάμενα· μελιττῶν γοῦν ἐξαίφνης πλήρης ὁ οἶκος ἐφάνη, αἳ τοῦ βοὸς ἐξεγένοντο· καὶ τραφεῖσαι βοτρυδὸν τοῖς πτεροῖς ἐχρήσαντο. ταύτας οἱ μελιττουργοὶ παραλαβόντες καὶ θεραπεύσαντες, τὴν τοῦ μέλιτος ἐργασίαν εὖ πράττειν ἐποίησαν. ἆρ' οὖν ἡ μία ψυχὴ κερματισθεῖσα εἰς τὰς μυρίας διεσκέδασται, ἃς συλλέξας ὁ βοῦς μόνος κατεῖχεν· ἢ τὰς πολλὰς ἐκείνας προσκαλεσαμένη τὰς τῶν μελισσῶν ἀγέλας συνέταττεν; ταῦτά μοι καταγέλαστα φαίνεται, σοὶ δὲ οὐχ οὕτως; τάχα δὲ ἥξουσι καὶ τέταρτον νεωτεροποιοῦντες. ἀλλ' ὅση τῶν λόγων ἡ μάχη, τοσαύτη τῶν δογμάτων ἡ

A rapinam promta sit & parata, non in milvum convertunt illi: quando sit absurdum eam quæ ratione sit prædita, in id quod ratione caret, traduci: tum neque in milvi similem hominem transmittunt; quando sit absurdum, pœnam majoris avaritiæ caussam fieri. Sed docent illi, milvum quidem habere suam ipsius animam, eamque ratione destitutam: humanam huic alligatam, adhærentem, una volitantem. Atque hæc est supplicii illius forma ac ratio.

AXITHEUS. Recentius quidem inventum hoc est, sed multo magis ridiculum. Quod si ita sit, formicam Ulysses sequetur, quum rei familiaris gubernatores prudentes & industrii sint ambo: vespæ Hector alligabitur, cum ornatam galeam habeant, & B bellicosi sint ambo: itemque rana & Cleon una vitam agent, quando eumdem ambo clamorem edunt, sicque ille quasi lapidem cervici alligatum trahet. Impudentia enim utriusque est insigne. At formicas, vespas, ranas esse duplices non hactenus latuit. Neque enim sine corpore, vel eorum qui sequuntur ea, quisquam sequetur, si quidem sequatur: quandoquidem non puto te statuere, corpore liberum ac solutum esse eum, qui supplicio sit afficiendus.

THEOPHRASTUS. Minime vero.

AXITHEUS. Utrum igitur intra formicam Ulysses quasi conclusus occulitur, an ex antiquo ejus pede pendet, velut ex ariete apud Cyclopem: &, quo libuerit formicæ, trahitur? Sed quid tu rides, C Ægypte?

ÆGYPTUS. Quis non rideat tam fabulosas narrationes eorum, quæ præ summa arrogantia veritatis sensum nullum habent.

AXITH. Age enim, Theophraste si sturnorum turmam aut gruum cum clangore & strepitu volantium videas, fortasse dicas eos esse, qui in scena personatos exercitus ducunt: aut eos qui injuria alios afficere, tumultus excitare, petulanter agere consuevere: jam mortuos hujusmodi avibus alligatos una cum ipsis strepere & clamitare, easque quocumque sequi oportere. Jam si quis has aves captas mactet, earum ipsarum mactatio præstabit animabus certum quoddam ex his vinculis effugium. Etenim ea cui adstri- D ctæ erant, anima confecta atque sublata, ipsæ quoque liberentur necesse est: quandoquidem haud statuunt etiam brutam ac ratione carentem animam esse immortalem. Quid autem, si piscibus illæ conjunctæ fuerint, divesque fit ac plena piscatorum sagena? an non illæ se supplicio suo liberatum iri cum risu excipient? Nam piscium captivitas, animabus exsistit liberatio: & piscium venatio, est humanis animabus libertas. Jam & apum ministri, deficientibus apibus tale quiddam machinantur: bovem arcta domuncula conclusum fustibus tantisper cædunt, dum animam exhalet: qui si ita miserabiliter isthic prostratus jaceat, illi ita accurate ut nulla ex parte vel levis aura penetret, clausis januis, disce- E dunt: tum præteritis diebus quadraginta, januis reseratis, bovem quidem putrefactum, at ejus unius loco innumera animalia circumvolantia reperiunt. Apum enim quæ ex bove sunt enatæ, & instar uvarum passarum jacentes, alas movent, domus tota repente facta est plena. His apum ac mellis ministri sumtis atque curatis, mellis opus non sine bona fruge aggrediuntur. Jam quæro, num hæc una bovis anima minutatim concisa in illas innumeras est diffusa, quas bos unus coactas comprehendit: an vero ipsa multis illis sibi in societatem adscitis, hæc apum examina collegit, atque in unum congregavit? Atque hæc mihi videntur admodum ridicula: tibi vero non item? Sed fortasse venient, qui vel quarto novum quiddam comminisci possint. Sed quanto plus verba faciendo secum ipsi pugnarint, tanto ma-

1. Διαττάττοντας] Cotelerius *Monum. eccl. Gr.* tom. II. pag. 590. c. legendum *διαττάττοντας* augeratur.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 486.

πλάνη. ποῖ φέρεσθε ὦ Ἀθηναῖοι, οἱ τῷ μυθολογοῦντι πειθόμενοι; ὁρᾷς γὰρ ὡς αὐτὸς ἑαυτῷ προσπταιόμενος ὁ λόγος, οἷον οἱ πυροφόροι τῶν λίθων φῶς ἐξέλαμψε, καὶ τὰ ἐν σκότει τέως λανθάνοντα διελέγχει, καὶ οὐκέτι συγχωρεῖ προβεβιωκέναι τὴν ψυχὴν ἰσχυρίζεσθαι;

ΘΕΟΦ. Ταῦτά μοι καὶ πρότερον ἐφιζάνοντα, πολλάκις ἀνέστρεφε τὴν διάνοιαν. τῶν δὲ πατέρων αἰδὼς, καὶ συμμαχοῦντος ἀπορία κατείργουσα ἐπεῖχεν.

ΑΞΙΘ. Ἐκεῖνο δέ σε πρὸ ἄλλων οὐκ εἰσῄει· εἰ προβεβίωκεν ἡ ψυχὴ, ἐμέμνητο ἂν ἢ ἀνεμιμνήσκετο; καίτοι τὰς μαθήσεις ἀναμνήσεις καλοῦσιν οἱ παλαιοί. εἶτα τοῦ μὲν δημιουργοῦ καὶ τοῦ νοητοῦ κάλλους ἀναμιμνήσκεται, ὅθεν μακρόν τινα χρόνον ἀπέστη. τοῦ δὲ προτέρου βίου καὶ ἐπιτηδευμάτων καὶ παθημάτων, καὶ πατρίδος καὶ γονέων παντελῶς ἐπιλέλησται, ὅθεν χθὲς μετῳκίζετο; καίτοι τίνα λόγον ἔχει τῶν μὲν καλῶν ἀναμιμνήσκεσθαι, τῶν δὲ ὀδυνηρῶν ἐπιλελῆσθαι· ὧν μᾶλλον ἐνδύεται καὶ ἐντυποῦται μνήμη; ἐγὼ μὲν οὖν τὸν υἱὸν ἢ τὸν οἰκέτην ἐφ' οἷς ἥμαρτε κολάζων, πρὸ τῆς τιμωρίας πολλάκις προλέγω· ἀξιῶ τε μεμνῆσθαι ὡς μηκέτι τοῖς αὐτοῖς προσπταίειν. ὁ δὲ Θεὸς τὰ ἔσχατα διορίζων ἐπιτίμια, οὐκ ἐκδιδάσκει τοὺς πάσχοντας ἐφ' οἷς τὰ ἐπιτίμια, ἀλλ' ἀφαιρεῖται τῶν ἁμαρτημάτων τὴν μνήμην, ἀκριβῆ τὴν αἴσθησιν τῆς τιμωρίας ἐπάγων; τί οὖν ὠφέλησε τιμωρία τὴν ἁμαρτίαν ἀποκρύπτουσα; τοὐναντίον μὲν οὖν καὶ παροξύνει καὶ εἰς ἀπόνοιαν ἐπαίρει. ῥᾳδίως δὲ καὶ δικαίως κακίζει τὸν δικαστὴν ἐκεῖνος, εἰ φαῦλον μηδὲν αὐτὸς αὑτῷ συνειδὼς ὑπομένει τὴν τιμωρίαν. αὐτὸς δὲ ἡμῖν ὦ Θεόφραστε τοσούτων θεωρημάτων ἀναμνησθεὶς, σαυτοῦ μόνου ἀμνημονεῖς; καὶ οὐκ ἂν ἔχοις εἰπεῖν, οὔτε εἰ στρατιώτης ἢ φιλόσοφος γέγονας· οὔτε εἰ λαγωὸς ἢ λέων· οὔτε εἰ ἀηδόνι ἢ ἰκτῖνι συνηκολούθεις;

ΘΕΟΦ. Λέγεται Πυθαγόρας ἀναμνησθῆναι ὡς εἴη ποτὲ Εὔφορβος ὁ ἐν Τροίᾳ.

ΑΞΙΘ. Ταῦτα λέγων ἠλαζονεύετο, μηχανώμενος πείθειν ὅπερ ἐδίδασκεν, ὡς προβεβίωκεν ἡ ψυχή. ἀπὸ δὲ τῆς αὐτῆς διανοίας ἐν ὀρύγματι λαθὼν ὑπὸ γῆν δέκα ἔτη, ἐξ ᾅδου δῆθεν ἐκεῖθεν ἀνέβη, καὶ παρὰ τοῦ Πλούτωνος ἀκηκοέναι ἔλεγεν, ὡς ἀθάνατος ἡ ψυχὴ διεπιστοῦτο. ταύτης τῆς ἀλαζονείας ὕστερον Ἀπολλώνιος ὁ Καππαδόκης ἐραστὴς γενόμενος, πρὸς τοὺς Ἕλληνας ἐμυθολόγει περὶ τῶν ἐν Ἰνδοῖς σοφῶν· ὡς ἴσασιν οἵ τινές ποτε γεγόνασιν· εἰς μάρτυρας ἔξω τῆς οἰκουμένης καταφεύγων. ἀλλ' ὅμως ἐλέγχεται. οὔτε γὰρ Κτησίας πολλὰ καὶ μυθώδη περὶ τῶν Ἰνδῶν συντιθεὶς, οὐδαμοῦ τοῦτο μυθολογεῖ· οὔτε Ἀρριανὸς ἐπὶ τὸ ἀληθέστερον μᾶλλον ἢ μυθωδέστερον συγγράφων, τοῦ δόγματος ἐμνήσθη· καίτοι τὴν τῶν Βραχμάνων πρὸς Ἀλέξανδρον συνουσίαν ἐκδιδάσκων, ἐν ᾗ παραινοῦσιν Ἀλεξάνδρῳ πλεονεξίας ἀπέχεσθαι. καὶ ὁ καιρὸς ἀπῄτει τὸ πλάσμα· ὡς ἂν τὸν Ἀλέξανδρον, ἐπειδὴ τῶν φαινομένων κατέπληττεν οὐδὲν, ἀφανεῖς βοῦς ἀναπλάττοντες καταπλήξωσι. τότε γὰρ ἔδει μᾶλλον δεικνύναι τῆς φιλοσοφίας

A gis docendo fallent & errabunt. Quo ferimini, ó Athenienses, qui tam fabulosa referenti, tam promtas aures porrigitis? Vides enim ut isthæc ipsa secum collisa ratio, instar igniferi silicis multum lucis reddiderit, & quæ in tenebris hactenus latebant, arguat, minimeque permittat, ut animam antea vixisse, in posterum quisquam confidenter asseveret?

THEOPH. Eadem mihi quoque prius quam hoc ex te audirem, animo sederunt, mentemque inde sæpenumero retraxerunt: sed majorum reverentia, & ejus quo cum disputabam rationis & consilii inopia, me adigebant ac continebant.

AXITH. Illud autem an non ante omnia veniebat in mentem tibi, animam, si quidem antea vixisset, rerum præteritarum meminisse, vel recordari
B oportere? Veteres enim solebant omnes liberales disciplinas ἀναμνήσεις, id est, quasi quamdam rerum anteactarum recordationem, appellare. Deinceps & creatoris, & illius quæ mente percipitur pulcritudinis, unde longo tempore discesserat, recordatur. An ergo vitæ prioris, & earum quas audisset præceptionum, & eorum quæ tulisset malorum, & patriæ & parentum unde heri discesserat, penitus oblita esse crederetur? Et quæ ratio hæc dabit, ut rerum secundarum meminisse, adversarum autem oblivisci credamur, cum earum ipsarum memoria magis magisque animis imprimatur? Ego quidem hac ipsa de caussa filium aut famulum, ob id quod commiserint peccatum,
C puniens, ante quam de ipsis supplicium sumam, præmoneo, ut meminerint, ne posthac umquam in eadem mala recurrant. Deus autem, quando ultima supplicia decernit, non edoceat eos qui patiuntur, pœnarum caussas; sed scelerum memoriam omnem tollat, dum plenum vindictæ sensum non infert? Quid igitur ea quæ peccatum celet, pœna profuerit? Sane contra ac instituta fuit, & irritat magis, & in contumaciam trahit. Facile vero fuerit atque ab justitia minime alienum, ei qui supplicio afficiatur, quoniam nullius sibi culpæ conscius supplicium patitur, conviciis atque contumeliis judicem incessere. Tu vero Theophraste, qui tot artium præcepta recolis, an tui ipsius solum es immemor? nec potes nobis, miles ne
D an philosophus: lepus ne an leo antea fueris: luſciniam an milvum secutus sis, referre?

THEOPH. Fertur Pythagoras meminisse, se se Euphorbum in Troja fuisse.

AXITH. Hæc dicens ille superbe mentiebatur, ac quod docebat animam antea quoque vixisse, hoc ipso conabatur confirmare. Eodem autem astu atque consilio, cum in meatu quodam subterraneo, annos decem latuisset, atque inde tamquam ex inferis reversus prodiisset, ex Plutone audisse se se atque credere dictitabat, animam esse immortalem. Ejusdem imprudentis arrogantiæ deinceps Apollonius ille Cappadox factus imitator, Græcis hominibus referebat, de iis qui apud Indos essent sapientibus, quod illi
E nossent, quinam olim ipsi fuissent. Recte sane homo vanus ad eos qui extra orbem degunt testes, confugiebat. Sed nihilominus falsi convincitur, quando ne Ctesias quidem, qui multa alioquin de Indis fabulosa conscripsit, harum illius næniarum uspiam mentionem facit. Neque vero Arrianus qui vere magis quam fabulose historiam scribit, dogmatis hujus uspiam meminit, etiam cum Brachmanum cum Alexandro congressum refert, ac quo pacto ipsi regem ab illo habendi studio nimio dehortati sint, diligenter exponit. Et certe tempus ipsum tale quoddam commentum requirebat, nempe, ut Alexandrum illum Magnum, quem earum quæ in hoc orbe visuntur rerum nihil ab animi sui proposito absterruit, aliquibus quæ non videntur monstris perterrerent. Ac profecto oportebat tunc potissimum egregiam illam ac præpotentem philosophiæ vim ex-

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 486

τὴν ὑπερβολὴν, ὅτι περὶ ἀνδραποδισμοῦ καὶ ἀναστάσεως ἐκινδύνευον οἱ ὁμόφυλοι. ἀλλ' ὅμως οὔτε πρὸς Ἀλέξανδρον τοιοῦτον οὐδὲν ἐπεδείξαντο, οὔτε ὕστερον τοῖς Ἕλλησιν ἐπιστέλλοντες· καὶ τὴν τῶν Ἑλλήνων φιλοσοφίαν διαβάλλοντες, καὶ τὴν ἑαυτῶν ἀποσεμνύνοντες, οὐδαμοῦ τοῦτο τῆς ἀλαζονείας τὸ εἶδος τῇ ἐπιστολῇ προσέρριψαν. εἰ τοίνυν μήτε τῶν πρότερον μήτε τῶν ὕστερον μηδεὶς τῷ λόγῳ συμμαρτυρεῖ, μεμονωμένος ὁ Ἀπολλώνιος, τὰ ψευδῆ λέγων ἐλέγχεται.

A ferere, quando nostris hominibus servitutis & excidii metus inesset. Illi vero quos paullo ante memoravi, Sapientes Indi, neque apud Alexandrum tale quidquam demonstrarunt; neque deinceps, cum litteras quibus & Græcam reprehenderunt, & suam ipsorum philosophiam ut venerandam laudibus veherent, ad Græcos ipsos darent, hujusce vanitatis vel levem speciem ullam suis litteris inseruerunt. Itaque si illi neque veterum neque recentiorum quisquam vel uno verbo testimonium dicit, solus ipse relictus Apollonius ac testibus omnibus destitutus, convincitur falsum tradidisse.

Ἱεροκλῆς [1] δὲ, οὐχ ὁ διδάσκαλος, ἀλλ' ὁ προβαλλόμενος τὰ θαυμάσια [2], ἄπιστον καὶ τοῦτο προσέθηκεν· ὅτι νέος ἡταιρηκὼς, Κερκυραῖος δὲ ὁ νέος, μετὰ ἐραστοῦ Μύρωνος ἔπλει. καθορμισθείσης δὲ τῆς νεὼς εἴς τινα χῶρον ἔρημον, ἀποχωρήσας ὀλοφύρεται, ἀναμνησθεὶς ὅτιπερ ἐκεῖ τῶν ἐραστῶν τις ἐν τῷ πρὸ τοῦ βίῳ τῆς ὥρας τοῦ νέου διαμαρτὼν, ἀπεπνίγη· καὶ δακρύει ὅτι μὴ αὐτῷ πρότερον ἐχαρίσατο. οὐκοῦν γελοῖον εἰ ὁ μὲν ἡταιρηκὼς ἀναμιμνήσκεται· Σωκράτης δὲ ἀμνημονεῖ καὶ Πλάτων, καὶ οὐδὲν εἰδέναι τῶν πρόσθεν ἀλαζονεύεται; καὶ μέντοι καὶ παρὰ Χαλδαίοις καὶ Αἰγυπτίοις καὶ Ἕλλησιν οἱ τὰς τελετὰς ἀγείροντες, καὶ γοητεύειν τῶν πάλαι τελευτησάντων τὰς ψυχὰς ἐπαγγελλόμενοι, καὶ ταῖς ἐπῳδαῖς ἄγειν τε καὶ ἕλκειν ὅπη ἂν ἐθέλωσιν, εἰ τὴν Ὁμήρου ψυχὴν ἐθέλοιεν καλεῖν, εἰ τὴν Ὀρφέως, εἰ τὴν Φορωνέως, εἰ τὴν τοῦ Κέκροπος, ἀλεκτρυόνας θύοντες καὶ χαρακτῆρας ὑπογράφοντες, λέγουσι προκαλεῖσθαι καὶ δεικνύναι, καίτοι εἰ ὁ μὲν ἀηδὼν, ὁ δὲ κύκνος, ὁ δὲ ἄνθρωπος, ὁ δὲ λέων ἐγένετο, πῶς ἥξουσι καλούμενοι, εἰ μὴ τὸ ὄρνεον καὶ τὸ θηρίον καὶ τὸν ἄνθρωπον ἄψυχον ἀπολειπόντες ἥξουσι; πῶς δὲ ὁ κύκνος εἴσεται ἢ λέων, ὅτι ἄνθρωπός ποτε ἐγένετο, ὅτι οὐ ὁ ἄνθρωπος εἴσεται; καίτοι κἀκεῖνοι ταῖς τελεταῖς σοφίζονται. οὐ γὰρ τὸν σὸν πατέρα οὐ τὸ γύναιον ἔδειξαν, ἀλλὰ χαλεπόν τινα δαίμονα τὸν πατέρα καὶ τὸ γύναιον ὑποκρινόμενον. ἅμα γοῦν ἀνέσχεν ὁ ἥλιος, καὶ τὸ φάσμα διαλύεται. οὕτω γραὸς μυθολογία τὸ θρυλλούμενον, καὶ πιθανὸν οὐδέν.

Hierocles autem, non is quem ipsi præceptorem olim habuimus, verum scriptor ille qui miracula B quædam refert, incredibile etiam illud factum suis narrationibus adjecit. Adolescentem quemdam impudicum, qui quidem Corcyræus esset, cum Myrone quodam amatore suo navigasse: delata autem in quemdam desertum atque incultum locum navi, cum paullum secessisset, flevisse, quod recordatus esset, quemdam ex amatoribus, dum olim viveret antea, quia ibidem adolescentis amore frui non potuisset, suffocatum esse: seque propterea flere, quod illi non gratificatus esset. An ergo ridiculum non est, lascivum illum atque impudicum adolescentem anteacta recolere; Socratem autem & Platonem, eorum quæ sunt olim facta nil meminisse, nihilque se se scire, gloriari posse? Equidem qui apud Chaldæos, C & Ægyptios, & Græcos sacras quasdam ac solemnes cærimonias peragunt, & evocare jam olim mortuorum animas, easque sacris quibusdam carminibus se quocumque velint, & ducere & pertrahere posse pollicentur: si mactatis gallinaceis, & scriptis quibusdam characteribus, aut Homeri, aut Orphei, aut Phoronei, aut Cecropis animam dicant se se velle evocare, & ostendere si quidem alius luscinia, alius cygnus, alius homo, alius leo fuit: quomodo quæso evocati venient? an non avem, bestiam, hominem, anima destitutos relinquent, ac venient? Et quomodo quæso, vel cygnus, vel leo scribunt se quondam fuisse hominem, cum id homo ipse ignoret? Ergo suis illis carminibus fallunt: quippe non paD trem aut mulierculam producunt, sed dirum quemdam dæmonem patris aut mulieris personam repræsentantem monstrant. Quare & sole vix dum oborto spectrum hoc omne statim evanescit. Atque sic anilis est fabulæ simile quidquid in hanc sententiam dicitur, nec quidquam habet quod sit probabile.

ΘΕΟΦ. Εὖ λέγειν μοι δοκεῖς, καὶ οὐκ ἀγεννῶς ἀντιτετάχθαι. ἀλλ' εἰ παντελῶς τὸν πρότερον τῆς ψυχῆς βίον ἀνέλοιμεν, ἀταξία δόξει τὸ γιγνόμενον, εἰ κακοὶ μὲν εὖ πράττουσιν, ἀτυχοῦσιν δὲ ἀγαθοί.

ΑΞΙΘ. Ἀποκρινοῦμαι, εἴ σοι ἥδιον.

ΘΕΟΦΡ. Πάνυ μὲν οὖν.

ΑΞΙΘ. Εἰπέ μοι πρότερον δὲ, τίνα φὴς ἀτυχίαν, ἢ νόσον λέγεις καὶ πενίαν, καὶ στρεβλοῦσθαι, καὶ τὸ ὅλον ἀναιρεῖσθαι;

ΘΕΟΦΡ. Ταῦτά φημι.

ΑΞΙΘ. Ἀλλὰ τοῖς μὲν πρὸς πλοῦτον, τὴν δυναστείαν καὶ ἡδονὴν ἐπτοημένοις, ἥρμοττεν ὁ λόγος· Θεοφράστῳ καὶ οὐκέτι. οὐ γὰρ ἀμνημονεῖς ὅτι πενία καὶ νόσος καὶ θάνατος, οὔτ' αἰσχρὰ, οὔτε κακὰ Σωκράτει καὶ φιλοσοφίᾳ δοκεῖ· εἴγε πολλοὺς πολλάκις ὠφέλησαν. αὐτὸς μὲν γὰρ ὁ Σωκράτης ἐπὶ πενίᾳ μέγα φρονεῖ, καὶ πλοῦτον

THEOPH. Bene mihi videris isthæc dicere, minimeque male ad objecta respondere. Sed si vitam animæ priorem prorsus e medio tollamus: videtur nescio quæ rerum perturbatio inde exsurgere, si mali bene, boni male habeant.

AXITH. Ad id respondebo, si quidem tibi non sit ingratum.

THEOPHRASTUS. Erit mihi sane pergratum.

E AXITH. Principio mihi dicas velim, quid tu malum seu fortunam adversam putes: an morbum & pauperiem, aut torqueri aut e medio prorsus tolli, malum appellas?

THEOPH. Hæc ipsa malorum numero comprehendo.

AXITH. At iis qui in opes & potentiam & voluptatem prorsus intenti sunt, potius competebat hæc oratio, quam Theophrasto. Neque enim ipse ignoras pauperiem & morbum, & ipsam mortem, neque turpia neque mala esse, vel Socrati atque ipsi quoque philosophiæ videri: quippe quæ ipsa multis sæpe saluti fuere. Ipse enim Socrates in pau-

1. Ἱεροκλῆς] Vide supra notam sub initium.

2. Τὰ θαυμάσια] Apollonii Tyanensis.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 486.

αὐτὴν ὀνομάζει, καὶ φιλοσοφίας φίλην. ὥσπερ A καὶ τὴν νόσον τῷ Θεαγεῖ μέγα πρὸς φιλοσοφίαν ἔφη συμβάλλεσθαι· ὁυτωσὶ λέγων, εἴ τί πε μέμνημαι· ἀλλὰ μὴν καὶ Θεαγεῖ τῷ ἡμετέρῳ πάντα συμβάλλεται πρὸς τὸ ἐκπεσεῖν φιλοσοφίας· ἡ δὲ νοσοτροφία κατείργουσα ἐπέχει. ὁ δὲ δὴ Πλάτων (ἔῤῥωτο γάρ) νοσῶδες χωρίον καταλαβὼν ἐνδιέτριβε, τῆς ὑγείας τὸ πλέον ἀφαιρούμενος, καὶ σωφροσύνην τῆς ῥώμης ἀντικαταλλαττόμενος. τὸν δὲ θάνατον, κακῶν ἐλευθερίαν καὶ λύσιν μάλα σεμνῶς ὀνομάζει· διδάσκων ὡς ὁ Θεὸς ἐλεήσας τὸν ἄνθρωπον, θνητὰ αὐτοῦ καὶ τὰ δεσμὰ πεποίηκεν. εἰ τοίνυν ἀγαθῶν αἰτιά, πως ἂν εἴη κακά; ἀκολασία δὲ καὶ πλεονεξία, καὶ ἄνοια καὶ δειλία, αἴσχιστα τῶν κακῶν καὶ ἐςί τε καὶ B λέγεται· ὧν οὐδὲν μέτεστι τοῖς ἀγαθοῖς. ἀεὶ δὲ πάρεστιν εὐδαιμονία, καὶ οὐ θέμις ἀφίςασθαι· εἴγε σωφροσύνη καὶ δικαιοσύνη, καὶ ἀνδρεία καὶ φρόνησις, ἀληθὴς εὐδαιμονία, ὧν οὐδὲν ἀπολείπει τοὺς ἀγαθούς. οὐδὲ ἀφαιρήσεταί τι τούτων ὁ ἀδικεῖν προῃρημένος· οὐ γὰρ δύναται. ἀλλὰ τὸ μὲν βαλάντιον περικόπτειν καὶ τὸ σῶμα διατέμνειν δύναται· παραςπᾶσαι δέ τι τῆς εὐδαιμονίας ἀδύνατος. ἀλλὰ τῶν μὲν ἄλλων ἐπικρατεῖ· ἀρετὴ δὲ, ἀδέσποτος. καὶ τὸ αὐτεξούσιον ψυχῆς λογικῆς κάλλιστον ἀξίωμα. αὕτη πρώτη πρὸς ἡμᾶς καὶ μεγίστη τοῦ δημιουργοῦ δωρεὰ, ἣν ἐγὼ παντὸς μᾶλλον ἀσπάζομαι, καὶ πλείστην οἶδα τῷ δεδωκότι τὴν χάριτα. τί γὰρ ἐλευθερίας σεμνότερον; C ἣ παραλαβοῦσα τὸν ἄνθρωπον, θεὸν τὸν ἄνθρωπον ἀπεργάζεται.

A pertate quasi superbiebat, eamque divitiarum nomine dignam ducebat, & philosophiæ sociam atque amicam appellabat. Quemadmodum etiam morbum Theagi multum momenti ad philosophiam attulisse idem ajebat: sic de illo verba faciens, si bene memini: Theagi vero nostro omnia, ut philosophiam deserat, ansam administrant: solus autem hic morbus obstat, atque eum quo minus id faciat coercet. Et sane Plato qui quidem erat robusto admodum ac vegeto corpore, locum minime salubrem in quo ingenium exerceret, delegit; sicque & id quod habebat firmæ valetudinis nimium detrahebat, & cum temperantia atque modestia corporis robur commutabat. Mortem autem malorum o- B mnium solutionem, ac tutam ab his libertatem sane quam pie & reverenter appellat: docens quod Deus hominis misericordia tactus, hæc ejus vincula mortalia fecerit. Jam si bonorum caussæ hæc sunt, qua fronte mala appellamus? Porro intemperantia & avaritia, itemque temeritas & ignavia, omnium fœdissima & sunt & nominantur mala: quorum nullum bonis inest. Sed eis vera felicitas semper adest, neque eam fas est recedere: siquidem temperantia, justitia, fortitudo, prudentia, quarum nulla bonos destituit, vera felicitas existunt. Sed nec improbitas horum quidquam potest auferre. Marsupium quidem amputare, & corpus dissecare potest: felicitatem autem avellere nequaquam potest. C In alias quidem res habet interdum imperium: virtus autem ab omni dominatione est immunis ac libera. Et certe animæ quæ ratione sit prædita, pulcherrima hæc est dignitas, quod sui juris sit ac plane libera. Atque hoc ipsum est eorum quæ sunt in nos collata, præcipuum ac maximum conditoris munus, quod ego omnium maxime exosculor, maximasque Deo datori gratias ago. Quid enim libertate est augustius? hæc quem hominem accepit, ex homine deum facit.

ΘΕΟΦ. Ἆρ' οὖν οὐκ ἄμεινον ἦν ἀγαθοὺς ἀνάγκῃ γενέσθαι, ἢ ἐλευθερίας ὀνόματι ἐξεῖναι κακίαν αἱρεῖσθαι;

ΑΞΙΘ. Καὶ τίς αὕτη γένοιτ' ἂν ἀρετὴ δουλεύειν ἠναγκασμένη ψυχῇ; βίαιον γὰρ οὐδὲν κάλλιστον μάθημα. οὐδ' ἀνάγκη τι γινόμενον πρὸς εὐφημίαν ἐπιτήδειον. πῶς δὲ ἀμείνων ὁ ἄνθρωπος ἦν, εἰ λίθινος ἦν, ὅποι βούλοιτο ὁ τεχνίτης περιφερόμενος, ἢ τινα φθόγγον παρ' ἑαυτοῦ παρεχό- D μενος, ὃν εἰς τὴν ὅλην ἁρμονίαν ὁ δημιουργὸς συντάττει καλῶς;

ΘΕΟΦ. Ἀλλὰ θαυμάζω ὅτι μὲν, τὴν τῶν φαυλοτέρων μισήσας κακίαν, καὶ τῶν ἐπιεικῶν συγκαταλύει τὴν ἐξουσίαν.

ΑΞΙΘ. Τί δέ; οὐ χαλεπώτερον ἀγαθῶν ἕνεκα, τῆς τῶν κακῶν ἀπειθείας ἀνέχεσθαι, ἢ διὰ τῶν φαύλων ἀκοσμίαν, τῶν κρειττόνων τὸν κόσμον ἀποσείεσθαι; φέρε γὰρ, εἴ τις γεωργεῖν ταχθεὶς, καὶ γεωργὸς ὀνομαζόμενος, τὰς ἀμπέλους ἀποδρὰς, εἰς ἄστυ δραμὼν, ἑταίραν ἐξαίφνης καταμαθὼν, κάλλει καὶ χρυσῷ διαλάμπουσαν, μύρου τι ὄζου- E σαν, καὶ προσπαίζοι τὴν εὐφυῶς καὶ αἱμύλα φθεγγομένην, ἐκπλαγεὶς ταύτῃ συνέποιτο, τῶν βοτρύων ἐπιλελησμένος· ὁ δέ τις γεωργίας αὐτῷ κοινωνῶν, πυθόμενος τοῦ ἑταίρου τὸν ἔρωτα, νεανικωτέρως τῶν ἔργων ἀνέχοιτο, καὶ τὰς ἀμπέλους ἔτι μᾶλλον θεραπεύοι, ὥστε τοῦ ἀτακτοῦντος ἐκπληρῶσαι τὴν χρείαν· εἰ σὺ τῶν ἀγρῶν δεσπότης ἐτύγχανες, ἆρα τὸν σωφρονοῦντα καὶ ἐργαζόμενον διὰ τὸν ἐρῶντα καὶ ἐν ἄστει μεθύοντα τῆς οἰκίας ἂν ἐξέκλεισας;

ΘΕΟΦ. Οὐ μὲν οὖν. δεινῶς γὰρ ἄν μοι τὸ χωρίον ἐξηγριοῦτο.

THEOPHRASTUS. Sed an non præstiterat necessario bonos nasci, quam sub illo libertatis nomine deligendi & faciendi mali licentiam habere?

AXITH. Ecquæ cedo & qualis virtus esset, animam sic coactam esse & servire? Nec firma est, ulla vi quæ geritur disciplina: nec laude dignum est quod coactus feceris. Quo pacto autem præstaret hominem quasi lapideum esse, qui quocumque libeat artifici mitti queat? quam qui vocalem aliquem ex se ipse sonum edat, quem universi illius opificij conditor ad hanc sui operis harmoniam totam pulcre accommodet?

THEOPH. Miror vero, quod cum malorum vitiosam naturam seu improbitatem odio habeat: non etiam ob id suam bonis libertatem ac facultatem solvat ac frangat.

AXITHEUS. Quid ita? An non præstat, propter bonos malorum contumaciam tolerare, quam propter malorum deformitatem, eorum qui meliores sunt ornatum atque formam velle decurtare? Age enim si quis sit operis rusticis obeundis destinatus, ac nomen agricolæ obtineat, relictis vitibus in urbem currat, ac statim etiam videat scortillum auro formaque fulgens, unguentum redolens, blande obvios quosque alloquens; captus ejus amore, vitibus relictis eam sequatur: is autem qui socius hujus in colenda ac plantanda vinea esset, amore sui collegæ cognito, tanto magis strenue laboraret, vitesque excoleret, quo damnum socij negligentia datum resarciret: num tu, si quidem illius agri dominus esses, frugi servum & laborantem agricolam, propter eum qui in urbe crapulæ & amoribus indulget, ædibus ejiceres?

THEOPH. Minime vero: sic enim magno meo malo, mihi prædium horridum ac silvestre evaderet.

ΑΞΙΘ. Οὐκοῦν τὸν γεωργοῦντα μᾶλλον ἐπαινεῖς, ὅτι ἐξὸν εἰς ἄστυ βαδίζειν, καὶ τῷ ἐρῶντι συμπίνειν, ὅδε καλοὺς ἱδρῶτας ἡδονῆς ἀντικαταλλάττεται;

ΘΕΟΦ. Πάνυ μὲν οὖν, εἴπερ ἐθέλω μοι τοὺς βότρυς εὖ πράττειν. ἀλλ' ἐχρῆν τοὺς μὲν ἀγαθοὺς διασώζειν, τοὺς δ' ἂν φαυλοτέρους ἢ τὴν ἀρχὴν μὴ ποιεῖν, ἢ γενομένους εὐθὺς διαφθείρειν.

ΑΞΙΘ. Εἶθ' ὁ μὲν τοῦ Σόλωνος οὐκ ἐᾷ νόμον ἐπ' ἀνδρὶ τιθέναι, ἀλλ' ἢ τὸν αὐτὸν ἐπὶ πᾶσιν ἀνθρώποις τίθεσθαι· ἀλλ' εἰσὶν οὓς ἀφορίζεις, κελεύων τοὺς μὲν κατασπείρειν καὶ τρέφειν· τῶν δέ, πρεσβυτέρων εἶναι τοῦ τόκου τὴν τελευτήν; οὐκοῦν μηδ' ὁ ἥλιος ἅπαντας θερμαινέτω, μηδ' ἡ γῆ καρπὸν ἅπασι φερέτω; εἰ τοῦτο μὲν λέγειν περίεργον, ἐθέλεις δὲ τὸν ἄνθρωπον ἅπαντα κατορθοῦν, καὶ μηδὲν διαμαρτεῖν, σφόδρα θαυμάζεις τὸν ἄνθρωπον· διὸ θαυμάζεις εἴ τι διήμαρτεν. ἀλλ' ἔστιν οὐ τῆς πρώτης λογικῆς μερίδος, ἀλλὰ τῆς ἐσχάτης ὁ ἄνθρωπος· ὃς ψυχῆς μὲν ἀθανασίᾳ, καὶ λόγῳ τῶν ἀλόγων ἐπικρατεῖ· φθορᾷ δὲ σώματος καὶ τροφῆς ἐνδείᾳ τῶν ἄνω λογικῶν οὐσιῶν ἀπολείπεται. οὐκ ἄρα παράδοξον τὸ γινόμενον οὐδέν. εἰ μὲν γὰρ μονωθεῖσα τοῦ σώματος ἡ ψυχὴ πρὸς ἐπιθυμίαν καὶ ὀργὴν ἐξήγετο, θαυμαστὸν ἦν. νῦν δὲ μετὰ σώματος ἔδει τῶν τῇδε σωμάτων ἐπιμελεῖσθαι, ὧν τροφὴ διασώζεται. οὐκοῦν ἐπιθυμείτω καλῶς καὶ μετρίως φησὶν ὁ δημιουργός. ἢ πόθεν τὸ παιδίον ἄρτι γεννώμενον, τοῦ γάλακτος ἐφίεται, καὶ πρὸς τὸ λυποῦν ὀργίζεται; ἢ ἵνα τὸ μὲν προσιέμενον, τὸ δὲ μονούμενον σωθείη. τὸ μὲν οὖν κατὰ φύσιν ζῆν, καλὸν καὶ διασώζεται· τὸ δὲ παρὰ φύσιν, αἰσχρὸν καὶ κολάζεται· τό δὲ ὑπὲρ τὴν φύσιν, μέγα καὶ τιμῆς ἄξιον.

Axitheus. An non potius colonum induſtrium collaudares, quod cum æque potuiſſet in urbem ire, atque una cum ſocio amare & potare, honeſtos amores turpi voluptati antetulit?

Theophrastus. Ita prorſus, ſi quidem mihi velim botros abunde provenire. Verum oportebat, bonos quidem ſalvos atque incolumes conſervari: malos autem, vel prorſus nullos procreari, vel eos qui nati jam eſſent, ſtatim exſtirpari.

Axitheus. Atqui Solonis lex non ſinit jus cuiquam peculiare, ſed unum idemque hominibus omnibus imponit. Tu vero de toto genere mortalium ſic ſtatuis, ut velis alios quidem procreari & nutriri, alios vero prius quam generentur (ſi modo poſſit fieri) interire. Qua ratione ſol quoque non omnes calefacere, neque terra fructum omnibus proferre debebunt. Quod ſi hoc ſuperflue dici ipſe exiſtimes, & hominem omnia præclare & recte facere, nec umquam a virtute aberrare ſtatuas: nimium tu quidem homini tribuis; minimeque mirum eſt, ſi quando is peccet, te tantopere mirari. At homo non eſt illa ſumma ac principe, verum infima illa rationem habentis animæ præditus facultate: quippe qui animæ immortalitate & ratione ſolum bruta animantia ſuperat: quin ob corruptionem corporis & alimenti ſibi neceſſarium uſum, ab illis ſuperioribus & cæleſtibus ſumma ratione præditis ſubſtantiis longe ſuperatur. Quamobrem illum peccare, non eſt tantopere mirandum, & ab ejus natura alienum. Si enim ſeorſim a corpore degens anima, ad appetitum aut ad iram rapiatur, mirandum quiddam acciderit: ſi cum corpore aliquo ſit conjuncta ac conſociata, ſane eorum quæ in terris verſantur & alimentis conſervantur, corporum curam gerat neceſſe eſt. Ergo de creatoris, ipſius judicio concupiſcat recte & moderate. Unde enim infans recens natus lac appetit? Unde iis qui vexant aut moleſtiam faciunt, iraſcitur? Nempe quia hoc datum, illud remotum, ſaluti ſit & videatur. Ex quo ſequitur eam vitæ viam ac rationem quæ ſecundum naturam eſt, & bonam & ſalutarem eſſe: ac rurſus eam quæ eſt naturæ contraria, & turpem & puniendam: illam deinde quæ naturam ſuperat ipſam, eſſe excelſam & honoribus ſummis afficiendam.

Εἰ δὲ τὰ ἔσχατα ὅτι μὴ τὰ πρῶτα, διαγράψομεν, οὐκ ἂν φθάνοιμεν πᾶσαν τάξιν διαλύοντες; φέρε γὰρ εἰ τὸν λίθον ἐκβαλεῖν ἐθέλομεν, ὅτι μὴ καρποὺς οἷα φυτὰ δίδωσι· τὰ δὲ φυτὰ διαβάλλειν, ὅτι μὴ τὴν γῆν οἷα βοῦς ἐργάζεται· τὸν δὲ βοῦν κακίζειν, οὐ γὰρ τῷ γεωργῷ παραπλησίως βούλεται· ὁ δὲ γεωργὸς αὐτὸς ἀπελαυνέσθω, ὅτι μὴ ταῖς ἄνω δυνάμεσιν ἐξ ἴσου τροφῆς ἠμέλησεν· εἶθ' ὑπ' ἀλόγου σοφίας μέχρι τῶν θείων ἀναβαίνοι τις, ὡς οὐδ' αἱ ἄνω δυνάμεις δημιουργεῖν, ἀλλὰ τῷ δημιουργῷ διακονεῖν ἐτάχθησαν· εἰ ταῦτα ποιοῖμεν, τί τῶν ὄντων κατὰ χώραν ἑστάναι καταλείψομεν; ἀλλ' εὐμενὴς μὲν καὶ ὁ δημιουργὸς εἴη, πάντα δὲ κατὰ τάξιν μενέτω. σμικρὸν γὰρ τῶν γινομένων οὐδέν· ἀλλὰ πάντα καλὰ καὶ μεγάλα καὶ τεταγμένα. καὶ ὁ λίθος καλός, εἰ λίθος· καὶ τὸ δένδρον, εἰ δένδρον. καὶ ὁ λέων καλός, κἂν ἐπείη κατὰ λόγον τῆς ἀλόγου ζωῆς· οὐ γὰρ ἦν ἐν αὐτῷ τῆς ἀλογίας κρεῖττον οὐδέν, διόπερ ἀναίτιος, ὅ τι ἂν παράλογον ποιῇ. ἐσπουδασμένον δέ τι χρῆμα καὶ χάριεν ἄνθρωπος, ὅταν ἄνθρωπος ᾖ. μέχρι τοῦ ἀγαθοῦ, καὶ τῆς τοῦ ἀγαθοῦ σοφίας ἀναβαίνων. ἀλλὰ καὶ

Jam ſi quæ ſunt ultima, propterea quod prima non ſint, libeat accuſare: an non eodem ipſo modo omnem omnium rerum ordinem diſſolvemus? Cedo enim, ſi lapidem abjicias, eo quod non perinde ut terra, plantas alioſve fructus edat: ſi plantas vituperes, quia terram ipſæ non arent, ut boves: ſi bovem plectas, quod non iiſdem quibus arator rebus afficiatur: ſi denique ipſe etiam agricola abigatur, quod non perinde atque cæleſtes illæ & ſuperæ facultates ſive potentiæ, alimenti curam omnem abjiciat: an non hac abſurda ſapientia ad divinas uſque res evecti, ſuperis quoque facultatibus officia ſua auferemus; quæ tamen in hoc, ut ſupremo rerum opifici ſerviant, ſunt procreatæ & conſtitutæ? Quod ſi fiat: quid quæſo omnium quæ ſunt, rerum ſuo loco relinquemus? Statuendum eſt autem, & benignum eſſe rerum opificem, & ſuum quæque locum obtinere. Eorum enim quæ facta ſunt, humile & abjectum eſt nihil: ſunt autem omnia pulcra & magna, & concinno ordine collocata. Etenim lapis, ſi quidem ſit ac maneat lapis: tum arbor, ſi arbor: & leo, ſi leo ſit, formam ac bonitatem ſuam habent. Ac leo quidem, etſi ejus quæ bruta ſit ac ratione careat, vitæ viam ſecat: tamen quia præſtantiſſimum illud rationis munus non habet, neglectæ rationis crimine vacabit. At homo, quoniam eſt dotibus egregiis refertum & elaboratum quoddam opus, tunc quoque bonitati & pulcritudini ſuæ reſponderit, quando ſit ac maneat homo. Idque tunc fiet, quando ad bonum ipſum & ad boni cognitionem adſpirat: ſed & ali-

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 486.

τροφῆς ἐφίεται, καὶ τῶν λυπούντων αἰσθάνεται· ἀμφότερα γὰρ ὁ ἄνθρωπος.

Νοῦς ἀγαθὸς, ἀλόγων σώματι χρώμενος, αὐτοκράτωρ δὲ γενόμενος, κατ' ἐξουσίαν ἄνω καὶ κάτω μεταχωρεῖ, ἕτερον αἱρούμενος προτέρου. τοῦτο γὰρ ἡ ἀνθρώπου προαίρεσις δύναται· καὶ τεταγμένη μὲν ἡ τοῦ λόγου δύναμις καὶ ἀρχή. ἄτακτος δὲ φορὰ ἡ τοῦ λόγου σπουδὴ, εἰ μὴ λόγῳ ῥυθμίζοιτο. κἂν ὁ λόγος ἀργὸς ᾖ διὰ ῥαθυμίαν καὶ ὄκνον, ἢ δι' ἀπαιδευσίαν, καὶ τὴν κάτω σχολὴν, καὶ τὴν τῶν ἄνω λήθην. ἐπιθυμία καὶ θυμὸς, οἷον ἵππων ζεῦγος ἐκπεσόντος τοῦ ἡνιόχου συνταράττεται· ἀλλ' οὐκ ἀνεύθυνον τὸ πρᾶγμα. ὁ γὰρ ἀγωνοθέτης προὐπέδειξε τὰ γυμνάσια, καὶ ὅταν δεῖ ἀγωνιστὴν ἀσκεῖν, προεκήρυξεν. ὧν ἀμελήσας ὁ λόγος, δίδωσι δίκας οὐχ ὧν ἐποίησεν, ἀλλ' ὧν περιεῖδεν. ὁ γὰρ τοῦ ἀλόγου τὴν ἀταξίαν παῦσαι δυνάμενος λόγος, περιορῶν δὲ, ἀληθέστερον αὐτὸ διαπράττεται. οὐκ ἄρα τὴν ἐν ἡμῖν παιδὶ τὴν ἀρχὴν ἐπιτρεπτέον· ἢ μὴ θαυμάζειν εἰ πάντα ἄνω καὶ κάτω γένοιτ' ἂν τὰ ἡμέτερα. πολλῶν γὰρ ὁ παῖς ἐπιθυμεῖ, ἀλλ' ἀρίστη διάνοια καὶ ὁ θυμὸς ταύτῃ συμμαχῶν κωλύει καὶ συστέλλει τὰς μυρίας ἐπιθυμίας. εἰ δὲ ἀγριαίνει ἡ τοῦ χείρονος δυναστεία, τοῦ ἀμείνονος γίνεται ταραχή· ἣν θεραπεύειν ἐστί· πολλὰ γὰρ τὰ φάρμακα, ἀγαθὴ τροφὴ καὶ παιδεία καὶ νόμος, καὶ λόγος, καὶ ἡ τῶν καλῶν μελέτη, καὶ συνήθεια καὶ ἐπιστήμη, καὶ ἡ τοῦ παντὸς τάξις.

mentum appetit, & tristibus rebus offenditur: utrum enim respicias, erit homo.

Mens bona quæ secus ac suadet ratio, corpore utitur, ubi fuerit summa rerum potita, pro sua potestate sursum vorsum vertitur, & alterum alteri præfert. Id enim ea quæ homini inest, quodlibet eligendi facultas potest: ea videlicet, quæ est ordinata rationis facultas, quasique principium. Est autem inordinata motio omnis, quæ non est rectæ rationi consentanea, mentis industria: quamquam inutilis sit interdum & otiosa ratio, vel ob torporem & inertiam, vel ob ruditatem & inscitiam: itemque ob rerum futurarum negligentiam, præteritarum oblivionem. Jam cupiditas & ira, haud secus ac par equorum, elapso e vehiculo auriga, perturbantur. Quæ res crimine haud vacat. Nam magister certaminum prædixit, quæ qualiaque forent certamina, & quando potissimum oportet pugilem sui curam habere, proclamavit: quæ cum ratio neglexerit, non eorum quæ fecit, sed eorum quæ neglexit pœnas luit. Ratio enim ea quæ stultitiæ incuriam atque in rebus gerendis inscitiam coercere potest, adeo facile quid facto opus sit, dispicit, ut ipsum deinceps rectius ac melius perficiat. Quæ ergo in nostra sunt potestate, ea pueris minime sunt permittenda, nisi velimus mirabiliter omnia nostra sursum vorsum ferri. Multarum rerum desiderio tenetur puer: sed mens optima, atque opem ei ferens animus, prohibent & reprimunt innumeras cupiditates. Sin quæ deterior est in homine, vis ferociat, & quæ melior est, sane quam turbatur: quæ tamen aliquo remedio curari potest. Et sunt remedia multa & varia: ut bona educatio, & disciplina recta, & lex: itemque ratio, rerum honestarum studium, honestus convictus, scientia, & omnino omnium vitæ partium rectus ac concinnus ordo.

Καὶ μὲν δὴ τῶν ἐπιρρεόντων ἡ μετάστασις ἱκανὸν διδασκάλιον σωφροσύνης τοῖς ὁρῶσίν ἐστιν. οἷον τῶν χρημάτων αἱ μεταβολαί· αἳ τοὺς μὲν πλεονεκτεῖν ἐφιεμένους, ἐκδιδάσκουσιν ὡς οὐδὲν βεβαίων πολλῷ ῥεύσαντες ἱδρῶτι προσεκτήσαντο· ὡς ἀπίστου καὶ ἀφυλάκτου πράγματος ἀπηλλάγησαν. ὁ δὲ μηδὲν τούτων διανοηθεὶς, ἡσυχίαν ἄγειν οὐ δύναται, ἀλλὰ συνταραχθεὶς, εἰκῇ φέρεται· καὶ οἷον ἐν σκότῳ προσπταίων λοιδορεῖται, οὐδὲν εἰδὼς τῶν ἐν μέσῳ προκειμένων καλῶς, ἀλλ' αὐτὴν ἀμαθῶς ἀγνοήσας τὴν ἄγνοιαν, διπλάσιον νοσεῖ· οὔτ' αὐτὸς θεωρῶν, καὶ τὰ ἐν ποσὶ διαβάλλων· καὶ οὐχὶ θέλων τὸ γιγνόμενον, ἀλλ' ὅπερ ἂν αὐτῷ δοκῇ, τοῦτο καλὸν καὶ χρήσιμον ὑπολαμβάνων. ὥστ' ἂν ἀδικήσῃ μὲν τὸν ἀγαθὸν ὁ φαῦλος, αὐτὸς ἐξ ἀλογίας παροξυμένος, Θεὸς ἀναίτιος· ἀδικήσῃ δὲ τὸν προσπεσόντα, οἷον τοξότου μέλλοντος. ἀνάγκη τὸν προστυχόντα τρωθῆναι, ὁποῖος ποτ' ἂν ᾖ. ἀλλ' ὁ μὲν πλεονέκτης οὐ κατὰ τάξιν χωρεῖ· ὁ δὲ Θεὸς τῆς πλεονεξίας τὴν ἀταξίαν εἰς τάξιν ἄγει· οἷον ἄριστος τεχνίτης πρὸς τὸ κοινὸν τῆς ἐργασίας καλῶς τῷ φανέντι χρησάμενος· καὶ τὸ ἀπερριμμένον εἰκῇ, καὶ τοῖς ἄλλοις ἄχρηστον, ἐκκαθαίρων καὶ συναρμόζειν ἀναγκάζων, καὶ πρὸς τὸ ὅλον συντάττων. ὥστε τὸ γιγνόμενον ἀδίκημα, τῷ μὲν ποιήσαντι, κακὸν καὶ ἀδίκημα· καὶ οὐκ ἀφείθη τῆς αἰτίας ὁ δράσας, οὐδὲ ἀποδιδράσκει τὴν δίκην· τῷ δὲ παθόντι οὐ κακὸν, ἀλλὰ χρήσιμον· εἴγε προσθήκην εὐδαιμονίας αὐτῷ

Et sane eorum quæ mortalibus affluunt, bonorum commutatio, quasique huc illucque ferri solita possessio, ad temperantiam sive continentiam momenti satis apparens est documentum iis qui ipsam vident atque observant. Quemadmodum eos qui conquirendis opibus dediti sunt, homines, ipsæ etiam pecuniarum permutationes, quam instabilem & fluxam rem magno sudore compararint, quamque infidum & parum tutum bonum abs se dimiserint, satis superque docent. At qui nihil horum cogitat, animo tranquillo esse non potest, multoque magis turbatus temere fertur: ac veluti in tenebris obambulans, sed offendens, conviciatur, quando nihil eorum quæ in via posita fuerant, sciverit: suam ipsius nesciens ignorantiam, duplici morbo laborat: uno quod non se qui non advertérit, sed res in via positas accuset: altero, quod id ipsum quod accidit, nolit æquo animo ferre: multoque magis quod ipsi libebat, bonum ac commodum putet. Igitur si quis improbus & scelestus homo, bonum & probum aliquem injuria affecerit; ille quidem qui scelus ausus est patrare, obliquæ rationis œstro percitus peccavit: Deus autem omni illius rei culpa vacat. Quemadmodum enim, qui sagittam jam jam vult ejaculari, eum qui sagittæ se se obviam dederit, quisquis sit, necessario vulnerabit: sic ille quoniam improbus est, quem poterit quemve obvium habuerit, eum injuria afficiet. Ipse etiam avarus, non quidem recto fertur ordine: at perversum avaritiæ ordinem, Deus in ordinem atque in viam rectam reducit: idque ceu artifex optimus qui communi utilitati sui operis bene consulturus, quidquid est ejus quod temere effluat, fitque aliis inutile, totum expurgat, & ut ceteris fit accommodatum cogit, inque totius operis complementum adducit. Ergo injuria facta, ei qui fecerit, ceu peccatum imputatur, estque etiam damno; quippe qui cum fecerit, nec facti culpa vacet, nec pœnas effugiat: ei vero qui paf-

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 486.

τὸ πάθος προὐξένησε, καὶ εἰς ὄφελος τῷ κοινῷ συντάττεται.

A fus fuit injuriam, saluti potius est quam damno: quandoquidem ei ad felicitatem momenti multum attulerit, & in utilitatem publicam quoque cesserit hæc afflictio.

Ἐπεὶ παράκλησις ἱκανὴ τοῖς εὖ φρονοῦσι πρὸς ἀρετὴν τὸ μὴ φόβῳ θανάτου τὸν ἀγαθὸν φεύγειν ἀρετήν. διὰ τοῦτο γὰρ αὐτὴν ὁ Θεὸς περιουσίας καὶ δυναστείας καὶ ἡδονῆς γυμνὴν ἔστησεν. ὥστε τοὺς ἀγαθοὺς ἀγωνιστὰς μὴ ἕνεκα τοῦ τὴν ἀρετὴν αἱρεῖσθαι, ἀλλ' αὐτῆς ἕνεκα, ὡς ἂν μὴ συνταράξωσι πάθει τὴν ἀρετήν· καὶ τὰ ἀλγεινὰ τῶν ἀγαθῶν ἡγεῖσθαι συγχωρεῖ· οἷον ἀγωνοθετῶν, καὶ βουλόμενος ὅλην τῆς ψυχῆς ἀνακινῆσαι τὴν δύναμιν· ὡς ὑπὲρ τοῦ καλοῦ τηλικοῦτον κίνδυνον ἀνατλῆναι δύνασθαι. ὥστε τῆς ἰσχύος οὐκ ἀσθενείας τὸ πάθος ἐπίδειξις γίνεται. καὶ ἄλλως, εἰ ἀγαθὸς ὁ παθὼν, εἰς ἀγαθὸν ἡ τελευτὴ τούτῳ συμβαίνει. ἔστι γάρ ἔτι καὶ τελευτήσαντα ζῆν ὡς ἀληθῶς, καὶ μέχρι τῆς πρώτης ἀρχῆς ἀναβαίνειν, καὶ μηκέτι δεδιέναι μεταβολήν· ἀλλ' ἀθάνατον ἔχειν εὐδαιμονίαν καὶ τρυφὴν ἐμπρέπουσαν ψυχῇ καθαρᾷ. ταῦτα γὰρ ἀρετῆς ἆθλα νομίζεται, οὐ τυραννὶς, οὐδὲ πλούτου περιουσία· ἃ πολλοὺς πολλάκις μεταβέβληκε δεσπότας. καὶ οὔτε ἀγαθὰ ταῦτα εἴπερ καὶ κακῶν αἴτια· οὔτε ἀθάνατα, ἀλλὰ σκιοειδῆ φαντάσματα καὶ ἐφήμερα.

Hominibus enim sapientibus atque ad virtutem adspirantibus sufficiens est solatium, hoc sibi persuasum habere, metu mortis ei qui bonus sit, virtutem minime esse fugiendam. Virtutem enim Deus propterea divitiis, potentia, voluptatibus omnino vacuam esse voluit, ut athletæ boni, non illarum quas dixi rerum, sed illius ipsi gratia, virtutem ipsam amplecterentur: nempe ut ne eum affectibus virtutem confunderent, & concederent adversa bonis superari. Veluti si quis certamen cum eo quod B malum est, decernat, ac velit omnem animæ facultatem exsuscitari, quo pro pulcro & bono tantum periculum subire queat: sane ea ipsa perturbatio, fortitudinis, non imbecillitatis specimen erit. Et ut hoc addam etiam, si quis bonus, alicujus boni gratia, mali quiddam patiatur, ac tandem obeat mortem; spes est certissima, eum etiam mortuum vivere, & ad primum principium ascendere, nec esse quod ullam aliam mutationem pertimescat: sed habeat felicitatem sempiternam, & voluptatem anima pura dignam. Quæ certe sunt & videntur esse justa virtutis præmia: non autem dominatio, non opum affluentia; quæ multis etiam ipsorum dominis damnum sæpenumero dedere: C multoque minus ea bona ex quibus mala provenire consuevere, quæque non æterna sunt, sed spectra umbrarum similia, & monumenta.

Ἐνίοτε δὲ σπεύδει μὲν πρὸς ἀρετὴν ὁ ἄνθρωπος, ὤλισθε δέ· καί τι παράνομον ἢ διεπράξατο, ἢ διενοήθη, καὶ ἡμῖν μὲν εὖ ἔχειν δοκεῖ· τὰ γὰρ ἡμέτερα προκαλύμματα, καὶ τὰ κείνου, ἐμποδὼν γίγνεται σαφῶς τὰ ἔνδον θεωρεῖν· καὶ θαυμάζομεν ἄν τι πάθῃ τῇ τῆς αἰτίας ἀγνοίᾳ. τῷ δὲ δικαστῇ γυμνὰ πάντα. καὶ κατιδὼν τὸν ἄνθρωπον τὰ μὲν ἄλλα πράττοντα καλῶς, μικρὸν δέ τι αὐτοῦ λελωβημένον, ἰάσιμον δὲ φαρμάκῳ· ἐνταῦθα συγχωρεῖ παθῶν τι αὐτὸν καὶ ἀποτίσας, ὥστε καθαρὸν γενόμενον τῶν ἐκεῖ καλῶν καθαρῶς ἀπολαύειν. εἰ δέ τις ἀδικῶν ἄνθρωπον ἄλλον, παρ' ἄλλου πάθοι κακῶς, αὐτὸς μὲν πέπονθε δικαίως· ὁ δὲ δράσας, ἀδίκως ἐπέθετο, καὶ οὐ μήποτε ἐκφύγοι. Θεὸς δὲ ἀμφότερα συνέταξε. καὶ τὸν πεισόμενον τῷ ἐπιτηδείῳ ποιῆσαι τοῦτο, ὃ παθεῖν ἐχρῆν ἐκεῖνον, εἰς ταυτὸν συνήγαγε· καὶ ἑκάστου οἷον φθόγγου ἀφ' ἑαυτοῦ τὴν φωνὴν ἀφιέντος, τὴν μὲν βελτίω, τὴν δὲ χείρω· καὶ τοῦ μὲν ποιοῦντος, τοῦ δὲ πάσχοντος, μίαν ἐπ' αὐτοῖς ὅμως τὴν ἁρμονίαν συνεστήσατο. καὶ οὐ διὰ τοῦτο κακὸν ἐγένετο ὡς ἂν συνταχθείη, ἀλλ' ἐπειδὴ ἐγένετο παρ' ἡμῶν, ἀπὸ τῆς προνοίας συνετάττετο. δύναμις δὲ καὶ τοῦτο μεγάλη, καλῶς καὶ τοῖς κακοῖς χρῆσθαι· καὶ τοῖς ἐξ ἡμῶν ἀμόρφοις γενομένοις, εἰς μορφὰς ἑτέρας συντελεῖν δύνασθαι.

Interdum autem ad virtutem contendit homo, in eoque proposito susceptoque consilio perit. Hic, si quid adversum legibus patrarit, aut saltem cogitarit; nobis quidem videtur optime ejus res habere, quippe quibus nostri, seu potius illius prætextus obstant, quo minus quid intus lateat videamus. Ex quo solet usuvenire, ut ignoratione caussæ decepti, quamobrem adversi quid pertulerit, admiremur. At in conspectu supremi judicis nuda detectaque sunt omnia. Qui si videat hominem aliquibus in rebus officium suum præclare facere, in ali- D quibus rursus utcumque vitiatum quidem esse, verumtamen aliquo adhuc remedio curari posse: tunc sane permittit ut leniore aliquo malo afficiatur, nempe ut pœnis quas dederit, factus purior, iis quæ isthic adsunt bonis caste perfruatur. Ceterum, si quis, ubi in alium fuerit injurius, ab alio rursus malum accipiat: jure quidem ipse malum illatum feret: sed qui damnum ei dedit, injuste dedit, minimeque pœnas effugiet. Deus autem utrumque, quemadmodum factum est, constituit: quippe qui hominem illum injuria vel malo afficiendum, homini ad id quod debebat pati, malum inferendum, apto atque idoneo adduxit: quasique utriusque ex utroque vocem emittens ipse, hanc quidem me- E liorem, illam vero deteriorem: altero quidem agente, sed patiente altero: unum quemdam in iis ambobus concentum dedit. Neque vero hoc ipsum constituendo peccatum commissum est: quando factum ipsum ab hominibus patratum est, a providentia constitutum & coordinatum. Magnæ vero facultatis est, etiam ea quæ male facta sunt, in usum aliquem bonum convertere, & quæ nos informia fecimus, ea in formam pulcram posse redigere & perfecta exhibere.

Οὕτω δὴ ταῖς ψυχαῖς τὸ κατ' ἀξίαν συλλέγεται, καὶ τὸ πεπονηκὸς θεραπεύεται, καὶ τὸ κοινὸν διασώζεται. πλουτείτω δὲ καὶ ὑγιαινέτω τέως ὁ πονηρός, φησιν, ἡ τῆς προνοίας φιλανθρωπία. ἢ γὰρ τῇ θεραπείᾳ γένοιτ' ἂν βελτίων, καθάπερ οἱ παῖδες ἡδονῇ τινι πρὸς

Atque sic quidem animabus sua dignitas acquiritur; & quod aliquid est mali passum, curatur, & publicum bonum conservatur. Sed si scelestus aliquis ditescat ac valeat, id quidem constat esse ex providentiæ divinæ erga nos propensa voluntate & gratia. Sive enim hoc remedio fiat melior, quemad-

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 486.

τέχνην παρακαλούμενοι· ἢ ἐξελεγχθεὶς, καὶ πᾶν ὅ τι τῆς ψυχῆς ὕπουλον γυμνώσας, καὶ ὅλον ἑαυτὸν ἐπιδειξάμενος, αὐτὸς ἑαυτῷ προετρεπίζει τὴν φλόγα, πολλὴν ὕλην ἐπηρμένος· κἀντεῦθεν πεσὼν οὐδεμίαν ἕξει παραίτησιν οὐδὲ συγγνώμην· οὐ γὰρ ἂν ἔχοις σκήπτεσθαι, ὅτι δι' ἀπορίαν οὐκ ἐβοήθεις τοῖς εὖ παθεῖν δεομένοις, ἐπλούτεις γάρ· οὐδ' ὅτι δυναστείας ἐνδείᾳ περιεώρας ἀδικουμένοις· ἐτυράννεις γάρ· οὐδ' ὅτι ἀῤῥωστίᾳ τοῦ δύνασθαι ἡττήθης τῶν ἡδονῶν· ῥώμη γὰρ σώματος προσῆν. βούλεται γὰρ ὁ δικαστὴς δι' ὑπερβολὴν δικαιοσύνης οὐκ ἀμφίβολον εἶναι τὴν κρίσιν· ἀλλ' ὥστε τὸν ἑαλωκότα καὶ πάσχειν, καὶ τοῦ δικαστοῦ θαυμάζειν τὴν ψῆφον. εἰ μὲν γὰρ ἦν ὁ θάνατος τοῦ παντὸς ἀπαλλαγὴ, καλῶς ἂν ἠπόρουν, εἴ τις πονηρὸς ὢν ἐν τυραννίδι τὸν βίον ἐτελεύτησε. νῦν δὲ ἐπεὶ ἀθάνατος ἡ ψυχὴ, οὐδὲ εἰς ᾅδου μεταχωρήσασα φεύγει τὴν δίκην, ἀλλ' ἐκεῖ μάλιστα τῆς τιμωρίας αἰσθάνεται, εἰς τάρταρον πεσοῦσα ὅθεν οὔποτε ἐκβήσεται. ὥστε ἕρμαιον τοῖς κακοῖς ἐνταῦθα νοσεῖν τι καὶ ἀπορεῖν καὶ δουλεύειν· ἤδη γάρ τις ἐν τῷ ἰδιωτεύειν μικρὰ διαμαρτὼν, τῆς τῶν μερῶν ἁρμονίας αὐτῷ διαλυθείσης τὴν αἰτίαν μαθὼν, καὶ ταύτην ἐκδακρύσας, τῆς ἐν ᾅδου τιμωρίας ἀπηλλάγη. ἕτερος δὲ ἐκκοπεὶς τὸν ὀφθαλμὸν, καὶ παράδειγμα τῆς δίκης τῇδε γενόμενος, μισήσας τὴν τοῦ πάθους ὑπόθεσιν, ἐλεύθερος ἀφείθη.

modum pueri quibusdam illecebris ad bonarum artium studia invitari solent: sive convictus desperatæ malitiæ, atque nudato eo quod latebat, animæ totius ulcere, se ipsum, quam sit intus & in cute malus, prodiderit: flammam ipse sibi parat, multam videlicet materiam cumulans; unde etiam lapsus nullam habebit neque excusationem, neque culpæ condonationem. Neque enim potest comminisci, quod propter inopiam egentibus non potuerit succurrere, qui divitiis abundabat: neque etiam fingere, quod potentia ac viribus destitutus, eos qui premerentur injuriis, neglexerit, qui summus rerum dominus erat: neque prætexere, quod imbecillitate suapte factum sit, ut voluptatibus succumberet, cui corporis robur alias ad res adfuerat. Nam ut omnibus constet, quam multa sit hujus judicis & excellens justitia, vult ille ipse judicium suum nec obscurum esse, nec ambiguum: verum sic judicare, ut reus & pœnam sibi irrogatam ferat, & sententiam ab judice de se latam suspiciat atque revereatur. Etenim si mors omnium rerum finis ultimus esset, recte in quæstionem vocarent homines, queinam fieret ut homo sceleltus, in imperio atque in lauta fortuna vitam suam omnem finiret. Jam vero cum immortalis sit anima, neque ad inferos demissa pœnam effugit: sed isthic maxime ante actæ vitæ vindictam sentit, cum in ima tartara ciderit, unde numquam est exitura. Quamobrem improbis insperati lucri vice fuerit, heic ægrotare, egere, servum esse; cum is qui illa perfert in privato vitæ genere, & parum deliquerit, ac deinceps membrorum suorum compactione jam soluta, jamque ejus fortunæ suæ caussa cognita ac satis deplorata, a suppliciis inferorum liber & immunis evadat. Alius exsecto oculo factus heic exemplum justitiæ, vitii sui sive perturbationis eventum odio prosecutus ac detestatus, liber etiam ipse evadit.

ΘΕΟΦ. Καλῶς, ὦ γενναῖε τὰ ἀπόῤῥητα δημηγορεῖς. ἀλλ' ἐκεῖνος μὲν, ἠδίκει γὰρ τῶν ὀφθαλμῶν ἀφῄρηται· τὸ δὲ παιδίον τυφλὸν ἄρτι τεχθὲν, εἰ μὴ προβεβίωκεν, οὐδ' προδιήμαρτε. πῶς γὰρ πόθεν ἂν εἰπέ μοι τῶν ὀφθαλμῶν ἡ νόσος;

THEOPH. Egregie tu quidem abstrusas illas atque abditas res exponis. At ille de quo dixeras, quia fecerat injuriam alteri, ideo privatus est oculis: puer autem qui recens natus, cæcus est, quando antea nec vixit, nec peccatum commisit ullum: quibus de caussis, dic sodes, oculorum morbo gravatur?

ΑΞΙΘ. Τούτων ἔγωγε τὰ πολλὰ, σώματος συντυχίαν οὐ ψυχῆς τιμωρίαν εἶναι λογίζομαι. τῆς γὰρ ἀρχῆς μὴ ἀρχούσης, ἀνάγκη τὰς ἑπομένας συμφύρεσθαι. τί γὰρ συνέχοι διαλυθέντος ἐκείνου ἐξ οὗ τὸ ὅλον ἐξήρτηται; εἰ μὲν ὑγιὴς ἡ τοῦ σπέρματος ἀρχὴ, καὶ δύναμις τῆς ὕλης ἐπικρατεῖ, συνιστάμενον ὑπὸ τοῦ δημιουργοῦντος καὶ σχηματιζόμενον καὶ διακοσμούμενον καλὸν τὸ κύημα, καὶ οἷον ἔμψυχον ἄγαλμα γίνεται. τῆς δὲ γονῆς μαραινομένης θερμότητος ἐνδείᾳ, καὶ τῆς ὕλης ἐπανισταμένης ὑγρότητος περιουσίᾳ, τὸ ὕδωρ ἐπικλύζεται, καὶ μᾶλλον ὀλισθαίνει, καὶ ὅλως κατέδυ. καὶ εἰς τοὐναντίον ἀνάγκη τὸ φυόμενον μεταβάλλειν. ἐναντίον δὲ, δυνάμει μὲν ἀδυναμία, τῷ δὲ ἐῤῥωμένῳ τὸ διεφθαρμένον, τῷ δὲ ὑγιεινῷ τὸ νοσερόν· καὶ ταύτῃ μᾶλλον τὰ ἀσθενῆ καὶ τερατώδη καὶ λελωβημένα τῶν παίδων γίγνεται. ἐντεῦθεν τοῦ μὲν, περιττὸς δάκτυλος ἐξῆρται, τοῦ δὲ ἀφῄρηται· καὶ τὸ μὲν παρῆλθε τὴν φύσιν· τὸ δὲ κατόπιν ἐγένετο· καὶ ὁ μὲν, ἐκ γένους τι φθινῶδες ἐπισύρεται· τοῦ δὲ ἀτελὴς ὁ ὀφθαλμὸς διέμεινεν· ὁ μὲν τοὺς πόδας διέστραπτο· ὁ δὲ συνεσταμένην εἶχε τὴν δεξιάν. καὶ τούτων οἱ μὲν εἰς ἄκρον φιλοσοφίας ἀνέβησαν· καὶ οὐδὲν ἐμποδὼν ἐγένετο παρακεκομμένον τὸ σῶμα· οἱ δὲ εἰς κακίαν ἐκπεπτωκότες, οὐ πράττουσιν ὅσον ἐθέλουσιν. καὶ γί-

AXITH. Quæ sunt hujus generis seu miseriæ seu ægritudines, eas ego potius ex aliquo corporis infortunio, quam animæ puniendæ caussa arbitror evenire. Etenim ex principio deficiente & debili quæcumque consequuntur, confusa ac manca sint necesse est. Quid enim sibi cohæreat, eo ipso ex quo totum desumtum est, dissoluto? Ergo si principium seminis & ipsa materiæ vis præpolleat, quod coagmentatum est & affabre effictum & exornatum ab opifice procreante, id ipsum fetus pulcherrimus ac quasi viva quædam statua exsistit. At humano semine propter caloris inopiam tabescente, & materia per nimium humorem turbata, aquis totum corpus illud quasi undis obruitur, tantoque magis cadit ac suffocatur. Quo fit uti necesse sit id quod nascitur, in contrarium converti. Contraria vero sunt, robori debilitas: ei quod salvum est, id quod periit: sano & incolumi, quod morbidum est & ægrum. Atque hac ratione potissimum accidit, ut multi infantes, imbecilles & monstri similes & mutili nascantur. Unde etiam alius digito uno abundat, alius uno caret: & alius quidem secundum naturam, alius obverso tergo in lucem prodit: tum alius vel ex parentum vel cognatorum aliquo tabidum aliquid sibi contraxit. Ac rursus oculus alii imperfectus mansit, alii detortus fuit: nec defuere quibus dextræ contractæ essent. Quorum aliqui ad summum sapientiæ culmen ascenderunt: nec corporis vitio quo minus isthuc pervenirent, impediri

γίνεται ψυχῆς αὐτοῖς φυλακὴ ἡ τοῦ σώματος A βλάβη, καὶ σωτηρία μᾶλλον ἢ τιμωρία τὸ πάθος τοῖς ὁρῶσιν ἐφάνη. οἱ δὲ οἷον ἐν σκότει πλανηθέντες, καὶ τῆς αὐτῶν ψυχῆς τὸ ὄμμα πεπηρωμένον καὶ ἀτελὲς καταλείποντες, τὴν τυφλοῦ τὴν ψυχὴν, ὥσπερ ἐν ᾅδου τιμωρουμένην ἤδη κακίζουσιν.

poruere: aliqui vero in malitiam lapsi, non quantum vellent, peccare possunt: estque illis hoc corporis incommodum, quasi quædam animæ eorum divinitus attributa custodia: videturque rem recte reputantibus saluti potius esse quam damno. Qui vero in tenebris oberrant, & suæ ipsorum animæ oculum mancum atque imperfectum haud respiciunt, illi solent cæci illius animam, quasi pœnis inferorum affecta jam esset, sic contemtam atque abjectam judicare.

Ἔχω δέ σοι καὶ ἕτερον ἀπόρρητον διεξιέναι· οὐ τὸ παρὸν μόνον βλέπει τῆς προνοίας ὁ νόμος, ἀλλὰ καὶ τὸ μέλλον γίγνεσθαι καὶ οἷς προσήκει, καὶ τὴν ἀξίαν ἐκεῖθεν τάττει· τὸν μὲν, γενέσθαι δοῦλον ἀφῆκε· χαλεπὸς γὰρ ἂν B δεσπότης ἐφάνη· τὸν δὲ, πένητα καταλέλοιπε· κακῶς γὰρ ἂν ἐχρήσατο τῷ πλούτῳ· ὁ δὲ (ἔμελλε γὰρ ἐξαπατᾷν καὶ κολακεύειν, καὶ ὀξέως πρὸς ἀπάτας ἐξάγειν τὸν πεσόντα) συνεθλάσθη τὴν κεφαλὴν, ἔνθα μάλιστα τῆς ψυχῆς ἡ ἐνέργεια, καὶ ὁ λόγος ἤργησε, καὶ ἀνόητος διέμεινεν. οὗτος ὁ ἄνθρωπος οἱονεί τις πρὸς φόνον ἕτοιμος γενόμενος, ἀναινομένης αὐτῷ τῆς δεξιᾶς, ἡσυχίαν ἄγειν ἠγάπησεν. ἡκέτω δὲ ἡμῖν εἰς μέσον ὁ τυφλὸς παῖς, περὶ οὗ ὁ λόγος. χειραγωγούμενος τῷ λόγῳ οὗτος, ἀκολάστοις ὀφθαλμοῖς χρήσεται, εἰ χρήσεται. διὸ συγκεκλεῖσθαι συνεχώρησεν, τοῦτο τῷ πεπονθότι συνήνεγκε. καὶ ὁ τυφλὸς ἐκεῖ- C νος τοῦ Λυγκέως εὐδαιμονέστερος, εἰ δικαιότερος γένοιτο. οὐ πολλοῖς δὲ τοῦτο συμβαίνει. οὐ γὰρ ἔδει πολλὰ παρὰ φύσιν συγχωρεῖν γίγνεσθαι, ὡς ἂν μὴ συνταραχθείη φύσιν, ἣν αὐτὸς ἔταξεν. ἔδει δὲ συγχωρεῖν, ὡς ἂν μάθοιμεν τῇ τοῦ ἀμόρφου παραθέσει, οἷον τὸ κάλλος, καὶ ὅθεν ἀφῖκται τῇ φύσει τοῦ κάλλους ἡ χορηγία. ἀκριβεστέρα γὰρ τοῦ καλοῦ γνῶσις, ἡ τοῦ κακοῦ γίγνεται πεῖρα. τὸ δὲ χαριέστατον, οὐχ εἷς τῆς θεραπείας ὁ τρόπος. οὐ γὰρ ἑνὶ φαρμάκῳ ἡ τῆς προνοίας ἰατρικὴ χρήσαιτ' ἄν· ἀλλ' ἄλλο ἄλλῳ προσφέρει· ἅπασι δὲ προσφέρει· ποικίλη γὰρ ἡ τέχνη. ἐπεὶ τὰ πάθη ποικίλλεται. ὁ μὲν, D τῷ μὴ ὁρᾷν, τοῦ κακῶς ἐρᾷν ἀπηλλάγη· ὁ δὲ καὶ τούτου καταφρονήσας, τοῦ ὀξέως ὁρῶντος ὀξύτερος πρὸς ἡδονὰς ἐφάνη, καὶ φάρμακον ἕτερον ἐπιζητεῖ. ἐνίοτε δὲ καὶ πῦρ ἀναμένει καὶ σίδηρον. τῷ δὲ, πρὸς σωφροσύνην ἤρκεσεν ἡ τῶν χρημάτων ἀπορία· καὶ ἄλλῳ ἄλλο συμφέρει· καὶ οὐ ταυτὸν ἅπασι. καὶ ἑκάστου πάθους συχνὰ τὰ φάρμακα. ὅθεν ἡ τέχνη καλλωπίζεται.

Verum aliam etiam occultam rationem possum tibi referre: Non in eas solum quæ modo ante pedes sunt res, Providentiæ lex animadvertit: verum etiam in eas quæ longo post tempore evenient, prospicit: tum quæ quibusque convenientia sunt atque digna, ea ut eveniant, decernit. Hunc quidem quoniam durus in servos herus futurus esse videbatur, servum fieri permisit: illum vero quod male esset usurus opibus, pauperem reliquit atque egenum. Ille quia decepturus & adulaturus, ac falsos statim damno affecturus erat capite in quo animæ sedes ac vis est, læsus atque ictus est: unde eum ipsum ratio defecit, ipseque stolidus atque imprudens evasit. Alii rursus proclivi ad cædem fato dextra contabuit: eoque factum est sibi tranquille potius pacateque vivendum ut putet. Sed prodeat in medium cæcus ille puer, qui ratione duce alias uti solet: quo de nobis antea quoque sermo. Hic si suorum haberet oculorum usum, illum certe haberet lascivum atque impudicum. Quare ei providentia oculos clausit, hacque plaga ipsum affectum coercuit: estque cæcus hic factus Lynceo ipso felicior, quando simul etiam justior evasit. Neque vero multis id usuvenit: quando minime oportuit præter naturam ut evenirent plurima, dare: sed pulcritudinis suæ munus, naturæ quam Deus ipse constituit, ut ne tota turbata tandem everteretur, salvum atque integrum relinqui. Ac rursus hæc ut evenirent, oportuit concedi, ut ei quod pulcrum est, eo quod deforme est opposito, quantopere excellit pulcritudo, unde esset suus naturæ decor, cognosceremus. Perfectio enim penes eos est & plenior boni cognitio, qui malorum aliquid experti sunt. Ac quod gratissimum est, non una eademque est hujus medicinæ ratio. Hæc enim providentiæ medicina omnia quidem curat, non autem unum idemque medicamentum omnibus affert, sed ad alios morbos pharmaca alia profert: quando cum morbi sint multi & varii, ars quoque ipsa multiplex sit necesse est. Hic quidem eo ipso quod nil videt, malis etiam amoribus prohibitus atque exclusus est: ille etiam hoc aspernatus remedium, aliquo alio acutissimis oculis prædito longe vehementius ad libidines fertur, ac propterea alio quoque remedio opus habet. Unde & interdum flamma aut ferro coercetur. Aliis ad temperantiam pecuniarum inopia sufficiens remedium, aliis aliud salubre fuit. Neque idem pharmacum omnibus adhibitum. Suntque etiam cujusque morbi remedia multa & varia. Qua de caussa ars quoque ipsa est & habetur illustrior.

Ἀλλ' ὁ τῆς ἰατρικῆς ἄπειρος, εἰ κατίδοι φάρ- E μακον ὅπερ ἠγνόησε, τὸν ἰατρὸν ἐλοιδόρησεν. ὁ δ' ἄνευ λόγου καὶ ἐπιστήμης ἐπεμβαίνων τῇ τέχνῃ, ἓν μαθὼν φάρμακον, τοῦτο πᾶσιν ἐπάγει τοῖς κάμνουσιν· οὐδὲν διακρίζων, οὐ φύσιν οὐ κρᾶσιν οὐ χώραν, οὐχ ἡλικίαν, οὐ πάθος· ὧν οὐδὲν τὸν τεχνικώτατον παρέδραμεν. ὅλως δὲ πενία καὶ νόσος καὶ τὰ λεγόμενα κακὰ, τοῖς μὲν ἀγαθοῖς οὐδέν· οὐ γὰρ εἰς πλοῦτον ἢ σώματος ῥώμην, ἢ κάλλος αὐτοῖς ἡ παρασκευή· τοῖς δὲ φιλο-

Verum qui medicæ facultatis hujus est ignarus, is, si quod antea sibi nec visum nec exploratum medicamentum videt, medicum ipsum conviciis statim petit. Solent enim qui sine ratione & doctrina medicam artem aggrediuntur, cum unum quoddam medicamentum cognorint, illud ipsum omnibus ægre affectis semper adhibere, nulla naturæ, temperamenti, loci, ætatis, morbi habita ratione: quarum rerum eum qui peritus sit artis medicæ, nihil omnino præteriisset. Existimandum est autem omnino, nec pauperiem, nec morbum, nec quæcumque alia quæ vulgo videntur & dicuntur mala, iis qui boni sunt, esse mala: quando ipsi neque di-

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 486.

τούτοις συμφορὰ νομίζεται· ἀλλ᾽ ὅμως κἀκείνοις ἔτι μᾶλλον συνήνεγκε. πᾶσαν γὰρ δὴ κακίαν ἡδονὴ μὲν ὥσπερ ἔλαιον φλόγα διεγείρει· λύπη δὲ καθάπερ ὁ μανδραγόρας κομίζει. οὐ γὰρ μόνον ἐν τοῖς σώμασιν, ἀλλὰ καὶ ταῖς ψυχαῖς τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἰάματα γίγνεται. οὐκ ἀεὶ δὲ μέλλουσα κακία νόσῳ προαναστέλλεται. οὐ γὰρ ἔδει τὴν πρόνοιαν οὕτως εἶναι, ὡς μηδὲν ἡμᾶς εἶναι· πάντα γὰρ, ὅσης προνοίας, οὐδ᾽ ἂν εἴη. τίνος γὰρ ἂν εἴη, εἰ τὰ θεῖον;

A vitiis, neque corporis robori atque formæ comparandis multum ſtudent. Malis autem hæc exiſtimantur mala, quæ etiam bonis potuerint boni plus afferre. Omnis enim naturæ vitioſitas voluptate haud ſecus atque oleo flamma exſuſcitatur: dolore vero ceu mandragora ſopitur. Neque enim in corporibus modo, verum etiam in animis, contraria contrariis adhibita remedio ſolent eſſe. Neque etiam futura malitia, prius quam in apertum erumpat, ſemper aliquo morbo reprimitur: quando providentiam non oportuit ejuſmodi eſſe, uti nos in nihilum omnino redigeremur. Etenim ſi quidquid eſt, Providentia ſit, nihil prorſus eſſet. At cujus quæſo, quidquid eſt, eſſet, ſi divina omnia forent?

Διὰ δὴ καὶ πατέρας τῆς τῶν τικτομένων ἀσθενείας αἰτιατέον. γίγνονται δὲ καὶ ἐκ φαλακρῶν, φαλακροὶ, ἐκ νοσωδῶν νοσώδεις, ὡς Ἱπποκράτης βούλεται, καὶ ὁ ἀληθὴς λόγος, καὶ ἀκολασία καὶ μέθη τὸ σπειρόμενον κατέβλαψε, χεῖρον παρεχομένη τὸ σπέρμα καὶ ἐξίτηλον· ὡς μὴ ῥᾳδίως ὑπομένειν τὴν ἀπὸ τοῦ λόγου μορφήν. οἷον ἄργυρος κίβδηλος, δι᾽ ἀσθένειαν ἀποφεύγει τοῦ δημιουργοῦ τὴν τέχνην, καὶ τὸ εἶδος ἀναίνεται. ἐντεῦθεν τὰ πολλὰ τέρατα καὶ παθήματα τίκτεται· καὶ οὐδὲ ταῦτα παντελῶς ἄχρηστα τῷ παντί. ἔλεγχος γὰρ ἀκολασίας γίγνεται, καὶ ἐγείρει καὶ ἐγρηγορέναι τοὺς ἄλλους ἀναπείθει, ὥστε νήφοντας εἰς παιδοποιΐαν ἰέναι. ἐπεὶ καὶ τῶν Ἑβραίων τὸν νόμον προσίεμαι, ὃς τοῦ λελωβημένου τὸν πατέρα κατέλευσεν, ὅτι δι᾽ ἀκρασίαν τῆς γυναικὸς τὸν καθαρμὸν οὐχ ὑπέμεινεν. ὅθεν ἡ τῆς ὕλης πλεονεξία καὶ ἡ αἰσχίστη τοῦ παιδὸς νόσος. καὶ ὁ τῶν Λακεδαιμονίων νομοθέτης εὖ ἐβουλεύσατο, οὐδὲ ταῖς γυναιξὶν ἀργεῖν συγχωρῶν, ἀμφοτέρων γὰρ ὄντων ἐῤῥωμενεστέρων, ἐῤῥωμενέστερα τὰ τικτόμενα φιλεῖ γίγνεσθαι. οὗτος τῆς προνοίας ὁ λόγος, ὃν οὐδεὶς μέμφεται, πλὴν ἀλογίᾳ χρώμενος· ὥσπερ αἱ τῆς γραφικῆς ἄπειροι, οἳ τὰ ποικίλα καὶ γλαφυρὰ καὶ χαρίεντα τῆς τέχνης κακίζουσιν.

B Itaque parentes etiam, ut imbecillitatis natorum rei ſunt accuſandi: naſcuntur enim ex calvis calvi; itaque ex ægris ægri: quemadmodum & Hippocrates, & ipſa ratio docent. Et intemperantia atque ebrietas, ea quæ jam ſata fuerant, damno plerumque affecere: quando ſemen ipſum deterius & omnino evanidum eſt, ac veluti argentum adulterinum artificis manum refugit, atque formam omnem recuſat, ſic illud ipſum formam a ratione ſine cauſſa recipere nullam poteſt. Atque hinc quidem monſtra permulta, multique morbi naſcuntur. Minimeque hæc etiam utilitate ſua carent, cum ſint hominibus intemperantiæ non obſcura reprehenſio, eoſque excitent etiam, uti vigilent magis, atque ad liberorum procreationem ſobrii potius accedant. C Quamobrem Hebræorum legem ipſe quoque recipio, quæ mutili nati hominis patrem lapidibus obruit, eo quod tantiſper ſe continere, atque a muliere dum munda fieret, abſtinere nequiverit. Unde materiæ nimia copia, & turpiſſimus pueri morbus enaſceretur neceſſe fuit. Et Lacedæmoniorum legiſlator, hoc ipſo reipublicæ ſuæ præclare conſuluit, quod nec muliebri ſexui quietis atque otii locum ullum reliquerit: exiſtimans, ſi uterque parens robore laboribus confirmato præpolleat, oportere etiam robuſtiores liberos gigni. Atque hæc eſt illa Providentiæ ratio, quam niſi qui ratione recta deſtitutus eſt, reprehendit nemo. Quemadmodum etiam qui pingendi artem ignorant, interdum etiam picturas varie, ſcite, & ut delectare poſſint, factas reprehendunt. D

ΘΕΟΦ. Εἶτ᾽ οὐκ ἀνώμαλον, τὸν μὲν, παρὰ τὴν γένεσιν, τεθνάναι, τὸν δὲ, ἐπὶ γήραος οὐδῷ;

ΑΞΙΘ. Θεὸς ἐπ᾽ ὠφελείᾳ συστέλλει, καὶ ἐπὶ μακρότατον προάγει τὸν βίον· εἰ μὲν γὰρ ἡ ψυχὴ θᾶττον ἀπέλθοι, διεκόσμησε μὲν τὴν ὕλην, ᾗ τὸ εἶδος ἐπέθηκεν. αὐτὴ δὲ πρὸ τῆς βλάβης ἀπῆλθε, καὶ προσεκέρδανε τῆς γνώσεως τὴν πεῖραν, καὶ τῇ παραθέσει τοῦ θνητοῦ σώματος τὸ ἀθάνατον ἄμεινον ἔγνω, καὶ τῷ θνητῷ σώματι τῆς ἀθανασίας τὸν λόγον ἐγκατέσπειρε, καὶ τοὺς ὄντας ἐκδιδάσκει μὴ πάντα τῇ φύσει πιστεύειν. οὐ γὰρ αὕτη τοῦ ζῆν ἔχει τὸ κῦρος. ἢ γὰρ ἂν ἐπὶ ῥητοῖς προὔβαινε, καὶ τὸν χρόνον διώριζε, καὶ τοῦτον ἅπασιν ἐχορήγει, οὐδὲν περιεσκοποῦσα εἴτε ἄμεινον, εἴτε μή. προνοίας γὰρ, οὐ φύσεως τοῦτο. διόπερ αὕτη πρὸς τὸ λυσιτελοῦν τὸ διάφορον ἔχει. καὶ μετατίθεται ὡς ἂν τῷ ἐπιστατοῦντι τῶν ὅλων δοκῇ. εἰ δέ τις εἰς γῆρας ἀφίκοιτο, κίνδυνος μὲν, μειζόνων δὲ τῶν ἄθλων ἀπήλαυσεν, εἰ τὰ προειρημένα μαθὼν καὶ ποιήσας, πᾶσάν τε σοφίαν καὶ ἐπιστήμην καὶ τέχνην εἰσ-

THEOPH. An vero non iniquum eſt, alium quidem ut primum natus eſt, vita privari, alium rurſus hac ipſa ad ultimam uſque ſenectutem frui?

AXITH. Vitam humanam Deus, utilitatis noſtræ habita ratione, & ut brevior ſit, contrahit, & ut ſit diuturnior, producit. Etenim anima, ſi citius recedat, materiam cui formam dedit, eo ipſo ornavit: ipſa vero citra detrimentum ſuum diſceſſit, quando generationis experimentum lucrata eſt, & oppoſito ſibi corpore mortali, quanto præſtet immortalem eſſe, plenius atque melius cognovit: denique etiam immortalitatis rationem mortali corpori E inſevit, atque homines reliquos edocuit, ne omnia naturæ credant. Neque enim hæc dominium vitæ habet: alioquin eam certis legibus extenderet, ac tempus ejus terminis ſuis definiret, atque adeo illam ipſam ſuppeditaret: nec utrum melius deteriuſve eſſet, magnopere laboraret. Providentiæ vero, non naturæ munus hoc eſt. Unde etiam ea ſecundum noſtra commoda, diverſos hoſce vitæ noſtræ terminos figit, eoſque ut rerum omnium moderatori viſum erit, huc illucque transfert. Sin autem aliquis ad ultimam ſenectutem perveniat, eo majorum quidem certaminum periculum erit: ſed ſi quæ propoſita ſunt, didicerit ac fecerit omnia, omnemque etiam ſapientiam & ſcientiam & artem in uſum humanæ vitæ introduxerit: hic poſtquam non modo ſibi ipſi, verum etiam univerſæ terræ ſummo ornamento fuiſſet, e vivis exceſſiſſet. Neque enim oportuit iiſdem terminis atque ſpatiis defini-

ἀγαγὼν τῷ βίῳ· καὶ μὴ μόνον ἑαυτὸν, ἀλλὰ καὶ τὴν γῆν ἅπασαν διακοσμήσας ἀπελθεῖν. οὐ γὰρ ἔδει τὸν αὐτὸν χρόνον ἅπασι διορίζεσθαι. ἢ γὰρ ἂν ἀσελγείᾳ συζήσαντες ἄνθρωποι, σωφροσύνῃ παρὰ τὴν πολιὰν ἐπερείδοντο· καὶ ἐν ἡλικίᾳ τοῖς ἀλλοτρίοις ἐντρυφήσαντες, τοῦ γήρως τὴν δικαιοσύνην προὐβάλλοντο. εἰ γὰρ νῦν ἀκολασίαν καὶ πλεονεξίαν οὕτω ῥᾷστα διώκουσιν, οὐκ εἰδότες εἰ μέχρι τῆς ἑσπέρας βιώσονται, τί ἂν ἔδρασαν εὖ εἰδότες ὡς εἰς γῆρας ἀφίξονται; μὴ δέ τις φιλοχρηματείτω παιδίων ἕνεκα, ἄδηλον νομίζων εἰ πρὶν ἐπὶ τὸν κλῆρον ἐλθεῖν, διαφθαρήσονται· καὶ μὲν δὴ θεῖος καὶ οὗτος νόμος, πρὸ τῆς ὥρας ἐνίους ἀπελθεῖν· καὶ πέρα ὅρου βιῶναι τὸν ἄριστον, εἰ καιρὸς καλοίη καὶ χρεία· προνοίας γὰρ πρὸς τὸ καλὸν τιθέναι, καὶ πρὸς τὸ κάλλιστον μετατιθέναι· εἰ δὲ παγίως ὁ ὅρος ἵδρυτο, ἀνάγκης οὐ προνοίας ἐδόκει. νῦν δὲ τοῦτον ἐᾷ παραβαίνεσθαι τοὺς συνιέναι δυναμένους ἐκδιδάσκουσα· ὅτι πρὸς ἐξουσίαν οὐ πρὸς ἀνάγκην εἰς τάξιν ἕκαστα τίθησι, καὶ πρὸς τὸ βέλτιστον μετατίθησι· καὶ κατὰ νοῦν, οὐ μάτην, καὶ πρὸς διδασκαλίαν, οὐ πρὸς βίαν ἀφίησι, καὶ οὐκ ἀφίησι. ταῦτα δὲ δυνάμεως οὐκ ἀσθενείας, καὶ ἐπιμελείας οὐκ ἀργίας σύμβολα γίγνεται.

Μὴ δὴ θαυμαζέτω μηδεὶς, εἰ τῶν σωμάτων μυρία τὰ συμπτώματα γίγνεται· οὐ γὰρ μάτην ἐπιγίνεται, ἀλλὰ πολλάκις μὲν ἀδυνατήσασα ἡ ὕλη ἐπίσπεσθαι ψυχῇ, πρὶν εὖ καὶ καλῶς ὀφθῆναι, κατέπεσεν. ἔγνωσαν δὲ οἱ τῷ δημιουργῷ τὴν ὕλην ἅμα συνεισφέροντες καὶ ἰσόῤῥοπον ἄγοντες, ὡς ἔσχατον οὐκ ἀρχή· καὶ ὡς ἀσθενὴς οὐκ ἀντίπαλος· καὶ ὡς ἔξωθεν οὐ παρ᾽ ἑαυτῆς τῆς ζωῆς ἀπήλαυσεν. ἤδη δὲ καὶ διακοσμηθεῖσα τοῦ σώματος ἡ ὕλη, συνταράττεται καὶ διαλύεται· ἢ γὰρ ἐπιθέμενον θηρίον διεσπάραξεν, ἢ λίθος ἐμπεσὼν ἐπάταξεν. ἐνίοτε δὲ πολλὰ πεπωκὼς ἄνθρωπος, ἀπεπνίγη, ἢ οὐδὲν πεπωκὼς ἀπεῖπε. πλησμονή τε καὶ λιμὸς ταυτὸν ἔδρασαν. καὶ μὴν καὶ πολέμιος εἰσβαλὼν, τὸν προσπεσόντα κατέσφαξε, καὶ κατέκλυσε θάλασσα, καὶ σεισμὸς κατέχωσε, καὶ σκηπτὸς ἠφάνισε. καὶ οὐ παράδοξον εἰ τοσούτων ἐν μέσῳ συμπτωμάτων ἁλώσεται, ἀλλ᾽ εἰ πάντα διαφεύξεται. ἐναντίον μὲν γὰρ ἄλλῳ ἄλλο· τῷ δὲ παντὶ, οὐδέν. ἁρμονίας γὰρ καὶ τοῦτο, ἐξ ἐναντίων τῶν φθόγγων μίαν τὴν μελῳδίαν ἐργάζεσθαι.

Εἰ μὲν οὖν ἄδικος ὁ τοῦ διεφθαρμένου πατὴρ, ἵνα μᾶλλον ἀλγήσας ἔσται μετριώτερος, οὐ διεκωλύθη τὸ σύμπτωμα. εἰδ᾽ ἂν δίκαιος, εἰς λαμπροτέραν δοκιμασίαν ἀπέβη. οὐδὲν γὰρ σεμνὸν οὐδὲ νεανικὸν ἔμελλεν ὁ παῖς ἐκεῖνος ἐπιδείκνυσθαι· ἢ γὰρ ἂν ἐκ παραδόξου καὶ κρεῖττον εὐχῆς διεσώθη, οἷά δὴ πολλὰ γέγονε πολλάκις. λέγεται γοῦν Πελίας τε καὶ Τήλεφος καὶ Κῦρος ἄρτι τεχθέντες ἐῤῥιφέναι τῶν θηρίων ἐν μέσῳ, ἀλλ᾽ ὅμως ὑπὸ τούτων τρέφεσθαι, ἃ τρέφειν ἐξετέθησαν. ἔμελλον γὰρ μεγάλα ἔργα καὶ θαυμαστὰ ἐργάζεσθαι. ὥσπερ καὶ Ἡρακλῆς ᾄδεται, διαῤῥαγείσης αὐτῷ τῆς νεὼς ἐφ᾽ ἧς ἔπλει, ὑπὸ κήτους καταποθῆναι καὶ διασώζεσθαι.

A tum vitæ tempus omnibus dari: quando hoc dato, eo res delaberentur, ut homines multo minus pudice vitam agerent, ac continentiam usque in ætatem ultimam differrent: quique dum florerent ætate, rebus alienis frui consuevissent; jam senes facti, vix dum justitiam servarent. Ac si jam impudicitiam atque avaritiam adeo facile persequuntur, cum nesciunt usque ad senectam ultimam se se perventuros; quid, si certe scirent, facturos putes? Et ne quis liberorum suorum gratia pecuniis coacervandis nimium studeret, ac potius cogitaret incertum esse, an prius intereant, quam hereditatem adire possint: hæc quoque divinitus introducta lex est, ut ante tempus e vivis excedant aliqui: ac rursus, si tempus & res ferant, ultra terminum optimus quisque B vivat. Solet enim Providentia non solum bene res constituere, verum etiam optime, quæ constituta fuerant, quocumque par est, transferre. Terminum enim suo loco fixum manere, videtur esse necessitatis, non Providentiæ. Interdum autem, ut fixum terminum transsiliant aliqui, permittit, nempe ut eos qui ingenio valent, edoceat, solere se se, ex libera quadam ac nullis legibus adstricta potestate, non autem ulla coactam necessitate, in ordinem rectum, quæ fiunt, cogere, atque ad id quod optimum sit, transferre: idque prudenter, & adductam aliqua ratione: non temere & frustra, ut doceat non ut cogat, vel concedere, vel non concedere. Quæ C res potentiæ, non imbecillitatis; industriæ, non socordiæ significationem habet.

Nemini igitur mirum videri debet, si corporibus accidant innumera hujus generis incommoda, cum non accidant citra gravem aliquam caussam: ac sæpe materia, suis ipsa viribus destituta, animæ comitem se præstare non possit, & prius quam bene & pulcre videatur, cadat. Ex quo cognoverunt qui cum creatore materiam simul conferunt, & paris momenti ducunt, quod hæc sit ultimum quiddam, non principium: imbecillis, non virtute pari prædita: aliunde, non ex se vitam nacta. Sed & interdum materia, corpore jam ornata confunditur atque dissolvitur: cum eam aut irruens fera discerpserit, aut incidens in ipsam lapis contriverit. Non- D nunquam etiam homo vel nimio potu suffocatur, vel potu nullo prorsus usus occumbit. Nec raro satietas atque fames idem fecere. Quin etiam hostis irruens obvium quem jugulaverit, & undæ maris demerserint, aut terræ motus absumserit, aut fulmen prostraverit. Quamobrem cum hominibus adeo multæ & variæ res eveniant, non est illud inopinatum quiddam, si quis illarum aliqua intercipiatur, multoque magis mirandum esset, si tot casus omnes effugerent. Hæc enim singula si consideres, contrarium est alterum alteri: sin universa respicias, congruunt. Habet enim hoc ipsum harmonia, ut ex contrariis sonis concentum unum efficiat.

E Jam si pater ejus qui periit filii, invisus fuit, ut majore dolore affectus, æquior ac melior evadat, eo casu minime potuit impediri. Sin autem justus fuit, hoc ipso ad illustriorem virtutis probationem devenit. Nihil enim fortasse puer ille præclare & fortiter facturus fuerat: alioquin supra quam sperari vel optari poterat, salvus conservatus esset. Veluti sæpe & multum usuvenisse ferunt, ut quod Pelias, Telephus, Cyrus feris objecti, ab his nutriti atque educati sint quibus pascendis ac nutriendis expositi fuerant. Futurum enim erat, ut magnas ipsi res atque stupendas gererent. Quemadmodum & Hercules fertur, rupta qua vehebatur navi, a quadam balena devoratus, & nihilominus salvus conservatus esse. Et colligi posset ingens heroum tur-

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 486.

ἐπιῤῥεῖ δὲ πλῆθος ἡρώων μέγιστον κίνδυνον ἐμπεπτωκότων, καὶ κατὰ θεῖον, οὐ κατ᾽ ἐλπίδα διαφυγόντων. οἱ δὲ πολλοὶ τῷ συμβεβηκότι παρατυχόντες ἁλίσκονται· πάντως δ᾽ ὑπ᾽ ὠφελείᾳ αὐτῶν τε καὶ τῶν θεωμένων. τοῖς μὲν γὰρ ἔστη τῆς διανοίας ἡ νόσος· τοῖς δὲ φοβερὸν ἡ νόσος ἐφάνη, πάθοι δ᾽ ἂν καὶ ὁ κεκτημένος τὴν ἀρετὴν, ὡς μήτε αὐτὸν ἐπαρθέντα τὴν ἀρετὴν ὑβρίζειν, μήτε τοὺς παρ᾽ αὐτοῦ πολλάκις διασωθέντας τῆς φύσεως ἐπιλαθομένους, Θεὸν οὐκ ἄνθρωπον ἀναγορεύειν τὸν ἄνθρωπον. ὃ δὴ πολλοὶ τῶν Ἑλλήνων καὶ Θρακῶν καὶ Αἰγυπτίων καὶ Ἰταλῶν πεπόνθασι, τοὺς ἑαυτῶν εὐεργέτας ἢ ὅμως ἄρχοντας, οὐχ ἥρωας ἀλλὰ θεοὺς νομίζοντες καὶ προσκυνοῦντες, καὶ οἷα θεοῖς τελούμενοι καὶ θύοντες, τὴν γαμετὴν Μενέλεων, καὶ νὴ Δία τὴν Ἑλένην μετὰ τὸν Ἀλέξανδρον, καὶ τὸν Δηΐφοβον, ἐν θεραπαίναις τῆς Λακωνικῆς τοῖς θεοῖς συγκαταριθμοῦντες μετ᾽ ἐκείνων ᾄδουσι, θυσίαις τε καὶ ἀναθήμασι θεραπεύοντες. τὸν δὲ τῆς Σεμέλης Διόνυσον, καὶ τὸν τῆς Ἀλκμήνης Ἡρακλέα μέχρι τῶν Ἡρακλέους στηλῶν, θεοὺς εἶναι πάντες ἐπιφημίζουσιν. οὓς ἐξελέγχει θνητοὺς γενομένους ὁ Πορφύριος. τοὺς γὰρ δαίμονας διαγράφων τῷ λόγῳ, λέγει που τοὺς φαυλοτάτους δαίμονας τοῖς ἀγαθοῖς ἀνδράσι λόχους καὶ ἐνέδρας καθίζειν, καὶ ἐξαίφνης ἐπιτίθεσθαι· καθάπερ ἡ Ἥρα τῷ Διονύσῳ καὶ Ἡρακλεῖ.

A ba eorum, qui cum in pericula maxima incidissent, tamen ope divina magis quam spe & exspectatione sua semper evaserunt. Rursus non pauci sunt, qui in his ipsis in quæ inciderant, malis capti atque irretiti perierunt. Idque perinde omnino accidit, ut videbatur & iis qui inciderant, & illis qui spectabant, utile fore. Aliis morbus læsæ mentis sedatus est: in aliis rursus horrendus visus est. Sæpe etiam qui virtute est præditus, miseriarum aliquid perfert, nempe ut ne se ipsum efferens, ipsam virtutem contumelia atque injuria afficiat, neve qui ab illo sæpe conservati sunt, obliti naturæ, jam ipsum Dei, non amplius hominis loco habendum putent. Quo morbo plerique Græcorum, B Thracum, Ægyptiorum, Italorum laborarunt: qui vel homines a quibus beneficiorum aliquid acceperant, vel etiam magistratus atque principes suos, non heroes, sed deos esse existimarunt: hisque ut diis immortalibus & initiati sunt, & victimas obtulerunt. Ergo Menelaum, & per Jovem ipsam quoque Helenam, post Alexandrum & Deiphobum inter ancillas Laconicæ diis annumerant, cumque iis una colunt, ac sacrificiis, & suspensis ad eorum aras donis prosequuntur. Bacchum autem Semeles filium, & Alcmena illa natum Herculem, profecto deos esse, quotquot hinc usque ad columnas Herculis habitant, omnes asseverant. Quos tamen mortales fuisse natos Porphyrius convincit, cum scribit C alicubi, sceleratissimos dæmones optimis viris insidias tendere, eosque repente atque improvisos adoriri: veluti Bacchum atque Herculem, Juno.

Οἰκοῦσι τὴν Θρᾴκην οἱ Γέται δὲ ποταμῷ Ἴστρῳ παροικοῦντες, οἳ τὸν τοῦ Πυθαγόρου θεράποντα, Ζάμολξιν ἦν, φυγάδα γενόμενον, καὶ τὴν τοῦ δεσπότου φιλοσοφίαν ὑποκρινόμενον, μόνον θεὸν ἄγουσι. καὶ τοὺς καλοὺς καὶ βελτίστους ἀποσφάττοντες αὐτῶν, ἀθανατίζουσιν ὡς οἴονται. καὶ ὁ Πρωτεὺς θεὸς εἶναι τοῖς Αἰγυπτίοις νομίζεται. καὶ ἡ Ἑλένη τῶν ἱερῶν αὐτῷ κοινωνεῖ· ἣν ξένην Ἀφροδίτην ὀνομάζουσιν οἱ τελούμενοι. καὶ Ἰταλοὶ θεαῖς συγκαταριθμοῦσι τοὺς βασιλέας ἅπαντας καταλέγοντες. ὁ δὲ Ἀλέξανδρος, τρεισκαιδέκατος θεὸς παρ᾽ Ἀθηναίοις ἀνηγορεύετο. ἀλλὰ πολλάκις τραυματίας γενόμενος καὶ νοσήσας, καὶ ἐπειδὴ ἀπέθανεν, ἐγνώσθη τὴν φύσιν θνητὸς ὑπάρχων, ὁ τέως εἰς τοὺς θεοὺς ἀναγεγραμμένος. οὕτω καλὰ τοῖς ἀνθρώποις μαθήματα, τὰ τῶν καλῶν παθήματα γίνεται.

Habitant in Thracia ad Istri fluminis ripas Getæ, qui Pythagoræ servum, Zamolxim, fugitivum, & heri sui philosophiam profiteri ausum, solum esse deum autumant: eique pulcherrimos atque optimos quosque ex suis mactatos immortalitati solent, ut eorum fert opinio, consecrare. Protheus etiam Ægyptiis videtur deus esse: atque ejus sacrorum Helena quam, qui sacris illis sunt initiati, Venerem Hospitam vocant, partem etiam ipsi capit. Et Itali priscos reges suos, quotquot ex annalibus colligunt, in numerum deorum omnes retulere. Ale- D xander autem decimus tertius deus apud Athenienses numeratur. At ille sæpe saucius, sæpe æger, demum vita defunctus, qui nihil humana natura haberet majus, explorate cognitus est & deprehensus homo, & tamen in numerum deorum relatus. Ergo virorum illustrium ærumnæ præclara sunt hominibus & illustria documenta.

ΘΕΟΦ. Εὖ λέγειν μοι δοκεῖς. καὶ οὐ καλὸν ὡς ἔοικε μετατίθεσθαι. οὐ γὰρ ἔτι μετὰ τῶν ἐνταῦθα γιγνομένων οὐδὲν ἐκβιάζεται προβεβιωκέναι τὴν ψυχὴν ὁμολογεῖν.

THEOPHRASTUS. Recte mihi quidem tu videris hæc docere. Nec mihi probatur amplius illa transmigratio. Neque enim eorum quæ facta jam sunt, quidquam cogit, ut animam antea vixisse confiteamur.

ΑΞΙΘ. Καλῶς γε ποιῶν ὦ ἑταῖρε. οὐ γὰρ ἐθελήσει λόγῳ χρωμένη ψυχὴ μετὰ τὴν πεῖραν τοσοῦτον κίνδυνον αὖθις ἀνατλῆναι. οὐδὲ ἔξεστιν ἡμῖν δεύτερον ἀγωνίζεσθαι. ἱκανὸς γὰρ ὁ παρὼν βίος πρὸς ἐπίδειξιν. εὐθύς τε γὰρ ἐκ παιδὸς ἡ τῆς ψυχῆς δύναμις τῷ ἀγωνοθετοῦντι διαδείκνυται. εὐεξία τε καὶ καχεξία πρὸ τῶν παλαισμάτων γνωρίζεται, τὰ δὲ ὕστερον ἐπιτηδεύματα καὶ προαιρέσεις καὶ πράξεις, οὐδὲ τοὺς θεατὰς λανθάνει, μήτοιγε τὸν κριτήν. διόπερ οὐκ ἀναμένουσι δεύτερον βίον οὐδ᾽ ἑτέραν δοκιμασίαν· ὥσπερ οἱ τὰ παρόντα μὴ διαγινώσκοντες, μηδὲ τὰ μέλλοντα προγινώσκοντες. ἀλλὰ τὴν μὲν διακοσμήσασαν τόνδε τὸν ἀγῶνα, καὶ εὐεξίαν καὶ τέχνην ἐπιδειξαμένην, καὶ πᾶσιν τοῖς αὐτοῦ νόμοις ἐμμείνασαν, ὡς νικῶσαν ἐστεφάνωσε νέκταρός τε καὶ τιμῆς, καὶ τῆς ἄνω χορείας

AXITH. Recte sane facis amice. Neque enim volet ratione prædita anima, ad tanta quæ jam antea E est experta, pericula denuo sustinenda redire. Nec concessum est etiam nobis in certamen illud iterum prodire. Sufficit enim præsens hæc vita, ad cujusque virtutis demonstrationem. Et certaminis hujus magistro, vel etiam in puero statim animi vis ostenditur: ac sive bonus sive malus sit animi habitus, prius quam ad certamen veniatur, innotescit; quæque post sequuntur studia, consilia, facta, non modo non judicem, sed neque spectatores quidem ipsos latere possunt. Quamobrem nec vitam, nec probationem alteram exspectant: ut qui nec dignoscunt præsentia, nec præsciunt futura. Judex autem eam animam quæ virtute sua luctam hanc ornavit, quæ bonæ indolis atque artis specimen de se præbuit, quæ omnes ejus leges servavit; ut victricem

A ἠξίωσεν, ὅθεν ἐκπίπτειν ὐ θέμις. τὴν δὲ ῥάθυμον, καὶ ἄνανδρον, καὶ ἀνόητον, καὶ λάλον, καὶ διαταράττουσαν μὲν τὸ θέατρον, τοὺς δὲ νόμους συγχέασαν, μισήσας εὐθὺς, ἐκ τῆς φρουρᾶς εἰς τὸ τῆς τίσεως δεσμωτήριον ἀπέπεμψεν, ὅθεν ἀποδιδράσκειν ὐ θέμις.

ΘΕΟΦ. Πόθεν οὖν εἰσκαλεῖται τοὺς πολλοὺς τούτους ἀγωνιστὰς τοσούτων ἐν τῷ μακρῷ χρόνῳ προεξεληλυθότων; ὐ γὰρ τοὺς αὐτοὺς λέγεις.

ΑΞΙΘ. Οὐμενοῦν.

ΘΕΟΦ. Οὐκοῦν πόθεν, εἰπέ μοι.

ΑΞΙΘ. Θεὸς μένων ὅπερ ἐστὶ, ποιεῖται τὰ γιγνόμενα· οὐ γὰρ ἄλλα ποιῶν ἐλαττοῦται, B οὐδὲ πολλὰ προβαλλόμενος ἀναλίσκεται· ἀλλ' ἔτι μᾶλλον ὅλος μένει, ὅσῳ μᾶλλον πλῆθος ἐργάζεται. οὐ γὰρ ἐκ τῶν καθέκαστον γινομένων, ἀλλὰ παρ' ἑαυτοῦ δημιουργὸς ὁ δημιουργός. ἐπεὶ καὶ παρὰ ἀνθρώποις οὐχ ὁ τεκτονικὸς εἰς ἃ δημιουργεῖ διαμεμέρισται, οὐδέ τι τῆς ψυχῆς, οὐδὲ τῆς ὅλης ἐπιστήμης ἀφήρηται, οὐδὲ εἰ νῦν μὲν ἱερὰ, νῦν δὲ οἰκίας, νῦν δὲ νεώρια τεκταίνεται. ἀλλὰ πρῶτος μὲν ὁ δημιουργὸς, μένει δὲ τὰ παρ' αὐτοῦ γιγνόμενα τῆς αὐτοῦ προνοίας δεόμενα. ἀναθέμενος οὖν τὸ πόθεν (περὶ ἐμὲ γὰρ καί σε τοῦτο) ταῖς δὲ γυναιξὶ πειθόμενος, ὅτι τῷ δημιουργῷ τῶν ὅλων ὐδὲν τῶν ὅλων ἀδύνατον. μὴ ζήτει τοὺς ἀεὶ καταβαίνοντας ἀγωνιστὰς C ὅθεν ἐπεισέρχονται· αὐτὸς γὰρ ὁ τὸν ἀγῶνα τιθεὶς, εἰσκαλεῖται· καὶ τὸ κήρυγμα φύσις γίγνεται. οὕτω βουληθεὶς τὰς νοερὰς δυνάμεις ὑπέστησε, καὶ οὐδεμία πόθεν ἐρωτᾷν ἐπήρθη. οὕτω τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν ἐποίει· καὶ τὸν μὲν, τοῖς ἄστροις· τὴν δὲ, τοῖς φυτοῖς διεκόσμει. ὁρᾷς δέ που καὶ τὰ φυτὰ νῦν ἤδη βρίθοντα τοῖς καρποῖς· τοὺς δὲ μήπω γενομένους ὠδίνοντα. ὅταν δὲ πάλιν καιρὸς καλῇ, πείθεται τῷ κηρύγματι, καὶ ἐξάγει καὶ ὑπεκφαίνει, καὶ ὅλως πλέους ἀποδίδωσι τοὺς καρποὺς, τῆς δυνάμεως δι' ἧς τὸ πρῶον ἀπεγέννησεν ἔνδον μενούσης. καὶ πάλιν καὶ πολλάκις τῶν καρπῶν ἀφθονία· τῆς δὲ ῥίζης ὐδὲν ἁλίσκεται, ὅτι μὴ καὶ D βεβαιοτέρα γίγνεται. τί οὖν ἔτι θαυμάζομεν εἰ ὁ δημιουργὸς ἅπαντα περιείληφε τὰ γενόμενα καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι; ἕκαστον δὲ οἷον ἐθέλει καὶ ὅτε προσήκει, καὶ ὡς ἂν κάλλιστα ἔχοι, σοφίᾳ καὶ τέχνῃ προφέρει.

A jam corona, nectare, honoribus, cælitum consortio dignatus est; unde fas non est, eam umquam excidere. Inertem autem & ignavam, & stolidam, & futilem: itemque & theatrum turbare, & leges confundere solitam, statim ut vinculis corporis soluta fuit exsecratus, in pœnarum carcerem demisit: unde fas non est umquam effugere.

Theophrastus. Unde ergo tot certatores accersit, cum tam longis temporibus, adeo multi jam antea e palæstra excesserint? non enim dicis, opinor, eosdem omnes fuisse.

Axitheus. Nequaquam.

Theophrastus. Unde ergo, dic sodes.

Axitheus. Deus omnia quæ quidem procrean- B tur, ipse nihilominus hoc ipsum quod est permanens, facit: neque alia cum facit, in substantiam aliam ipse mutatur: neque multa cum promit, ipse consumitur. Sed eo magis totus integer manet, quod subinde majorem rerum copiam facit. Nam ei, non ex singulis iis quæ nascuntur, verum ex hoc ipso quod rerum conditor alias est, opificis nomen datur. Quemadmodum etiam in hominum rebus atque negotiis, architectus non in ea quæ facit, ædificia dividitur: nec propterea quod multa facit, ideo vel de ejus anima, vel de tota ejus scientia quidquam decedit: licet jam delubra, jam ædes, modo naves fabricet. Igitur manet primus rerum conditor, manent etiam quæ sunt ab eo pro- C creata, eaque ipsa ab ejus nutu & providentia pendent. Omitte ergo, quod quærebas, unde fit hæc in theatrum prodeuntium tanta copia: quando de nobis ipsis hoc potius quam de summo rerum conditore quæri posset: quodque rerum omnium opifex præstare & efficere possit omnia, vel mulieribus asseverantibus crede. Quid enim unde veniant, qui in theatrum intrant, certatores quæras: cum is ipse qui certamen hoc instituit, eos omnes accersat, hocque ejus edictum opus naturæ statim fiat? Eodem consilio superas illas mente & intelligentia præditas facultates produxit, neque earum ulla, undenam esset, ausa est sciscitari. Eodem modo cælum pariter ac terram fecit: quorum illud astris, D hanc plantis ornavit. Vides etiam plantas, partim enatis jam fructibus gravatas, partim nondum natos parturire: tum ubi tempus fuerit, huic iterum edicto obsequi, & flores protrudere, & virere, & tandem perfectos fructus edere: vi illa facultateque naturali, qua præditæ primum genuerant, intus manente, sæpeque & iterum fructuum copiam suppeditante, ita ut radix non modo non corrumpatur, verum etiam firmior ac validior fiat. Quid igitur mirum, si supremus ille rerum opifex, omnia quæ & futura sunt, & jam olim facta, comprehendat: & eorum unumquodque, qualecumque vult, quoque tempore convenit, quaque forma pulcherrimum est, arte & sapientia sua profert?

ΘΕΟΦ. Ἀλλὰ τί δήποτε τὰς μὲν ἄλλας λογικὰς δυνάμεις καὶ προϋπέστησεν ὁ Θεὸς καὶ διώρισε· τὰς δὲ τῶν ἀνθρώπων ψυχὰς λογικὰς οὔσας, ἔτι καὶ νῦν προβάλλεται; E

ΑΞΙΘ. Ὁ ἀγαθὸς νομοθέτης οὐκ ἀναμένει πάντ' ἀνθρώπων τὰ πάθη. δικαστοῦ γὰρ ἤδη τοῦτό γε· ἀλλὰ μόνον τὴν ἀρχὴν γενέσθαι προλέγει. ἐπεὶ καὶ τὰς πόας, καὶ τὰ πολλὰ φάρμακα, καὶ ἰάσεις πρὸ τῶν νοσημάτων τῇ γῇ προεντρεπίζειν κελεύει. καὶ νῦν προεῖδεν ὁ Θεὸς ὅτι τὰς λογικὰς δυνάμεις θαυμάσαντες ἄνθρωποι ἀνάρχους τε καὶ ἀγεννήτους νομίσαντες, καὶ πολλὰς ἀρχὰς καὶ μυρίους θεοὺς ποιοῦντες, δημοκρατίαν ἄτακτον ἀντὶ τῆς τεταγμένης μοναρχίας εἰσοίσουσιν, οἳ καὶ τὸν αἰσθητὸν κόσμον ἑαυ-

Theoph. Qua vero de caussa Deus illas alteras mente & ratione præditas facultates, & initio procreavit, & certo numero definivit: humanas au- E tem animas, quæ & ipsæ mentis sunt & rationis compotes, subinde adhuc producit?

Axith. Optimus ille legislator, non omnes hominum morbos, dum erumpant, exspectat: hoc enim esset ejus, qui solummodo judicis fungitur officio: tantum autem principium ortus eorum prædicit. Nam & herbas, & multa pharmaca, & remedia, ante quam ulli essent morbi, terræ ut proferret, mandavit. Equidem prævidit Deus, quod deinceps accidit, ut homines illas ipsas ratione præditas facultates admirari, & nullum sui principium habere, & numquam natas esse existimarent: itemque multa principia & innumeros deos statuerent, eoque ipso democratiam quamdam

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 486.

νέσαντες, καὶ ἐν αὐτῷ στάντες Θεὸν ἄναρχον καὶ ἀγέννητον εἶναι· καὶ οἱ πάνυ φιλοσοφίᾳ σφαλγῶντες, εἰς φαντασίαν ἄλογον ἐξώκειλαν. διάτοι τοῦτο τὰς ἡμετέρας ψυχὰς λογικὰς οὔσας, ἔτι καὶ νῦν προβάλλεται παράδειγμα τῆς αὐτοῦ δυνάμεως, καὶ διδασκαλίαν τῶν προϋφεστηκότων, ὡς ἐξ ἑνὸς δημιουργοῦ πάντα, καὶ ἐκ μιᾶς ἀρχῆς πᾶσα λογικὴ καὶ νοερὰ δύναμις καὶ οὐσία προῆλθε. καὶ ὅτι πρόεισι, μὴ ἀπιστήσητε εἰς ὑμᾶς αὐτοὺς νεωστὶ φυομένους ἀποβλέποντες, οἳ ταῖς προηπηργμέναις οὐσίαις ὁμοίως ὑπὲρ τὸν οὐρανὸν βαδίζετε, καὶ μέχρι τῆς πρώτης ἀρχῆς ἀναβαίνετε. οἷον ἀμέλει κἀν τοῖς οὐρανίοις σώμασι πεποίηκε· τὴν σελήνην μόνην ἀστέρων παρῆκε φθίνειν καὶ ἀφιέναι τὸ φῶς, καὶ πάλιν ἄρχεσθαι, καὶ νεωτέραν γίγνεσθαι· ὡς ἂν μηδὲν τῶν ἄνω σωμάτων ἀγέννητον ὑπονοήσαντες, ὑπ' ἀλογίας τι πάθοιμεν· ὥσπερ οὖν ἐκ τοῦ ἐσχάτου τῶν ἀστέρων ἄρτι φανέντος καὶ ἀφανιζομένου, καὶ τὰ ἀνωτέρω γενέσθαι παιδευόμεθα. οὕτως ἐκ τῆς τελευταίας λογικῆς οὐσίας τῆς ἀνθρωπείας ψυχῆς νεωστὶ προβαλλομένης, καὶ τὰς πρὸ αὐτῆς λογικὰς δυνάμεις ἐκ τοῦ δημιουργοῦ τὴν ἀρχὴν εἰληφέναι καλῶς ὁ λόγος κατείληφεν. οὐδὲν γὰρ ἀργὸν, οὐδὲ περιττὸν, οὐδὲ μάτην ἐργάζεται.

A inordinatam introducerent, illa videlicet optime inſtituta monarchia repudiata. Qui etiam hunc ipſum qui noſtris eſt expoſitus & percipitur ſenſibus, mundum divinis laudibus celebrarunt, & Deum qui ſit ab æterno, nec umquam ex quoquam natus, eſſe ſtatuerunt: unde & qui in philoſophia plurimum pollebant, in opiniones ſane quam abſurdas impegerunt. Qua de cauſſa noſtras animas, etſi rationis compotes eſſent, nihilominus quotidie adhuc creat, videlicet indicium ipſius potentiæ, & documentum jam olim procreatarum facultatum originis: quam hæ ſeu ratione, ſeu mente & intelligentia præditæ facultates & ſubſtantiæ, ex eodem omnes opifice, atque ex eodem omnes B principio trahant. Ac quod hinc illæ quoque provenerint, facile credetis, ſi in vos ipſos recens creatos animos converteritis: quippe qui perinde ut illæ jam olim factæ ſubſtantiæ, ſupra mortalium rerum curam in ipſum cælum contenditis, atque etiam ad principium primum uſque aſcenditis. Quod certe in cæleſtibus corporibus itidem fecit. Solam enim ex omni ſiderum numero lunam, voluit lucem ſuam modo minuere & remittere, modo reſtaurare, quaſique ad juventam denuo reverti. Nempe ut cogitarent homines ſuperiorum illorum corporum nullum prorſus eſſe quod non ſit natum, quodve ſuapte ſponte exſiſtat: hocque abſurdo errore abſtineremus; ac potius ex infimo illo ſidere, quod etiamnum modo magis, modo minus lucere cernimus, ſuperiora quoque illa facta eſſe colligeremus. Eodem modo, ex anima humana, illa videlicet ultima ac nuper procreata, quæ rationis eſt particeps, etiam ipſa ſubſtantia, eas etiam quæ ſunt ante ipſam creatæ, ratione præditas facultates, ex eodem opifice exortas eſſe, ut colligamus, ipſa ratio ſuadet. Nihil enim ille otioſum, nihil ſuperfluum, nihil fruſtra facit.

Εἰ δὲ ἑνὸς ὄντος τοῦ ἀνθρώπου τὴν μίαν ψυχὴν προϋπάρχειν, πολλῷ δ' ὕστερον τὸ σῶμα συμπεπλάσθαι φήσομεν, ἀργή τις ἦν πρὶν καταβῆναι καὶ περιττὴ χρόνον τοσοῦτον ἡ ψυχὴ, καὶ οὐκ ἔδειξεν ἐνεργείᾳ τὴν δύναμιν, οὐδὲ ἔγνω ὅπερ εἶχε· ταῦτα γὰρ κατιοῦσα κερδαίνει. ἀργοτέρα δὲ μᾶλλον ἢ ἀρίστη· ἣν ὑμεῖς ἀδιάφθορον καὶ νεοτελῆ καλεῖτε, ἢ μὴ πρότερον ἐπειράθη σώματος, ἀλλὰ πρώτην γένεσιν τήνδε βιοτεύει· οἵα περ ἡ τοῦ Διονύσου καὶ Ἡρακλέους ἐν Θήβαις λέγεται γενέσθαι. εἰ δ' ἄνω τις διωρισμένη αὐτὴ προειργάζετο, ὕστερον ἐπειδὴ κατέβη, κενὴν καὶ ἔρημον καὶ ἐν ἀργείᾳ τὴν ἑαυτῆς χώραν καταλέλοιπεν. αἱ μὲν γὰρ ἄλλαι δυνάμεις, ἅμα τε προῆλθον καὶ ἐτάχθησαν οὗ δεῖ ἑκάστην· καὶ ὅτι χρὴ λειτουργεῖν καὶ διακονεῖν καὶ ὑπηρετεῖν, καὶ φυλάττειν. τὴν δὲ ἀνθρωπίνην ψυχὴν μακρόν τινα χρόνον ἐν ἀργείᾳ καθίσαντες, ὀψέ ποτε δεσμῶτιν εἰς σῆμα τὸ σῶμα πέμπουσι· καίτοι τὴν γῆν διακοσμεῖν αὐτῇ προστέτακται, ἐπεὶ οὐδὲ ἄνθρωπος εἴη, κἂν παύσῃ τὰ τοῦ Θεοῦ κηρύττειν ὄργια, ὡς μηδένα τόπον ἄθεον παρεωρᾶσθαι. οὐκοῦν ἄμεινον ἅμα τῷ προελθεῖν τὸ προστατττόμενον ἐκτελεῖν, ἢ ἄγονον καὶ ἀτελῆ τοσοῦτον διαμένειν, καὶ τῷ μὴ τὴν ἀρχὴν ἐνεργεῖν, τὴν ἑαυτῆς δύναμιν παντελῶς ἀγνοεῖν; ἐπίδειξις γὰρ καὶ γνῶσις δυνάμεως ἡ ἐνέργεια.

C Sin demus, cum unus homo fuiſſet, unam etiam animam jam ante exſtitiſſe, corpus autem longo poſt tempore effictum: otioſa profecto fuit anima, prius quam in corpus deſcenderet; & tam diu ſuperflua, ſeu fruſtra condita, nec potuit vires ſuas exſerere, neque quid quantumve poſſet, ipſa ſcire: quæ omnia, poſtquam deſcenderit, demum acquirit. Ea vero, quam vos incorruptam ac recens effectam appellatis, otioſa potius erit quam bona: quando corporis uſum prius non eſt experta, ſed jam primum nata vivit: cujuſmodi Bacchi atque Herculis Thebis fuiſſe ferunt. Sed ſi quæ apud ſuperos antea verſata, aliquid iſthic egit, poſt ubi deſcenderit, vacuam, deſertam & in otio ſedem D ſuam reliquerit, neceſſe eſt. Reliquæ enim facultates, ut primum prodiere, & quo loco oportuit, collocatæ ſunt, & ſuum quæque munus obire & miniſtrare & ſubſervire & curare juſſæ. Humanam autem animam illi poſtquam conſtituere longum tempus in otio, ſero tandem vinctam in ſepulcrum, nempe corpus mittunt. Equidem ei injunctum hoc eſt, ut terram ornet ac juvet: minimeque hominis eſſet, ſi ceſſaret quæ ad Dei cultum pertinent, prædicare, & ut nullus Deo vacuus ſit locus, efficere. An ergo non præſtat, eam, ut primum prodierit, commiſſum ſibi munus obire, quam perinde ac ſi nondum eſſet nata atque perfecta, adeo diu cunctari, eoque ipſo quod E initio nihil agat, ſuam ipſius vim facultatemque prorſus omnem ignorare? Actio enim quid aliud eſt, quam quædam cognitio demonſtratioque virtutis?

ΘΕΟΦ. Ἀλλ' εἰ χρόνῳ προσέρχεται, πῶς ἀθάνατος;

ΑΞΙΘ. Οὐκ ἄλλος τὰς ἄνω δυνάμεις, ἄλλος δὲ τὴν τοῦ ἀνθρώπου ψυχὴν δημιουργεῖ, ἀλλ' ὁ αὐτὸς ἐκεῖνός τε καὶ ταύτην προβάλλεται. εἰ δὲ ὁ αὐτὸς, καινὸν οὐδὲν, εἰ μία δύναμις καὶ ἐπιστήμη μία τότε καὶ νῦν ταύτην ἐργάζεται. οὐ γὰρ

THEOPH. Sed ſi tempore certo & definito prodit, quei poteſt eſſe immortalis?

AXITHEUS. Non alius eſt qui ſuperiores illas facultates creat, & alius rurſus qui hominis animam condit: ſed unus idemque & illas & hanc ipſam producit. Quod ſi idem ſit, non erit novum aut rarum quiddam, quod una facultas, una ſcientia, & olim & etiamnum hanc efficiat. Ejuſ-

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
486.

χρόνῳ ἡ τοῦ δημιουργοῦ δύναμις ἐναπομαραίνεται, οὐδὲ ἐπιστήμη μέχρι τοῦ διορίζεται. ἢ τοίνυν μηδ' ἐκείνας ἀθανάτους εἶναι συγχωρήσωμεν, ἢ καὶ ταύτην ἀνάγκη τοιαύτην εἶναι πείθεσθαι· ἀναβαίνει γὰρ μέχρι τῆς πρώτης ἀρχῆς ὥσπερ ἐκεῖναι· οὐδεμίαν γε λογικὴν οὐσίαν θνητὴν πεποίηκε. πῶς οὖν τὴν ἡμετέραν ψυχὴν δημιουργῶν, τὸν ἑαυτοῦ παρέβαινε νόμον, ἣν ὁμοούσιον μὲν οὐ πεποίηκεν, ὁμοίαν δὲ καὶ οἷον εἰκόνα· καὶ εἰ φιλοσοφοίη, τῷ Θεῷ προσεικάζεσθαι; τὸ δὲ τῷ ἀθανάτῳ προσόμοιον, καὶ ἀθάνατον· τὸ γὰρ θνητὸν ἀθανάτῳ οὐχ ὅμοιον, ἀλλ' ἐναντίον. σὺ δὲ ὁ τὸν Πλάτωνα καταπιὼν, λέγεις πᾶν γενόμενον πάντως εἶναι θνητὸν, καὶ φθείρεσθαι, καὶ διαλύεσθαι. ἀναμνήσω δέ σε Τιμαίου, καὶ τῆς τοῦ δημιουργοῦ δημηγορίας· ἧς τὸ προοίμιον, ὡς ἐγὼ μέμνημαι· Θεοὶ θεῶν, ὧν ἐγὼ πατήρ τε καὶ δημιουργὸς, ἀθάνατοι μὲν πάμπαν οὐκ ἐστὲ, ἐπείπερ εἰ γένεσθε, οὔτοι γε μὴν λυθήσεσθε, τῆς ἐμῆς βουλήσεως κρείττονος θανάτου, λαχόντες. ἀμφότερα γοῦν ἅμα, καὶ πεποιῆσθαι, καὶ μὴ διαλύεσθαι καὶ γενέσθαι, καὶ τοῦ θανάτου κρείττους γίνεσθαι.

V. Considerans imperator nimis esse grave, vexari tantos iterum sacerdotes, quorum plurimos aut ætas, aut infirmitas, aut etiam paupertas hunc laborem subire prohibebat, dirigit magistrianos per totum orientem: dirigit etiam Anatolius episcopus Constantinopolitanus Asclepiadem diaconum suum. Per quos & omnes illi episcopi qui Calchedona fuerant congregati, quid Alexandriæ factum fuisset agnoscunt: interrogatique cum suis provincialibus episcopis rescribunt, Calchedonensem synodum usque ad sanguinem esse defendendam, quia non alteram fidem statuit, quam synodus Nicæna. Timotheum non solum episcopum non haberi, sed etiam Christiani appellatione privari [13]. Quo deposito, fit alter Timotheus [14] catholicus episcopus Alexandriæ. Vix Timotheus hæreticus depellitur: fugit Petrus: mittitur in exsilium Timotheus Chersona, qui locus est in Ponto abditus. Quamdiu vixit imperator Leo [15], vixit Timotheus episcopus Alexandriæ cum quiete. Sed cum Basiliscus * occupasset imperium, damnare cœpit Calchedonensem synodum, & catholicos persequi. Tunc denique Timotheus ille damnatus accepta libertate venit Constantinopolim, & damnatos hæreticos locis suis reddidit. Vadit Alexandriam [16]: fugit Timotheus catholicus, & in monasterio latet. Petrus ille iterum se junxit Timotheo, cum quo fuerat ante damnatus. Redit Zeno imperator ad regnum, Basiliscus opprimitur. Mittitur Alexandriam, ut pulso pervasore Timotheo Timotheus catholicus redderetur ecclesiæ. Sed Timotheo damnato morte prævento, [17] Petrus consors ipsius ab uno hæretico Alexandrinis episcopus ordinatur. Quem nihilominus dejici jussit christianissimus imperator, & reduci Timotheum catholicum, sicut Acacii Constantinopolitani litteris continetur.

* anno 476.

VI. Cum plurimi, seu clerici, seu monachi, seu sæcularis vitæ homines, ad communionem catholici episcopi Timothei nollent penitus convenire, diversis Sacris terruit universos clementissimus imperator. Scripsit ad papam Simplicium Timotheus (dicens Petrum olim in diaconio esse damnatum, nunc etiam Christiana societate semotum; mandans per [18] Esaiam episcopum) rogans ut scriberetur imperatori de Petro, qui latebat in Alexandrina civitate & insidiabatur ecclesiæ, ut ad longinquum deportaretur exsilium. Per ferme triennium sanctæ memoriæ papa Simplicius non desiit scribendo ad Acacium episcopum, ut ageret cum imperatore, & fieret de Petro quod Timotheus episcopus postulabat. Scriptum est etiam principi, sed numquam inde rescriptum est. Post omnia, [19] Joannem presbyterum œconomum suum Timotheus ad principem misit, rogans ut si quid humanitus sibi forte contingeret, juberet pietas ejus catholicum a catholicis ordinari. Ad cujus petita responsum est, & tam ipsi quam clericis scriptum; atque in iisdem Sacris Joannes œconomus multis laudibus prædicatur, ut jam pæne omnibus Alexandrinis episcopalis putaretur officii candidatus.

VII. Defuncto isto Timotheo episcopo [20], Joannes œconomus catholicus a catholicis ordinatur episcopus. Qui cum de consuetudine majorum ad apostolicam sedem synodica (per Isidorum presbyterum, & Petrum diaconum) scripta misisset, superveniente Uranio subadjuva, & contra Joannem jam episcopum Sacra principis deferente, ab episcopatus illius confirmatione papa suspensus est. Et quia in iisdem Sacris de restituendo Petro quem ipse damnavit, fecerat mentionem, hæc pars omnino est abnegata. Unde videtur clementissimus imperator offensus. Cum ergo sanctæ memoriæ papæ Simplicii nihil totiens ad Acacium directa, propter Alexandrinæ ecclesiæ quietem & catholicæ fidei integritatem, scripta proficerent; supervenit idem sanctus Joannes episcopus, qui sicut decebat ab apostolica

1. Sept. 22. ibid. cap. XLII.
2. Anno 630. ut constat.
3. Octobr. 8. cassum ejus de Flaviano judicium Chalced. Act. 1. Octobr. 13. depositus Act. 3.
4. Interfuit semel Oct. 25. Act. 6.
5. Exsulare in Gangrena civitate jussus.
6. Augusto mense anni 450. ante damnationem Dioscori, quæ tantum anno sequenti cum Proterii ordinatione.
7. Hæc Liberatus cap. XV.
8. Mongus, seu Moggus, id est, blæsus.
9. 16. Januarii an. 457.
10. A duobus tantum episcopis contra Canones. Libell. episcop. Ægypti ad Leonem imp. post concil. Chalced. capp. XII. & XIII. Evagr. lib. II. cap. VIII.
11. Martii 28. an. 457.
12. Die 7. Februarii ejusdem anni. *Fasti Græci. Theodor. Lect.*
13. Hactenus Liberatus.
14. Dictus Salophaciolus sive Albus, ordinatus an. 458.
15. Obiit mense Januarii anni 474. Filius autem Leo junior mense Novembri.
16. Hæc Liberatus cap. XVI.
17. Mongus, de quo supra.
18. Esaias minoris Hermopolis episcopus concilio Ephesino II. interfuit. Alius Naucratenæ civitatis episcopus libello post cædem Proterii ab orthodoxis oblato subscripsit. De quo cap. XXII. tertiæ partis concilii Calchedonensis.
19. Tabennesiotam, cognomento Talajam.
20. An. 482. ut docet Simplicius epist. XVII. Julii 15. & 18. Nov. 6. datis.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 488.

sede susceptus est. Nam & priores ejus similiter Romanæ ecclesiæ tempore persecutionis suffugium poposcerunt. Hujus adventus plenius universa patefecit. Cui dum Acacii scripta † legeremus, quæ de Petro & Joanne Antiochenis miserat, excessus Acacii etiam in hac caussa gravissimos deprehendit. Illo enim tempore, quo de Petro Alexandrino damnato retulerat, non longe post etiam de Petro [1] & Joanne [2] scripserat. Petrum apud Constantinopolim monasterium [3] gubernasse: sed hoc propter crimina derelicto, Antiochiam fugisse. Ibi pulso (Martyrio) catholico episcopo, per hæreticos sedem ipsius occupasse: continuoque damnatum a Leone tunc principe ad Oasitanum exsilium esse directum. De quo lapsum Constantinopolim rediisse, ac dedisse fidem, quod nullas ulterius turbas facere prorsus auderet.

VIII. Sed sicut superius dictum est, Basilisci temporibus a Timotheo [4] illo damnato qui Constantinopolim venerat, ad Antiochiam remissum fuisse, ut iterum illic episcopatum teneret. Quo facto, idem Petrus Joannem quemdam presbyterum de quo Acacium diximus retulisse, ordinat Apamenis episcopum: a quibus non receptus venit Antiochiam, & Petrum episcopatus sui pellit auctorem, & invadit ejus ecclesiam. Quos iterum damnatos dicit Acacius, petens ab apostolica sede, ut si forte ad eam confugerent, nec visu dignos haberet: & si jam aliquam indulgentiam forsitan impetrassent, irritam esse debere, nec eorum pœnitentiam recipiendam esse. Quod cum præfatus Joannes Alexandrinus episcopus relegisset, tacere non potuit, quod illum Joannem quem Acacius damnaverat cum Petro & sine remedio pœnitentiæ fecit ab apostolica sede damnari, post tot damnationes Tyriorum miserit ecclesiæ præsidere. Postquam ergo non solum nihil profecisse litteras decessoris sui sanctus Felix papa cognovit, & ludibria quædam ab Acacio fieri in eversionem totius ecclesiasticæ disciplinæ, electis [5] Vitale episcopo Troentinate ex Picena regione, & Miseno Cumanæ ecclesiæ episcopo ex regione Campaniæ, sub hac instructione direxit, ut Petrus de Alexandrina pelleretur ecclesia, & ut libello sancti Joannis Episcopi Alexandrini responderet Acacius, atque ipsi denuntiaretur Acacio, ut anathema diceret Petro. Qui quamvis hostili more detrusi in custodiam chartas amiserint, tamen perfidis hæreticis communicare non debuerant voluntatem. Non solum ergo non egerunt quæ jussa sunt, aut quæ expedire poterant: sed etiam hæreticis communicaverunt, confirmationem Petri episcopatus ad quem pellendum missi fuerant, deferentes, atque contumelias in episcopum Joannem Acacio dirigente portantes. Quibus rebus habita synodo commotus beatissimus papa, Vitalem & communione [6] suspendit, Acaciumque damnavit. Cujus audacia deteriora committens, etiam Petrum Antiochenum [7], ejecto catholico Calendione [8] quem ipse ordinaverat, ad Antiochenam misit ecclesiam.

1. Petro Gnapheo, seu Fullone.
2. Joan. Apameno.
3. Liberat. cap. XVIII.
4. Æluro an. 476.
5. An. 483.
6. Die Julii 28. anni 484.
7. Gnapheum.
8. Qui cum Illo patricio aliisque an. 483. conspirarat.

† Garnerius ad *Liberati Breviar.* cap. XVIII. pag. 131. „ Attende animum, inquit, ad hanc vocem *legeremus*: vel enim vitiose posita est pro *legerentur*, quod non reor; vel indicat auctorem Breviculi. „

EDICTUM SENTENTIÆ FELICIS PAPÆ

propter Acacii episcopi Constantinopolitani damnationem.

Acacius, qui secundo a nobis admonitus statutorum salubrium non destitit esse contemtor, meque in meis credidit carcerizandum, hunc Deus, cælitus prolata sententia, de sacerdotio fecit extorrem. Ergo si quis episcopus, clericus, monachus, laicus, post hanc denuntiationem eidem communicaverit, anathema sit, sancto Spiritu exsequente.



EPISTOLA I.

Felicis III. papæ ad Zenonem imperatorem.

Conqueritur de violatis ab eo legatis, suadetque ut acquiescat damnationi Petri Alexandrini & Acacii.

FELIX ZENONI AUGUSTO.

I. Quoniam pietas tua, licet profusiore pagina ad mea scripta responderit, suis auribus diligentius intimatam fastidio dignam credidit veritatem: curandum mihi fuit, ut breviter quæ non vultis latius publicari, definita concluderem. Itaque officiositate præmissa timere me fateor regno vestro pariter & saluti. Siquidem contra divinam reverentiam probabitur, ut beati Apostoli Petri directa legatio, sicut ejus confessio patefecit, tamquam in captivitate redacta teneretur, & chartis quas bajulabat violenter ablatis, ad communicandum hæreticis, hoc est apocrisiariis Alexandrini Petri adversum quem ierat, de custodia sit producta. Quapropter * Vitalem quidem & Misenum, cur vel impulsi ad ista consenserint, honore simul & communione apostolica censura privavit. Sed * cum apud barbaras etiam nationes atque ipsius deitatis ignaras, pro exsequendis negotiis vel humanis, jure gentium legationis cujuslibet habeatur sacrosancta libertas; notum est omnibus, quanto magis ab imperatore

* Nicolaus I. papa epist. IX.
* Ibid. post pauca

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 488.



Romano & Christiano principe, in rebus præsertim divinis, oportuerit intemeratam servari? Deinde legatione summota, quæ apud vos, ut dictum est, nec beati Petri Apostoli inviolata esse jam potuit, tranquillitas tua litterarum saltim tenore cognoscat sedem beati Apostoli Petri Alexandrino Petro, olim justeque damnato, ac nihilominus per sententiam synodalem nuper eliso, communionis numquam vel præbuisse vel præbituram esse consensum. Quia, ut cetera nunc omittam, ab hæreticis institutus, contra fas omne catholicæ præsidere non possit ecclesiæ. Unde quoniam adhortationem meam duxistis onerosam, in vestro relinquo deliberationis arbitrio, utrum beati Apostoli Petri, an Alexandrini Petri, cuiquam sit eligenda communio. Qualis autem Alexandrinus exstiterit, vel quemadmodum falsi nominis sacerdotium per unum vix suæ complicem pravitatis temerarius usurparit, atque in damnatorum fuerit etiam apud vos dudum sorte numeratus, suffragatoris ejus Acacii litteris ad sanctæ memoriæ decessorem meum datis quarum exemplaria subdita cernitis, adprobate.

II. Utrum vel episcopus dici valeat, quod nomen etiamsi a pluribus episcopis accepisset, habere non posset, vel orthodoxis plebibus contra Nicænam synodum, contra observantiam singularem, mereatur imponi, promta in Deum pietate perpendite. Ubi etiam apparet evidenter, Acacium qui excessus suos sub vestro potius nomine celare voluit, quam vobis profutura suggerere, tam saluti vestræ devotionem deferre sinceram, quam fidelem conscientiam circa patrum regulas, atque ipsum dogma gestaret catholicum. Propterea hunc eumdem, utpote qui multa contra scita veterum nefaria perpetrarit, & ejus laudator emerserit quem adseruit & ipse damnatum, & ab apostolica fecit sede damnari, ac [a] rursus ædificans quæ ante destruxerat, prævaricatorem se ipse constituit; eorum quos sequi maluit portioni districtionis apostolicæ, per Tutum Romanæ ecclesiæ Defensorem, justa deputavit auctoritas, atque a communione & dignitate apostolica, qua se ipse ejus externis sociando monstravit indignum, legitima severitate discrevit.

III. Puto autem quod pietas tua, quæ etiam suis mavult vinci legibus quam reniti, cælestibus debeat parere decretis: atque ita humanarum sibi rerum fastigium noverit esse commissum, ut tamen ea quæ divina sunt per dispensatores divinitus attributos percipienda non ambigat. Puto quod vobis sine ulla dubitatione sit utile, si ecclesiam catholicam vestri tempore principatus sinatis uti legibus suis: nec libertati ejus quemquam permittatis obsistere, quæ regni vobis restituit potestatem. * Certum est enim hoc rebus vestris esse salutare, ut cum de caussis Dei agitur, juxta ipsius constitutum regiam voluntatem sacerdotibus Christi studeatis subdere, non præferre: & sacrosancta per eorum præsules discere potius, quam docere: ecclesiæ formam sequi, non huic humanitus sequenda jura præfigere. Neque ejus sanctionibus velle dominari, cui Deus voluit clementiam tuam piæ devotionis colla submittere: ne dum mensura cælestis dispositionis exceditur, eatur in contumeliam disponentis. Et ex hoc quidem de his omnibus conscientiam meam ante tribunal Christi caussam dicturus absolvo. Vestræ mentis intererit, magis cogitare, & in rerum præsentium statu sub divina nos examinatione subsistere, ac post hujus vitæ cursum ad divinum consequenter venturos esse judicium. *Et alia manu.* Data Kalendis Augusti *. Venantio V. C. consule.

* D. 10. *Certum est hoc.*

* An. 484.

EPISTOLA II.

FELICIS III. ad clerum & plebem Constantinopolitanam.

Ne turbentur ob prævaricationem legatorum: atque ut Acacii a sede apostolica damnati communionem devitent.

FELIX clero & plebi orthodoxis Constantinopoli constitutis dilectissimis filiis salutem.

I. PRobatam cunctis vestræ fidei firmitatem Vitalis atque Miseni non inrationabiliter opinamur prævaricatione turbatam: qui universa quæ illis mandata sunt, non tantum negligendo, verum etiam impugnando, fecerunt ut ecclesia Romana consentire damnatis hæreticis crederetur: quando contra vetitum his qui a Petro illo * hæretico, parricidarum socio, olim justeque dejecto & totiens anathematizato, directi atque ab Acacio suscepti sunt, nostrorum immemores mandatorum, communicare convicti sunt, nulla contestatione præmissa, quam tamen, sicut his præceptum fuerat, religio vestræ sanctitatis audiret: actumque est ut, sicuti prædiximus, excessus illorum noster crederetur assensus. Quos & ordinibus suis, & veneranda divini mysterii perceptione privavimus. Nullus ergo vestrum per tale commissum sit immemor sui, nec nos æstimet in apostolicæ traditionis defensione deficere, quos videt fidei contumeliam in proditores & perditos vindicasse.

* Mongo.

II. Scire vos quoque decuit, Acacii * quondam episcopi varietatem inconstantiamque detectam. Qui cum de Petro isto, sicut probatur adnexis, non ferenda retulerit, atque olim dixerit fuisse damnatum, per legatos nostros multis laudibus prosecutus, contra conscientiam fecit, & utrum ei quidquam credendum sit, omnes qui timorem Dei ante oculos constituunt, judicabunt. Alienarum quoque provinciarum sibi jura defendens, sanctorum trecentorum decem & octo patrum canones illicitarum sibi ordinationum præsumtor est conatus evertere. Quorum etiam ob hoc subjacet ultioni: nec Romanæ, id est apostolicæ sedis, qua se ipse privavit, communione jam gaudet: quando Petri Eutychianistæ socius & susceptor apparens, damnationis ejus se participem indicavit. Quem nostra quoque sententia ministerii episcopalis officio & sancta communione, vestroque numero, id est Christiano, judicavit alienum, sicut reperitur in adnexis. Filio autem nostro Salomoni presbytero, quem Acacius, ut placeret hæreticis, suo privare putavit gradu, gradum proprium sententia vestra conservet, vel omnes qui forte a memorato propulsi, in locis suis & in nostra communione manere pronuntiet. Quamvis autem zelum vestræ fidei noverimus, monemus tamen, ut omnes qui catholicæ fidei volunt esse participes, ab illius se communione abstineant, ne, quod absit, simili subjaceant ultioni.

* quem depositum erat die 28. Julii an. 488.

a Galat. II. 18.

A

EPISTOLA III.

FELICIS III. papæ ad monachos urbis Constantinop. & Bithyniæ.

Tutum ecclesiæ Defensorem prævaricationis caussa fuisse damnatum: & quomodo ipsi in suos qui Acacio adhæserint, animadvertere debeant.

FELIX Rufino, Thalasio, presbyteris & archimandritis, & ceteris monachis circa Constantinopolim & Bithyniam constitutis.

I. Diabolicæ artis astutias frequentius experimur, sed malignitati ejus, Deo juvante, non cedimus. Nam cum ea quæ totiens pro constantia fidei disponuntur fraus ejus vacuare molitur, necesse est ut & viribus quas divina gratia subministrat, conatus ipsius exstirpemus. Acceptis itaque litteris dilectionis vestræ quarum Basilius fuit lator, inter cetera * Tutus quem ob hoc feceramus Defensorem ecclesiæ de provectioribus intra ecclesiam clericis, ut quam dirigi non licebat, in Acacium sententiam ipse portaret, se quadam dementia, immo ardore pecuniæ, postquam nostris satisfactum est constitutis, inimicis fidei vendidisse convictus est atque confessus. Lectæ sunt enim litteræ ipsius in conventu fratrum, † qualiter pacta, interposita persona, Maronæ condemnato, ei cui sententiam portarat inhæsisse creditur: quas proprias esse cognoscens, non potuit diffiteri. Unde eum fidei & sedis apostolicæ proditorem, officio Defensoris quod ei ad tempus dederamus exuimus, eumque sacrosancti mysterii communione privatum præcipitarique cognitione præcepimus, monentes dilectionem vestram, sicut semper fecistis, pro custodia veritatis, jugi observatione vigiletis.

* De quo supra epist. I. & II.

II. Et quia non est dubium, nonnullos ex monasteriis vestris esse deceptos, atque ad inimicos Dei seu sponte seu necessitate transisse; observandum vobis de talibus hoc esse mandamus, ut quisquis cujuslibet loci apud vos, vel sponte se dedit vel mercede corruptus, collegii vestri sit prorsus alienus. Quia nisi a fidelibus perfidi sint remoti, rerum discretione sublata, laborabunt suspicionibus innocentes, ut ad vitia facilis hominibus est prolapsus. A probatorum consortio contagia repellenda sunt perditorum, quoniam mores bonos colloquia, sicut scriptum est [a], perversa corrumpunt. Illorum vero aliter caussa tractanda est, quos constiterit pœnis gravibus ut traducerentur afflictos. Circa quos humaniores vos esse convenit, ut ad cellulas sub districtione pœnitentiæ revertantur, & fidelioribus lacrymis eorum quod lapsi sunt expietur, donec exclusis inimicis & perversoribus suis catholica purgetur ecclesia.

EPISTOLA IV.

FELICIS III. papæ ad Zenonem imperatorem *

* An. 490. post mortem *Acacii P. CP.* ejusque successoris Flavitæ.

*Laudato ejus studio in ordinatione novi episcopi, hortatur ut in Acacii Petrique nominum damnatione, de qua episcopi * legati nihil sibi mandatum responderant, cum ecclesia Romana consentiat.*

* Labbeus legit *cleri* pro *episcopi*.

FELIX ZENONI imperatori.

B

I. Dignas referre Deo nostro gratias fateor mens humana non sufficit, quod tantam religionis curam in vestræ pietatis sensibus miseratio divina constituit, ut eam & universis negotiis anteponi, & soliditate reipublicæ contineri, quam veraciter Christiano, tam augusto judicio censeretis: quia re vera propitiatione cælesti rerum subsistit universitas. Ex qua mirabili devotione vestræ clementiæ processisse cognosco quidquid pro divini cultus reverentia celebratus tranquillitatis vestræ sermo depromsit. Ut scilicet firmare catholicæ fidei cupientes unitatem, ecclesiarumque pacem magnopere roborari, talem studeretis præfici Constatinopolitanis * antistitem, qui superno munere prosequente, & morum probitate fulgeret, & præ omnibus orthodoxæ veritatis polleret C affectu. Magnam igitur, egregie princeps, capio de utroque lætitiam: cum & in tuæ serenitatis animo, sicut in sæculi fastigio constitutum, ita præcipuum ecclesia filium Deo factore suscepit: & eum ipsum de cujus pontificio gloriamini, dum ad beati Petri Apostoli sedem suæ refert dignitatis exordium, jam suæ dedisse gaudeo moderationis indicium. Ubi simul & magnanimitas vestra resplendet, quando ecclesiæ caussam, sicut divinitus institutum est, pontificum desiderat ordinatione componi, & qui in sacerdotii perhibetur provectus officium, optat inde fulciri, unde Christo cupiente profluit cunctorum gratia plena pontificum. Cujus etiam litterarum me refovet intentio, qua sicut decet Christo placere nitentem D, & summum Apostolorum beatum Petrum & petram fidei esse non tacuit, & [b] eidem mysteriorum claves creditas fuisse cælestium prudenter struxit, utque nobiscum circa orthodoxam fidem consentientem haberet assensum quo amplius unanimis redderetur, expetiit.

* Euphemius is fuit.

II. Gratissimis igitur professionibus hujus, & votis copiosa lectione patefactis, mox ut etiam filios meos sancti propositi monachos pariter venisse conspexi, difficultates omnes quæ primitus obstrepebant, hac credidi dispositione summotas: atque ideo venientibus clericis eas præter consuetudinem sociatas esse personas, quæ Petro vel Acacio non communicasse E viderentur; ut illorum nominibus sequestratis per quos scandalum contigisset Ecclesiis, sincera deinceps caritas proveniret. Quibus rite perpensis, nihil aliud mihi supererat gratulanti, nisi ut his qui fuerant destinati, apostolicæ sedis communio traderetur. Sed cum pro catholica fide cautius admonerem, ut suscipientes eam se a consortio retraherent damnatorum, non sibi hoc mandatum omnino dixerunt. Qua rerum diversitate permotum, anxium me hæsisse profiteor; cum aliud

a I. Cor. xv. 33. b Matth. xvi. 19.

† Doctissimus Valesius lib. II. *Observat. ad Evagrium* pag. 183. monet corruptum esse hunc locum, quem sic restituendum existimat: *Qualiter pacto interposito, per senem Maronam condemnato ei qui sententiam portarat, inhæsisse creditur*: tum idem V. C. loci totius sensum & rei gestæ modum exponit. — BAUN. Sirmond. editor in præfat. ad tom. I. §. x.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 488.



litteræ & ipsa rerum ratio demonstraret, & aliud memoratorum contineret assertio. Puramque volens cum eo qui pontifex creatus asseritur inire concordiam, gloriæ vestræ suggerere properavi, ut nihil residere patiamini, quo denuo quidquam valeat dissensionis oboriri. Quia dum per synodum Calchedonensem quam se dudum litteris designavit tua clementia venerari, Eutychem atque Dioscorum constet esse damnatos, & eorum sectatores plurimis illarum partium documentis Timotheus & Petrus extitisse monstrentur, atque eorum communionem, etiam si prohibitam, secutus Acacius, quos ipse epistolis suis hæreticos dixerat esse damnatos: sententia illius concilii convincuntur adstringi, & in ipsorum pœnam merito recidisse quorum elegêre consortium: sicut in ceteris hæresibus facta semel synodus abjecti cujuslibet erroris cunctos sequaces consequenter involvit.

III. Quæso igitur, gloriosissime, nec in successoribus resovere judicemur, quod manifestum est in auctoribus fuisse damnatum: nec Petri putetur legitima provenisse purgatio, quem non secundum morem veterum apostolica sedes, quæ ligavit, absolvit. Scit enim Christiana mens tua, venerabilis imperator, quoniam delicta mortalium secundum conscientiam relaxandi non nisi pontificibus suis ordine competenti superna dederit dispensatio facultatem. Qui Petrus tamen, si vere receptus esset, veniam mereri debuit, non honorem; qui a damnatis atque hæreticis falsum sacerdotii nomen accipiens, catholicæ non poterat ecclesiæ præsidere. Hæc ego reverentissime princeps, beati Petri qualiscumque vicarius, non auctoritate velut apostolicæ potestatis extorqueo, sed tamquam sollicitus pater, salutem prosperitatemque clementissimi filii manere cupiens diuturnam, fidenter imploro. Ecce desideramus, optamus, ambimus ecclesiam Constantinopolitanam, sicut semper, habere connexam. Exuantur obsecro ab his qui nostri non sunt, & nos quoque volumus esse nobiscum. Postulationes certe gentium barbararum, venerabilis imperator, pro quiete mundani regni publice benignus exaudis: quanto præstantius quæso te, preces apostolicæ sedis pro sacrarum tranquillitate rerum placatus admittis? Hoc enim hoc expedit, ut si utraque Roma pro mutuo pignore nuncupatur, fiat utriusque una fides illa Romanorum, quam per universum mundum prædicari beatus Paullus testatur Apostolus [a], sicut apud nostros floruit indiscreta majores: & quæ genere concordat ac nomine, non sit religione divisa, per quam etiam discrepantia copulantur.

IV. Putas ne me, venerabilis imperator, non cum lacrymis ista profundere, & velut præsentem ad tuæ pietatis vestigia? Nec enim piget, in tali maxime caussa, imperialibus officiis inclinari, cum se Apostolus omnium factum dicat [b] esse peripsema. Hæc diutius tacui, ne aliis contraria suggerentibus irreverentiam meis potius litteris commoverem. Verum nunc facultate percepta, qualiter vigeat in meo corde vestræ pietatis affectus insinuo: quia successus traditæ vobis divinitus potestatis superna cupio propitiatione constare. Neque venerande fili, respuas supplicantem, neve meam velis dissimulare personam. In me enim qualicumque vicario beatus Petrus Apostolus, & hæc in illo qui ecclesiam suam discerpi non patitur, ipse etiam Christus exposcit. Absit ut huic quemquam Christiana mens tua vel possit vel debeat anteferre, quem pro te votis omnibus desideras exorari. Præsertim cum tanta sint illa vel talia, quæ tyrannide deleta pro fide catholica gessisti & geris, ut plena a Deo vestræ conscientiæ experimenta teneamus. De quibus etsi quid fortassis omissum est, non respicit nisi perfidi virus Acacii: qui dum inlicitis crescere tendit augmentis, ea quæ rectæ religioni congruerent, vobis inter curas publicas occupatis destitit intimare. Nam pietas tua quomodo non sequendum potius existimaret, quod fecisse conspiceret sacerdotem? Unde divino judicio nullatenus potuit, etiam cum id mallemus, absolvi. Quapropter magis magisque supplicare non desino, ut cum suis nominibus atque personis feralis illa caussa transierit: quo nos, annuente Domino nostro, certa perfectaque lætitia necti valeamus cum præsule nunc creato, beati Apostoli voce dicentis: [c] *Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transierunt: omnia facta sunt nova.*

V. Litteræ certe vestræ catholicæ fidei prædicant unitatem, pacemque ecclesiarum regia pietate pronuntiant. Quæ cum debito honore legerentur, qualiter mecum totus ordo Romani presbyterii vitam vobis prosperitatemque continuam promtus exorans, repetitis assidue vocibus acclamarit, & hi qui directi sunt audierunt, & ubique velox tam præclari nuntii legatio putabatur obviare. Necessitati populi Alexandrinæ civitatis magis in ea parte prospiciendum est, ut a pestiferi rectoris retrahatur insidiis. Concurrant omnia, rogamus omnes, ut quemadmodum docet Apostolus [d], auferatur de medio qui nos conturbat: & ea quam augustæ memoriæ Leo, pater eruditorque vester, jugiter custodivit, vel vos magnanimiter servare decernitis, ecclesiarum fida pax, vera sit unitas: quoniam cuicumque personæ paterna fides, & beati Petri communio debet præferri. Atque ad vestram gloriam, sicut imperii vestri felicitas, ita post Deum pertinere doceatur regni cælestis integritas, ut de conservatis ecclesiæ suæ legibus tranquillitatis tuæ benevolentiam Christus adsumens, & temporalia tibi dona multiplicet, & præstet æterna.

EPISTOLA V.

FELICIS III. papæ ad FLAVITAM episcopum Constantinopolitanum.

Quod legatos ejus a communione propterea suspenderit, quia de Acacii Petrique nominibus nihil sibi mandatum responderint. Hortatur ut & ipse ab his recitandis abstineat, & Zenoni id ipsum persuadeat.

FELIX FLAVITÆ episcopo Constantinopolitano.

I. MUlta sunt quæ nobis præbeant de tuæ dilectionis ordinatione lætitiam, & sperare divino beneficio cohortentur ecclesiasticæ pacis effectum. Primum quidem, quod talem te gratia cælestis elegerit, cujus a puero vita probabilis adseratur, & catholicæ fidei, quod ante omnia cupimus, prædicetur intentio. Deinde quia inter hæc munera tuæ Dominus caritati domni quoque filii nostri gloriosissimi principis votum contulit & favorem: quatenus potestatis fultus, Deo præstante, subsidio, facilius valeas expetere quæ secundum veritatem sapienter intenderis. Postremo quod omnia propemodum, quæ tui sequuntur honoris exordium, tam

a Rom. I. 8. b I. Cor. IV. 13. c I. Cor. V. 17. d Gal. I. 12.

benevolentiam nobis clementiæ principalis ostendunt, quam tuæ produnt speciem voluntatis: dum scilicet ad apostolicam sedem regulariter destinatur, per quam largiente Christo omnium solidatur dignitas sacerdotum. Quod ipse dilectionis tuæ litteræ Apostolorum summum petramque fidei, & cælestis dispensatorem mysterii creditis sibi clavibus, beatum Petrum Apostolum confitentur. Quod denique, ut amplius esse unanimes valeamus, nobiscum dilectionem tuam orthodoxæ fidei habere velle testantur assensum.

II. Quæ cum non mediocria videantur indicia quibus de tua mente nobis procedere votiva credamus, ad testimonium majus accessit, ut filii nostri religiosi monachi, rectæ fidei confessione pollentes, pariter huc venirent. Quibus utique visis, æstimavimus non aliter destinatos, nisi nominibus damnatorum a quorum isti communione distabant, de Constantinopolitana ecclesia jam repulsis. Itaque nihil superesse perspeximus, nisi ut hi qui dilectionis tuæ synodica bajulabant, communionis apostolicæ participatione fruerentur. Sed dum cum ipsis solicitius ageretur, ut si mallent beati Petri Apostoli communionem fideli corde suscipere, responderent vel se vel dilectionem tuam ab Alexandrini Petri Acaciique deinceps recitatione futuram modis omnibus alienam: illi nihil sibi tale mandatum fuisse perhibentes, oblatæ salubriter gratiæ nostræ consentire noluerunt. Qua eorum cunctatione permoti, cum litteræ venientes vel ipsa rerum dispositio aliud promittere videretur, & relatio prædictorum longe aliter quam sperabatur efferret, communionem quidem nostram contristati distulimus, quam remotis dubietatibus optabamus plenam catholicæ fidei, & hoc, quod circa orthodoxam fidem consensum nobiscum se habere promisit, arbitramur esse venturam. Alioqui nihil nobis poterit imputari, si complectentibus fœdera caritatis, beati Apostoli Petri consortio Alexandrini Petri societas præferatur. Erit enim apud Deum hominesque manifestum, talia perpetrantes non nostro vitio, sed suo prorsus arbitrio separari: idemque ante tribunal Christi modis omnibus terribiliter judicandum.

III. Non sumus pertinaces, sed dogmata paterna defendimus: quemadmodum etiam tuæ dilectionis pagina designavit, zelum pro orthodoxis ostendere nos debere. Calchedonensi concilio quod universalis sanxit & custodit ecclesia, Eutyches & Dioscorus non probantur esse damnati? An eorum complices Timotheus atque Petrus instructionibus plurimis convenientibus non docentur, sicut hi quoque quos misit tua dilectio perviderunt? An eorum communionem, frequenter & regulariter interdicentibus nobis, non est secutus Acacius, quos ipse epistolis hæreticos dixerat olimque damnatos, & male rursus ædificans, quod bene ante ipse destruxerat, secundum Apostolum [a] prævaricator apparuit? Ideoque juxta præfatæ synodi tramitem, merito illic damnatæ perfidiæ parem cuncti subiere vindictam, qui hujus maluerunt esse participes: quemadmodum contra unamquamque hæresim synodus constituta, cunctos etiam dejectæ similes pravitatis adstringit; ne in successoribus omnino reparandum esset, quod in auctoribus juste monstratur esse prostratum. Absolvi autem Petrus nulla ratione potuit sine apostolicæ sedis assensu, qua fuerat mandante seclusus, sicut de recipiendis talibus forma veterum testatur antistitum. Qui etiam Petrus, si de legitima fuisset curatione sanatus, ad indulgentiam suscipi deberet, non ad sacerdotii dignitatem; qui a damnatis atque hæreticis institutus, catholicis plebibus nulla posset ratione præponi.

IV. Perspexisti & ipse nobiscum salutaria esse quæ dicimus. Unde etiam in tuis litteris, cum de beati Petri fide loqueris, quod cum tota gratulatione legimus, catholica mente posuisti: „ Et qui „ cum eo sicut vos credunt, consona voce glorian- „ tes dispersa colligere valeamus. “ Quæro igitur quænam illa sint, vel qua rerum perturbatione dispersa. Nec alia nunc prorsus occurrunt, nisi quæ per Eutychianæ pestis ejusdem sequacium sunt excogitata vesaniam. Dilectio vero tua operam det nobiscum, quatenus possint quæ te quoque fatente dispersa sunt, colligi. Voce utor Apostoli, [b] *Obsecro vos: Nihil me læsistis*. Non hoc velut imperiosus impono, sed ut conscientiam meam convenienter expediam. Ne commissæ vobis divinitus rationabiles oves, non sine vestro discrimine, quod absit, perire sinantur, exhortor. Cogitate simul omnes qui dignitate pastorali censemini, pro Christiana fide, quæ tunc est Christi si vera est, & vivendum nobis, & si oportuerit sacrosanctæ religionis amore moriendum. Perpendite igitur ipsius vitæ semper tempus incertum: ne repente rapti ad cognitionis illius formidandæ trahamur examen. Unde propensius tamquam præsentem dilectionem tuam jure caritatis vehementer adstringimus, ut sortem infelicis Acacii perhorrescens qui sicut scriptum est [c], ut iret in locum suum, etiam nobis conantibus, non est permissus absolvi; quo vales tenore contendas, ut catholicorum illius urbis antistitum magis monstreris esse imitator, & domnum filium nostrum gloriosissimum principem conjugemque ejus, adjuncta tecum mea prece, non desinas suppliciter exorare, ut sicut devoti ecclesiæ filii, & obsecrationes nostras clementer admittant, & pro sui regni salutisque perpetuæ perfici consideratione decernant. Nec dilatæ communionis apostolicæ tua causetur dilectio tarditatem. Nollemus qualicumque difficultate suspendi, nisi respectus catholicæ veritatis obsisteret, cui dilectionem quoque tuam summis viribus inhærere vel opto, vel moneo.

V. Nomen igitur Petri & Acacii tollatur e medio: nec apocrisiariis damnati Petri misceamur, aut litteris. Et sicut ait Apostolus, [d] *Abscindantur qui nos conturbant*. Iterumque, ut ipse pronuntiat, [e] *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio*, cum nominibus personisque suis præterita caussa deleatur. Nobis Deo inspirante provisuris rationabiliter, ut scripsimus, si cuncta convenerint, ut eorum quos ordinavit vel baptizavit Acacius, salva confessione catholica, pro caritatis ecclesiæ redintegratione nihil pereat: quatenus pax illa proveniat, [f] quæ fecit utraque unum: non illa quam propheta condemnat, [g] *Pax, pax, & non erat pax*: & caritas quam tua dilectio suis sæpe litteris postulavit, pura succedat, de qua dicitur: [h] *Caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*. Nihil sit [i] commune luci cum tenebris: quia non possumus, nec debemus [k] mensæ Domini participare & mensæ dæmoniorum: ut tibi creditis ovibus præteritorum congregatione mundatis, [l] fiat unus grex & unus pastor. Scriptum esse memini-

a Gal. II. 18. *b* Gal. IV. 12. *c* Act. I. 25. *d* Gal. V. 12. *e* II. Cor. V. 7. *f* Ephes. II. 14. *g* Ezech. XIII. 10. *h* I. Tim. I. 5. *i* II. Cor. VI. 14. *k* I. Cor. X. 21. *l* Joan. X. 16.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 488.

sti, [a] *Si recte offeras, & recte non dividas, peccasti:* & propheta clamat, [b] *Inter mundum & immundum non discernebatis*. Quæ universa summatim illa circumspectione perstringimus, ut cordibus salubriter expiatis, tam firmam sine dubitatione, quam veram, tam perpetuam, quam unitam possimus tenere concordiam. Quantocius ergo super his tua nos reddat dilectio certiores: ut Deo nostro perficiente quod cœpit in compage corporis Christi, plena valeamus reconciliatione consentire.

* Codex Virdunensis hanc tribuit Gelasio: at Gelasius hoc tempore pontifex non erat, sed Felix. Liberatus Breviarii cap. XVIII. Moritur, *inquit*, Acacius, & ordinatur post eum Flavitas presbyter, qui fuit a sancta Thecla: qui non consensit sine Romano pontifice inthronizari, sed transmisit synodicam papæ Romano Felici. Qui modico vivens tempore moritur non accipiens epistolam ipsius. Vide Nicephorum lib. XVI. cap. XIX.

* edit. 1655, pag. 114.

Theophanes * *anno Zenonis* XV. *Felicis* VI.

* Hoc testimonium libro jam edito Sirmondus manu sua attexuit.

* *Ἀκακίου δὲ τελευτήσαντος Φραυίτας τρίμηνον τῆς ἐπισκοπῆς κρατήσας, ἔγραψεν Φήλικι, ὡς αὐτῷ μὲν κοινωνεῖ· Πέτρῳ δὲ τῷ Μογγῷ οὐ κοινωνεῖ. τῷ δὲ Μογγῷ ἔγραψεν· ὡς αὐτῷ μὲν κοινωνεῖ· Φήλικα δὲ Ῥώμης ἀποστρέφεται. Φῆλιξ δὲ τὰ ἴσα τὰ πρὸς τὸν Μογγὸν πεμφθέντα ἐδέξατο παρὰ τῶν ὀρθοδόξων προλαβόντα, καὶ φθασάντων τῶν ἀποκρισιαρίων Φραυίτα μετὰ τῶν συνοδικῶν, ἀτίμως τούτους ὁ Φῆλιξ ἀπέπεμψεν.*

Acacio defuncto Phravitas tres menses episcopatu potitus, Felici litteris significat, se cum illo quidem communionem habere, cum Petro Mongo nullam. Ad Mongum autem scribit, se cum illo communione conjungi, a Felice vero Romano se penitus alienum. Felix porro de litteris ad Mongum prius datis ab orthodoxis cum certior factus fuisset, Phravitæ legatos cum synodalibus litteris ad se advenientes minus honorifice tractatos dimisit.

EPISTOLA VI.

Felicis III. Papæ ad Thalasium, archimandritam CP.

Ne cum ecclesia Constantinopolitana vel illius episcopo, ipse aut monachi ejus ante communicent, quam a sede apostolica jussum fuerit.

* Thalassio.

Felix Thalasio *.

POst factas litteras quas per filios nostros religiosi propositi viros dilectioni tuæ misimus contradendas, ne quid minus pro catholicæ fidei custodia diligentior cura prospiceret, caritatem tuam duximus admonendam, ut etiamsi, præstante Deo nostro, nomina damnatorum, id est Alexandrini Petri & infelicis Acacii, fuerint de ecclesiastica recitatione sublata; ut similes perditionis eorum sacerdotii non permittantur præsumere dignitatem, non prius tua dilectio vel congregatio quam gubernas, Constantinopolitanæ ecclesiæ, vel quicumque ejus futurus est pontifex, communicandum esse decernat, quam ad notitiam sedis apostolicæ cuncta referantur, vel ipsius litteris qui fuerit creatus episcopus, vel tuæ dilectionis alloquiis. Quia sicut per professionem catholicam sedis apostolicæ formam secutus es, ut te a damnata communione suspende- A res: ita beati Petri sequi debetis exemplum, ut quando ejus auctoritate fuerit relata communio, tunc eis etiam tuum noveris miscendum esse consortium. Nec quisquam dilectioni tuæ omnino persuadeat jam nostram communionem illis partibus fuisse commissam, cum videas adhuc res in dubio constitutas, & apud nos de illic creato pontifice omnia haberi prorsus incerta. Neque posset cum eo sociari communio, cujus adhuc a nobis nec honor probatur esse susceptus, nec fides atque intentio comprobata. Exspectet ergo dilectio tua sedis apostolicæ jussionem, & sic ecclesiæ Constantinopolitanæ sacra se communione conjungat, si in participatione beati Petri & catholicæ veritatis desiderat permanere. Data Kalendas Maias. † Probo & B Fausto VV. CC. Indictione XIII.

Superiori epistolæ titulus in veteri codice præfixus est hujusmodi. Exemplum epistolæ, quam pertulerunt in legationem directi monachi, ad Rufinum, Hilarum & Thalasium, archimandritas Constantinopoli.

EPISTOLA VII.

Felicis III. Papæ ad Vetranionem episcopum.

C *Discidii ecclesiæ Constantinopolitanæ caussas exponens, hortatur ut Zenonem ad unionem cum Romana instaurandam permoveat.*

Felix Vetranioni episcopo.

I. QUod unitatis ecclesiasticæ plena cupimus redintegratione firmari, multorum relatione comperimus, dilectionem tuam & egregiis moribus divina gratia tribuente pollere, & domni filii nostri christianissimi principis familiaritate subnixam: paratamque fraternitatem tuam catholicæ fidei caussam, si manifestius panderetur, libere & prudenter adstruere. Quibus de tua mente sumtis indiciis, talem te veritatis auctorem esse perpendimus, D qualem illic desideravimus invenire. Gratamur igitur, quod [c] hereditatem suam non usquequaque Dominus repulisset, sed in eorum cordibus flammam rectæ confessionis servaret absconditam, qui sive se a communione confusa penitus abstinerent, sive in eam per ignorantiam recidissent, mallent tamen & declarari quæ recta sunt, & secundum traditionem veterum comprobata sectari. Atque ideo adloqui caritatem tuam nostro modis omnibus sermone curavimus, & de his quæ ecclesiam Christi fecerint diffidere, competenter instruere. In Calchedonensi itaque synodo, quæ de concilii Nicæni tenore procedens, pro Christianæ confessionis integritate servanda, tam auctoritate sedis E apostolicæ, quam universalis ecclesiæ est celebrata consensu, Eutychem atque Dioscorum constat fuisse damnatos. Quorum Timotheus & Petrus exstitisse docentur procul dubio sectatores, eorumque se communioni nefariæ miscuisse, etiam cum a nobis prohibitus est *, Acacius: atque ob hoc, ex forma synodi memoratæ, similem cunctos, quæ præfixa fuerat pravitati, damnationis incidisse sententiam, cujus se elegerunt esse consortes. * an. 483.

[a] Gen. IV. 7. [b] Ezech. XXII. 26. [c] Psalm. XCIII. 14.

† Labbeus aliique notaverunt erratum heic esse, scribendumque *Longino & Fausto*, anno videlicet 490. quippe annum hunc, simulque Indictionem XIII. cum Fausti junioris & Longini consulatu convenire. Probum vero consulem nullum fuisse ab anno 406. (quo Sextus Anicius Probus Arcadii augusti collega fuit) usque ad annum 502. quo Probus cum Avieno juniore consulatum gessit. — Baunius. Sirmond. editor in præfat. ad tom. I. §. X.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 488.

II. Unde merito prædictus Acacius apostolicæ sedis, quæ nunc exsecutrix utique sæpe dicti Calchedonensis concilii pro fide catholica tunc probati non defuit, * iterata excommunicatione depulsus est, ne per eum, quod absit, nos quoque reddamus complices perditorum. Neque Petrum quisquam legitime credat esse purgatum, qui non a beati Petri apostolica sede receptus est, qua fuit mandante dejectus. Bene enim dilectionem tuam nosse non ambigo, quod personam hujusmodi, cum ita ratio postularet, non nisi ecclesiasticæ legis ordine competenti, sicut divinitus constitutum est, vel possint vel debeant convenienter absolvere. Quod cum factum non sit, manifestum est Petrum in ea qua pridem fuerat perversitate ac damnatione detineri. Qui etiamsi legitime corrigi voluisset, indulgentiam consequi debuit, non ecclesiasticam dignitatem: quia ab hæreticis damnatisque falsi sacerdotii nomen assumens, ecclesiæ catholicæ nullis regulis potuit præsidere. Hæc autem quæ de prædictis gesta narravimus, documentis inde venientibus approbantur, sicut Constantinopolitani clerici qui directi sunt, agnoverunt: palamque monstratum est, Acacium se eorum fecisse participem, quos suis litteris hæreticos & retulerat ipse damnatos.

* Die Julii 28. an. 484.

III. Perceptis ergo summatim dilectio tua, quæ videntur ecclesiarum fecisse discidium, nosque perpendens non immerito pro fide catholica exstitisse solicitos, non solum deinceps se a communione damnatorum studeat custodire; sed Christi gregem qua valet industria retrahere non quiescat, & domno filio nostro christianæ mentis augusto incessabiliter suggerere non omittat, ut operis sui memor, quod fide catholica, inspirante Domino nostro, clementer dicitur exsecutus, plenam temporibus suis pacem, & Christi veritatem sinceram, ut præcipuus sacræ religionis filius & pia devotione conspicuus, tranquilla dispositione restauret, & de ecclesia Constantinopolitana Petri Alexandrini nomine Acaciique sublato, pro quo tempestas omnis exorta est, intemeratam paternæ traditionis & fidei post Dominum benignus efficiat unitatem. Quæ numquam fuisset utique temerata, si hanc imperatori christianissimo fideliter Acacius insinuare voluisset. Sed dum patrum terminos transferre molitur, & ambitionibus suis prævaricationis aditum impudenter exquirit, nec venerabilia dubitavit decreta calcare, & inter curas publicas occupato principi venerando dissimulavit quæ noverat vera suggerere: talem se conscientiam circa salutem regiam potestatemque gestare demonstrans, qualem in negotio ipsius religionis exhibuit. Unde, quod non sine divini judicii terrore dicendum est, etiam nobis si requisisset oprantibus, non est permissus absolvi. Quomodo autem domnus filius noster venerabilis imperator non hoc sibi judicare posset faciendum, quod cerneret sacerdotem vel facere vel docere?

IV. Quapropter adjuncta secum mea prece, dilectio tua sæpe dictum domnum filium nostrum supplicatione qua potest, & lacrymarum [1] professione deprecetur, ut patienter permittat [a] abscindi qui nos conturbant: ne in successoribus hæreticorum reparasse videamur, quod in auctoribus eorum certum est fuisse damnatum: priorumque consimiles opprimere non sinat ecclesiasticam dignitatem; quatenus apostolica voce dicamus: [b] *Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transierunt: ecce facta sunt omnia nova*. Ecclesiam Constantinopolitanam nobis, sicut semper, unitam sua post Deum placiditate concedat. Quoniam & hoc præsentis felicitatis ejus incrementa desiderant, & consequendæ fructus æternitatis exposcit. Dilectionem vero tuam specialiter commoneo atque contestor, in illo nostri Salvatoris examine formidando rationem mihi modis omnibus reddituram, si quæ pro integritate salutis humanæ, pro orthodoxa atque regulari constitutione majorum, & veraci atque sincera totius ecclesiæ pace reparanda delegavi, quod de tua mente non credimus, segnius exsequaris.

Ex eodem codice Virdunensi.

Felix Andreæ episcopo Thessalonicensi.

Quod plene catholicæ fidei cupimus redintegratione firmari, solicitudinem dilectionis tuæ, qua ad sedis beati Petri communionem venire desideras, libenter amplectimur: sed eam vellemus, sicut orthodoxæ veritatis cautela deposcit, ex omni fieri parte constantem.

EPISTOLA VIII.

sive tractatus Gelasii papæ.

In quo etiam ponit exempla epistolarum Simplicii papæ atque Felicis, quod Timothei Æluri vel Petri Alexandrini impietatem olim cognoverint, vel visi fuerint judicasse. Postea propriis prosequitur dictis, instruens quid adversus Græcos debeat responderi.

* * * * * * *

Ex epistola Simplicii papæ ad Acacium *.

* Data die 22. Jun an. 482. * Epist. XVII.

I. * Illud, *inquit*, me non mediocriter facit attonitum, quod iisdem litteris suis Petrum, qui hæreticorum dudum socius exstitisse probetur & princeps, quod conscientiam dilectionis tuæ meminimus non latere, instructionesque ipsas quibus fuerit confutatus, nosse confidimus, quemque etiam dubium non sit adhuc extra communionem durare catholicam, sæpeque nos de eadem ex illa urbe pellendo scripsisse sit certum, ad præfatæ ecclesiæ regimen existimet provehendum: eumque promittat rectæ fidei definitionibus convenire a cujus utique, sicut superius dixi, consortio tam degit extraneus, quam ab ejus communione discretus est. Ad quam si tunc redire contendit, nisi per satisfactionem christianis regulis competentem non potest introire: ac proinde non ad fastigium sacerdotalis dignitatis accedere, sed medelæ quæ post pœnitudinem præbenda est, consequenter aptari: animæ suæ cupiens reconciliatus auxilium, non gradum summi honoris affectans, qui diu convincitur fuisse reversus: ne per speciem remeantis non remedium sinceræ salvationis inquirat; sed facultatem propagandæ pravitatis inveniat. Quo facto non hunc magis ab errore detrahimus, quam perniciem fidelibus irrogamus: eoque modo Calchedonensis synodi statuta violantes, aditum sæva copulatione grassandi in ecclesiam lupis rapacibus aperimus. Denique ab iisdem ipsis cum quibus olim a catholica participatione divisus est, pontifex dicitur postulari: ut satis evidenter appareat, non eos rectam fidem velle, sed in præsule proprio nefandi dogmatis quærere potestatem: neque inter ipsos & veraciter sentientes pax inde possit fida generari, unde hæreticorum mentium crescit funesta damnatio & catholicorum miseranda captivitas.

II. *Ex epistola Felicis papæ ad Zenonem imp.*

* Ubi esse, *inquit*, jam consequens procul dubio perviderit, Alexandrinæ ecclesiæ pervasorem, funesta diu impunitate grassantem, vestris præceptionibus quibus merito dudum probatur ejectus esse, nihilominus addicen- * Epist. I.

a Gal. V. 12. b I. Cor. V. 17.

1. *Professione*] An *profusione*?

dum. An non ipse est, qui per xxx. annos catholicæ desertor ecclesiæ, inimicorumque ejus sectator & doctor, & ad fundendum sanguinem semper velox fuit & promtus? Numquid adhuc & istam dissimulationem quadam sumus ex conhibentia recepturi? In quo re vera non est opus discussioue subtili, quia ejus aperta sunt crimina.

Multa similia in diversis epistolis eorum diligens lector, si requirat, inveniet. Prætermitto jam scripta & admonitiones papæ Simplicii, quæ plerique vilia æstimant, & judicant contemnenda. Illud consideremus attentius, quod de eodem Petro tunc cum adhuc sanum forte saperet, judicarit Acacius, qualemque de eo sententiam ad apostolicam sedem direxerit.

III. *Domino sancto & beatissimo patri, archiepiscopo Simplicio Acacius.*

Solicitudinem omnium ecclesiarum secundum Apostolum [a] circumferentes, nos indesinenter hortamini, quamvis sponte vigilantes ac præcurrentes. Sed vos divinum zelum solito demonstratis, statum Alexandrinæ ecclesiæ certius requirentes, ut pro paternis canonibus suscipiatis laborem, piissimo stillantes sudore pro his, sicut semper est adprobatum. Sed Christus Deus noster, qui [b] diligentibus se in bonum cooperatur, nostris cogitationibus insidens, & unam nobis in his mentem atque eadem pro gloria sua esse cognoscens, omnem victoriam esse perfecit, consortes nos cum tranquillissimo principe faciens, & Timotheum quidem * decessorem spirantem procellas, & ecclesiasticam tranquillitatem, sicut apparuit, conturbantem vitæ subduxit humanæ, dicens ei: [c] *Tace & obmutesce*. Petrum quoque * qui ab Alexandria more similiter procellæ surrexerat, dissipavit, atque in æternam fugam Spiritu sancto flante convertit, unum & ipsum de his qui olim fuerant & ante damnati. Sicut enim in nostris archivis inventum est, & de vestris scriniis, si dignamini requirere, poteritis agnoscere, quæ in tempore de eodem subsecuta, ab Alexandrino episcopo Romam ad alterutrum sint relata. Qui Petrus filius noctis existens, & operum diei lucentium alienus apparens, omnino tenebras ad latrocinium peragendum congruas eorum cooperator inveniens, media nocte, adhuc jacente cadavere illius qui paternos canones subverterat, insepulto, subrepsit in sedem, sicut ipse arbitratus est, uno & solo præsente, & eo qui consors illius insistebat insaniæ; ita ut propter hoc majoribus suppliciis subderetur: nec quod sperabat effectum est. Sed ille quidem de se ex parte vel minima judicans nusquam penitus omnino comparuit. Timotheus autem * paternorum canonum custos, qui Davidicæ mansuetudinis exemplo subditur; & usque in finem patiens, atque potestati propriæ restitutus a Christo, propriæ sedis honore lætatur: & spiritualium filiorum voces accipiens, gratiam curationis exspectat, multiplicato in se honore a Christo principe sacerdotum.

* Ælurum.

* Mongum.

* Salophaciolus sive albus.

IV. Ecce testimonium Acacii validissimum, quid de Timotheo, quid de Petro senserit. Vere enim, sicut scriptum est in evangelio de Caipha illo pontifice, evenit Acacio. Dicitur enim de illo, quia cum esset princeps sacerdotum anni illius, de Domini dixerit passione: [d] *Expedit ut unus homo moriatur pro populo, ut non tota gens pereat*. Et subjungit Evangelista beatus Joannes: *Hoc*, inquiens, *a semet ipso non dixit, sed cum esset princeps sacerdotum anni illius, prophetavit*. Ita & hic, cum in summi esset sacerdotii dignitate locatus, utrum nolens an invitus, dubitare quippe nos ejus varietas & inconstantia fecit, verissimam de inimicis Dei tulit sententiam: quam si servare voluisset, procellam quam ab ecclesia veraciter depulerat, rursus in ecclesiam ipse non revocasset: & de quo dixerat, [e] *Tace & obmutesce*, rursus Petri personam loqui in ecclesia minime permisisset. Quem similiter procellam a sancto Spiritu dissipatam esse prædixerat, quemque filium noctis asseveraverat, & quem ab

A opere luminis alienum, amantemque tenebras latronum operibus congruas esse narrabat: qui falsum sacerdotii nomen, ab eo qui paternos, ut ipse ait, canones subverterat, artibus dolosis sibi ipse imposuerat. Hic Petrus, de quo beatæ memoriæ Timotheus catholicus, ut ipse dixit, paternorum custos canonum, Alexandrinæ quondam ecclesiæ pontifex, ad sedem apostolicam multa retulit deteriora, quam superius continentur, asserens specialiter & affirmans inimicum fidei, inimicum Calchedonensis synodi per omnes exstitisse infelicitatis conatus.

V. Quid igitur nobis faciendum est? Non credamus tot & tantis tantarum sedium sacerdotibus, B qui omnes uno ore, uno consensu, publicam & feralem humanæ salutis bestiam Petrum esse dixerunt, in cujus se communione, perniciosa conjunctione, suadente dæmonico spiritu, infeliciter sociaverat Acacius, male [f] rursus ædificans quod bene destruxerat? Nec opus plura hinc dicere, cum timentibus Deum, & formidantibus diem judicii, & ecclesiæ unitatem diligentibus, satis aperteque caussa sit clara. Hæc enim sola ratio est, quæ unitatem dividit, & concordiam dissipat: quia quamdiu prævaricatorum nomina de ecclesia non auferuntur, pacis vinculum nullatenus redintegrare permittunt. Si enim licet sectatorum vel communicatorum Eutychetis, ut fuit ejus sectator Petrus & communicator Aca- C cius, in ecclesia nomina recenseri; cur de sectatoribus & communicatoribus Arrii vel ceterorum hæreticorum, simili sorte non liceat? An minoris impietatis & perfidiæ Eutyches fuisse putatur, quam Arrius? Nemo hoc quidem sani capitis audebit dicere. Si ergo par est impietas, par sit & utrorumque detestatio: ne si semel talis fuerit intromissa licentia, omnibus exinde omnia liceant, fiatque, quod absit, tam passiva rerum confusio atque commixtio, ut nulla inter mundum & immundum sit secundum prophetam [g] certa discretio. Non est quidem nostræ humilitatis, de totius orbis dissensione ferre sententiam: est tamen nostrum de propria salute esse solicitos: quoniam [h] unusquisque pro se rationem red- D diturus est ante illud tribunal judicis & regis æterni, in quo etiam [i] de verbo otioso, [k] minimoque quadrante, sumus nostrorum rationem actuum præstituri. Unde & optamus, qualiacumque & quantacumque super nos importaverit inimicus, tolerare discrimina in sæculo præsenti, tantum ne caussas incurramus mortis æternæ.

VI. Sed dicitur de Petro, quamquam sine approbatione dicatur, præsertim de homine perspicacissimo *, qui * per xxx. annos famosus expugnator fuerat veritatis, quod pœnitentia acta susceptus sit in ecclesia: Numquam igitur per xxx. annos agere potuit pœnitentiam, nisi tunc cum episcopatus amo- E re & ambitionis ardore fervebat? O rem monstro simillimam! ante illum potuisse locum suum sacerdotii obtinere, quam posset vel brevi spatio pro tam immani crimine pœnitens videri. Sed solvit illum, inquit, auctoritate sua prius Acacius, & sic suscepit. Utinam se ipsum miserrimus omnium, secumque quam plurimos, non æternæ mortis compedibus alligaret! Qui cum superbissimo perflatus spiritu thronum humilitatis altius efferre conatur quam decuit, & præsumtionibus suis aditum undecumque conquirit, simulque per fas & nefas calcat & transit inviolabilia statuta sanctorum, cum ipso quem imitatus est auctore superbiæ, in profundissimam

* Forte *pervicacissimo*.

* ab an. 452. ad 482.

a I. Cor. XII. 28. *b* Rom. VIII. 27. *c* Marc. IV. 39. *d* Joan. XI. 51. *e* Marc. IV. 39. *f* Gal. II. 18. *g* Ezech. XXII. 26. *h* II. Cor. V. 10. *i* Matth. XII. 36. *k* Matth. V. 26.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 488.

ruinam dejectus, id dereliquit ecclesia, unde lugerent pacifici, fidelesque & humiles flerent. Si enim ille modum temperata potestate servasset, nec Petrum hæreticum, nullo regulari ordine absolutum, pro ejus audaci temeritate, in sua societate hodie ecclesia suspiraret assumtum: nec caritatis quæ omnium virtutum est perfectio, & sine qua secundum Apostolum [a] inania sunt universa quæ facimus, tanta filii pacis dispendia paterentur, nec [b] mordendo invicem consumerentur invicem. Sed quolibet modo dicatur Petrus esse susceptus, apparet tamen eum fuisse hæreticum, qui pœnituisse pro perversitate defenditur: & quod pravus & infidelis fuerit, & de ecclesia ecclesiastico jure projectus, ambigi dubitarique non potest.

VII. Sed concedamus paullisper pœnituisse eum, quod nullatenus verum est; videndum ergo est quomodo, id est, utrum qui ordine competenti, regulari severitate excisus & exstirpatus est, pœnitens recte & consequenter receptus sit. Sed numquam docebitur, numquam monstrabitur, numquam omnino probabitur, ejus purgationem fuisse legitimam, quæ non est competentibus regulis celebrata. Secundæ enim sedis antistitem nec expellere quisquam, nec revocare, sine primæ sedis assensu, vel potuit vel debuit. Nisi forte confuso jam ordine rerum atque turbato, nec prima, nec secunda, nec tertia sedes debeat observari vel suscipi secundum antiqua statuta majorum, & sublato capite, ut videmus, omnia membra vario inter se compugnent certamine, fiatque illud quod de populo scriptum est Israel: [c] *In illo tempore, non erat dux in Israel: unusquisque quod placitum erat in oculis suis, faciebat.* Qua enim ratione vel consequentia aliis sedibus * defendendum est, si primæ beatissimi Petri sedi antiqua & vetusta reverentia non defertur per quam omnium sacerdotum dignitas semper est roborata atque firmata, trecentorumque decem & octo patrum invicto & singulari judicio vetustissimus judicatus est honor? Utpote qui Domini recordabantur sententiam: [d] *Tu es Petrus, & super hanc petram fundabo ecclesiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cælorum: & quæcumque ligaveris vel solveris in terra, erunt ligata vel soluta in cælo.* Et rursus ad eumdem: [e] *Ecce ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando convertere, & confirma fratres tuos.* Et illud: [f] *Si amas me, pasce oves meas.*

* Forte *deferendum*.

VIII. Quare igitur ad Petrum tam frequens Domini sermo dirigitur? Numquidnam reliqui sancti & beati Apostoli non erant simili virtute succincti? Quis hoc audeat affirmare? Sed * ut capite constituto, schismatis tolleretur occasio; & una monstraretur compago corporis Christi, quæ ad unum caput gloriosissima dilectionis societate concurreret: & una esset ecclesia cui fideliter crederetur, unaque domus unius Domini & unius redemptoris, in qua [g] de uno pane & de uno calice nutriremur. Qua ratione, sicut dixi, majores nostri, reverendi illi ecclesiarum magistri, clarissimaque illa populi Christiani lumina, quos merita virtutum suarum usque ad confessionis gloriosissimas palmas & martyrii fulgentes extulere coronas, ad illam sedem quam princeps Apostolorum sederat Petrus, sui sacerdotii sumta principia repleti Christi caritate mittebant, suæ inde soliditatis gravissima firmitatis roboramenta poscentes. Ut per hanc speciem omnibus appareat, vere unam esse per omnia & indissolubilem Christi ecclesiam, quæ concordiæ vinculo mirabilique caritatis textura composita, sola & [h] indivisa per totum ostenderetur esse tunica Christi, quam nec milites ipsi qui Dominum crucifixerunt, dividere ausi fuissent. Quæ nunc si propter perfidiam Petri, Acacii tyrannicam superbiam impiamque præsumtionem ejus, violatur atque conscinditur; videte & sapienter expendite, in quam grave periculum nostra deducitur conscientia, dum tanta majorum solvitur observantia.

* Hieronymi verba lib. I. adversus Jovinianum cap. XIV.

IX. Quis enim non agat quodcumque libuerit, si semel in consuetudinem corruptus ordo pervenerit? Si autem hoc sacrilegum est etiam cogitare, cur non cum diligentissima observatione teneatur hæc forma majorum, cum sit in hoc observationis tenore ineffabilis indubitatæque unitatis evidens & grande mysterium? An duæ sunt ecclesiæ, & duo pastores? Absit. Unus est enim [i] qui fecit utraque unum, tollens de medio inimicitiarum parietem in corpore suo. Cur ergo per Petri & Acacii nomina rursus inimica sepis intexitur, quam semel Christi crux, mors & sanguis destruxit & solvit & evertit? Non ergo dividat eos interpositum Petri & Acacii nomen, quos tanti mediatoris pretiosus sanguis univit. Postremo æquum est, ut qui alios libenter & competenter vultis subjectos, cedatis & ipsi antiquo more majoribus, ut confidenter imperare possitis minoribus vestris. Duodecim certe fuere Apostoli, paribus meritis parique dignitate suffulti: cumque omnes æqualiter spirituali luce fulgerent, unum tamen principem esse ex illis voluit Christus, eumque dispensatione mirabili in dominam gentium Romam direxit, ut in præcipua urbe vel prima primum & præcipuum dirigeret Petrum. Ibique sicut doctrinæ virtute sublimis emicuit, ita sanguinis gloriosa effusione decoratus, æterno hospitio conquiescit, præstans sedi quam ipse benedixit, ut [k] a portis inferi numquam pro Domini promissione vincatur, omniumque sit fluctuantium tutissimus portus. In quo qui requieverit, beata & æterna statione gaudebit: qui vero contemserit, ipse videbit qualia genera excusationum in die obtendat judicii. Me enim credo, spero, confido in Christo, quod [l] ab ejus caritate nec tribulatio, nec angustia, nec gladius, nec persecutio, nec vita, nec mors umquam poterit separare. Incumbat persecutio, sæviant leges: militi Christi gloriosus est mori, quam vinci: fraudari præsentium commodis melius, quam carere futuris.

Æneas episcopus Parisiensis libro adversus Græcos.

* Rursus papa Gelasius de eadem re reddidit rationem ad episcopos orientis eosque admodum reprehendit, quare talibus præsumtionibus non repugnaverunt. Hujus itaque rationis initium tale est: *Quid ergo isti prudentes viri, & argutis mentibus potius religionis interna rimantes*, cet.

* Adscriptum Sirmondi manu, editis jam his epistolis.

a I. Cor. XIII. 1. b Gal. V. 15. c Judic. XXI. 24. d Matth. XVI. 18. 19. e Luc. XXII. 32. f Joan. XXI. 17. g I. Cor. X. 17. h Joan. XIX. 23. 24. i Ephes. II. 14. 2. k Matth. XVI. 18. l Rom. VIII. 37.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 488.

EPISTOLA IX.

Gelasii papæ ad episcopos orientales.

Quod in Acacii aliorumque damnatione synodo nova opus non fuerit: & quod Petrum Alexandrinum absolvere Acacius sine sedis apostolicæ auctoritate non potuerit: tum de episcopis catholicis sede sua sine discussione dejectis.

Dilectissimis fratribus universis episcopis orientalibus Gelasius.

* * * * * * * * *

I. QUid ergo isti prudentes viri, & argutis mentibus totius religionis interna rimantes, in orientis partibus constituti, si cognoverunt hujusmodi * personam in Antiochena ecclesia constitutam, cur communicando talibus præbuere consensum? Cur non illico reclamarunt, cur non se a tali contagio removerunt, cum * tam evidenter adverterent, ideo Calendionem depulsum *, ut hæreticis panderetur introitus? Quare heic nihil de synodo, nihil de re, nihil de fide Christiana, nihil de personarum examinatione tractarunt? Si vero illi eorum se communioni voluntarie subdiderunt, ab apostolica sede certe separati sunt; cum talibus & apud tales, etiamsi esset necesse fieri, nulla posset omnino synodus provenire. Quod si ignorasse se dixerint qualis Antiochiæ post Calendionem successisset antistes; quid mirum, si qui in oriente positi, quæ in regione sua contigerint scire nequiverunt, ea quæ apud apostolicam sedem gesta fuerant ignorarent? Cur tamen, postea quam ad eorum notitiam pervenit qualis esset sacerdos apud Antiochiam constitutus, non ejus consortia continuo respuerunt? Quid excusationem de ignorantiæ colore prætendunt, cum hodieque & manifestata contagia perfidorum, & a nobis sæpius exprobrata sectentur? Quo satis apparet, quia ne tunc quidem etiamsi cognoscerent, refutarent, quando nunc etiam publicata non renuunt. Prorsus in quamlibet se partem caussationemque convertant, manifestæ veritatis ita laqueis suffocantur, ut suis ipsi verbis possint actibusque concludi, nec nisi solam perniciem obstinatæ perfidiæ residuam ventilare.

* Petrum Gnapheum.
* jam.
* an. 483.

II. Hæc autem quæ de Calendione venerabili dicta sunt, & in Joannis Alexandrini conveniunt certa ratione personam. Immo, si caussa eadem latius inquiratur, tantæ illic tragœdiæ, tanti reperiuntur errores, ut si ipsi sint judices qui eadem perpetrarunt, cum evidenter fuerint confutati, a sui damnatione non temperent. Palam enim illic aperteque monstratur, nihil aliud quam quæsitam caussam, quemadmodum, catholico qualicumque depulso pontifice, hæretico Petro reseraretur accessus. Tunc istud nemo discutiebat: synodum nemo poscebat: passim omnia licito fieri a quibuscumque videbantur: nullum discrimen rerum, nulla examinatio postulabatur ecclesiæ: sed prout de unoquoque venisset in mentem, de suis urbibus catholicus pellebatur episcopus, non solum metropolitanus, sed etiam * tertiæ & * secundæ sedis antistites. In his nulla rerum vestigatio quærebatur, nulla facienda concilia jactabantur. Subrogabantur hæretici, nemo resultabat; sed velut muta pecora in captionem ducta, subditis voluntatibus perfidiam sectabantur.

* Calandio Antiochenus.
* Jo. Talaia Alexandrinus.

III. Non mirum quidem, si nunc eos defendere moliantur, quorum indiscussam cæcis mentibus secuti sunt vilitatem. Sed miramur, cur eos non pudeat in istorum damnatione de synodo non facta caussari, cum sciant tot tantosque pontifices nulla synodo fuisse depulsos. Si in istorum rejectione de non inito concilio conqueruntur, cognoscant se, cur non & hoc in aliorum rejectione quæsiverint, accusari. Si vero in ceterorum rejectione concilia necessaria non fuerunt, nec in istis necessaria fuisse cognoscant. An in catholicorum dejectione non fuit opus, & fuit magnopere congreganda in prævaricatoris damnatione confessi? Quid igitur restat, nisi ut dicant hæreticos non fuisse? Non ergo de synodo conquerantur, qui se palam communionis externæ perhibent sectatores. Cur enim eis synodus necessaria fuisse videatur, qui se contra Calchedonensem synodum venire cognoscunt, qua Euthychianus error cum auctoribus generali ecclesiæ voce damnatus est? Nec dubium, quod sicut in unaquaque hæresi, quod incessabiliter repetendum est, quia firmum esse nullus ambigit Christianus, omnes complices, sectatores, communicatores damnatæ semel pravitatis pari forte censentur. Ideoque fit consequens, ut sicut Timotheus atque Petrus talium sectatores, secundum illius tenorem synodi, nulla recenti facta pontificum congregatione damnati sunt: & sic qui Petro communicavit Acacius, ut criminis particeps, ita consors sit factus & pœnæ.

IV. Quid igitur ambagibus & nebulis ista prætexunt, ut impudentiam suam mentemque vesanam inanibus potius fabulis velare letaliter, quam prodendo medicinaliter sanare contendant? Nihil enim nobis commune cum hominibus communionis externæ. Ideo vocatur ad judicium certe quæcumque persona, ut aut fateatur objecta, aut convincatur objectis. Post confessionem porro litterarum tenore depromtam, cur ad judicium vocaretur Acacius, qui se confessus est Petro, quem petita sedis apostolicæ [1] perceptione damnarat, communione sociasse: nec ei credi jam externæ communionis effecto, vel pro sua, vel pro illorum, vel pro Petri defensione jam posset, cui se prius miscuerat nefando consortio, feceratque se cum ejus caussa sine dubitatione communem? Cui examinatione præmissa, & legitima si ita esset purgatione suscepto, regulariter misceretur. Sed cum eodem nondum legitime discusso atque purgato communione sociatus, quam adhuc reo se miscuit, tam pro eodem non habuit loquendi fiduciam. Nam cum Acacius nullo privilegio fulciretur, ut de secunda sede * posset ferre judicium, non potuit jure quemquam damnare. Simili modo, nisi primæ sedis * auctoritate percepta, nec examinandi Petri jus habuit, nec recipiendi penitus potestatem.

* Alexandrina.
* Romana.

V. Quo regulariter constituto, nec apud nos Petro ullatenus absoluto, quem damnasse nos novimus, examinasse vel absolvisse nescimus: restat ut illud etiam demonstremus, eumdem Petrum quem se purgatum communione recepisse prætendit Acacius, numquam ab hæreticæ communionis contagio cessasse; ac non solum ipso tempore quo communicavit Acacius, sed etiam post communionem prævaricatoris Acacii, semper Alexandrinum Petrum in hæreticorum collegio perdurasse. Atque ita & per hunc Acacium perfidæ communionis suscepisse contagium, & per eamdem illis hæreticis quibus Petrus communicabat, eadem peste conjunctum. Qui præsumsit non servato ordine Petrum suscipere,

1. *Perceptione*] Forte *præceptione*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 488.

nec examinatum eum, nec cognoscitur recepisse A purgatum: & ideo præter sedis apostolicæ notitiam non legitimam sibi ejus receptionem usurpare voluisse, ut examinationem ejus & purgationem posset pro sua voluntate mentiri, atque eum nec examinatum, nec reciperet omnino purgatum. Quem si re vera vellet examinatum purgatumque recipere, ordinem in ejus examinatione & receptione potius custodisset, ne videretur magis, quam veraciter posset jure purgare. Sicut ergo ante non prius damnavit, quam & referret & posceret apostolica potestate damnandum: sic & in recipiendo modum servare debuisset, ut prius quam se ei communione misceret, per sedem apostolicam posceret examinari eum, & legitima ratione purgari: cum nec exa- B minandi aut recipiendi eum haberet ipse pontificium, & non nisi per illius sedis auctoritatem consensumque hoc posset implere, sine cujus auctoritate eum non potuerat ipse damnare, & cujus principali diligentia & discuti potuit & purgari, & ad communionem convenienter admitti.

VI. Cum enim constet, semper aut sedis apostolicæ auctoritate hujusmodi personas, aut discussas vel esse purgatas, aut sic ab aliis quibus competebat episcopis absolutas, ut tamen absolutio eorum ex sedis apostolicæ consensione penderet: ubi utrumque defuit, nec discussionem legitimam, nec purgationem firmam, ac per hoc receptionem fuisse C constat indebitam. Si tu absque mea communione Petrum judicasti esse catholicum, meque despecto tuo eum jure recepisti; quid causseris, si illum ego a communione mea quam tu voluisti contemtam, tamquam absque tua notitia vel consultatione repulerim? Vis adquiescere? meus es: non vis adquiescere? non es meus. [a] Qui enim mecum non est, contra me est: & qui mecum non colligit, spargit. Quæro abs te: Petrum hæreticum fuisse putas, aut catholicum, an ab hæresi postea esse correctum? Si hæreticum, nullatenus eidem communicare debuisti, & eidem communicando, hæretici te manifestum est factum fuisse participem, & ejus consequenter ex synodi tenore ve- D niente damnatione constringi. Si catholicum, palam totius dogmatis es defensor, quod catholicum esse pronuntias: Ac nihilominus illius errore censeris, si hæreticum fuisse definias, sed postea correxisse prætendas, eique te purgato communicasse pronunties. Interim in cujus persona me negligendum esse credidisti, caussari non potes quod in hac eadem te ejus persona neglexerim. Deinde cum sine me jus non habueris vel absolvendi vel recipiendi hujusmodi rite personam, nec purgatam legaliter nec regulariter constat esse. Quam regulariter non acceptam, tam legaliter non constat esse purgatam; & ideo non jure purgatam, quia legaliter non receptam. Mea enim in illum manente E sententia, te sine me pontificium, ut meam sententiam resolveres non habente; qua potestate vel discussus est, vel qua auctoritate receptus asseritur?

VII. Ecce interim in his caussa vestra nutat & labitur: & si hæc sola fuit, prorsus tota subruitur. Sed est adhuc aliud, quod ad cumulum vestræ convictionis accedat. Quid enim si doceatur, non solum prius quam in ejus communionem veniretis, neque tantummodo cum ad ejus communionem venistis, sed etiam postea in hæreticorum nihilominus eum communione durasse? Nonne aut per illum apud vos communio perveniebat hæretica, aut in hæreticam communionem vos ejus commercio transibatis? Docete igitur Petrum Alexandrinum ab Antiocheni Petri umquam communione desiisse, & non usque ad diem cum Antiochenus Petrus in hac luce versatus est, individuum utriusque fuisse consortium. An dicturi estis & Antiochenum Petrum fuisse correctum, cui usque in finem se non communicasse gloriabatur Acacius? Sed quid profuit, quod illi per se ipsum communicare non voluit, cum eidem per Alexandrinum Petrum sine ulla se communicare putaret invidia? Quid facimus de tot tantisque civitatibus, ex quibus catholici pontifices sunt repulsi? Si catholici subrogati sunt, cur catholici sunt rejecti? Sed evidenter apparet, quia cum catholici sunt rejecti, non catholici sunt subrogati. Restat ut catholicis hæretici quicumque successerint. Cur eis temere communicastis? cur non, ut ista nova facies rerum, & tanta tragœdia de pontificum successione viventium a synodo discuteretur, egistis? An de uno dolet Acacio, quod speciali synodo non fuerit confutatus, cum proprium crimen suis litteris ipse detexerit, nec audiri debuerit jam sponte confessus? & de tantis pontificibus catholicis non dolet sine ulla discussione seclusis? Qui utique, si catholicos nossent eos quorum communionem vitaverant, his potius communicare maluissent, quam non communicantes eis dura persecutione depelli.

VIII. Ecce tanti catholici sacerdotes in hoc ipso se indicant, quid apostolica sedes censuerit cognovisse, constanterque probasse retinendum, quod communionem catholicam reservantes, & eos qui apostolicæ sedi communicarent, elegere consortes; & illos quibus sedes apostolica decreverat minime communicare, usque ad persecutionis incursus renuere consortes. Certe quæ sedes apostolica decreverat, orientalibus episcopis non innotuisse jactatur. Unde ergo tot tantique pontifices unum idemque cum sede apostolica sentientes, eamque probantes apta religioni sacrosanctæ veraque sanxisse, quæ non solum sequenda sibi judicaverunt, sed etiam usque ad persecutionem viriliter exserenda? Ecce habuistis qui apostolicæ constitutionis & notitiam vobis ingererent, & retinendi constantiam ministrarent. Si apostolica sedes misisset, vix duos aut tres dirigere potuerat. Ecce tot pontifices, apostolicæ sedis scita sectantes, ingerunt vobis notitiam, & præbent servandæ veritatis exempla. Qui contra tantos clausistis oculos ibidem constitutos, quomodo duos vel tres audire possetis? Hoc ipso sine dubio cognovistis illos apostolicæ sedi placere, quod vos displicere videbatis. Aut illos ergo sectamini, per quos intelligebatis sedis apostolicæ voluntatem: aut nihil est quod de ignorantia velitis obtendere, cum indiciis tantis & talibus abeuntes, sedis apostolicæ constituta, tantis testimoniis prædicantibus, respuere potius quam recipere maluistis. [1] Numquid omnes isti quos memoravimus episcopi, imperatori mentiti sunt? numquid omnes imperatoris nomen ex diptychis abstulerunt?

IX. Cum igitur pellerentur, & vivis pontificibus catholicis successores hæretici crearentur, & non de inferioribus quibusque civitatibus, sed etiam metropolitani pontifices in catholica jugiter commu-

a Matth. XII: 30.

1. Hoc prætextu Joan. Alexandrinus ejectus an. 481. & Calendio Antiochenus an. 485.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 488.

nione durantes; cur compassi non estis tantis fratribus vestris? cur non adiistis imperatorem? cur non ecclesiæ caussam, & sacerdotii miserabilem decolorationem continuatis vocibus deflevistis? allegantes * numquam de pontificibus nisi ecclesiam judicasse: non esse humanarum legum de talibus ferre sententiam absque ecclesiæ principaliter constitutis pontificibus: obsequi solere principes Christianos decretis ecclesiæ, non suam præponere potestatem: episcopis caput subdere principem solitum, non de eorum capitibus judicare. Quibus ecclesiæ conciliis, qua synodo pellerentur? quid denique commisissent, ut sine ulla discussione rerum, tot ecclesiarum præsules pro humano libitu & sæcularis potestatis arbitrio pellerentur? Inauditos, indiscussos, inconvictos non debere percelli. Maxime cum novæ caussæ, & nova rerum facies appareret, ut rectores illi plebium repentinis incursionibus, pro mundanæ potentiæ voluntate, sacris dignitatibus privarentur. Ex nulla veteri caussa, ex nullo collegio reatus, nec participio cujuslibet erroris jam ante damnati, teneri eos convincique consortes, ut tamquam ex præterita definitione judicarentur obstricti. Et ideo, quia nullis ante præcedentibus caussis retenti essent, cur ejicerentur, incursus qui illi essent, debere monstrari, & ecclesiasticis legibus, ut semper, oportere constare. Saltem vel pro vestro loco illorum duceretis miseriis consulendum, formidantes in verbis quod in aliis cerneretis præter ullum morem violenter admitti. Si crimine respersi erant aliquo, ecclesiastica debuit examinatione cognosci. Taceam & ad sedem apostolicam ex more deferri, ne nostra privilegia curare videamur.

* D. XCVI. *Numquam de pontificibus.*

X. Satis sit ostendere, quid secundum regulas, & patrum canones facere deberetis, * præcipue cum etiam ipsæ leges publicæ, ecclesiasticis regulis obsequentes, tales personas non nisi ab episcopis sanxerint judicari. Si vero de qualibet hæresi fuerant impetiti, tanto magis eos decuit ista cognoscere, qui & secundum religionis tenorem possent ista discutere, & haberent pristinum, ex quo est Christiana religio, pontificium judicandi. Aut catholici enim erant, aut hæretici, de quibus passim illa ludibria gerebantur & latrocinia detestanda sæviebant. Si hæretici, prodi, discuti & legitime convinci modis omnibus debuerant, vel suis confessionibus vel aliorum vocibus confutari. Taceo quia ad nos paterna fuerat consuetudine referendum, tantumque commoneo quid fieri ecclesiastico jure convenerat. Si vero catholici probabantur, vos qui non solum in eorum depulsione cessistis, sed etiam subrogatis communicare delegistis, indubitanter hæretici. Qui depulsis catholicis secedentibus, non ignorastis caussam fidei communionisque catholicæ per tantos antistites toto orbe patefactam: sed plane scientes volentesque, sine ulla discussione rerum, sine ulla synodali examinatione, sine ulla sedis apostolicæ reverentia, assensistis hæreticis, libenter habentes patienterque sinentes, catholicos antistites inaudita prius & miserabili sorte detrudi. Quos si a fide integra communioneque catholica putaretis errare, ad apostolicam sedem, secundum scita majorum, & sicut semper est factum, referre debuistis; sicut de Petro Alexandrino *, vel de Antiocheno Petro *, de Joanne * & Paullo fecisse monstratur Acacius. Sed quoniam noveratis eos cum apostolica sede sentire, & quid sedes apostolica sua definitione censeret, per illos tantos ac tales episcopos constat orientales antistites nullatenus ignorasse, & vos catholicæ atque

* Mongo. * Gnapheo. * Apamено.

A apostolicæ communionis prodidisse contrarios, & ab eadem defecisse, cum non illis estis passione conjuncti, sed potius persecutoribus eorum societate connexi.

XI. Heic vobis synodus numquam venit in mentem: & certe de personis, ut dictum est, nulla veteri lege constrictis. Heic nullo consilio, non unius urbis vel unius episcopi, sed totius orientis ecclesias, subiit animum vestrum facto sacerdotali concilio debere curari. Sed homines qui in contrariam partem toto proposito & toto recesseratis affectu, concilio potius necessaria etiam studio declinastis, ne per eadem tale aliquid censeretur, quo vobis, B rebus evidenter ostensis & legitime confutatis, in hæreticorum non liceret venire consortium. Quid igitur de ignorantia prætenditis, cum per totum orientem catholicam fidem communionemque sinceram sedi apostolicæ congruentem, non solum cognovisse tot pontifices videbatis, sed etiam usque ad extremum constantissime defendisse? Si nos non audieratis, quid de fide & communione catholica atque apostolica censeremus, illos adspicere debuistis, & aut sequi, si credebatis esse catholicos, aut apud apostolicam sedem potius accusare, si credebatis errasse. Quid illos juvat vel suo proposito illam tenuisse sententiam, aut cognoscendo quei sedes apostolica definiret? Aut igitur collegas & fratres de C proximo in conspectu vestro, vel catholicos sequi debuistis, vel impetere si credebatis errare: nec illis a quibus nullo discrimine vexabantur, præbere consensum, donec veritas ex omnibus patefacta constaret, & regulariter de eis ecclesiastici judicii forma procederet. Sin vero sedis apostolicæ regulam subsequendo perspiciebatis illos hanc tenere constantiam; consequenter per illos, & quid nostra definitio contineret, non habuistis incertum; & illorum persecutoribus annuendo, a sedis apostolicæ, non ignorantes ejus sententiam, consortio retrocessistis.

XII. Et adhuc dicitis ignorasse vos quid sedes apostolica censuisset, cum ab illis sacerdotibus in ca- D tholica fide & communione pollentibus, non verbis aut litteris, sed personis præsentibus, didiceritis universa, & ab eadem vos proprio judicio separasse videamini. Dicitis etiam synodum in unius hominis persona debuisse tractari, quam in damnandis tantis pontificibus catholicis non quæsistis. Quibus autem vultis, ut de talium caussarum relatione credamus? catholicis, an hæreticis? ab omni hæreticorum contagione discretis, an hæreticorum communione pollutis? Quis autem non videat illos esse catholicos & ab omni hæretica peste prorsus alienos, qui propriis urbibus detrusi & in exsilium sunt redacti? & eos qui superstitibus catholicis successores fieri ausi sunt, catholicos omnino non esse, sed E aut Eutychianos manifestos, aut eorum sectatoribus communicantes? Hæc pestis apud eos hodieque perdurat. Siquidem & cum Petro Alexandrino & cum Antiocheno Petro, indifferenter ii qui catholicis successerant communione permixti sunt, & successoribus utriusque Petri hodieque miscentur. His adde etiam illos qui licet catholicis non successerint, sed dum catholici pontifices haberentur, talium se communione junxerunt. Hæc illa mixtura, hæc est illa confusio, qua per orientem totum inter catholicam hæreticamque communionem nulla discretio est: immo qui discerni tentaverit, potius habetur hæreticus, persecutione percellitur, exsiliis & afflictione multatur.

*. Cod. Theod. de episcopis cap. XLI. & appendicis cap. XV. item lib. XVI. tit. II. cap. XXIII.

XIII. Restat ergo, ut in hac colluvione cuncto- A rum, sicut quisquis ab eadem separatus est, sinceræ communionis & ideo catholicus comprobatur: ita quisquis illius detestandi commercii particeps invenietur, quantum a sincera communione, tantum a catholica atque apostolica sit remotus. Nec prætendat quisquam, quod alicui forsitan evidentiori non communicasset vel communicare videatur hæretico. Quid enim juvat, si illi non communicet, & his tamen communione jungitur qui ab illius non sunt communione diversi? Quod si eorum nulli communicavit vel non omnino communicat, hic erit ille sinceræ, catholicæ apostolicæque communionis & fidei: alioqui nullo modo poterit indiscretæ illius mixtionis insincerum vitare contagium. Hoc B modo etiam ille vir bonus Acacius Antiocheno Petro cui se palam non communicare jactabat, per alios sine ambiguo communicasse detegitur. Neque enim ab omnium qui Antiocheno Petro communicabant, semet Acacius communione suspendit. Ac per hoc quid profuit, quod videri volebat illi palam non communicare, cui per suos complices subsicivæ communionis nectebatur? Alexandrino Petro communicavit Acacius. Sed donec advixit Antiochenus Petrus, qui utique post Acacianum cum Petro Alexandrino fœdus initum defunctus ostenditur, numquam Antiocheno Petro Alexandrinus Petrus communicare desiit. Quod catholicorum continet relatio sacerdotum, ceterorumque in catholica fide du- C rantium, nec conscientiam latere potest totius orientis.

XIV. Et ut taceam, quod per ipsum Zenonem imperatorem, qui utique Antiocheno Petro quem introduxerat, & cujus sacerdotium comprobaverat, sine dubio communione permixtus, communicabat Acacius: plurimos diversarum urbium præsules possumus demonstrare, quibus cum Antiocheno Petro communicantibus nihilominus communicabat Acacius, & per illos Antiocheno communicabat consequenter & Petro. Sed hæc apud Græcos facilis & inculpabilis putatur esse permixtio, apud quos nulla est veri falsique discretio; & cum omnibus repro- D bis volunt esse communes, in nulla monstrantur probitate constare. Hic autem ille est Petrus Antiochenus, quem nec per pœnitentiam ad communionem catholicam recipi etiam a sede apostolica poposcit Acacius. Ac per hoc queruntur a nobis Acacium fuisse damnatum, cum hac professione præmissa, & per infectos Antiocheni Petri recepta communione, se doceatur ipse damnasse. Ubi tamen non solum reus tenetur Acacius, sed omnes pontifices orientales qui pari modo in hæc cecidere contagia, meritoque simili damnatione tenentur obstricti, nec inde possint ullatenus expediri, nisi dum supersunt a talibus abstinendo. Nec nos oportet in talibus caussis nisi illis credere, qui aut omnino se sciunt E ab hujus perfidiæ nexibus divino beneficio servare discretos, aut his qui a perfidorum consortio recesserunt. Nam in perfidorum contagio constitutis, quam fidem pro sinceræ communionis testificatione possumus adhibere, qui in sincera communione sunt polluti? Nec eorum testimoniis niti pro veritate poterimus, qui impugnare non verentur falsitatibus veritatem. Restat ut non nisi illis credere debeamus, qui ab omni contagione sunt liberi.

EPISTOLA X.

Vigilii papæ encyclica ad universam ecclesiam.

Exponit caussas secessus sui ad S. Euphemiam, & quid ibi egerit cum legatis Justiniani: simulque fidei suæ confessionem interserit.

Vigilius episcopus ecclesiæ catholicæ urbis Romæ universo populo Dei.

I. DUm in sanctæ Euphemiæ basilica gravi laborantes ægritudine detineremur, piissimus atque clementissimus imperator, dominicorum die, id est, v. Kalendas Februarii, gloriosos judices suos ad nos destinare dignatus est, id est, Belisarium & Cethegum exconsules atque patricios, nec non & Petrum exconsulem, patricium atque magistrum, sed & Justinum exconsulem & curapalatii, & Marcellinum quæstorem: qui nobis dicerent, ut sacramenta percipere deberemus, & de sanctæ Euphemiæ ecclesia ad civitatem regiam remeare. Quibus tale dedimus Deo adjuvante responsum, dicentes, Nos quidem in hanc basilicam pro nulla pecuniaria vel privata caussa confugimus: sed pro ecclesiæ tantum scandalo, quod jam in toto mundo pro peccatis innotuit. Et ideo, si caussa ecclesiæ ordinatur, ut pacem ejus quam avunculi sui piissimus princeps fecit temporibus, & modo restituat; ego sacramentis opus non habeo, sed statim egredior. Si autem caussa ecclesiæ finita non fuerit, item sacramentis opus non habeo: quia numquam de sanctæ Euphemiæ basilica exire dispono, nisi scandalum ab ecclesia Dei fuerit amputatum.

II. Nam postea quam edicta sua piissimus princeps jussit appendi, omnibus episcopis diversarum partium, sed & presbyteris atque diaconibus, nec non & clericis Constantinopolitanæ ecclesiæ ad nos venientibus, in Placidiana domo, ante quam ad sancti Petri confugeremus basilicam*, facie ad faciem ita locuti sumus, Rogate piissimum principem, ut edicta sua quæ præcepit appendi, removere dignetur, & constitutum commune debeat exspectare: id est, ut scandalizati episcopi Latinæ linguæ, aut ad synodum veniant, aut certe, remota omni violentia, suas scripto declarent sententias. Quod si forte preces vestras audire noluerit, vos nulli rei præbeatis assensum quæ ad divisionem tendit ecclesiæ, nec contra constitutum comminatione aliqua veniatis. Quia si hoc forsitan, quod non credimus, feceritis, noveritis vos ex præsenti die, ut prævaricatores, a beati Apostoli Petri sede per ministerium vocis meæ communione suspensos. Et quoniam his actis non solum ea quæ commissa fuerant, nullo modo sunt correcta; sed etiam ex aliis caussis die ipso, in præjudicium regularum ecclesiasticarum, vel injuriam sedis apostolicæ, pejora præsumta sunt: nec ulterius eos communionis nostræ permisimus esse participes, nec aspectus eorum post tot prævaricationes nostri oculi receperunt. Ea enim quæ verbo de memorata excommunicatione cunctis episcopis, presbyteris & diaconibus, aliisque clericis Constantinopolitanæ ecclesiæ voce publica dixeramus, postea etiam die XIX. Kalendarum Septembrium * nuper præteritarum, in beati Petri basilica in Ormisda scripto firmavimus: in quo etiam illum * qui sub habitu episcopali lupi rapacis dominico gregi semper tetendit insidias, & assumens totius ducatum

* in Ormisda dictam.

* an. 551.

* Theodorum Cæsariensem episcopum intelligit.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 488.



ſcandali, univerſalem Dei perturbavit ac perturbat eccleſiam, de epiſcopatus ordine deponentes damnavimus; alios vero qui ſuperius memorati ſunt, a communione ſuſpendimus.

III. Sed ob hoc hactenus paginam ipſius damnationis proferre noluimus, quoniam & clementiſſimum principem pro tali ac tanto ſcandalo ea quæ facta ſunt, divini conſideratione judicii, revocare confidimus, & prædictis omnibus oportebat nos ſpatium pœnitentiæ reſervare, imitantes beatum Petrum cujus ſedem tenemus etſi immeriti. Chartam vero ipſam excommunicationis atque damnationis, cuidam chriſtianæ perſonæ tradidimus conſervandam: ut ſi forſitan hi qui exceſſerant nullo modo corrigere voluiſſent, aut ſi nobis vis aliqua irrogaretur ſive quælibet inquietudo fieret, vel certe humana ſorte tranſitus de hac luce contingeret; mox eam in celeberrimis locis proponeret, quatenus ejus notitia chriſtianis omnibus patefacta ſervaretur in poſterum. Dum hæc autem præfatis judicibus diceremus, rogavimus & conjuravimus eos, invocato omnipotentis Dei judicio, ut clementiſſimo imperatori hoc quoque ex nomine noſtro ſuggererent; quia illis qui a nobis excommunitati ſunt, in quibus & is quem prædiximus eſt, communicare non debet, ne grave, quod abſit, peccatum incurrat.

IV. His ita ſe habentibus, per magnificum virum Petrum referendarium die pridie Kalendas Februarias quædam charta nobis eſt allata, quam a clementiſſimo principe nullo modo credidimus deſtinatam, quia nec fuerat pietatis ejus manu ſubſcripta. Et dum memorato referendario diceremus, ut in ea ſubſcriberet, diemque quo ab ipſo fuerat allata pariter deſignaret, omnino refugit hoc facere: quæ res ſuſpicionem noſtram, quia charta ipſa a piiſſimo principe neſciretur, aperte firmavit. Tantis enim a veritate ſepoſitis rebus atque injuriis probatur eſſe pleniſſima, ut hanc imperialis oris numquam credatur manſuetudo dictaſſe: maxime contra illius primi Apoſtolorum vicarium, cujus olim reverentiæ ſe frequentibus ſcriptis profeſſus eſt debitorem. Memorata autem charta licet per ſe nullas vires obtineat, tamen contra eam ad ſingula, Deo juvante, veraciter atque ſimpliciter reſpondetur: quatenus ejus falſitas quæ ſapientibus viris ſemper eſt odioſa, a cunctorum animis plenius excludatur.

V. Nunc autem omnibus hominibus hoc quoque curavimus indicandum, quoniam nos ad ſanctæ Euphemiæ baſilicam ſub magno timore atque anxietate diſceſſimus. Nam cum ad beati Petri baſilicam in Ormiſda fundatam Auguſto menſe nuper præterito fugiſſemus, nullum latere confidimus; quia cum in eadem eccleſia a comitatu prætoris, cum multitudine armatorum militum veniente tamquam ad bellum inſtructa acie, a ſancto ejus altare tracti pedibus traheremur, tenuimus, & ſuper nos etiam ipſa altaris menſa ceciderat, niſi clericorum noſtrorum fuiſſet manibus ſuſtentata. Poſtea vero, dum nobis dicitur, quod exinde, niſi ſacramenta voluiſſemus accipere, ſub omni violentia traheremur, & memorati judices a piiſſimo imperatore directi voluiſſent nobis ſacramenta præſtare; indiculum dedimus, per quod dari perſonæ noſtræ ſcripto petivimus jus jurandum: quod clementiſſimus princeps non quale nos voluimus præberi conceſſit, ſed quale ipſi placuit per judices ſuos dandum eſſe dictavit.

VI. Et dum ſæpe dicti judices, poſito indiculo ſuper altare & cataracta beati Petri Apoſtoli, & ſuper crucem quæ de ligno paſſionis Domini habet incluſum, ſed & ſuper claves beati Petri Apoſtoli præſtitiſſent corporale jusjurandum; ad Placidianas, tamquam nihil mali ulterius patientes, ſecundum piiſſimi principis redivimus voluntatem. In qua dum multa mala intolerabilia ſæpius pateremur quæ jam omnibus nota eſſe confidimus, prædictos judices tam verbo, dum ad nos ſæpius a clementiſſimo fuiſſent principe deſtinati, quam etiam ſcriptis, ſemel, ſecundo & tertio credidimus conteſtandos, ut ſacramenta quæ dederant conſervarent, & piiſſimo imperatori ſuggererent, quatenus nullas inquietudines aut moleſtias, ſicut nobis juratum fuerat, pateremur. Dumque nihil noſtra toties vel verbo vel ſcripto conteſtatio profeciſſet, ſed diebus ſingulis pejora etiam pateremur; ante biduum natalis Domini per nos ipſos agnovimus & auribus noſtris audivimus, quia per ſingulos memoratæ domus cuſtodiremur ingreſſus: ita ut illi qui nobis ponebant inſidias, a noſtris hominibus plurimis viderentur, & eorum clamores in cubiculo ubi manebamus, nocte qua diſceſſimus, audiremus. Quo facto, cum ſub gravi deſperatione nocturnis horis, maximi & pavoris ægritudine teneremur, diffugimus, ſicut locus ille poterit cunctis hominibus indicare. Nam ſi circumſpiciatur quale quantumque diſcrimen metu faciente deſpeximus, ut per parvam maceriem fabricantium tranſire compediti dolore nimio in nocturna obſcuritate poſiti cogeremur; tunc poterit evidenter agnoſci, quanta nobis fuerit temporis pro ſola eccleſiæ cauſſa neceſſitas, aut quanta cuſtodia, quæ nos ſub tali diſcrimine coegit diſcedere.

VII. Sed ne quis forſitan, ut eſt perverſorum hominum malitia, de prædicatione noſtra religioſis animis ac Deum timentibus, aliqua mentiatur; fidei noſtræ prædicationem huic parvæ relationi malorum quæ pertulimus, credidimus ſubjungendam. Sciant igitur univerſi, nos illam fidem prædicare, tenere atque defendere, quam ab Apoſtolis traditam, & per ſucceſſores eorum inviolabiliter cuſtoditam, reverenda Nicæna ſynodus CCCXVIII. patrum ſancto Spiritu ſibi revelante ſuſcipiens redegit in ſymbolum: ac deinde tres aliæ ſanctæ ſynodi, id eſt Conſtantinopolitana CL. patrum ſub piæ memoriæ Theodoſio ſeniore principe facta, & Epheſina prima cui beatæ memoriæ papa Cæleſtinus deceſſor noſter, & Cyrillus Alexandrinus epiſcopus præſederunt: ſed & Calchedonenſis DCXXX. patrum, quæ ſub piæ memoriæ Marciano imp. convenit, cuique ſanctæ recordationis deceſſor noſter papa Leo per legatos ſuos vicarioſque præſedit, & prout diverſarum hæreſum damnanda exigebat adverſitas, eamdem fidem uno eodemque ſenſu atque ſpiritu declarantes latiſſime ediderunt.

VIII. Hinc eſt quod Deus noſter contra errorum hujuſmodi feritatem paſtorale cælitus armavit officium, quod beatiſſimo Petro Apoſtolo trina præceptione commendans ait, [a] *Paſce oves meas:* & recte illi paſcendarum eſt cura commiſſa, cujus fidei præclara confeſſio Dei eſt ore laudata. Confitenti enim ſalutariter, ac dicenti, [b] *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*, perennis beatitudo rependitur, & columbæ filius vocitatur, & claves regni cæleſtis accipit. Interrogante ſiquidem Domino, quem eum dicerent eſſe filium hominis, eumdem ipſum hominis eſſe Deique filium, ſub mirabili interrogatio-

a Joan. XXI. 17. b Matth. XVI. 16.

tionis responsionisque brevitate confessus est, *Tu es Christus filius Dei vivi*. Sacratissimæ scilicet mysterium incarnationis ejus aperiens: dum in unitate personæ, servata geminæ proprietate naturæ, homo idemque Deus, & quod ex matre semper virgine sumsit in tempore, & quod natus ex patre est ante sæcula, permaneret. Inconfuse autem, & indivise, atque inconvertibiliter & subsistentialiter uniens sibi carnem Deus Verbum [a] Emmanuel noster, qui lege & prophetis adnuntiantibus exspectabatur, advenit. [b] Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: * totus in suis, totus in nostris, adsumens ex vulva carnem cum anima rationali & intellectuali: & sicut scriptum est [c], ædificans sibi domum, [d] tamquam sponsus procedens de thalamo suo, ineffabili salutarique mysterio, qui [e] in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, incarnatus Deus Dei filius ex Spiritu sancto, & ex beata Maria semper virgine humanitatis sumsit initium, ut nos æternitatis suæ faceret coheredes: nostræ consors dignatus est esse naturæ, ut nos suæ immortalitatis faceret esse participes: [f] pauper factus est cum esset dives, ut ejus inopia ditaremur: omnia quæ nostra sunt [g] evacuato noxarum nostrarum chirographo condonavit, sicut vas electionis edocuit. [h] *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualem Deo: sed semet ipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit se factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*. Id peragens tam inscrutabilis mysterii & dispensationis arcano, ut [i] mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, maledicto quo [k] primus homo terrenus mortis vinculis tenebatur adstrictus, secundus homo cælestis, dum mortem morte calcaret, absolveret. Passus carne est pro nobis Dei filius, crucifixus carne est, mortuus carne est, & die tertio resurrexit, ut divina impassibili permanente natura, & carnis nostræ veritate servata, unius ejusdemque Domini Dei nostri Jesu Christi & passiones & miracula fateamur. Ut glorificationem capitis nostri totius ecclesiæ corpus aspiciens, quales primitias in capite nostro, id est in Christo Deo ac Domino intueretur ex mortuis, tales in his qui ejus membra sunt, in futuræ gloriæ præstoletur adventum. Ipse igitur redemtor noster sedet ad dexteram patris, unus idemque sine confusione utriusque naturæ, sine divisione personæ, & ex duabus atque in duabus creditus permanensque naturis: inde venturus judicare vivos & mortuos. Pater autem cum eodem unigenito filio, & Spiritu sancto, unus est in deitate, & æqualis indiscretæque naturæ.

* Leonis epistola VI.

IX. Hujus fidei plenitudinem Dominus noster post resurrectionem mandavit Apostolis dicens: [l] *Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. In nomine, inquit, dixit, non in nominibus: ut in quibus una virtus, una potestas, una deitas, una æternitas, una gloria, una omnipotentia, una beatitudo, una operatio est, unaque natura, unius quoque nominis exsistat integritas. Nihil in deitate quippe discretum est, cum tantum personarum proprietas manifesta distinctione signetur. Totum ergo quod Trinitas est, permanet consubstantialis & indiscreta divinitas. Hanc fidem a me sub brevitate narratam, doctrinæ propheticæ atque apostolicæ congruentem, supra scriptorum patrum latius explanavit assertio: cum, sicut diximus, aut hæreticorum infestantium convinceretur adversitas, aut rectorum dogmatum efficaciter declararetur auctoritas. Hanc quoque fidem præfatarum quatuor synodorum, sed & beatorum decessorum nostrorum epistolis de fidei integritate conscriptis, continet laudanda confessio: quæ doctrinæ sedis primi Apostolorum per omnia probatur adsimilis, & nulla ex parte discordans.

X. Huic ergo fidei, vel omnibus quæ in supra dictis quatuor conciliis a sanctis patribus nostris definita sunt, contradicentes hæreticos condemnamus; id est Arrium, Macedonium, Eunomium cum dogmatibus suis, & omnes qui errori eorum consenserunt atque consentiunt. Anathematizamus etiam Paullum Samosatenum, Photinum, Bonosum atque Nestorium cum nefariis doctrinis suis, & quicumque eorum blasphemiis præbent aut præbuerunt aliquando consensum. Item anathematizamus Valentinum, Manichæum, Apollinarem atque Eutychetem, simulque Dioscorum defensorem, cum exsecrabilibus commentis & prædicationibus suis, & omnes qui erroribus eorum usque in die mortis suæ implicati manserunt. Sed si quos hæreticos nominatim omisimus, in cujuslibet erroris morbo pollutos & usque ad suum exitum permanentes cum propriis erroribus condemnamus, abjicimus, atque respuimus: solam fidem catholicam, quam in supra scriptis quatuor sanctis conciliis ab Apostolis traditam susceperunt, & suis expositionibus declaratam per successores suos usque ad nostra tempora transmiserunt, inviolabiliter operante gratia Domini custodimus.

XI. Et quoniam nullus Christianorum usque ad præsentem diem gestarum rerum incertam debet habere notitiam, etiam quæ post tantæ relationis supplementum facta sunt, simili ratione narramus. Dum hesterna die, id est dominicorum qui fuit pridie Nonas Februarias *, magnificus vir Petrus referendarius ad nos cum mandatis clementissimi principis remeasset dicens: Quando vultis ut veniant judices, & vobis præbeant sacramenta, quatenus de hac in qua residetis ecclesia egredi debeatis, & securi ad regiam civitatem remeare? ita ei publica voce respondimus: Et per gloriosos judices palatii, sicut præfati sumus, cum quibus & tua magnitudo ad sanctam Euphemiam venerat, quæ superius sunt dicta mandavimus, & nunc per te denuo clementissimo principi hæc dicimus suggerenda: * Nos ad pietatem tuam festinantes ante septem annos de civitate nostra sic egressi sumus, ut nulla haberemus privata negotia. Nunc quoque suggerimus, & rogamus pro pace quam per pietatem tuam pridem Deus donavit ecclesiæ, ut eam nullorum hominum turbari amplius insinuatione permittas: nec auctorem totius scandali Theodorum ultra vexare fidem catholicam patiaris: quoniam ante sex menses * a nobis inter alios communione sacra privatus est, & ab episcopatu pro sua pravitate depositus: per eam videlicet paginam quam adhuc pro mansuetudinis vestræ intuitu & spe conversionis ejus, sicut dictum est, publice proferre distulimus. Illud etiam pari modo per magnitudinem tuam ejus auribus intimamus, quia de caussa ecclesiæ per te nullum possumus dare responsum, ob hoc quod quædam quæ tibi dicimus nuntianda ejus clementiæ, profiteris te non posse suggerere. Et ideo si directis duobus

* an. 552.

* an. 546. Nov. 22. ex ecclesia S Cæciliæ adductus.

* an 551 Aug. 14.

[a] Isa. VII. 14. [b] Joan. I. 14. [c] Prov. IX. 1. [d] Psalm. XVIII. 6. [e] Joan. I 1. [f] II. Cor. VIII. 9 [g] Coloss. II. 14. [h] Philipp. II. 6-8. [i] I. Tim. II. 5. [k] I. Cor. XV. 47. [l] Matth. XVIII. 19.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 488.

judicibus quorum nomina tibi in præsenti prodidimus, sacramenta præstare dignetur, ut posthæc sine metu periculi fratrem nostrum Datium episcopum Mediolanensis ecclesiæ, vel alios quos cum eo transmiserimus, loco nostro suscipiat, parati sumus dirigere, ut per eos de ecclesiastica caussa quæcumque mandavimus veraciter innotescant. Siquidem ecclesiæ caussa nulla sacramenta nobis dari deposcimus; sed mox pro gratiarum actione ejus occurrimus pietati: quia nihil aliud est quod præter scandalum nos Deo adjuvante perterreat, unde amplius in sanA ctæ Euphemiæ basilica sedeamus. Supplicamus enim Deo nostro, & precibus indefessis optamus, ut per eum sublata dissensione pax quam piæ memoriæ avunculi sui * fecit ipse temporibus, reparetur ecclesiæ. Nam si ulla provenerit ultra dilatio, nos necesse est caussam modis omnibus definire: quia neque proximos, neque alios parentes, aut quamlibet substantiam, animæ nostræ vel piissimi principis opinioni præponimus. Data Nonis Februarii *, imperante domino Justiniano PP. Aug. anno xxv. Post consulatum Basilii V. C. anno x.

* Justini an. 519.

* an. 552.

SUPPLEMENTUM ACACIANUM,

Editum primo a V. C. March. Scipione Maffeio *ex vetusto ms. codice Veronensi*,

ac postea recensitum ab eruditissimo Josepho Blanchino.

I.

Felicis III. *Papæ epistola, sive tractatus. Quæ pro Acacio afferebantur, refellit: eumque ut juste ac vite damnatum, ita non nisi canonice restituendum ostendit.*

I. [1] Post quingentos annos constituta Christi eos velle subvertere, cum triginta annorum lex hominum non possit abrumpi. Sanctum Athanasium ideo non fuisse damnatum a synodo orientis, quia sedes ista non consenserit, [2] sanctum Joannem Constantinopolitanum, sanctum Flavianum, Si ergo ea non consentiente sola, qui damnati sunt a synodo orientis, non potuerunt esse damnati; consequens est, etiam sine synodo, qui eadem sola damnante damnatus fuerit, damnatus sit. Postremo si nulla est ejus solius sententia, quid tantopere cupiunt hanc resolvi [3] testimonio Acacii, ubi confirmat Timotheum catholicum de damnatione Petri retulisse ad utramque Romam; ubi ab hæretico fuisse ordinatum, hoc est [4] complicem insaniæ suæ; ubi dicit, *ut propter hoc majoribus suppliciis subderetur*. Itaque non ut in sequestris esset, quod nunc prætenditur, sancto, cum obiisset, Timotheo subrogandus, qui pro sceleribus suis quæ retulit [5] ejus Acacius, suppliciis subditus est: nemo autem ad honorem reservatum, dignum asserit esse suppliciis. Imperator Timothei catholici electioni cuncta permisit; necesse est igitur, ut sequatur quod ille constituit, & dixit, [6] *caholicum a catholicis ordinatum*. Falsum est ergo quod in sequestri dicitur constitutus, ut eidem subrogaretur, cui numquam communicavit; & a quo postulatus est, longius debere relegari. Si juraverat Joannes, non se futurum episcopum; quomodo tu mandasti dignum esse, cui majora committerentur, quæ ad gubernationem ecclesiæ pertinerent? Supra presbyterum quid est majus ad ecB clesiæ gubernationem nisi episcopatus? Si juraverat, quomodo hoc mandas? Et si juraverat, cur illum exposuisti, ut fieret contra quod juraverat? aut si factum est quod mandasti, quid irasceris? Quid illum tibi dicis pejerasse, cum factum sit quod se non juraverat esse facturum, cum tu eum hoc fieri debere [7] mandaveris? Apocrisiarius erat, omnia ad ipsum pertinebant, omnia ecclesiæ ipse curavit: potior illo inter clericos Alexandrinos nullus habebatur; honore presbyter erat: supra quid ei adderetur ad gubernationem ecclesiæ: quid ei amplius addiceretur nisi episcopatus? Tu igitur eum episcopum esse voluisti, qui eum supra quam erat, nec aliud restabat nisi ut esset episcopus, esse deC bere mandasti.

II. Miror autem si necessitatem patitur imperator, ne pellat Petrum, & unum hominem necessitatem perpeti non potuisse contendat, ut fieret quod nolebat invitus: nam & ipse imperator cum necessitatem prætendit, malum esse definit, quod necessitate facit, docens se hoc nolle facere voluntate, & pati testatur invitus. Si personam Petri excusandam putatis; probamus noxiam, hæreticam atque damnatam. Si in sequestri fuisse prætenditis propter scandalum, Timotheo catholico subrogandum, nec Acacii hoc scripta testantur, qui dicit evidenter, cur fuerit exclusus; nec imperatoris, D qui & Timotheo catholico, quæ statuisset, mansura esse promisit, a cujus fuit Petrus communione discretus, & a quo postulatus est longius debere relegari: atque huc pariter, & Constantinopolim

1. Periodum primam quæ lacera videtur, supplent Nicolaus I. in epistola ad universos episcopos Galliæ, & Gratianus caussa xvi q. iii. c. ix. hoc modo: *post quingentos annos constituta Christi audio quosdam velle subvertere.*

2. Nicolaus I. laudatus hæc verba sic refert: *vel sanctum Joannem Constantinopolitanum, vel sanctum Flavianum.*

3. Lacuna apparet in editis. An vero ita sensus exprimi debeat, ut sedis apostolicæ sententiam resolvere conarentur Græci qui favebant Acacio, ejusdem Acacii testimonio ex ejus epistola ad Simplicium depromto; an heic hiatus agnosci debeat, eruditi lectores expendant.

4. *Complicem*] In editis, & in codice. Legendum *complice*, ac refertur ad episcopum hæreticum Petri Moggi ordinatorem.

5. Deest *ejus* in editis: sensus est: *quæ ejus* Petri Moggi scelera *retulit Acacius*.

6. Pars est edicti ab imperatore Zenone lati. Rem narrat Breviculus historiæ Eutychianistarum. Nempe; Joannem Talajam œconomum *ad principem* Zenonem *misit* Timotheus Solofaciolus, episcopus Alexandrinus, *rogans ut si quid humanitus sibi forte contingeret, juberet pietas ejus, catholicum a catholico ordinari; ad cujus petita responsum est.*

7. In editis, *mandasti*.

relatum, ſicut etiam teſtatur Acacius, a ſancto Proterio in diaconio fuiſſe damnatum; [1] & catholicum a catholico creandum præſtituerit, non Petrum qui erat hæreticus, tamquam in ſequeſtri poſitum ſubrogandum; a quo ordinati niſi ad communionem ſancti Timothei revertiſſent, juſſi ſunt ſine dilatione damnari. Qui ſi dicitur poſtea fuiſſe correctus, interim hoc ipſo in errore hactenus jacuiſſe monſtratur; nec debuiſse catholicis præfici poſt errorem, a quibus eſt de errore correctus. Itaque venia dignus fuerat, non honore; & maxime ab hæreticis ordinatus, nullam epiſcopalis dignitatis prorſus habere ſubſtantiam. Quod ſi negatur, & teſtimonio vincuntur Acacii, & rerum ratione monſtrabitur; quia cum Timotheus hæreticus cum ſuis complicibus damnaretur, hic comes ejus fuit, & cum eodem uſque in ejus finem perdurans a Timothei ſit ſequacibus inſtitutus. Quærendum denique, ſi uſque ad diem obitus ſui ſancto Timotheo communicavit: quod ſi factum non eſt, inter eos erit ſine dubio quos [2] imperator dixit a communione catholici Timothei diſcrepantes, niſi ad ejus communionem intra duos menſes gratiamque remeaſsent, in perpetuum eſse damnatos.

III. Ridendum autem, quod quidam ab eodem Timotheo catholico Petrum aſſerunt ordinatum: nam vivus illum ſe ſuperſtite nullatenus ordinavit, ad cujus numquam communionem prorſus acceſſit: quem popoſcit, ut dictum eſt, etiam longius relegari; nec ſibi ſuperſtiti ſacerdotem ſuperordinare potuerit: ipſi viderint, ſi illum mortuus ordinavit. Tempore autem quo Petrus invaſit eccleſiam, ſanctus Timotheus in Alexandria non erat; nec ſe exſtante [3] pontificem, ſicut dictum eſt, poterat ordinare: ſed potius Petrus nefande omnia agens, ſuperſtite Timotheo legitimo ſacerdote, epiſcopatus ſibi auſus eſt nomen imponere. Nec hoc quilibet catholici tunc fecerunt, qui utique omnes cum Timotheo ſentiebant eique communicabant: ſed unus complex inſaniæ Petri, ſicut jam teſtatur Acacius. Nec enim poterant catholici qui Timotheo hæretico non communicaverant, qui Timotheo catholico communicabant, ſuperſtite & eo catholico quem noſsent legitimum ſacerdotem, vel ſuperducere alium, vel hæreticum conſecrare. Unde apparet, eum ab hæreticis ordinatum, & ideo catholicæ eccleſiæ præſidere non poſse; quia prorſus hoc abominandum nefandumque judicetur, ut qui diu in perfidia volutaverit, fidelium cervicibus imponatur. Quod ſi admittitur, poteſt & de aliis hæreſibus paſſim ſimiliter [4] quicumque permitti: quod nulla umquam exempla, nullæ regulæ, nullæ leges eccleſiaſticæ patiuntur imponi.

IV. Sed inquis: *eum fuiſſe correctum*. Interim, ut ſupra jam dictum eſt, hoc ipſo hæreticum fuiſſe monſtrabis, qui etiam ſi damnata hæreſi ſe ad fidem catholicam dicitur contuliſſe, ſubdi debuit catholicis a quibus correctus eſt, non præeſſe: non eſt enim diſcipulus ſupra magiſtrum; ſatiſque erat, ut correctionis ſuæ ſubjectus præberet exemplum, non poſt diuturnum errorem longamque perfidiam, a quibus emendatus eſt correctuſque, dominari. Tum deinde quæro, quid erroris damnaverit? quid rectæ confeſſionis elegerit; & quam petit eſſe falſam, quamve veracem fidem? Qui, ſi definitam apud Calchedonem fidem & catholicam ſequitur; cur eis communicat qui duarum naturarum in Chriſto nullatenus recipiunt veritatem? cur Dioſcorum, cur Timotheum hæreticum recitari facit? cur quicumque inde veniunt, ſynodo Calchedonenſi adverſa defendunt? quibus Petrus ſine dubitatione communicat. Si autem magis talium fidem veram eſſe pronuntiat, apparet ſatis, quam de ſuo ſit errore converſus. Sed non miror correctum dici, cum in ſua perverſitate permaneat, quando non conſtat, & a quo vel correctus fuerit, vel receptus; ſiquidem eccleſiæ regula, vetuſque traditio nota ſit omnibus: ab epiſcopo enim provinciæ ſuæ, id eſt, ſecundæ ſedis antiſtite eum vel diſcuti vel recipi conveniſſet. Qui tamen Alexandrinus antiſtes, etiam ſi pravitate damnata eum recipiendum eſſe judicaret, non prius hoc faceret, quam ad ſedem apoſtolicam retuliſſet. Docent hoc [5] catholici geſta Timothei aliorumque exempla multorum, qui acceptis libellis hæreticorum, in quibus veterem ſe damnare profitentur errorem, non prius receptionem eorum communionemque confirmant, quam ad hanc ſedem ſatisfacientium geſta dirigerent, atque hinc poſcerent, ſicut factum eſt, debere firmari.

V. Quæro, inquam, quis iſtum diſcuſſerit, quiſve ſuſceperit, quiſve [6] reconciliaverit, quis ad communionem catholicam intrare permiſerit? Ubi interim taceo; quia hæc omnia pœnitentis ſunt, utpote & hæretici, & ab hæreticis ordinati: quem ſine ambiguo & conſtat erraſſe, quo nunc perhibetur eſſe correctus: alia eſt enim venia ſub terrore lapſorum, alia ſpontaneæ pravitatis electio. Si Acacius hunc recepit, quo jure, qua regula? cum nec [7] pontificii ipſius eſſet hoc facere, nec ad me voluerit hæc referre: immo cui, ne id faceret,

1. Deſunt in editis hæc verba: *& catholicam a catholico creandum præſtituerit*. Imperatoris mandatum habes in Breviculo hiſtoriæ Eutychianiſtarum, ut ſupra num. 7.

2. Decretum Zenonis imperatoris referunt Felix in epiſtolis ad *Zenonem* & *Acatium* per legatos Vitalem & Miſenum miſſis, & Auctor *geſtorum de nomine Acacii*, ſeu *Breviculi hiſtoriæ Eutychianiſtarum*. Felicis verba in epiſtola ad Zenonem hæc ſunt: *Denique cunctos epiſcopos Ægypti univerſoſque cleros increpaſtis, veſtris generaliter apicibus ſancientes, ut niſi intra duos menſes ab his quæ a principio contra canones, contra eccleſias Dei, contra orthodoxam fidem cogitaverunt, abſtinerent atque in beati Timothei communionem quam impie reliquerunt, dignæ pœnitentiæ ſatisfactione remearent; non ſolum deſpoliandos honoribus, verum etiam & Alexandrina urbe & omni Ægyptiaca regione carituros.*

3. Cum Timotheus Ælurus, Baſiliſci tyranni patrocinio fultus, Alexandrinam ſedem invaſit anno 476. *fugit Timotheus* (Solofaciolus) *catholicus*, (verba ſunt Liberati in Brev. cap. XVI.) *in Canopi caſtellum, & in monaſterio latuit*. Zeno, recuperato imperio, Ælurum dejici jubet; quo morte prævento, ſedem occupat Alexandrinam Petrus Moggus anno 477. *Morabatur autem tunc* (ſequitur Liberatus) *Timotheus catholicus in Canopo caſtello*. Ait ergo epiſtolæ auctor: Timotheum Solofaciolum Alexandriæ non fuiſſe, cum Petrus invaſit eccleſiam; & etiam ſi exſtitiſſet in urbe, non potuiſſe pontificem vel epiſcopum ordinare Petrum Moggum.

4. Deeſt, *Quicumque* in editis.

5. Quid geſſerit Timotheus catholicus, narrat etiam Simplicius papa in epiſtola *ad Acacium* quæ incipit, *Quantos & quam uberes* cet. data anno 478. Inquit enim: *ut autem perfecto gaudio gauderemus, idem frater & coepiſc. noſter Timotheus exemplum libelli ſatisfactionis eorum, quos a catholicæ fidei veritate Timotheus Ælurus & Petrus* Mogeus *utrique damnati, damnationis terrore traduxerant, veniam poſtulantes ad nos pariter deſtinavit, ſacerdotali pietate lapſis ſubvenire deſiderans.*

6. In editis, *vere conciliaverit*.

7. In editis, *pontificis*. At enim retenta codicis lectione, ſenſus eſt. Acacio non fuiſſe *pontificium*, hoc eſt, poteſtatem & auctoritatem recipiendi Moggum: cui etiam Acacio, ne id faceret, ſæpiſſime contradictum eſt a Romano pontifice Simplicio. Vide hujus epiſtolas XIII. ad Acacium, & XIV. ad Zenonem.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 488.



sæpissime contradictum est, & magnopere delegatum, ut eum longius ab Alexandria faceret, [1] sacerdotali & catholico vice nostra suggestione depelli. Cur præsumsit, quæ vetui, & quæ sunt injuncta, calcavit? An imperator illum discussit, atque suscepit? constat interim illum ecclesiasticis regulis non receptum. Ab ecclesiastica igitur regula receptio ejus omnis aliena est. Quod si dixeris: *Sed imperator catholicus est*. Salva pace ipsius dixerimus: filius est, non præsul ecclesiæ: quod ad religionem competit, discere [2] ei convenit, non docere: habet privilegia potestatis suæ, quæ administrandis publicis rebus divinitus consecutus est; & ejus beneficiis non ingratus, contra dispositionem cælestis ordinis nil usurpet: ad sacerdotes enim Deus voluit, quæ ecclesiæ disponenda sunt, pertinere, non ad sæculi potestates: quæ si fideles sunt, ecclesiæ suæ & sacerdotibus voluit esse subjectas. Non sibi vindicet alienum jus & ministerium quod alteri deputatum est, ne contra eum tendat abrupte, a quo omnia constituta sunt; & contra illius beneficia pugnare videatur, a quo propriam consecutus est potestatem. Non legibus publicis, non a potestatibus sæculi, sed a pontificibus & sacerdotibus omnipotens Deus christianæ religionis [3] Dominus, & sacerdotes voluit ordinari, & discuti, recipique de errore remeantes. Imperatores Christiani subdere debent exsecutiones suas ecclesiasticis præsulibus, non præferre.

VI. Nulla ergo nec certa discussio est, nec manere potest ista susceptio ejus, quem ecclesia suis legibus nec ordine competenti, nec discussit omnino, nec communioni restituit. Ideoque potius errori ejus communicavit Acacius, catholicamque fidem ei prostituit, quam illum ad communionem catholicam revocavit: cujus enim non est ordinata receptio, sequitur ut in errore permanserit. Acacium quoque a nostra communione submovimus, ne per eum etiam nos Petro, nulla ecclesiæ regula discusso atque suscepto, & ideo in pristino errore duranti, communicasse dinosceremur. Quomodo autem non reus citatur Acacius communicando ei quem retulit esse damnatum? [a] *Numquid ex eodem foramine manat aqua dulcis, & amara?* Nam cum dicat Apostolus: [b] *si quæ destruxi, hæc eadem reædifico, prævaricatorem me constituo:* cum hæc, inquam, dicat tantus Apostolus; vos judicate, utrum prævaricator non sit Acacius, qui quod ante damnavit, suo post ore laudavit. [c] *Ex ore tuo*, inquit, *justificaberis, & ex ore tuo condemnaberis*. [d] *Pax, pax, & non est pax*. Pax est enim [e] *caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*. Quid horum in Petro, quid horum docetur esse in Acacio? Ille non legitima nec ecclesiastica regula discussus atque susceptus, in sua permanet pravitate: hic permanenti in pravitate fit complex, etiam postquam eum professus est ipse damnatum.

A VII. *Sed necessitate*, inquit, *imperiali communicavit Petro Acacius*. Hoc ipsum sufficit, quia quod necessitate dicitur perpetratum, pravum esse monstratum est. Viderit Acacius, vel qui ista pronuntiant, utrum imperatorem catholicum profiteatur hujus pravitatis auctorem. Nos ista de catholico imperatore non credimus, utpote cujus Sacra retinemus, in quibus catholicam fidem & Calchedonensis synodi definitionem se tenere testatur; atque ideo etiam ab eodem postulamus hæreticos debere depelli: pessimeque de eo magis ille sentit, [4] qui id eum aut nolle, aut non facere posse prætendit; cum nec divinitati sit aliquid præferendum, & impium sit, quæ ad Deum pertinent, prompta non
B exsequi voluntate. Nos, inquam, ista de imperatore non credimus; absit enim ut contra hoc quod palam profitetur, contra decus imperii catholicam fidem impugnare dicatur. Impugnat autem, (quod absit) si quemquam in hoc quod inimicum est catholicæ ecclesiæ, necessitate compellat: hoc ipso autem, sicut dictum est, constat esse perversum, quod dicitur necessitate committi.

VIII. Sed hæc de imperatore viderint, qui ista prætendunt: nos autem etiam in hac parte imperatoris Sacra recitamus, quibus omnia se imperator cum Acacii consilio fecisse promit: & item Acacii scripta depromimus, quæ laudant imperatorem ista
C facientem. Nemo quod patitur necessitate, conlaudat: nemo suo consilio necessitatem sibi poscit inferri. Si necessitate fecit, [5] fatetur malum esse quod fecit; nolens enim, non volens facit; non enim voluntate facit, quod necessitate facit; malum autem fatetur quod nollet fieri, si necessitate non premeretur. Si malum est, quod necessitate facit; cur id laude prosequitur? cur ad aliorum perditionem prædicator rei ejus exsistit, quam committit invitus? Unde apparet, non necessitatis, sed voluntatis esse quod facit, cum utique placet, cum laudat, cum præ ceteris retro pontificibus esse promulgat; quippe qui dicit: [6] *nunc Alexandrinam ecclesiam respirare, & spiritalis alimoniæ ubertate*
D *satiari*; [7] de quo ante dixerat, cum expulsus esset, *lætari cum patre*, id est, cum Timotheo catholico *corda fidelium*, id est, plebis suæ. Postremo ipse videat, si imperatorem dicat facere cuncta quæ mala sunt, quando quæ cum necessitate se tolerare prætendit, mala esse profitetur, & non facere voluntate pronuntiat. In tantum ergo hæc mala sunt, ut non vellet hæc facere, si necessitas non urgeret. Apud nos, quod magnopere prædicat, non necessitate, sed voluntate facere [8] demonstratur. Si autem ut errasse consentiunt, sic remedium quærunt; petant ordine suo remedium: acquiescant curari vulnera sua. Numquam ægrotus medico conditionis suæ curationes [9] opponit: proinde vulnera
E sua, immo quæ ecclesiæ omni suis excessibus intulerunt, ut possint veram recipere sanitatem, sinant

a Jacob. III. 11. b Gal. II. 18. c Matth. XII. 37. d Ezech. XIII. 10. e I. Tim. I. 5.

1. Legendum videtur, *Sacerdotali catholica vice, & nostra suggestione*: vel *Sacerdotali catholica vice nostra, & suggestione*, indicant priora verba *curam illarum regionum* Acacio *delegatam* a sede apostolica, ut discimus ex epistola XIII. ad episcopos Dardaniæ. *Vicem* dicit *sacerdotalem catholicam* eo sensu, quem ipse Gelasius (Felix) exponit ibidem: *quæ*, inquiens, *sacerdoti catholico competerant, agere fastidivit Acacius*. In editis *jure* pro *vice*. Alia verba ostendunt, non solum pro sibi delegata vice, sed etiam pontificum Romanorum mandato & *suggestione* ita debuisse Acacium agere cum Zenone, ut Moggus longius Alexandrina urbe pelleretur.

2. Deest *ei* in editis, Zenonis Henoticon suasu Acacii conscriptum, in quo ad communionem admissus fuit Moggus, innuit ac vellicat auctor epistolæ.

3. Non *Dominos*, ut in editis, verum *Dominus* legendum videtur. Deus enim omnipotens, qui christianæ religionis Dominus est, voluit, ut sacerdotes a sacerdotibus ordinarentur, discuterentur, & reciperentur de errore remeantes.

4. In editis: *qui ait, eum aut nolle, aut non facere posse quæ sentit*.

5. In edit. *fateatur*.

6. Verba sunt Acacii in epistola ejus per Vitalem & Misenum legatos Romam redeuntes Felici papæ reddita.

7. *De quo*, scilicet Petro Moggo. In edit. *de qua*.

8. In edit. *demonstrat*.

9. In edit. *apponit*.

curari patienter; ea ipsa utique, quæ iidem male commissa esse non abnuunt.

IX. *Sed populus*, inquis, *Alexandrinus hunc magnis desideriis postulavit, nec Petrum sibi patitur ulla ratione subduci.* Quid si peteret populus Alexandrinus idololatriam debere parari? Quid enim interest, utrum hæreticus, an profanus ecclesiæ catholicæ permittatur imponi? Quid si alterius hæresis cujuslibet hominem sibi præsulem poscat adhiberi? Qui enim fecit hoc de aliqua hæresi, potest & de alia, si id delectat, expetere. Si inter hominum mores aliquid perpetrari tentaretur contra leges publicas, nullatenus id bonus imperator annueret: contra Deum poscentibus acquiescit? Si prava cupientibus annuendum est, ubi est imperialis auctoritas? ubi moderatio? ubi legum gubernatio? si contra catholicam fidem & ecclesiasticam regulam petentibus concedendum est quod petatur, quo modo catholicus imperator [1] ac per hoc ne fiat contra hominum voluntatem, [2] fiat contra Deum? ne corripiantur utiliter improba, immo letalia concipientes, ne corrigantur insana molientes [3] pereant in æternum? Nec boni imperatoris est, nec catholici principis, sibimet poscentibus inimica concedere. Immo [4] & ipsis de quibus agitur, & omni reipublicæ, & saluti ejus, & regno, quæ contra Deum sunt, non cessisse salutare est.

X. *Sed non sunt*, inquis, *nec bonis moribus, nec fidei rectæ contraria.* Quomodo non sunt bonis moribus noxia, perfidum parricidii socium, comitem hæreticorum atque damnatum, rerum administratorem poscere divinarum quem præfici nefas est, vel non decebat, nec publicæ dignitati? Quomodo non religioni contrarium est, hæreticum damnatumque, ab hæreticis falsum nomen sacerdotis indeptum, catholicæ fidei velle præsidere? *Sed correctus est*, inquis, *& hoc omnes voluerunt a quibus correctus est, & a quibus cognoscitur approbatus.* Qui tandem isti sint, diligenti examinatione videamus. Ipsi certe, quos pariter cum eodem testamini ab errore correctos. Restat, ut complices ejus esse non dubium sit. Quibus legibus igitur eorum pro quolibet testificatio debet admitti, quos par crimen involvit? *Sed*, inquis, *qui etiam Timotheo catholico communicare videbantur, nunc Petro communicantes, de eodem similia poposcerunt.* Sunt ergo isti communionis catholicæ prævaricatione notabiles, qui, ut dicitur, a catholici Timothei communione quam ad ejus usque obitum servaverunt, post illius transitum in consortium istius reciderunt, cui numquam Timotheus catholicus communicasse monstratur. Itaque a Timothei catholici, immo a catholica communione delapsi sunt. Ecce quomodo Petrus correctus est & probatus, qui vel a complicibus suis vel a prævaricatoribus catholicæ communionis dicitur postulatus antistes.

XI. *Sed Timotheus*, inquis, *catholicus ideo Petro non communicavit, quia episcopatum illo vivente præsumserat.* Si propter episcopatum, suffecerat Timotheo, Petrum fuisse submotum: quod autem ei non A communicabat, non erat episcopatus caussa, sed hæresis: communio enim ad fidem pertinet; nam si propter honorem, certe vel laico communicare potuisset, si in illo fides recta mansisset: cur ab eo ordinati, ad fidem catholicam regulariter jussi sunt recipi? ubi ostenditur, illum communionis catholicæ non fuisse. Deinde si correctus est Petrus, cur ab eo catholici quicumque sunt vel in Alexandria vel per Ægyptum, remansere discreti? cur ei non communicant illi catholici, qui usque in diem vitæ suæ catholico communicavere Timotheo? Indeque vere catholici sunt, quia in eadem communione sine ulla ejus temeratione perdurant. Ergo evidenter apparet, quia ei communicant illi tantummo- B do, & eum sibi præsulem poposcerunt, qui ejus, ut dictum est, vel antiquæ sunt complices pravitatis, vel a communione catholica deviantes in ejus consortium transierunt: atque ideo incessabiliter etiam catholicos persecuntur.

XII. Audivimus assidue, & certa relatione [6] cognoscimus, qui eidem communicare dicantur, qui ab ejus communione discreti sunt; qui [7] eum contra fidem catholicam cotidie, & contra apostolicæ sedis prædicationem, & contra Calchedonensis synodi constituta venire [8] præspiciunt. Quod in tantum verum est, ut testes paternæ vesaniæ ejus quos heic habemus, filios producamus. Denique omnes C Ægyptii qui diversis in hac urbe negotiationibus detinentur, Petroque communicant, synodum Calchedonensem ejusque definita eatenus audire non possunt, ut nos cur ista tenemus audeant incusare. Apparet igitur ex discipulis, quæ doceat hos magister, & ex genitis genitor nefandus agnoscitur. Palam certe solent pronuntiare, quod si audiant Petrum Calchedonensem synodum prædicare, ipsi eum anathematizare non differant: ubi satis apparet, cujusmodi eum doctrinam proferre testantur.

XIII. Quærimus certe de vobis, utrum Calchedonensem synodum sequendam puteris, an non? si non sequendam; quomodo hanc vos litteris vestris D tenere profitemini? Apparet ergo non solum in catholica neminem vestrum definitione constare, sed ne in sua quidem professione consistere. Proinde quemadmodum vobis credemus fidem catholicam tenere jactantibus, quando etiam ea quæ scripto publicatis, non tenetis? Quod si vestra professione constricti, Calchedonensis synodi constituta vos omnibus modis servare firmatis; simul etiam apostolicæ sedis prædicationem quæ in illa synodo relecta, tractata, suscepta est, vos suscepturos esse dicitis: quæ omnia definita ex omnium retro pontificum, qui fuerunt a tempore Domini Salvatoris toto orbe terrarum beatæ memoriæ, Papa Leo [9] ad augustæ memoriæ Leonem subditis epistolæ suæ E testimoniis approbavit. Si igitur antiquam fidem, & quæ a sanctis patribus ad nos est transmissa, sectamini; si de incarnatione Domini Salvatoris hæc nobiscum quæ illi sensere, sentitis, & a totius ecclesiæ doctrina nullatenus deviatis (quia neque prudentiores majoribus nostris sumus, neque nobis fas est, aliter noviter usurpare, quam [10] illi didi-

1. Legendum fortasse, *permittat, ne fiat* cet. ut in editis; vel potius aliqua alia verba desunt.
2. Supple, *& fiat* cet.
3. Supple, *& pereant* cet.
4. In edit. *& ipsi*.
5. In edit. *communicavit*.
6. In edit. *cognovimus*.
7. Deest in edit. *eum*.
8. In edit. *perspiciuntur*. Lectionis in codice expressæ sensus est: Pontificem ex certa relatione cognoscere eos, qui a Moggi communione discreti sunt, atque præspiciunt Moggum ipsum contra fidem catholicam sentire. *Præspicere* est *ante aspicere, prospicere*.
9. Innuitur epistola Leonis papæ CXXXIV. alias XCVII. *ad Leonem Augustum*, cui testimonia plurimorum patrum subjiciuntur. Eadem perperam adjuncta sunt celebri epistolæ *ad Flavianum* in collectionibus Concil. Act. II. concil. Calched.
10. In edit. *illibi*. — Cl. Maffeius in suis *Opusculis eccl.* pag. 226. non *illibi*, sed ILLI ET *didic.* legit.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 488.



cere, & docuere majores; ipsiusque [1] Nicæni concilii non magis nos intellectores expositoresque eruditiores sumus, quam illi tot tantique præsules venerandi vel intellexere sapienter, vel prædicavere fideliter) hanc omnes sincera mente veroque corde in commune teneamus; & pax est. Regulas quoque quas ab eisdem patribus accepit ecclesia, intemeratas habeamus; & pax est. Sint ergo hæc apud vos certa, sint fixa; & nulla discordia est. Quæ si apud vos esse prætenditis, patimini solicitudinem nostram paullisper ista discutere; quia quanto veriorem pacem habere volumus, tanto certiorem caussam pacis desideramus agnoscere.

XIV. Si hæc apud vos intemerata perdurant, quid est quod Petrum Alexandrinum ad fidem catholicam correctum dicitis, & receptum? Abjecit ergo cuncta quæ his definitionibus obviant, & in hanc formam doctrinæ catholicæ toto corde transiit. Quid sibi isti igitur volunt, quos apud nos cotidie vociferantes agnoscimus contra Calchedonensem synodum, contra apostolicæ sedis prædicationem frementes atque frendentes? Qui si correcti sunt, tenent ergo illa quæ superius memorata sunt. Si ea tenent, cur vehementer impugnant? Si illa profitentur, cur a catholicis qui eadem perseveranti tenent professione, descifcunt? Aut cur illi qui veram fidem profitentur, ab istorum societate dissentiunt, si eos unam fidem secum retinere noverunt? Apparet igitur, hos qui illa quæ ad fidem catholicam pertinent, palam impugnare non dubitant, qui a catholicorum professione dissentiunt, catholicos omnino non esse, atque ideo nulla ratione correctos. Quid? his cur communicat Petrus, si istis in errore durantibus, ille fidei veræ examinatione probatus est & receptus? Utique si [2] correxit, ad illa translatus est quæ fidei catholicæ convenirent; non in his remansit quæ ei probantur inimica. Cur talibus ergo communicat? si illa manifeste profitetur ad quæ errore deposito eum transisse cognoscitur, cur ejus communicat inimicis? Itaque luce clarius probatur, non esse correctum, sed in eadem pestilentia permanere, cujus sequacibus professoribusque communicat.

XV. Ecce igitur etiam hoc ipsum, quod correctum vultis [3] videri, falsum evidentissime confutatur. Quapropter licet etiam si correctus esset, correctoribus suis subdi debuit, non præponi: quibus ab hæreticis ordinatus, nulla potuit præesse ratione. Etiam in hac parte convincitur qua correctus ostenditur, quando his communicare, qui in pravitate perdurant, sine ambiguo reperitur; atque a nostra communione, omnifariam merito justeque repellitur. Ecce quam nobis justa caussa suppeditat: [4] etiam Acacium qui hunc & juste retulit ante esse damnatum, & postea nefarie in sua communione suscepit, a nostra communione discrevimus. Cum Acacio enim nobis fuit prisca communio. Hæc ut servaretur illæsa, per quinquennium [5] fere monuimus; & licet nec rescribere dignaretur, nos tamen ut catholicam fidem retineret, numquam destitimus adhortari. Postremo legatis missis terruimus, blanditi sumus, prædiximus comminantes, suadentes, obtestantes, damnationem prætendentes, ne communioni cederet, perditorum: laborum suorum pro fide catholica primitus impensorum eum meminisse mandavimus, & incitantes ad gloriam, & a periculo deterrentes. Quæ cuncta despiciens, circumvenit legatos, ut veluti nobiscum se errare prætenderet; & hæretico atque damnato quem [6] id præcipue ipse retulerat, communione se miscuit. Donec ista cognoscerem, potuit mihi cum illo pristina manere communio: verum ubi hoc comperi, si non eum continuo a mea communione separassem, videretur mihi etiam cum jam prævaricatore nihilominus manere communio; & quæ cum catholico fuerat, esse etiam cum eo qui hæreticorum consortium inire maluerat. Quod ne fieret, necessarium mihi fuit abrumpere communionem ejus, & a meo consortio sequestrare: ideo quippe necesse fuit hoc facere, quia catholicæ fidei non erat tutum, hoc omnino non facere.

XVI. *Sed imperator*, inquis, *necessitatem Petro communicandi ponit Acacio*. De hac necessitate, & superius jam multa dicta sunt, & multa dicentur; quibus appareat & necessitatem, si vera esset, sacerdotem pro catholica fide contemnere debuisse, & tolerare quidquid adversi est; dummodo ab integritate fidei catholicæ nullatenus deviaret. Deinde manifesta ratione monstretur, sic nullam necessitatem Acacio ab imperatore prorsus ingestam; sicut potius imperatorem satis claret, ex Acacii cuncta fecisse consilio. *Etiam ipse imperator*, inquis, *necessitatem habet ista faciendi*. Necessitatis caussam interim non requiro: nulla tamen major est necessitas, quam divino cultui & religioni unde omnia prosperantur, unde necessitas magis omnis absolvitur & cuncta adversa removentur, esse subjectum, nec ei aliquid omnino præponere: quia non est utique quod Deo debeat anteponi, cum ei jussi fuerimus nec animas nostras omnino præponere: illo enim despecto, [7] non modo nulla potest necessitas expediri, sed nec res quælibet humana constare. Unde apparet, majorem necessitatem, [8] majorem præ omnibus caussam, cuncta eidem postponendi. Adde, quia nulla necessitas est, sed esse prætenditur. Nullus jam non est....

XVII. De exclusione Petri seditio vana proponitur; quippe cum & Timotheo hæretico pulso nemo resultare tentaverit, & [9] eodem pro Petro consequenter ejecto, nullus obstiterit. Falso igitur non fieri posse confingitur, quod exemplis earumdem rerum sine tumultu factum esse jam constat. Pecuniæ caussa non sit, & nulla necessitas est. [10] Nam tumultus in sancti cæde Proterii hæreticorum inruptione commotus est. Numquam autem per catholicos ullus est tumultus excitatus; & convenit seditiones quorumcumque populorum publica auctoritate compesci. Itaque ut pravorum indulgeatur furori qui levi metu perterriti conquiescere potuissent, religio divina subvertitur, & Christi ecclesia laceratur. Postremo hoc ipso quod necessitatem esse prætendit, malum esse pronuntiat quod facit: unde si ei est necessitas contra divina tendendi, mihi id operandi nulla necessitas. Cavere debeo a malo, quod etiam tu fateris malum, dum necessitate te facere testaris invitum: immo mihi major ne-

1. Uni symbolo Nicæno hærebant Monophysitæ ipsumque rejiciebant quod Constantinopolitanum vocatur. Rationem profert Diogenes Cyzicenus act. 1. conc. Calch.
2. In edit. *si se correxit*.
3. In edit. *videtur falsum, & evidentissime confutatur*.
4. In edit. *si etiam*.
5. In edit. *permonuimus*.
6. In edit. deest *id*. Forte legendum est: *quemadmodum præcipue ipse retulerat*.
7. Deest in edit. *non modo*.
8. In edit. *& majorem præ omnibus*. Forte vero, *majoremque omnibus caussam esse*.
9. Deest in edit. *eodem*.
10. Deest in edit. *Nam*.



cessitas est divini timoris & futuri judicii, ut caveam malum. Cur me in tuum nefas quod necessitate geris, conaris adtrahere, cum id subeundi nulla necessitas sit? Immo, ut dictum est, non faciendi sit [1] nulla caussa, majorque necessitas.

XVIII. *Sed corrige me*, inquis, *& noli me a tuo consortio sequestrare*. Relinque malum, convertere ad bonum, revertere ad me: & correctus es, & liberatus a malo, & a me nullatenus separatus. *Sed non possum*, inquis, *& relinquere me non debes*. Tu doles, ut video, quia tecum ego non peream: sed ego doleo, quare mecum non ipse salveris. Si tantum apud te valet persona Petri ut Deum contemnas, tu videris: me facere nec oportet omnino, nec libet. *Quod potest fieri*, inquis, *hoc exige*. Et ego tibi dico: quod potest fieri, hoc me posce; facilius enim fieri potest, ut homo postponatur Deo, ut homo refutetur magis quam Deus. Quod si id non potest fieri, multo magis non potest fieri a nobis, ut refutato Deo, homo eligatur. Major est nobis caussa, qua non possimus hoc facere, quam vobis ut illud facere nolitis. [2] Possimus dicere: dicite omnes anathema Petro: quamdiu vivit, nolite illi communicare; & communicamus vobis: & quam rationem reddituri sumus Deo, si animas quas ille perdit, etiam nobis quodammodo permittentibus assumat, ut perimat? Quo me trahere conaris ad te? cur non potius revertaris ad me? ibi perditio est, heic salus: ibi præcipitium, heic fida securitas: ibi deceptio, heic monitio. Tu ad ista salutaria redire non vis, & me vis ad [3] illa periculosa descendere? Nescio si, vel te judice, debeam ista committere.

XIX. *Sed Acacius*, inquis, *vi oppressus est, & opprimitur, ut aut ad ista pervenerit, aut ista non corrigat*. Vim quidem non pertulisse multis rationibus comprobatur, immo & docetur; quia si noluisset, non ad ista pervenerat. Quin insuper suis litteris confutatur, quod ipsius consilio cuncta sint gesta; eaque velut divinitus inspirata collaudet. Sed etiam si vim apud imperatorem ... non per imperatorem insidiari legatis, quod nostrorum quoque legatorum professione jam dictum est. Quod si verum est, ille reus est; si falsum, gravamus istos etiam hoc insuper, quod supra prævaricationem tantum addidere mendacium. Sed quia hoc etiam ex litteris Acacii demonstratur, isti hoc non falso dixerunt: ita illius persona gravatur, quæ noluit cum legatis nostris adniti, sed potius nostris est insidiata [4] legatis. Certe vel retulisset huc, ante quam communicaret; monuissetque illos, ne communicarent. Postremo etiam si vi premitur, vim perferre debuit, non fide & communione calcata prodere perfidis † & se miscere damnatis; sicut fecit sanctæ memoriæ Flavianus, & alii sub persecutoribus imperatoribus, vel hæreticis vel paganis, & nuper in Africa factum est. Quid enim? vim maximam illi non patiebantur? & ideo vincebant patiendo vim, non violentiæ cedendo. Numquid sub illis persecutoribus qui negabant Christum, vel in hæresim transibant, a catholicis & christianis non jure damnabantur? numquid erat excusatio, quod vim passi persistere nequivissent?

XX. *Unde ergo*, inquis, *lapsis remedia sunt provisa?* Bene suscipio ergo eum, si placet, more lapsorum pœnitentiam agentem tota vita sua, & in fine [5] communionem sumentem, sicut de lapsis legitur constitutum: secundum hujus tenoris formulam ad ecclesiam revocemus. Nunc autem si curatio ecclesiæ totius accedat, erit tanti (quia hoc pontificis est sedis apostolicæ, & caussa universalis curationis hoc videtur exigere) ut persona Acacii in sacerdotali possit honore revocari. Hoc ipso enim se ostendit, non voluntate succubuisse, & animum gessisse catholicum, dum curationi competenter insistit. [6] Quid? si vult, & non potest; cur per imperialem personam ceteros opprimit? Si imperator, ut fertur, obediens est Acacio, potest: si obediens ei imperator non est, quamvis eum debuerit & debeat constanter viriliterque tractare; certe hoc ipso se fatetur contra catholicam succumbere veritatem. Iraque me ei in hoc statu rerum non misceri communione manifestum est: non enim, si ille premitur, & adesse sibi non potest, ego oppressionis ejus & transgressionis complex esse jam debeo. Sed quia, donante Deo, liber sum, servo saltem me incolumem; ut & si nunc [7] non potest, cum Deus jusserit, sit qui valeat pro integritate communionis & fidei illis subvenire, qui integritatem communionis & fidei perdiderunt. Alioquin si omnes eam perdamus, quod absit, unde postea reparabitur? præcipue si in sedis apostolicæ, quod numquam Deus fieri sinat, fuerit temerata fastigio. Itaque si Acacius vim hominis sustinet, ut errata non corrigat; major mihi necessitas est divini metus, & tuendæ catholicæ communionis & fidei, quolibet modo & qualibet conditione in errore positis nulla fieri ratione consortem, sed ab eorum me contagio servare prorsus immunem: quia si ille per vim habet excusationem, ego, præstante Deo, qui securus sum, ne per hoc quidem excusationem ullam habere jam potero, qui nulla, præstante Deo sicut dictum est, vi premor. Dimittantur ergo ista divino judicio, donec ipse, sicut sæpissime experti sumus, libertatem reddat communioni catholicæ atque fidei christianæ; & tunc de eis qui in illius sunt †† terrore, tractabimus. Persona enim Acacii sine curatione totius ecclesiæ solvi non potest, per quam sauciata est omnis ecclesia.

XXI. *Sed & tunc*, inquis, *Acacius tecum communicabat, quando Timotheus hæreticus, vel iste Petrus sub tyranno Basilisco Alexandrinam tenebat ecclesiam*. Vere dicis: sed his tunc Acacius minime communicabat, & in mea communione durabat; unde potius si vim patitur Acacius, & nunc se talem debuit exhibere, qualem se exhibuit sub Basilisco tyranno hæretico persecutore suo. *Sed nunc*, inquis, *utilitatis interest reipublicæ*. Sed sacerdos allegare debuit, utilitatis interesse potius publicæ, ut divina communio & fides integra servaretur. [8] Utile est reipublicæ, religionis eversio; &

1. In editis, *alia caussa*. In cod. *nulla*. Error est. Ad marginem apposita est littera R. quæ *require* significat; ut nempe lector alios codices consuleret, locumque emendaret. Prædictam litteram R. in mss. adscriptam locorum dubiorum signum esse, jam adnotavit Petrus Constantius in veterum codicum vindic. confirm. part. v. cap. VIII. post Salmasium in librum Tertulliani de pallio.

2. In edit. *possumus*: forte vero, *possemus*.

3. Deest in edit. *illa*.

4. Nulla heic apparet in ms. codice lacuna, ut in editis.

5. Deest in editis, *communionem*.

6. In edit. *quod*.

7. Deest *non* in edit.

8. In edit. *utilis est*.

† *Et SE miscere*] Sic Maffeius. Deest *se* apud Blanch.

†† *Terrore*] Maffeius *errore*: rectius, ut videtur.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 488.

utile non erit reipublicæ, religionis integritas? Nescio, si sunt ejusdem religionis qui ista prætendunt; aut si ejusdem religionis, debeant homines ista prætendere. Et [1] quem vellet de suis, & sibi fidelibus subsistere sacerdotem, excluso Joanne, dummodo catholicum, & communionis nostræ suspectis locis pateretur præsidere pontificem. Nonne evidenter hæc res facit, caussam Joannis esse meliorem, dum eo excluso, & hæretico subrogato, non persona hoc meruisse monstratur, sed expugnatio fidei catholicæ procuratur?

XXII. Nos non in Acacium ideo sententiam tulimus, quia homo est, quia Acacius dicitur, quemadmodum de quolibet hæretico dici potest, sed propterea quia sit persona prævaricatrix. Itaque [2] malefactum quod in ea est, punitur inrogatione sententiæ; quæ prævaricatio, quod maleficium si recedat, jam non erit illa persona, in quam sententiam insolubilem proferre sum visus. Remanebit enim homo & Acacius, quem non damnat in quantum homo est & hominis nomine censetur, sed in quantum prævaricator & malefactor est. [3] Si ergo desinat esse prævaricator & malefactor, cui sententia mea insolubilis est; jam in eo hæc sententia mea insolubilis, remoto illo cui illata est, locum penitus non habebit: alter enim erit, quam ille cui illata sententia est, dum incipiet non esse quod fuit, vel non hoc esse cui illata sententia est. Sed incipiente esse quod non fuit, vel hoc tantum incipiente esse se, [4] cum ea non est illata sententia; non remanebit omnino ubi stet prolata sententia. Nam quamdiu in hoc manet cui illata sententia est, vere insolubilis est illa sententia cum eo cui illata est insolubiliter: cum autem hoc non erit, & si in eo non manserit cum illo maleficio cui inlata insolubilis est illa sententia, sine dubitatione transibit. In isto ergo erit solubilis, immo nec erit cui illata non est: immo ab hoc erit extranea & aliena, cui eam non constat illatam: quia in Acacio maleficium & prævaricatio accepit illam insolubilem sententiam, non quod homo est, non quod Acacius nuncupatur. Remoto ab eo maleficio, erit cum omni vi sua & caussa, remota sententia. [5] *Ne quando*, inquit [a], *convertantur, & sanem eos*. Hoc de illis [b], qui cor crassum habebant, *& videntes non videbant, & audientes non audiebant*. Numquid eo inspirante, sicut ex iisdem Judæis de quibus dictum est: [c] *videntes viderunt, audientes audierunt, & corde crediderunt*; sicut Apostoli, & tot millia, [d] *quas reliquias salvas factas* testatur Apostolus, qui hunc sensum ita tractat, ubi dicit: [e] *nam & ego Israelita sum*. In scripturis autem invenimus, & illatam interminabilem sententiam in plerosque peccatores, quibus tamen a peccato discedentibus sit remissa; & quosdam dictos occidi & vivificari, dum in his necatur quod fuerunt, & incipiunt esse quod non erant; vel everti & plantari, & talia.

XXIII. Si vi imperiali premitur Acacius, ut ista faciat quæ facit, primum imperatorem contra fidem catholicam facere, ac per hoc non esse catholicum, ipse profitetur. Non est ergo, quare a nobis dici persuadeat, quod ipse depromit, vel quod ipse testatur. Deinde hoc ipso quo se vim pati perhibet, malum profitetur esse quod facit, & contra fidem catholicam se agere demonstrat. Cur ergo me hortatur, & petit hujus rei complicem esse debere, quam fatetur esse perversam? Si autem [6] malam non esse contendit, restat ut non jam se vim pati ab imperatore persuadeat, cum sponte sua id faciat quod bonum esse confirmat. Cum enim bonum esse dicit quod facit, sponte hoc se facere, tamquam quod putat esse bonum, sine dubitatione designat. Non ergo hoc compulsus facit Acacius, quod invitus non facit tamquam malum, sed sponte tamquam bonum. Si enim compulsus, utique invitus; si invitus, utique malum est. Non ergo sponte facit tamquam hoc bonum, sed tamquam malum invitus. Si non invitus tamquam malum, sequitur ut sponte tamquam bonum. Studio ergo & voto & voluntate & judicio proprio, non coactus: non ergo vim patitur, sed sponte delinquit.

XXIV. *Sed obstinatione vestra*, inquis, *in periculum caussam totius ecclesiæ adducitis*. Si fides communioque catholica custoditur, in periculum religio venit vel periclitatur religio? Et si, quod absit, fides communioque catholica violatur, in periculum religio non adducitur vel salva religio est? Absit, ut hoc quisquam catholicus & apostolicæ fidei filius dicat. *Sed apostolicæ sedis dignitatem ista obstinatione minuistis*. Si fides communioque catholica servatur, dignitas sedis apostolicæ minuitur? si illa violatur, sedis apostolicæ dignitas manet? Absit, ut hoc christianus catholicusque depromat. Si fides catholica & communio læditur, respublica juvatur? & si illa salva sit, respublica læditur? Absit ut hoc christianus & catholicus profiteatur. Si fides catholica & communio servetur, imperator læditur? & illis violatis imperator non læditur? Absit ut hoc christianus catholicus imperator dicat, vel aliquis catholicus christianus dicat debere fieri: hoc est, lædi fidem & communionem debere catholicam, ne imperator lædatur; quia si servetur fides catholica atque communio, imperator lædatur. Nos imperatorem tantum amamus, ut

a Isa. VI. 10. *b* Matth. XIII. 15. *c* Rom. XI. 8. *d* Ibid. ℣. 5. *e* Ibid. ℣. 1.

1. Imperfecta sententia videtur, sibique non constans textus.

2. In edit. *malefactum est, quod in eo est punitum inrogatione sententiæ*. Sibi constat lectio codicis. Sensus est: *malefactum, quod in ea* (persona scilicet prævaricatrice) *est, punit.* cet.

3. Desunt in editis: *Si ergo desinat esse prævaricator & malefactor*.

4. Legendum videtur, *cui ea* cet. ut ex periodo antecedente, & sequente colligitur.

5. Varios scripturæ textus, quibus epistolæ vel tractatus auctor ostendit, frequenter in Bibliis insolubilem pronuntiatam esse sententiam, sede sua motos luxatosque restituit ordinatque in editis cl. March. Scipio Maffeius hoc modo. „ In scripturis autem invenimus & illatam „ interminabilem sententiam in plerosque peccatores, qui„ bus tamen a peccato discedentibus sit remissa: & quos„ dam dictos occidi & vivificari (dum in his necatur „ quod fuerunt, & incipiunt esse quod non erant) vel „ everti & plantari, & talia: *Triduum, & Ninive subvertetur*: Item de rege Ezechia, adjectis quindecim annis „ post denuntiationem mortis ad vitam: item de ramis „ fractis & inserendis; & de iisdem ramis, *si non permanserint in incredulitate, misericordiam consequentur*. *Ne* „ *quando*, inquit, *convertantur & sanem eos*. Hoc de illis „ qui cor crassum habebant, & *videntes non videbant*, *&* „ *audientes non audiebant*. Numquid Deo inspirante non „ sunt ex iisdem Judæis, de quibus dictum est: *videntes* „ *viderunt*, *audientes audierunt*, *& corde crediderunt*? sicut „ Apostoli, & tot millia, *quas reliquias salvas factas es*„ *se* testatur Apostolus; qui hunc sensum ita tractat, „ ubi dicit: *nam & ego Israelita sum*. Si vi imperiali „ premitur cet.

6. In editis *malum*. Agitur de re *mala*, cujus mentio in periodo antecedente.

velimus eum facere quod pro salute ipsius sit, quod pro anima, pro conscientia ipsius est.

XXV. [1] Pontificibus catholicis, etiam si qua probatur, relaxet offensa: ipsius est quod conscientiæ, quod animæ suæ & saluti scit prodesse, facere: si non vult quæ in his sunt utilia facere, ipse viderit. Nos & apud [2] eum, & apud homines absoluti sumus. Nam si apud eum etiam pro criminosis intervenire pontifices decet, quanto apud eum magis convenientius est, pro sacerdotibus intervenire pontifices? si pro sacrilegis ipse intervenit, quanto magis pro iis nos intervenire convenit, qui, sicut dicit, eum læserunt? Quid me vultis exaggerare prævaricationem Acacii, damnationemque firmare; ut magis ac magis videar inconstans, & meæ contrarius esse sententiæ? Ego si, quod absit, complex mali essem effectus, nunc remedio egerem, non remedium ministrarem: & sedes beati Petri, quod Deus non sinat fieri, aliunde peteret remedium, non præberet ipsa remedium.

XXVI. [3] *Triduum*, [a] *& Ninive subvertetur*. Item de rege Ezechia: [b] *adjectis quindecim annis* post denuntiationem mortis ad vitam. [c] *De ramis fractis, & inserendis*. Item: [d] *ne quando convertantur, & sanem illos*. Et de iisdem ramis, [e] *si non permanserint in incredulitate, misericordiam consequentur*. Quare quia sententiam tulimus in Acacium indignamini? quod nisi fecissemus, catholicam communionem ab hæretica & damnata communione cui se hic miscuerat, decernere & tueri & inviolatam servare nullatenus poteramus. Quomodo nos compellitis iterata quodammodo constitutione cum exaggeratione prævaricationis Acacii justam sine dubio firmare & congeminare sententiam? Numquid Misenus & Vitalis poterunt recipi, nisi dicant anathema Petro Alexandrino, & omnibus qui ei post anathema communicaverunt vel communicant? Damnabunt [4] enim nobis definientibus iterum ipsi consequenter Acacium. Quomodo ergo eum vultis absolvere? An grave videtur semel damnatum Acacium, & bis damnatum non erit grave? An vultis sive per vos, sive per nos videri, vel dici sedem apostolicam circumventam fuisse? Ecce poposcimus vos, ecce scripsistis: ecce non dignatus est ille rescribere nec vobis, [5] nec regi. Videtis obstinatam perniciem pravitatis; nonne & propter religionem, & propter injuriam vestram debetis unanimes esse nobiscum?

XXVII. *Dicite nobis*, inquiunt, *utrum Vitalem & Misenum absoluturi sitis, an non*. Respondemus, & quærimus & nos a vobis, utrum eos salva fide & communione catholica & sedis apostolicæ reverentia absolvi velitis, an non? si salvis illis non vultis, non eos hoc modo, vel hujusmodi ratione [6] solvantur. *Sed promisistis*, inquiunt. Quod promisi, legitur: hoc nunc implere contendo: promisi enim, deliberaturum quomodo juste videantur absolvi: hoc etiam nunc sine dubitatione promitto. Scitote ergo deliberationem nostram ad hunc modum esse perductam; quia istos absolvere non valemus, nisi ut juste nostra sententia ante tempus videatur esse laxata, nisi eos exoneremus prævaricationis pondere [7] excusabilioresque reddamus; dignumque sit nostram in eos anticipare sententiam, quos minoris culpæ probaverimus inventos: satisque esse dicamus ex eo ipso quod aliquid in sua desidia deliquerint, huc usque correctos, & a sacra communione summotos. [8] Ut autem eos relaxemus, circumventos deceptosque dicimus; sequitur ut quantum istos levamus, tantum opprimamus Acacium: neque enim jam [9] vel isti aliud dicere, vel nobis licet aliud æstimare, quam illum esse totius prævaricationis auctorem: siquidem id istorum confessio synodalibus dixisse teneatur in gestis. Itaque si assertionibus iteratis & professione geminata, recentique tractatu atque decreto justam esse sententiam quæ in Acacium sit prolata, cum totius utique prævaricationis exaggeratione firmemus; vos reperite quomodo postea possit absolvi, quem repetita quodammodo contestatione damnamus. [10] Quem admodum, inquam, molimur absolvere, totius vinculis prævaricationis obstringimus; & quem levare nitimur, toto pondere damnationis obruimus.

XXVIII. Itaque aut isti exspectent, ut curatione totius ecclesiæ secundum sententiam liberentur; aut spondete nobis sub jurejurando numquam de Acacii absolutione quippiam esse poscendum. [11] Cum enim est ut eum si velitis absolvi, ut nos in omnibus & conscientiam nostram & famam faciatis exponi? conscientiam, si absolvam, quem totius [12] perditionis auctorem se ipse professus est: famam, totius mutatæ sententiæ. Nec potest dici, quod cum in istos tamquam in auctores malefactorum fuerit usque ad certum tempus promulgata sententia, ideo ab his retracta † sit tamquam innoxiis, ut in Acacio usque ad idem tempus quod his fuerat præstitutum, quia auctor totius est mali, [13] eadem qua in istos ratione servetur: quia in Acacium utpote in auctorem, insolubilem dixi meam fore sententiam non certo tempore relaxandam; quam si denuo confirmo, definitionis suæ tenore mansura est, ut non possit absolvi. Nec enim illic dictum est, *usque ad illud tempus*: sed dictum est, *numquam esse solvendam. Sed cum hoc*, inquis, *jam dixeris*,

[a] Joan. III. 4. juxta vers. τῶν LXX. [b] Isa. XVIII. 5. [c] Rom. XI. 19. [d] Isa. VI. 10. [e] Rom. XI. 23. 30. 31.

1. Lege, *Pontificibus catholicis, etiam si qua* (hoc est aliqua) *probatur, relaxetur offensa*, vel *relaxet offensam*: aliquas enim offensas in imperatorem catholicis episcopis imputatas fuisse, discimus ex epist. XIII. *ad episcopos Dardaniæ*. In edit. *etiamsi quæ probatur*.

2. In edit. *Deum*, ut etiam infra. *Eum* intellige imperatorem. In eum peccasse catholici pontifices dicebantur, pro quibus apud eumdem intervenit pontifex, ut etiam si qua probetur, relaxet ipse offensam. Unde subdit: *si pro sacrilegis ipse* imperator *intervenit* apud episcopos: *quanto magis nos* apud ipsum *intervenire convenit* pro sacerdotibus, *qui eum, ut dicit, læserunt*.

3. Pertinent hi scripturæ textus ad superius argumentum p. 690. n. 5. quo epistolæ auctor exemplis ex Bibliis depromtis confirmare nititur sententiam in Acacium latam peremtoriam & insolubilem. Iidem scripturæ textus duobus crucibus ✠ ✠ in ms. clauduntur, in cujus ora littera R. scripta est, ut vitium loci legenti constaret.

4. In edit. *ergo*.

5. Legendum videtur ut in edit. *nec mihi*.

6. Forte legendum, *solvemus*. In edit. *solvimus*.

7. In edit. *curabilioresque*.

8 In edit. *Si autem, ut eos relaxemus, circumventos deceptosque dicimus*.

9. Lege, *vel istis*. In editis, *velitis*. Pontifex ait, nec istis nempe legatis licere aliud dicere, nec sibi aliud æstimare.

10. Fortasse legendum, *Quem dum, inquam, molimur* cet.

11. Lege ut in edit. *Cur enim est, ut eum sic velitis absolvi, ut* cet.

12. In edit. *proditionis*.

13. In edit. *eadem quæ in istos* (forte *in istis*) *ratio servetur*.

† Mss. *retractata*.

tamen nunc [1] *eam moliris absolvere*. Sufficit vel semel dictæ sententiæ procurare solutionem, quid eam [2] metuis meo iterare decreto? si semel latam indignamini, cur geminare contenditis? si semel prolatam absolvere videtur esse difficile, quid faciemus de geminatione sententiæ? forsitan & illic aliquid minus me cognovisse, quam dictum est, potero in semel prolata sententiæ resolutione tractare? cum eam geminata professione firmavero, quid me remedii vis habere? maxime si etiam eo tempore hanc confirmare demonstrem, quo nitor absolvere.

XXIX. *Sed imperator vim fecit Acacio*. Hoc ego dicturus non sum; quia nec verum est, & accusare palam principem omnino non possum. Certe vos estote hujus accusationis auctores. [3] Si putatur absolvendus qui in Deum deliquisse convincitur, quanto magis absolvendus est qui in hominem dicitur deliquisse? [4] Si per id quod dictum est in prolatæ tenore sententiæ, *cum adnisu principis christiani vel populi res esse curandas*, & minus eorum obstinatione provenit, voluerimus caussam Miseni Vitalisque tractare; † aut istorum communione & consensione illi obstinati sunt redditi: [5] & istos oneramus quos putamus absolvi, itemque istorum exaggeratione peccati sententia nostra fit irrevocabilis a tempore præstituto. Sic enim de istorum receptione tractandum est, ut conscientia nostra & existimatio quorum interest maxime, in sententiæ suæ revocatione curetur, & juste nos eam ante tempus revocasse vel remisisse doceamus; ut etiam consolemur eos qui in fide catholica perseverant, [6] de istorum excommunicatione probantibus, non nostro eos tunc communicasse mandato, nec eorum communioni præbuisse consensum, & secum nos in fide catholica perdurare. Et ideo ipsi quoque nobiscum nituntur esse constantes, quod [7] istis sine aliquo colore justitiæ ante præstitutum tempus sententiam relaxatam, ex nostra voluntate eos communicasse credituri sunt. Et hoc quod suspendere visi sumus, fortasse simulatorium ad excusationis umbram, & nos transgressores merito judicabunt; ipsique aut deficient, & illorum communioni se tradent, aut jure nos damnabunt tamquam communionis alienæ vel catholicæ violatores communionis.

XXX. Quomodo ergo ista curentur, justa ratio est quærenda; quæ nulla est alia, nisi ut isti releventur & excusentur, quos volumus ante constitutum tempus absolvi: justaque videatur nostra remissio. Hoc autem fieri potest, si in Acacium cuncta transgressio transferatur. Quod & illi ipsi qui in fide catholica perseverant, magis fieri ardenter exspectant; in illum enim plus sæviunt, quam in istos: tantique habebunt istos relaxari, dummodo in illum tamquam auctorem prævaricationis omnia audiant malefacta transferri. Quod cum fuerit, sine dubitatione subsequitur, ut justa sit pœna, id est justa damnatio, quæ ei pro his videatur inflicta: quæ damnatio in sui tenore insolubilis esse monstratur. Itaque fit persona inremediabilis Acacii in exaggeratione criminis, & conventione vindictæ. Nam A si curatione totius ecclesiæ persona Acacii liberetur, & isti secundum sententiam nostram erunt modis omnibus absoluti. Ita hoc genus [8] quod supra diximus, quia non annititur imperator aut populus, alterutram partem non expedire poterit, sed gravare. Unde non nisi illo solo modo rebus remedium providendum est, ut prius de absolutione agatur Acacii cum totius dumtaxat ecclesiæ sanitate: & sic istis sit suo ordine relaxatum. Si Acacius autem modis omnibus absolvi noluerit, istorum persona illius aggravatione levabitur; eo magis quod & oblatum sibi Acacius respuisse convincitur: & nostra erit excusata sententia, & de istorum absolutione ante tempus impensa, & de illius cum exaggeratione B criminis damnatione firmata.

XXXI. Ideo illi perstant in fide catholica qui in oriente persistunt, quia a me eam defendi vident, & animantur ex me: alioquin aut & illi corruent me faciente; & si me, quod absit, decidente, illi perstabunt, apud Deum hominesque me jure damnabunt. Illi me etiam sub persecutione positi non deseruerunt: ego illos sine persecutione deserturus sum? Quid Deo, quid hominibus inde dicturus? Possum illis dicere, aliter me damnationem in Acacium non firmare potuisse, nisi ut Vitalem & Misenum absolverem illius exaggeratione peccati; ut autem Acacium exaggerato ejus malo C postmodum cogar absolvere, quid ei sum rationis, quid negotii redditurus? *Sed si per Acacium curatur omnis ecclesia*, inquis, *est tanti unius hominis absolutio? est tanti quovis tempore & quandocumque unius hominis absolutio?* Sed meæ interest conscientiæ, & meæ levitatis [9] opprobrium. Nam si per Acacium curatur ecclesia, hoc ipso docetur, quia quæ potuit per hunc curari, id est eo correcto, per hunc etiam læsa videatur, cum potuerit, illo non peccante, non lædi.

XXXII. *Sed si istorum*, inquis, *pondus in Acacium jactaveris, istos recte absolvis: cum item Acacius egerit ut curetur ecclesia, Acacium convenienter* D *absolves*. Si in hoc spes est, cur eum damnationis pondere me urgere compellis, quem posse vel debere testeris absolvi? Esto hi absolvi possint Acacii pondere; quare me vis eum onerare quem nitor absolvere? *Quia aliter*, inquis, *istis non potest subveniri*. Ac per hoc aut illum vis obrui, aut me exponi. *Sed privilegia*, inquis, *vestra hac obstinatione minuitis*. Igitur ne minus juris habeamus, efficiamur hæretici; & ne amittamus ecclesiasticæ privilegia potestatis, amittamus ipsam religionem; ne minor sit dignitas apostolicæ sedis in paucis, erret in multis. Nescio, si quis dicat, falsitatem requirendam potius esse cum plurimis, quam veritatem servandam tuendamque cum pau- E cis. An ideo falsitas non erit falsitas, quia cum multitudine tenetur? ideo veritas non erit veritas, quia habetur in paucis? cum veritas non in multitudine, sed in quantacumque sui parte vel portione consistat: religio autem non nisi in veritate sit fixa; privilegia vero ejus non nisi in eo constent, ubi est firma ipsa religio. An veritas si in

1. In edit. *eum*: sed *eam* intellige sententiam.
2. In edit. *me vis*, quæ lectio consonat contextui.
3. Sententiam quæ sequitur, intrusam putat editor. Pertinere videtur ad textum not. 5. pag. 690. adnotatum.
4. In edit. sic legitur: *Per id, quod dictum est in prolata tenore sententiæ, cum adnisu principis christiani vel populi res esse curandas, hoc minus eorum obstinatione provenit. Si voluerimus caussam Miseni Vitalisque tractare, quorum communione* cet.
5. Forte, *aut istos*.
6. Melius in edit. *de istorum communicatione probantes*.
7. In edit. *si istis sine aliquo colore justitiæ ante præstitutum tempus sententiam relaxatam audierint*.
8. Supplet editor, *absolutionis*.
9. In editis, *opprobrium agitur*. In codice habetur littera R. quæ monet, aliorum codicum lectionem requirendam.

† *Aut istorum*] Maffeius, *quorum*. Idem paullo ante, *hoc minus*.

paucis fuerit, veritas non erit? & falsitas in multis, non erit falsitas? Falsitas in multis major est error: veritas in parvo nullum sustinet detrimentum, quia in [1] quanta sui parte veritas fixa consistit: & sicut multitudo non efficit, ut falsitas non sit falsitas; ita nec parvitas efficit, ut veritas non sit veritas. Sunt innumera exempla quibus doceatur, in multis falsitate grassante, in paucis constitisse veritatem.

XXXIII. *Sed abominamur hoc*, inquis. Quid igitur faciemus? Ne veritatem teneamus in paucis, erremus in multis? *Absit*, inquis. Respuamus ergo vel cum plurimis falsitatem, dummodo teneamus vel in paucissimis veritatem. Nonne toto mundo falsitatem tenente, in Apostolis ita constabat ecclesia, sicut mandabat & veritas? Nonne toto populo deerrante, [a] in septem millibus apud Israelitas mansit ecclesia? Et si cuncta curramus, invenimus innumera. Nonne scriptum est [b], arctam & angustam esse viam quæ ducit ad vitam, latam spatiosamque quæ tendit ad mortem? *Quid quod illi*, inquies, *dicunt se tenere, quod rectius est*? Interim jam falsum erit, quod se fatentur id tenere quod nos: si enim melius tenent, aliud tenent; iam consequens est, ut se probent melius tenere, A quam nos. Si melius tenent, abstineant se a me, qui male teneo: corrigi ad fidem, & sequi quod melius est, voluntate debet venire, non vi. Ego illi molestus non sum: ille mihi quare molestus est? Ego ut me corrigat, non peto; non petenti quid ingerit? quid se infert invito? Si nullam meam putat esse sententiam, contemnat illam; quid [2] eam tantopere poscit absolvi? si poscit absolvi, & esse alicujus utique momenti non dubitat; & justæ damnationis esse confirmat, qua se teneri [3] declinat obstrictum. Itaque fateatur errorem, cui est illata sententia: deponat errorem, & vacua sententia est. Si injusta est, tanto eam curare non debet, quanto apud Deum & ecclesiam B ejus neminem potest iniqua gravare sententia. Ita ergo ea se non absolvi desideret, qua se nullatenus perspicit obligatum. Si vero ea se judicat obligatum, & poscit absolvi; utique non prætendit injustam quæ eum potuit obligare, atque ab eadem poscit absolvi, quia non posset obligare, nisi justa. Justa autem si est, non nisi damnato errore justa cognoscitur. Itaque [4] de absolvenda justæ obligatione sententiæ errorem fateatur: ponat errorem quo eum ligatum tenet justa sententia; † & sublato, obligationis caussa resolvitur.

II.

Ejusdem, ut videtur, FELICIS *epistola, cui titulus in eodem codice præfixus est hujusmodi:*

Epistola papæ GELASII *ad* SUCCONIUM *episcopum Afrum apud Constantinopolim constitutum, qui persecutionem Arrianorum de Africa fugiens CP. improvide communicando, in prævaricationem Calchedonensis synodi arguitur corruisse: ut corrigat.*

CUm tuæ dilectionis in Christo constantiam ferventemque doctrinam celeberrima loqueretur opinio; dici non potest, quantis gaudiis exsultavimus in Domino, quod vas egregium belli tempore maxime profuturum divina gratia præparasset: teque votis omnibus ambientes & quasi cominus constitutum, toto cordis affectu comitabamur absentem: sed tristi subito rumore perculsi, consternata, fatemur, mente concidimus; hæsimusque diu utrum ad caritatem tuam super his litteras mitteremus: nam loqui prohibebat dolor, tacere Christi affectio non sinebat. Inter quæ [5] ista fluctuantes, vicit divina scientia, qua toto scripturarum corpore perdocemur, aliqua tentationum subreptione [6] præventos caritate libera commonere. [7] Communicasse enim dilectionem tuam in partibus orientis adversariis veritatis, primum fama detulit; deinde plurimorum relatio non spernenda patefecit. Quod ne temere credidisse nos arguas, si falsum est, [8] optamus, da veniam de te sollicitæ pietati: si verum est, accipe salubria quæso patienter [c] amicorum vulnera castigantum, qui perniciosa subisti †† amicorum oscula blandientum. Ita ne tu amantissime & dilectissime, [9] adversantia catholicæ regulæ consortia suscipere potuisti, tantumque nefas in te invenit effectum; quod vel cogitationibus tuis obrepere potuisse non creditur? Ita ne tu C delegisti, [d] *præsentis temporis ferre jucunditatem magis quam affligi cum populo Dei?* Stupet animus, mens sauciata succumbit, mærentia corda deficiunt: nec tamen dolori tanto par lamentatio reperitur. Nonne tu ille es, qui spretis regum minis & sævientium barbarorum feralia jura despiciens, simul patriam, facultates & honoris sacerdotalis privilegia posuisti, ut ea perpetua recipere merearis in Christo? Quid igitur nunc agimus? Decolorasti gloriam, violasti confessionem, intercepisti victoriam: quantoque apud apostolicam sedem de tuo nomine fiducia gratiaque crescebat, tanto nunc accedit miseranda confusio. Ita ne non senseras, quod duobus cornibus præludendo, uno eodemque tempore non D minus in Oriente, quam in Africa Jesum solvere niteretur 'ntichristus? cum & illi sic Deum fateantur, ut Deus non sit: & isti sic hominem prædicent, ut hominem vacuare contendant? Inter quæ funesta pericula, quid prodest evasisse præcipitium, si recedatur in barathrum? Ante oculos non redibat, quod [e] *non solum qui ea faciant, sed etiam qui consentiunt facientibus*, simili damnatione censentur? Væ si etuditionem tuam tantum latuit scelus! væ amplius si non latebat, & gestum est! Nam si nihil aliud, hoc unum dilectioni tuæ potuit ad hæc præcavenda sufficere, ne te illorum communioni misceres, quibus communionem suam

a Rom. XI. 4. III. Reg. XVIII. 19. b Matth. VII. 13. 14. c Prov. XXVII. 6. d Heb. XI. 25. e Rom. I. 32.

1. In edit. *quantacumque*.
2. Deest in edit. *eam*. Intellige sententiam.
3. In edit. *non declinat*. Abundat negatio.
4. In edit. *ad solvendam justæ obligationem sententiæ*.
5. Forte legendum, *ita*. In edit. deest *quæ*.
6. In edit. *sic præventos*.
7. In edit. *communicare*.
8. In edit. *quod optamus*.
9. In edit. *adversatia*.

† *Et sublato*] Masseius, *eo sublato*. Fortasse rectius.

†† Leg. cum Masseio *inimicorum* ex Prov. XXVII. 6.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 488.

beatum Petrum noveras denegasse. Sed cum te scripturis refertum & catholica institutione pollentem [1] cuncti respicimus, tanto consolationis exitum non habemus quanto te perpendimus scientem petisse fœdera perditorum. [a] *Quis itaque dabit capiti nostro aquam & oculis nostris fontem lacrymarum?* Nunc vere de patria conversatione discessum est; nunc verum sentitur exsilium: nam illud salutis caussa est, [2] hæc ruinæ. Nec nos inaniter in te uno perpeti cuncta jactamus; cum secundum Apostolum [b], & in cujuslibet membri gloria cuncta A membra congaudent, & in quacumque parte corporis convulsa omnis compago vexatur. Et nos quidem pro affectu quem tibi debemus, prudentiæ tuæ cruciatum nostrorum viscerum duximus intimandum. Tuæ conscientiæ intererit, quemadmodum ab his laqueis expediri non renuas. Nobis enim in utroque fructus non vacuus erit, si vel (quod desideriis omnibus imploramus) de tuæ salutis & famæ redintegratione gratulemur; vel si (quod absit) nostra scripta contemseris, adjuvando fratri minime defuisse videamur.

III.

Epistola beati papæ GELASII *ad* NATALEM *Abbatem*.

Dilectissimo filio NATALI abbati GELASIUS episcopus.

QUamvis pro beati Petri Apostoli moderamine divinitus instituto, quo sedis ejus vicarii cunctis sunt ecclesiis debitores, ad fratres & coepiscopos meos per Dardaniam constitutos competentia scripta dederimus, antiquæ fidei communionisque tramitem subsequentes, ut cavere valeant contagia perfidorum, & nobiscum inlibatum tenere consortium; tamen dilectionem quoque tuam non [3] destitimus desiderantes affari, cujus solicitudinem de noxiis quibusque vitandis, & in retinendis quæ ad utilitatem pertinent christianam, laudabilem perspeximus esse fervorem, [4] ex litteris scilicet quas ad fratrem & coepiscopum meum Serenum tua caritas destinavit. [5] Proinde conlaborandum sibi tua dilectio perpendit evangelio Dei, & [6] æternæ salutis intuitum etiam adversantia quæque tolerando constanter; ut nullum subeas, quod absit, cælestis regni dispendium, ad quod utique nisi legitime certaveris, non potes pervenire. Tanto enim, præstante Domino, nobis est instandum vigilandumque, quanto sub ipso fine jam mundi vehementior humani generis hostis insistere non quiescit. Nihil significamus omissum, † quod aut correctioni rerum quas in ecclesias orientis seminavit inimicus, patrum regulis congruentem possit adhibere medicinam. Sed quid facimus? quia obduratis auribus vocem refugiunt veritatis audire: tantaque vis morbi sævientis incubuit, ut secum malint salvos quosque letaliter ægrotare, quam ipsi recipere sanitatem; nunc infitiantes universa quæ ipsorum chartis, ipsorum subscriptionibus adprobamus; nunc cum manifesta rerum fuerint luce convicti, palam aperteque fatentes errorem, nolle se tamen reverti ad viam B puræ confessionis communionisque [7] testantur: sed nos potius exspectant suis prævaricatoribus implicari. Quapropter, largiente Christi gratia, magnis studiis est agendum, ut quia de vita perpetua vel amittenda res agitur vel tenenda; demus operam quidem, si aliquos ex illis, operante Domino, salvare possimus: alioquin, sicut ait Apostolus, [c] *te ipsum castum custodi*. Perire volentium nitamur declinare perniciem; &, quod solum facere debeamus, divinam pro illis exorare clementiam, ut resipiscant a diaboli laqueis a quo capti detinentur †† ab ipsius voluntate: ut ab obstinatione mortifera respirantes, pestem quam se humanitus incidisse etiam ipsi sentiunt, inutili verecundiæ languore deC posito, ad recuperanda remedia sempiterna libero corde resipiscant. His ergo cognitis quæ sicut diximus ad regionum vestrarum sunt directa pontifices, & ipsi protegente vos Domino debetis esse convenienter instructi, & provinciis eadem quibusque [8] contiguis fiducialiter prædicare. Nihil est enim quod pavere debeamus, cum certum sit a cælesti Præsule non derelinqui quos suæ veritatis præstitit arma tractare; nec quidquam videamus ei ullatenus præferendum, cum ipsas animas nostras pro earum nos voluerit salute contemnere. Qualiter autem vel proficiat ibidem religionis integritas, vel quid forsitan adferatur, sæpius nobis vestra dilectio non omittat ostendere; ut necessaria, Christo triD buente, subsidia responsis congruentibus ministremus.

Subscriptio Papæ.

Deus te incolumem custodiat fili dilectissime.

a Jer. IX. 1. b I. Cor. XII. 26. c I. Tim. V. 22.

1. Deest in edit. *cuncti*.
2. In edit. *hoc*.
3. In edit. *desistimus*.
4. In edit. *ex litteris siquidem*.
5. Deest in edit. *proinde*.
6. In edit. *recte*, *ob æternæ* cet.
7. In edit. *testantes*, & infra, *exspectantes*.
8. Deest in edit. *contiguis*.

† *Quod aut — aut patrum regulis*] Sic Maffeius. Sed quum incommodum sit secundum *aut*, redundare proinde videtur & primum. †† *Ab ipsius volunt.*] Deest apud Maffeium præpositio *ab*.

INDEX EPISTOLARUM ROMANORUM PONTIFICUM.

SUPPLEMENTUM ACACIANUM,

ID EST:

S. AVITI

ARCHIEPISCOPI VIENNENSIS

OPERA

edita primum vel inſtaurata,

CURA ET STUDIO JACOBI SIRMONDI PARISIIS
ANNO MDCXLIII.

Deinde aliquot opuſculis aucta ſive ex DACHERII Spicilegio, ſive ex BALUZII Miſcellaneis, ſtudio cl. BAUNII Sirmondianorum editoris, ibidem anno *1696.*

Nunc vero primum acceſſit

B. AVITI Sermo feria tertia in Rogationibus habitus, quem in *Theſ. nov. Anecdotorum* edidere VV. Cll. Martenius & Durandus .

VETERUM TESTIMONIA
DE
S. AVITO.

I.

ENNODII *episcopi Ticinensis in* vita beati Epiphanii *episcopi*.

Dedit etiam præstantissimus inter Gallos AVITUS Viennensis episcopus, in quo se peritia, velut in A diversorio lucidæ domus inclusit.

II.

GREGORII TURONENSIS *lib.* II. Historiæ Francorum *cap.* XXXIV.

Magnæ facundiæ erat tunc temporis beatus Avitus episcopus Viennensis. Namque insurgente hæresi apud urbem Constantinopolitanam, nihil divinitatis habuisse Dominum nostrum Jesum Christum, rogante Gundobado rege, ipse contra eam scripsit. Exstant exinde apud nos epistolæ admirabiles: quæ sicut tunc hæresim oppresserunt, ita nunc ecclesiam Dei ædificant. Scripsit etiam Homiliarum librum unum, de mundi principio & de diversis aliis conditionibus, libros sex versu compaginatos. Epistolarum libros novem, inter quos supra dictæ continentur epistolæ.

III.

FORTUNATI *Pictaviensis episcopi lib.* I. de vita S. Martini.

Quod sacra èxplicuit serie Genealogus olim, B
ALCIMUS egregio digessit carmine præsul.

IV.

ISIDORI HISPALENSIS de illustribus ecclesiæ scriptoribus *cap.* XXIII.

AVITUS episcopus, scientia sæcularium litterarum doctissimus, edidit quinque libellos heroico metro compositos: quorum primus est de origine mundi, secundus de originali peccato, tertius de sententia Dei, quartus de diluvio mundi, quintus de transitu maris rubri. Scripsit & ad Fuscinam sororem de laude virginitatis librum unum, pulcherrimo compositum carmine & eleganti epigrammate coaptatum.

V.

AGOBARDI *Lugdunensis episcopi* adversus legem Gundobadi.

Temporibus Gundobadi regis Burgundionum fuit in urbe Vienna episcopus, AVITUS nomine, fide catholicus, eloquentia facundissimus, ingenio acerrimus, sacrarum litterarum expositor suavissimus, & in metris facillimus, sicut & ejus opera testantur. Qui cum eodem Gundobado frequenter de fide altercans, & dialogos in præsenti conficiens, & epistolis absenti respondens, plura & clara ingenii sui & virtutis opera reliquit. Qui ipso Gundobado in sua perfidia perdito, successorem ejus Sigismundum regem ad fidem catholicam convertit: C in cujus conversione recitavit Homiliam in populo, sensuum suavitate plenissimam, & verborum compositione dulcissimam.

Ejusdem adversus dogma Felicis. Beatus AVITUS Photinianorum hæreticorum validissimus expugnator.

Item de Judaicis superstitionibus. ALCIMUS AVITUS ecclesiæ Viennensis episcopus, quam eximius doctor orthodoxus & facundus exstiterit, pæne tota novit ecclesia Christi.

VI.

FLORI diacóni *ecclesiæ Lugdunensis*.

Sententiæ ex epistola beati Paulli Apostoli ad Romanos, a sancto & illustrissimo doctore ecclesiæ AVITO episcopo Viennensi expositæ, atque ex ejus opusculis in ordinem digestæ.

VII.

ADONIS *Viennensis episcopi* in Chronico ætate sexta.

AVITUS Viennensis episcopus, eloquentia & sanctitate præcipuus, & ejus frater Apollinaris Valentiæ episcopus miraculis insignis, Isicii, senatorii primum viri, postea Viennensis episcopi, duo lumina, clarissimi filii. Hic beatus Avitus adversus hæresim Arrianam, quæ tunc non solum Africam, sed & Galliam Italiamque magna ex parte occupaverat, magno sudore decertavit; quod clarissima ejus opera testantur. Scribit enim Dialogum, hæresim illam oppugnans, fidelissimo & doctissimo immortalique ingenio, ad Gundebadum Burgundionum regem, filium Gundovei. Item alios libellos A duos contra Nestorium & Eutychem, auctores erroris, luculentissimo & castigato satis sermone. Fuerunt & alia illius plura eximia opera in Christi ecclesia probatissima. Hic Sigismundum regem in fide pietatis erudivit: qui agente illo postmodum monasterium sanctorum martyrum Agaunensium, Mauritii sociorumque ejus, construxit. Quem postmodum captum & a Francis occisum vehementer doluit. Quantus autem in ecclesia Christi vixerit, quisquis scire ad plenum vult, post ejus innumera in divinis laboribus opera, Epitaphium ejus legat.

EPITAPHIUM
B. AVITI
EPISCOPI VIENNENSIS.

QUiſquis mæſtificum tumuli dum cernis honorem,
Cæſpite concludi totum deflebis AVITUM,
Exue ſollicitas triſti de pectore curas.
Nam quem plena fides, celſæ quem gloria mentis,
Quem pietas, quem larga [1] manus, quem fama perennat,
Nil ſocium cum morte tenet. Quin proſpice ſancti
Geſta viri: primum floreſcens indole quanta
Spreverit antiquo demiſſos ſtemmate faſces,
Maturum teneris animum dum præſtat in annis,
Et licitum mundi, voti virtute relegat.
Nec mora: pontificis ſic digna inſignia ſumit,
Augeat ut ſoliti felicia cœpta laboris.
[2] Nec tamen ob ſummi culmen tumefactus honoris
Erigitur, ſeque ipſe aliis plus æſtimat, immo
Subjicitur magnus, ſervat mediocria ſummus.
Diſtribuit parcus, paſcit jejunus, amando
Terret, & auſteris indulgentiſſima miſcet.
Cunctantes ſuaſu juvit, ſolamine mæſtos,
Jurgia [3] diſſolvit, certantes fœdere junxit.
Diſſona veridicam [4] inficiunt quæ dogmata legem,
Hortatu, ingenio, monitis, meritiſque ſubegit.
Unus in arce fuit, cui quolibet ordine fandi
Orator nullus ſimilis, nulluſque poeta:
Clamant quod ſparſi per crebra volumina libri.
Qui vixit, vivit, perque omnia ſæcula vivet.

1. *Larga*] Apud Ducheſnium tom. I. pag. 514. *promta*.
2. *Nec tamen* — *Erigitur*] Loco duorum horum verſuum ibidem legitur ſequens: *Culmen dulcedini, non obſtat pompa rigori*.
3. *Diſſolvit*] Ibid. *diremit*.
4. *Inficiunt*] Ibid. *fingunt*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 494.

[1] ALCIMI ECDICII AVITI

EPISCOPI VIENNENSIS

EPISTOLÆ.

EPISTOLA I.

AVITUS *Viennensis episcopus domno* [2] *Gundobado regi.*

TANTUM Christo propitio per diversas solicitudines mentem vestram veritas indagata perdocuit, ut nihil prorsus sit quod de catholicæ legis definitione vos lateat. Unde ex his quæ pietas celsitudinis vestræ dignatur inquirere, jam de plenæ instructionis arce descendens, non est nescientis interrogatio, sed conferentis. In tantum ut sententia evangelii quam litteris attigistis, non aliquid ambiguitatis in fide habeat, sed reprehensiones Judaicas in summa magis expositionis inquirat. Sic ergo ait lectio evangelica cujus in subdito mentionem fecistis: [a] *Vos autem dicitis, si dixerit homo patri suo aut matri, corban*, id est Hebraica lingua munus illud specialiter, quod obsequio devotæ oblationis offertur, *tibi profuerit*, hoc est patri aut matri, *& jam non missum facitis eum quidquam facere patri aut matri.* Puto vos autem hoc sermone ordiri, quia re vera ipsum specialius in epistola memorastis, quid vel unde dictum sit, Non missum facitis. Quod omnino nihil est aliud quam non dimittitis. A cujus proprietate sermonis, in ecclesiis palatiisque sive prætoriis, [3] missa fieri pronuntiatur, cum populus ab observatione dimittitur. Nam genus hoc nominis etiam in sæcularibus auctoribus, nisi memoriam vestram per occupationes lectio desueta subterfugit, invenietis. Ergo Non missum facitis, id est, Non dimittitis eum A quidquam facere patri vel matri, a quo honorari senio parentali, non verbis tantum, sed rebus obsequiisque præceptum est. Et similia, inquit, hujusmodi multa facitis, traditionem vestram institutis cælestibus præponendo. Sed hæc ad solos Scribas & Pharisæos dicta, qui sibi de legis supercilio [blandientes, quasi debita doctrinæ pretia reposcebant, nullum locum in sermone qui de fide tractatus est habuisse reperio. Racha vero Hebræum nomen est. Latine sonat inanis aut vacuus: quod ut nostris convenientius exprimit uno vocabulo [4] Græcus dicens κενός. Hoc autem convicium fratri, id est sub uno Deo patre & una ecclesia matre in una fide posito dicere prohibemur: quia inanitatis opprobrio B indigne appetitur qui non est vacuus a salute. Sed his collationis magis quam lucidandæ fidei exercitio reservatis, illud potius revolvemus, quod a sacerdotibus vestris scripsistis objectum. Igitur discutientibus vobis, [5] utrum Spiritus sanctus, qui in secreto baptismate indivisæ nominationis vendicat unitatem, creator an creatura credendus sit; cum si creator est, a divinitate nequeat separari; si creatura, Deo non possit uniri: pro penuria respondendi, sub cujusdam lubrico quæstionis interrogatum est a parte diversa, utrum spiritus noster creatus an sempiternus debeat judicari: quasi exemplo scripturæ cælestis interposito, quo dictum est: [b] *In-*

a Marc. VII. 11. *b* Sap. XV. 11.

1. *Alcimi Ecdicii Aviti*] Duo fere usurpari ejus nomina solent, Alcimus Avitus: tertium nos olim deprehendimus in titulo epistolæ, quam de poematum suorum editione scripsit ad Apollinarem fratrem. Itaque triplex Aviti nomen fuit, sed verum ac proprium Avitus, quod ideo postremum locum tenet, de veteri more Romanorum & aliorum qui Romanos æmulabantur: apud quos tandem invaluit, ut e multis nominibus id quod cuique proprium erat, ultimo loco statuerent. Qua de re pluribus alias dictum in notis ad Ennodium & ad Sidonium, in quorum nominibus, aliisque quam plurimis, id observabamus: quod ipsum & in sancto Hieronymo videre est, cujus integra nomenclatio fuit, Sophronius Eusebius Hieronymus.

2. *Gundobado regi*] Burgundionum in Gallia rex fuit, vel ex Francorum historia notissimus. Huic enim Clodoveus noster armis victor tributum imposuit, Patricio, ut Marius in Chronico refert, & Hypatio consulibus, id est anno Christi CCCCC. Gundobadi vero filios Sigismundum & Godomarum, post patrem regnantes, Clodovei filii vita regnoque spoliarunt. Verum ad Godomari tempora epistolæ Aviti non pertingunt, in quibus Gundobadi & Sigismundi crebra est mentio.

3. *Missa fieri pronuntiatur*] Redarguit primum hic locus cassum laborem illorum, qui Missæ nomen exoticum, id est, Hebraicum fingere ausi sunt, non Latinum, quod res est, & ex Aviti verbis perspicuum. Docet deinde, quod haud scio an a quoquam hactenus proditum, non in ecclesiis modo, verum etiam in palatiis prætoriisque usurpari Missæ nomen consuesse, cum populus a conventu di- C mittebatur. Ab hac igitur missa seu missione populi, quæ re peracta fiebat, translata vox fuit ad significandas res ipsas quæ gerebantur. Nam & missæ matutinæ & vespertinæ appellatæ sunt liturgiæ, seu solemnia officia, quæ matutinis aut vespertinis horis celebrabantur. Quod sane mirum eo minus videri debet, quod vice versa synaxis & collectæ vocabula, quæ proprie conventum & congregationem ad divina officia significant, pro ipsis quoque divinis officiis tum matutinis, tum vespertinis passim usurpata meminimus.

4. *Græcus dicens κενός.*] Hilarius in Matthæum cap. IV. *Raca vacuitatis opprobrium est, & qui sancto Spiritu plenum convicio vacuitatis insimulat, fit reus concilio sanctorum, contumeliam Spiritus sancti sanctorum judicum animadversione luiturus.*

5. *Utrum Spiritus sanctus creator*] Et Spiritum divinum creatorem non creaturam, & spiritum nostrum non sempiternum credendum esse, sed creatum, liquido & abun- D de probat adversus sacerdotes Gundobadi. Quod vero istos, dum caussæ indulgent, pro eo quod *inspiravit Deus* in Genesi legimus, *insufflavit* dixisse criminatur, non satis apparet quid illorum caussam juvet hæc mutatio: aut cur reprehendi hoc nomine possint, cum Græci codices ἐνεφύσησεν, quod est *insufflavit*, legant, atque hanc lectionem exhibeant Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius & Augustinus, ne alios recenseam. Adde quod Sapientiæ capite XV. ne argutari liceat, utrumque copulatum est, τὸν ἐμπνεύσαντα αὐτῷ ψυχὴν, καὶ ἐμφυσήσαντα πνεῦμα ζωτικόν. *Et qui inspiravit animam & qui insufflavit ei spiritum vitalem.*

sufflavit Deus spiritum in animam vitæ. Primum A ergo conjicite quid in expositione facturi sunt, qui de testimonio mentiuntur: aut qualiter adinventiones suas fallaciæ tumoribus impleant, qui dicta divinæ auctoritatis immutant. Nam quod dixerunt, Insufflavit Deus spiritum in animam vitæ, artificiosa eorum fraude confictum est. Quem locum si recensendum sibi pietas vestra decernat offerri, sic inveniet scriptum: [a] *Et fecit Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ: & factus est homo in animam viventem*. Perpendite nunc, quanta sit in sermone distantia. Illi dixerunt, Insufflavit in animam, cum scriptum sit: Inspiravit in faciem. Inspirare enim incorporeus potest, insufflare nisi corporeus non potest. Deus B autem non quasi animæ jam viventi spiritum legitur insufflasse, quem addiderit: sed materiæ nondum viventi, sicut antiqui codices habent, spiramentum vitæ quo in animam viventem sublimaretur, infudit. Ergo si inspiratione hac anima hominis facta est, & non est aliud anima humana quam spiritus, restat spiritum principio non carere. Quod objurgati a vobis senserunt sibi protinus opponendum, nisi per insufflationis carnale commentum spiritum ipsum animæ potius quam corpori inditum mentirentur. Nam cum quærant intentione letali, non quomodo quæ sunt scripta cognoscant, sed qualiter scripta putentur esse quæ prædicant, quid putamus imperitis faciunt, qui instru- C ctionis vestræ reverentiam non pavescunt? Tractemus, si propitii sinitis, quanta ineptia proponatur, quod si Dei spiritus creatura non est, ac sic nec in homine creatura poterit dici spiritus, quem Deus insufflasse perhibetur. Nihil omnino esse præter duo, id est creatorem creaturamque, sæpe definitum est. Dei porro spiritus factor, hominis vero factura accipi debet. Unde spiritus qui in nobis vivit, potentia Dei intelligitur, non natura. Nam si vegetandis nobis substantia sancti Spiritus credatur immixta, placabilis sit Dei & vester auditus, blasphemia talis, ut etiam convincatur, vix sine peccato repeti potest. Quoniam si præventus carnaliter peccat spiritus humanus, Spiritus sanctus D peccare in eo dicendus est: vel certe Spiritui sancto remissionem dari poscimus, cum pro defunctorum spiritibus supplicamus. Parum ne rogo hactenus fuit, ut alter Spiritus sanctus, alter Paracletus diceretur: nisi addatur hæc pro ultima perfugii necessitate numerositas, ut mancipati insuper contagio delictorum tot divini spiritus quot homines computentur? Et perite scilicet decrevit sacerdotalis auctoritas, uno modo cunctis generaliter spiritum divinitatis infundi. Perinde se fortasse Judæo, hæretico, gentilique, ut catholico, Spiritus sanctus insinuat, an forsitan patris vel filii jussione invitus in criminosorum membra contruditur? Sed quid facimus, quod spiritus ubi vult spirat? Qui si abs- E que arbitrio suo corpora indigna sanctificat, revincit Prophetam dicentem [b], quod non habitavit in corpore subdito peccatis. Quocirca humanus spiritus creatione inchoatur, divinus autem benignitate conceditur. Non enim absque vitæ suæ spiritu erant, quibus in Apostolorum gestis [c] imponitur manus ut accipiant Spiritum sanctum. Quod si ipsum quoque Spiritum sanctum, pro eo quod creatorum fidelium mentes introeat, volunt fieri creaturam, de supra scripta videlicet conclusione, qui peremtorie nihil dicentes, Si Dei, aiunt, spiritus creatura non est, ac si nec in homine creatura poterit dici: quid nunc de patris vel filii divinitate censebunt, quam & creatam comminisci non poterunt, & lectione perterriti habitare sanctorum corpora non negabunt, Apostolo fidelibus protestante, [d] *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos?* Sed cum incomparabiliter plura sint quæ sub præsentia gloriæ vestræ suggeri queant, illud in fine sermonis, cui non solum tribuitis sed injungitis libertatem, Deum vosque, divina vestraque promissione fretus, obsecro ne diutius sacerdotes vestri dicantur, qui sancto Spiritui contradicunt: ne deinceps coram vobis permittantur docere qui renuunt discere: ne [1] ad perfectionem vestram aliquatenus differendam persistant blasphemare quod audiatis, qui nolunt sentire quod creditis: ne tolerando imperitorum versutias & ineptias callidorum, suspendamini a professione, cum jam dudum in confessione teneamini. Vobis per epistolam suam sanctus Apostolus Paullus inclamat: [e] *Quæ pax fideli cum infidelibus? quæ societas luci cum tenebris? Propter quod*, inquit, *exite de medio eorum, & separamini*: id est, ne communicaturos ultra peccatis alienis lævæ partis vicinitas maculet, quos dexteræ veritas acquisivit.

[2] EPISTOLA II.

Avitus Viennensis episcopus domno Gundobado regi.

Unicum simul & multiplex donum sæculo nostro nutu divinitatis indultum est, ut inter regias ordinationes gloriosissimi principatus vestri, principaliter de tuenda catholicæ partis veritate curetis. De cujus studii pietate processit, quod dimissa nuper clementis præcepti auctoritate jussistis, ut contra Eutychiani dogmatis redivivum furorem, velut ab exstincto resurgentis incendii fomite pullulantem, de sacro scripturarum cælestium fonte exemplorum flumina deriventur. O res dignissima, quam tantus præsul juberet, si eligeretur qui jussionem dignus exciperet: si virtus facundiæ thematis responderet auctori: si ad multiplicandam populorum salutem sic nostra satisfaceret lingua proloqui, ut abunde sufficit benignitas vestra præcipere: cum devincti vobis imperatoris patriam personamque, non, ut regibus ceteris moris est, tantummodo ad commodum mundanæ pacis amatis: sed dum coram vobis præveniri timetis errore, omnem quæ inter vos est amicitiam in eo illi vultis prodesse ne peccet. Quem quidem & præconio attollitis, & fidelem Deo devotumque laudatis. (*) De qua præcipue ad triumphalis veniam plenitudinis veniant quis digne meretur. * Ego tamen Deum pro viribus quæso, ut is ipse de quo loquimur, Cæsar Græcorum, si fidelis vobis, etiam nobis honorabilis, persuadeatur

a Gen. II. 7. *b* Sap. I. 4. *c* Act. VIII. 17. & XIX, 6. *d* I. Cor. III. 17. *e* II. Cor. VI. 12. & 17.

1. *Ad perfectionem vestram*] Gundobadum narrat Gregorius Turonensis libro II. Aviti episcopi dissertationibus convictum, Trinitatisque æqualitatem confessum, clam ut chrismaretur expetiisse: metu autem populi deterritum, ne conceptam fidem publice, quod episcopus suadebat, profiteretur, usque ad exitum vitæ in insania perdurasse.

2. *Epistola II.*] De hac epistola & sequenti, aliisque ejusdem argumenti, quæ in Flori Excerptis memorantur, cum laude meminit idem Gregorius eodem loco. *Insurgente*, inquit, *heresi apud urbem Constantinopolitanam, tam illa quam Eutyches quam illa quam Sabellius docuit, id est, nihil divinitatis habuisse Dominum nostrum Jesum Christum, rogante Gundebado rege Avitus contra eos scripsit. Exstant exinde ipsius apud nos epistolæ, quæ sicut tunc heresim oppresserunt, ita nunc ecclesiam Dei ædificant.*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 494.

a principe noſtro quod ſuadeat populo ſuo: & cum ſe ad tenendam veritatem vobis reddiderit docilem, ad expugnanda propriæ regionis contagia prædicationis veſtræ factum ſe gaudeat adjutorem. [1] Eutyches ergo, perniciei cujus mentio eſt, funeſtus incentor, Conſtantinopolitanæ eccleſiæ quidem presbyter, ſed copioſæ monachorum multitudinis præpoſitus fuit: cujus officii perſonas epiſcopi orientales Archimandritas appellant. Hic ergo ad ſummum ſacerdotium famæ ſuffragio comparandum, intromittendæ cujuſcumque novitatis ſtudio appetenter ardeſcens, iſtud quod in ſectatoribus ejus horremus, ſuſurris dicitur magis invexiſſe, quam litteris. Siquidem nihil exſtitit claræ eruditionis in viro, quod in aliqua recti ſimilitudine ſenſum conceptæ animoſitatis adſtrueret. Infectis primitus monachorum animis hoc veneno, quos nefario docens ſub colore gubernaculi naufragiis exponebat, numeroſi, ut ſupra diximus, comitatus hæreſiarches effectus, multorum antiſtitum judicante concilio, nec non & presbyteris urbis Romæ in id ipſum directis, diſcuſſus, detectus atque damnatus eſt. Sed quia nullum ſchiſma ſic umquam cum auctore ſuo potuit abrogari, ut ex integro depelleret perniciem magiſterii; mox malum quod digna pontificum fuerat proviſione ſucciſum, contagio ſuſceptorum jam pridem ſemina ſervans, velut ab infecta loliis tellure ſurrexit. Hinc nunc hæreſeos contra quam loquimur, audite propoſitum. Filium Dei, cum patre ante ſæcula permanentem, quem idcirco ad ſalutem noſtram deſcendiſſe de cælo ut corpus aſſumeret fides recta confitetur, negant in alvum femineam potuiſſe contrudi; cum Dei filius, utique Deus, qui dixerat per Prophetam: [a] *cælum & terram ego impleo*, non potuerit venire quo erat, niſi per ſuſceptionem carnis acquieſceret eſſe quod non erat. Quam concluſionem metuens Eutyches ille quem loquimur, cum in ſynodo ſuperius deſignata ſtudioſe ab auditoribus urgeretur, ut [2] Mariam virginem [3] θεοτόκον, id eſt, quæ Deum peperiſſet, pronuntiaret atque ſubſcriberet; ad ingenii nequitiam fraude converſus, χριστοτόκον quæ Chriſtum tantummodo videretur edidiſſe, confeſſus eſt: ut ſcilicet diviſa credatur perſona quæ ſervat divinitatis naturam, ab ea quæ ſuſtinuit paſſionis injuriam. Refrenandam a prærupto ancipiti lævam fugiens, dexteram non præſumens, ac perinde latus utrumque formidans, ſub temperamenti medio via tutior, in qua duplicem ſubſtantiam redemtoris diſcerni dicimus poſſe, non dividi. Neque nos nitimur, ut inviolabilis divinitas dolores corporeos perpeſſa credatur, cum omnis cunctorum corporum dolor ſecuturam mortem naturali quodam præcedat officio. Unde ſicut & ipſa caro noſtra, reſurrectionis dono impaſſibilis futura poſt mortem eſt: ſic Deus qui ſentire obitum non poteſt, ſuſcepto corpori cui unitus adhæſerat, ſine patiendi E

A acerbitate compatiens, nec defuit in ſalutis noſtræ glorioſo agone, nec doluit. Contra hujus diſtinctionis ſenſum hæreſis adverſa ſe ſubrigens, veris cruciatibus nec Chriſtum patitur inclinari: cum in ipſa divinitate in qua inveniri non poteſt afflictio corporalis, interdum tamen pietatis reperiatur affectio, ſicut legimus dici de Iſraelitis: [b] *Exclamaverunt ad Deum, qui doluit ſuper miſeriis eorum*: & Apoſtolus jubet [c], ut non contriſtemus Spiritum ſanctum Dei: & ſi qua his ſententia ſimilis in ſacris voluminibus recenſita, bonitas potius miſericordiæ, quam neceſſitas eſt naturæ. Interim in conſequentibus duorum aſſertione dilata, unitas mihi in Chriſto ſubſtantiæ duplicis adſtruetur. Ubi ſunt enim B tanta in ſcripturis cæleſtia myſteria veritatis, quæ nihil aliud moliuntur, niſi ut nobis incarnationem Verbi cum hominis divinitate perſuadeant? [d] *In principio*, inquit, *erat Verbum & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Ecce agnovimus quid erat quod non cœptum eſt: nunc ſtudeamus videre quid cœptum atque ſecutum ſit. [e] *Et Verbum*, inquit, *caro factum eſt*. Quod Deus in principio erat apud Deum, & initio caret & termino: quod Verbum carne veſtitur, caret fine, ſed conſtat a capite. Adſit nunc ſermoni noſtro Emmanuel ille priſca prophetalis oraculi voce prædictus, qui ut Nobiſcum Deus eſſet, ſicut dixit Eſaias, [f] *Puer natus & datus eſt nobis filius Dei*. In caſſum corporalitas a divinitatis dividitur C ſacramento, ſi veraciter propheta Dei filium proceſſiſſe confirmat in puero. *Et vocabitur*, inquit, puer ipſe *admirabilis*, *conſiliarius*, *Deus fortis*, *pater futuri ſæculi*, *princeps pacis*. Quantum pertinet ad vocabuli proprietatem, ſufficit Emmanuel puerum nuncupari. At vero cum dicat, *vocabitur admirabilis*, *conſiliarius*, *Deus fortis*, vel cetera quæ ſequuntur; quæ rogo tot vocabulorum ratio reperitur, niſi ut agnoſcamus veridicum vatem, in una eademque perſona quæ divinitati humanitatique competerent exprimentem, ex operibus ſecuturis beneficia mediatoris potius enumeraſſe, quam nomina? Cogam tamen heic hæreticum reſpondere, quis vocandus poſſit intelligi *Deus fortis*, *pater futuri* D *ſæculi*, *princeps pacis*? Si filius Dei ante ſæcula manens, cur adhuc in futuro ſic vocabitur qui ſemper hoc exſtitit? Si filius hominis qui naſcetur, ſervat copulandæ diverſitatis myſterium temporum plenitudo. Quam cum utique conſequenter Apoſtolus replicaret: [g] *Poſtquam*, inquiens, *autem venit plenitudo temporis*, *miſit Deus filium ſuum * natum ex muliere*. Quod mater peperit, pater miſit: hoc eſt, naſci corporeum, quod venire divinum. Noluit Deus latere quem deſtinat: capiat mundus dominici adventus indicia. Quem pater ſine matre genuit, genitrix ſine patre concepit, hic æque Dei filius & hominis erit. Super ſacramento tamen iſto Gabrielem archangelum conſulamus: principem videlicet

a Jer. XXIII. 24. b Jud. X. 15. 16. c Epheſ. IV. 30. d Joan. I. 1. e Ibid. ℣. 14. f Iſa. IX. 6. g Gal. IV. 4.

1. *Eutyches archimandrita*] Celeberrimo Conſtantinopoli monaſterio præfuiſſe teſtatur Liberatus in Breviario: ſed monaſterii nomen, nec ipſe, nec alii produnt. Hic nominis ſui hæreſim condere adorſus anno Chriſti CCCCXLVII. damnatus eſt primum in ſynodo Conſtantinopolitana Flaviani, deinde in œcumenica Chalcedonenſi.

2. *Mariam Virginem* θεοτόκον] Eutychi tribuit quod Neſtorio congruebat. Neſtorii enim error fuit, ſanctam Mariam θεοτόκον non eſſe dicendam, ſed χριστοτόκον. Tota igitur epiſtola, etſi habet quæ Eutychi adverſentur, præcipue tamen adverſus Neſtorium dimicat, qui duas in Chriſto perſonas ſtatuebat, unam Dei, alteram hominis, Mariamque ajebat non Deum peperiſſe, ſed hominem qui divinitate poſtea in baptiſmo ſit donatus. Avitus contra unicam docet in Chriſto duplicis ſubſtantiæ perſonam, æque Dei filium & hominis fuiſſe; quem pater ſine matre genuit, genitrix ſine patre concepit, Deum denique in Chriſto eſſe natura, non gratia.

3. θεοτόκον, χριστοτόκον] Horum alterum tantum admittebat Neſtorius, neutrum Eutyches, utrumque eccleſia catholica. Neſtorius enim, ut dictum eſt, Deiparam negabat, Chriſtiparam confitebatur, ſed hæretico ſenſu, Chriſtum aſſerens hominem tantummodo ex Maria prodiiſſe. Eutyches vero, cum carnem de cælo habuiſſe Chriſtum, nec illi a Maria miniſtratam doceret, nihil cauſſæ habuit, cur Dei aut Chriſti matrem appellaret. At fides orthodoxa utrumque ſic amplectitur, ut utrumque in utroque tacite profiteatur. Nam cum in Chriſto Deum ab homine non divellat, nec hominem in Deipara excludit, nec Deum in Chriſtipara: propter ſingularem perſonæ unitatem, qua Verbum in carne caro, homo in Deo Deus eſt, ut loquitur Vincentius Lirinenſis.

* *Natum ex mul.*] Vulg. *factum*: cui concinit Gr. γενόμενον. Heic tamen varia fertur exemplarium tum Græcorum tum Latinorum lectio. Quemadmodum Avitus, *natum* quoque legunt Irenæus lib. III. cap. XVIII. & Cyprianus lib. II. ad Quirin. Neque aliter Auguſtinus.

ministrorum, cui ineffabilia perspicuæ majestatis arcana, ut pote qui indefessæ obsecutionis ministerio conspectibus perpetuæ claritatis adsistat, non intelligenda tantummodo, sed contemplanda monstrantur. Hic quippe primus legationem cælorum terris attulit: hic verbo virginem fecundatam divini germinis promissione dotavit: hic unius mulieris salutatione omnem mundum salute complevit. [a] *Spiritus*, inquit, *sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*. Cum ratio nulla reperiat, ut solus homo credatur de Spiritu sancto conceptus, cum omnem hominem Psalmista [b] in iniquitate concipi, & in peccato afferat nasci: ostenditur heic per Angelum, ob Spiritus sancti virtutem feminæ membris infusam, sanctum quod de tali ministerio esset dicendum: quod nunc separatione connexa intelligit Apostolus, ac definit quod ad redemtionem nostram Deus esset in Christo. Sed callidus forsitan contradictor sic apostolici sermonis hujus testimonio velit abuti, ut acquiescat Deum esse in Christo, sed gratia, non natura: sicut est in corde sanctorum, quorum mentes a peccato liberas habitatio divinitatis illustrat. Videamus nunc pareat ne commentum, si sententia compleatur. [c] *Deus*, inquit, *erat in Christo mundum reconcilians sibi*. Eligat hic doctor adversus, quis mundum inter ipsa pæne sui exordii rudimenta, benignissimo creatori peccato primi parentis offensum, sibimet ipsi in sæculorum fine conciliet. Si solus Deus, quid excuset sibimet quod sufficit remisisse? si autem solus homo, quo effectu sibi mortalis reconciliat quod divinitas non relaxat? Unus est ergo Deus & homo, qui sibi mundum ipse commendet: qui pro sæculi vita sibi patris filio supplicet filius matris. Unde non dixit Apostolus, mundum reconcilians Deo, sed sibi: ne forte pro redemtione humani generis solum hominem orasse sentires: qui utique nisi in divinitatis naturam transiret assumtus, non solum obnoxietatem humani generis nulla intercessione dissolveret, sed & ipse communis debiti sarcinam parentali chirographo sustineret. Hoc ergo remedium idem Apostolus dicit [d] dispositum esse per Angelos in manu mediatoris. Et ostendens caussam qua medium se præberet, assumtus ab infimis, inclinatus a summis, [e] *Mediator*, inquit, *unius non est: Deus autem unus est*. Quæ cum ita sint, sicut nisi inter duos agat, incongrue mediatio nominatur: ita ipse quem mediatorem dicimus, si solam quam velis ex duabus substantiam reciperet, ad subeundum medium nihil haberet. Quod uno quidem, & tali qui nulla calliditate fucetur, sermone concludit dicens: [f] *Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum*. Ipse videlicet pax humilium atque celsorum, unus factus ex utroque unum reddidit ex utrisque. Certe sicut supra posuimus, aut expositione testimonium, aut argumento egere videtur exemplum. Quid vel illo Apostoli sermone lucidius, quo cum diversis hominum generibus se coaptans, omnibus omnia se factum referret, ut omnium animas talentorum cælestium cupidus duplicator acquireret: [g] *Factus sum*, dixit, *his qui sine lege erant quasi sine lege essem, cum sine lege Dei non sim, sed in lege sim Christi?* Numquid est quisquam tam in profunda demersus, qui istud censeat explanandum, si in lege

A Christi est sine lege divina? Patet nempe quod unus est lator legis, qui unus idemque, ut significat Psalmus [h], præterita futuraque complectens, benedictionem dabit in baptismo, qui legem dederat in præcepto. Offendit quidem mentes carnalitate depressas, & conjecturis humanæ consuetudinis hebetatas, tantæ disparilitatis in unum coacta proprietas: ut scilicet divina plenitudo & humana conditio, ut servi humilitas Dominique majestas, ut creatoris virtus & servitus creaturæ, unam ex his omnibus videantur reddidisse personam. Sed nec ratio soliditatis istius a sapientum soliditate longinqua est, quæ videtur maximum tenere in heredibus: quod ille solus hominis statum potuit reformare de B perdito, qui formavit e cæno. Unde beatissimus Paullus: [i] *Primus*, inquit, *homo de terra terrenus, secundus de cælo cælestis*. Verum quidem hominem dixit, sed terrenum cum contagio pollutionis, cælestem cum consortio divinitatis. Rogo nunc, cum Apostolus dicat hominem descendisse de cælis, quis est qui negare audeat Deum rediisse de terris? Adhuc si parum est, quod Vas electionis asseruit, consulamus illum qui mentem electi pretiosissimi Vasis implevit: [k] *Nemo*, inquit, *ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, filius hominis qui est in cælo*. Si ita ipse Deus veritas cum sua incarnatione concordat, ut ante omne sæculum uniret præscientia, quod in sæculorum fine assumere disposuerat in natura: C videte utrumnam Deus sit qui conscendit post resurrectionis triumphum, si cum patre filius fuisse dicitur ante carnis exordium: aut * quanta facta sit soliditas in præteritis, cujus tanta unitas prædicatur in futuris. Sed ne aliquid de hac immutabilitate cunctemur, adhuc addit Apostolus de Psalmo testimonium ponens: [l] *Propter quod dicit, Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Quod autem ascendit*, inquit, *quid est nisi quod etiam descendit in inferiora terræ?* Parum est, quod Deum dicit in terram venisse, nisi confirmet eum propter unitatem personæ quam susceperat * in inferna descendere. [1] Certe circumfrementibus Judæis, & in Dominum nostrum blasphe- D miarum tela vibrantibus, quid respondisse credimus: [m] *Amen dico vobis, ante Abraham ego sum*, nisi quia per concordiam genitoris & geniti, ipse per traducem maternorum parentum descendit ex Abrahæ semine, qui sine annorum numero Abraham præivit æternitate? Qui maximus patriarcharum, cum videret illum diem in quo sine fine permanet Deus, concupivit tamen illum videre quo homo unitus est Deo. [n] *Vidit*, inquit, *& gavisus est*: quia sicut cernebat illum in quo erat genuina majestas, ita & illum desiderio conceperat in quo adoptata illustrabatur humilitas: [o] *Tulerunt ergo*, inquit, *lapides ut jacerent in eum*. Quid porro miramur Eutychianos contra catholicam fremere, cum videa- E mus caput nostrum a suis ad quos venerat pertulisse, redditurumque perfidiam indignatione una cum fine? Eo contumeliæ sensu heic Judæus sævit, quo heic hæreticus livet. Parricidalis quidem illic fuit in Dominum cæli lapidum jactus: sed putes & istos tempore suo veritati perspicuæ cum duris mentibus saxa jaculari. Ne Deus & homo unum credatur, conjurat furor duorum. Liceat rogo quod facti sumus in melius provehi: liceat compactam luto ma-

* Alia lectio *quanta sit soliditas*.

* Alia lectio *in infernum descendisse*.

a Luc. I. 35. *b* Psalm. L. 6. *c* II. Cor. V. 19. *d* Gal. III. 19. *e* Ibid. ℣. 20. *f* Ephes. II. 14. *g* I. Cor. IX. 21. *h* Psalm. LXXXIII. 8. *i* I. Cor. XV. 47. *k* Joan. III. 13. *l* Ephes. IV. 8. *m* Joan. VIII. 58. *n* Ibid. ℣. 56. *o* Ibid. ℣. 59.

1. *Certe circumfrementibus Judæis*] Hunc locum profert Agobardus adversum dogma Felicis sub finem. *Beatus quoque Avitus, Photinianorum hæreticorum validissimus expugnator, scripsit dicens*: Certe circumfrementibus Judæis, cet.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 494.

teriam supernorum honore sustolli. Quid tantum contra te homo niteris, ne in Deum posse transire credaris? Vocat te ad participationem sui superna majestas: cur offerentem renuis? quid despicis ingerentem? Excolo pro adipiscenda similitudine veritatem, diligo pro sectanda imitatione doctrinam. Si caput nostrum est Christus, in sublimatione sument quantulæcumque sublimitatis consortium membra de vertice. Poscant igitur alii destructores de utriusque testamenti corpore exemplorum similitudinem, quibus proposita tueantur: negotio huic sic annisus bibliothecæ utriusque constat, ut si confirmare quod loquimur testimonio adstipulante velimus, cuncta videantur in unum opus canonicorum voluminum oracula congerenda. De quorum multitudine juste, ad declinandam prolixitatem, electa quæque ac deflorata ponuntur. Quia sicut minimi effectus sunt, quæ tantum de nostro prolata, nullo scripturarum cælestium adminiculo fulciuntur: ita qui recipere pauca fastidit, non virtute, sed mole rem conjicit: quoniam vinci metuens, instrui nolens, ad deferendam veri cognitionem volumen potius quam documenta desiderans, non caussas putat rerum magnitudine constare, sed paginis. Dominus itaque ac redemtor noster, adventum gloriæ suæ discipulis specialius inter præcepta omnia manifestans; [a] *Cum*, inquit, *venerit filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc congregabuntur ante illum omnes gentes, & separabit eas ab invicem, & statuet justos quasi agnos a dextris, impios autem sicut hædos ad lævam. Tunc dicet rex illis: Venite benedicti patris mei, possidete regnum quod paratum est vobis a constitutione mundi: & eis qui a sinistris sunt, ut discedant ab eo in ignem æternum, quem præparavit Deus pater diabolo & angelis ejus.* Quid, rogo, heic contemptibile in Christo superbia humana fastidiat? quid tam metu dignum? tam honore conspicuum? tam terrore venerandum? Excogitet hæreticus, utrum istuc patris gloriæ adjungat, an filii. Ad negotium quod gerimus, audire mihi sufficit, *Cum venerit filius hominis in majestate sua.* In præsenti sæculo: [b] *Discite a me quia mitis sum & humilis corde.* In futuro, prænoscite quia celsus & terribilis claritate in gloria sua veniet cum Angelis sanctis suis. Dicat nunc divisor mediatoris uniti, in corpore contumeliis inclinato unde sit quæcumque majestas, si non est ulla divinitas: ut taceam quod a patre seu regnis seu gentibus per singulorum merita destinatur. Formidabilius videri potest: hominem retributiones congruas judicando decernere, quam Deum patrem sentiat filio hominis instrumenta judicii præparasse. [c] *Filius enim hominis venturus est in majestate patris sui cum Angelis suis sanctis, & tunc reddet unicuique secundum opera sua.* Non dixit, cum patris Angelis veniet, sed cum suis: quia quæcumque habet pater, & sua sunt. Unde cum filius matris recipiat in celsitudine quod patris filius contemtus est in humilitate: quis umquam sit hæreticus tam rebellis qui Deum, cui immortalem Angelorum substantiam videt subjici, ipse mortalis in mortem mortuus nollet inflecti? Dixit quodam evangelii loco [d] Abraham ille cujus supra fecimus mentionem, cum a quodam pro remedio A æstuantis incendii cassis sero precibus oraretur, quod si quis Moysem vel prophetas noluisset recipere, utique nec venientem a mortuis audire. Quis est autem prædicator ex mortuis suscitatus, nisi Christus Jesus, in cujus duplicem quam loquimur substantiam duplicis testamenti unitas ex diversitate colligitur? Ea siquidem referuntur in evangeliis quæ prædicata sunt in prophetis, & sit ex viribus testamenti, non diversitate, sed tempore. Recens quippe, quod hodie completur: quod autem diu exspectabatur, antiquum est. Nam quia de Abraham opportunitas sermonis exorta est, qui auctor utriusque testamenti legitur institutus, * vetusti scilicet intromittendo circumcisionem, novi vero placendo per fidem, in illo Judæorum tantummodo, B in isto autem multarum gentium pater: experiamur utrum evangeliis de Christi generatione concordet, in quo se patrem gentium recognoscat, an æternitatem hujus ipsius sobolis quam erat geniturus, intelligat. Utrum se juniorem nepote cognoscat: utrumnam redemtori, quod se ante Abraham ponit, & ipse consentiat: utrum sine supercilio parentali, reverenter impenderet ministerium semine corporali exorto creatori. Inferat se paullisper loco præsenti illa obtestatio, juramenti fidem poscens, sed sacramenta patefaciens, qua dispensatorem domus suæ non sine mysterio gratiæ subsequentis adjurans, [e] *Pone*, inquit, *manum tuam sub femore meo, & C jura mihi per Dominum cæli, quod non accipias uxorem filio meo de filiabus Canaam.* Dicat mihi quæso, quæ jurisjurandi reverentia putetur in femore. Quod si personaliter tantummodo fieret, facilius caput tangeret adjuratus. Aut quæ caussa femoris, interposita Dei ac Domini mentione jurandi; nisi quia per illum Deum ac Dominum cæli quem inde sæcula videbantur prolatura, juratum est? Scit ergo nimirum, cui prosapiæ non tam præemineat ipse, quam serviat. Novit quippe quid in corpore suo debeat adorare: intelligit membra, quæ contra humanam consuetudinem speciali honore veneretur. Post quæ præcedentum indicia, miracula subsequentum, licet plurima testimoniorum de Evangeliis A- D postolisque promamus, metuo ad ultimum, quod cum Eutychiani nec patriarchalibus factis, nec dictis prophetalibus excitentur, si Moysem & prophetas non audierint, nec ei qui ex mortuis reversus est credent.

* Alia lectio veteris

EPISTOLA III.

Avitus Viennensis episcopus domno Gundobado regi.

PUto nunc non parvi operæ pretium esse momenti, si occasionem quæ præsenti tempore in abruptæ diversitatis letabundum virus erupit, pagel- E læ præsentis mentione contingam. Quieverat ergo post [1] Acacii quondam Constantinopolitani sacerdotis excessum, mali ejus quod expugnandum suscepimus, pullulans ab Eutychete persuasio. Cujus idem Acacius, ut celsitudo vestra potest habere compertum, amator magis trepidus, quam assertor publicus erat: laudans quidem quæ ab illo repererat,

a Matth. xxv. 31-34. 41. b Matth. xi. 29. c Matth. xvi. 27. d Luc. xvi. 31. e Gen. xxiv. 2.

1. *Acacii Constantinopolitani sacerdotis*] Primis hic annis sapere visus est, & pro synodo Chalcedonensi decertare contra Eutychianos. Mutato postea consilio, quam graves in ecclesia turbas excitarit, vel occulte, vel aperte iisdem adhærens adversus synodum ejusque defensores, declarant pontificum epistolæ, tum Simplicii qui eum ad meliorem mentem revocare conatus est, tum Felicis a quo tandem ob pervicaciam damnatus & anathemate percussus est. Episcopatum tamen, favente Zenone Augusto, ad obitum usque retinuit. Defuncti porro Acacii nomen Felix e diptychis deleri jusserat: de quo varia rursus inter episcopos studia fuerunt; & vix tandem ut Constantinopoli expungeretur sub Hormisda impetratum est.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 494.

ed prædicare ea devoto tunc itaque impolluto populo non præsumens. Pro cujus obumbratione figmenti simulati, ob gratiam imperatoris sæculi sui, non impunitus tantummodo, verum & indiscussus interiit. Hinc se de impendenda defuncto communione in contrarium vulgi, immo, quod asperius fuit, & sacerdotum studia diviserunt. Et ut quisque recte aut prave de fidei ratione conceperat, ita etiam de prædicatoris præteriti memoria sentiebat. Tracta est interim, non per manifesta sed subita, nec tam separatione quam simultate dissensio. Actum est igitur [1] cum rege orientis anno superiore, ut hinc cum episcopo urbis suæ quasi leni colloquio & blanda meditatione conferret. Est autem illic [2] consuetudo in ecclesiis nobilium civitatum, supplicationem cum laude divina inter Missarum initia celebrari: quam tanta devotione atque alacritate consonæ plebis clamor attollit, ut credant non immerito, omne suffragium sacrificii subsequentis præmisso hujus devotionis obsequio placiturum. Supplicationis vero ipsius imam partem, licet pietati vestræ notissimam, in loco, sicuti res postulat, suggerendam putavi. Ἅγιος ὁ Θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος ἐλέησον ἡμᾶς. ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, ἐλέησον ἡμᾶς. Itaque sicut insusurratum fuerat principi, & ipse insinuat sacerdoti, nil in querelam venire, nullam fieri de schismate mentionem, si hoc quod in ipsa oratione animos aliquantulorum movebat, a principe obsecratus antistes aut juberet aut permitteret abrogari. Illud moleste quospiam ferre, quod in ima prædicationis ipsius parte clametur, ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, ἐλέησον ἡμᾶς: quod latine intelligitis dici. *Qui crucifixus es propter nos, miserere nobis.* Persuadetur episcopo negligenti, nec usque sic docto, ut tantæ urbis, perindeque totius orientis patriarcham decet. Concipit igitur atque disponit, solemnis hujus præconii incaute definitionem facturus: eo maxime effectu, quo res, nec de canonicis scripturis tradita, nec Apostolorum temporibus instituta, etiam contra vota populorum facile videretur posse mutari. Sed [3] ubi primum hymnus in ecclesia cantari solitus, ultima orationis parte truncatus, minus audientibus satisfecit, quidquid putabatur ab Eutychianis hæreticis concipi, patuit totum hoc ab episcopo prædicari. Quis enim fidelium non jure moveretur, audiens crucifixo pro nobis, ut misereatur, minime supplicandum? Quid multis? crescente seditionum procella, dum insistit populus, nec obsistit Augustus, [4] antiqua sacerdos, quodque magis dolendum est, nec innocens, sede propellitur: sicut legimus quodam loco scripturæ: [a] *Si peccaverit vir in virum, orabit pro eo sacerdos: quod si peccavit sacerdos in Deum, quis exorabit pro eo?* Super omnia vero delicta specialius in Deum peccat, qui doctrinæ apostolicæ contradicens, a regula veritatis exorbitat: sicut nihil est gravius, quam si cæcus, præsumto ducatu, ex prædicatore fidei incipiat esse destructor. Vos modo perpendite amentiam totius hæresis in unius reprobatione sermonis. In quo parum est quidem quod auribus putetur ablatum: sed totus cum verbo illo catholicæ veritatis sensus excluditur. [5] Nolunt enim a nobis ei qui crucifixus est supplicari, ut videatur tam [6] nihil posse præstare persona hominis, quam nihil pœnæ pati potuit substantia majestatis: quod quid est aliud, quam odium pro dilectione reponere, & convicia pro beneficiis repensare? Inserta est namque humano corpori di-

a I. Reg. III. 25.

1. *Cum rege orientis anno superiore*] Cum Anastasio imperatore anno Christi DXII. ut sequentia demonstrabunt.

2. *Consuetudo in ecclesiis*] Trisagium hymnum prima omnium usurpare cœpit Theodosii minoris ævo ecclesia Constantinopolitana, sed sine illis verbis ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, ἐλέησον ἡμᾶς, quæ tunc temporis ignorabantur. Additionis enim auctor Antiochiæ postea fuit Petrus Cnapheus episcopus, qui ut Theopaschitarum hæresim qua laborabat, induceret, clausulam hanc adjecit Trisagio: qua scilicet Deo trino ad quem superiora spectabant, adscribi passio videbatur. Cui malo ut mederetur Calendio, Cnaphei in exsilium pulsi post aliquot annos successor, clausulæ illi præmisit Χριστὲ βασιλεῦ, *Christe rex*, errorisque ansam duobus verbis præciderat, nisi Cnapheus ab exsilio reversus sedique restitutus, iisdem sublatis pristinam labem redintegrasset. Theophanes in Chronico de Calendione. τῷ τρισαγίῳ προσέθηκε ΧΡΙΣΤΕ ΒΑΣΙΛΕΥ ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς. Πέτρος δὲ πάλιν ἀνελθὼν περιεῖλε τὸ Χριστὲ βασιλεῦ. Hæc Antiochiæ. Constantinopoli vero Anastasius imper. una cum Timotheo patriarcha, idem Cnaphei additamentum in Trisagium inferre conatus, post varios tumultus, cædes & incendia, reclamante populo orthodoxo, consequi nihil potuit, ut docet Marcellini comitis Chronicon Paullo & Muschiano consulibus, id est, anno Christi DXII. in quem incidit annus Anastasii XXII. cui hæc eadem adsignat Theophanes in Chronico: ubi & Timothei quoque Commonitorium commemorat, quo id ipsum ecclesiis omnibus imperabat. ἠνάγκασε καὶ Τιμόθεος δι' ἐγγράφου ὑπομνηστικοῦ πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις προσέταξεν τὸ τρισάγιον ἐν ταῖς λιταῖς μετὰ τῆς προσθήκης εἰπεῖν. Eadem habet Anastasius in Historia ecclesiastica. Quæ a nobis omnia idcirco præmittenda fuerunt, ut ex his Avito qui diversa narrat, impositum fuisse deinceps agnoscamus.

3. *Sed ubi primum hymnus ultima*] Non offendebat orthodoxos, ut vidimus, pars hæc ima Trisagio detracta, sed addita: neque Eutychianis favere poterat, si truncaretur, cum illam Cnapheus ipse idcirco adjecerit, ut Eutychianam hæresim stabiliret. Nec propterea hymno hanc addi non ferebant orthodoxi, quod Crucifixo supplicandum negarent, sed quia Deum crucifixum per hanc adstruebant Theopaschitæ Eutychiani.

4. *Antiqua sacerdos sede propellitur*] Macedonium ab Anastasio sede Constantinopolitana pulsum, eique suffectum Timotheum constat, Secundino & Felice consulibus, hoc est superiore anno quam de Trisagii additamento Anastasius & Timotheus turbas cierint. Aliæ igitur exsilii caussæ fuerunt, & Aviti hac etiam in parte nutat narratio.

5 *Nolunt ei qui crucifixus est supplicari*]. Christo pro nobis crucifixo supplicandum nemo umquam recte sentiens negavit: sed supplicationem hanc Trisagio subjici non probabant. Qua de re in Excerptis Photianis cap. CCXXVIII. differens Ephræmius patriarcha Antiochenus in epistola ad Zenobium scholasticum, ut orientales suos excuset, Constantinopolitanos atque occidentales ait, quia Trisagium ad Trinitatem referunt, propterea ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, *qui crucifixus es pro nobis*, addi non sustinere, ne Trinitati attribui passio videatur. Orientales vero, cum Trisagium ad Christum referant, culpa vacare cum subjiciunt, *Qui crucifixus es pro nobis*. Quæ ille quamquam falso, ut apparet, de orientalibus scribit, cum ex Damasceni epistola περὶ τρισαγίου compertum sit, veteres omnes semper de Deo trino, numquam de filio solo hymnum hunc accepisse, quem & τριαδικὸν ea de caussa nuncuparunt: & Cnapheum certum sit, cum προσθήκην istam adjecit, non filium in mente habuisse, sed Deum, quem crucifixum cum Theopaschitis adstruere studebat. Quamquam hæc, inquam, ita se habent, infitiandum tamen non videtur, in Cnaphei additione, si pravum ejus consilium demas, incommodi nihil futurum: ita nimirum, ut post Trinitatis laudationem, converso ad filium sermone, his illi verbis supplicetur, *Qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis*. Quod & Calendionem episcopum sensisse manifestum est, quando Cnaphei additioni τὸ Χριστὲ βασιλεῦ præmisit, & ab ecclesiæ usu non abhorrere agnoscit Damascenus, cum post Trinitatis doxologiam quæ his verbis continetur, Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto, subjungi sæpe soleat, τῷ σταυρωθέντι βουλήσει. καὶ ἐκ νεκρῶν ἀναστάντι, *et qui voluntate crucifixus est, & qui resurrexit a mortuis*, quæ ad filium proprie spectant.

6. *Nihil posse præstare persona hominis*] Duplex deinceps contra duas hæreses argumentum tractat. Prius hoc loco, Christum videlicet Deum pariter & hominem fuisse contra Nestorii vesaniam, qui ψιλὸν ἄνθρωπον, hominem tantummodo aiebat fuisse.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 494.

gnitas supernorum. Deus quidem non subjacet cruciatui, sed divinitas interest passioni. Dei injuriam crucis tempore mundus diurnis fuscatus tenebris expavit: in cælum peccare Judæos testata est terra quæ tremuit. Caret conjectura quæ per necessitatem veritas fulget: nec se affirmari a nobis exspectat, cum salva sibi auctoritate sufficiat. Audiamus ex his Apostolum protestantem: [a] *Qui si*, inquit, *cognoscerent, numquam Dominum majestatis crucifixissent*. Sed dixerat hoc prius etiam ille propheta, qui ob præscientiam futurorum cognomento Angelus nuncupatur: [b] *Si affiget homo Deum suum, quoniam vos affigitis me?* Rogo quis contentionis obstaculo tam aperta sibi obstruat? Si Dominus majestatis pependit vel affixus est patibulo, dicat adversarius, cur hominem non rogemus in cælo? Adhuc quippe cælestem potentiam in corporis secreto reposuerat: adhuc obitum ex ventre debebat: adhuc ad informationem nostram exercebat humilitatis studia etiam in opere claritatis. Cum Cananæa quædam, credulitatis quidem Israeliticæ, sed gentis alienæ, virtute virili, petitione laudabili, obstinatione victrice, Christo pro filia supplicaret: [c] *Miserere*, inquiens, *mei*, *fili David*; vicit hic sensus interiore sapientia sexum carnis, supra humanum sentit in homine. Non acquiescunt Eutychiani doctores ei qui propter nos crucifixus est supplicare. Ista in crucifigendo & divinitatem precata est quæ non poterat mori, & humanitatem quæ poterat suscitari. *Fili David*, carnem resonat: *miserere mei*, Deum declarat. Dominus cæli invocatus est in virtute: auctor hominis vocatus est in genere. Longe jam, ut opinor, post mortem David, de cujus semine terris per Mariam Christus effulsit, temporum serie stemmatis regii prosapia ducebatur. Posco nunc, his proavorum successionibus ac nepotum, ex memorato patre usque ad virgineum fetum toto derivatæ hereditatis accessu, phantasmatis linea ducatur, an traducis. Porro autem ambiguo caret, quod & de genere caro vera processit, & phantasma genus habere non potuit. Experiamur tamen, utrum spreverit Christus præfatæ Cananitidis in oratione sermonem, an fortassis exasperet ineptiam supplicantis. *O mulier*, ait, *magna est fides tua: fiat tibi sicut vis*. Si ista fides est, utique magna si constat, non erit recta; altera certe fuerat ad matrem illa responsio, cum comitante discipulorum choro festis nuptialibus invitatus, deficiente vino ad faciendum miraculum posceretur: atque ille, [d] *Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea*. Velut si dicat, Cur illud tantummodo quod peperisti esse me credis? Si hoc solum mihi putas constare quod carnis est, non possum complere quod exigis. Sublimia hæc quæ a me requiris de patre attuli, non in matre suscepi: formato in te corpori, debita infirmitatis institutione, opera virtutis injungis. Bene me putas posse quod petis, si te, sicut mei corporis, sic matrem tui intelligas creatoris. Quod si solum te edidisse hominem velis, *nondum venit hora mea*. Nemo autem sic ineptus reputandus est, ut istud quod dixit, *Nondum venit hora mea*, velut errore gentili, constitutis velit fatalibus applicare. Ad intelligendum horæ illius mysterium discretionem potius requiri convenit, quam decretum: quod cum ipsa quoque nostræ mortalitatis conditio non eligatur, sed omnis status nostri necessitas gubernatoris perpetui sit voluntas: quanto magis Christus, qui [e] potestatem habebat ponendi animam suam, & iterum

A sumendi eam, nullo se fati voluit implicare præscripto? Sed cum venerit subeundi hora patibuli, apparebunt cælestia quæ pater genuit, & corporea quæ alvus effudit. Ergo cum ipse Dominus heic, perficiendo miraculo actus divini, non repulerit genitricem, sed instruxerit ignorantem; videamus quid hinc cum Apostolis suis tractatu impensiore contulerit. Interrogabat autem eos quodam evangelii loco, quæ de persona sua vulgi variantis sentiret opinio. Cumque diversitate sententiæ populum, aut unum ex vatibus priscis, aut Moysem, vel certe Heliam, illum credere suggessissent: [f] *Vos autem*, inquit, *quem me esse dicitis?* Tum princeps condiscipulorum, principium responsionis assumens, *Tu*

B *es*, inquit, *Christus filius Dei vivi*. Sufficere plane potuerat quod confitetur heic Petrus, etiam si hoc non tam manifesta responsione confirmasset Christus. *Beatus es*, inquit, *Simon barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui in cælis est*. Beatus es, inquam, quia ut Deum cerneres, non carnem tantummodo, sed & sanguinem censuisti: nec revelandam tibi gloriam meam lineamenta sumti corporis obtulerunt. Non avertisti generosæ mentis aspectum, quod & carne prolatum est. Sed pater meus qui est in cælis revelavit tibi filium, cui adhæret in terris: cujus gloria paupertate nunc tegitur, cujus honor contumeliis nunc celatur. Pendebat siquidem in ligni salu-

C taris excelso, triumphali præeminentia, mediatoris nostri corpus altatum, & uniuscujusque sententiam de cordis penetralibus virtus salutiferi stipitis exigebat. Injuriam ille deridebat, [g] Ecce qui destruebat, inquit, templum Dei, ut illud triduo suscitaret: alter aceti potionem ferino felle corruptam spongiæ poculo porrigebat. Ipse tamen servans inter pœnas hominis misericordiam creatoris, dolens eos pro quibus venerat adhuc sub tempore ipsius redemtionis errare, clamabat: [h] *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. Quid est, *Nesciunt quid faciunt*, nisi quia credunt se solum hominem adduxisse judicio? Ignorat quid faciat, qui non sentit in cruciato corpore majestatem. Et si illi solius

D matris filium interficere se credentes quid facerent ignorabant, cur adhuc hodie Eutyches ignorare se simulat, quod si illi tunc scissent, Christo & Apostolo protestante, numquam Dominum gloriæ crucifixissent? Unde quod heic Dominus nescientibus optat ignosci, constat expertorum conscientiæ non posse concedi. An forte miramur, quod tam evidenter Christus passionis suæ mysterium dignatur exponere? Ausim dicere, habemus heic adhuc amplius quod mirari. Comitata est, ut legitis, dominicam mortem circumpendentium latronum conjuncta crucifixio: quos tamen temeritas crudelis judicii, non servilis culpæ meritum, coæquaverat innocenti. Non enim poterat sancti germinis incor-

E ruptum nitorem vicinæ pollutionis horror aspergere: sicut & sol, si radium in fæculenta dimittat, intactum prorsus nescit sentire contagium. Horum igitur unus latronum, longi sceleris vitam brevis compendii fine permutans, ex interfectore medicus, martyr ex fure, nexus membris, criminibus absolutus, fixus clavo, liber affectu: [i] *Domine*, inquit, *memento mei, cum veneris in regnum tuum*. O felicis beatitudo testimonii! o ineffabilis fortitudo credendi! Non itum, ut divinitatem in homine sentiret, signa viceranr: sed virtutis dilectionem infirmitatum collegit indicio. Concupivit invocare similiter vinctum: & adhuc Eutyches orare despicit

a I. Cor. II. 8. *b* Malach. III. 8. *c* Matth. xv. 22. *d* Joan. II. 4. *e* Joan. X. 18. *f* Matth. xvi. 15. *g* Matth. xxvi. 40. *h* Luc. xxiii. 40. *i* Ibid. ℣. 42.

sublimatum. Obeuntem ille contremuit: regnantem ille fastidit. Iste mortem non timebat a judicaturo, cum ille vitam requirat a mortuo. Sed redemtori suo squalentis veterni mortificatione compassus, junxit dominicæ propriam crucem. Adoravit expertem culpæ particeps pœnæ: dudum invadendi cupidus, mutavit vota prædandi: armatus trabalibus clavis vim intulit regno cælorum. Intellexit in Christo pauperem locupletem, vicinum invenit quod tolleret nudo, sumsit veniæ plenitudinem, rapuit innocentiæ portionem. In ligno Deum contuitus, in cælo hominem consecutus. [1] Jam porro, quoniam transacta passio docet hominem verum, cruciatum doloribus, latronibus comparatum, confectum supplicio, tumulatum sepulcro; per hæc omnia phantasmatis assertoribus assumti corporis veritas contradicit. Quos cum in Christo unitas utriusque substantiæ perspicua testimoniorum luce convincit, omnem quæ in consequentibus replicatur, dominicæ seriem passionis phantastica honoris contumeliosi molitione perturbat: asserentes quoddam nebulosi corporis exstitisse figmentum, quod pro redemtore nostro injuriis pœnarum dolorumque videatur oppositum, & per inanis hominis similitudinem, pœnis quas majestas incurrere non possit, addicta quoque vera caro non exstiterit, quam exsecratur populus, cruciat judex, pulsant verbera, quam contumeliæ illudunt, spinæ transpungunt, cui calamus illiditur, figitur clavis, sanguis excutitur. Adhuc cum omne quod spei est in solo redemtionis nostræ mysterio collocemus, nec sit aliud nostrum reviviscere, quam Dominum necem pertulisse: falsum est quod sua incarnatione nos salvat, si & hoc in dubium venit, quod tolerandum pro nobis in carne susceperat. Veni potius sancte Esaia, propheta quidem tui, sed evangelista temporis nostri: veni celeriter ad tuendam contra Eutychetis mendacia Christianorum salutem. Dicere te de Christo, immo etiam jurare non pigeat: [a] *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Et, *livore ejus sanati sumus*: non medendi facultate secura, sed voluntarie pro nobis dolendi veritate suscepta. Si veraciter dolores nostros ipse portavit, jam & nos securi sumus, quod veros dolores commentitium phantasma non pertulit: & si livore ejus sanati sumus, in cassum collatam mihi sanitatem invidet falsiloquus livor. Ceterum recte omni definitione concluditur, quod si potuit esse commentitium, non potuit livere simulatum. Sed etiam in hoc prophetæ sermone evidens geminatæ substantiæ proprietas invenitur. *Vere*, inquit, *languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Duo sunt ista, quorum aut Deus solus, aut homo solus, utrumque non fecerit, sed unum Deus, aliud possit homo. Dicendo autem propheta, *Ipse languores tulit, ipse dolores portavit*, unum evidenter expressit, qui ex divinitate constaret & corpore. Languores enim quos Adæ sauciata progenies ex vulnere corruptæ originis attrahebat, ille solus sanavit qui sanum ante condiderat. Dolores vero nostros portavit, qui desudare prœlia passionis, nisi cruciatibus ac labore, non potuit. Quocirca quod in natura malum habuimus, tulit Deus: quod in corpore malum patimur, pertulit Christus. Unde respiciendum est heic, quantum Eutychiani [2] Bonosiacis barathro profundiore mergantur. Illi Christo divinitatis honorem tantummodo adimunt, isti & corporis veritatem. Photinus hominis personam nos adorare deridet, hic nebulam. An forte hæretici hujus ipsius illusionis exordium ab ipsis in Christo sacræ nativitatis crepundiis ordiuntur, ac perinde falsum erit, quod jacuit in pannis, quod apparuit Magis, quod planxit in cunis? Taceo reliquos in succidua ætate profectus, quibus divinam pariter humanamque naturam complectens, lassitudinem refectio pertulit, consolatio lacrymas effudit, lux dormivit, panis esuriit, fons sitivit. Taceo planctum illum, quem super defunctum Lazarum habuit [b], antequam effectu resuscitandi ostenderet Deum præmisisse humanæ conditionis affectum. Quod si in dubium vocatur qui tanta præstitit, necesse est ut ambigua incipiant esse quæ gessit: ac perinde falso se putat sanatum paralyticus, claudus erectum, circumscribendus solis radius, quem cæcus ab utero post nativi carceris tenebras intuetur: aut hoc phantasmate Lazarus ipse delusus est, ut cum inter mortuos dormiret, jam resurrexisse se crederet. Quod si hæc omnia vera esse recipiunt, & solius passionis injuriis contradicunt; respondeant ubi tunc fuerit filius virginis, cum umbram tenui nube fallentem pro se offerens, quem pro nobis putamus offerri, vana sui specie & persequentes falleret & fideles. Patrem quoque faciens hac illusione mendacem, de quo Apostolus ait, quod [c] *filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum.* Quem filium, si non verum? quomodo tradidit, si conlusit? qualiter non pepercit, si dolore prohibuit? vel certe, qua Dominus noster morte finitus sit, qui non potuit non aliquantulam mortem pro matris mortalitate debere, soluturus conditionem obeundi legitimam, sed corruptionem pro resurgendi instantia non visurus? Quam legem utriusque naturæ significavit fel istud, quod gustatum noluit bibere, dum mortem quam ex Adam parente omnes debemus, pro divinitate noluit bibere, sed debuit pro dispensatione gustare. At vero cum factum est quod Apostolus dixit, quod [d] *resurgens Christus jam non moritur, & mors ei ultra non dominabitur*; audeat nunc, si quid valet hæreticus, aut Christum sine Deo, aut sine homine Deum confiteri. Abfuerat sanctus Thomas [e], cum reversus Salvator a mortuis præsentia visibili præstolantium discipulorum vota repararet, & vacillantem quodammodo fidem suorum revalescens a mortuis vita componeret. Referunt ergo discipuli Dominum se vidisse. Negat ille se credere, nec se adhibiturum ullatenus fidem promittit, nisi con-

a Isa. LIII. 4. b Joan. XI. 35. c Rom. VIII. 32. d Rom. VI. 9. e Joan. XX. 24. seqq.

1. *Jam porro quoniam*] Hoc alterum caput disputationis, Christum vero & consubstantiali nobis corpore præditum fuisse contra quam sensit Eutyches, qui fictitium illi corpus, & phantasmati simile tribuebat. Unde his quoque Aviti epistolis quæ delirium hoc refutant, titulus olim CONTRA PHANTASMA. Par itaque, sed contraria, ut Leontius monachus observat, in Christum impietas Nestorianorum & Eutychianorum, οἱ μὲν γὰρ τὴν θεότητα, οἱ δὲ τὴν ἀνθρωπότητα δοκήσει λέγουσιν εἶναι ἐν σωτῆρι. *Illi enim*, inquit, *divinitatem, hi humanitatem opinione tenus & phantasia Servatori afferebant.* Quare scite utrosque Nonnus abbas ἀντιδοκήτας appellabat. Nam & Docitas quoque illos qui id genus phantasma inducebant, vocat Theodoretus noster lib. V. Hæreticarum fabularum. Ubi eumdem de Christi corpore locum tractans, iisdem quibus Avitus argumentis docet, pati & mori, esurire & defatigari corpus suum permisisse, ἵνα μηδεμίαν λάβωσιν ἀφορμὴν οἱ Δοκῖται κρατύναι τὸ ψεῦδος τῆς αἱρέσεως. *ne quam ansam haberent Docitæ, quo falsam heresim confirmarent.*

2. *Bonosiacis*] Bonosus Naissitanæ in Dacia fidelis, ut nostra est conjectura, episcopus, catholicam deserens, ad eorum transiit hæresim, qui Photini venena sectabantur, & Christum Deum negabant, hominem tantum prædicantes. Bonosiacos ejus discipulos vocant etiam concilia Arelatense II. & Aurelianense III. Gregorius vero magnus Bonosianos libro IX. epistola LXI. ad Quirinum & alios episcopos Hiberniæ.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 494.

templatione percepta. Transacto temporis intervallo, superveniens secundo Jesus, sed jam omnibus simul, pacis salutatione præmissa, arguit increpatione mitissima cunctantis Apostoli tarditatem: & jubente Domino, ne adhuc parum sit quod visus judicat, fidem tactus explorat. [a] *Infer*, inquit, *digitum tuum in latus meum, & noli esse ambigens, sed fidelis*: qui utique inexcusabiliter jam perseverabis incredulus, cum palpando reddaris expertus. Scrutatur ille digito vestigia passionis. Permanebat ut inflictum fuerat medicum vulnus, & hiulcum transpuncti lateris aditum felici indicio vitalis plaga servabat. Tunc demum in semet ipsum reversus, & sancto illuminatus corpore, *Deus meus*, inquit, *& Dominus meus*. Quid rogo sacer Apostolus de cælestibus intellexit in carne? quid curiosæ manus attactu divinum sensit in vulnere? nisi quia jam pridem didicerat, Christum sine Deo esse non posse, & hæc ipsa vulnera quæ palpabat, prævaluisse quidem homini, sed cessisse victori: tamen nec afficere morte nisi hominem, nec vinci a Deo nisi resuscitante potuerunt. Heic itaque, magno miraculorum stupore conclusi, cum audiunt Dominum nostrum recepti corporis situ, visibilem oculis, digitisque palpabilem, locum quo Apostoli consueverant clausis foribus introisse, ad familiare commentum afferendi phantasmatis, & per fallaces inanium nebularum fraude præstigias, illusos humanæ caliginis queruntur obtutus. Sentiunt enim in facti magnitudine quiddam divinum, vigoremque illius subtilitatis, quo foribus obseratis penetrale secretum sine aditu corpus intraverit, ne coguntur facere mirificum, comminiscuntur incertum. Quod videte ad quantam spectet divinitatis injuriam, si veritatis magister, qui nobis etiam verborum mendacia interdicit, ipse factis credatur potuisse mentiri. Procul dubio enim mendacii genus foret, si quod ipse non fuerit, se credi a suis velit, & putaretur factum a Christo, quod non licet facere Christiano. Qui ad cognoscendam mysterii dispensationem & visu instructus, quod sufficit sano; & tactu convictus est, quod additur cæco. Sed caret remedio sponte petita debilitas: quidquid liber medicaminis oculis lippientibus imponatur, curari non potest qui cæcatus ire delectat. Aut quis in tali obstinatione usus oculorum est, qui verum esse renuit quod annuit visum? quasi non minus sit Deum penetrasse conclusa, quam homini patuisse cælestia: qui tamen suis post resurrectionem sæpe testatus est: [b] *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*. Quid Eutychi tam clausum? quid contra phantasmata tam apertum? velut si dicat; molem ossium carniumque species ventura non recipit. Noluit se, vel solum quemlibet virum, hoc est sine corpore, spiritum dici: sed ut talem recognoscatis in judicio, qualem redisse conspicitis e sepulcro. Unde jam post passionis certamina triumphator nihil quidem habuit, quod mundanum indigentia redivivi corporis postularet. Non illi quippe aut fames cibum, aut potum sitis, aut requiem labor, aut somnum poposcit operatio. Quæ omnia non solum in capite nostro, quod est Christus, exigua illa parvi temporis morte decocta sunt: sed etiam in nobis sic usque ad obitum valebunt, quod resurrectione finientur: & tamen, ut dicere cœperam, cum membra illa dominica,

A nulli jam indigentiæ obnoxia tenerentur, ad suspicionem phantasmatis suorum cordibus eximendam, cum Apostolis visus est, cibum jussit apponi, quibus convesci commissa benedictione dignatus est. Quod faciebant illi adhuc pro redemtione corporis, fecit bonus magister pro testimonio veritatis. Nisi forsitan dicat phantasmatis prædicator, caliginem illam, membrorum speciem seductricem, quæ apponebantur assumere, nec escam illam pignoris sancti in dominicum corpus sine onere corruptionis intrare, sed inanem ventrem incerti esus gravare ponderibus. Quem certe pastum fallens imago, aut futura est si subripuit, aut non est aeria, si comedit. Scio tamen, quod non alter quam Christus,

B inter suprema cibi illius monimenta testatur. [c] *Quia oportet impleri omnia quæ scripta sunt in lege & prophetis & psalmis de me*. Et nos pauca exemplorum quærimus, cum ille omnino scripturam in sua dicat unitate compleri. [d] *Et post hæc*, inquit, *cum benediceret suos, ferebatur in cælum*. Recede procul Eutyches, cum præstigiis quas animo concepisti. Solus hac benedictione careat, qui se a phantasmate aut benedici lætatur aut redimi. Interim ferebatur in cælum filius hominis, qui erat in cælo dudum præscientia, nunc natura. Nec aliquo angelicæ manus auxilio, quamquam portari dicatur, indiguit: sed ferebat matris filium filius patris: ibat quod Deus erat: quod homo, ferebatur.

C Patebat redeunti porta cælestis, & Deum suum cum accessu corporis revertentem originalis patriæ claritas invitabat. Quo recepto, [e] *duo*, inquit, *Angeli adstiterunt*, Apostolis sic loquentes: *Viri Galilæi, Jesus hic qui receptus est a vobis*, id est, quem in sede Pater, seu quem vos recepistis in fide, *sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum*. Habent ergo in hoc sermone quod sperent quibus phantasma videtur esse quod gestum est, si sic veniet quomodo vidistis eum euntem in cælum. Ubi videbunt catholici quem ambiunt, adversarii quem confixerunt: ubi ad eadem clavorum vestigia quæ cernunt, vel illos ignes Eutyches simulatos putare desinat, quibus post phantas-

D matis fumum sera pœnitudine perpetuo torris ardebit. Ad cujus pristinum dogma denotandum, vel corrigendos aliquantisper, sicut optandum est, sectatores, pauca hæc dixisse sufficiat: ut ex similitudine testimoniorum quæ posuimus, etiam ipsi sibi necessarie numerosiora perquirant. Quod si forte pristino sceleri dogmatis sui, aut infidelitatis perseverantiam servant, aut aliquid novæ molitionis accumulant: siquidem peculiaris errantibus mos est, in obstinatione perversa semper dicere velle quo pereant: dabit Deus, ut jussu vestro, meoque famulatu, pravitas quæ adhuc augmento accenditur, uno & semper æquali scripturarum cælestium magisterio propulsetur.

E

EPISTOLA IV.

Avitus Viennensis episcopus domno Gundobado regi.

Sciscitatio vestra plena religionis atque pietatis est. Sed quia inquisitione proposita, consultoris vel respondentis nomina præmisistis, suggerendum puto, fuisse in Africa quemdam Faustum [1] episcopum secta Manichæum, opusculorum quorumpiam

a Joan. xx. 27. b Luc. xxiv. 39. c Ibid. ℣. 44. d Ibid. ℣. 51. e Act. I. 10.

1. *Faustum episcopum secta Manichæum*] Adversus quem exstant libri sancti Augustini, cujusque in aliis ejusdem operibus frequens mentio. Ceterum & Paullini ad Faustum epistola, & Fausti ad ejus quæsita responsio, quæ

conditorem, exfecrabilium fane, & in nonnullis etiam fermone turpiffimorum. Hic autem, quantum ad frontem pertinet, quafi abftinentiffimam vitam profeffus; & non fecretam crucem, fed publicam vanitatem jactantia ventofi tumoris exaggerans, quantum potuit, auditoribus venenatam difputationem velut indeclinabilis virtutum fervator indixit. Et quia legiftis, confulenti cuidam Paullino Burdegalenfi, ab epifcopo fupra dicti nominis fuiffe refponfum: cujus temporibus Paullinus quidam, Deus viderit utrum is quem memoratis, tamen perinde Burdegalenfis, non pauca ftilo catholico & irreprehenfibili fide confcripfit: præfati hæretici mentionem idcirco præmifi, ne Manichæi ipfius Faufti opus infauftum, vel alterum quem etiam gloria veftra noverat, ortu Britannum, habitaculo Regienfem, titulo nominis accufaret: fimul & qui aut confulere fupra ambiguo quæftionum, aut dignus refcripto pofteris refervando potuerit inveniri. Cujuslibet tamen eorum in manus veftras dicta pervenerint, fancte, folicite, regie vos moverunt. [1] Pœnitentiam, quam proprie momentaneam nominaftis; id eft in ægritudine quafi fub momento mortis acceptam, nihil aut nulli prodeffe, adverfa veritati & admodum cruda definitio eft. Apud divinam quippe mifericordiam vel ipfa humilitas confitentis dici non debet fructu carere. Quia cum legimus, quod qualitate vitæ anterioris abolita, quia plerumque contingit & peccare juftos, & refipifcere peccatores, in ea quis via judicetur qua obitus fui tempore fuerit deprehenfus, incunctanter credenda eft vel ipfa correctionis voluntas placere, fi vera fit. Sed totum apud cæleftem clementiam fidei qualitate penfatur. Unde & inter illos operarios quos in Evangelio [a] legitis effe conductos, pro devotionis ardore, mercedem prioribus exæquatam etiam qui tardius venerant fortiuntur. Sicut & Ninivitarum breviffima pœnitudo, omnem indulgentiæ fummam triduo fervente mercata, gladium peccatricis urbis cervicibus imminentem, quem jam ictui deftinato per manum Jonæ prophetæ [b] dies ftatuta vibraverat, repagulo confonæ fatisfactionis obtudit. Contradicant autem exemplis hujufmodi, quos verius reddit appetita fuperbia turgidos, quam confcientia illibata fecuros. Hoc tamen loco quid fæpe doleam, quia fandi licentiam dignamini præftare, confiteor. Contriftamur nonnumquam in hac noftrorum facilitate, quod rem tam pretiofam pro levi accipere grave difcrimen eft. Cum enim videntur pœnitentiam precibus ac lacrymis pofcere, impium dicimus denegare. Sin igitur contingat interdum, ut acceptam quicumque pœnitentiam, fi fanitatem corporis recipit, aut negligat, aut factus fit, ut Apoftolus ait [c], canis reverfus in vomitum, qui veniabilius onerabatur fragilitate peccati, plectibilius opprimetur abufione remedii: & dicetur illud, quod Ananiæ in Actibus Apoftolorum: [d] *Nonne manens tibi manferat, & de promittendo in tua poteftate pendebat? Melius eft autem*, ut ait propheta [e], *non vovere, quam vovere & non reddere*. Unde contraxit confuetudo fermonis, ut donec quifque noftrum votum compleat, voti reus dicatur. Quocirca fateor, in neceffitate pofitis non fine metu dari debere pœnitentiam: quos fi abfque capitalibus culpis, [2] in ufu conjugalis copulæ dies fuprema reperiat, ut pote rem licitam præfumentes, nec damnatione dignos putamus, nec a facrificio commemorationis excludimus. E contra, fi profeffam compunctionem fæculo retrahente vacuaverint, quafi jam apoftatas, id eft ab ftandi firmitate deciduos, neceffe eft a communione fufpendi: cum melius fit manere intra quantulamcumque falutem humilitate mediocrium, quam ipfam falutem ex toto deftrui violatione fummorum: & tutius inveniatur cum honeftate in matrimonio vivere, quam caftitate mentita illicitis licita maculare. Quod prævidens Apoftolus [f], & viduas quæ primam fidem irritam fecerint, majorem damnationem denuntians fubituras, * & perfonas legitimi atque irreprehenfibilis tori pace devinctas, vacare orationi ad tempus, ac rurfus in id ipfum regredi finit: [g] ne fatanas, inquit, per incontinentiam illorum, tentet in promiffione perfidos quos in carne non vicerat conjugatos. In fecunda quoque quæftione, quod negamus eft, [3] fidem folam homini prodeffe non poffe, hoc minime probo: neque ab illorum parte profiteor, qui ficut ait Dominus [h], grave fuper humeros difcipulorum pondus imponunt, quod ipfi tamen uno digito movere detrectant. Propter quod, tam rigidam de fide fententiam aut extraneus potuit præfumere, aut nofter debuit temperare. Quod fi dignanter admittis, conjectura breviter exemplifque patefaciam. Fidem effe omnium bonorum fpiritualium fundamentum, per hanc primitus informata Chriftianorum rudimenta teftantur.

a Matth. xx. 9. *b* Jonæ III. 10. *c* II. Pet. II. 22. *d* Act. V. 4. *e* Eccle. V. 4. *f* I. Tim. V. 12. *g* I. Cor. vii. 5. *h* Matth. xxiii. 4.

nunc inter Faufti Regienfis opera leguntur, quo de Faufto heic agatur ambigi non finunt. Britannum hunc ortu fuiffe docet Avitus: quod non de Infulanis, fed de Armoricis Britannis accipiendum monuimus in notis ad epiftolam Facundi ad Mutianum fcholafticum. Paullinus hic autem Burdegalenfis qui ad Fauftum fcribit, cum de Paullino epifcopo Nolano accipi nequeat, de Paullino Euchariftici auctore intelligendus videtur, qui & ipfe ortu Burdegalenfis fuit, & Maffiliæ larem relicta patria cum fixifset, Faufti Regienfis confuetudine uti potuit.

1. *Pœnitentiam quam proprie momentaneam nominis*] Momentaneam Fauftus quoque appellarat, Paullinus fubitam. *Percunctator*, inquit, *accedo. Sum peccatis carnalibus involutus; omnia quacumque poteft criminofus, exerceo: cum diem humanæ fortis implevero, pœnitentiam fubitam fum confecutus: fi excludat pro parte peccatum, an ad integrum, opto cognofcere*. Hanc Fauftus inutilem effe refpondit. Quod falfo dici docet Avitus, & ante Avitum in eadem Galliæ provincia docuerat Gennadius Maffilienfis ecclefiafticorum dogmatum cap. xlviii. *Pœnitentia*, inquit, *aboleri peccata indubitanter credimus: etiam fi in ultimo vitæ fpiritu admifforum pœniteat, & publica lamentatione peccata prodantur: quia propofitum Dei quo decrevit falvare quod perierat, ftat immobile. Et ideo quia voluntas ejus non mutatur, five emendatione vitæ, fi tempus conceditur; five fupplici confeffione, fi continuo vita exceditur: venia peccatorum fideliter præfumitur ab illo qui non vult mortem peccatoris, fed ut convertatur a perditione pœnitendo, & falvatus miferatione Domini vivat. Si quis aliter de juftiffima Dei pietate fentit, non Chriftianus fed Novatianus eft*.

2. *In ufu conjugalis copulæ*] Conjugium opponit pœnitentiæ, quia pœnitentiam profeffi abftinebant a conjugio. Unde & conjugatis, nifi ex mutuo confenfu, pœnitentiam dari concilia vetant, Arelatenfe II. can. xxii. & Aurelianenfe III. can. xxiv.

3. *Fidem folam homini non prodeffe*] Quod Paullino refponderat Fauftus, fidem nudam meritis ad falutem non proficere, de iis videlicet affirmabat qui adultam ad ætatem perveniunt. Avitus autem contra illum fic difputat, quafi etiam parvulos comprehendat: quod abhorret a Faufti fententia, qui utrofque diftinguit, & apud Deum diftingui docet libro I. de gratia & libero arbitrio cap. vii. *Fidem*, inquit, *exfpectat a parvulis, opera cum fide a confummatis requirit*. Neque aliter accipiendus S. Auguftinus, cum iis refpondens, qui fine fide non poffe, fine operibus autem poffe perveniri dicerent ad æternam vitam; fidem ipfe folam non fufficere ad falutem, fed opera cum fide requiri docet in libro de fide & operibus. De iis enim fermo eft, qui grandiores fiunt poft baptifmum.

* *Et perfonas*] Conjunctio & quam contextus requirit, deeft in edito Sirmond.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 494.

Nam si baptizatus, aut etiam translatus ab hæresi A qualibet parvulus, vel forsitan ævo longiore provectus, celeri post lavacrum fine rapiatur, nec ipse operis jactitator abnuerit, hominem sola fide salvatum. Extra quam quod nihil qualibet bonæ profuerint actiones, de sæculi philosophis æstimemus: quos contemtores mundi amatoresque sapientiæ, castitate proposita, facultate despecta, quidquid hodie catholici prædicamus, quia fides defuit, non profuit operatos. Adeo machina vanitatis, nutabundis exculta fastigiis, quia sine fundamento surrexit, per se sola constare non potuit. Quid si nunc diversorum in scripturis cælestibus fidem retexam, quam semper desiderii compotem reddidit laudata credulitas? [a] Abraham quod solum credidit B Deo, reputatum est illi ad justitiam. [b] Raab meretrix vitam præteritam prostitutione sordentem, Israelitarum populum per fidem præstolata purgavit. Sic illa evangelii Cananitis [c], quamquam repulsa convicio, dari tamen catulis suis filiorum panem perseverantia petitionis elicuit. Alia fluxum carnalitatis obscenæ tactu fideliter medente * restrinxit [d]. Suadetur tamen & bonorum operum jungenda devotio, quam negligere non pertinet ad fidelem. Sed cum dicat Apostolus, [e] *Quidquid non est ex fide, peccatum est*; videtis ipsam quoque quam rectam credimus operationem, nisi fidei suffragio fulciatur, in peccatum posse mutari. Expertus est hoc nimirum Pharisæus ille in evangelio [f], qui gratias se referre, C quod non esset sicut ceteri homines, raptores, injusti, adulteri, eleemosynas subinde facere, bis in sabbato jejunare, tumido ac resupino pectore jactitabat: cum Publicanus, fronte cernuus, fide rectus merita bonorum sola humilitate præripiens, domum suam de qua non justus exierat, justificatus intraret. Quid plura commemorem? adhuc unum patienter accipite. [g] Latro ille cujus assuetum sceleribus corpus, juxta crucem dominicæ puritatis, servili patibulo criminum vindicta suspenderat, sentiens in morientis Christi corpore majestatem, pro præmissa crudelitate addictus supplicio, pro subsecuta confessione additus paradiso, per injustum deductus est ævum, ut de justa raperet morte mar- D tyrium. Ecce sunt virtutes ex fide: ostendat quisque, si potest, sine fide virtutem. Dominus in evangelio [h] exiguitatem fidei grano sinapis comparatam, quæcumque voluerit valituram promittit. Sic fit ut, cum opera sine fide possint esse, fides sine operibus esse non possit: quia si [i] corde credatur ad justitiam, & ore fiat confessio ad salutem. Apud sensum Spiritus sancti, promissiones sequentem, principium est boni operis integre credidisse: si tamen, ut Apostolus ait [k], ipse spiritus testimonium reddat spiritui nostro: non, ut super audistis assertum, qui creatura nobis, sed qui creator infusus, auctor & testis est nostri spiritus, non natura. Ecce ad epistolam Fausti episcopi, nec in- E terest cujus: quæ veritati arbitror convenire suggessi. Mihi & eis quorum salutem sitio, fidei plenitudo donetur: illis opera sua, si fide fuerint vivificata, sufficient.

EPISTOLA X.

Avitus Viennensis episcopus [1] *domno Gundobado regi.*

Si gratiam priscæ pietatis expertus, rite artificium sanctæ dignationis interpretor, ad consolandum me, dominos & conservos meos sacerdotes vobis jubentibus puto venisse. Quod ecce sub divino testimonio loquar, pro debiti famulatus reverentia præcelsissimo domno dependere non presumsi. Virtuti enim vestræ derogat, si quis super casu qui contigit, consolationis aliquid scripto verboque suggesserit. Neque porro cedet in regiam quidem, sed philosophicam mentem mæroris abjectio. Lacessivit, verum est, cunctorum lacrymas amor vester. Sed si ambienti sæculo salus vestra conceditur, parum est quod perdidit unum pignus omnium pater. Temporalis luctus est, ubi tam innocens quis obiit, cujus mortem nullus putavit. Judicet unusquisque quod sentit: nihil umquam vestris temporibus contingere potest, quod non semper arbitrer profuisse. Unde nihil heic casuale præsumo, nihil asperum. Ordinavit hunc potius occulta dispensatio, quam inflixit, angorem. [2] Flebatis quondam pietate ineffabili funera germanorum, sequebatur fletum publicum universitatis afflictio, & occulto divinitatis intuitu, instrumenta mæstitiæ parabantur ad gaudium. Minuebat regni felicitas numerum regalium personarum, & hoc solum servabatur mundo, quod sufficiebat imperio. Illic repositum est, quidquid prosperum fuit catholicæ veritati. Et nesciebamus illud tunc frangi tantummodo, quod deinceps nesciret inflecti. Aut quid de fraterna sorte dicamus? Ipse quem vocitari parvum vestra natura circumdedit, bonis vestris absque omni malitia militavit, cum serviret vobis nescientibus periculum gentis, cum futuram pacem disponeret turbatio regionis. Experto credite, quidquid hic nocuit, hic profecit, quidquid tunc flevimus, nunc amamus. Non valentibus ista præscire potest equidem durum videri, vicinam thalamis virginem tædio incumbente præreptam: quæ tamen ambita est ut regina, defuncta est incontaminata. Quamquam re vera majorem caussam luctus sui reliquisse dixerim, si diem ultimum post recentia vota clausisset. Ibi enim forte potuerit inveniri, ubi mihi post invidiæ nodum, insultationis dentem fixisset æmulus livor. At vero nunc, quæ mens tam barbara non misereatur virginitatem felicitatemque in paterno regioque sinu receptam? Nec mutavit sedem, nec contigit peregrinationem: ubi non diu esse potuit domina, nec breviter exstitit peregrina. Unde cum lætitiam vestram, quasi serenitatem cæli, exspectet universitas, reddite vos gaudiis populorum: quia numquam respublica orphanitatis incurrit perniciem, quamdiu sustentantibus vobis mater ecclesia non senserit orbitatem.

a Rom. IV. 5. *b* Jos. II. 3. *c* Matth. XV. 27. *d* Matth. IX. 20. *e* Rom. XIV. 23. *f* Luc. XVIII. 10-14. *g* Luc. XXIII. 40-43. *h* Matth. XIII. 31. Luc. XIII. 19. *i* Rom. X. 10. *k* Rom. VIII. 16.

1. *Domno Gundobado regi*] Consolatoria in obitu filiæ, quæ regi desponsa, & regina mox futura, paternis in ædibus decesserat ante nuptias. Quod vero illi vel sponso nomen fuerit, non explicat.

2. *Flebatis funera germanorum*] Funera flevisse ait, quorum auctor ipse fuerat. Ex tribus enim fratribus, duos Gundobadus principio regni sustulit, Chilpericum Clotildis nostræ patrem, & Godomarum: cum tertio Godegisilo regnum partitus, complures annos cum eo regnavit. Tandem & hunc quoque injuria lacessitus interfecit, solusque deinceps integro regno per sedecim annos potitus est, usque ad Petri consulatum, sub quo defunctum Gundobadum notat Chronicum Marii, hoc est anno Christi DXVI.

* *Restrinxit*] An *restinxit*.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 494.



EPISTOLA VI.

Avitus Viennensis episcopus [1] *Victorio episcopo.*

[2] De hæreticorum oratoriis non recipiendis.

PEtisti, immo potius præcepisti, frater piissime, ut datis ad beatitudinem tuam litteris indicarem, utrum hæreticorum oratoria sive basilicæ ad usus possent nostræ religionis aptari, cum conditores earum ad catholicam se legem erroris correctione transtulerunt. Digna profecto res de qua tu consulis, si respondendi idoneum reperisses. Quia jussisti tamen, reserabo in subditis quid consequens putem: ea scilicet definitione, ut locum succensendi aliis non reservem, si modo id quod statuendum crediderunt, vel ratione perspicua vel prolata de canonicis voluminibus auctoritate confirment. Istud quod de oratoriis vel basiliculis privatis interrogasti, perinde ut de ecclesiis eorum, difficile definitur. Hoc namque suadendum est catholicis regibus, quod de subjectis eorum fuerit constitutum. Unde primum quæso, si a principe regionis nostræ cujus nobis Deus præstitit in vera religione consensum, fortis suæ antistites consulantur, utrum respondere possimus, fabricas a patre suo hæreticis institutas catholicis debere partibus applicari. Quod si aut nos suademus, aut consentiat, persecutionem in se commotam hæretici non immerito caussabuntur, cum catholicam mansuetudinem calumnias hæreticorum atque gentilium plus deceat sustinere quam facere. Quid enim tam durum, quam si illi qui aperta perversitate pereunt, de confessione sibi aut martyrio blandiantur? Et quia post nos, nostrique regis, Deus tribuat, felicissimam longævitatem, siquidem nihil de processu temporum immutabili credi debet, poterit forsitan hæreticus quicumque regnare, & quidquid persecutionis ecclesiis personisque commoverit, non sectæ suæ studio, sed ex vicissitudinis retributione fecisse dicetur, & nobis etiam post mortem gravandis ad peccatum reputabitur, quidquid fuerit perpessa posteritas. Et forsitan adjiciet divina miseratio, ut proles principis de quo loquimur, per receptam fidei plenitudinem catholicum sequatur auctorem. Quid tamen, si nunc quisquam de vicinis regibus legis alienæ ulcisci in regione sua similiter velit, quod heic sacerdotibus suis doluerit irrogari? At si quis hujusmodi me deridens in hæc verba prorumpat, utar gloria temporis mei, prospiciat statui suo subsequens ætas. Sed qui talia secum tractat, paullisper mihi redhibeat quam postulo rationem, utrum hæretici a nobis cum veritate recipi debeant. recipiantur: lucidissima salus est, quia sicut scriptum est: [a] *Credidi propter quod locutus sum.* Præcedit fides locutionem, & sequitur confessio credulitatem; & per impositionem manus sacerdotalis fit pravitatis amissio, fidei redditur plenitudo. Res autem insensibilis quæ primum innovata

A polluitur, ignorare me fateor qua deinceps sanctificatione purgetur. Dico certe, si potest pollutum ab hæreticis altare sacrari, posse & panem qui super illum positus est, ad sacrificia nostra transferri. Idem primitus hæreticus conditor fecit. Transit ad repromissionem divinam: libertate gaudens dimittat Ægyptum. Ad fidem rectam felici mutatione transmigrans, reliquit potius maculam, quam attrahat: cum aliquid non legitimum impurgabili errori, gravant magis polluta contactum, quam capiant a tangente remedium. Unde & in Aggæo propheta: [b] *Hæc dicit Dominus exercituum, interroga sacerdotes legis dicens: Si sustulerit homo carnem sanctificatam, & tetigerit de summitate ejus panem,* B *aut quodcumque aliquid, numquid sanctificabitur? Respondentes autem sacerdotes dixerunt, Non. Et dixit Aggæus: Si tetigerit pollutus ex omnibus his, numquid contaminabitur?* id est, ille panis qui dudum sanctus exstiterat: *& dixerunt sacerdotes, Contaminabitur.* Quapropter conjiciendum est, si potest ille panis in his altaribus consecrari, quem si consecratus panis tetigerit, redditur inquinatus. Malachias quoque propheta sic dicit: [c] *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? & si offeratis claudum, nonne malum est?* Et paullo post: [d] *Maledictus*, inquit, *dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino.* Quid hoc judicio sincerius? quid tali auctoritate C manifestius? Fabrica quam iterata cupis innovatione præsumere, si sana est, quid benedicitur? si languida, cur offertur? Quantumcumque munera a malis oblata in bonum trahere concupiscas, sequi te ad sanctitatem clauda non poterunt. Dicit Apostolus [e], suscepisse *viro virginem castam exhibere Christo*, id est ecclesiam. Ecclesia porro quæ hæreticorum fuit, etsi licet meliori nubere, non erat virgo. Cur ergo appetat sacerdos illicitam, qui prorsus a contactu repudiatæ ac viduæ prohibetur? Post incesti nexum fera conjunctio est. [f] *Qui sociatur*, inquit, *meretrici, unum corpus efficitur: nec tollam membra Christi, & faciam membra meretricis.* Vide si possit junctis sibi Christi membris meretrix D redintegrari, in cujus corpus unita Christi, id est Christiani, per pollutionem membra vertuntur. Unde & alio loco Apostolus dicit [g], talem se ecclesiam velle, quæ non habeat maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi. Numquid ullo pacto poterit istud de hæreticorum fabricis dici? Benedictio quæ rebus sensu carentibus ac pollutis impenditur, nec purgat maculam, nec explicat rugam. Immo magis, si paullo attentius intuemur, caret macula quod symbolum est novitate rugosum. Porro quod iteratione duplicatum est, ruga regitur: talem nequaquam sancta sinceritas, & Adam veterem exuens, novo quod offertur homini comparetur. Quam novitatem nobis auctoritas Testamenti E novi evangeliorum voce commendat [h]. Unde etiam ipse sibi Dominus sterni pullum præcepit [i], cui ante ipsum nullus insederat: quem totius sæcularis usus expertem, feliciter redderent non imposita flagella

a Psalm. cxv. 1. *b* Agg. II. 12. *c* Malach. I. 8. *d* Ibid. ỷ. 14. *e* II. Cor. xi. 2. *f* I. Cor. vi. 15 *g* Ephes. V. 27. *h* Matth. xix. 30. *i* Marc. xi. 2.

1. *Victorio episcopo*] Gratianopolitano. Hunc enim esse arbitror, qui cum Avito ipso interfuit & subscripsit concilio Epaonensi, atque in vulgatis editionibus conciliorum Victurius, in codice autem Lugdunensi Victorius appellatur, ut hoc loco.

2. *De hæreticorum oratoriis*] Qui hanc epistolam contulerit cum canone xxxiii. concilii Epaonensis, *De basilicis hæreticorum*, facile animadvertet, canonem non solum ex mente Aviti qui præerat concilio, sed ipsius quoque verbis conceptum atque expressum. Sic enim se habet: *Basilicas hæreticorum quas tanta exsecratione habemus exosas, ut pollutionem earum purgabilem non putemus, sanctis usibus applicare despicimus.* Diversa paucis ante annis fuerat sententia concilii primi Aurelianensis, cui basilicas Gothorum recipi, & simili quo nostræ innovari solent placuit ordine consecrari. Quod ubique gentium in more usuque jam olim fuisse, tum Græcæ, tum Latinæ passim historiæ declarant.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 494.

subditum, sed exordia sancta mansuetum. Et ut ipsum quoque dominicæ mortis mysterium novitatis honore non careat, in monumento novo quod in petra excisum est [a], redemtricem nostram dominicam carnem legimus quievisse. Quis ergo mihi persuadere conetur, post errores funerum sepulcrum posse mundari? quamvis putredinis humore siccato, consumtis jam carnibus, albis tumulis attollantur, remanet immunditia recordatione, etiam si abesse putetur aspectu. Expulisti quidem morticinum dogmatis alieni, & fortitudinem ejus emortuam de sepulcro suo quasi ossa honore carentia projecisti. Sed puto quod imponi in fœtores sacri corporis membra non debeant. Et dices forsitan, hæreticos, si eis potestas detur, altaria nostra temerare. Verum est, nec refello. Sæviunt quidem cum possunt fœdis unguibus alienarum ædium pervasores. Sed vim intendere, loca pervadere, altaria commutare, non pertinet ad columbam. Specialius ergo fugiendum, quod licere sibi hæreticus putat. Ab exemplo magis vitare convenit quod hostis amplectitur. Nec mirum est, si dedicationes geminare audeant, qui baptismata confrequentant. Quod circa non quid statuam, sed quid optem breviter indicavi. Hæretici cultus loca pervadi nollem, cuperem prætermitti in morem ergastulorum. Semper optandum est, non ut mutata transeant, sed infrequentata torpescant. Salubri populorum correctione desertis maneat æterna viduitas: nec umquam recipiatur a nostris, quod conversionis studio repudiatur a propriis. De ministeriis hæreticorum quæ illis sacra, nobis exsecrabilia judicantur, id est patenis paterisque, quia quid censeam perinde rescribere me jussisti, validæ quidem observationis exemplum est, quod legitur in Heptatycho [b], de turibulis peccatorum, qui ignem illicitum præsumentes, incendio temporalis gehennæ æternam signante consumti sunt. Jacebant namque cineri prunisque permixta, ad mortuorum judicium terroremque viventium, vasa quæ diximus, & odoribus turis assueta, abominabilem immunditiam perversi usus fœtore contraxerant. Tunc duci legifero consulenti præceptum est sermone divino, ut hæc infusa fornacibus, & distenta per laminas, sacro altari affigeret. Vides ergo, quod illic pariter erudimur, usum exsecrabilem metallorum, ad bonum, si ignibus careat, non posse transferri. Adeo ad catholicam comparationem hoc præstat metallis ignis, quod sensibus fides. Unde & in Psalmo propheta sic orat: [c] *Ure renes meos, & cor meum.* Reprehendat certe quispiam, pro sensus sui discretione, quod sentio. Fateor ministeriis illis minime delectari, quæ superioris Galliæ partibus ad ecclesias legis nostræ captiva venerunt: quæque nil voluntarium, nil innocens præferentia, si dolentibus rapiantur, offerentibus prod- A esse non poterunt. Cur mihi dicat victor, quod altaribus tuis exhibeo, quo quolibet ordine meo factum, si jubetur, [d] *Honora Dominum de tuis justis laboribus?* Parum est de laboribus, nisi de tuis: parum est de tuis, nisi de justis. Numquam oblata pronuntiem, quæ ante quam offerrentur, ablata sunt. Sed talia semper munera gratulor sanctis altaribus superponi, qualiter religiose si non solum proprie, quia eis sua videtur ubicumque catholica est. Cur de thesauris suis lectissima quæque producens, haud omni impendio curat, ut in his quæ ad sanctum ministerium pertinebunt, non magis pretiositas possit placere, quam novitas? Orate quod restat, ut longo tempore post votorum opes sibi a B Deo creditas, non in secretis molibus, sed in publicis muneribus possessuras, cum populo sibi subdito gaudens usibus sacris semper habeat quod donabit.

EPISTOLA VII.

Avitus Viennensis episcopus [1] papæ Constantinopolitano.

DUM domnus meus, filius vester, patricius [2] Sigismundus gloriosissimum principem officio legationis expetiit, nobis quoque deferendi ad vos famulatus aditum dupliciter sancta opportunitate C prospexit. Cum enim, ut præcipuum sacerdotem justo vos desiderio sitiremus, adjecit vir illustris Laurentius honorem vestri animis nostris, indicans apicibus suis omne nubilum quod quietem orientalium populorum ambiguo caligante fuscaverat, redintegratæ pacis serenitate detersum: & eam cum Romano antistite vos habere concordiam, quam velut geminos Apostolorum principes mundo adsignare conveniat. Quis enim, qui vel catholicus dici potest, de tantarum ac talium ecclesiarum pace non gaudeat, quas velut in cælo positum religionis signum pro gemino sidere mundus exspectat? Quis non merito delectetur infirmantium reditu, incolumium statu, cum aliis ovibus intra claustra D salvatis, illa quæ vitio errantis arbitrii fuerat evagata, cælestibus caulis lætitia plaudente revocatur? Custodite igitur, quasi patres, traditam vobis etiam super nos ecclesiæ disciplinam. Concordiæ vestræ tantum opus est magisterio, quantum & exemplo. Quam caritatem populis suadebimus, si hanc in nostris rectoribus nesciamus? quid in corpore firmum videri poterit, quid nutat in vertice mancum? Ergo piam redeuntibus date, ne quis intentione pereat, prædicationem. Prospicite ne speculata signa tam fera bestia populetur, si ab unitate sensus vestri Roma dissultet. Memores vero nostri, quia si super dissensionem vestram sol occidat, da- E mnum orientis est, prosperrimum quem supra dixi

a Luc. XXVII. 60. *b* Num. XVI. *c* Psalm. XXV. 2. *d* Prov. I. 9.

1. *Papæ Constantinopalitano*] Joanni Cappadoci patriarchæ, qui relato in diptycha concilio Chalcedonensi, expunctoque ex iisdem nomine Acacii, longum discidium quod orientales ab ecclesia Romana sejunxerat, redintegrata pace & concordia terminavit. Exstat Joannis ipsius ad Hormisdam papam epistola, rei gestæ tempus subscriptione sua denotans, *Data mense Martio die* XXVIII. *Indict.* XII. *consulibus domno Justino imp. Augusto & Eutharico V. C. æra* DLVII. id est anno Christi DXIX. Cedrenus anno primo Justini, Ἐπισκόπων δὲ ἀπὸ Ῥώμης ἐλθόντων δι' Ὁρμίσδου ἐπισκόπου Ῥώμης, τῇ Βιταλιανοῦ σπουδῇ, ἔτι ζῶντος Ἰοάννου τοῦ Καππαδόκου ἐπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως, τὴν ἁγίαν ἐν Χαλκηδόνι τετάρτην σύνοδον πρὸς ταῖς ἄλλαις τρισὶ συνόδοις τοῖς διπτύχοις συνέταξε. *Cumque Roma venissent episcopi ab Hormisda Romano episcopo missi Vitaliani studio, cum adhuc viveret Joannes Cappadox episcopus Constantinopolis, quartam sacram synodum Chalcedonensem ad tres alias in diptychis adscripsit.* Liquet ergo; quemnam principem hoc loco intelligat, quem Rom. antistitem, quem denique papam Constantinopolitanum.

2. *Patricius Sigismundus*] Rex Burgundionum qui Gundobado patri quarto ab hinc anno successerat. Solebant his sæculis imperatores Romanarum dignitatum titulos exterarum gentium regibus honoris caussa impertiri. Unde & Theodericum regem Gothorum & alios, magistros militum sæpe appellatos legimus: atque ut hoc loco patriciatum Sigismundo delatum intelligimus; & patricium Theodericum eumdem a Zenone creatum proditum est, sic ad Clodoveum regem Francorum, post victoriam Gothicam, codicillos de consulatu ab Anastasio missos testatur Gregorius Turon. lib. II. cap. XXXVIII.



nuntium per fideliſſimum virum ad notitiam noſtram firmate reſcripto: ut exſpectans occidentalis eccleſia in ſermonibus veſtris donum cæleſtis oraculi, quod ſe lætatur accepiſſe per condiſcipulum, multiplicari ſibi gaudeat per magiſtrum.

EPISTOLA VIII.

Avitus Viennenſis epiſcopus [1] *Euſtorgio epiſcopo.*

ADventu præſentium portitorum ecce jam ſecundo a te deſiderandi reverendique affatus veſtri dona venerunt: quæ tamen plus fierent proſperitate ſecunda, ſi fierent numeroſitate copioſa. Re vera duplex in litteris veſtris materia gratulationis acceſſit. Primum quod ſalvam mihi gratiam, ſic etiam in veſtro, ſicut in veſtrorum exſtitit animo deceſſorum, hereditario monſtraris affectu. Deinde quod in eo me famulari negotio præcepiſtis, quo, dum tuendæ vel [2] reparandæ libertatis curam geritis, etiam me non indignum tali miniſterio cenſuiſtis. Impletum eſt igitur beatitudinis veſtræ ſanctum ac ſpiritale præceptum. Cumulaſtis oratione mercedem: interventu veſtro pretioſius factum eſt pretium quod miſiſtis. Victa eſt per reverentiam veſtri in rigore barbarico humilitate immanitas, interceſſione crudelitas, illatione cupiditas. Conjicimus qualiter illic prædicationibus duriores animos edomatis, cum interveniendi viribus abſentia vobis ſaxa ſic frangitis. Viſitatur opere veſtro noſtrarum ærumna regionum: & emanans ex largiendi theſauro irrigui fontis ubertas, cum Italiam rigaverit, adſpergit & Galliam. Quapropter depenſo ſalutationis honorificæ famulatu, me veſtro interceſſui vel favori votis præfuſa ſupplicatione inſinuo: optans licet in cunctis, mihi tamen ſpecialibus cauſſis litteras: in quibus ſic vobis per miſericordiam competat, ut etiam me per obedientiam veſtrorum operum fructus attingat.

EPISTOLA IX.

Avitus Viennenſis epiſcopus [3] *Cæſario epiſcopo.* D

LIcet ipſa ſe ſe venerandi portitoris perſona animis fraternæ caritatis inſinuet, ſanctus tamen A Maximianus [4] antiſtes hanc peculiarius ad vos officii mei paginam petiit deſtinari: per quam me potius ab illo, quam illum a me commendari debere manifeſtum eſt. Et quia jubere dignatus eſt, ut neceſſitates ſuas ſermone meo panderem, nihil dicendum de peregrinationis labore ſuſcepi: quia quantalibet vel temporum longitudine, vel itineris vaſtitate, genitalis patriæ linquat habitaculum, peregrinus ſacerdos dici non poteſt, ubi catholica reperiri eccleſia poteſt. Quamquam nec illa vobis regionis ſuæ ſubverſio quaſi incognita exaggerari debeat: cum pietatem veſtram, quærentem ubique miſericordiæ aditus, non lateat ubi eſt miſeriæ locus. Principalis tamen ei, quantum dignatur afferere cauſſa veniendi B eſt, ut peritiorem medicum quocumque perquirat, qui imbecillitati corporeorum luminum cujuſcumque remedii arte ſuccurrat. Quamquam religioſæ mentis intuitus, contemplandis magis ſpiritalibus occupatus, nec nimium exterioris hominis cæcitate perterritus, eo temperamento hanc, quantum comperi, curam requirat, ut amatoribus potius ſuis ſatisfacere in hujus ſtudii neceſſitate contendat. Simul & ne videatur, per neglectæ ſanitatis culpam, facultas in eo ſacerdotalis officii reprehenſibiliter minorata. Spem vero recipiendi obtutus, quantum arbitror, & ab exemplo requirit: quod ſcilicet Tobiam noſtrum [a], caligantem quidem terreſtribus, ſed quæ mundo erant inviſibilia contuentem, attentum C æternæ luci, & jam pæne dici mortalis immemorem, latens in Angelo medicina reduxerit per collyrium fellis ad dulcedinem ſanitatis. Quocirca ſuſcipite fratrem ſinceritate ſolita reverentia digna: & ſi quid conſolationis ſancto debetur, impendite. Implebitur autem commune deſiderium, ſi etiam qualiſcumque infirmitati medela provenerit. Quod certe ſi minus, ſaltem incorruptibilem vultum pietatis alternæ, nulli obnoxius cæcitati ſacerdotalis conſcientiæ oculus recognoſcat.

EPISTOLA X.

Avitus Viennenſis epiſcopus [5] *Magno epiſcopo.*

LIcet nulla quibus ad præſumendum hoc ipſum officium provocaret, veſtri apoſtolatus ſcripta promeruero, offerre me tamen paginam de-

a Tob. XI. 13-15.

1. *Euſtorgio epiſcopo*] Mediolanenſi, ut docet epiſtola Theoderici regis, quæ eſt nona lib. I. Variarum apud Caſſiodorum, & lib. II. epiſtola XXIX. ad Adelam comitem, his verbis: *Beatiſſimi viri Euſtorgii epiſcopi ſanctæ Mediolanenſis eccleſiæ petitione permoti, præſentibus te affatibus admonemus, ut prædiis vel honoribus illius eccleſiæ intra Siciliam conſtitutis tuitionem ſtudeas, ſalva civilitate, præſtare.* De hoc Ennodii quoque interpretati ſumus epigramma CXLIX. De fonte baptiſterii S. Stephani, & aqua quæ per columnas venit.

En ſine nube pluit ſub tectis imbre ſereno,
Et cæli facies pura miniſtrat aquas.
Profluа marmoribus decurrunt flumina ſacris,
Atque iterum rorem parturit ecce lapis.
Arida nam liquidos effundit pergula fontes,
Et rurſus natis unda ſuperna venit.
Sancta per æthereos emanat lympha receſſus,
EUSTORGI *vaſis ducta miniſterio.*

Id eſt, epiſcopi. Græcum ortu ſunt qui Euſtorgium faciant ex nominis conjectura. Quod vero addunt Joannis Damaſceni diſcipulum fuiſſe, abſurdum eſt, cum tempora diſcrepent.

2. *Reparandæ libertatis curam geritis*] Referenda hæc videntur ad reliquias captivorum, quos Gundobadus bello Liguſtico ex Italia in Galliam abduxerat, ad quos redimendos miſſi a Theoderico rege Epiphanius Ticinenſis, & Victor Taurinas legationem obierant; quam Ennodius in Epiphanii vita deſcribit.

3. *Cæſario epiſcopo*] Arelatenſi, de quo ad ea quæ alias notavimus ad Ennodium, præclarum addi poteſt elogium Floriani monachi in epiſtola ad Nicetium Trevirenſem. *Sed & coronæ veſtræ ſocium*, inquit, *beatæ memoriæ dominum Cæſarium Arelatenſem epiſcopum, qui vixit inter barbaros pius, inter bella pacatus, pater orphanorum, paſtor egentium, qui tanti cenſus effuſione nil perdidit, catholicæ regu-* E *lam diſciplinæ dictis factiſque demonſtrans.* De hujus quoque in paſcendis captivis alacritate ac fiducia in Deum, navibuſque tritico plenis a Gundobado & Sigiſmundo regibus Burgundionum opportune, cum panes deeſſent, ad illum miſſis, narrat Meſſianus presbyter in libro II. vitæ S. Cæſarii.

4. *Maximianus antiſtes*] Cujus ſedis epiſcopus fuerit, non liquet. Fuit quidem per hæc tempora Maximianus Peruſinus antiſtes, cujus nomen legitur in ſynodis Romanis Symmachi papæ. Verum an in eum convenire poſſint, quæ de Maximiano epiſcopo, ejuſque patria, & oculorum incommodo heic dicuntur, ambiguum eſt.

5. *Magno epiſcopo*] Mediolanenſi, Euſtorgii, de quo proxime dictum, ſucceſſori, Datiique deceſſori. Nam quod Datium nonnulli, dum Mediolanenſes epiſcopos recenſent, Magno præponunt, ordo eſt præpoſterus, qui ex hac ipſa epiſtola revincitur.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 494.



A biti famulatus, cum compellatione non jusseritis, opinione compellitis. Siquidem ad occurrendum animis vestris, si non meremur aspectibus, fama trahimur, etiam dum absentia cohibemur. His additur, quod ita ærumnas infelicium Gallorum consolatione consilii & largitate palpatis, ut sub specie ejus quam comperi misericordiæ, ad agnoscendam suorum necessitatem in Italiam festinantes, post longam peregrinationem, cum duce Christo vestram meruerint videre personam, merito propriam credant intrare se patriam. Commendo quod superest regionis nostræ presbyterum, præsentis scilicet obsequii portitorem. Qui licet pro redimenda cujusdam propinqui sui filia laborem fatigationis aggressus sit, B a quodam tamen nobili viro provinciali cum mea prosecutione directus est, ut præfati filium a [1] comite Betanco, nomine Avulum, ante hos circiter quatuor annos pro pignore obsidatus adsumtum, sub auxilio vestræ intercessionis requirat ac revocet. Quod superest obsecro, ut dignabili beatitudinis vestræ rescripto, & illic exsultantibus ingenuitatis statum reparabilem, & heic desiderantibus scribendi aditum doceatis esse communem.

EPISTOLA XI.

Apollinaris [2] episcopus Avito Viennensi episcopo germano.

SAtis licet jam pœnarum dederit sera pœnitudo, tamen ad diem festum ante alios nobis colendum, ne vicario quidem famulatu adesse merui. Qui devotionem non ostendi, vel satisfactionem deferre curavi. Ad quod vere ut confido ipso sum beate & reverentissime domine, spiritu visitante commonitus. Nam in ipsa sancta nocte, in visione nescio quid manibus meis hæserat, quod consedens juxta me fulgentissima, sed inusitato colore rubea columba vellebat. Cumque expergefactus, quotidianum quidem manuum mearum horrorem recognoscerem, sed purgari me immerito nihilomi- D nus meminissem, dum ipsum ambiguum mæstus mecum atque anxius volvo, repente quasi stimulo percussus, illico sum reliquati fenoris recordatus. Jam quæ me hinc confusio, quæve presserit amaritudo, pietas sancta perpendit. Aliqnatenus tamen hac spe solatus sum, quod ignoscat quæ commonere dignata est, ut miserto mihi non omnis sancti obsequii opportunitas fraudaretur. Unum tantum mixta debitis commemorationis ejus officiis supplicatio deposcit, ut hanc quoque indulgentiæ suæ partem sensibus vestræ, quæ in me plus jam justa est, imputationis inspiret.

EPISTOLA XII.

Avitus Viennensis episcopus Apollinari episcopo.

APparet liquido quanta sit in vestro merito gratia Dei, aut quantus conjici debeat virtutum cumulus, ubi error ipse tam sanctus est. Nam dum justus accusator sui conatur in se convincere quod peccare non potuit, confitentis humilitas crescit ad meritum, non confessionis veritas ad reatum. Excessisti fateor consuetudinem: sed pietatis augmento semper diei hujus meminisse dignamini. Dulcis a vobis venit solicitudo: sed B non incomparabiliter prævenit oblivio. Minus enim procul dubio salva observatione apparet effectus: sed ostendistis quanta spiritalitate vos exercere delectet, quod præterisse sic doluit. Vere secura est dignitatem delicti vestri sancta revelatio: & tale repertum est in dormiente supplicium, quale fuerat in vigilante peccatum. Ecce veritatem dico in Christo, non mentior, cum parturientibus lacrymas oculis legissem somnium quod vidistis, omnis mentem meam subiit necessitudinis recordatio præmissarum, quibus per visitationem vestram honorem dependere nos admonitos intellexi. Porro autem de ipsa revelatioae quid senserim, in simplicitate depromo. Sic ergo inquis: Nam in C ipsa nocte sancta in qua scilicet germanæ communis depositio celebrabatur, nescio quid manibus meis hæserat, quod consedens juxta me fulgentissima, sed inusitato colore rubea columba vellebat. At vero, cum juxta te pietas tua, nec longe avolans, celeri recordatione consedit, debitum quod sanctissime tu, piissime propinquorum, tu, inquam, merito hæc columba sentires, fulgentissima, cum simplicitate sic luceas, inusitato colore rubrata, cum innocens singulariter quasi propriis compuncta stimulis erubescas. Ampliastis ergo quidem, ut supra dictum est, fenus assuetum: nec illud tamen consuetudini defuit quod putastis. Nam nocti ipsi quam vos excitante Christo non licuit oblivisci, adhuc de abundantia superioris anni vestra nihilominus luxit oblatio. Sic ex quodam supernæ benedictionis irriguo, quod impenditis annis singulis, sufficit multis. Deum quæso, ut hoc etiam mihi pietas vestra quandoque dependat.

EPISTOLA XIII.

Avitus Viennensis episcopus [3] Contumelioso episcopo.

QUantum, vobis apud Deum suffragantibus, qualiscumque voti mei dies propinquantur, tantum animi mei desiderium pudorque decertant. E Benedictionem quippe flagito operi imperfecto. Esset quantulacumque excusatio, si in eo inertiæ meæ noxam velaret ac tegeret magnitudo. Nunc vero exiguo pariter atque impolito quid potest esse deformius? Unum igitur est, quod trepidantem

1. *Comite Betanco*] Theoderici regis Italiæ. Avulos vero, sive Avolos, præter hunc, nobilis, ut ait, viri provincialis filium, alios eodem sæculo habuit eadem provincia, ut Avulum Segestericensem episcopum, & Avolum Aquarum Sextiarum, quorum ille in synodo IV. Aurelianensi subscribit, hic in quinta.

2. *Apollinaris episcopus*] Valentinæ sedis antistes, Avito fratre natu major, de quo Agobardus ad Ludovicum imp. de Judaicis superstitionibus. *Sanctus Apollinaris episcopus ecclesiæ Valentinæ, quantus fuerit & sit, non solum gesta de eo scripta, sed & crebra ejus miracula usque hodie sublimiter testantur.* Epistolæ utriusque idem est argumentum. Somnium nempe Apollinaris, quod ea illi nocte oblatum est, qua defunctæ sororis anniversarium Viennæ ipso absente celebrabatur.

3. *Contumelioso episcopo*] Reiorum in Provincia II. ut docent subscriptiones synodi Arelatensis IV. Carpentoratensis & Vasensis II. Doctrina excultum hominem fuisse argumento est, quod Avitus hunc inter librorum suorum censores & arbitros delegerit. Mores autem illaudatos probavit, tum Cæsarii ejusque synodi, tum sedis apostolicæ judicium, cujus sententia Contumeliosus episcopatu ob flagitium dejectus, atque in monasterium retrusus est, ut in primo tomo conciliorum Galliæ videre est.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 494.

animum audaci solatur hortatu, vestro scilicet, si nos Deus exaudire dignatur, adventu cuncta in melius esse vertenda. Neque enim est quod non possitis, aut orando componere, aut perorando excusare. Tantum sicut de compertæ pietatis voto certi sumus, ita prævio præstolatæ visitationis nuntio gaudeamus.

EPISTOLA XIV.

Victurius [1] *episcopus Avito episcopo.*

AD separandum a tritico lolium in area Domini ordinationis vestræ ventilabra poscenda sunt: quia ille qui vobis constituit tenere loci principis principatum, nos voluit exsequi quod præceperitis in opere, quod autem operandum est vos jubere. Quidam enim civium, ut nunc delatum est, ante quamplures annos sorori se defunctæ conjugis in matrimonio se sociavit, quod ego nunc sub multorum præsentia aditus audivi. Accusator tanti criminis, non occulta susurratione atrocis facti differuit qualitatem, sed ipso coram qui gessit ista
* proposuit. Quique eodem quo illicita præsumsit ausu, qui studio a vobis dispensantibus miserabilis propemodum non negavit. Proinde qua sit abstinendus conditione præcipite: sive ut pariter lugeant, vel si est indicenda sequestratio, vel qui modus pœnitentiæ, edocete. Nam non est, ut puto, minus in conjugio germanam conjugis, quam uxorem fratris adsciri. Vos tamen, ut suggessi, statuite quod videtur: quia præter ordinationem vestram, de tali caussa quid pronuntiari conveniat vix decerno. Communioni nempe eum trepide subtraho, vel permitto, nisi auctoritate vestra roboratus exstitero.

EPISTOLA XV.

Avitus Viennensis episcopus Victurio episcopo.

PRobatæ summæque pietatis est, ut de caussis ad pontificium vestrum pertinentibus meum quoque consilium consulendum esse ducatis. Quod facere vos non, ut dixistis, ambiguitatis animo, sed dilectionis ostenditis. Quapropter contra culpam quam litteris indicastis, arbitror merito vos moveri. Quis enim vel laicus non advertat, non sine grandi macula fieri de affinitatis propinquitate conjugium? Unde licet solicitudini vestræ justissimus dolor de necessitate ipsius districtionis incumbat, salubriter tamen exasperatur in temporaneis, quem salvari cupimus in æternis. [2] Oportet ergo, A hominem maritum duarum scilicet germanarum non irrevocabili anathemate percuti, sed propositis observationibus, interim ab ecclesia sequestrari. Et quia indicatis, laboriosum ipsum ante multos jam annos illicitam secundæ uxoris copulam fuisse sortitum, sufficiat impune bacchatum longo tempore crimen incesti. Nihil heic quasi timore divortii dubitetis: sed merito censetur separatio legitima, ubi exstitit conjunctio criminosa. Utrique si videtur ergo, dum in tam infelici obstinatione persistunt, notam excommunicationis indicite, donec a consortio criminali publica pœnitentiæ professione diffuescant: & tum, miserantibus vobis, ad timoris & correctionis exemplum, gratiam reconci- B liationis accipiant. Ego certe sinceritati vestræ quod rationabile credidi, quia tanti habuistis jubere, suggessi. [3] Auctoritatis vestræ est, errantium compunctione perspecta, severitatis ordinem temperare. Quos tamen æstimo, si veraciter compunguntur, supra scriptis conditionibus parituros.

EPISTOLA XVI.

Avitus Viennensis episcopus Victorio episcopo.

CAutelæ & caritati satisfacitis, dum me aliquid interrogando, non minus onerare, quam ho- C norare dignamini. Sed cum noveritis recte vos, si non de peritia mea, saltem de amicitia judicare: nec aliquid vobis umquam responsione mea suggeri, nisi quod volo a Viennensi ecclesia custodiri. Secutus est ergo, ut indicastis, filium nostrum diaconum Vincomalus: quem Deus tribuat ut in bono vincatis malum. Vidi hominem nimie crudum cujus miseriis constat vix quemquam posse misereri. Juvenis virtute, senex fide, ævo friget, adulterio calet. Quid multis? optandum est ut per voluntatem disparabilem, non quam libet perire, tam liceat. Nam cum adhortatorie plus quam aspere, pro incesti facinore culparetur, severitatem nostram sola præscriptione tarditatis accusans, sero nos il- D licitæ jurgationis tricennale consortium damnasse caussatus est. Ad hunc locum cessi, fateor, impudenti: quod scilicet sui dilectione sententiam differentes, maluissemus correctionem viri compunctioni ipsius voluntatique servare: ac perinde justum esse, ut post spatia tot annorum vel criminalia restringeret, qui refrenare jam longævitatis accessu etiam legitima debuisset. Ad hæc, ut sentire me credidi, non compunctus, sed confusus ingemuit, promittere aliquantisper aggressus, mulierem cohabitationis indignæ ab accessu aspectuque suo protinus coercendam. Suasi respondens ut vo-

1. *Victurius episcopus*] Gratianopolitanus. Nec enim dubito, quin is sit qui in epistola VI. dictus est Victorius, E atque ita quoque nominatur in epistola XVI. & in aliis. Hic ergo Avitum Viennensem, tamquam suffraganeo provinciæ suæ antistiti respondet, quid de illo statuendum qui defunctæ uxoris sororem sibi in matrimonio sociarat. Civis hic erat Gratianopolitanus, ut patet ex epist. XIV. Vincomalus nomine, ut est in XVI. Par porro eodem tempore eodemque in regno Burgundionum, incestus fuit Stephani, ex officio Sigismundi regis fisco præpositi, qui Palladiam defunctæ itidem conjugis sororem sibi copularat. Qua de re in concilio Lugdunensi I. & in vita sancti Apollinaris Valentinæ sedis episcopi.

2. *Oportet ergo hominem*] Græcorum olim Latinorumque in coercendis incestis par disciplina. De duarum enim sororum maritis Græcorum morem qui legis vim obtinebat, exponit S. Basilius epistola CXCVII. ad Diodorum, *Ἐάν τις πάθει ἀκαθαρσίας ποτὲ κρατηθεὶς ἐκπέσῃ πρὸς δυοῖν ἀδελφοῖν ἄθεσμον κοινωνίαν, μήτε γάμον ἡγεῖσθαι τοῦτο, μήθ' ὅλως εἰς ἐκκλησιαστικὸν πλήρωμα παραδέχεσθαι, πρότερον ἢ διαλῦσαι ἀπ' ἀλλήλων. Si quis affectu immunditiæ correptus, in illicitam duarum sororum communicationem exorbitaverit, id neque conjugium esse censendum, neque talem ad ecclesiasticum cœtum admittendum, prius quam ab invicem dirimantur.* Apud Latinos vero qui mos fuerit, multorum instar, quia omnes consentiunt, canon est XXX. concilii Epaonensis: *Incestis conjunctionibus nihil prorsus veniæ reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint.* Inter incestos autem numerat, *si quis germanam uxoris suæ acceperit.* Avitus ergo in hoc genere quatuor distinguit, excommunicationem, separationem, pœnitentiam publicam & reconciliationem: ita ut excommunicationis nota inurantur donec segregentur, & segregati pœnitentiam agant, ut reconciliationis gratiam accipiant.

3. *Auctoritatis vestræ est*] In potestate enim & arbitrio est episcopi, erga pœnitentes, perspecta eorum compunctione, humanius atque indulgentius agere, & severitatis ordinem temperare, ita ut maturius illos ad communionem recipiant. Synodi Ancyranæ canone II. & concilii Arelatensis II. canone X. At contra, negligentiores pœnitentes tardius reconciliandos sancit Carthaginiense IV. canone LXXV.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 494.



bis ista promitteret, & facti pœnitens eo se solvi quo ligatus fuerat postularet. Tamen, quia jussistis ut quidquid sensui meo videatur aperiam, [1] sufficiat censuræ vestræ separatio personarum: scindatur infelix conjugium innocentiore divortio: sufficiat districtionis fructui terminus mali. Nec sane promissio ejus fidelis putetur, cujus vita exstitit infidelis. Ipsis fidejussoribus emendatio secutura credatur, quibus intercedentibus prior culpa laxabitur. De cetero autem, quod ad pœnitentiam exspectat, moneatur interim agere, accipere non cogatur. Sufficiunt infelici crimina sua: nec ingeratur laborioso cum respuit, quod tam instabili animo vix committi debuerat si petiisset. Cesset a fragilitate perfidia: nec subeat in carnalitatis cumulum rebellionis augmentum. Si jubetis, breviter ad ultimum suggero. Excussus ab scelere, suscipiatur ad veniam; patiatur pœnitentiam, cum perdit peccandi occasionem: profiteatur, cum amiserit voluntatem.

EPISTOLA XVII.

Avitus Viennensis episcopus [2] *Viventiolo presbytero.*

DUpliciter pietatis plenum est quod fecistis, dum veniendo Lugdunum, hucque mittendo, studuistis de duobus fratribus illic requirere infirmum, istic visitare solicitum. Nec a vobis propositum intermissum esse putabitur, cum vos religioso fratri plus in affectu atque honore debentibus spiritalis officii hujus conversus, etiam si non poposcisset ægrotus: quippe cum sacerdotis germani jure vel adhortationem novitas quæreret, etiam si consolatione anxietas non egeret. Proinde laborem justa fatigatione susceptum prorsus excusare desistite, ne videamini ad hunc arripiendi vel definiendi ambiguitate peccasse. Jam vero qualiter dignas pro transmisso munere gratias agam, votis me magis sentio, invenire quam litteris. Illud quoque ut de eremo talia proferri posse dicatis, elegantia quadam desideria hominum ad locum vestræ cohabitationis attrahitis. Qui procul dubio, personæ vestræ solicitudine, institutione, doctrina, etiam si inventa sit eremus, fieret paradisus. Quapropter pro sella quam transmisistis, cathedræ vicissitudinem imprecans, quæso ut nutantem [3] scholam cari communis Eugendi, & non minimum, quantum ad statum suum attinet, præsule viduatam, spiritali solatio, & sacerdotali magisterio foveatis. Neque illud ab impendenda caritate vos * retineat, quod simplicitatis magis, ut arbitror, quam abusionis animo, minus digne ab eis cura vestræ ordinationis ambitur: ut ad majora, ut præ-

* Al. lect. *retrahat.*

A stante Deo cupimus, gubernacula proveheudi, & ad duplicanda quinque talenta de duobus additis adsurgentes, probati in secundo gradu fideles, & maximus hanc secreti conscientia feratis ad populos, ut quo in aliis fraterna dissensio potuisset eremum facere, in vobis studuerit paterna dilectio monasterium continere. *

[4] EPISTOLA XVIII.

* * * * *

Unde, etiam si pignus reliquiarum sacræ crucis putamus esse vobiscum, a sancto tamen Æliæ urbis B antistite hanc specialiter munificentiam credimus expetendam. Qui re vera sacramenti istius veram & inviolabilem puritatem loci administratione conservans, sic desiderabili potens est impertire nos dono, ut ab omni cunctationis absolvat ambiguo. Qua de re plurimum pagina famulante deposco, ut ad præfatæ ecclesiæ sacerdotem litteras apostolatus vester tribuat portitori: quatenus gemina nobis veniat benedictione firmamentum, quod ecclesiarum præminentium mundo, vel consulta sedis vestræ auctoritas respondebit, vel humanitas illius obsecrata porrexerit.

EPISTOLA XIX.

C

Domnus [5] *Gundobadus rex Avito Viennensi episcopo.*

DE prophetica lectione sanctitatem vestram censui consulendam, cujus lectionis exemplar subter adjeci. Et ideo utrum jam tempora ista fuerint, an futura sint, scripto vestro declarare dignemini: [a] *Ex Sion procedet lex, & verbum Domini ex Hierusalem: & judicabit inter plebes multas, & redarguet gentes validas usque longe: & concident gladios suos in aratra, & lanceas suas in falces: & jam non extollet gens super gentem gladium, & jam non stabunt belligerare.* Et [b] *requiescet* D *unusquisque sub vinea sua, & sub ficu sua: & non erit qui in timorem mittat eos.*

EPISTOLA XX.

Avitus Viennensis episcopus [5] *domno Gundobado regi.*

LIcet de lectione prophetica scitos magis, inter quos ipse profiteri non audeo, debueritis consulere sacerdotes: opto tamen jussioni vestræ satisfacere vel obedientia, etsi nequeo respondere doctrina. Ita quod indicari vobis jubetis, etiam tex-

a Isa. II. 3. 4. *b* III. Reg. III. 21.

1. *Sufficiat separatio personarum*] Superiorem sententiam suam temperat, & mitius decernit. Duo enim superius exigebat, separationem, & publicam pœnitentiam: nunc separatione sola contentus, de pœnitentia suggerit, ut eam agere moneatur, accipere non cogatur.

2. *Viventiolo presbytero*] Qui Lugdunensis postea fuit episcopus, ut docebit epistola LII. Nunc cum Lugdunum ex Jurensi eremo venisset, Appollinaremque Aviti fratrem, novum episcopum ibi ægrotantem visitasset, Avitum quoque ipsum destinato nuntio consolari studuit. Quo nomine gratias illi agit, simulque pro transmissa sella: cujus vice cathedram ipsi, hoc est episcopatum imprecatur, quem Lugduni postea sortitus est.

3. *Scholam Eugendi*] Quod nunc est monasterium sancti Claudii in Jura monte. Eugendi nomen, quod in codice nostro desiderabatur, supplevimus ex schedis Thuanis. Quo tempore autem vita functus sit, hæc epistola nos docet.

E Vacuam ergo & rectore destitutam scholam Eugendi Viventiolo suadet ut capessat, ut in secundo gradu presbyteri probatus, ad majora gubernacula provehatur, hoc est, ad primum gradum episcoporum.

4. *Epistola XVIII.*] Quam multa hoc loco desint statui non potest. Titulum vero epistolæ conjicio fuisse ad Symmachum papam. Æliæ autem, id est Hierosolymorum, antistitem Heliam intelligi, qui sedem illam tunc regebat. Ad hunc ergo, pro impetrando sanctæ Crucis munere cum scriberet Avitus, Symmachi quoque intercessionem qua voti compos fieret, expetiit. Sed Aviti ad Heliam epistola desideratur.

5. *Gundobadus Avito*] Solebat Avitus, ut Agobardus testatur, & exemplo manifestum est, cum rege Gundobado frequenter de fide, non solum coram differere, sed absenti quoque per epistolas respondere.

tu, ne dicam expofitione prolixum eft: & majorem difputationis vacationem poftulat, quam fuccincta celeritas refcripti epiftolaris admittat. Et idcirco quanta poffum brevitate refpondeo, quod ex propheta Ifaia directæ ad me termino paginæ fubdidiftis, jam dudum, id eft tempore dominicæ incarnationis impletum. Nam cum dicat: [a] *Ex Sion egredietur lex, & verbum Domini ex Hierufalem*, tractate diligentius, an quæ adhuc exfpectari debeat promulgandæ legis reftet auctoritas: [1] Certe poft Verbum Dei quod caro factum eft, ut per nativitatem corporis habitaret in nobis, fi adhuc ex Hierufalem aliud verbum fperandum eft, iftud quod fupra diximus unicum non eft. Unde incunctanter in eo quem propofuiftis loco fermo patris Chriftus, & lex Chriftiana prædicata eft. Quia cum duæ leges fint, id eft Judaica quæ præceffit, & noftra quæ fequitur, & illa vetufta jam etiam prophetarum temporibus diceretur, videtis ab Ifaia iftam tantummodo nuntiari, quæ vocatione gentium magifterio Chrifti docentis exorta eft. Unde fequitur, *& judicabit inter medium gentium, & increpabit populos multos:* quos ex cunctis cognationibus terræ intra unam ecclefiam Dominus nofter judicando inftituit, & arguendo convertit. Quod vero ait, *concident gladios fuos in aratra, & lanceas fuas in falces*, licet poffit de corporea ætate Domini in qua per orbem quietum inconcuffa pax floruit, aliquantifper intelligi: evidentius hoc tamen Chriftianis fidelibus coaptatur, quorum cum majori numero defit ac defuerit ufus, quem in perniciem hominis malitia primæ nativitatis armaverat, ad ufus falutis vitalemque culturam nativitas fecunda convertat. Nam cum in evangelio de fine fæculi prædicetur: [b] *Exfurgent gens contra gentem, & regnum contra regnum*: & ex ipfis malorum indiciis imminere jam pæne mundi terminum colligamus, nifi quod fupra dixi de catholicis figuraliter accipiatur, nefcio ut quid poft fæculi finem obtunfa telorum acies in ligones & vomeres commutetur. Illud vero quod imo lectionis juffiftis adjungi, id eft, [c] *requiefcet unufquifque fub vite fua & fub ficu*, nec effe in eadem lectione, nec ad cauffam de qua confuluiftis fuggero pertinere. Quod tamen temporibus prifcis Judæorum populo, meriti alternante diftantia, frequenter, aut pro peccati emendatione conceffum, aut rurfum pro fuccedentium culparum caftigatione fublatum eft.

EPISTOLA XXI.

Avitus Viennenfis epifcopus [2] *domno Sigifmundo*.

Quod me de collocutione regali ad notitiam veftram non detuliffe culpatis, occurfui meo exacta feftivitate fervaveram: quia re vera indicari vobis litterario famulatu cuncta per ordinem, E difceptationis prolixitas perplexitafque non patitur. Nam quantum in animis domini mei, patris veftri, fenfiffe me puto, fervet in ejus ftudio confi- A cta otii fronte certamen. Nam quod credebamus animofitate depofita, filentio temperante, fubitam opportunitatem potius quam quietem requirens, non ceffavit præterita induciarum brevitate, fed latuit. Adeo ut nec ipfa contentionis arma quæ quafi jam in noftra regione defecerant, pofcantur extrinfecus, vel ufque ad reditum legatorum fuorum fervor meditationis exfpectat. Redeunti igitur mihi de eo quod noftis itinere, nec aliquid interim de hujufmodi propofitionibus opinanti, quidquid per implicatiffimos quæftionum mendacium nodos longo fpatio fagax induftria potuit arare, commotum eft. Fervet validus prolixa difputatione tractatus: placidus tamen, nec aliquid a fupercilio dominandi turbu- B lentæ commotionis interferens: fed curavit confulte, neceffitatis opportunitate provifa & rei, ut quicumque contentionis fuiffet eventus, nec fuperatum pateretur erubefcere. Quid multis? fine jactantia vobis libere dico, ad propofita, quantum mihi videtur, quod fi audiffetis potuit placere fuggeftum eft. Quod fane vereor audientis plus judicio fatisfacere, quam ftudio placuiffe. Sed cum præfentiam veftram, Deo largiente, meruero, per me feriem totius altercationis exponam. Interim fermonis curfum de fine colligite, & ex eo quod difcedenti mihi præcepit, utrum ad refponfa motus fuerit æftimate. Juffit namque, ut quodcumque de fcripturis noftris teftimonium ad interrogata protu- C leram, feu fi forte occurriffet & aliud, ad fingula quæ tempore collocutionis aptaveram, fubnotata ei ordinataque tranfmitterem. Quod cum fibi ex maxima parte pronuntiaret incognitum, adjecit fimpliciter fic fcriptum * mififfem facerdotibus, immo magis feductoribus, ut adhuc verius dicamus fectatoribus fuis. Unde conjicere pietas veftra poteft, quamquam intento contradictori, tamen arbitro fapienti, non invalida vel abfque viribus vifa quibus intentionem fuorum, etfi non optat corrigi, defiderat fatigari. Ego autem, licet fciens, quantum poteftatibus divino quoque juffu, frequenter & regibus, pro veritate non ceditur, utrum parerem diu dubius fluctuavi: fciens, certe hominis animum ti- D mens, numquam me per hæc fatisfacturum, nec minus ab eo cavendum, quam ab hofte, dum adverfa acies odia privata publica obfidione circumdat. At quo Deo præftante polletis, faftigio culminis, ftudio religionis, privilegio auctoritatis, vallatam muris difcordiam propulfate: & furentia in caftris, velut per campos Æmathiæ, plus quam civilia bella difpergite. Quia cum jam dudum fimus pondere duplicato, & clamantum querimonia, & non audientium duritia fatigati; æquum eft, fi dignamini, veftram quoque feveritatem, aut illic caftigandis confulere, aut heic erubefcentibus condolere.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 494.

* Forte *mifiß*.

a Ifa. II. 3. b Marc. XIII. 8. c III. Reg. IV. 23.

1. *Certe poft Verbum Dei*] Verbum Domini pro Deo Verbo fumit: quæ interpretatio ab Efaiæ fenfu hoc loco aliena eft, & a Theodoreto noftro refellitur. *Λόγον γὰρ ἐνταῦθα οὐ λόγον Θεὸν καλεῖ, ἀλλὰ τὴν τοῦ Θεοῦ λόγου διδασκαλίαν. οὐ γὰρ ὁ Θεὸς λόγος ἐκ Σιὼν ἐξελήλυθεν, ἀλλ' ἐν τῇ Σιὼν τὴν ἀλήθειαν ἐξεπαίδευσεν. Sermonem enim hoc loco vocat: non Deum Verbum, fed Dei Verbi doctrinam. Neque enim ex Sion exivit Deus Verbum, fed in Sion veritatem docuit.*

2. *Domno Sigifmundo*] Hic unus eft ex illis dialogis & collocutionibus, quas cum rege Gundobado frequentatas ab Avito ex Agobardi verbis didicimus. Fiebant hæ porro nunc cum rege ipfo, nunc illo præfente cum ejus facerdotibus Arrianis epifcopis, ut hoc loco. Qua de re autem inftituta fuerit hæc difputatio non fignificat. Pauca enim de contentionis exitu commemoraffe contentus, totius altercationis feriem coram, cum ad Sigifmundum venerit, expofiturum fe promittit.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 494.

EPISTOLA XXII.

Avitus Viennensis episcopus [1] *Apollinari illustrissimo.*

FEcit pietas vestra rem solicitam, solicitudinem tam porrigendo de nobis, quam de vobis nostram credendo. Nam re vera nuntio vestri discessus accepto, in summo metu trepidatione perpendimus: quia nobis diversis nuntiis dicebatur, vos dominorum quibus observatis accitu, cunctos pariter evocatos. Unde faciebat hoc meorum conscientia peccatorum, ut quantum mihi pauciores remanserant, tanto intelligerem remanentibus plus timendum. Sed Deo gratias, qui prospero reditu, in lætitiam vestros, vosque revocavit in patriam. Servet Christus hanc, quod superest, desideriis communibus libertatem, ut nobis & consolari absentiam vestram sit possibile, & ad præsentiam pervenire.

EPISTOLA XXIII.

Avitus Viennensis episcopus [2] *papæ Hierosolymitano.*

EXercet apostolatus vester concessos a divinitate primatus, & quod principem locum in universali ecclesia teneat, non privilegiis solum studet monstrare, sed meritis. Ornat pariter legem nostram cathedra vestra, cathedramque persona. Unde obligatus dignationi vestræ debito largitaris, per ipsum dependo gratiarum vota, per quem ad munera pervenerunt, non quantitatis pretiis, sed salutis præmiis æstimanda. Ditastis namque sanctificationis opibus pauperiem orbis extremi, & obscuritatem solis occidui participato nobiscum fulgidi ortus lumine contigistis. Tersit a provinciis nostris A torpentis religionis rubiginem claritas doni: quæ boni semper currentis irriguo, fidem nostram contemplatione munerata est, cum patefactis a pietate vestra penetralibus cælestium thesaurorum, quidquid catholici credere jubemur inspeximus. Orate quod superest, ut dignis talia miseritis: commendate nos mysteriis, quæ nobis committere duxistis. Ædificetur his devotio nostra, regio defendatur: ut indulto nobis pignore salutari, quos terrestris Hierosolymæ non censuistis indignos, supernæ a cælestis habitaculo reddatis idoneos.

EPISTOLA XXIV.

B *Avitus Viennensis episcopus* [3] *Stephano episcopo.*

QUamlibet attentis culturæ dominicæ famulis, inter assidua plantandi studia, semper etiam quæ succidi expediat oriuntur. Ergo perjugibus solicitudinis vestræ studiis opportunissimum his operibus acquirendæ salutis fenus accrescit. Sed [4] inter lolium Arriani germinis, numerosa quod pejus est corruptione diffusum, conjicere nequeo, unde se se facies seminis inimici, non quidem nova, sed satis rara, monstraverit, quis transmarina contagia orbi nitido ventus attulerit. Sed Deo gubernante vos, nullo fulta solamine, parum labes ista metuenda est. C Non habet de multitudine tempestas profectum, nec tenuis perficit aura naufragium. Quocirca Donatistarum nomen, ne diu in loco vivere possit alieno, benedictione protinus sepelite vitali. In ipso fomitis sui ortu peregrinantis igniculi frigescat incendium. De quo ne vel famæ fumus narem Galliæ innocentis aspergat, [5] manus impositionem personæ de qua scriptis adhibete, interdicta nominis ipsius in posterum, si ex corde convertitur, mentione: [6] quam constat, si re vera in supra dicti schismatis professione versata est, [7] cum

1. *Apollinari illustrissimo*] Huic jungenda est epist. XLIV. ad eumdem, ut opinor, Apollinarem Sidonii filium scripta, tametsi vir illustris in ea nuncupetur, in hac illustrissimus. Parebant autem Arverni hoc tempore Wisigothis, eorumque regi Alarico, filio Eurici, cui dediti a Nepote Augusto fuerant ex fœdere. Domini ergo quibus observabant, hoc loco Wisigothi, pro quibus & in pugna Vocladensi, cum a Clodoveo cæsus est Alaricus, dimicasse cum Arvernis suis ducem Apollinarem, testis est Gregorius Turonensis.

2. *Papæ Hierosolymitano*] Heliæ, qui Æliæ urbis antistes dictus in epistola XVIII. Gratias huic agit pro accepto munere quod superioribus litteris ambiebat: pro sacræ nimirum Crucis particula, non mole, ut inquit, sed salutis pretio æstimanda. Sic enim & Paullinus Nolanus epistola XV. cum de Crucis ejusdem particula quam Hierosolymis per Melaniam acceperat, modicum segmentum mitteret ad Severum & Bassulam: *Accipite*, inquit, *magnum in modico munus, & in segmento pæne atomo hastulæ brevis, sumite munimentum præsentis & pignus æternæ salutis.*

3. *Stephano episcopo*] Lugdunensi, qui, ut antiquæ tabulæ docent, Rusticio episcopo successit, successoremque habuit Viventiolum. Lupicinus enim qui Stephano subjici a recentioribus solet, ante Rusticium in iisdem tabulis post Patientem collocatur. Ad Stephanum hunc, ut alias monui, scripta exstat epistola Ennodii lib. III. XVII. Eidem scribit item, ni fallor, Ruricius Lemovicensis lib. II. epist. LI. etsi episcopi nomen in titulo est omissum.

4. *Inter lolium Arriani germinis*] Arrianorum hæresim his temporibus in Gallia fovebant Wisigothi & Burgundiones, utrique ea labe infecti. Unde & Avito crebra cum Arrianis de fide certamina, & libri contra Arrianos ab eodem editi. At Donatistarum nomen unius fere Africæ in qua natum erat, finibus se continuit, & vix umquam ad alias gentes pervasit, si Romam excipias, ubi Montenses vocabantur.

5. *Manus impositionem adhibete*] Conversis ab hæresi manus imponebatur, ut Spiritum sanctum acciperent, quem ab hæreticis accipere non potuerant. Concilium Arela- D tense I. can. VIII. *Si ad ecclesiam aliquis de hæresi venerit, & pervidirint eum in Patre & Filio & Spiritu sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum sanctum.* Leo magnus ad Rusticum Narbonensem Inquis. XVIII. de iis qui parvuli ab hæreticis baptizati sunt: *Rebaptizandi non sunt, sed per manus impositionem, invocata virtute Spiritus sancti quem ab hæreticis accipere non potuerunt, catholicis copulandi sunt.* Idem ad Nicetam Aquilejensem cap. VII. *Qui baptismum ab hæreticis acceperunt, sola invocatione sancti Spiritus per impositionem manuum confirmandi sunt, ut quod ab hæreticis nemo accipit, a catholicis sacerdotibus consequatur:* quia Spiritus sanctus, ut est apud Augustinum lib. III. de Baptismo contra Donatistas cap. XVI. in sola catholica per manus impositionem dari dicitur. De hac igitur manus impositione qua datur Spiritus sanctus, heic sermo est, ne quis de alia fortasse interpretandum putet.

6. *Quam constat etiam chrismate consignatam*] Quasi dicat E chrismandum etiam fuisse, nisi chrismatus jam esset. Adhibebatur enim in recipiendis hæreticis, præter impositionem manuum, chrismatis quoque consignatio. Cujus moris apud Gregorium Turon. illustria sunt exempla, in Lantilde Clodovei regis sorore, quæ ex hæresi Arriana conversa chrismata est, lib. II. Historiæ Franc. cap. XXXI. in Brunichilde & Gosuvinta sororibus lib. IV. cap. XXVII. & XXVIII. in Hermenichildo rege Gothorum in Hispania lib. V. cap. XXXIX. in Chararico denique Suevorum rege in Gallæcia, de quo Gregorius idem de Miraculis S. Martini lib. I. cap. VI. *Rex*, inquit, *unitatem Patris & Filii & Spiritus sancti confessus, cum omni domo sua chrismatus est.* Ceterum chrismatio conversis tum adhibebatur, cum in hæresi chrismati non fuerant.

7 *Cum ministerio baptismatis*] Chrismatis consignationem more antiquo cum baptismate conjungit, eamdemque ab impositione manuum qua datur Spiritus sanctus, divellit ac separat. Qua de re alias fuse disputatum est, cum canonem Arausicanum explanaremus. Quod vero affirmat

ministerio baptismatis etiam chrismate consignatam. Hoc certe eos in regione illa observare manifestum est. In qua primum Deus tribuat, ut quicumque hujus erroris fuerint corrigantur: tum deinde a nobis tam secta distante quam patria, jam ad partem nostram, qui salvandi noluerint, agnoscendi transire non possint.

EPISTOLA XXV.

Avitus Viennensis episcopus [1] *Apollinari episcopo.*

JUbetis, & voti est, ut cultibus novis pariterque consuetis studiis geminæ dedicationis occurram. Sed vereor ne nos hoc teneat, quod potestates diutius tenuistis. Orate tamen ut par desiderio succedat effectus. Nisi forte illam magis expensam numeras, quæ penu adhuc frigente animis tuis calet. Quocirca licet paucos rogasse te dicas, licet laxato aulico conventu, relevatum esse te gaudeas: si qua tamen mihi excurrendi copia fiet, vel invitos qui supervenerint invitabis. Providebit Deus epulas multitudini tibi convivæ. Ibi pauperum cibus, olei cado & farris hydria persistente, cumulabitur. Ibi si vel quinque panes fuerint, geminum piscem providisse sufficiat. Illud autem fidus post hæc miraculorum experimenta promitto, quod Christo pauperum suorum conventui minime defuturo, quanto plura populorum millia collegeris, plures cophinos reportabis. Apud filium nostrum vero, qui sicut scribitis reconciliationem mutuam dignatur ambire, vos estote vadimonio, quod si ille pacifico voto agere cupit, ego & amico: si ille discordiam poscit tolli, ego cupio concordiam confirmari. Tamen homo ordinis mei, quem nec falli nec fallere decet, crediturus catholico senatori, non ad hoc solum securus incipiat fieri, ut incautus valeat inveniri.

EPISTOLA XXVI.

Avitus Viennensis episcopus [2] *cuidam.*

EPistolas vestras post longum tempus accepi, in quibus me servandæ caritatis, quamlibet noveritis tristem, nec sic debeatis credere negligentem. Nam vere testis Deus est, quod ex magnitudine vestri affectus sit animo meo major & gemitus. Nec valeo sine grandi vobis dolore suggerere, quam gravi sanctitas vestra, date veniam, facilitate præventa sit. Instruxistis adversarios armis vestris, prodidistis imperfectis secreta nostra, cantastis canticum Domini in terra aliena [a]. Protulistis velut vasa dominica [b] spectaculo convivali quæ irrident: exposuistis velut nudatum Noe [c] cachinnis numquam opprobrio carituris. Si retinent aut sequuntur, periculose subrexit qualitas veritati. Certe si pretiosum vobis erat quod publicari debere putatum est, terrere vel Ezechiæ regis culpa [d] vos debuit, quem jactantiæ odore peccantem propheta redarguit [e]. Sed cum trepidationem istam dicatis animo convertentis absterfam, justum est ut cum exsultatione dicamus: [f] *Hæc est mutatio dexteræ Excelsi.* Nam quod vobis inaniter contradicunt belluæ sic minaces, Deo protegente, quod debiles, quasque plus mirum est carere dentibus, & furoribus pasci: qui cum gemerent perditionis suæ perire discipulos, perdere incipiunt & magistros. Salubriter coram Deo vel hominibus lucra talia conquiruntur. Nihil in recipiendo expetente violentum est: ut volentis devotionem benedictio præstanda confirmet, non est rapina, sed gratia: quod Christus dignatur accipere, dici non possumus invasisse. De reliquo autem, quod me super conversi statu creditis consulendum, definio inspiratione divina, ad quemlibet sacerdotii gradum hominem posse consurgere, si non est aut in ratione conjugii, aut in quacumque regula moribusque quod prohibeat clericatum. Cur enim non pascat Christi gregem, qui sapienter advertit oves non esse quas paverat? quique quia non fur latroque, merito pastor futurus per ostia ingressus elegit altaria? Quare non fiat in sacerdotio nostro erectus, qui amore humilitatis a suo voluit esse deciduus? Sit verax sacerdos ex laico, qui fieri laicus ex fallace sacerdote contentus est. Teneat in ecclesia nostra plebem suam, qui in sua contemsit alienam. Datura est tantis bonis augmentum cælestis gratiæ plenitudo, ut & ille consecutus incipiat gaudere quod doluit, & hic quotidie fructuosior, præisse se magis intelligat quos reliquit.

EPISTOLA XXVII.

Ab Avito episcopo dictata sub [3] *nomine domni Sigismundi regis, ad Symmachum papam Urbis.*

DUm sacra reliquiarum pignora, quibus per me Galliam vestram spiritali remuneratione ditastis, negare petentibus non præsumo, me quoque

a Psalm. CXXXVI. 4. b Dan. V. 3. c Gen. IX. 22. d IV. Reg. XX. 13. e Isa. XXXIX. 5. 6. f Psalm. LXXVI. 11.

Avitus, cum baptismo chrismare solitos Donatistas, ex Optato & Augustino perspicuum est. Tria enim cum apud illos, perinde ac in ecclesia catholica celebrarentur, baptismus, chrismatio & manuum impositio; horum duo priora, quando ad ecclesiam redibant, non iterabantur, sed intacta permanebant, contra quam fieri ab ipsis soleret, qui catholicorum & baptismum & chrisma exsecrabantur, & utrumque iterabant. Optatus lib. VII. *Quod a vobis unctum est, tale servamus quale suscepimus.* Et post alia: *Seduxistis homines, rebaptizastis, iterum unxistis.* Tertium tantum, id est, impositionem manuum, ob eam quam diximus caussam repetebant, quod Spiritum sanctum hæretici dare non possint. Sanctus Augustinus de baptismo Donatistarum lib. III. *Manus autem impositio, non sicut baptismus repeti non potest. Quid est enim aliud, nisi oratio super hominem?* quia per orationem videlicet manusque impositionem, baptizati a præpositis ecclesiæ Spiritum sanctum apostolico more accipiebant.

1. *Apollinari episcopo*] Fratri, Valentinæ urbis, ut ad epistolam XI. dictum est, antistiti. Cum hac epistola comparanda est Sidonii epist. XV. lib. IV. ad Elaphium, a quo pariter invitatus ad novæ ecclesiæ dedicationem, pari elegantia se adfuturum spondet, hospitumque undique affluentium multitudinem prædicit.

2. *Cuidam*] Episcopo, ut apparet, cujus nomini parcit, de nimia illum facilitate reprehendens, quod secreta nostra imperfectis, hoc est hæreticis prodiderit. De episcopo autem ab hæresi converso, respondet posse in ecclesia nostra, si aliud nihil officit, ad quemlibet sacerdotii gradum adsumi. Quo quidem exemplo, & Symphosium atque Dictinium hæreticos episcopos, Priscilliani hæresim damnantes, retenta dignitate receptos legimus in concilio primo Toletano, & de clericis hæreticis qui ad fidem catholicam veniunt, universim cautum est in concilio I. Aurelianensi can. X. *Ut si fideliter convertuntur & fidem catholicam integre confitentur, officium suscipiant quo eos episcopus dignos esse censuerit.*

3. *Nomine Sigismundi regis ad Symmachum papam*] Per Julianum diaconum sacras reliquias Sigismundus rex petit a Symmacho papa, a quo alias jam pridem acceperat. Symmachi porro papæ obitus incidit in Senatoris consulatum anno Christi DXIV. Gundobadus Sigismundi

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 494.



sanctorum patrocinia postulare ab irriguo vestri apostolatus fonte necesse est. Quamquam etsi est adhuc apud nos de dono vestro, quod catholicæ religionis debeat studio celebrari, etiam illud tamen convenit justæ devotionis intelligi, ut directis litterarii sermonis officiis alloquia illa captemus, quibus me pontificatus vester, vel præsentem monitis docuit, vel absentem intercessionibus acquisivit. Nec nunc paginæ præsentis obsequium reperta opportunitas complectitur: sed destinato ad vos diacono portitore, viro venerabili Juliano, ad universalis ecclesiæ præsulem spiritu repræsentante concurrimus. Crescit quippe beneficiorum recordatione desiderium: nec umquam meis elui sensibus possunt, quæ nobis apud Italiam vestram, vel pontificalis benignitas, vel civilitas regalis impendit, cum post familiaritatem totius munificentiæ commodis præferendam, quia istic liberius laxavit reditum, illinc tenacius vinxit affectum. Attentior pro vestris quod superest incumbat oratio. In augmento namque ovium crescit custodia pastoralis. Sacris nos Apostolorum liminibus commemoratione assidua præsentantes, speciali dum vixero prædicatori vestro, ubi obtinuistis initium, impetrate profectum. Litteris nos, in quantum possibilitas patitur aut libertas, quibus nobis doctrina & incolumitas vestra floreat, frequentate. Et ut supra speravimus, ambienda nobis venerabilium reliquiarum conferte præsidia: quarum cultu, & beatissimum Petrum in virtute, & vos semper habere mereamur in munere.

EPISTOLA XXVIII.

Avitus Viennensis episcopus [1] *domno Gundobado regi.*

REdiens ab urbe Lugdunensi sanctus Chartenius episcopus, in qua, nobis [2] de concilio discedentibus, ad privata quædam negotia expedienda resederat, quæstionem sibi, immo magis omnibus nobis, proposuisse vos retulit. Quæ si fuisset coram positis indicata, subministrante sancto Spiritu, facile sciscitationi vestræ quæ ad caussam pertinebant suggeri potuerunt. Sed quia tam sanctam solicitudinem nulla debemus responsi dilatione fraudare: sciens mihi Christo propitio in fide fratrum meorum concordare sententiam, præsentis paginæ famulatu respondere ad consulta præsumo. Jubetis igitur, ostendi vobis rationem vel potius auctoritatem, qua pateat Deum habuisse in divinitate substantiam, prius quam sumeret de incarnatione naturam: & per hoc perniciosissima hæresis illa vincatur, quæ Dominum

A nostrum ex Maria cœpisse contendens, etiam Deum patrem in filii exsecratione blasphemat. Necesse est enim, quantum ad illos, imperfectioni divinæ aliquid accrevisse, si tantis retro sæculis sine filio manens, pæne jam in termino mundi labentis, cum Maria prolem, tum ille habere inceperit paternitatem: ac a semet ipsis assertionis suæ necessitate constricti, quem nominant filium, denegant Deum. Sentiunt enim, sanas aures ferre non posse, ut ante non multos adhuc annos Deus cœpisse credatur ex homine. Sed nescio in quem effectum redemtio nostra surrexit, si non creaturæ suæ pretium Deus exstitit. Nec enim redimere homo solus hominem poterat: aut qui in supernis & Deus est, eguit re-
B demtione. Jubetis ergo, ut hæc quæ ratione colligimus, auctoritate doceamus. Sufficiat ergo acrimoniæ vestræ paucitas exemplorum, quæ sumta de pluribus abundant cognoscere cupienti: ceterum renitentibus animis & in sua incredulitate durantibus, si aliqua non satisfecerint, cuncta non proderunt. Esaias conclamantissimus prophetarum, nativitatem Christi spiritu revelante prospiciens: [a] *Parvulus*, inquit, *natus est nobis, filius datus est nobis: & vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.* Intuemini quæso verbi vigorem. Parvulus datus est nobis, filius datus est nobis. Parvulus natus est, & filius datus: natus est nobis hominis filius, datus est Dei:
C & vocabitur Deus fortis. Ac si diceret, Deus & homo, Deus qui creaverat vitam, fortis qui vinceret mortem. Cujus divinitatem, sub verbis scribæ ac discipuli sui propheta Hieremias ostendens sic ait: [b] *Hic est Deus noster: non estimabitur alius ad eum. Invenit omnem viam disciplinæ: dedit Jacob puero suo, & Israel dilecto suo: & post hæc in terra visus est, & inter homines conversatus.* Quod si est forte, cui hæc quæ de antiquis ponimus, obscura videantur, legat Apostolum Paullum, qui cum corporeos parentes Domini commemoraret, [c] *Quorum patres*, inquit, *& ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Nam & Thomas Apostolus, cum in resuscitati me-
D diatoris corpore fixuras clavorum, hiulcum transpuncti lateris signum, digito tentante palpasset, virtutis experimenta inter infirmitatis indicia colligens, sic clamavit; [d] *Dominus meus, & Deus meus.* Ecce quibus testimoniis, velint nolint, hæretici ipsi, Judæorum in perditione confines, de filii divinitate vincuntur: quorum verbo credas Judæos in evangelio Joannis Dominum discussisse dicentes: [e] *Quadraginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* At ille inquit: [f] *Amen dico vobis, ante Abraham ego*

a Isa. IX. 6. *b* Baruch. III. 36. *c* Rom. IX. 5. *d* Joan. XX. 28. *e* Joan. VIII. 57. *f* Ibid. ✝. 58.

pater biennio post occubuit, Petro consule. At Sigismundus in epistolæ inscriptiooe rex appellatur. Constat ergo, patre adhuc superstite, regis nomen obtinuisse. Fredegarius in Epitome cap. XXXIV. *Gundobadi filius Sigismundus apud Genavensem urbem villa Quadruvio jussu patris sublimatur in regnum*: quod Marii quoque Chronicum confirmat his verbis, *Florentio & Anthemio* [id est anno qui inter Symmachi & Gundobadi obitum intercessit) *His consulibus monasterium Agauno a rege Sigismundo constructum*. Atqui his consulibus pontifex Romæ jam erat Hormisda Symmachi successor. Quare non illo primum anno rex dictus Sigismundus, quem Symmachi antea temporibus nomen hoc gessisse arguit epistolæ inscriptio.

1. *Domno Gundobado regi*] Librum de Christi divinitate vocat Florus diaconus, quandocumque epistolam hanc citat in Paulli verba ad Romanos, Galatas & Hebræos. In ea enim Gundobadi quæstioni respondens, ostendit in Christo Domino, prius quam homo fieret, æternam fuisse divinitatem, adversus hæresim illorum qui ex Maria cœpisse contendebant. De quibus Augustinus hæresi XLIV.

E *Paulliani*, inquit, *a Paullo Samosateno, Christum non semper fuisse dicunt, sed ejus initium ex quo de Maria natus est asseverant: nec aliquid amplius quam hominem putant. Ista hæresis aliquando cujusdam Artemonis fuit: sed cum defecisset, instaurata est a Paullo, & postea sic a Photino confirmata, ut Photiniani quam Paulliani celebrius nuncupentur.* Photinianos autem, seu Paullianistas, per hæc tempora Galliam infestasse indicat concilium Arelatense II. cap. XVI. & Sidonii epistola XII. lib. IV. ad Patientem episcopum Lugdunensem. Unde & beatus quoque Avitus Photinianorum hæreticorum validissimus expugnator dicitur ab Agobardo.

2. *Nobis de concilio discedentibus*] Diversum est hoc concilium a primo Lugdunensi, quod inter concilia Galliæ tomo I. edidimus, in quo discussa est sub Sigismundo caussa Stephani, qui duas sorores duxerat. Hoc enim sub Gundobado jam præcesserat: sed in eo quid actum sit nescimus, nisi quod se interfuisse Avitus significat cum Carthenio incertæ sedis episcopo.

sum. Est heic, rogo, quod obscurare vel volens queat? Quid nunc restat, nisi ut qui senior ab Abraham cognoscitur, junior vel mundo dicatur? Et istud, quamlibet contentiosum sit, vinci potest, ipso Domino inter passionis contumelias proclamante: ᵃ *Pater clarifica me ea claritate, quam habui apud te ante quam mundus fieret*. Sed forte & hoc putatur addendum, ut eum filium nominatum cujuscumque exempli auctoritate doceamus. In Psalmo ait: ᵇ *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: ego hodie genui te*. Hodie heic æternitas significatur, quæ termino atque principio perinde caret: cui non pariunt crastina tempora futurum, nec rapiunt hesterna transactum. Penes nos ergo, per tenebrarum vices ista mutantur; apud Deum vero, cui nox non est, semper hodie est. Quod tamen si hæretici aliter volunt intelligere, nostra non refert. Nam cum de solo nomine filii Dei agamus, quale volunt *hodie* accipiant, concessuri sunt, ut ante genuerit filium pater, quam mater ediderit. Certe vel Salomon cui maximam in scripturis veteribus auctoritatem singularis sapientia facit, planissime filium in Proverbiis & lucidissime nominat dicens: ᶜ *Quis colligavit aquas quasi in vestimento? quis suscitavit omnes terminos terræ? quod nomen ejus, & quod nomen filii ejus, si nosti?* De præteritis ista sufficiant. Apostolus autem dicit: ᵈ *Postquam venit plenitudo temporum, misit Deus filium suum*. Enimvero qui mittitur, erat ante quam mitteretur. Qui si ante Mariam non fuisset, hunc similem ceteris adoptio fecerat Dei filium, non natura. Nec in evangeliis ipse dixisset: ᵉ *Tantum Deus dilexit mundum, ut filium suum unicum daret*. Non electum ergo ab ipsa ineffabili paternitate, sed genitum: cui tam Deo quam homini vero, in utraque natura fideliter proprio, in divinitate mansisse de patre, in corpore cœpisse de matre est. Hæc ergo, quia jussistis, quædam responsionis nostræ indicula, & ad elucidandam veritatem pauca testimoniorum semina transmisi: quæ possit quidem acrimonia vestra vel eloquentia in frugem salutis Christo irrigante nutrire. Sed si sit quisquam de his contra quos agimus, quem his vestro judicio ad totum respondisse credatis, licet sint vigilantissimi in catholica & fidelissimi tractatores; dabit tamen Deus, ut ego quoque possim vobis & numerosiorum exemplorum numerum, & rationem quæ satisfaciat, præsumta scribendi vocatione suggerere.

EPISTOLA XXIX.

Avitus Viennensis episcopus ¹ *domno Sigismundo.*

OMni quidem vitæ meæ tempore debitorem me afferendi famulatus agnosco: sed impensius festivitate præsenti, quæ solicitudinem vestram non minus explorandis hæreticorum conatibus, quam nostræ partis occupat cultibus celebrandis. Siquidem per annuum quoddam contagium congregatis adversis, attento vobis labore curandum est, ne alienæ calliditatis fraude pullulet, quod in Dei nomine jam vestra victoria celebrabili virtute succidit,

A quamlibet Christo propitio præsentibus vobis obsistat *. Hinc illa solicitudine pressior constipatio Genavensis, quæ in more originis primæ, vitilibus animis virus anguium sibilo feminei sermonis insonuit. Unde illud, si mereor, quamprimum scire desidero, utrum cum domno clementiæ vestræ patre mentio illius ordinationis acciderit, quæ bonorum pestem ab infernalibus latebris excitatam, catholicis Arrianisque certantibus intromisit: vel si servatur adhuc credulitatis, immo simulationis illius dolus, quem non impressum animis, sed chartulis exaratum, paullatim in antiqua sui dogmatis * crudelitate revocat litterata promissio. Quæ certe si adhuc, ut cœperat, societati Arrianæ communione
B immixta est, claret gloriosior sub principatu vestro noster triumphus; cum duabus hæresibus in unum redactis, tam acquirentibus, quam convincentibus vobis, & schismaticorum numerus decrescit & schismatum. Hinc ergo servitium curiositatis meæ dignanter aspicite, & de peculiaris patroni vestri apostoli festis exspectationi nostræ prosperitatis & compellationis vestræ munera duplicate.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 494.

* Al. lect. absistat.

EPISTOLA XXX.

Avitus Viennensis episcopus domno Sigismundo.

NUper cum officia culmini vestro semper debita pro apostolicæ festivitatis consuetudine destinavi, non minus civilitate pretioso, quam declamatione conspicuo sermone dixistis, idcirco vos tar-
C dius dedisse rescriptum, ut humilitas sui conscia quæ a scribendi audacia jure temperat, eo diutius ariditatis supplicia penderet, quo fontem splendidum vestri alloquii plus sitiret. Vindictæ, sicut dignamini scribere, genus esse censentes, ut portitor a me segnius destinatus vobiscum diutius moraretur. O retributio ultionis blandissimæ! o sententia crudelitatis optandæ! Quis scilicet tam intolerabilem pœnam æquanimiter ferat, ut paradiso vestri conspectus inclusus mora beatiore vos videat? Timeo plane, ne frequenter me jubeatis scribere, si disponitis tarditatem taliter vindicare. Aut si ego certus fuerim hujusmodi me animadversione plectendum, ipse procul dubio scripta porrigerem, quæ
D justo ratius exarassem. Et utinam mihi vobiscum posito negaretur celeritas revertendi: & verba quæ post longum tempus legere, diutius in ipso meatus sui tramite donarer audire. Certe Deus viderit, quid ego apud judicium vestrum, vel audacia servitii, vel trepidatione promerear: tamen officii mei portitoribus reus ero, si eos prolixitate præsentiæ vestræ delicti quo arguor emendatione fraudavero.

EPISTOLA XXXI.

Avitus Viennensis episcopus ² *Fausto & Symmacho senatoribus Urbis.*

E PRimum fuerat talis status rerum desiderandus, ut ipsi per nos Urbem orbi venerabilem pro dependendis divinis humanisque expeteremus offi-

ᵃ Joan. XVII. 4. ᵇ Psalm. II. 7. ᶜ Prov. XXX. 4. ᵈ Gal. IV. 4. ᵉ Joan. XIII. 16.

1. *Domno Sigismundo*] Utriusque epistolæ eadem fuit occasio, apostolica nimirum, id est beati Petri festivitas, quæ Genavæ annuo cultu celebrabatur. Genavensis enim ecclesiæ tutela & patronus beatus Petrus; & Genavæ, opinor, diviso cum patre regno, larem fixerat Sigismundus: quod & de Godegisilo Gundobadi fratre, cum una regnarent, scribit in Epiphanii vita Ennodius. Genavam tum ergo promiscue adventantibus etiam hæreticis, locum habuerunt illa quæ priore epistola continentur, in qua duas hæreses, ni fallor, dicit Arrianam & Photinianam.

2. *Fausto & Symmacho senatoribus*] Non senatores modo, sed patricii ambo, & ordinarii consules fuerant: Faustus anno Christi CDXXCIII. biennio post Symmachus,

* *Crudelitate*] An *credulitate*?

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 494.



ciis. Sed quia istud jam dudum per rationem temporum fieri posse cessavit, velimus quod fatendum est, vel eo securitatis accedere, ut quæ in caussa communi supplicari oportet, amplitudo vestra congregatorum Galliæ sacerdotum relatione cognosceret. Sed quoniam hujus quoque nos voti non potes reddit provincia præfixis regnorum determinata limitibus: quamprimum supplici prece posco, ne celeberrimo ordini vestro pagina hæc aliquod moveat quasi ab uno dictata fastidium: quoniam a cunctis Gallicanis fratribus meis, ad hoc ipsum non minus per mandata, quam per litteras oneratur, quæcumquæ a vobis omnes ambimus, unus suggerenda suscepi. Dum de caussa Romanæ ecclesiæ anxianimi ac trepidi essemus, ut pote nutare statum nostrum in lacessito vertice sentientes: quos omnes una criminatio utique sine invidia multitudinis percusserat, si statum principis obruisset: perlata est solicitudini nostræ ab Italia in exemplaribus [1] sacerdotalis forma decreti, quam de papa Symmacho apud Urbem collecti Italiæ antistites ediderunt. Quam constitutionem licet observabilem numerosi reverendique concilii reddat adsensus; intelligimus tamen, sanctum Symmachum papam, si sæculo primum fuerat accusatus, consacerdotum suorum solatium potius adsciscere, quam recipere debuisse judicium. Quia sicut subditos non esse terrenis potestatibus jubet arbiter cæli, staturos nos ante reges & principes in quacumque accusatione prædicens: ita non facile datur intelligi, qua vel ratione vel lege, ab inferioribus eminentior judicetur. Nam cum celebri præcepto Apostolus clamet [a], accusationem vel in presbyterum recipi non debere; quid in præcipuum generalis ecclesiæ criminationibus licere censendum est? Quod synodus ipsa venerabilis laudabili constitutione prospiciens, caussam quam, quod salva ejus reverentia dictum sit, pæne temere susceperat inquirendam, divino potius servavit examini: perstringens tamen, prout breviter potuit, nihil vel sibi vel gloriosissimo viro Theoderico regi, de his quæ papæ dicebantur objecta patuisse. Quibus cognitis, quasi senator ipse Romanus, quasi Christianus episcopus obtestor, sic divinitatis cælestis dono temporibus vestris prosperitas optata succedat, sic dignitas in qua floretis, universo orbi speciem Romani nominis mundo labente contineat, ut in conspectu vestro non sit ecclesiæ minor quam reipublicæ status: quodque vobis Deus posse præstitit, prosit & nobis: nec minus diligatis in ecclesia vestra sedem Petri, quam in civitate apicem mundi. Si profundo illo tractatus vestri consilio rem videtis, non

A ea tantummodo quæ Romæ geritur caussa cogitanda est. Sed & in sacerdotibus ceteris potest si quid * forte quod vocaverat reformari: at si papa Urbis vocatur in dubium, episcopatus jam videbitur, non episcopus vacillare. Nostis bene inter quas hæresum tempestates, veluti ventis circumflantibus, fidei puppem ducamus. Si nobiscum hujuscemodi pericula formidatis, expedit ut gubernatorem vestrum participato labore tueamini. Alias autem quæ ultio est, si nautis in magistrum furentibus, non sine illorum periculo cedatur isto discrimine? Reddet rationem qui ovili dominico præest, qua commissam sibi agnorum curam administratione dispenset: ceterum non est gregis pastorem proprium terrere, sed judi-
B cis. Quapropter reddite nobis principalem, si tamen necdum est restituta, concordiam: quoniam clienti vestro, venerabili Symmacho presbytero, idcirco laborem hujus fatigationis injunximus, ut nobis in vestrarum oraculo litterarum per reintegratæ pacis nuntium supplicationis nostræ referret effectum.

EPISTOLA XXXII.

Avitus Viennensis episcopus [2] Liberio præfecto.

POstquam multiplices Galliarum labores felicissimus potestatis vestræ visitavit adventus, nul-
C lum sum antehac in affectibus vestris desiderii mei expertus effectum. Unde licet etiam nobis prodesse credamus beneficia, quæ jam dudum provincialibus spargitis, mihi tamen hactenus sitienti litteras vestras quasi primum modo venistis. Enimvero ut me offerendis ultro epistolaribus officiis non offerrem, illis ocupationibus obstrepere timui, quibus me credebam tanto temporum spatio a votiva lectione suspendi. Sed quia etsi tarde, compellantibus vobis, meque ad præcelsos apices rescribente, ordo alternantis commercii in litterario sermone servatus est, qui fecistis me absque verecundia respondentem, reddite ut cupio frequentia debitorem. Nec desunt si annuitis caussæ jubendi; abundant quæ possitis in-
D jungere cupientibus obedire: major siquidem potestate civilitas, nec minor est dignitate dignatio. Nam hæc ipsa caussa cujus vobis scribendi materiam merces ingessit, quibus inter tribunalia operibus magis studeatis florere perdocuit. Unde quod nobis a [3] viro spectabili, vicario vestro, pro quorumdam captivorum liberatione suggestum est, ad præceptionem culminis vestri lætus implevi, pretio tamen quod portitores attulerunt, non recepto.

a I. Tim, V. 10.

uterque sine collega. Ad hos ergo, tamquam præcipue in Urbe dignitatis proceres, suo & Gallicanorum omnium antistitum nomine, scribit de synodo Romana, & judicio in ea adversus Symmachum papam Theoderici regis auctoritate constituto expostulans, Italiæque episcopos perstringens, quod de eminentiore judicium inferiores receperint.

1. *Sacerdotalis fama decreti*] Exstat hoc decretum in synodo Rufio Magno Fausto Avieno consule habita anno Christi DII. *Decernimus*, inquiunt, *ut Symmachus papa, sedis apostolicæ præsul, quantum ad homines respicit, quia totum constat divino arbitrio fuisse dimissum, sit immunis & liber, & christianæ plebi, sine aliqua de objectis oblatione in omnibus ecclesiis suis, ad jus sedis suæ pertinentibus, tradat divina mysteria.* Quare dubium non est, quin synodum istam Avitus intelligat, quæ in codice Narbonensi aliisque vetustioribus, quarta & palmaris recte inscribitur. Falso enim recentiores palmaris nomen synodo alteri tribuunt, quæ Avieno juniore consule celebrata est; cum in ea nec decreti hujus sit mentio, neç absolutionis Symmachi quam in palmari editam constat.

2. *Liberio præfecto*] Prætorii primum Italiæ, tum deinde Galliarum, viro multiplici laude conspicuo, post etiam Patricio. Cassiodorus libro XI. Variarum epist. I. *Respicere Patricium Liberium præfectum etiam Galliarum, exercitualem virum, communione gratissimum, meritis clarum,* E *forma conspicuum, sed vulneribus pulcriorem, laborum suorum munera consecutum, ut non præfecturam quam bene gessit, amitteret, & eximium virum honor geminatus ornaret.* Ennodius Liberio eidem lib. IX. epist. XXIII. *Mecum Galliæ in hac adstipulatione conveniunt, ut Christo Deo vivo disponente, ordinatis illis quibus civilitatem post multorum annorum curricula intulisti, quos non ante contigit saporem de Romana libertate gustare, ad Italiam tuam & poscentibus nobis, & illis tenentibus reducaris.*

3. *Viro spectabili Vicario vestro*] Gemellum mox nominat: quem Provincia potitus rex Italiæ Theodericus vicarium præfectorum creavit. Sic enim ad eum scribit apud Cassiodorum lib. II. epist. XVI. *Hinc est quod præsenti tempore in Gallias, nobis Deo auxiliante subjectas, vicarium te præfectorum nostra mittit auctoritas.* Ceterum, ut Avitus hoc loco Liberii rogatu captivos liberat, sic Liberium Ennodius lib. IX. epist. XXXIX. pro Camilla consanguinea sua rogat, ut casellulas ejus intra Gallias fisci oneribus relevet.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 494.



Quia si aliquid præfato viro magnifico, filio meo A Gemello, conditionis personæ ipsæ per originem debent, potest hoc quod mihi obtulerat, pro redimendis ingenuis distribuere. Si vero istos agnoscitis liberos natos, sufficit pretium profuisse.

EPISTOLA XXXIII.

Avitus Viennensis episcopus viro illustri [1] *Apollinari.*

SCio quod revertens ad devinctissimos mihi domnos Domnolus noster, coram me vestræ piæ solicitudinis ambiguitatibus æstuantem, aliter quam voluit relaturus, aggravavit magis redeundi festina- B tione, quam minuit. Siquidem me apud Lugdunum in adventu ejus gravis oculorum dolor impotem luminis contuendi impetu ingruente reddiderat. Unde quia nec ipse fuit eliciendi rescripti efficax, nec ego idoneus redhibendi, omnem gratiarum, quæcumque vel pretio munerum, vel animo munerantum deberi potuit, actionem verbo potius referendam portitoris auribus alligavi. Licet minime dubitans, apud sanctæ dulcedinis aviditatem parvipendendam mandatorum seriem desiderio litterarum. Sed cum primum, rarescentibus tenebris cubicularis ergastuli, aliquantisper ordinandi officia copia fuit, solutionem debiti non moratus, præsentem bajulum destinavi: cui ultra quam dici potest verbosis salu- C tationibus onerato, quantum pertinet ad mandata loquacia, perbrevem paginam dedisse me computo. Nam ecce mihi Deus testis est, quanto lumine præfatus carissimus noster in ipsa contenebrati recessus nocturnali habitatione respersit, cum dulcissimi pignoris nostri reditu quem ante nescieram, nuntiato, resolidatam Christo propitio familiam meam ab eo quem misissem inveniendam esse firmavit. Quocirca nec vos jam de vobis aliquid semiplenum putetis: quorum contubernio, divinitate propitia, etiam oculi mei per præsentem paginam satisfacientes accrescunt. Tum videlicet sinceritate perfecta hilares diei gratia recepturi, si me rescribere hactenus vestra dulcedo sic ignoscens, quamlibet infirmum D atque anxium, ad votivam tamen frequentiam litterarum in Dei nomen, Archadio jam dictante, solis subscriptionibus occupanda compellat.

EPISTOLA XXXIV.

Avitus Viennensis Episcopus viro illustri [2] *Aureliano.*

INdicium quidem quantulæcumque prosperitatis esse manifestum est, quod amicorum affatu tantisper interlucente temporariæ pacis colore visitamur. Verumtamen æstus ille diluvii quem procellis temporalibus comparastis, humanis rebus, dum E per mundanum pelagus curritur, fluctu assiduæ perturbationis insistit. Quandoquidem hoc ipsum quod inter adversitates temporum respiramus, discriminum quæ patiamur intervalla magis debemus putare, quam terminum. Nam idcirco tantum inter incommoda calamitatum, circumscribendis potius quam sanandis, lux quædam videtur alludere, ut mentes fallaci securitate laxatas, instaurato gravius metu succiduus angor afficiat. Quocirca desiste, vir optime, mala ferventia credere finem malorum: & cum se, motu dissimili tempestate molita, facies tantillæ serenitatis alternat, varietate proventuum non delectare, sed utere. Nec sic te aut prosperitas erigat, aut frangat adversitas, ut in animis tuis tam amicorum mutetur caussa, quam temporum. Mementote semper propositæ caritatis, si licet scribere: sin alias, quod prohiberi non potest, vel amate: & post gurgites quos litteris descripsistis, in eo magis sæculo sperate portum, quo timere non poterit tranquillitas rata naufragium.

EPISTOLA XXXV.

Avitus Viennensis episcopus [3] *Elpidio diacono*

PEr quosdam clericos legis alienæ divinum munus in nuntio tuæ incolumitatis accepi: nec minuit diligentis gratiam qualitas portitorum: sicut nec [a] Eliæ nostro transmissi cælitus cibi inter horrida volatilium bajulorum rostra viluerunt. Ipsam tamen quam satis avidus sumsi, tuarum dulcedinem litterarum, illud aliquantæ amaritudinis asperitate respersit, quo ad te scripta quæ prius reddidi, abnegas pervenisse. Nam [4] per Majorem domus Tullii, qui amorem tuum, dominum meum Sigismundum, a patre suo in legatione directus, in Viennensium civitate repererat, epistolas tuas me accepisse lætatus; per ipsum rursus officia profusissimæ caritatis exsolvi, & affectum tui quem corde conceperam, studio paginæ famulantis excolui. Quo eventu in manus tuas perlata non fuerit, Major quem supra dixi, non potest ignorare. Et ego quidem moleste tuli, & tibi molestum fuisse gavisus sum, in tam idonea opportunitate desideriis duorum unius officii periisse commercium. Verumtamen cum de institutæ dilectionis proposito pars alterna secura est, nonnumquam casibus oportet ignosci, quibus colloquia nostra potius quam vota frustratis, solicitudini damnum potest contingere, non amori. Neque tu putes, seu negatis occasionibus, seu repertis, ullum esse negligentiæ tempus, quo apud me inter quaslibet alias actiones frequentandæ sospitatis tepescat ambitio. Illud igitur in mentibus amicorum censeo esse pretiosius, in quo constat fortuitis nil licere, quod nec itineris dissipat longitudo, nec oblivionis frustratur abusio. Compenso tamen in præsenti caritatis ver-

a V. Reg. XVII. 6.

1. *Apollinaris V. I.*] De Sidonii filio ut conjiciam, monet sub finem nomen Archadii, quem Apollinaris filium innuere videtur. Apollinarii autem, Sidonii filio, filium fuisse Archadium, in notis Sidonianis ostendimus lib. III. epist. XIII.

2. *Aureliano V. I.*] De hoc vero difficilior est conjectura, cum Aureliani hac ætate insignes fuerint non pauci. Vide an ad Aurelianum patricium referri queat, cujus servum Massiliæ ad basilicam S. Victoris a dæmonio liberatum ait Gregorius Turon. lib. I. Mirac. cap. LXXVII. Certe, nisi tempora discrepant, dignitas non repugnat, cum illustres fuerint omnes patricii.

3. *Elpidio diacono*] Medico Theoderici regis, cujus ad Elpidium ipsum, cum diaconi quoque titulo, exstat epistola lib. XIV. Variarum Cassiodori, & apud Ennodium complures. Eo alludens Ennodius idem lib. IX. epist. XXX. *Scio*, inquit, *quia Deus tibi sic gratiam invicti principis contulit, ut humilitas ecclesiastica non periret*. Carum enim in primis Theoderico fuisse testatur Cyprianus diaconus in vita S. Cæsarii lib. I. *Elpidius diaconus & medicus, regiæ potestati sedulis officiis cum primis familiaris & intimus*. Quo in loco Elpidium narrat ab infestatione diaboli qua domi vexabatur, S. Cæsarii opera liberatum.

4. *Per Majorem domus Tullii*] Quis hic major, aut quænam domus Tullii a qua illi nomen, non liquet: nisi quis fortasse ad Servii Tullii regis domum, quam P. Victor in quinta Urbis regione collocat, referendum putet, quod multis non facile persuaserit. Ad Celerem autem cujus filii sanitatem hoc loco Elpidio medico commendat, scripturus est epistolam XLIII.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 494.



bum, si pro damno dignatus es putare silentium. Simul & specialius adolescentem si dignaris insinuo, filium scilicet viri illustris Celeri, qui post Deum ut unicæ soboli vitam incipiat sperare tu facies. Nam ita lacrymabili pignoris infirmitate constringitur, ut incertus optandi, cujus quasi pater mortem imminere compellitur, vitam quasi orbatus deflere cogatur. Quapropter opitulaturæ divinitati junge tua quantum conjicimus de peritia singulari: vestrum promisisse jam ex parte fecisse est. Tribuat Christus, ut exsultando atque impensius laudando in hac cura magisterio tuo, simul tibi & Italia medicinæ opinionem, & Gallia pueri debeat sanitatem.

EPISTOLA XXXVI.

Avitus Viennensis episcopus [1] *viro illustri Senario.*

MAgnificentiæ vestræ gratiam frequenter expertus, quia dignanter accipitis, salutationis officium pagina famulante direxi. Et quia scitis synodalium legum esse, ut in rebus quæ ad ecclesiæ statum pertinent, si quid fuerit dubitationis exortum, ad Romanæ ecclesiæ maximum sacerdotem, quasi ad caput nostrum membra sequentia recurramus; ex consensu antistitum provinciæ Viennensis [2] ad sanctum Hormisdam, seu quicumque nunc ille est, papam debitæ venerationis obsequium cum solicitudine destinavi: audire a præfatæ sedis auctoritate desiderans, quid de effectu directæ a se ad orientem legationis agnoverit. Cum ergo, ut dixi, a provincialibus meis consulor, respondere etiam ego, ni priorem consulam, non præsumo. Adminiculo igitur ordinationis vestræ opus est, ut istud ab utraque parte per ordinem compleatur, ut vel a nobis interrogatio perveniat, vel ad nos redeat ab exponente responsio. Non ad solos sacerdotes ecclesiæ pertinet status: cunctis fidelibus solicitudo ista communis est. Quicumque vel quocumque videmur ecclesiam regere, vestram in catholica religione rem gerimus. Cum de fidei regula vel ægrotat aliquis vel sanatur, nobiscum vos aut gaudere oportet aut gemere. Unde nec vos aliquid de caussa quam consulo, latere credendum est. Si mihi soli agerem, satis interrogationi meæ notitia vestra sufficeret: nil plus a papa quam a vobis possumus veritatis audire. Sed ecclesiarum poscit utilitas, ut quæ vos nostis doctor insinuet. Ego tamen peculiaris vester rescriptum, si dignamini, a vobis peculiarius præstolabor: quo re vera ut dixi, tantum mihi veritas innotescere poterit, quantum se Romanæ urbis antistes auctoritatis privilegio expetentibus respondisse gaudebit.

EPISTOLA XXXVII.

Avitus Viennensis episcopus [3] *Petro episcopo.*

ETiam si alia caussa non esset, qua beatitudinem vestram litterario famulatu occursus meæ devotionis expeteret; justum esset vos ab omnibus excoli, qui opinione sancta desiderium vestri omnibus intimatis. Dignum quippe est vos expeti non minus sede Romana: quia non magis potestate illa, quam vos caritate fulgetis. Cujus reverentiæ ut debitum est salutatione præmissa, fateor apostolatui vestro, & si cum verecundia, ignorantiam Gallicanam. Nec melius esse puto quemquam simulare quod sciat, quam didicisse si nesciat. Quæ inter Romanam & Constantinopolitanam ecclesiam res agantur, non quacumque auctoritate cognoscimus, sed de rumoribus magis ac nuntiorum varietate captamus. Et ideo, ne forte quam rustici tam negligentes credamur, perinde sanctum papam & beatitudinem vestram, [4] per Viennenses clericos provincia tota nunc consulit, ut quæ vobis de statu fidei cum orientis parte definita sint, rescripti salubris lumine declaretis. Quia cum magistros etiam procul positis ultro deceat prorogare doctrinam; curandum est soliditati corporis, ut semper prosperitatem capitis sui membra cognoscant. Quocirca si servis vestris filiis meis quos in id ipsum direxi, tribuatur accedendi usque ad Romam facultas, per duos ecclesiæ principes abundabit Gallias erudiri. Quod si forsitan a sede vestra quos misimus revertantur, vestri apostolatus fida responsio fiet nobis totius instructionis quæ ad cunctos perveniat, plenitudo.

EPISTOLA XXXVIII.

Avitus Viennensis episcopus [5] *Eufrasio.*

JAM quidem per pueros meos litteras dedi, quibus scire vos facerem, quantum fratri Imeterio apud me commendatio vestra profecerit. Ta-

1. *V. I. Senario*] Comes hic fuit patrimonii Theoderici regis, & Patricius, de quo multa jam diximus ad Ennodium. Nunc addendum est ejusdem epitaphium, quod non insulsis versibus conditum, a Petro Pithœo relatum est in libro IV. Poematiorum.

SENARII V. I. COMITIS PATRIMONII ET PATRICII EPITAPHIUM.

Ille ego sum mundi quondam sine fine viator
Senarius, membris tumulo non nomine clausus.
Principis invicti semper sublimis amore.
Cujus in orbe fui vox regum, lingua salutis,
Fœderis orator, pacis via, litibus hostis.
Novit & hoc oriens, hoc ultimus axis Iberi,
Hoc scit bruma rigens, scit & Africa solibus usta.
Bis denas & quinque simul legatio nostra
Signat in orbe vias, & numquam strata labore.
Cursus erat volucer; namque anno pervigil uno
Bis maris oceani, bis Pontica litora vidi,
Europamque Asiamque sequens, duo limina mundi.
His etiam meritis sociavimus agmen honorum.
Aulica quippe comes rexi patrimonia clarus,
Et mea patricio fulserunt cingula cultu.
Me pietas, me sancta fides, me fovit honestas.
Sæcla canant titulos: nam moribus astra tenemus.

2. *Ad sanctum Hormisdam*] Aviti ad Hormisdam epistola, itemque Hormisdæ ad Avitum responsio, postremo loco a nobis editæ sunt numero xxcvii. & xxcviii. ex quibus epistolæ hujus & proxime sequentis interpretatio petenda est.

3. *Petro episcopo*] Ravennati, ut opinor. Eodem pertinet epistola quo superior. Missis enim ad Hormisdam legatis, ut de orientalis ecclesiæ statu certior fiat, ab episcopo Ravennate, qua iter illis futurum erat, petit ut ignorantiam Gallicanam erudiat. Petri hujus in synodo Romana palmari subscriptio legitur his verbis: *Petrus episcopus ecclesiæ Ravennatis huic statuto nostro, in quo totam caussam Dei judicio commisimus, subscripsi.* Ad eumdem etiam pertinere conjicimus Theoderici regis epist. xxvii. libri III. Variarum, Petro episcopo inscriptam Felice consule, id est, anno Christi dxi. Quod si verum est, errant qui Petrum Ravennatem ante id tempus defunctum tradunt.

4. *Per Viennenses clericos*] Alexium presbyterum & Venantium diaconum. Sic enim appellantur in Aviti litteris ad Hormisdam, & in Hormisdæ ad Avitum.

5. *Euphrasio*] Etsi episcopi nomen non est appositum, episcopum tamen fuisse dixerim Arvernorum, ad quem & binæ sunt epistolæ Ruricii, quarum in altera dignitatis quoque nomen omissum est. Synodo Agathensi per vicarium subscripsit anno dvi. interfuit ipse Aurelianensi I. anno dxi. Hunc itaque rogat, ut librum suum qui in ejus manus venerat, Apollinaris Sidonii filio recensendum ingerat & excuset.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 494.



men non dubitans eum inter initia pontificatus sui, senioris germani, sicut dignum est, officia curaturum; has etiam per ipsum libenter adjeci, quibus opusculi mei jam diu quæsitum prædonem in manus meas venisse plus gaudeo. Et quia libellum ipsum, quantum mihi indicaverat, vobis reportat, spero ut qualecumque est opusculum ipsum, nec vacanter editum, nec omnimodis emendatum, viro sublimi ac piissimo, si dignamini, fratri nostro Apollinari publicare atque excusare dignemini. Cui impium fuerat non hæc a me primum jure caritatis offerri, si non rursus fuisset absurdum, me domni Sidonii filio, inter facundiæ paternæ delicias, meis temporibus nausiaturum, offerre etiam de præsumtione fastidium. Quocirca volumen per vos temperatius ingerendum, si supra dictus frater vel infantibus legi debere censuerit, possum per quæcumque magnificentiæ suæ scripta cognoscere. Si autem post flumina fontium paternorum, ut potius reor, paupertatem venæ tenuissimo rore manantis abjecerit, sine verecundia mea suaque impietate, sufficiet me reprehensionis suæ censuram hinc tantummodo intellexisse, si taceat.

EPISTOLA XXXIX.

Avitus Viennensis episcopus [1] *domno Gundebado regi.*

QUod servum cui discussio necessaria credebatur, de Viennensi ad Lugdunensem basilicam sub custodia destinavi, timoris & obedientiæ fuisse manifestum est. Nam sicut eum heic inaccusatum tradere non præsumsi, ita illic interrogationibus quas audientia postulabat, vivum fieri procuravi. Cum vero & regula ubique una sit, & eadem seu impossibilitas seu facultas, pro communis ministerii observatione nos maneat; non ego proprietatem Lugdunensis & Viennensis basilicæ, sed reverentiam ecclesiæ utriusque tractavi: unde intercessioni [2] facilius de proximo suggerendæ, quod utrumque nostrum tangere poterat, præsens episcopus allegaret. Siquidem in omnibus locis sanctis, sicut ministerio nostro eadem caritas, ita imperio vestro æqua potestas est. Ut taceam quod servus ipse, a domini collocutione digressus, non debuit pro concitanda mihi offensa Viennensem expetere, qui illic positus intra Lugdunensem se potuit ecclesiam continere. De caussa vero, in qua coram examine celsitudinis vestræ callidus depositi negator arguitur, talis conscientia mea est, qualis Deo & vobis in omni actu meo & conversatione monstratur. Quamquam etiam me testante interpellantis simplicitas, quæ ut pii domni dicatis non devitarer operatione diffiteri, qui in ejus consolatione volueram, si Christum cogitare putaretur, profiteri. Quod etiam præsenti testificatione de servis vestris, civibus nostris, aliqui cognoverunt. Pulsatis autem laboriosis extra ordinem suum omnem parum stabilis dicitur esse responsio. Utrum de me erit, suggerat Deus vobis: declaret & veritas; quia qui castigatus a me, eo forte spiritu falsitatis irascitur quo contra simplicem de depositi infitiatione mentitur, licet Deo vobisque propitiis parum ad defensionem suam proficiente commento, dum se a me dicit admonitum ne redderet, diffiteri non potest quod accepit. Quæ professio sua, etiam si censeatis quod gravare me debeat, illum non potest sublevare. Ego tamen præceptum vestræ pietatis opperior. Quidquid habet ecclesiola mea, immo omnes ecclesiæ nostræ, vestrum est, de substantia quam [3] vel servastis hactenus vel donastis. Quod inspirante Deo præceperitis, in quantum vires habuero, parere conabor. Ceterum divinæ majestatis aspectus nihil potest offensam suam, quam vestram semper timuissem æternam. Hoc suppliciter quæso, ut infelix ille ad cujus accusationem satis sufficit quod excusat, apud justitiæ vestræ animos non me faciat suæ infidelitatis socium, etiam si viderit pro vestra commotione multatum.

EPISTOLA XL.

Avitus Viennensis episcopus [4] *domno Sigismundo.*

DE festivitate ad quam profectus fueram, summa quidem festinatione reversus sum. Sed quia jam duce Christo processeratis, lætificandus, ut de Deo credimus, reditu vestro, immodice tamen attonitus reddor abscessu: quod scilicet in ipso successuræ prosperitatis regressu, advolvi genibus domini mei, permulcere osculis manus, & in sancto illo pectore sedem fidei nostræ adorare non merui. Nec tamen dicere audeam, istud mihi peccato fraudante cessisse: ne divinæ gratiæ quæ mihi taliter vestram præsentit, reddar ingratus. Nam cum omnibus generale justumque sit, in gloriæ vestræ cultum quod debemus ambire; illud singulariter accepisse me gaudeo, ut cum pro effectu voluntatum tenere secum a me servitii debitum impossibilitas non ferat porrigi, apud vos pietas censeat impendi. Sed ego solus damno percellor, quoties consolationi meæ interesse non mereor: quoties accensus tribulationum æstus intra me solum, a sermonis vestri refrigerio exclusus, includitur: quoties mihi dolores internos medici illius manus experta non consovet. Qui pro tuendo inter talia

1. *Domno Gundobado regi*] Caussam reddit, cur servum depositi negatorem qui Lugduno Viennam venerat, Lugdunum ad disquisitionem remiserit, purgatque quod ille se ab Avito dicebat admonitum ne redderet.

2. *Intercessioni de proximo suggerendæ*] Solemni episcoporum more, qui & pro servis apud dominos, & pro reis quibuscumque, miseris vel oppressis, apud judices aut apud principes enixe intercedere solebant. Ennodius in vita Epiphanii episcopi, tum adhuc diaconi: *Intercessionum etiam tunc certamina proludebat. Nam ubicumque pro remediis miserorum episcopi mittebatur imperio, tanta exigebat beneficium arte supplicandi, ut sentirent sibi in caussis profuisse complurimi, ipsum per se episcopum non venisse.* Plenæ sunt exemplis sanctorum antistitum historiæ, & illustre in primis est S. Augustini, cum pro circumcellionibus Donatistis, atrocia facinora confessis, apud Marcellinum judicem, & apud Apringium proconsulem, ut citra mortis supplicium puniantur, intercedit epistola CLIX. & CLX. qui & de intercessionum istarum æquitate ac religione ambigenti Macedonio accuratissime rescribit epist. LIV.

3. *Vel servastis vel donastis*] Libera & ingenua professio. Principibus accepta feruntur bona ecclesiæ, quæ vel donarunt ipsi, vel ut donare liceret, concesserunt, ex lege Constantini magni. *Habeat*, inquit, *unusquisque licentiam sanctissimo Catholicæ venerabilique concilio decedens bonorum quod optavit relinquere*. Cod. Theod. De episcopis, cet. Defensionem quoque bonorum subditis suis omnibus principes cum debeant, præcipuam debent ecclesiasticis. In quo regum olim Francorum pietas enituit, qui res & mancipia ecclesiæ eodem se loco ac res & mancipia fisci habere in Capitulis suis professi sunt.

4. *Domno Sigismundo*] Missa cum Sigismundus ad bellicam quamdam expeditionem se accingeret, incertum quo & quos in hostes. Quod vero illum insinuat fidem catholicam, cum hæc scriberet, amplexum jam fuisse, facit ut ea quæ sub finem epistolæ de materia pretiosioris triumphi sermocinaturum se pollicetur, ad homiliam alludere videantur, quam ab Avito in Sigismundi regis conversione, sensuum suavitate plenissimam, & verborum compositione dulcissimam, ad populum habitam auctor est Agobardus.

SÆCUL. V. CIRCÀ ANN. CHR. 494.

famulo ſuo piëtate ſtudens, virtute perſiſtens, cum ſatis eſſet ſi favorem vellet offerre, laborem dignatur apponere. Sed præſumo majeſtate divina, hinc reſpectu mei ſenſibus veſtris tenacius adhæſurum, quo eum nobis amor catholicæ legis infudit. Sub cujus occaſionis ſancto præventu, tum penes vos impoſſibile erit quem ſuſcepiſtis ſervum rejicere, quem cognoviſtis dominum non amare. Quod ſupereſt, egreſſi felices, ite ſoſpites, redite victores. Fidem veſtram telis inſerite, proviſionem divinam promittendo admonete, auxilia cæli precibus exigite, jacula veſtra votis armate. Dabit Deus, ut bellorum tropæa quæ vobis ipſe præſtiterit, cujuſcumque ſermonis obſequio ſub materia ejus quem dudum exſequor, triumphi pretioſioris exaggerem.

EPISTOLA XLI.

Avitus Viennenſis epiſcopus [1] *Chlodoveco regi.*

* VEſtræ ſubtilitatis acrimoniam quorumcumque ſchiſmatum ſectatores ſententiis ſuis, variis opinione, diverſis multitudine, vacuis veritate, Chriſtiani nominis viſi ſunt obumbratione velare. At dum ſtatus noſtros æternitati committimus, dum quid recti unuſquiſque ſentiat futuro examini reſervamus, etiam in præſentibus interlucentis radius veritatis emicuit. Invenit quippe tempori noſtro arbitrum quemdam divina proviſio. Dum vobis eligitis, omnibus judicatis, veſtra fides noſtra victoria eſt. Solent plerique in hac eadem cauſſa, ſi pro expetenda ſanitate credendi, aut ſacerdotum hortatu aut quorumcumque ſodalium ſuggeſtione moneantur, conſuetudinem generis & ritum paternæ obſervationis opponere. Ita saluti nocentem verecundiam præferentes, dum parentibus in incredulitatis cuſtodia inutilem reverentiam ſervant, confitentur ſe quodammodo neſcire quid eligant. Diſcedat igitur ab hac excuſatione, poſt talis facti miraculum, noxius pudor. De toto priſcæ originis ſtemmate ſola nobilitate contenti, quidquid omnis poteſt faſtigium generoſitatis ornare, proſapiæ veſtræ a vobis voluiſtis exſurgere. Habetis bonorum auctores, voluiſtis eſſe meliorum: reſpondetis proavis quod regnatis in ſæculo, inſtruitis poſteros quod regnatis in cælo. Gaudeat ergo quidem [2] Græcia habere ſe principem legis noſtræ: ſed non jam quæ tanti muneris dono ſola mereatur illuſtrari, quod non deſit & reliquo orbi claritas ſua.

A Siquidem & occiduis partibus in rege non novo novi jubaris lumen effulgurat. Cujus ſplendorem congrue redemtoris noſtri nativitas inchoavit: ut conſequenter eo die ad ſalutem regenerari ex unda vos pareat, quo natum redemtioni ſuæ cæli Dominum mundus accepit. Igitur qui celeber eſt natalis Domini, ſit & veſtri: quo vos ſcilicet Chriſto, quo Chriſtus ortus & mundo: in quo vos animam Deo, vitam præſentibus, famam poſteris conſecraſtis. Quid jam de ipſa glorioſiſſima regenerationis veſtræ ſolemnitate dicatur? cujus miniſteriis etſi corporaliter non acceſſi, gaudiorum tamen communione non defui. Quandoquidem hoc quoque regionibus noſtris divina pietas gratulationis adjecerit, B ut ante baptiſmum veſtrum ad nos ſublimiſſimæ humilitatis nuntius perveniret. Unde nos poſt hanc exſpectationem jam ſecuros veſtri ſacra nox reperit. Conferebamus namque nobiſcumque tractabamus, quale eſſet illud, cum adunatorum numerus pontificum, manu ſancti ambitione ſervitii membra regia undis vitalibus confoveret: cum ſe Dei ſervis inflecteret timendum gentibus caput: cum ** ſub caſſide crines nutritos ſalutari galea ſacræ unctionis indueret: cum intermiſſo tegmine loricarum immaculati artus ſimili candore fulgerent. Faciet, ſi quid creditis, regum florentiſſime, faciet, inquam, indumentorum iſta mollities, ut vobis deinceps plus valeat rigor armorum: & quidquid felicitas uſque huc præſtitit, addet hinc ſanctitas. C Vellem vero præconiis veſtris quiddam exhortationis annectere, ſi aliquid vel ſcientiam veſtram vel obſervantiam præteriret. Numquid fidem perfecto prædicabimus, quam ante perfectionem ſine prædicatore vidiſtis? an forte humilitatem, quam jam dudum nobis devotione impenditis, qui nunc primum profeſſione debetis? an miſericordiam, quam ſolutis a vobis adhuc nuper populus captivus gaudiis mundo inſinuat, lacrymis Deo? Unum ergo, quod vellemus augeri: Ut quia Deus gentem veſtram per vos ex toto ſuam faciet, ulterioribus quoque gentibus quas in naturali adhuc ignorantia conſtitutas nulla pravorum dogmatum germina corruperunt, de bono D theſauro veſtri cordis fidei ſemina porrigatis: nec pudeat pigeatque, etiam directis in rem legationibus, adſtruere partes Dei qui tantum veſtras erexit. Quatenus externi quoque populi paganorum, pro religionis vobis primitus imperio ſervituri, dum adhuc in alios videntur habere proprietatem, diſcernant potius gentem quam principem. Nulla igitur patria quaſi ſpeciali ſede ſibi vindicet totis quos ho-

1. *Chlodoveco regi*] Francorum ad quem Theoderici quoque regis Italiæ duplex apud Caſſiodorum eſt epiſtola, libro II. Variarum LXI. & libro III. IV. ſed utraque Luduinum vocat. Prior autem huic noſtræ ſuppar, ſi tempus ſpectetur: ſcripta videlicet poſt victoriam Alamannicam, quæ Clodoveo fidei chriſtianæ occaſio fuit, & baptiſmi, cujus heic pompam Avitus elegantiſſime deſcribit. Docet porro, quod hactenus ignorabamus, in vigilia natalis Domini celebratum, non in vigilia paſchæ; quod Hincmarus Remenſis falſo ſibi & rerum noſtrarum ſcriptoribus perſuaſerat.

2. *Græcia principem legis noſtræ*] Anaſtaſium imp. chriſtianum illum quidem, ſed non ſatis orthodoxum. Romæ vero & in Italia rex Theodericus, & in Gallia Wiſigothorum Alaricus, & Gundobadus Burgundionum, Ariani prorſus erant, itemque Suevi, & ſi qui alii in Hiſpania: in Germania autem & in Britannia, adhuc pagani. Ut non injurii ſint, qui poſt Clodoveum, qui primus omnium in eccleſia catholicus rex fuit, regibus Francorum primum inter chriſtianos principes locum vel hoc nomine deberi aſſeverant.

E

* Avitus in hac epiſtola Clodovei baptiſmum graphice deſcribens, haud meminit ampullæ cælitus demiſſæ ſacro chriſmate oppletæ, quo Clodoveus a ſancto Remigio perunctus fuiſſe fertur. Neque vero ullam hujuſce rei admirabilis mentionem factam fuiſſe Gregorio Turonenſi, Fredegario aliiſque vetuſtioribus Francorum hiſtoricis comperimus. Quo quidem argumento negativo utuntur nonnulli critici recentiores ad hujuſmodi prodigii veritatem infirmandam. Verum his occurrit V. C. Dn. abbas *de Vertot* in diſſertatione ſic inſcripta: *De la ſainte Ampoulle conſervée à Rheims pour le Sacre de nos Rois.* Exſtat autem hæc diſſertatio in *Mem. de l'Acad. des Inſcript.* tom. II. pag. 619 in 4. *Diſquiſitionem* quoque *de Ampulla Remenſi* antea ediderat Jo. Jac. Chiffletius. Hac item de re verba facit Hadrianus Valeſius tom. I. *Rer. Franc.* lib. VI. pag. 260. & ſeq.

** *Sub caſſide crines nutritos* cet.] Francorum reges intonſos perhibent hiſtorici. Gregorius Turonenſis *Hiſt. Franc.* lib. VI. cap. XXIV. de Gundovaldo: *Hic*, inquit, *quum natus eſſet in Galliis, & diligenti cura nutritus, ut regum iſtorum mos eſt, crinium flagellis per terga demiſſis*, cet. Et lib. VIII. cap. X. de Clodevecho interfecto quemdam iſta narrantem inducit: *Quum ignorarem*, ait, *quiſnam eſſet, a cæſarie prolixa cognovi Chlodovechum eſſe*. His conſona refert Agathias Scholaſticus lib. I. *de imper. & reb. geſt. Juſtini imp.* pag. 14. edit. Pariſ. Qua de re vide ſis *Mem. de l'Acad. des Inſcript.* tom. VIII. pag. 487. 488. edit. in 4.

norum gradibus attollitis: constat vos esse, quo A communis uno solis jubare omnia perfruuntur. Vicina quidem plus gaudent lumine, sed non carent remotiora fulgore. Quapropter radiate perpetuum præsentibus diademate, absentibus majestate. Successus felicium triumphorum quos per vos regio illa gerit, cuncta concelebrant. Tangit etiam nos felicitas: quotiescumque illic pugnatis, vincimus. Inter hæc tamen catholicæ religionis affectum servat in vobis cura miserandi: & in apice rerum omnium gubernacula continente, non minus eminet sanctitas, quam potestas. Ex qua utique factum est, ut dirigi ad vos servi vestri [1] viri illustris Laurentii filium principali oraculo juberetis. Quod apud domnum meum, suæ quidem gentis regem, sed militem vestrum, obtinuisse me suggero. Nihil quippe est in quo servire non potest. Commendat directum: congaudi misso, invidi vos visuro. Cui minus computandum est ad utilitatem, parenti proprio restitui, quam patri omnium præsentari.

EPISTOLA XLII.

Ab Avito episcopo dictata [2] *sub nomine domni C. S.* [3] *ad Vitalianum senatorem.*

QUantum pertinet ad dignam judicii vestri integritatem, quoscumque honorum privilegiis erigitis, Romanos putare debetis. Ex hac ergo fiducia, non convenit ut ex toto credantur absentes, quos etsi patria separat, militia repræsentat. Unde quod solum valeo, sed utilitate officii animum devotionis ostendens, quid adsidue cuperem, vel cum possibilitas permittit allego. Vos nunc clementissimo communi principi quid vellemus asserite. Insinuate attentius obedientiæ famulatum, quem nunc in obsequio, semper habemus in voto. Suggerite ac pariter commendate, ab amatore vestro domno & patre meo impletam, me intercedente, principalis reverentiæ jussionem. Clientis vestri viri illustris Laurentii filius studio meo redditus additur regioni. Miseramus dudum in parente famulum: ecce adjicimus in filio famulatum. Quo uno vobis directo, qualiter cum aliis agatur advertite. Superest ut præfatus miles vester, cujus proles & illic gratiæ vestræ porrigitur, & hinc patriæ reservatur, commendatus vobis studio meo, ipse commendet quod vel de illius sobolis adeptione jam compos, vel de istius quæ nobiscum redit prosperitate securus est.

EPISTOLA XLIII.

Avitus Viennensis episcopus [4] *Celero senatori.*

COnstat non minus desiderii mei esse quam debiti, ut officia quæ merito inclitæ magnitudini orbis devotus impendit, a me qui gratiæ ejus jam dudum videor obligatus, specialius excolantur: maxime cum opportunam nunc occasionem favor divinus obtulerit, in qua imperio celsitudinis suæ plena meruerim devotione servire. Quapropter cultoris vestri viri illustris Laurentii filium, quem ad mundum suum dirigi jussio reverenda præcepit, magni- B ficentiæ vestræ præfato largissimæ sospitatis honore commendo. Augete studio defensionis quod voluistis animo pietatis. In regione expetit patrem, in vobis reperiat paternitatem. Tuimini etiam cum prole susceptum. Qui vobis licet satis sit debitor per honorem, plus tamen incipiet debere per sobolem: quod per vos potietur proprii affectus solatio, compensaturus erga vos affectionis experimento. De cetero autem, quantum ad fideles vestros pertinet, exspectatam semper cupimus jussionem, optamus obedientiæ facultatem. Vos propitia divinitate præstate, ut Romanam sub gloriosissimo principe nostro prosperitatem, in cujus apice digna honoris arce fulgetis, tam serenitate sermonis augusti, quam digni- C tatis vestræ rescripto mereamur agnoscere.

EPISTOLA XLIV.

Avitus Viennensis episcopus [5] *domno Sigismundo.*

SI ut dignamini credere loqui possem, importune tum obstreperet Græcis auribus sermo Latinus. At cum in lingua nostra hoc magis abiturum sit intelligibile, quod minus fuerit expolitum; in litteris quas per conservum meum offerri præcepistis, possunt & vitia cum securitate dictari. Ipsi certe quid velimus dicere quocumque scrutentur in- D terprete, ego in affatu consueto dignatione plus, si dici potest, quam piissimi domni experimento interpretante cognovi. De reliquo, Christus vobis pro perseverantia gratiæ quam peculiaribus servis servatis, vicem rependat. Quod etiam in hoc ipso adolescente quem dirigitis tale monstratur, dum cogitantes in neutro quidem commodum, sed in utroque mercedem, quasi vobis nutristis filium, & quasi patri redditis nutritum.

1. *V. I. Laurentii filium*] De quo iterum in duabus proximis epistolis. Hunc ad patrem redire cum cuperet Anastasius, Clodoveum intercessorem adhibuit, ut eum a Gundobado repeteret, apud quem captivus obses, ut reor, pro patre tenebatur.

2. *Sub nomine domni C. S.*] Sic & in epistola xxciv. *sua nomine domni regis C. S.* id est comitis Sigismundi. Sigismundi enim regis nomine dictatam, atque in ea loqui Sigismundum, hinc apparet, quod Gundobadum patrem suum vocat, a quo Anastasii, ut dictum est, de Laurentii filio impleta fuerat jussio. Quare, si comitem hoc loco dixit, ut in epistola vii. patricium Sigismundum, inter ceteros honores quibus exteros reges ornabant Romani, comitivam quoque deferri solitam intelligendum est.

3. *Ad Vitalianum senatorem*] Patricioli filium, Asparis nepotem: qui fidei orthodoxæ, synodique Chalcedonensis tuendæ studio, ut auctor est Victor Tononensis, hostem se Anastasio palam exhibuit; & cum is de Trisagio insaniret, pro eo imperator acclamatus est. Theophanes in Chronico, *τοῦ ὄχλου καταβοώντων Ἀναστασίῳ, καὶ ἄλλον βασιλέα αἰτούντων, Βιταλιανὸν δὲ αὐτῶν ἀνευφημούντων αὐτοκράτορα*, quamquam hoc posterius Marcellinus comes Areobindæ tribuit, non Vitaliano. Qui mortuo tandem Anastasio Constantinopoli ab Justino revocatus, ac magister militum & consul collega Rustico creatus, septimo mense sui consulatus vulneribus confossus in palatio interfectus est. Indict. xiii. ut Marcellinus idem notat, hoc est anno Christi dxx.

E 4. *Celero senatori*] Eadem inflexione, qua Celeri ejusdem filium epistola xxxv. dixit pro Celeris, quod Græci quoque Κέλερ dicunt. Fuit hic magister officiorum, notus expeditione Persica, cui, ut Procopius lib. II. scribit, inter ceteros duces præfuit *τῶν ἐν παλατίῳ ταγμάτων ἀρχηγὸς Κέλερ. μάγιστρον Ῥωμαῖοι τὴν ἀρχὴν καλεῖν νενομίκασιν*. Notus & discrimine quod adiit, cum ad placandum populum Trisagii caussa efferatum, -mi"us esset ab Anastasio, ut Marcellinus comes in Chronico narrat, Paullo & Muschiano coss. Sed & consulatum cum Venantio Liberii filio Celerem gessisse Fasti fidem faciunt, & bonarum partium fuisse testatur, tum Hormisdæ ad Celerem epistola xxxiv. tum altera Celeris ipsius ad Hormisdam de pace inter ecclesias composita.

5 *Domno Sigismundo*] Dictarat opinor, Avitus nomine Sigismundi, non solum superiores litteras ad Vitalianum, sed proximas etiam ad Celerem. Ad has ergo in Græciam, ut Græcis auribus obstrepant, abituras alludit, & Laurentii filium patri redditum gratulatur.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 494.

EPISTOLA XLV.

Avitus Viennensis episcopus [1] *viro illustri Apollinari.*

DIu est, si aut verbo meo creditis, aut de affectu mutuo digna sentitis, quod litteras aliquas vestri sumere desiderans, plus tamen officii mei offerre cupiebam, quod in persona vestra, dilectioni primum, deinde necessitudini, ad ultimum dignitati a me debentur. Non semper debemus occasionibus commeantum solvenda committere: quia licet & ipsa nobis opportunitas portitorum propter frequentiam debeat esse votiva, necesse tamen est, ut illa solicitudo præcellat, quæ se appetitu proprio, sine interventu alienæ necessitatis insinuat. Hujus obsequii me obnoxium sciens, intercludi redhibitionem justam injusto obstaculi præpedientis obice jam dudum tacitus ingemiscebam. Pervenerat quippe, non ad notitiam tantummodo, sed ad mæstitiam nostram, dispositi fumus incendii, quod sanctam ac simplicem innocentiam vestram, velut de effetis cineribus, conjuratio procellosa ventis mendacibus sufflans, in cassum movere tentaverat. Ob quam caussam verebamur anxietatis vestræ sarcinam voto libaminis aggravare, & mæroris augmentum pro consolatione transmittere. Sub hujus ergo ambiguitatis nubilo confusa exspectatione pendentibus, litteras vestras, serenitatis pristinæ, pietatis expertæ, inopinanti mihi Deus obtulit. Recognovi illic, qua satis delectatus sum, manum vestram, qua plus, paternam declamationem, qua maxime, hereditariam benignitatem. Scripsistis igitur, Christo præstante, jam reduces, omnia tuta esse, circaque vos dignationem domni regis Alarici illæsam & pristinam permanere. Quamquam ego censeam, quod post quamcumque nutationem, gratia talium personarum ita sine augmento non redditur, sicut sine periculo non finitur. Volunt enim quasi satisfacere innocentiæ lacessitæ, tumque eligunt credidisse cum cernunt: & sic eis conscientia nostra sufficit, si scientia sua testis accedit. Ego tamen nuntio vestræ, immo nostræ securitatis accepto, ecce Deo teste loquor, in lacrymas mixtas lætitiæ præteritorum recordatione prorupi. Animum namque, ut ait vester poeta *, subiit cari genitoris imago, ut memoria retractavi, usque ad nostras quamlibet dispari professione personas, quamdam [2] parentum communium sortem parilitate laborum invicta exsequente perduci. Illa tamen in Dei nomine etiam nobis suppetit, quæ illis consolatio fuit: quod toto æmulorum nisu, toto circumlatrantis undique livoris dente tentata, quotiescumque appeti visa est, criminationi subjacuit familia nostra, non crimini. Quoniam si vos a patre vestro Archadio didicistis, virum sæculo militantem minus inter arma quam inter obloquia periclitari; nec ego parum exempli a Sidonio meo quem patrem vocare non audeo, quan-

* Æneid. II.

A tum clericus perpeti possit assumo. Quocirca illud divinitas tribuat, ut nobis quam novum non est talia objici, tam nos nulla novitas merito faciat accusari. Sed desistat nunc lætitiæ tempore, amaritudinis ex opportunitate sermo perstrictus: quin potius ineptia vacantis audaciæ unde rideatis exhibeat. Ante aliquot menses datas ad amicum quemdam communem magnificentiæ vestræ litteras vidi, quibus salutatione præfata, in epistolæ declamantes parte succidua, scribebatis [3] placuisse vobis libellos, quos inter occupationes seria & magis necessaria conscribendi, nihilominus tamen de spiritalis historiæ gestis etiam lege poematis lusi. Heic nunc nihil falso, nihil assentatorie me loqui, coram sinB ceritate vestra imprecor testem Deum, tantum me tuo judicio delectatum, veluti si auribus domni mei patris tui meditata confessus, cujuscumque laudis momento sub censore donarer. Primum namque gaudebam, quod sensum vestrum huic liberius quam alteri pandebatis. Deinde quod agnovi, vos aliquod bonum de conatu fraterni operis non minus velle quam credere: certe meritis dictionis non quantum volebatis inventis, supplere vos voto quod non poteratis implere judicio. Libellum tamen amicus, qui ut puto ad vos pervenire fecit, non de librarii, sed adhuc ex notarii manu, adeo mihi inemendatum crudumque præripuit, ut non facile denotes, auctoris magis scriptorisve vitiis irascaris. QuaproC pter opusculum ipsum in membranis redactum, nec adhuc quanta volueram correctione politum, ne moram desiderio meo facerem, celeriter destinavi. Si re vera non solum amantibus, sed & judicantibus vobis placet, quoniam apud extraneos forte non deerit quem audacis conatus tangat invidia, abunde mihi sufficit, ut vos quod cupio sentiatis, quia sicut non minus ad meam, quam vestram gloriam pervenit, communis Sollii opus illustrare: ita vobis, favente Christo, militari actu magis magisque florentibus, si in minimis subtilius aliquid dignum lectione contulerit, etiam sine me quodcumque Archadium non puderet.

D

EPISTOLA XLVI.

Avitus Viennensis episcopus [4] *viro illustri Apollinari.*

COmmuni quidem sed veraci sermone vulgatum est, quod se se mutuæ dilectionis intuitu concordantium cernunt motus animorum. Patet namque, tam unam nobis solicitudinem nostri esse, ut litteris quas harum portitor filius meus attulit, ante si bene metiamini responderem, quam venirent. Nam in pagina famulatus quam per meos ex caussa direxeram. & gaudium de vestra prosperitate conceptum plus affectionibus quam serE monibus exhalavi, & necessitatem nostram patrumque communium, mixta lacrymis exsultatione perstrinxi. De cetero autem, tribuat divina misera-

1. *V. I. Apollinari*] Sidonii filio, si recte ad epistolam XXII. conjecimus, cum is ab Alarico rege apud quem delatus fuerat, illæsa gratia rediisset.

2. *Parentum communium sortem*] Mox, *appeti visa est familia nostra*. Tanta erat Aviti familiæ cum Sidoniana conjunctio, ut eamdem faciat, vicissimque nomina transferat & commutet. Cur ergo Sidonium patrem suum dicat Avitus, apertum est, quia is pater fuit Apollinaris. Archadius vero quem Apollinari patrem affingit, quis fuerit, aut quæ obloquia passus sit, quærendum est. Nam de Sidonio ex ejus vita & epistolis patet.

3. *Placuisse vobis libellos*]. Placuisse Apollinari poematum suorum libros gaudet, de quibus trepide in epistola XXXIII. illius judicium exspectabat. Nec immerito: Sidonio enim patre non indignus filius, ad quem scribens Ruricius lib. II. epist. XXV. *Cujus vos*, inquit, *esse filios non solum generositate prosapiæ, verum etiam & eloquentia flore, & omni virtutum genere comprobatis*. Et post alia: *Quem si divina clementia usque ad hoc tempus superesse voluisset, sicut jam tum de vestra imitatione lætabatur, ita nunc de perfectione gauderet; cum spem ad rem cerneret pervenisse, nec sibi invideret æqualem, quem optaverat esse meliorem*.

4. *V. I. Apollinari*] Eidem Sidonii filio, de re eadem, id est, de prospero exitu discriminis quod apud Alaricum regem adierat: monetque porro, ut inimicorum dolos & insidias jam expertus, eas diligentius caveat in posterum.

tio, quæ spem reparandæ prosapiæ in personæ vestræ honore constituit, & secuturæ posteritatis nostræ te uno genitore etiam nos patres esse concessit, ut calcatis jugiter, prosperante successu, inimicorum conjuratione & perfidorum livore, primus victoriæ vestræ gradus sit, integritatem in conscientia reponere, secundus cum discutitur in audientia comprobare, tertius criminantibus post sententiam pepercisse. Torqueatur animus etiam pro indulgentia sibi collata hostis oppressi, & duplici nostro bono, supplicio suo, cum vos gemuerit non posse decipi, doleat posse misereri. Sic potestati vestræ ad hoc tantum redditus ne periret, dum oblatæ ultro veniæ amarus irascitur, vitæ quodammodo suæ invidere cogatur. De reliquo, B domine semper piissime frater, cura pectoris mei, pompa generis tui, fer paullisper trepidantem fraternæ admonitionis ineptiam. Cavete attente a malis, & linguarum mordacium dolis sibilantibus, blandimenta venenaque machinantibus, doctius post experimenta non credite. Nec minus vos sollertia faciat cautos, quam innocentia præstat securos. Siquidem interclusо probis explorandi nocendique aditu, vel ob hoc gratius debetis debellandis eorum conatibus laborare, quod ultionem divino judicio reservantes, debellatis semper statuistis ignoscere. Quamquam, ut supra jam fassus sum, non ex toto impunitus abeat quem gloria lacessistis.

A rena præponere. Ceterum cognosci in promtu est, custodem primarum partium etiam quæ sunt residua servaturum. Hæc igitur dicta sunt cum de sæculari parte tractamus. Si vero ad sacerdotum caussam venitur, quorum adhuc non augetis scholam, sustinetis injuriam, atque ornandam contubernio prius informatis exemplo; quis horum vos, quis inquam nesciat, ad certamen hujus spiritalis palæstræ, non rudes aut ignaros legis, sed sub longo salutarium meditationum gymnasio pervenisse? Quocirca novum sit aliis, vos necessitatem belli hujus a perfectione virtutis ordiri: ego autem in cuius animo caritatis arcem tenetis, jam dudum incunctanter agnoveram, ad catholicos sensus intuendos per studium, tuendosque per verbum, probato in vobis devotionis ardori non tam desideria deesse, quam tempora. Quapropter famulatu salutationis oblato, pastu quo mentem vestram jejuno corpore satiastis, significans etiam me refectum, unde paucula hæc saturitatis meæ gratulatio eructat, Deum quod restat exposco, ut cui prædicatoris officium jam imposuit, honorem subjungat, & quod exercetur actu, ostendatur & habitu: nec docilem sed doctum, nec discentem sed doctorem cathedra suscipiat. In qua, velut triumphatore conspicuo sertis gloriæ victricis evincto, inter acclamantum gaudio consonas voces, quantus in clypeum assurges, etiam nolens adstipuletur hostis expertus, numquam inventurus quod C de qualitate meriti contradicat, sed habiturus semper de prœlii inæqualitate quod timeat.

EPISTOLA XLVII.

Avitus Viennensis episcopus [1] *viro illustri Heraclio.*

DUm incessabilis de amicorum fide ac salute cura mihi est, nuper prosperitatis vestræ inter prima solicitus agnovi, quod cum familiari catholico episcopus tacere non debeam: fructum tamen in vobis mercedis taliter acquisitæ, non tam verbis valeo exaggerare, quam gaudiis. Nam nisi vos a præconio vestro maturitate senatoria temperatissimi pudoris frena cohiberent, effectum certaminis gloriosi ipsa forsitan lingua digne laudaret D apud proprios, quæ mirabiliter convincit adversos. Habuistis igitur, ut audio, cum rege tractatum, de quo, quantum comperi, quia non se du- * cebant lenibus, transistis ad prœlium. Discussus est nutu divino, qui cælis dudum notus, jam & hominibus appareret religionis assertor. Os sæcularis eloquentiæ pompis assuetum, & fluentis exundantibus Romuleæ profunditatis irriguo, alacritate debita missam sibi de supernis materiam dignæ disputationis arripuit: & facundiam quæ cum interfuit, aut describendi mundi jucunditatibus, aut regalium triumphorum præconiis patrocinabatur, ubi primum melior pars poposcit, adstruendæ veritati servire non puduit. Itaque sicut alias laudando regem red- E didistis Cæsari quod Cæsaris erat, ita heic ut redderetis Deo quæ Dei sunt, nec Cæsari pepercistis. Quapropter habet heic in vobis, etsi non sequitur, potestas regia quod miretur, quæ se aliquoties declamantibus vobis, nunc evidentius sentit ornatam. Siquidem nescire vos assentationis illecebram, cum res admonuit, etiam resistendo monstrastis. Illos igitur denotet sapientia potestatum, facile humanis fidem posse mutare, quos divinis vident ter-

EPISTOLA XLVIII.

Rescriptum viri illustris Heraclii.

UTinam mihi subinde contingat, ut alloquii vestri fecunditate augear, eruditione corroborer. Duplicis siquidem gloriæ fructus tali succedit eventu, dum & fides tepore marcida ferventis hortaminis calescit afflatu, & ingenium naturali paupertate jejunum perspicui cultoris ope ditescit. Unde si dignamini, comitante salutationis officio, maximas gratias referre præsumo, quod responsio mea apud principem habita, & ad vos ut indicastis rumore perlata, competens judicium, non ex meo ore, sed ex vestro amore promeruit. Quamquam præcellentissimus princeps, cum sit ad inveniendum igneus, profluus ad dicendum, ita sensus scrutatur humanos, ut semper conventibus mitissimo pareat auditu: tamen laboris mei seriem amputato æquore prolixitatis insinuo. Laborem inquam dico, quia procellas inopinatis flatibus irruentes imperitus nauta vix sustinet. Ergo cum, Dei beneficio tandem cessante tædio, tranquillitas publica rediisset, quasi mutatis diu castris destinatum certamen inveni. Semper enim ignavas imbellesque personas petulantior conflictus aggreditur. Primum quidem e diversa parte proprii luctaminis sermo prælusit. Deinde velut ab insidiis repentinis fusus est vomitus transmarinus. Denique incidi in chartam vacuam, veteri obliterata, quæ ita se circumductis irridebat erroribus, ut salva respondentis libertate, propositionis pravitas exitum non haberet, & ex propriis instrumentis in jugulum suum resistenti arma suggereret. Quid multis? pagina quæ legi cœperat, ad silentium conferre se maluit: ut

1. *V. I. Heraclio*] Senatori, non in Italia, vel in Græcia, ut plerique superiorum, sed in Gallia, & in aula regis Burgundionum, nobili oratori, cui pro suscepta fidei catholicæ coram Gundobado defensione, episcopalem cathedram vaticinatur. Quod si vanum augurium non fuit, Heraclium hunc opinor episcopum illum Tricastinensem, cujus nomen in conciliis aliquot subnotatum cernimus, ut in Carpentoratensi & in Arausicano & Vasensi II. ac denique in IV. Aurelianensi. Ad eumdem scripta item epistola XXXVI. cui subdita est ipsius responsio.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 494.

omnibus probabiliter innotescat, quam sit divisa, quam facilis, quam spernenda persuasio, quæ excogitatis multiplicibus argumentis divinæ instructionis inopem turbare non valuit. Hæc itaque replico, ut quidquid est quod in caussa Dei placeat, vobis procul dubio sentiam adscribendum. Enimvero in propatulo habetur, quod me sic olim collocutionis vestræ lima componit, omnisque in commune prædicationum vestrarum cultus inuberat, ut sedes illa cui vos contulit cæleste judicium, multum administratori muneris præstitisse, sed non minus in administrantis persona meruisse videatur. Incumbe ergo orationi, domine pectoris mei, & auxilium Dei, quantum pro te tam pro omnibus, sicut facere consuesti, pius & pervicax tutor implora, ut fidei murus nulla oppugnatione quassetur. Procurandum autem est, ut filios alumnosque tuos vulgata indesinenter castigatione tuearis, & validissimis doctrinæ armis, sicut legimus, tecum vincere cogas.

EPISTOLA XLIX.

Avitus Viennensis episcopus [1] *viro illustri Ansemundo.*

PLurimum miror quod persona pro qua intercedere dignamini, mihi Lugduni posito sola negaret crimen quod universitas conclamabat, & post ad hoc resipiscendo pervenit, ut vobis pro venia supplicaret. Quod si simpliciter petit, constat hominem etiam reatus ordinem confiteri. Quocirca licet in omnibus caussis, pro dignatione quam mihi impenditis, liberum non habeam aliud facere quam jubetis: non possum tamen, quia sic vobis visum est, remissurus nisi prius exaggerare quod doleo. Scit enim pietas vestra, & in ecclesia legi frequenter audivit, in ipso adulterii malo quantos scriptura divina gradus exprimat. Primo fornicandi lapsu peccavit, qui feminam conjugio carentem libidine inflammatus appetiit. Secundo quo pejori, qui furto super cuncta damnabili simplicis tori pudicitiam violavit. Cumque nihil gravius hac injuria humanus animus putet, vos conjicite qualiter cælestis justitiæ castitas moveatur, [2] si sponsam Christo devotam, & in sancti altaris thalamo benedictione dotatam, ut nihil amplius dicam, vel petulanter aspexerit. Audio tamen dicere juvenem ipsum, non se virginem temerasse, cujus turpibus votis prior multorum carnalitas sit abusa. Quapropter, cum reum facinoris manifesti, nisi satisfactio

A sua & intercessio vestra non liberet, dici non potest quantum miserum sit, pro reconciliatione sua aliorum crimina confiteri. Accuso in hac parte nostri temporis negligentiam sacerdotalem. Non nos ista perquirimus: offert se nobis inexplorata criminum magnitudo. Quis in malis socium quærat? quis in aliis maculis se inferat? Atque utinam & ipsius vel sic se temperasset obscenitas ut lateret. Deinde ex duobus eligat utrum velit. Si primus in puellam carne peccavit, adhuc exspectat quod prædicit Apostolus: [a] *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Si autem corruptionem quam non inchoaverat, gravavit augmento; quid excogitari turpius, quid horribilius potest, B quam ut illum nec hoc prohiberet a meretrice, propter [3] quod solum Deus separari virum permittit a conjuge? Nec solus, si respicitis, ex hac parte commoveor. Gemunt religiosi parentes scelus admissum, & quasi perditam prolem lugentes, orbitatem in planctibus profitentur. Quid de matris mæstitia loquar, quam prædicti jam dudum mariti omni morte deterius turpis vita viduavit? Et quamquam coitu moveri solitus, tamen patienter hæc tulerat, filius sine pietate, maritus sine sobole, pater sine herede: & nutritum insuper ejus studio quamlibet ortum ex generosis adulteris nobile malum; sic tamen quod in desiderati nativitate portenti, non est augmentum prosapiæ, sed C infamiæ documentum. Et quidem salva quam mihi Deus in vobis præstitit defensione, plus culpam præfati quam pœnitentiam pertimesco. Sed rogo ne irascatur ista dicenti. Speculator sum, tubam teneo, tacere mihi non licet. Atque utinam peccans humano animo fuerit, cui solitum est labi per facilitatem, & per satisfactionem reverti: ceterum iracundia calere, tumere superbia, lascivia fœtere taurinum est. Quocirca licet diversas in me * iterum flammas evomat, & [4] ad Romanæ forsitan ecclesiæ audientiam vocet, & si adhuc placet, etiam filios habere me dicat, nec minas suas assentatione placabo, nec fatigationes itinerum verebor, qui civicis criminibus in patria plus fatigor, nec D multos filios habere me negabo, qui unum ex eis peperisse jam doleo. Et quidem mihi hæc paucula error extorsit. Sed vos quibus summæ potestatis privilegio major facultas suppetit castigandi, hominem violenter arguite. Conciliationem illi meam, quia ita præcipitis, indicate: meque, ne malum hoc vel mandatis aut nuntiis renovetur, curaturum esse prædicite: ut ei, si non corrigendo per voluntatem, certe vel per custodiam reprimendo,

a I. Cor. III. 17.

1. *V. I. Ansemundo*] Nomen hoc vero plane Celticum, ac fortasse hoc loco Burgundicum: cujus generis inter comites qui Burgundionum legibus subscripsere, Aunemundus, Andemundus, Fredegundus & Godemundus. Ansemundo eidem inscriptæ sunt etiam epistolæ LXXI. LXXII.

2. *Si sponsam Deo dicatam*] In eos, qui sibi sacras virgines matrimonium jungunt, Gallicanorum antistitum, ne alios memorem, apertæ sunt sententiæ. In concilio Turon. I. can. VI. *Qui se sacratis virginibus per conjunctionem nefandam miscuerint, vel propositum professæ religionis dereliquerint, utrique a communione habeantur alieni: quia si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus, donec resipiscentes ad auxilium pœnitentiæ revertantur.* Et in concilio Parisiensi III. can. v. *Sacratarum virginum neque per raptum, neque per competitiones aliquas, quisquam conjugia sortiatur. Quod si contra interdicta quis venerit, & sacerdotem suum audire neglexerit, & in præsenti a communione catholicæ ecclesiæ habeatur extraneus, & in perpetuum anathemate feriatur.* In Turonensi denique II. canone xx. similiter statutum, *Ut nullus sacratam Deo virginem, quæ in honorem Christi vestem mutavit, aut rapere, aut competere, aut sibi conjugio sociare præsumat. Quod si pastorem suum audire, & se de vetito conjugio separare despexerint, perenni excommunicatione damnentur.* Hactenus leges ecclesiasticæ. Nam E jure civili etiam apud nos, qui sacratam virginem sibi in matrimonio sociarat, capitali sententia feriebatur, ex Clotarii II. regis constitutione, quæ inter concilia Galliæ subnexa est concilio V. Parisiensi.

3. *Propter quod solum Deus*] Hinc patet, persuasum adhuc illis temporibus in Gallia fuisse, propter fornicationem separari virum ab uxore, & aliam ducere, Christi permissu licuisse: quod ex concilio quoque Venetico canone II. manifestum est. *Eos qui relictis uxoribus suis, sicut in evangelio dicitur, excepta caussa fornicationis, sine adulterii probatione alias duxerint, statuimus a communione arcendos.*

4. *Ad Romanæ ecclesiæ audientiam*] Quod in Galliæ quoque provinciis usitatum docet Leo magnus, ad episcopos provinciæ Viennensis. *Nobiscum*, inquit, *vestra fraternitas recognoscat, apostolicam sedem pro sui reverentia, a vestræ etiam provinciæ sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam, & per diversarum, quemadmodum vetus consuetudo poscebat, appellationem caussarum, aut retractata aut confirmata fuisse judicia.*

ſaltem facultas culpæ poſſit erui, ſi pœnitentiæ ſalubritas non poſſit perſuaderi.

EPISTOLA L.

Avitus Viennenſis epiſcopus [1] *viro illuſtri Meſſiano.*

MAximus deſiderio noſtro cumulus optata gaudiorum ubertate confertur, ſi magnificum veſtræ pietatis ſtatum florenti proſperitate pollentem avida ſolicitudinis noſtræ vota cognoverint: quia hoc profectibus noſtris compendio indubiæ felicitatis accreſcit, quidquid eminentiæ veſtræ cæleſtium beneficiorum pietas diffuſa contulerit. Nam in eo metimur felicibus incrementis noſtrorum propagationem ſucceſſuum, in quo actionis veſtræ creſcit ſine fine ſuffragium. Quapropter honorificum ſalve perſolvens, rogo quod ſi, ut cupimus, felicia erga vos cuncta geruntur, magnitudo veſtra occurrentis paginæ elocutione perdoceat.

EPISTOLA LI.

Avitus Viennenſis epiſcopus [2] *Viventiolo rhetori.*

AUdivi quod in homilia qua nuper ad populum Lugdunenſem in dedicatione baſilicæ videor concionatus, barbariſmum me incurriſſe dicatis: palam ſcilicet caſtigantes, quod publica oratione peccaverim. Fateor iſtud potuiſſe contingere: præſertim mihi, cui ſi qua in annis viridioribus fuerunt ſtudia litterarum, omnia fert ætas *. (* Virg. Ecl. VI.) Ambieram tamen hoc ipſum à vobis coram poſitus audire, etſi jam ſciendi in me facultas minuitur. Sed quia vos abſentes dicere comperi, quamquam abſens reſpondere curavi. Igitur culpaſſe vos ferunt, quod *Potitur* media longa ſyllaba dixerim, Virgilium in hoc verbo ſcilicet non ſecutus, qui ſyllaba ipſa correpta uſus eſt dicens *vi potitur* *. (* Æn. III.) Sed iſtud remiſſibile eſt poematis neceſſitate, quod in opere ſuo ſæpe invenimus Virgilium præſumſiſſe: ut ſcilicet metri legem, ſicubi opus eſt, barbariſmo contentus expediat, & ſyllabarum naturam certis quibuſque locis artem minime ſecutus invertat: quale eſt illud, * *Non erimus regno indecores*, vel * *Fervere Leucatem*, vel illud, * *Namque ut ſupremam falſa inter gaudia noctem Egerimus*. (* Æn. VII. * Æn. VIII. * Æn. IX.) Nullus litteratorum infitias ierit, productas naturaliter penultimas ſyllabas ab oratore ponendas. Virgilius uſus licentia poetarum, ſecundum ea quæ ſupra diximus, corripiens mediam ſyllabam præſumſit, id eſt *Potitur*. Quod verbum, ſequeſtrata paullisper poetica libertate, artis potius lege tractemus. Commune verbum, tempore præſenti, numero ſingulari, perſonæ primæ *potior*, ſecundæ perſonæ longa media *potiris*: reſtat nunc perſonæ tertiæ, id eſt *potitur*, ſimiliter longa ſit neceſſe. Sicut dicimus, fortior, fortiris, fortitur: ſic tempore præterito perfecto, primæ, ſecundæ, tertiæ perſonæ, potitus ſum, es, eſt: ſic imperativo modo, tempore præſenti, ad ſecundam perſonam potire, ſicut fortire. Similiter optativo modo, tempore præſenti & præterito imperfecto, ſub totis tribus perſonis, æque ſyllaba producta, utinam potirer, potireris, potiretur. Ceterum ſi tertiæ perſonæ ut *potitur* brevem ponas, idem facere cogeris & ſecundæ, ut potiris dicas: quod utique ab omni exemplo atque uſu integritas Latinitatis excludit. Ecce verbum pro quo a vobis reprehenſus fueram, de qua audeo ratione mutuari. Nunc autem, honorificum ſalve perſolvens, impenſis precibus quæſo, ut quia ego amicitiæ jure quid mihi videretur ſtilo paginæ liberioris expreſſi; vos quoque ad vicem, ſublato ut ſupra dictum eſt Virgilianæ auctoritatis exemplo, quem vel ob hoc in barbariſmorum uſurpatione non debemus conſequi, licet idem Virgilius * potitus vel potiti producte poſuerit, (* Æn. VI.) ſicut eſt illud *auroque potiti*, vos mihi rationem quam ſequi debeam, reſcripto exponente tradatis. Aut ſi certe ſciſcitantem teſtimonii cujuſcumque eligitis docere compendio, ſpero ut de priſcis magis oratoribus quos diſcipulis merito traditis, perquiſitum diligentius repertumque pandatis: quod ſine argumento artis, nec oratorio, invenietur pater & communis filius, quorum ingenia mallem præſenti tempore ut primus quam ſolus imbueris, hoc uno tantum vitio eſſe contentus. Qui tamen ex illo quo profluitis uberi fonte doctrinæ jam nunc inter initia ſua non minus quam litteras bibant, quod amicum attrahere magis ſtudiis quam detrahere, & oratorem eloqui potius quam obloqui decet.

[3] EPISTOLA LII.

Avitus Viennenſis epiſcopus [4] *Viventiolo epiſcopo.*

FEſtivitati ſanctæ cumulus, quam proſpere veſtra interceſſione tranſegimus, caritatis apicibus quos

1. *V. I. Meſſiano*] Meſſiani per hæc tempora duo præter iſtum in Galliam noti. Unus Aviti imp. patricius, quem Ricimer, cum Avitum Placentiæ ſpoliaret imperio, e vita ſuſtulit: alter S. Cæſarii epiſcopi notarius, poſtea presbyter, qui una cum Stephano diacono poſteriorem ipſius vitæ librum conſcripſit. Inter utrumque hic noſter, omnibus antiquior Meſſianus proconſul Africæ poſt conſulatum Bautonis, de quo S. Auguſtinus libro I. contra litteras Petiliani cap XXIII.

2. *Viventiolo Rhetori*] Refellit hominis imperiti inſcitiam, qui vitioſum Avito accentum objecerat in homilia, quam Lugduni in baſilicæ dedicatione pronuntiarat. Homilia hæc interiit. Laudat vero etiam Fauſti Reienſis epiſcopi, in ejuſdem eccleſiæ Lugdunenſis dedicatæ feſtis prædicationes Sidonius lib. II. epiſt III. quæ ipſæ pariter interierunt.

3. *Epiſtola LII. LIII. cet.*] Sequentes aliquot epiſtolæ ex genere ſunt earum, per quas epiſcopi olim, ſolemniſſimis diebus Natalis Domini & Reſurrectionis, conſalutare ſe invicem, & quam proſpere feſtivitatem celebraſſent, nuntiare ſolebant. Hujuſmodi complures inter Theodoreti epiſtolas in lucem nuper editas paſſim adſperſæ leguntur, quæ morem hunc moriſque cauſſas, mutuæ ſcilicet benevolentiæ caritatiſque ſtudium, repræſentant: ut epiſt. IV. *ἑορταστικοῖς συνήθως κεχρήμεθα γράμμασι. Feſtivas de more litteras ſcripſimus.* Et epiſt. V. *τῆς φιλίας τὸ μέτρον ἐκπίνομεν, κατὰ νόμον τῆς ἑορτῆς. Amicitiæ officio fungimur, ut feſti lex poſtulat.* Et epiſt. XXVI. *τοῦτο γὰρ ὁ τῆς ἑορτῆς καὶ ὁ τῆς ἀγάπης παρακελεύεται νόμος. Hoc enim & feſti & caritatis lex ſuadet.* Denique hoc unum illarum fuit argumentum: quod ex epiſtola LVI. videre eſt, quam integram, quia brevior, ſubjicimus. ΕΟΡΤΑΣΤΙΚΗ. *Ἀκμάζει μὲν ἔτι τὰ τῆς λύπης· καὶ χαλεπῶς αὕτη προσβάλλει τῷ λογισμῷ. τὸν δὲ τῆς ἑορτῆς πληρῶσαι νόμον ὑπέλαβον δίκαιον. αὐτίκα γοῦν καὶ τοῖς γράμμασι κέχρημαι, καὶ τὴν σὴν εὐλάβειαν προσφθέγγομαι, καὶ τῆς ἀγάπης ἐκτίνω τὸ χρέος. Urget quidem adhuc me triſtitia, & mentem graviter concutit: attamen diei feſti legem implere juſtum exiſtimavi. Nunc itaque, & ſcribo, & reverentiam tuam ſaluto, & caritatis debitum exſolvo.* Ex his patet, *ἑορταστικὰς*, hoc eſt feſtivas ſive feſtales, ex eo dictas, quod feſtis diebus ſcriberentur: quo modo apud Alexandrinos *ἑορταστικαὶ* item nuncupatæ ſunt epiſtolæ Paſchales, Theophili, Cyrilli & aliorum patriarcharum, quibus proximi paſchæ diem ceteris eccleſiis denuntiabant. Sed illæ Paſchales ideo appellatæ, quia de die paſchæ omnes: has vero partim etiam Natales dicere licuit, quia per utramque feſtivitatem mittebantur, ut in Natali Chriſti epiſtola LIV. & LVI. Aviti, in Reſurrectione XXXVIII. LXIII. LXIV. Theodoreti.

4. *Viventiolo epiſcopo*] Lugdunenſi, cui adhuc presby-

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 494.

direxistis accrevit : & ob id multipliciter reddidit A lætiores, quod ecclesiam quæ ubique una est, unitas complectitur gaudiorum. Tribuat Christus, ut sicut anno præsenti desideria nostra felicibus complestis indiciis : ita quoque tempore secuturo visitationem semper optandam Viennensi ecclesiæ conferatis.

EPISTOLA LIII.

Avitus Viennensis episcopus [1] *Gemello episcopo.*

Litteras beatitudinis vestræ quas diuturnitas temporis fecerat desiderabiles, vicina festivitas red- B didit gratiores, quam in Dei nomine prospere celebravimus, & a vobis commode transactam esse gaudemus. Orate illud semper ecclesiæ catholicæ sanctorum suffragio provenire, quod divinitas regulæ novit ac paci, salva in omnibus fraternitatis caritate congruere.

EPISTOLA LIV.

Avitus Viennensis episcopus Apollinari episcopo.

POst sancta dominicæ Nativitatis officia quibus ægerrimus & vere plus quam fessus interfui, C quod mihi post Deum primum ac singulare est, nuntium vestrum exspecto : quem si meruero sumere, quæcumque illa qua dignus sum fuit, ut ego confido temperabitur, ut vos meremini detergetur asperitas.

EPISTOLA LV.

Avitus Viennensis episcopus Victorio episcopo.

PRospera Deo propitio festivitatis exordia, quia obtinueratis suffragio, visitastis affectu. Nam dum & curam patri solito geritis, & de incolumi- D tate vestra quæ votis conveniant nuntiatis, quod gaudemus offertis, & quod debemus exigitis. Tribuat Christus hujus ipsius pietatis ac dignationis vestræ uberem commeatum, in quo a vobis munere magisterii geminati, & per solicitudinis beneficium confortentur senes vestri, & per caritatis exemplum posteri doceantur.

EPISTOLA LVI.

Avitus Viennensis episcopus Claudio episcopo.

PRo consuetudine desideria nostra votivis indiciis pietatis studio cumulatis : quorum visitatione suscepta, Nativitatis dominicæ nobis festa prosperitatis vestræ geminantur augmento. Pro qua gratia quam erga nos beatitudo vestra assidua dignatione multiplicat, præsentiam vestram succedentium annorum numerositate divinitas propitiata longævitet.

EPISTOLA LVII.

Avitus Viennensis episcopus Gregorio episcopo.

MAgnæ quidem & nimis admirandæ sunt deliciæ quas misistis, copia, tempore, dignitate : sed tamen affectui, pietati, solicitudini non æquantur. Per quæ probatur, non tam dignatio vestra nobis quam præsentia defuisse. Expedita est suffragiorum vestrorum prosperitate festivitas : cui quantum accessit corporalium, tantum a consuetudine spiritalium defuit epularum : quas mihi Deus si in futuro tribuit commeatu, sicut nunc per vos transmittere, ita tunc vobiscum exhibere dignetur.

EPISTOLA LVIII.

Avitus Viennensis episcopus [2] *Viventiolo episcopo.*

NIsi frequenter vota communia peccatorum impedirentur objectu, jussioni consuetudinariæ caritatis solito volueram parere servitio. Nam cum festivitati vobisque occurrere duplicis compendii res fuisset, videtis ad mei solius pertinere dispendium, quod nequeo implere præceptum. Ita namque apud nos per momenta singula potestatum speratur adventus, ut nisi illis venientibus præsens esse curavero, ab eis qui solent in nobis etiam leviora culpare, quamlibet simplex abscessus meus, non solum negligentiæ, sed etiam contumaciæ deputetur. Quapropter, communi necessitate perspecta, impossibilitati meæ clementer ignoscite, & ut desideriis nostris, si non jugiter, vel interdum satisfacere possimus orate.

tero episcopatum auguratus est Avitus epistola xvii. Lugdunensi cathedræ præfuisse ostendunt concilia quibus subscribit, Epaonense & Lugdunense sub Sigismundo. Quam exquisitæ autem doctrinæ vir fuerit, ex Agobardo E discimus in libro de Judaicis superstitionibus. *Viventiolus*, inquit, *ecclesiæ Lugdunensis episcopus, cujus doctrinæ fuerit, non solum ipsius, sed & aliorum de eo scripta restantur.*

1. *Gemello episcopo*] Vasionensem episcopum fuisse docet ejus subscriptio in concilio Epaonensi. Ut diversum autem ab eo Gemello credamus, quem in eadem provincia præfectorum vicarium vidimus in epistola xxxii. facit quod in ea synodo quæ paucis post annis secuta est, veteranus episcopus jam erat, principemque inter collegas locum obtinebat. Qua etiam de caussa hoc loco Apollinari, Victorio, Claudio & Gregorio anteponitur, qui eodem ordine in eadem synodo subscribunt. Apollinarem Valentinum episcopum novimus ex epistola xi. Victorium Gratianopolitanum ex xvi. Claudius vero & Gregorius, illustris ambo nominis & famæ, alter Vesuntinam rexit ecclesiam, alter Lingonensem.

2. *Viventiolo episcopo*] Invitatus ad Lugdunensis ecclesiæ festivitatem excusat, quod Vienna propter adventum principum abesse non possit : eodemque spectat & sequens epistola. Nam S. Justi solemnitas Lugduni celeberrima : de qua & Sidonius lib. V. epist. xvii. *Conveneramus ad S. Justi sepulcrum : processio fuerat antelucana, solemnitas anniversaria, populus ingens, quem capacissima basilica non caperet.* Hoc vero ad aliud pertinet genus epistolarum, quibus solebant episcopi vicinarum sedium collegas episcopos ad urbium suarum celebritates invitare. Cujus moris exemplum insigne est apud Basilium magnum epist. ccxci. ubi ad Cæsariensium martyrum diem anniversarium, non vicinos modo, sed totius Ponticæ diœcesis episcopos advocat. Ἐπεὶ οἱ ἐπισημότατοι μαρτύρων, Εὔψυχιος καὶ Δαμᾶς καὶ ὁ περὶ αὐτοὺς χορὸς, ὧν ἡ μνήμη δι' ἔτους παρὰ τῆς πόλεως ἡμῶν, καὶ τῆς περιοικίδος δὲ πάσης τελεῖται, ὑπομιμνήσκει ὑμᾶς, τὸν ἴδιον ἑαυτῆς κόσμον ἡ ἐκκλησία, διὰ τῆς ἡμετέρας φωνῆς παρακαλοῦσα, τὴν ἀρχαίαν ἀπολαβεῖν τῆς ἐπισκέψεως ἡμῶν συνήθειαν. *Quocirca cum inter martyres nobilissimi sint Eupsychius & Damas sociique ipsorum, quorum anniversaria memoria in urbe nostra totaque vicinia celebratur, admonet vos peculiare decus suum ecclesia, vocéque nostra hortatur, ut antiquam visitandi nos consuetudinem repetatis.*

EPISTOLA LIX.

Viventiolus Avito episcopo.

AD similitudinem divinæ benignitatis deliberatio vestra cultorum suorum petitionibus temperetur, ut in solemnitate sancti Justi plebeculam suam apostolatus vestri visitatio benedicat.

EPISTOLA LX.

Avitus Viennensis episcopus Viventiolo episcopo.

AD firmitatem promissionis divinæ, sit quod antea concessistis Est, Est; quod postea repetistis Non, Non: quia si bene occupatione præsentium qualitas pertractatur, conditionem inter vos habitam, etiam si tunc non debuisset interferi, modo specialiter deceret impleri.

EPISTOLA LXI.

Avitus Viennensis episcopus [1] *Constantio episcopo.*

LItteras sanctitatis tuæ in pascha quidem, sed non paschales accepi: nihil utique de caritate aut solicitudine præferentes: sed quibus jubebas, ut fratrem & consacerdotem nostrum Candidianum, quem ego quasi peculiarem commendaveram, non solum ad clericorum, verum etiam [2] ad laicorum audientiam destinarem, a quibus constat diaconum ejus pro civili caussa servili custodiæ mancipatum. Et ideo, si censetis omnia de clericis vestris laicorum testimonio credenda, rescribite. Consequens erit, ut dum sæcularium notitiam ex omnibus quæ in rumorem veniunt consulamus, clericorum libertatem prodamus. Illud tamen quasi amor tuus suggerere ac monere præsumo, [3] ne propter leves caussas, & non ad Deum sed ad sæculum pertinentes, ne laici quidem, non dicam clerici, sancta communione priventur: quia nescit cujus dignitatis sit ipsa communio, qui non eam, omni animositate seposita, & cum magno dolore suspendit, & cum maxima festinatione restituit.

[4] EPISTOLA LXII.

Apollinaris episcopus Avito episcopo.

COgitans atque pertractans, inofficiositatem vestram qua ultione percellerem, nil dignius judicavi, quam si declinata injuria nihil segnius tentarem. Ne quam igitur in posterum vereamini, qui cernitis præsentem noxam protinus expiari.

EPISTOLA LXIII.

Avitus Viennensis episcopus Apollinari episcopo.

NE festivitati occurrerem, necessitas obstitit: ut mihi festivitas occurreret, humanitas procuravit. Scribitis ergo indevotionem meam marinis vos copiis luisse. Dignum scilicet genus supplicii, quod me faciat * * * * cum desiderio gulæ conflictum. Satis vobis præsentari cuperem, si non taliter puniretis absentes. Utinam censuræ vestræ in contumace pœna non desinat. Nihil magis timeo, quam quod me jubetis in posterum nil vereri. Indulgentiam illi qui rogaverit date, cui avari esse volueritis ignoscite. Ceterum me, qualitatem districtionis expertum, offensam magis vestram constat desiderare, quam veniam. De cetero, orationibus vestris tribuat Deus noster, ut qui festivitati hujus præsentis anni officiis magis quam deliciis absfui, in tempore futuro vestris me orationibus affectu non simili præsentetis, & cum rediero, severitate simili absentasse credatis. Octo palustres quis quia se duo paria solearum, quæ dentibus maceretis, aliquatenus commotus, non tamen ex integro malum pro malo reddens direxi. *

EPISTOLA LXIV.

Avitus Viennensis episcopus Viventiolo episcopo.

SErvatis dulcedinis morem, immo ut verius dicatur, augetis. Refecistis solicitudinem nostram de vobis prospera nuntiando: visitastis festivitatem de nobis quæ optabatis agnoscere cupiendo. Inter has tamen multiplices epulas animorum, etiam corporalibus quoque deliciis ornastis & mensam, qui spiritalibus paveratis ecclesiam. Quapropter impar ad gratias, convertor ad preces, divinam misericordiam rogans, ut caritas cujus profectum studio asseritis, vobis ad præmium, mihi ad gaudium, cunctis proficiat ad exemplum.

EPISTOLA LXV.

Avitus Viennensis episcopus [5] *Maximo episcopo.*

QUantum ad infernum spectat & finem, aliquantulis corpusculi viribus vigeo, anxius tamen, quod de domno [6] filio vestro, vel absolutione colloquii nil agnosco, quod nec eo loci fuerim ut agnoscere potuissem. Nam monasteriis [7] Grenencen-

1. *Constantio episcopo*] Duo hujus nominis episcopi sub hoc tempus concilio Epaonensi subscripserunt, unus Octodorensis, alter Vapincensis. Quorum alteri quin adscribenda sit epistola dubium non videtur; utri autem, incertum.

2. *Ad laicorum audientiam*] Clericorum quippe libertati repugnat, & antiquissimo eorum privilegio, quod a Valentiniano Cæsare post exstinctam Joannis tyrannidem renovatum est, lege ultima cod. Theod. De episcopis, cet. *Clericos etiam, quos indiscretim ad sæculares judices debere deduci infaustus præsumtor edixerat, episcopali audientiæ reservamus. Fas enim non est, ut divini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio.*

3. *Ne propter leves caussas*] Quod canones passim inculcant, ac diserte inter Gallicanos postea sanxit secundus concilii Aurelianensis V. *Ut nullus sacerdotum quemquam rectæ fidei hominem pro parvis & levibus caussis a communione suspendat, præter eas culpas, pro quibus antiqui patres ab ecclesia arceri jusserunt committentes.* Quocirca ut hoc loco Constantium Avitus, sic Hilarium Arelatensem hoc nomine taxat Leo magnus epist. XXCIX. quod communionem facile denegaret.

4. *Epistola LXII. LXIII.*] Fratrum amore dignus conflictus. Apollinaris Aviti fratris inofficiositatem, sive, ut Avitus ipse vocat, indevotionem, quod ad Valentinæ ecclesiæ festivitatem non venerit, ulciscens, supplicii loco munera miserat: Avitus, fraterni supplicii genus laudans, pari eum studio remuneratur.

5. *Maximo episcopo*] Genavensi. Cujus nomen inter episcopos qui Epaonensi concilio adfuerunt. Ab hoc eulogias seu munera, opimas epulas cum accepisset, in harum latorem Maximi famulum, lepide jocatur.

6. *Domno filio vestro*] Sigismundo rege, quem Genavæ in sorte sua larem habuisse in epistola XXIX. conjiciebamus.

7. *Grenencensibus monachis*] De quibus Sidonius lib. VII. epist. XVII. *Fluctuantem regulam fratrum destitutorum secundum statuta Lirinensium vel Grinincensium festinus informa.* Grinincensium monachorum familiæ prope Viennam magno olim numero fuerunt, sub cura & disciplina episcopi Viennensis: quibus proinde visitandis occupatum se hoc tempore fuisse significat.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 494.

sibus occupatus, aliquamdiu jam habitaculo civitatis A abfueram. Siquidem deliciæ quas dignatione solita direxistis, in itinere me & adhuc ab urbe remotius positum repererunt. Quasque, quod multipliciter mirum, servus vester Leonianus, multum gemens, minimum sumens, avido quidem sed vacuo ventre transmisit. Putasses eulogias vestras tenaci corvorum rostro ad Eliæ [a] pastum bajulis unguibus exhiberi. Adeo ab insultatione mea in vos justius exercenda, misit esuriens, quod vorare non potuit concupiscens. Vellem nunc scire quid profit quod gulæ peculiaris famuli sic studetis, cui ne mihi datas a Deo vobisque epulas de ore vel manibus raperet, optabilis absentandi caussa me rapit. Ceterum [1] de recentibus, quia præcipitis, & meas par- B tes cedo, & multiplices suas. Utatur paterarum capacitate pro capis: atterat labris phialas, quas circumdet pitaciorum densitate pro circulis. Nam curabo ego quoque, quod eum velle cognosco, cum simile aliquid de vestra benedictione eruero, ad multiplicandas recentes gulæ calenti, si non excogitatur modus in calicibus, ponatur in piscibus.

EPISTOLA LXVI.

Avitus Viennensis episcopus Victorio episcopo.

FActum quod litteris indicastis, levi ad me ante C affatum vestrum rumore pervenerat. Cujus per sanctum Archidiam acerbitate comperta, si credere dignamini, non minus quam vos dolorem vestræ commotionis ingemui. Siquidem satis gravis exempli est, ut nunc sacerdotalis ordinatio a populis regenda dicatur: cum idcirco tantum in consecrandis episcopis plebibus servetur electio, ut assiduitas constitutionis velut per quoddam mandatum electis liceat legere quod videtur. Non autem vos pro novo debetis accipere, quid tribulandis nobis valeat comminisci clericalis nequitia, fulta subsidio insolentiæ sæcularis. Puto sane districtioni ecclesiasticæ filii vestri experi debere consensum, propter illos quorum abusioni consuetudinariæ parum de excom- D municationibus curare decretum est. Litteras quoque quas ad presbyterum illicita præsumentem non minus pie quam regulariter direxistis, inspexi: in quibus vere plus quam persona meruit patientiæ reservastis. Quapropter, licet satis diabolo in tam horribili rebellione licuerit, vos tamen sine aliqua animi perturbatione Dei ac vestram injuriam castigate. Et ne quid in posterum similis ausus arripiat, impensa districtione perspicite.

EPISTOLA LXVII.

Avitus Viennensis episcopus [2] domno Sigismundo.

DUm alii sanctis ac serenis præsentiæ vestræ epulantur, ego sterilitatem desiderii mei sustento magis pauperis officii tenuitate quam ratione. Unde post festivitatem, cunctis quidem semper amabilem, sed nunc Cabilonensibus singularem, famulæ solicitudinis litteras destinavi. Quæ si quantulamcumque particulam laudum vestrarum niterentur attingere, nec hoc quidem sufficienter excolerent, quod eas vel humilitati meæ licet porrigere, vel dignationi vestræ sumere libet. Conjiciens ergo de tantorum lætitia multipliciter vos Deo propitio lætos, peto paschales nobis dies felici reditu faciatis: quia cum in absentia vestra quædam nobis Quadragesimæ perduret austeritas, omnibus catholicis principem Christianum, peculiari servulo piissimum domnum, etiam per solemnitatem vidisse solemne est.

EPISCOLA LXVIII.

Avitus Viennensis episcopus [2] domno Sigismundo.

CElebravimus vobiscum, divinitate propitia, vobiscum, inquam, non loco sed animo, pauperculi Viennenses vestri paschale festivum. Si autem interrogetis & qualiter: quia vicinum quemquam, quia adesse facilius poterat, plus doleat defuisse. Nec tamen, cum ista deflemus, discrepare nos a vestra voluntate dicatis. Jam dudum ab illo, sancte credimus, affectus illic cohibet, non hinc despectus excludit. Unam in utraque civitate vestra ecclesiam perinde diligitis: sed pio patri, in quantum expedit, donec vos ad quamlibet sequi consentiat, adhæretis. Unde sicut jussum est, primum Deo de solemnitate, tum quod debetur solvimus Cæsari. Vos de lætitia vestra & incolumitate solicitis, licet Cæsares sitis, quod domnis exigitis, reddite pietati.

EPISTOLA LXIX.

Ab Avito Viennensi episcopo dictata, sub nomine Sigismundi, [3] ad imperatorem.

SI devotionem nostram qua vobis animo militamus, etiam corporaliter præsentari obex temporum regionumque non patitur, quod tamen habemus in votis, exserere tentamus officiis. Credimus enim toties coram sacris gloriæ vestræ obtutibus intromitti, quoties solicitudinis debitum studio paginæ famulantis offerimus. Nam licet mundum

a III. Reg. xvii. 5.

1. *De recentibus*] Recentes appellat recentis aut recentati, id est ad rigorem redacti, vini potiones, quas Leonianus calente gula frequentabat. Sic epistola LXXVII. *Summa importunitate perago, ut tres recentes aliis plus præsumam.* Fo itaque spectat quod sequitur, *utatur paterarum capacitate pro capis*: quasi dicat, pro vasculis exiguis, pateris bibat capacioribus: ubi *capis* nova inflexione posuit pro capidibus. Capides enim & capulæ apud Varronem, poculi genus, quo deplere vasa olearia solebant. Eodem quoque pertinet quod subjungit, *atterat labris phialas, quas circumdet pitaciorum densitate pro circulis.* Quo loco cui usui forent pitacia, Petronii Arbitri in satyrico verba declarant. *Statim allatæ sunt*, inquit, *amphoræ vitreæ diligenter gypsatæ: quarum in cervicibus pitacia erant affixa cum hoc titulo, Falernum Opimianum annorum centum.* In vasis ergo vinariis, affixi pitaciorum tituli, vi- E ni cujusque patriam, ætatem, pretium & dignitatem indicabant.

2. *Domno Sigismundo*] Scripta utraque post dies paschales, non uno tamen anno. Prior, cum Sigismundus festivitatem illam Cabiloni transegisset: posterior, cum Lugduni eamdem Gundobado patri adhærens celebrasset.

3. *Ad imperatorem*] Anastasium: ab Avito Sigismundi nomine tum scripta, cum Sigismundus officii caussa legatos cum litteris mitteret ad imperatorem. Quod vero militiæ fascibus, aulæque contubernio, & Romani nominis participatione ornatum se scribit, comitivam opinor militarem & patriciatum designat, de quibus dictum est superius. Quo item alludens epistola XXCIII. *Conjicite nunc*, inquit, *quantum debeant quos honoribus fastigatis, quos socios triumphorum omnium successuumque vestrorum, dignitatum titulis applicatis.*

latere nequeat vestra prosperitas, & orbem suum A radiis perspicuæ claritatis illustret: dulce tamen est, si hi quos militiæ fascibus & peculiaris gratiæ pietate sustollitis, quos in extremis terrarum partibus aulæ pollentis contubernio & veneranda Romani nominis participatione ditatis, specialiter gaudia vestræ perennitatis agnoscant quæ generaliter cunctis fama concelebrat. Ornat quippe imperii vestri amplitudinem longinquitas subjectorum, & diffusionem reipublicæ vestræ afferit quod remotius possidemur. Unde suscipite propitii cum obsequio portitorem. Et quamquam universis expetentibus ad honoris apicem sufficiat, si vos merentur aspicere; & nos tamen insinuent quos præsumsimus commendare. Quorum etiam carorum familiariumque per- B sonas, hoc intercurrendi commercio nobis quoque prosore judicantes, desiderii prosiliente compendio in his quos destinamus occurrimus. Illud super omnia deprecantes, ut quia dignatio celsitudinis vestræ oblivisci non potest beneficia sua, pro gratiarum actione qua fungimur, quam primum serenissimi oris responsa mereamur.

EPISTOLA LXX.

Avitus Viennensis episcopus [1] *domno Sigismundo.*

PRæsentia domni patris gloriæ vestræ biduana occupatione detentus aliquatenus portitorem tar- C dius ordinavi, per quem annuum de sancti Vincentii solemnitate servitium consuetudinariæ solicitudinis cura dependerem: & inter actiones quibus vester pro salute nostra labor invigilat, debitus semper animus cultum meritæ devotionis offerret. Sufficit ergo ad consolationem desiderii mei, si omnium nostrum sanitas in vestra post Deum prosperitate consistit. Ceterum non absque scrupulo potest accipi, quod [2] de Sapaudia itineribus exquisitis videmur ad provinciam præteriri.

EPISTOLA LXXI.

Avitus Viennensis episcopus [3] *viro illustri Ansemundo.*

TAntum servulus vester domni nostri recenset, quantum sentio: nondum plene detersa inæqualitate, attentos reddit & anxios: ut pro contemplatione pietatis illius quam festis specialius optare consuevimus, sufficere nobis commoditatem vestram pro omni solemnium jucunditate credamus. Unde servans post cultum Natalis dominici solitæ solicitudinis servitutem, tota nosse vos voti ambitione desidero, si decus commune quod Viennensis ecclesiola præsenti vice non meruit, vel Lugdunensium populorum gaudia duplicavit. Nam si vos, Christo favente, ut ad ecclesiam potuisse procede- E re aut devotionem consuetudinariam rescripseritis implesse, participes redditi lætitiæ vicinorum, epulaturos nos profitemur auditu, si illos quibus præsentia vestra donata est, refectos cognoverimus intuitu.

EPISTOLA LXXII.

Avitus Viennensis episcopus [3] *viro illustri Ansemundo.*

CUm peculiarium vernularum absentando suspenditis vota, facitis nos non ad plenum consequi vel nuntiare votiva. Festis ergo Natalis Domini, in quantum sine vobis potuit, solemniter celebratis, prosperitatem piissimi domni nostri, quam justo desiderio optaveramus videre, tam dignabili alloquio præstolamur agnoscere. Illam plebem refecistis gaudio, istam ditate rescripto: quam per me vester illustret affectus, donec vobis ejus servitium meus præsentet occursus.

EPISTOLA LXXIII.

Avitus Viennensis episcopus viro illustri Valeriano.

COnsuetudinem solicitudinis suæ pietas vestra custodit, nos dignatione pariter ac litteris visitando. Addidistis solemnitati, quam gaudenter Deo præstante suscepimus, & quod spectabatur in votiva cultus consummatione supplestis. Mihi autem de lætitia, in quantum eam cognovero, gratulanti non minus dulce est, post longum tempus absentiæ prospere vos rediisse, quam festa paschalia cum exsultatione transigere.

EPISTOLA LXXIV.

Avitus Viennensis episcopus viro illustri Caertio.

AD domnum communem litterarum servitio destinato, etiam devinctæ mihi sublimitati vestræ officia semper debenda persolvo: suadens, immo quia tantum obduruistis & supplicans, ut stomachos multis Saxoniæ deliciis nausiantes tandem parcioribus iatriæ vestræ jejuniis atteratis. Quod si adeo D nescitis desiderii vicissitudinem repensare, ut nondum vobis videatur absentia vestra sufficere, injuria coactus hoc opto, meque baculo hujus imprecationis ulciscor, ut mutentur præsentiæ vices, & quod Vienna abundat, Cabilonis obtineat. Ut si heic non habemus quod debeat expeti, illic mittamus quod libeat declinari. Et quia quod dico in via est, si adhuc in loco retardatis, excipite: si jam redire disponitis, præterite.

EPISTOLA LXXV.

Avitus Viennensis episcopus viro illustri Helladio.

CUm ad officium vestræ magnitudini deferendum perpetua semper caussa suppetat caritatis, & specialem devotionis observantiam jure debeam obnixæ impensius pietati: nunc tamen desideratam mihi necessitatem ratio festivitatis indixit, ut affectui vestro vel litterarum præsentarer officio;

1. *Domno Sigismundo*] Cabilonem frequentasse Sigismundum ex epistola LXVII. colligere licuit. Idem nunc confirmat annua solemnitas S. Vincentii martyris, quem præcipuo in cultu & honore, ut patronum, habent Cabilonenses. Sed & concilium Cabilonense quod Clodoveo II. regnante convocatum est, in ecclesia S. Vincentii celebratum synodi docet præfatio.

2. *De Sapaudia*] Non quod in provinciam de Sapaudia proficiscentibus rectum iter sit per Viennam: sed quia non magnum est divortium, studio præteritam videri conqueritur.

3. *V. I. Ansemundo*] Aulæ regiæ Burgundionum principi, ad quem epistola XLIX. Scriptæ ambæ post dies Natalis Domini, cujus solemnitati quia rex Viennæ non adfuerat, scire avet, an Lugduni adfuerit. Quo post priorem comperto, posteriorem epistolam adjecit.

qui cuperem & occursu. Idcirco reverentia supplicans debitâ, quam ex voto festa celebraveritis inquiro, Redemtoris nostri inexhaustam deprecans largitatem, ut usque ad ætatem centenariàm sua protectione vos provehat, & ad ornatum nostrum, sicut hactenus fecit, bonis omnibus remuneratos attollat.

EPISTOLA LXXVI.

Avitus Viennensis episcopus viro illustri Riconi.

POst festivitatem in qua de præsentia vel incolumitate domni nostri vota vestra & merita claruerunt, paginis ad ipsum officiis destinatis, jure vobis peculiaribus pectoris mei etiam præsentium litterarum famulatus offertur: per quem nos inter tantos, ut fieri potuit, rerum rumores pascha prospere transegisse significo: sic mihi judicans ejus plenitudinem divini muneris beneficiis proventuram, si vestri quoque colloquii dignationem cum simili prosperitatis agnitione meruero.

EPISTOLA LXXVII.

Ab Avito Viennensi episcopo dictata, sub nomine Leoniani archidiaconi, [1] ad virum spectabilem Sapaudum.

LIcet pompam convivii principalis, marinis deliciis terrestribusque fulgentem, luculento sermone descripseris, incunctanter tamen declarare tuum amorem consuetum est. Securus enim taliter recitas, postquam datam tibi materiam non versibus sed dentibus expedisti: cum in uno prandio, quod vix duobus burdonum terga detulerant, unus venter inclusit: cum in pransu negligens crimen, alvum nimietate concretam pectinibus pexuisti. Quod licet ad insultandum mihi exaggeraffe te pateat, ego tamen constanter affirmo, nullum similem nostri, seu esuriat ille, seu comedat, beatum merito nuncupari. Nam ut de primo quod exposuisti ferculo colloquamur, parvum tibi pœnæ genus putabas afflictum, quod appetitum interioribus inhiantem devorabili tegmine pavus [2] isicio conclusus exclusit, & trepidans accensis faucibus gula aliquantula temporis mora sub [3] docti incisoris pependit arbitrio. Sicque factum est, ut bibendo cibos, pocula ruminando, primam prandii partem esuriens querelis, mediam comedens rapinis, ultimam satur lacrymis exegeris. Nec tibi dixerim profuisse quod defui. Vel id nobis, quantum tibi superfuit, omnibus satisfecit. Nam cum tu in tanta convivii beatitudine deliciatus maxime, tardissime satiatus, vix te possis probare felicem; quid de me misero censeas interrogare præsumo, qui a regalis mensæ abundantia non permittor, & in ecclesiastica frugalitate non saturor: qui sub honoris nomine custodiæ mancipatus, quasi ad primam vocatus & a meliore prohibitus, ne possim fugere jacere compellor: impleor oleribus, & inflor napis: abundo leguminibus, sed quæ tellus, non pontus emisit. Inter hæc qualia fuerint bonæ memoriæ quondam ostrea nec recordor. Si modicum quid vasculo uno minimo semipleno vini pallentis apponitur, & hic modus vel regula custoditur. Jam de cibis taceo: in accipiendis recentibus major est pœna: multa deposcens, aut inediam patior, aut aliquid rapuisse confingor: summa importunitate perago ut tres recentes aliis plus præsumam. Ipsæ etiam pateræ, quas confictis casibus frango, quotidiana reparatione decrescunt. Quapropter laborioso in his tantum insultare desiste: quia cum utrique nostrum quotidianum fatum sit quod quisque sortitus est; tum familiaris miseriæ oblivisci potero, si epulo suo domnus noster sic adesse me jubeat, ut te deesse contingat.

EPISTOLA LXXVIII.

Avitus Viennensis episcopus [4] Apollinari episcopo.

COnfido plane, nec dubito, divino munere communem lætitiam communi præsentiæ nuntiatam. Nam quod & ad vos jam suspicor pervenisse, etiam illi qui vastare limitem dicebantur, reversi sunt. Unde caussa solicitudinis has direxi, ut quæ ad vos postea de cujuscumque securitatis augmento pervenerint indicetis: aut si jam ad civitatem liber recursus a consuetudine vos, immo potius ab amore obsidionis extraxit. Præterea [5] magdaliola illa quæ promisistis, posco ut cum observationis breviculo dirigi jubeatis. Hactenus familiariter: hinc quod restat, quia jam libet, paullo hilarius indicabo. [6] Signatorium igitur quod pietas vestra non tam promittere quam offerre dignata est, in hunc modum fieri volo. Anulo ferreo & admodum tenui,

1. *Ad V. S. Sapaudum*] Diversi ab hoc, ætate non multo inferiores, Sapaudus episcopus Arelatensis, Placidi patricii filius, & Sapaudus abbas qui concilio Aurelianensi V. subscripsit pro Albino episcopo Andegavensi. Leonianus vero, nunc archidiaconus, idem videtur cum Leoniano famulo Maximi episcopi, in cujus gulam ludebat epistola LXV. Convenit enim hominis ingenio & moribus epistola ejus nomine composita. Sed longe diversus & dissimilis, quamvis nec ætate, ut fama est, nec habitatione disjunctus, Leonianus abbas, cujus sepulcrum Viennæ nuper observavimus in suburbana æde S. Petri, cum epitaphio, rudi quidem, sed sancti viri gratia haudquaquam spernendo, in hæc verba.

EPITAPHIUM S. LEONIANI.

Hic vir sanctitate conspicuus in hac urbe Viennensi abbas extitit Sabbaria Pannoniæ ortus, a barbaris captivatus, Gallorum finibus devenit, Augustoduni primum, deinde Viennæ claustro peculiaris cellæ conclusus, quadraginta plus annis tali ordine Christo militavit, tantæ districtionis, ut pene vultu omnibus undequaque venientibus ignotus introvixerit, cum esset verbo doctrinæ multis ad salutem notissimus. Ita ut juxta cellulam suam quamplurimos monachos rexerit, monachos vero ambitu monasterii infra urbem inclusos ad sexagenarium numerum mirabili ordinatione paverit, & disciplinabiliter custodierit.

2. *Pavus isicio conclusus*] Aut sicut ficedula inclusa ovo pavonino apud Petronium, aut pavum dicit isiciatum, sicut pullum isiciatum Apicius minutatim concisum, & in isicium conversum. Apicius lib. VIII. cap. VII. de porcello farsili, *Porcellus hortulanus exossatur per gulam in modum utris: mittitur in eo pullus isiciatus particulatim concisus, turdi, ficedulæ, isicium de pulpa sua*, cet.

3. *Docti incisoris*] Qui scindendi obsonii magister Senecæ, scissor Petronio, Juvenali autem chironomus, a gesticulatione qua obsonia scindens utebatur: de qua & Petronius. *Processit*, inquit, *statim scissor, & ad symphoniam ita gesticulatus laceravit obsonium, ut putares Darium hydraula cantante pugnare*. Quamvis ergo celerrime, & volanti cultello, ut loquitur Juvenalis, dapes erudita manu secaret, lentus avidis Leoniani faucibus videbatur.

4. *Apollinari episcopo*] Fratri, Valentinæ sedis antistiti, ad quem aliæ complures.

5. *Magdaliola illa*] Seplasiariorum officinis notum vocabulum. Magdaleones enim hodieque vocitant teretes cylindros, in quos composita emplastra redigere solent. Scribonius Largus de chirurgi Tryphonis emplastro subviridi: *Dum desinit fervere, manibus subigetur, & redactum in rotundas ampliores quas μαγδαλίδας dicunt, reponetur*. Rogat itaque ut cum magdaliolis quæ promittit, indiculum mittat, qua observatione singulis uti oporteat.

6. *Signatorium igitur*] Anulum signatorium, seu sigillum: cujus formam ac materiam, cum omnibus ornamentis, qualem sibi fieri velit, elegantissime describit.

velut concurrentibus in se delphinulis concludendo, sigilli duplicis forma geminis cardinulis inseratur. Quæ ut libuerit vicissim, seu latitabunda, seu publica, obtutibus intuentium alterna vernantis lapilli vel electri pallentis fronte mutetur. Nec quidem talis electri, quale nuper, ut egomet hausi, in sancto ac sincerissimo impollutæ manus nitore sordebat, cui corruptam potius, quam confectam, auri [1] nondum fornace decocti crediderim inesse mixturam: vel illam certe, quam nuperrime [2] rex Getarum, secuturæ præsagam ruinæ, monetis publicis adulterium firmantem mandaverat. Sed sit ejusmodi color, quem æqualiter ac modeste, ruborem ab auro, ab argento candorem, pretiositatem ab utroque, a ceteris rapientem fulgorem, artificiosa siquidem medioxima viroris commendet amœnitas. Si quæras quid insculpendum sigillo: [3] Signum monogrammatis mei per gyrum scripti nominis legatur indicio. Medium porro anuli, ab ea parte qua volæ clausæ vicinabitur, delphinorum quorum superius capita descripsimus, caudæ tenebunt. Quibus lapisculus ob hoc ipsum quæsitus, oblongus scilicet, & acutis capitibus formatus indetur. Ecce habes quoddam tantummodo speculum dogmatis exsequendi. Nec tamen amplitudinem elegantiæ tuæ sic ad memoratum exemplar coacto, quasi liberum non sit addere quod videtur. Licebit porro supercurrenti ingenio vestro terminos præscriptæ demandationis excedere. In fine autem epistolæ, luteo operi sine quo tamen non transigetur, fæculentus sermo deposcit, ut artificem figulum brevi tenendum e vestigio dirigatis, qui nobis, qualibus strui mensuris crebrati cænaculum furni, vel intra quod spatium fossilis glebæ scrobis sordibus septæ animalium pedibus coctilis cæni glutinum lentari possit, instituat.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 494.

EPISTOLA LXXIX.

Avitus Viennensis episcopus [4] *Apollinari episcopo.*

INnexus pariter ac gravatus vestræ dignatione sollicitudinis, magnitudine muneris, consuetudine pietatis, qua digna vel gratiarum actione, non dicam obsequii sedulitate, respondeam? Nisi forte multipliciter invalidus eadem in hoc sustenter gratia vestra, quæ nos onerat. Concedat vos ornatui ecclesiæ, consolationi & refectioni nostræ omnipotens Deus, ut quia re vera non solum vobis vivitis, per aliorum solatia vestra merita cumuletis. Fecerunt quidem peccata mea non qualemcumque necessitatem, qua nos in die susceptæ festitatulæ nostræ, corporali vestræ pietatis præsentia fraudaremur. Sed reddidistis ac repræsentastis nobis vicissitudinem vestri aspectus in lumine, oris in sermone, tactus in opere. Spero in Dei nostri misericordia, quod non meo tantum tempore, sed etiam secuturo, donum vestræ oblationis ecclesiola nostra venerabitur. Quod sicut ego dum vivo in testimonium inexhaustæ largitatis servare desidero: ita mihi Deus præstet, ut etiam ei quem post me, cum Deus jusserit, electio vestra decreverit, peculiariter auctoritas vestra commendet.

EPISTOLA LXXX.

Avitus Viennensis episcopus [5] *Quintiano episcopo.*

DIu est quod rem valde necessariam, & non sine divina inspiratione a patribus institutam, aut oblivione aut occupatione deserimus. Sed rumpenda sunt interdum vincula necessitatum, ut aliquando impleri possint a præceptore. [6] Conventus ergo quos bis per annum a sacerdotibus fieri seniorum cura decreverat, si bene perpenditis, utinam

1. *Auri mixturam*] *Omni auro*, ut Plinius docet, *inest argentum vario pondere. Ubicumque quinta argenti portio est, electrum vocatur*. Id cum in metallo reperitur, nativum dicitur. Fit autem & cura electrum argento addito: quod si justum modum excesserit, corrumpitur mixtura, qualem in sigillo suo respuit Avitus.

2. *Rex Getarum*] Alaricus, a Clodoveo prostratus: in hoc enim corruit Wisigothorum regnum in Gallia, cujus ruinæ prænuntiam Avitus adulterinam monetam vult fuisse. Visuntur sane nunc etiam Gothici ex electro veteres nummi, adeo pallentes, ut auri minus habere putes quam argenti. Ceterum impressam habent regum suorum effigiem: quod ignorasse, aut tamquam illegitimum dissimulasse videtur Procopius, cum solis Francorum regibus id licuisse, barbaris aliis regibus nefas fuisse, scribit libro III. belli Gothici. De Francis enim loquens, eorumque rege Theodeberto qui provinciæ partem obtinebant, Νόμισμα δὲ χρυσοῦν, inquit, *ἐκ τῶν ἐν Γάλλοις μετάλλων πεποίηνται· οὐ τοῦ Ῥωμαίων αὐτοκράτορος, ἧπερ εἴθισται, χαρακτῆρα ἐνθέμενοι τῷ στατῆρι τούτῳ, ἀλλὰ τὴν σφετέραν αὐτῶν εἰκόνα. καί τοι νόμισμα μὲν ἀργυροῦν ὁ Περσῶν βασιλεὺς ᾗ βούλοιτο ποιεῖν εἴωθε· χαρακτῆρα δὲ ἴδιον ἐμβαλέσθαι στατῆρι χρυσῷ, οὔτε αὐτὸν θέμις, οὔτε ἄλλον ὁντινοῦν βασιλέα τῶν πάντων βαρβάρων. Nummum autem aureum ex metallis quæ sunt in Gallia fabricarunt, non Romani, ut mos est, imperatoris effigiem huic stateri, sed suam ipsorum imaginem imprimentes. Et vero nummum argenteum rex Persarum pro arbitrio cudere solet: effigiem porro suam aureo stateri apponere, neque ipsi fas est, neque alii cuiquam regum barbarorum*. Est apud nos Theodeberti regis de quo Procopius, nummus aureus, mole quidem exiguus, sed probæ notæ, cum ipsius effigie ac nomine, D. N. THEODEBERTUS C.

3. *Signum monogrammatis mei*] Quod in sigillo suo fieri jubet Avitus, hoc idem in denariis suis præceperat Karolus Calvus rex in edicto Pistensi anni DCCCLXIV. cap. XI. *Ut in denariis novæ nostræ monetæ ex una parte nomen nostrum habeatur in gyro, & in medio nostri nominis monogramma*, nempe ut implicitæ & confusæ monogrammatis litteræ adscripti per gyrum nominis indicio legerentur: quo modo in antiquis regum diplomatis cum monogrammate ipsum quoque regis nomen adjectum videre est. Ceterum regis edicto in denariis monetarii, quod mirum est, non paruerunt. Obvii enim sunt, tum ipsius Karoli tum filii ejus Ludovici denarii, in quibus per gyrum monogrammatis non nomen, sed regia dignitas expressa: in Karolo, GRATIA DEI REX: in Ludovico, MISERICORDIA DEI REX.

4. *Apollinari episcopo*] Eidem, gratias agens de muneribus quæ ad ornatum Viennensis ecclesiæ miserat, cum ejus festivitati adesse ipse non posset.

5. *Quintiano episcopo*] In confesso est Quintianum hoc tempore Arvernorum episcopum fuisse. Quare falsa videtur epistolæ inscriptio. Cum enim ad provinciæ Viennensis episcopos scripta sit, ut ad concilium Epaonense veniant, quis locus foret episcopo Arvernorum, qui non modo extra Viennensem provinciam erant, sed extra ditionem quoque Burgundionum? Nam ut Agathense concilium eorum tantum fuit qui Wisigothorum imperio parebant, & Aurelianense primum eorum dumtaxat qui sub Francorum erant potestate: sic ad Epaonense ii tantummodo convenerunt, qui Burgundionum finibus continebantur. Hinc apparet deesse hoc loco epistolam ad Quintianum, cujus sola restat inscriptio: hujus vero, quam ad episcopos provinciæ scriptam diximus, inscriptionem desiderari.

6. *Conventus bis per annum*] Hoc decreverat synodus Nicæna, can. V. *καλῶς ἔδοξεν, ἑκάστου ἐνιαυτοῦ καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν δὶς τοῦ ἔτους συνόδους γίνεσθαι. Recte habere visum est, ut singulis annis, per unamquamque provinciam, bis in anno concilia fiant*. Quo spectans concilium Regense can. VIII. *Statuit ut secundum antiquam consuetudinem, si quies temporum erit, bis in anno conventus agant*. Et Arausicanum I. can. XXIX. *Qui patrum statuta [illegible], quibus bis in anno, quod nobis pro temporum qualitate difficile est, sanctum est concurri*. Ob hanc opinor difficultatem, placuit deinceps synodos singulis annis celebrari: quod apud nos in concilio I. Agathensi statutum, in aliis postea multis repetitum est.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 494.



vel singula post biennia faceremus. Nam & venerabilis papæ Urbis, nobis hanc negligentiam succensentis, mordacia mihi nonnumquam scripta perlata sunt. Unde supplicat per me, si dignamini, ecclesia Viennensis, poscit intermissæ consuetudinis rediviva salubritas, quod hactenus infrequentatum torpuit, excitari. Justum est, quantum reor, ut constitutis prioribus sub communis præsentiæ opportunitate tractatis, nostris simul nobisque, prout ordo collocutionis invenerit, vel insinuemus vetera, vel si necesse est, etiam nostra jungamus. Idcirco cunctos simul poscimus fratres, ut Deo favente octavo Iduum Septembrium [1] in parochia Eponensi adesse dignemini: qui locus, omnium fatigatione perpensa, conventui satis opportunus electus est: sicut & tempus, in quantum potest, ab instantia ruralis operis vacuum, liberiorem cunctis permittit excursum: quamquam ecclesiæ potior caussa intermitti quaslibet terrarum posceret actiones. Supplicamus ergo & quæsumus, testamur, obtestamur, ne quem a dispositione tam sancta obex ullius excusationis abducat, ne quem a tali caritatis vinculo nexus temporaneæ necessitatis impediat. Sed si forte, quod Deus avertat, tanta cuicumque [2] acerbitas corporeæ infirmitatis ingruerit, ut spiritale desiderium carnali vincatur incommodo; [3] duos presbyteros magnæ ac probabilis vitæ, mandati instructione firmatos, fratribus pro se præsentare procuret. Sed tales dignetur eligere, quos episcoporum concilio non minus scientia quam reverentia jure faciat interesse, cum quibus delectet summos pontifices conferre sermonem, quos ad definitiones pro episcopo suo sanciendas subscribendasque, cum fuerit sollertia eligi, sit auctoritas legi. Sed istud non extorqueat nisi summa necessitas. Ceterum dilectionis fraternæ ac pastoralis diligentiæ magnitudo, nisi laboris magnitudine, non probatur. Conjicit enim sanctitas vestra, post hoc longum abusionis nostræ silentium, qualiter aut definiri debeant quæ Deo præstante tractanda sunt, aut quæ definita fuerint, universi ecclesiarum provinciæ nostræ ministri debeant imitari.

EPISTOLA LXXXI.

Avitus Viennensis episcopus domno Sigismundo.

SCio quidem curis atque occupationibus quibus sub ope cælesti pro salute patriæ fideliter excubatis, importune suggeri servitium litterarum. Sed cum præcelsa pietatis vestræ dignatio adeo peculiaris famuli non sit oblita, ut in ipso susceptæ expeditionis procinctu, sensibus meis desiderium sui sancto duplicaret alloquio; quis non intelligat quam A patienter ineptiam tolerabitis, quam clementia provocatis? Unde qualiter sani confortante Deo sitis, solicitus esse præsumo, aut quomodo cœptis spes voti communis arrideat. Illud autem non solum rogo, sed per illam quam a Deo accepistis mihique præstatis, gratiam precor, ut quamquam merito de indictæ fidei firmitate securis nobis, magis impenso cautelæ vestræ munere trepidationi nostræ & ignaviæ consulatis: neque plus cogitetis quod universitas pro vobis devota supplicat, quam quod suspensa formidat. Sed licet pavidi ex conscientia peccatores, incunctabili tamen fide præsumimus, quod etiam si vobis, protegente Christo, hic metus noster risum moverit, vel divinas aures ad donan- B dam nobis felicitatis vestræ lætitiam permovebit.

EPISTOLA LXXXII.

Avitus Viennensis episcopus domno Sigismundo.

VIdetur quidem de divina promissione diffidere, quicumque minus de vestra prosperitate securus est. Sed si animum meum solida dignatione perpenditis, facilem intelligitis veniam ignaviæ meæ pro nimia trepidatione deberi. Quippe cum quicumque veraciter catholicorum nomen usurpant, pervigili prece Deo supplicare nunc debeant, ut vobis vota nostra illibata atque integra relaturis, C & fideliter vicina conjungat, & feliciter adversa subjiciat. Sicque in rerum necessitate multiplici ambifariam vobis Christo propugnante contingat, & pars quæ cupitur, & victoria quæ debetur. Quapropter si memoriæ meæ gratiam de animo vestro nutantem anxietatis tempus imminuit, famulus specialis salutationem quidem deferre non ausus, sed salutem vestram a Domino præstolaturus, satis suspenso attentoque animo servitium præsentis paginæ destinavi, primum de vestra, post de exercitus sanitate solicitus. Unde, licet in Dei nomine per quoscumque transeuntes prospera cognoscamus, potestis tamen piissimi domni conjicere, quantum mihi dulcius erit, sicut me quibuscumque referentibus D pascit illa sancti affectus recognitio, sic me rescriptio lætificet, in qua ad quamdam præsentiæ vicem verba vestra pro conspectibus adipisci, & subscriptionem pro manu merear osculari.

EPISTOLA LXXXIII.

Ab Avito episcopo dictata sub nomine domni Sigismundi regis, [4] ad imperatorem.

NOtum est omnibus, celsitudinem vestram non impedimenta temporum, sed subjectorum vo-

1. *In parochia Eponensi*] Pro Epaonensi. Epao enim plerumque dicitur, quæ alias Epauna. De hoc enim concilio agi certum est: sed incertum hactenus quis locus, & quod illi hodie sit nomen: de quo multi varia conjiciunt. Qui sancti Firmati vitam conscripsit, auctor est illum, Turonibus relictis, pervenisse ad locum, cui nomen Eona super Rhodanum, ibique consedisse. Quod si Eonam ab Epona deflexisse annuimus, ut absurdum certe non est, qui S. Firmati sepulcrum nactus fuerit, a concilii fortasse loco non aberrabit.

2. *Acerbitas corporeæ infirmitatis*] Excusationem quo minus episcopi ad synodum veniant, præter infirmitatem corporis, canones Galliæ nullam agnoscunt. Itaque in hoc ipso Epaonensi concilio, can. I. decretum est, *ut nisi caussa tædii evidentis exstiterit, nullus excuset*. Et in Aurelianensi II. can. I. *ut nullus episcoporum, nisi certa tædii caussa detentus, ad concilium venire penitus ulla excusatione detrectet*. Quare excusationes alias excludere solent, ut divisionem regiæ sortis, concilium Aurelianense III. can. I. *Hanc excusationem sibi noverint esse sublatam, si absentiam* E *suam divisione sortis crediderint excusandam*. Alias omnes concilium Turonense II. can. I. *Præter infirmitatem certissimam, nullius occasione velaminis, neque per impedimentum ordinationis regiæ, neque sub occasione utilitatis aut caussæ propriæ, debeat a concilio separari*.

3. *Duos presbyteros pro se*] Quibus ad concilium venire infirmitatis caussa non licebat, hi legatos vice sua mittebant. Concilium Arelatense II. can. XVIII. *Si quis commonitus infirmitatis caussa defuerit, personam vice sua dirigat*. Et Carpentoratense in epistola ad Agræcium episcopum, *Licet ad synodum aut per vos, aut per personam vicariam, debueritis adesse*. Quamquam ergo duos hos loco exigat, & duos pro uno episcopo vicarios in concilio Arelatensi V. subscripsisse compertum sit; singulos tamen sat fuisse superiora demonstrant. Neque presbyteros omnes mitti necesse fuit, cum ex conciliorum subscriptionibus liqueat, nunc abbates & presbyteros, nunc archidiaconos vel diaconos legari consuesse.

4. *Ad imperatorem*] Anastasium, ut posterior epistola declarat: quam cum initio regni Sigismundi, post obitum

ta metiri. Sub cujus fiduciæ securitate atque lætitia, gloriosissimo principi nostro, qui corpore absumus animo præsentamur. Et quamquam istud famula vestra prosapia mea ex devotione persolverit, me tamen gratiæ debitorem non magis parentalia debita, quam beneficia mihi impensa fecerunt. Vester quidem est populus meus, sed me plus servire vobis quam illi præesse delectat. Traxit istud a proavis generis mei apud vos decessoresque vestros semper animo Romana devotio, ut illa nobis magis claritas putaretur, quam vestra per militiæ titulos porrigeret celsitudo: cunctisque auctoribus meis semper magis ambitum est quod a principibus sumerent, quam quod a patribus attulissent. Cumque gentem nostram videamur regere, non aliud B nos quam milites vestros credimus ordinari. Impartit nos gaudiorum munere vestra prosperitas: quidquid illic pro salute omnium curatis, & nostrum est. Per nos administratis remotarum spatia regionum: patria nostra vester orbis est. Tangit Galliam suam lumen orientis, & radius qui illis partibus oriri creditur, heic refulget. Jubar quidem conspectus vestri contemplatione non capimus: sed lucem serenitatis quam ubique diffunditis, desiderio possidemus. Dominationem vobis divinitus præstitam obex nulla concludit, nec ullis provinciarum terminis felicium sceptrorum diffusio limitatur. Salvo divinitatis honore sit dictum. Non minuit majestatem vestram quod accurrere non omnes valent: sa- C tis ad reverentiam vobis debitam sufficit, quod omnes e propriis sedibus vos adorant. Virtute orbi eoo, felicitate regnatis occiduo: licet vos ubicumque diligi, etiam si non datur omnibus intueri. Sed cum jure istud de universitate dicatur, conjicite nunc quantum debeant quos honoribus fastigatis, quos socios triumphorum omnium successuumque vestrorum dignitatum titulis applicatis; ut sic virtutis vestræ decora nostra sint, & ad honoratorum ornamenta pertineat quidquid gesserit fons honorum. Offero igitur, principum inclyte, litterarum obsequia, vota gratiarum: præstolor oraculum sermonis augusti: ambio si quid sit quod jubere dignemini. Quia etiam si indigere se famulatu no- D stro perennitas vestra non credat, quisquis tamen felici meruerit servire, sibi militat. Offerat ergo supplex orientalium quoque gentium distantia cruditatem: exposcat principari præsulem nostrum. Parthicus ductor, propter pacis commodum, in Romanum imperium gaudeat transire. Indus ipse, post experimenta mansueti oris, stridula voce compressa, leges quibus servire jubeatur Græco cognoscat interprete. Si quis fervor est quo axis meridianus exæstuet, refrigerio temperate, & edomate per reverentiam quidquid ante vos indomitum fuerat per naturam. Incumbentia sibi sceptra religionis invictæ quisquis non optat excipiat. Prorogetur per vos non minus potestate religio, quæ famulantibus populis E ad cælestia pariterque veneranda, & veritatem ad- A struat, & porrigat libertatem: quaque mediante, vobis culmine æternæ salutis innisis, non humano tantum ordine, verum etiam divino amore, longum servire nos deceat.

EPISTOLA LXXXIV.

Ab Avito episcopo dictata sub nomine domni regis [1] *C. S. ad imperatorem Anastasium.*

Quam piæ majestatis judicio serenitas vestra, vel parvipendat impedimenta temporum, vel censeat corda famulorum; nullo indicio meliore cognoscitur, quam quod in sacris apicibus longinquius porrigendis, implet desiderantum vota, & supplicum non exspectat officia. Appetunt occursum vestri omnium mentes: nec tam gloriosum est quod pauci possunt, quam quod cuncti videre vos cupiunt. Quod autem nunc augustæ compellationis affatus debitæ vobis paginæ prævenit obsequium, nihil indevotioni pius arbiter, nihil imputet tarditati. Nisi aditum conatibus nostris obex interjecta suspenderet, jam nunc profecto verbum mundo venerabile responsa potius quam oracula destinasset. Nec tamen remorando mihi tantum nocuit, quantum invidit æmulus livor. Non me quidem legistis officii mei compotem, sed reddidistis pii oris compellatione felicem. Nec interest excipiat nos sermo augustus, an exspectet: a celsissima dignatione tantum est nostra non despici, quantum vestra concedi. Igitur post obitum devotissimi fidelissimique vobis patris mei, proceris vestri, cui ad felicissimos integra prosperitate successus, id quoque contigit divino favore votivum, ut lætam florentemque rempublicam vobis orbem regentibus sciret, vosque dominos nationum placido receptus fine derelinqueret: ad hæc intimanda, vobisque commendanda quin etiam meæ militiæ rudimenta, quæ genitore quidem meo superstite nutristis, sed magis magisque post eum cumulo sacræ dignationis augebitis, sicut debebam vel optare par fuerat, unum de consiliariis meis, qui quantum ad ignorantiam Gallicanam, ceteros præire litteris æstimatur, venerandi comitatus vestri auribus offerebam, specialius securitate concepta, quod [2] rector Italiæ de pace vestra publice plauderet, & rumore disperso redditam sibi orientis gratiam coloraret. Interclusum est ergo atque prohibitum relationibus destinatis iter arreptum. Certe ipsa viderit quid hinc apud augustam lætitiam spectet series veritatis: parvum tamen amicitiæ videtur indicium, eum quem te colere afferas, nolle a ceteris honorari: cum omnes qui vos digno cultu suscipimus, id ipsum a cunctis fieri velle debeamus. Parum enim propriæ devotionis ostendit, si quis occurrendi libertate damnata, alios quoque facere studeat indevotos: cum tamen sanctitas cælestis ingenii nequeat censere culpabilem, quem vel sola voluntas reddiderit innocentem. Un-

Gundobadi patris, exaratam significet, confirmat in digerendis epistolis Aviti ordinem temporum observatum non fuisse. Conqueritur autem de rege Italiæ, qui legationem quam mittebat ad imperatorem, progredi non permiserat.

1. *C. S.*] Comitis Sigismundi.

2. *Rector Italiæ*] Theodericus, qui pacem hanc per legatos ab Anastasio expetiit, ut est in epistola 1. Variarum Cassiodori. *Oportet nos, clementissime imperator, pacem quærere, qui caussas iracundiæ noscimur non habere.* Et post alia: *ut sinceritas pacis, quæ caussis emergentibus cognoscitur fuisse vitiata; detersis contentionibus, in sua deinceps firmitate restituta permaneat.* Ad hanc pacem alludens senatus Romanus, Anastasium sic affatur in litteris suis, quæ intextæ sunt epistolæ Hormisdæ: *Proinde*, inquit, *piissime imperator, hoc senatus adjunxit, ut qui animo quam benigno in utraque republica concordanda fuisti, tam esse pio in ecclesia redintegranda unitate noscaris.* Hujus quoque pacis exemplo, pacem Totilas expetit ab Justiniano apud Procopium lib. III. belli Gothici, *αἰτούμεθα σὲ ἐκ τῆς εἰρήνης ἀγαθὰ, σέ τε προσίεσθαι αὐτὸν, καὶ ἡμῖν ξυγχωρεῖν· ὧνπερ μνημεῖά τε καὶ παραδείγματα κάλλιστα ἔχομεν, Ἀναστάσιον καὶ Θευδέριχον. Bona pacis ut tute amplectaris nobisque concedas, deposcimus: quorum monumenta & exempla pulcherrima habemus, Anastasium & Theodericum.* De hac denique cum sibi plauderet Theodericus, eamdem heredi, ut cum principe orientali habere studeret, commendavit. Jornandes de rebus Geticis: *Athalaricum, filium filiæ suæ Amalasuentæ, regem constituit, eisque in mandatis dedit, ac si testamentali voce denuntians, ut principem orientalem placatum semper propitiumque haberent.*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 494.



de evidenter ipſum videtis allegare quid cuperem, qui tam ſolicite conatus eſt impedire ne poſſem. Itaque quoniam divino veſtroque munere & ſacri apices & opportuni proveniunt quam diſcrepat (*): orant augmentum regni veſtri quibus nova profertis, optant cuſtodiam quibus conſueta ſervatis. Sic pii moderamine gubernaculi, remedia quidem altera conquiſivit, & ſi repulſam neutra pars pertulit. Inter hos tamen peculiarius illud ego debeo, quod hujus petitionis effectum reſpectui meo præſtitum ſupplicantes (*). Quantum peculiari ſervo impenderitis gratiæ, gratis præſtando monſtraſtis: ſolaque ob hoc commodum in theſauris veſtris mercede repoſita, quod pauperibus donabatis, non pretio voluiſtis conſtare, ſed præmio. (*) Et hoc ipſum qua elegantia digne B meretur, reddere quod a famulis oblatum fuerat, quam ſpernere maluiſtis, & quo lætius fieret donum, contriſtare voluiſtis obſequium? Et licet quidquid ad manus veſtras pervenit, vergatur in pauperes, atque idcirco ille vos forſitan dehortetur accipere qui invidet erogare: ſubminiſtrare tamen retributionis divinæ, unde & diſpenſetis cum egent inopes, & concedatis cum ſupplicant debitores. Currite quapropter piiſſimi via gemina veſtri operis unitate. Numquam ſi creditis ſufficientia deerit animo tali: ipſo poſſibilitatem largiente, unde præſtetur habetis, a quo voluntati infuſum eſt ne aliquid negare poſſitis.

EPISTOLA LXXXV.

Avitus Viennenſis epiſcopus viro illuſtri Heraclio.

NIſi dolendum amici caſum animo concuſſus gemerem, multa profecto exaggerarem, quod vos in lectulo, mendacis podagræ metu, medico vegetante de arte conſueta, plus quam poeticæ pedibus innitentes, montium ſcandendorum magis moveat, cura, quam verſuum. Mæſtus vero has & cum feſtinatione dictavi: revocatus videlicet ad ſepulturam communis filii quondam Protendi: ſi tamen vel hoc ipſum patri aliquid conſolationis impendat. Vobis porro ſi cordi eſt facta de nobis ex aſſe jactura, ab incurſibus formidandis Rhodano limitante muneri tenete adhuc dum redeo, & Ceratium noſtrum, de meo habentem aliqua, de veſtro nonnulla, qui a me ſcholaſticum, a vobis afferit bellicoſum: ſumens de matris ſapientia quod libenter barbaros fugit, de virtute paterna quod litteris terga non præbuit.

EPISTOLA LXXXVI.

Reſcriptum viri illuſtris Heraclii.

INdicaſtis quidem tantum doloris cauſſam, qua epiſtolaris officii reſponſio clauderetur, & duriſſimo nuntio vulnus inflictum plus me lacrymis cogeret ſervire quam litteris: tamen metuens ſilentii culpam, vel pauca ſuſpiriis meis, ut potui verba furatus ſum. Probant igitur tempora, cui rectius A adſcribatur nota formidinis, quem magis trepidum proviſio clauſtris commiſſa deſignet. Ergo urbis caveas dedignatus, inter vicina diſcrimini conſtantiam pectoris planis expoſui, & jam diu ad patentium locorum æquora perveni, rem ut virtutis audaciam libertate habitationis oſtenderem. Vos autem, rumore comperto, ad ſepta urbis tamquam venturo æmulo convolaſtis: & quem pacis diebus jugiter rura tenuerunt, nunc de mortuorum latebris non educunt. Enimvero quam vos tunc civitas flagitabat, tam nunc intra mœnia collocatos quærit relicta poſſeſſio.

EPISTOLA LXXXVII.

Domino ſanctis meritis præcellentiſſimo, in Chriſto glorioſiſſimo, & apoſtolica ſede digniſſimo, [1] papæ Hormiſdæ Avitus.

DUM religionis ſtatui & plenis catholicæ fidei regulis perſpicitis convenire, ut gregem per tota vobis univerſalis eccleſiæ membra commiſſum pervigil cura veſtræ adhortationis informet; Viennenſem provinciam ſuperiore anno, ſi meminiſſe dignamini, datis ad humilitatem meam litteris viſitaſtis, quæque ad me, ſecundum quod opportunitas oblata contulerat, per Arelatenſis eccleſiæ clericos pervenerunt, & quidem pleniſſimæ ſolicitu- C dine paſtorali. In quibus nos, ſicut per converſionem provinciarum, id eſt Dardaniæ, Illyrici vel Scythiæ, ad communionem gaudiorum provocatis, ſic admonitione cautiſſima quid nos per ignorantiam prævenire poſſit, inſtruitis. Eutychetis igitur Neſtoriique damnatio, quos jam dudum per beatiſſimos deceſſores ſanctæ ſedis veſtræ calcavit auctoritas, ad notitiam jam pridem noſtram apoſtolicæ ad nos diligentiæ proviſione perlata eſt. Sed illud nos modo ſuſpenſos multum redigit & anxios, quod cum pendere nos ad effectum [2] legationis ſecundo Conſtantinopolim deſtinatæ omni exſpectationis ſtudio juſſeritis, nec quid filius veſter ſanctus frater meus Ennodius retulerit, nec utrum ſecuta redierit D indicaſtis, & promiſſionem veſtram tanta ſilentii diuturnitate ſuſpenditis, ut non minus modo prædicatoris taciturnitas reddat attonitos, quam antea fecerat legationis mora ſuſpectos. Unde ſola hæc cauſſa ſervos veſtros filios meos, Alexium presbyterum & Venantium diaconum, totius provinciæ Viennenſis nomine, quæ eccleſiæ ad me pertinenti ab univerſis deceſſoribus veſtris & apoſtolica ſede commiſſa eſt, cum præſentis famulatus pagina deſtinavi: per quos oraculo beatiſſimæ reſponſionis agnoſcam, utrum fervor ſchiſmatum præfatorum qui intra Conſtantinopolitanam urbem vitio pernicioſæ obſtinationis exarſerat, cuique, quod magis dolendum eſt, Alexandrinam vel Antiochenam eccleſias E dicitis illigatas, vobis Chriſto favente docentibus, digna fuerit correctione reſtinctus, aut ſi reverſa legatio in paginis evidentibus quod ſimplex legeretur exhibuit, an forte nuntio magis retulit, unde de vobis ad hoc qualiſcumque ſuſpicio reſervetur. Veremur enim, ne pontificale judicium, dum non

1. *Papæ Hormiſdæ Avitus*] Hanc epiſtolam codex Aviti quo uſi ſumus, non habuit. Intexta olim fuerat epiſtolis Hormiſdæ, unde huc illam tranſtulimus, cum Hormiſdæ ipſius reſponſo: qui eamdem præterea, in epiſtola XI. Anaſtaſio ſcribens, deſignat his verbis. *Pendent*, inquit, *anxia corda cunctorum: ab ultimis ad nos Galliis directa legatio, ſi quid de unitate redintegrationis ſolicitudo noſtra promoviſſet forma ſecuta conſuluit.*

2. *Legationis ſecundo Conſtantinopolim deſtinata*] Bis quidem Conſtantinopolim ab Hormiſda miſſus eſt Ennodius, ſed unica, cum Avitus hæc ſcriberet, legatio præceſſerat. Ideo illi reſpondens Hormiſda: *Legationis*, inquit, *noſtræ, quam ſemel, non ſecundo ſicut ſcribitis, miſimus, ſi votivus contigiſſet eventus, alacres illico vobiſcum fueramus deſiderata partituri*. Prior enim legatio Ennodii Florentio conſule contigit, anno Chriſti DXV. quam cum irritam feciſſet Anaſtaſii imp. perfidia & diſſimulatio, poſterior adiecta eſt III. Nonas Aprilis Agapito conſule anno Chriſti DXVII. quo ipſo anno Aviti epiſtolæ menſe Februario reſponderat Hormiſda. Quare ſecundam legationem, quæ tum adhuc parabatur, jam profectam in orientem falſa Viennam fama pertulerat.

indicat prospera, sensisset adversa. His adjicitur, quod diversorum fida relatione comperimus, de reconciliatione vel concordia ecclesiæ Romanæ jactitare se Græciam: quod sicut amplectendum, si veraciter dicitur, ita metuendum est ne callide simuletur. Quæsumus ergo servitio meo * cuncti, ut quid filiis vestris fratribus meis, id est Gallicanis, si consular respondere debeam instruatis: & quia securus, non dicam de Viennensi, sed de totius Galliæ devotione polliceor, omnes super statu fidei vestram captare sententiam: orate ut sic nos perditorum professio fucata non fallat, sicut ab unitate quam regitis veritas comperta non separat. Accepta III. Kalendas Februarii, Agapito consule: per Alexium presbyterum & Venantium diaconum.

* In Labbei edit. concil. *juncto*.

EPISTOLA LXXXVIII.

Hormisda Avito episcopo, vel universis episcopis provinciæ Viennensis, sub tua diœcesi consistentibus.

QUI de his quæ ad disciplinam catholicam pertinent maxime sciens instrui cupit, quid studii circa mandata divina habeat evidenter ostendit. Non enim potest esse hujusmodi cura, nisi ubi fides fuerit infucata. Atque ideo exsultamus a sinceritate propositi tui, dilectissime frater, dum te secundum directas per Alexium presbyterum atque Venantium diaconum litteras intuemur, & de impiis transgressoribus Eutychete atque Nestorio sedis apostolicæ constituta recolere, & si quid adversum eos admonitio nostra promoverit per quos orientales ecclesiæ confunduntur, inquirere. Digna plane solicitudo fidelibus, ut de miserorum lapsibus ingemiscant, & ipsi ne aliena polluantur contagione provideant. Sed ne nos quidem hoc supersedisse credatis, ut ad notitiam vestram, si quid actum fuisset, competens perferret instructio. Verum breviter silentium nostrum, quod dilectio mordet vestra, purgamus. Nam quod non sæpius nostra admonitio vos frequentat, de conscientiæ vestræ & fidei stabilitate confidimus. Solicitudo impendenda fortasse sit dubiis: satis est vitanda indicasse perfectis. Legationis vero nostræ, quam semel, non secundo, sicut scribitis, misimus, si votivus contigisset eventus, alacres illico vobiscum fueramus desiderata partituri: scientes hoc rationi, hoc nostro proposito convenire, ut quos participes solicitudinis fecimus, cum his reintegratæ unitatis gaudia jungeremus. [1] Sed quantum ad Græcos, ore potius præferuntur pacis vota, quam pectore, & loquuntur magis justa, quam faciunt: verbis velle se jactant, quod operibus nolle declarant: quæ fuerint professi negligunt, quæ damnaverint hæc sequuntur. Nam unde est, quod cum per Ennodium fratrem & coepiscopum nostrum, sacerdotales viros ad confirmanda ea quæ sedes apostolica poposcerat, directuros se esse promisissent, multa quoque quæ ad correctionem pravitatis suæ a nobis quæsita fuerant pollicentes; non solum non religiosos viros penes quos caussæ ipsius plena esse posset instructio, secundum constituta propria non miserunt; verum etiam, quasi res parva gereretur, [2] laicos & alienos ab ecclesiastico corpore destinantes, non se studuerunt de cœno quo immersi tenentur, evolvere, verum etiam catholicæ fidei * claritate fulgente, sua quod absit se posse crediderunt obscuritate fuscare. Hæc fuit nostri caussa silentii, quam vos quoque spirituali vobis prudentia revelante vidistis. Quid enim de hac caussa poteram directis litteris indicare, quam in statu suo videbam duram pertinaciter custodire perfidiam? Novi exitus * solicite diligentiam relationis inquirant: qui de rebus cognitis nihil indicat, abunde in statu suo manere priora declarat. Quapropter, dilectissime frater, & vos præsentibus hortamur alloquiis, & per vos quoque, quia occasio data est, alios per Gallias quos fides eadem nobiscum amplectitur, admonemus promissam & amabilem Deo fidei servare constantiam, & transgressorum societate declinata, constantiam vestram [a] uni viro virginem castam, sicut spopondistis, exhibere Christo, & cavere ne [b] sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita sensus aliquorum corrumpantur a simplicitate & castitate quæ est in Christo Jesu. Perniciosa sunt blandimenta nocentium, atque ideo vigilare vos convenit: quia [c] adversarius salutis humanæ, sicut leo rugiens circuit, quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide: quia hoc speciale habent patris sui de cæli arce dejecti, qui vestigia ejus sequuntur & diligunt, ut illa veritatis luce privati, & alios gaudeant sua obscuritate fuscari: & cum perversitatis suæ pœnas luituros esse se sciant, exsultent si miseros cum sua condemnatione conjungant. Nam unde est, quod cum pro magna parte a conterminis suis Thracibus, Dardanis, Illyricis, cognita eorum perversitate deserantur, procul positos ignorantiæ spe, fraudibus aut variis artibus nituntur allicere, nisi ut lucem quam ipsi non habent, in aliis quoque impia contagione commaculent? Ut autem quæ sint partium earum studia possitis agnoscere, plures Thracum, licet persequentium incursibus atterantur, in nostra tamen communione persistunt, scientes fieri fidem per adversa clariorem. Dardania & Illyricus vicina Pannoniæ, a nobis, quod jam fecimus ubi necessarium fuit, ut sibi episcopi ordinarentur expetiit. In tantum se a consortio perditorum separare gaudentes, ut remedia quærerent, dummodo commune cum transgressoribus nil haberent. Epiri metropolitanus, hoc est Nicopolitanus episcopus, cum synodo sua nuper segregatus ab impiis, ad apostolicam communionem depromta, quæ efficeret, professione se contulit. Quæ ideo scriptis æstimavimus indenda præsentibus, ut sicut fortem nos convenit dolere pereuntium, ita lætemur pariter de salute remeantium: & ut fideles constituti ab eis longius instruantur, qua virus eorum solicitudine debeat effugi, quos & a suis videant tam justa detestatione vitari. Et nos quidem dispensationis nostræ memores, necesse est eos repetitæ legationis officio convenire: quod si affectu salvationis suæ,

* Labbeus *claritatem fulgentem*.

* Labbeus *solicitæ*.

a II. Cor. XI. 2. *b* Ibid. ✝. 3. *c* I. Pet. V. 8.

1. *Sed quantum ad Grecos*] Hoc docent Anastasii ad Hormisdam epistolæ, in quibus doli & fallaciæ plena omnia: docuit & secundæ hujus legationis exitus, multo quam prioris acerbior & contumeliosior. Quare frustra illo superstite pacem & concordiam ecclesiarum tentavit Hormisda, quam ab Justino ejus successore confestim obtinuit. Tam infestum se porro, postquam in Eutychianam hæresim aperte desiliit, orthodoxis omnibus exhibuit Anastasius, ut illum inter præcipuos ecclesi hostes numerare non dubitet Nicolaus I. in epistola ad Michaelem imp. *Cogitate quid imperatores qui persecuti sunt ecclesiam Dei, & maxime ecclesiam Romanam, id est Nero, Diocletianus, Constantius, Anastasius & ceteri moris eorum pertulerint, & ubi modo sint attendite diligenter, & quantum sit in ecclesia Dei exsecrabilis fama eorum & nomen detestabile, sapienter advertite.*

2. *Laicos & alienos ab ecclesiastico corpore*] Theopompum & Severianum, quorum officia & dignitates designat ipse Anastasius ad Hormisdam scribens: *Commendationis itaque loco, vel salutationis honore reddendo, Theopompum V. I. comitem domesticorum, agentem sacri palatii scholam, & Severianum V. C. comitem sacri consistorii, ad vestram direximus sanctitatem.*

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 494.

si respectu Dei, si rationis intuitu non moventur, saltem pulsantibus importune & pertinaciter acquiescant; & aut ad rectam viam declinatis erroribus revertantur, aut propter impœnitens cor ab omnibus inexcusabiles judicentur, qui & moniti toties in perfidiæ obstinatione persistant. Vos orate, & nobiscum ad Deum preces & vota conjungite, ut per opem misericordiæ ejus, nostra actio laborans pro catholicæ fidei stabilitate promoveat, immaculatos vos & integros ab omni transgressorum societate servantes, ut aut cum correctis sensus & corda jungamus, aut ab eorum venenis intacti esse mereamur. Nam qui, sicut vos quoque conscien- B A tiam vestram non latere testamini, novimus Eutychetem atque Nestorium, apostolicæ, id est, catholicæ sententiæ auctoritate damnatos, quemadmodum salvi esse poterimus, si eorum sectatoribus ac posteris, qualibet parte communionis hæreamus, cum Belial cum Christo nostro portionem habere non possit? Instructionis autem vestræ interesse credimus, ut ea quæ apud nos a Nicopolitanis vel Dardanis acta sunt, vel quo in communionem ordine sint recepti, vobis nota faceremus ipsarum lectione chartarum. Data xv. Kalendas Martias Agapito consule.

ALCIMI AVITI

EPISCOPI VIENNENSIS

[1] HOMILIA DE ROGATIONIBUS.

Unde consuetudo Rogationum processerit.

CUrrit quidem tramite vitali, non per Gallias tantummodo, sed pæne per orbem totum Rogationalis observantiæ flumen irriguum, & infectam vitiis terram uberi fluxu annuæ satisfactionis expurgat. Peculiarior tamen nobis in hac ipsa institutione servitii & gaudii caussa est, quia quod hinc modo ad cunctorum utilitatem defluit, ex nostro primitus fonte manavit: & forte nunc pertineat ad cujuscumque privilegii ornatum sumtæ primitus institutionis exordium. Ceterum cum ad hujusmodi humilitatem ineffabilis necessitas rigida Viennensium corda perdomuit, sentiens ecclesia nostra caussam ægritudinis suæ, non sibi quasi maxime præ omnibus, sed quasi soli ex omnibus existimans opus esse instituenda observatione præsenti, solicitius captavit remedium, quam primatum. Et quidem terrorum temporis illius caussas multos nostrum recolere scio. Siquidem incendia crebra, terræ motus assidui, nocturni sonitus, cuidam totius orbis funeri prodigiosum quoddam bustuale minitabantur. Nam populosis hominum concursibus domestica silvestrium ferarum species obversabatur; Deus viderit an ludificans oculis, an adducta portentis. Quidquid tamen ex iis duobus foret, perinde monstruosum intelligebatur, seu sic veraciter immania bestiarum corda mansuefieri, seu tam horribiliter conspectibus territorum falsæ visionis phantasmata posse confingi. Inter hæc diversa vulgi sententia, dispariumque ordinum variæ opiniones. Alii quod sentiebant dissimulando, quæ fletui nolebant dare, casui dabant: alii spiritu salubriore, abominabilia nova * quoque congruis malorum proprietatis significationibus interpretabantur. Quis enim in crebris ignibus imbres Sodomiticos non timeret? quis trementibus elementis, aut decidua culminum, aut disrupta terrarum imminere non crederet? quis videns, certe videre se putans, pavidos naturaliter cervos per angusta portarum usque ad fori lata penetrantes, non imminentem solitudinis sententiam formidaret? Quid multis? Tracta sunt hæc inter timores publicos & rumores privatos usque ad imminentem solemnium vigiliarum noctem, qua celebrari festum dominicæ resurrectionis annua consuetudo poscebat. Siquidem hanc omnes, laborum opem, malorum finem, metuentium securitatem, communibus animis opperiebantur. Adfuit ergo nox illa venerabilis, quæ ad spem publicæ absolutionis votivum solemne patefecerat. Sed mox illic multo vehementior strepitus ictu flagelli gravius ferientis intonuit: utpote quem jam emensis gradibus, superlativum nihil sequi aliud quam chaos intelligeretur. Ædes namque publica quam præcelso civitatis vertice sublimitas immensiter fastigiata prætulerat, flammis terribilibus conflagrare crepusculo cœpit. Interpellatur itaque nuntio discriminis jucunditas solemnitatis: pleno timoribus populo ecclesia vacuatur. Omnes namque similem facultatibus vel domibus propriis casum de quadam præminentis incendii arce metuebant: Perstitit tamen coram festivis altaribus invictus antistes, & calorem fidei suæ accendens flumine lacrymarum, permissam ignibus potestatem incendio abscedente compescuit. Desperatione deposita reditur ad ecclesiam, & restincta flammarum luce clarescit luminum pulcritudo. Nec sane ulterius trahitur de arripiendo compunctionis medicamine mora. Prædecessor namque meus, & spiritalis mihi a baptismo pater, Mamertus sacerdos, cui ante non paucos annos [2] pater carnis meæ accepto, sicut Deo visum est, sacerdotii tempore successit, toras

* In edit. Gagnei quaque.

1. *Homilia de Rogationibus*] De hac Homilia Gregorius Turon. lib. II. Historiæ, cap. XXXIV. *Refert Avitus in quadam homilia quam de Rogationibus scripsit, has ipsas Rogationes quas ante Ascensionis Domini triumphum celebramus, a Mamerto ipsius Viennensis urbis episcopo, cui & hic eo tempore præerat, institutas fuisse, dum urbs illa multis terreretur prodigiis*, cet. Multas hujus argumenti ab Avito habitas homilias fidem faciunt Flori diaconi Excerpta, in quibus sententiæ proferuntur ex sermonibus die primo, secundo & tertio Rogationum. Quin & his plures numero fuisse crediderim, sed a Floro propterea neque hanc in qua versamur, neque alias commemorari, quod in illis nulla Paulli epistolarum fieret mentio. Quæ in hac editione nostra discrepant a Gagneiana omnium prima, veteri exemplari debentur ex quo depromta sunt.

2. *Cui pater carnis meæ*] Is fuit Isicius sive Hesychius: Ado Viennensis in Chronico: *Avitus*, inquit, *Viennensis episcopus, eloquentia & sanctitate præcipuus, cujus frater Apol-*

in ea quam supra diximus vigiliarum nocte sancto paschæ concepit animo Rogationes: atque ibi cum Deo tacitus definivit quidquid hodie psalmis & precibus mundus inclamat. Revoluta ergo solemnitate paschali, non jam quid, sed quomodo aut quando fieri debeat, secreta primum collatione tractatur. Putabatur a quibusdam Viennensis senatus cujus tunc numerosis illustribus curia florebat, inventis non posse addici, cum vix adquiesceret legitimis inclinari. Sed pius ac solicitus pastor, sapientiæ salibus largus, mansuefaciendarum ovium prius orando animum, quam perorando mollivit auditum. Pandit igitur dispositionem, indicit ordinem, exponit salubritatem: & viro tam religiosi quam sollertis ingenii parum fuit, si obedientibus propositum tantummodo institutionis promeret, nisi inter initia etiam vinculum consuetudinis adsignaret. Inspirante igitur compunctorum cordibus Deo, auditur a cunctis, confirmatur, attollitur: eligitur tempori triduum præsens, quod inter Ascensionis sacræ cultum diemque dominicum, quasi quodam opportunitatis propriæ limbo circumpositis solemnitatibus marginaretur. Explorante autem episcopo fervorem inchoationis, & maxime verente, ne ob tardam populi sequacitatem, paucioribus eductis observatio ipsa confestim in sui novitate revilesceret; ad basilicam quæ tunc mœnibus vicinior erat civitatis, orationem primæ processionis indicit. Itur celebri alacritate, copiosa multitudine, maxima compunctione: ut re vera populi lacrymis laboribusque brevis atque angusta processio videretur. Ubi vero sanctus sacerdos de minorum effectu majorum indicia collegit, sequenti die institutum est, quod nunc primo, id est crastino, si Dominus annuit, die laboraturi sumus. [1] Sequutæ sunt succiduo tempore quædam ecclesiæ Galliarum rem tam probabilis exempli: sic tamen, quod hoc ipsum non apud omnes iisdem diebus quibus penes nos institutum fuerat, celebraretur. Nec porro magni intererat quod triduum eligeretur, dummodo psalmorum officia lacrymarum functionibus annuis persolverentur. Tamen cum dilectione rogationum, etiam sacerdotum crescente concordia, ad unum tempus, id est ad præsentes dies, universalis observantiæ cura concessit. Porro autem eo attinuit ista præfari, ut, seu recolentibus hæc seu ignorantibus forte retulimus, omnes tamen attendant, quod ecclesia quæ misit aliis formam institutionis, multipliciter est debitrix ostendendæ alacritatis, & prima debet esse compunctionis officio, quæ in re tam necessaria omnibus facta est mater exemplo. Unde imminere nunc, si Deus annuit, rogationum nostrarum operosissimam festivitatem, non quasi nescientibus indicimus, sed quasi exspectantibus commendamus. Quia licet non absque labore constet servanda professionis ipsius consuetudo, delectat tamen asperitas medicaminis, in quo frequenter inveniri probata est spes salutis. *Si dixerimus*, inquit Apostolus [a], *quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus*. Et si confiteri debemus assidue nos peccare, opus est confitendi officio, humilitate pœnitendi. Præsertim cum plebis adunatæ compunctio sic ad incitamentum boni operis possit aptari, ut rebellis magis convenientius erubescat, si cunctæ multitudini propriæ mentis solitudine contradicens, peccata sua vel vitia cum populo flente non defleat. Necessaria est igitur boni operis conspiratio. Sumit alter ex altero, aut de humilitate exemplum, aut in confessione solatium. Periculosius agitur singulare certamen, in quo vires altrinsecus experiri posse paucorum est. At vero, cum contra hostem communem multitudinis pugnat assensus, trahit etiam timidum militem virtus aliena. Robustis bellantibus infirmitas delitescit, & quodam unitatis suffragio laus fit invalidis, in exercitu fortium computari. Denique cum victoria contigerit, totis adquiritur: & cum paucorum dextra pugnaverit, omnium gloria triumphavit. Hoc dico de infirmitate communi, quæ si se rogantibus non subtrahat etiam cum ipsa per se minus fecerit, non tamen ad integrum fructu carebit. In illa gloriosa & admodum singulari historia Ninivitarum, contra exsertum commotæ divinitatis gladium, juncta seniorum viribus etiam infantilis ætas pugnare compulsa est. Humani quoque mercedem & gratiam jejunii pecorum fames adauxit. Quin & ipsa irrationabilis creatura quæ offensam timere non potuit, quodam modo veniam postulavit. Et quia homines in morem animalium vivendo peccaverant, rursus animalia sua quasi homines jejunare coegerunt. Propter hanc ergo discretionem, in evangelio Dominus ait: [b] *Petite & accipietis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis*. Petere enim docti est, quærere devoti: petit sciens, quærit nesciens. Cum petis, vis accipere quod intelligis: cum quæris, adhuc conaris invenire quod petas. Ideo qui jam superiores sunt, orando petant: qui infirmi, laborando quærant. Porro autem pulsare commune est. Nullus quippe obstructum aditum vocibus pulsat: istud ad manus pertinet, & corporis actus est. Petat ergo scientia, quærat amor, pulset operatio, maxime in observatione præsenti. Festivitas siquidem est, cujus jocunditas tota sola sobrietas, cujus epulæ lacrymæ, cujus pastus esuries est: cujus principium ex necessitate, perseverantia in dilectione, actus in requie, requies in labore: cum tota ista observantia confessio pœnitendi pro culpa sit, & rogandi pro venia. Etiam vero evangelica præsens lectio utilitatem supplicationis exposuit, dum in navi Dominum dormientem chorus discipulorum sub tempestatis strepitu trepidus suscitaret [c]. Neque porro aliud fuit in tanto repugnantium sibi invicem ventorum fluctuumque conflictu, sopitum profundius Dominum nostrum interrita quiete jacuisse, nisi ut ad eum inter discrimina quæ patimur, timoris nostri caussa confugeret. Assiduo nos ictu tempestas ista fatigat, impulsu terribili contra nos tonitrus sæculi clamat, scintillantibus ad punctum radiis mundana commo-

a I. Joan. I. 8. b Matth. VII. 7. c Matth. VIII. 24.

linaris Vasentiæ episcopus, miraculis insignis, Isicii senatoris primum viri, postea Viennensis episcopi, duo lumina clarissimi filii. Senatorem se Romanum Avitus quoque filius, & in episcopatu successor, professus est in epist. XXXI. In eadem Viennensi cathedra postea sedit Isicius alter, qui in concilio Aurelianensi V. & in Parisiensi III. subscripsit.

1. *Sequutæ quædam ecclesiæ Gallicanæ*] Prima omnium, aut inter primas ecclesia Arvernorum, teste Sidonio lib. VII. epist. 1. ad Mamertum ipsum Rogationum auctorem. Mox tota Gallia imperatæ & observatæ: tum in regno Francorum, quod Gothicum jam regnum occuparat, decreto concilii Aurelian. I. can. XXVII. *Rogationes, id est Litanias, ante Ascensionem Domini ab omnibus ecclesiis placuit celebrari*. Tum in regno Burgundionum, quo reliqua fere pars Galliæ continebatur: quod patet ex can. VI. concilii Lugdunensis II. *Placuit etiam universis fratribus, ut in prima hebdomada noni mensis, hoc est ante diem dominicam quæ prima in illo mense illuxerit, Litaniæ sicut ante Ascensionem Domini sancti patres fieri decreverunt, deinceps ab omnibus ecclesiis seu parochiis celebrentur*.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 494.

tio non illuminat sed corufcat. Ecclefia eft navis, quæ nos per varios cafus velut inter marinos gurgites ducit. Aures quidem noftras obtrectationibus & blafphemiarum ftridore, quafi laxata laterum compage, reverberat; fed puppim veritatis foliditate conftructam penetrare non poteft quod fatigat. Et quià promifit Dominus nofter ecclefiæ, [a] *Ecce ego vobifcum fum omnibus diebus ufque ad confummationem fæculi*; in navi quidem eft in qua fumus, fed metuere jam non poteft quod timemus. Poft refurrectionem enim afcenfionemque fuam totus inter pericula noftra requiefcit. Alienæ magis formidini opus eft, ut qui fecurus jacebat evigilet. Clametur ergo vocibus fupplicationis: &, fi ingravante periculo necdum audit, pulfetur manibus largitatis, & dicatur ei; [b] *Exfurge, quare obdormis Domine, oblitus inopiæ & tribulationis noftræ?* Dicturus eft quidem expergefactus, [c] *Cur timidi eftis modicæ fidei?* Reddat falutem, & increpet infirmitatem. Et fi parva fides eft, quia timemus A fæcularia; eft tamen aliquantula, fi recurramus ad Dominum. Non autem timeretur coram ipfo, fi ipfe timeretur. Sed minima confcientia recti maxima cauffa trepidandi eft, in noftra præcipue vita, cui criminum continuatio fit difcriminum multitudo. Quocirca fi non diximus Chrifto, Vigila nobifcum; faltim dicamus, Evigila propter nos. Non rogavimus ne difcederet, obtineamus ut redeat, nec deferat curfum navigationis infirmæ, donec vento & mari filentium jubeat, & furorem infanientis fæculi celerrimo fine compefcat, & fiat in retributione judicii tranquillitas magna quæ in hoc mundo effe non poteft. Quia [d] fi de mundo effetis, mundus quod fuum erat diligeret. Sed devicto mundo perveniatur ad fupernam quietem: B ubi quoniam poffibilitas pereundi aberit, nec periculi cauffa nafcetur: ubi femper nobifcum Dominus, femper cum illo, fi dederit, nos erimus: & qui heic aliquoties negligentibus dormit, illic perpetuo fruentibus fine fine vigilabit.

a Matth. XXVIII. 20. *b* Pfalm. XLIII. 23' 24. *c* Matth. VIII. 26. *d* Joan. XV. 19.

LECTORI.

Præter Homiliam fuperiorem, & alteram in converfione Sigifmundi regis habitam cujus meminit Agobardus, reftant in vetuftiffimis fchedis Thuanæ bibliothecæ tituli aliarum octo, cum primis cujufque verbis, in hunc modum.

HOMILIARUM OCTO TITULI ET INITIA.

I. *Dicta in dedicatione fuperioris bafilicæ*. Difpofueram patientia taciturnitatis hodiernæ.
II. *Dicta in bafilica fanctæ Mariæ*. Statueram, dilectifsimi, & quantum arbitror.
III. *In reftauratione baptifterii in civitate fua Vienna* . . . . . temporum perturbationes quibus.
IV. *Dicta in dedicatione bafilicæ Geneva*. Novimus & miramur ex evangelica lectione divitem.
V. *Dicta in dedicatione* . . . . Pertinet ad locum . . . .
VI. *Dicta in bafilica S. Petri, quam fanctus epifcopus Tarantafiæ condidit* . . . . par eft decrefcat facultas virium, crefcente materia gaudiorum.
VII. *Dicta in bafilica fanctorum Agaunenfium, in innovatione monafterii ipfius, vel paffione martyrum*. Præconium felicis exercitus, in cujus congregatione.
VIII. *Homilia dicta in converfione domni Segifrici, poftridie quam foror ipfius ex Arriana herefe eft recepta*. Sæpenumero divinitate quod dilecto fuo principi noftro.

FRAGMENTA
EARUMDEM AVITI HOMILIARUM
ex fchedis iifdem.

I.

Sic quondam Petrus Apoftolorum caput [a], id eft principum princeps, quamlibet commotum ventis pelagus formidaret, adreptum tamen fluvidi tenens callem victor explicuit: atque undis ponti furentis, velut hoftilium turbinum molibus eluctatis, flatum tentationis adverfæ, prius quam fede contingeret, fide contrivit. Secuta eft illic ferenitas iter peractum. Heic quoque non minus ad habitationem, quam ad imaginem, Petri ædem fide fundatam fecuritas quæ non præcefferat infequitur. Innovet autem idem nunc Apoftolus dignam fui nominis fedem. Iifdem clavibus pandat heic locum, quibus aperit regnum. Solvat nunc quæ fibi oftenfæ fuerint compedes criminum: *Et paullo fuperius*. Soliditas quæ faciendis fabricis in principiis quæritur, heic & culmen obtinent. Firmiffimo aliarum ædium fundamine cacumina noftra tutiora funt.

C II.

Quid mihi laudet antiquus [b] Moyfem fuum aquas ab ævo afperas ligno caftigante dulcaffe? quid Elifæum [c], virtute non imparem, agreftis cibi amaritudine plenum lebetem medici farris infufione condiffe? Hæc quidem gefta exempli admirabilis fuiffe quis nefciat? Sed non minus hodie veftro datum eft facerdoti, quem par diverfitas felicis eventus parem paribus adprobabit. Cum minoris pæne virtutis fit creaturas orando convertere, quam hofte depulfo creatorem ædibus invitaffe. Implet heic porro gentilium vices vicinantium Arrianorum turbidus livor. Et fi paganus heic forte D jam deeft qui plures deos velit excoli, gemit hæreticus qui unum confpicit exorari. Diligit quippe Trinitatis divifor numerofitatem deorum: & confanguineo feparationis affectu, pariter foliditate perrupta, multos deos fieri a confentaneis adquiefcit, fub quorum favore quafi excufabiliter ipfe

a Matth. XIII. 29. *b* Exod. XV. 23. *c* IV. Reg. IV. 41.

tres numeret. Quid ingemiscat Christi vacuus nominator, locum numinibus interclusum paruisse virtutibus? Nullus a salutis consortio prohibetur. Sit eis pariter commune cum salvis, quod hactenus nostrum noluimus esse cum perditis. Profanis cultibus claustra damnamus: conversuris cultoribus templa patefacimus. Expetat ergo heic solidum, quisquis amaverat ante divisum: recognoscat nunc Christum petram, quisquis heic dudum saxa veneratus est. Sacrilegiis ara perit, venit ara sacrificiis. Nomen unum, caussa diversa est. Medetur serpens æreus, quo momordit ignitus.

III.

GEnerali exsultatione gaudendum est, quod florentibus sceptris catholicæ potestatis, orationum loca, martyrum templa, liminum sacra, ornantur oppida non minus ædibus, quam patronis: immo potius, illustratæ patrociniis fiunt urbes ex oppidis. Quod si & specialis festi gaudium præconio currente tangamus, est equidem fabrica præsens jocunda loco, imminens fluvio, & confragosum vicini torrentis tumultum, velut impendentis reverentiæ terrore castigat. Cohibetur venerabilibus ripis amnis artatus, & pendulam interjecti pontis semitam, ad altrinsecus expetenda sacrorum culminum loca substernit. Ædes sufficiens diffusioni, facta est angusta conventui: quæque sic jocunditate habitaculi tam terrestria quam superna solicitans, cum populo suo vix sufficiat, sufficit de fabrica. Multiformi opificum ingenio nitens, expulit noctem, adpulit lucem, qui diu tristibus tenebris artificio proturbatis, lætior intra quoddam claritatis ergastulum, felici custodia clausus est dies. Sic quondam carcer retificis Petri [a] pretiosorum ligaminum radio illustrante resplenduit: cum ferrum suppliciis coaptatum, metallis pretiosioribus plus luceret, ferræ fugerent patente aditu, catenæ caderent perstrepente tinnitu.

IV.

GAude igitur, invicte mercator, dispensatione commissa: [b] profer de thesauro tuo nova & vetera, institutor rudium, labentium restitutor: fit una in multiplici consecratione solemnitas. Erexisti lacrymarum machinis quod hostis alliserat: rediit quæ perierat forma templorum, recurrat & sanctitas. Non tu [c] traditam tibi minam, damnante sudario, terrenis scrobibus suffodisti: nec hoc tantum contentus reddere quod dudum fuerat consignatum, illa referens, offerens ista, ut frugem primitiarum melius porrigas, prius studuisti solvere quod debeas. Quocirca dilectissimi, orate quod superest, ut si quid sacrum furatur adversitas, Deo ulciscente sic redeat. In multiplices fructus granum tritici quod maturum putabatur, excrescat. Velut Job [d] nostri opes, inter prœlia tentationis amissas, victoriæ meritum, patientia duplicante, restituat. Et ut breviter cuncta concludam, agnoscat presentibus præteritisque successibus, tam perpetrans, quam tolerans, quam in æternis salubres lacrymæ A nostræ erunt tribuere, quas videmus fidelibus etiam in temporaneis non perire.

V.

IN gloria præsentis ævi parum est, si permitti ad hæc fabricanda dicamur: illud supra est, quod ad tales conatus, si otiari vellemus, impellimur. Noverunt siquidem sceptra sæculi nostri, in quo fit virtus temporis sui: quorum inexpugnabiliter, recte ut confidimus, plus hæc basilicis quam propugnaculis urbs munitur. Cingitur undique tutamine sacrarum ædium dives accessus, & ad portarum quamvis patentium limina tutiora, nisi sanctis B janitoribus, non venitur. Desistat hinc plane nutu superno usus armorum. Ne hostilis conatus heic valeat, hos sufficit providisse custodes. Sic iste, meritorum vigore discretus, aut indigenas deducat aditus, aut insidias repellat objectus. Has sibi per circuitum, velut [e] Hierusalem quæ ædificatur ut civitas, turres attollat: ubi lætaturis, quoties in domum Domini ibimus, hæ sanctorum cultibus turres, hæc populorum abundantia contingat in turribus: sicque ei fiat pax in virtute, virtus in pace: virtus scilicet rectoribus, pax regendis: præsidentibus illa, ista famulantibus: quarum tamen principibus nostris utramlibet optantibus, utramque merituris conventus subjectionis devotæ pax confoveat, C virtus adjiciat. Ad te nunc sermo liberior, o præsens, si quæ sunt uspiam, catholicarum gentium pater, religionis lumen, columen regionis, exemplorum virtus, ecclesiarum pignus, temporum decus, civilitate sublimis, communione terribilis, reverentia *** quam cum adoraris a populo. Qui in tribunali unus præ omnibus, in altari unus ex omnibus, stipatus cœtibus subjectorum, non fulgore diadematis, sed mentis luce discerneris. Jam recognoscas tempus est in manibus nostris munera tua. Paremus quidem jubenti tibi, ut secreta sint cum donantur: sed tu clamas, talia conferendo, quæ nisi princeps habere non poterat. Gloriosissimum quippe in his quoque ædibus quod fecisti: sed in quiddam D sublimius tuorum gaudia se reservant. Communem heic quidem hodie lætitiam oblatio vestra peperit: sed adhuc major est quam præstolatio nostra concepit. Porrigitur heic, præludens per conjecturam præsentium, contemplatio subsequentum. Juste æstimatur tantum in nobis, quantum per te potior eris in summa. Certe, sicut rationem illic operum perpendimus, heic donorum; non quidem solus in præsentibus adspicis quod delectet, sed solus in futuris poteris proferre quod superet.

VI.

* PRæconium felicis exercitus in cujus congre- E gatione beatissima nemo periit, dum nullus evasit, cum injustam sanctorum martyrum mortem quasi fortis justitia judicaret, qua bis super aciem dispersa mansuetam, centuplex decimatis fructus adcresceret, & odio in prosperum suffragante, eatenus eligerentur singuli, donec simul colligerentur electi, ex consuetudinis debito series lectæ passionis explicuit.

a Act. XII. 7. b Matth. XIII. 50. c Luc. XIX. 13. d Job. XLII. 10. e Psalm. CXXI. 3. 1. seqq.

* De hoc fragmento Ruinartius in *Actis Martyr. sinc.* pag. 238. edit. Veron. in Admonitione ad Passionem sanctorum Mauricii & sociorum ejus martyrum hæc habet §. II. „ Fragmentum hujusmodi ex antiquissimis in cortice exaratis schedis bibliothecæ Thuaneæ descripsit vir „ sacræ antiquitatis studiosissimus Jacobus Sirmondus. Has „ autem schedas quæ in bibliotheca regia modo asservantur, vivente adhuc Avito, aut saltem paullo post „ ipsius obitum scripta fuisse affirmant qui eas inspexerunt viri peritissimi. „

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 494.

VII.

Cujus aditus nocte non clauditur, quia non habet noctem: cujus fores semper paratas, justis patulas, impiis inaccessas, non alternant claustra, sed merita. Cujus fundamentum Christus est, fides machina, murus corona, margaritum porta, aurum platea, agnus lucerna, chorus ecclesia. Cui inter divinas laudes, omnis operis necessitate seclusa, sola erit requies sinceritas actionis. Multa sunt, piissime præsul, in tribunali aliquibus junior, in altario omnium prior, multa sunt, inquam, in operibus tuis, quibus nos hactenus gratias debuisse dicamus. Ditati donis, pauperes verbis, percepimus magna, pauca persolvimus. Ornasti ecclesias tuas gazarum cumulo, numero populorum. Struxisti sumtibus quæ muneribus cumulares altaria. Numquam quidem contulimus verba virtuti: sed cum ad præsens psalmisonum solemne perventum est, parum puto si dicam verba nostra, vicisti hodie insuper & opera tua. Et post alia. Gallia nostra florescat. Orbis desideret quod locus invexit. Incipiatur hodie exustioni æternitas, dignitas regioni. Laudantibus in præsenti sæculo Deum, laudaturis pariter in futuro renovet magis obitus quam terminet actionem. Recognoscatis in cælo quam de hac tellure portabitis consuetudinem præmiorum: tantusque perseverantiam vestram honor sequatur, ut quod vobis in exercitio erit operis, hoc solvatur in præmio pro retributione mercedis.

Gregorius Turonensis libro II. Historiæ Francorum.

Cum *autem cognovisset* Gundobadus *assertiones hæreticorum nihil esse, a sancto Avito episcopo Viennensi, Christum filium Dei & Spiritum sanctum æqualem patri confessus, clam ut chrismaretur expetiit.* Cui ait sacerdos: Si vere credis hoc quod nos ipse Dominus edocuit, exsequere. Ait autem, *Si quis me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui est in cælis.* Sic & ipsos sanctos ac dilectos suos beatos Apostolos cum de futuræ persecutionis tentationibus doceret, insinuavit dicens: *Adtendite vobis ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, & in synagogis suis flagellabunt vos, & ante reges & præsides stabitis propter me in testimonium illis & gentibus.* Tu vero cum sis rex, & a nullo adprehendi formides, seditionem pavescis populi, ne creatorem omnium in publico fatearis. Relinque hanc stultitiam, & quod corde te dicis credere, ore profer in plebe. Sic enim & beatus Apostolus ait: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Sic & Propheta ait: *Confitebor tibi Domine in ecclesia magna, in populo gravi laudabo te.* Et iterum: *Confitebor tibi in populis Domine, psalmum dicam nomini tuo inter gentes.* Metuens autem populum, o rex, ignoras quia satius est ut populus sequatur fidem tuam, quam tu infirmitati faveas populari. Tu enim es caput populi, non populus caput tuum. Si enim ad bellum proficiscaris, tu præcedis catervas hostium, & illæ quo abieris, subsequuntur. Unde melius est, ut te præcedente agnoscant veritatem, quam te pereunte permaneant in errore. Nam Deus non irridetur. Non enim diligit illum, qui propter terrenum regnum, eum non confitetur in sæculo. *Ista ille ratione confusus, usque ad exitum vitæ suæ in hac insania perduravit, nec publice æqualitatem Trinitatis voluit confiteri.*

Agobardus in libro de picturis & imaginibus.

His *ita se habentibus, est modus divinæ, sive angelicæ, vel etiam humanæ gloriæ, sicut Alcimus Avitus episcopus Viennensis in Dialogo, ubi cum Gundobado rege loquitur, dicit:* Illud tamen quod ab æqualitate cælestis gloriæ patrem & filium, perinde ut creaturam angelicam secludentes, quamdam mihi invidiam illicite supernis virtutibus delati honoris obtenditis, dicentes, Ergo & Angelis atque Archangelis, & quæcumque in excelsis sunt, gloriam ferre debemus: licet minime pertinent ad caussam, etiam ad præsens non omnino sic renuo, quasi creaturæ sublimi atque præstanti gloriam ferre timeamus. Est quippe divinæ, est angelicæ, est etiam humanæ gloriæ modus, quem in multis scripturarum locis invenimus, & sanctorum meritis, & apicibus regum sine vitio adsentationis adscribi. Quæ enim inter homines prima gloria, gloria hæc est omnibus sanctis ejus: & in evangelio Dominus dicit [a], quod nec Salomon in omni gloria sua sic vestitus est, sicut lilii flosculus specie naturali.

Agobardus idem in libro adversus legem Gundobadi.

Quid *iste venerandus & sanctus vir sæpe dicto Gundebado de supra dictis certaminibus responderit, audiat si placet benignitas vestra. Cum de his inter utrumque sermo esset, & beatus Avitus talia certamina reprehenderet, respondit ei Gundebadus:* Quid est quod inter regna & gentes, & etiam inter personas sæpe singulas, dirimendæ prœliis caussæ divino judicio committuntur, & ei maxime parti cui justitia competit, victoria succedit? *Ad quod beatus Avitus intulit dicens:* Si divinum, inquam, judicium, regna & gentes expeterent, illud prius quod scribitur formidarent, dicente Psalmista; [b] *Dissipa gentes quæ bella volunt.* Et illud diligerent quod perinde dicitur: [c] *Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus.* An forte sine telis & gladiis caussarum motus æquitas superna non judicat, cum sæpe, ut cernimus, pars aut juste tenens, aut justa deposcens, laboret in prœliis, & prævaleat iniquæ partis, vel superior fortitudo, vel furtiva subreptio?

Agobardus idem libro de picturis.

Sicut *Alcimus Avitus episcopus Viennensis Dialogo, ubi cum Gundobado rege loquitur, dicit:* Est quippe divinæ, est angelicæ, est etiam humanæ gloriæ modus.

a Matth. VI. 29. *b* Psalm. LXVII. 31. *c* Rom. XII. 19.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 494.

L E C T O R I.

Alia post hæc diversorum Aviti operum plurima & illustria fragmenta suppeditavit nobis ex Cartusiæ majoris bibliotheca, (1) codex Flori diaconi ecclesiæ Lugdunensis, in quo beati Paulli epistolas ex veterum aliquot patrum scriptis exponere aggressus, post Cypriani, Hilarii, Fulgentii, aliorumque sententias, quas singillatim ordine describit, Aviti quoque operum, eorum dumtaxat qui Paulli locum aliquem tractant, segmenta ultimo tandem loco digerit in hunc modum.

S E N T E N T I Æ.

Ex epistola beati Paulli Apostoli ad Romanos, a sancto & illustrissimo doctore ecclesiæ Avito episcopo Viennensis expositæ, atque ex ejus opusculis in ordinem digestæ.

I. *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem.*
II. *Ut sit pater circumcisionis, & sit pater credentium per præputium.*
III. *Igitur sicut per unum hominem in omnes homines in condemnationem, ita & per unum hominem in omnes homines in justificationem.*
IV. *Nam quid oremus sicut oportet, nescimus.*
V. *Qui etiam proprio filio suo non pepercit.*
VI. *Item de eodem.*
VII. *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.*
VIII. *Quorum patres, & ex quibus Christus secundum carnem*, cet.
IX. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!*
X. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.*
XI. *Ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.*

A

I.

Ex libris contra phantasma.

IDeo in capite dominicæ generationis totiens David scriptura commemorat, ut cum patuerit veritas de auctore, nulla possit dubitatio esse de sobole. Nam ut taceamus illud, quod in Evangeliis duo cæci una consonantis fidei voce clamabant, [a] *Miserere mei Domine fili David*, scientes de patriarcha genitum recte hominem credi, & nihilominus fructuose miserenti Deo pro sanitate luminum supplicari: quis evidentius quam sanctus Paullus hoc explicat? [b] *Segregatus in evangelio*, inquit, *Dei, sicut ante promiserat in scripturis sanctis per prophetas suos de filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem*. Asseruit duplicem plena descriptione naturam. Unam in qua secundum divinitatem factor est omnium, & alteram in qua factus est ex semine David secundum carnem. In quarum neutra substantia suspicio potest phantasmatis inveniri: quia sicut per se invisibilis erat divinitas quæ inclinabatur e cælo, ita de David stirpe descendens nihil ludificatorium habere potuit veritas carnis Christi: quæ non solum usque ad David per proavos suos, sed per ipsum David usque in Adam, expressa parentum nominatione revolvitur. Et ideo dicit Apostolus, esse ex semine David secundum carnem, ut eum consubstantialem exponeret matri, de qua utique sumsit & mortem; cum phantasmata nec nasci, nec mori possit, sed principium ejus deludere, finisque vanuisse sit.

II.

Ex libris contra phantasma.

ABraham auctor utriusque Testamenti, cet. *ut in epistola II. pag.* 10. *e usque ad*, multarum gentium pater.

III.

Ex libris contra Arrianos.

ABraham, Moysen & prophetas, non solum salvos, sed & beatissimos esse pronuntio, eos-
B que non nisi per Christum salvatos esse convinco, dicente in evangelio ipso Domino, [c] *Abraham pater vester concupivit ut videret diem meum, vidit & gavisus est*. De Moyse, [d] *Si crederetis Moysi, utique crederetis & mihi. De me enim ille scripsit*. Etiam de prophetis similiter: [e] *Quanti prophetæ cupierunt videre quæ videtis, & audire quæ auditis?* Et alio evangelii loco ipse Dominus, ista quæ singillatim memoravi cuncta perstringens, [f] *Ut impleantur omnia quæ scripta sunt in lege, & prophetis, & in psalmis de me*. Vos porro conjicite utrum crediderint Christum, quos tam manifeste constat scripsisse de Christo. Nam & Paullus Apostolus, qui ante ortum Christi salvati sunt, in
C Christo redemtos exponens, sic omnem caussam definit: [g] *Sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificantur*. Unde sicut nemo perit nisi per Adam veterem, ita nullus adquiritur nisi per novum.

a Matth. xv. 22. *b* Rom. I. 1. 2. *c* Joan. VIII. 56. *d* Joan. V. 46. *e* Matth. XIII. 17. *f* Luc. XXIV. 42. *g* I. Cor. XV. 22.

1. *Codex Flori diaconi*] Magnas huic codici gratias debemus, cujus beneficio tot Aviti librorum reliquiæ ad nos pervenerunt. Hæc porro Flori magistri, sic enim appellatus est, expositio in epistolas S. Paulli ex decem omnium patribus delibata est, Cypriano, Hilario, Ambrosio, Paciano, Hieronymo, Ephrem diacono, Paullino, Leone papa, Fulgentio & Avito. Post hunc librum, sequitur in eodem codice Cartusiæ, liber II. Flori ejusdem, de Missa, & de aliis quibusdam ecclesiasticis institutionibus. In alio vero ejusdem bibliothecæ volumine, operibus Irenæi præfixa est Flori præfatio, cum epistola Agobardi. Ejusdem præterea Flori est liber adversus Joannem Scotum, qui ecclesiæ Lugdunensis nomine est editus, & sermo de prædestinatione, quem integrum recitat Hincmarus in præfatione posterioris operis contra Gothescalcum. De Floro denique, ne cetera persequar, Walafridi Strabi exstant versus ad Agobardum eumdem episcopum Lugdunensem, & inter Agobardi opuscula, Agobardi ipsius & Flori nomine inscripta epistola ad Bartholomæum episcopum. Erat enim diaconus ecclesiæ Lugdunensis, & Agobardo, ut apparet, familiaris.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 494.

A

IV.

Ex libris contra Arrianos.

QUia [a] *Quid oremus, sicut oportet, nescimus*, firmum debet apud nos fixumque teneri, quod quidquid omnipotens non fecerit, restat ut nolit.

V.

Ex sermone die sexto Paschæ.

POst lucidæ nubis corruscationem, sic patris æterni super filium dulcis terribilisque vox intonat, [b] *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* [c] *Omnes* quidem, sicut ait Apostolus, *filii Dei sumus*, & in oratione clamare præsumimus, Pater noster qui es in cælis. Sed aliter filius est de quo clamatur, *Hic est filius meus dilectus.* Illum ut habeat pater filium, non præcessit voluntas generationem: nos autem per quam efficimur filii, in lavacro accipimus nativitatem. Et ideo quicumque homo potest filius Dei esse, potest & non esse. Unde dicit Joannes evangelista, quod [d] *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus*: ut aut permaneat filius bene vivendo, aut certe per carnalem conversationem rejiciat paternitatem. Christus autem quem Dei patris filium non fecit gratia, sed natura, nullo modo potest non hoc esse quod genitus est: adeo ut substantiæ illi quæ ex Deo procedit, nec ipsa quæ ex homine nata est præjudicaret.

VI.

Ex libris contra phantasma.

SI hæc omnia vera esse recipiunt, cet. *ut in epistola III. pag.* 17. *d usque ad*, qualiter non pepercit, si dolore prohibuit?

VII.

Ex sermone de Natali calicis.

IN affectu quarumcumque rerum non facta, sed vota cogitanda sunt: & abominabili eo qui invitus profuerit bonis, Deo magis gratia referenda est, qua promtissime pius bene utitur malis. Nam licet Joseph nostrum sola peregrinatio fecerit principem, non tamen laudat pietas venditorem. Sanctus autem Paullus Apostolus [e], simpliciter contentus a Christo anathema esse pro fratribus, præter labores proprios, etiam pro fratribus quos lucratus fuerat, coronatur: Judas e contra, quia non fratrum dilectione persequens Christum, anathema est factus a Christo.

VIII.

Ex libro de Christi divinitate.

ESaias conclamantissimus prophetarum, cet. *ut in epistola* 28. *pag.* 44. *d usque ad*, quam habui apud te, prius quam mundus fieret.

IX.

Ex libris contra Arrianos.

[f] O, inquit, *altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei quam incompredensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ipsius! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit ei, ut retribuatur illi? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in secula seculorum.* Non ergo altitudo sapientiæ & scientiæ solius patris, sed Dei, in quo & filii annuitis esse personam: cujus nec consiliarius

B

quisquam fuit, nec sensum ullus scrutator agnovit: quanto minus, qui summo nec augmentum recipienti, convicium etiam minorationis intendit? cum ipse Apostolus inscrutabilem Dei altitudinem pro corporea infirmitate suspiret. Quis autem prior dat Deo, ut retribuatur illi, nisi qui dat initium creatori, ut & ipse quasi ab inchoata substantia Dei inchoationem sui recuperasse videatur? Unus heic nempe nominatur, unus exponitur Deus. Certe si secus, quam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, si hæc ut vultis trium sunt, dicite nunc cui ipsi gloria in sæcula sæculorum. Si tribus, quare non ipsis? si ipsi, cui de tribus? Certe, sit ut vultis, tripartita est substantia majesta-

C

tis: cur non dixit, ex ipso per alterum in tertio, nisi quatenus nominatus ipse unus in tribus est? de quo & Apostolus alio loco: [g] *Et ipse est*, inquit, *ante omnia, & omnia in ipso.* Porro autem, si ut dixistis, omnia in Spiritu sancto constant, & ipse est ante omnia, ne post multa esse incipiat; non erit creatura, & cum creatura non fuerit, servitium non debebit, restatque ut sit Deus, si non est servus: & qui famulari ratione non colligitur, dominari veritate credatur.

X.

Ex epistola contra Faustum.

D

FIdem esse omnium bonorum spiritualium fundamentum, cet. *ut in epistola IV. pag.* 22. *a usque ad*, testis est nostri spiritus, non natura.

XI.

Ex libris contra Arrianos.

LIbera responsione profiteor, quod Deo suorum animos inspirante, longe fulget claritas veritatis. Illud namque apostolicum, quod sæpe repetitis, sufficit in redemtore cognosci: quia [h] si confitearis Dominum Jesum, & quia Deus illum suscitavit

E

a mortuis, salvus eris. Sic tamen ut intelligatur divinitas sua cum patre, vitam crucifixo homini reddidisse. Sicut ipse in Joanne evangelista testatur: [i] *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Porro nequaquam salvat, de homine Christo tantummodo rectum credere, nisi jungas etiam catholico intellectu de divinitate sentire. Nam & Photiniani mortuum ac resuscitatum asserunt Christum. Et quoniam scelestissimam in hoc eorum blasphemiam, perinde etiam vestræ ut nostræ legis sententia detestatur; si tantummodo assumtum hominem interiisse, ac sola patris virtute resuscitatum esse dicitis, quæso quid in

a Rom. VIII. 26. *b* Luc. XVI. 5. *c* Gal. III. 26. *d* Joan. I. 12. *e* Rom. IX. 3. *f* Rom. XI. 33-35. *g* Coloss. I. 17. *h* Rom. X. 9. *i* Joan. X. 18.

upra dictæ pestis professionibus arguatis, cum ipse A Dominus noster, ut legitur, suo nutu suscitet templum ab adversariis dissolutum? Quod certe de quo templo dicatur, in promtu est, cum reparatio templi, inter biduum, in statum pristinum revertentis resurrectionem dominicæ carnis quam divinitas sua templi vice habitaverat, evidenter exponat. Idem ergo filius Dei Deus qui mori non potuit, defunctum hominem suscitavit, & templum inimicis manibus dissolutum, in unitatem personæ solidata rursus divinitati quam assumserat carne restituit.

XII.

Ex sermone die II. *Rogationum.*

DIcit beatissimus Paullus, quod [a] *per patientiam & consolationem scripturarum firmam spem habere debeamus*; cum omnes Christiani, tum specialius illi, quibus datur in hoc mundo, aut pro Deo persecutionem pati, aut pro veritatis amore tribulari, aut pro vitæ hujus peregrinatione compungi.

AD CORINTHIOS PRIMÆ.

I. *Et ignobilia & contemtibilia mundi elegit Deus*, cet.
II. *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.*
III. *Item de eodem.*
IV. *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.*
V. *Ita & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi spiritus Dei.*
VI. *Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis?*
VII. *Etenim pascha nostrum immolatus est Christus.*
VIII. *Cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi.*
IX. *Caput autem Christi Deus.*
X. *Nam oportet & hæreses esse*, cet.
XI. *Item de eodem.*
XII. *Deus qui operatur omnia in omnibus.*
XIII. *Omnia autem hæc operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult.*
XIV. *Cum tradiderit regnum Deo & patri.*
XV. *Cum autem subjecta fuerint illi omnia*, cet.
XVI. *Primus homo de terra terrenus, secundus de cælo cælestis.*
XVII. *Item de eodem.*

I.

Ex sermone in ordinatione episcopi.

AD magisterii testimonium nascendi caussa non pertinet: neque ille cælorum janitor Petrus, [b] quem piscatorem hominum retia contemta fecerunt, origine placuit natalium, sed fine meritorum: sicut Matthæus [c] cum de teloneo assumtus est, illic inchoavit lucrum, ubi jussus est terminare negotium. Quid de singulis loquor? talis omnium assumtio fuit, in quorum personis [d] ignobilia & contemtibilia mundi eligens Deus, præposuit pauperes spiritu divitibus censu, illum jure locupletissimum probans, qui ad veram & integram nobilita- C tem, non susceptis bonorum, sed depositis criminum fascibus pervenisset.

II.

Ex libris contra phantasma.

NOlunt enim a nobis ei qui crucifixus est supplicari, cet. *ut in epist. III. pag.* 13. *b usque ad*, non rogemus in cælo. *Et mox, pag.* 16. *d* Veni potius sancte Isaia propheta, cet. *usque ad*, quod in corpore malum patimur, pertulit Christus.

III.

Ex libris contra Arrianos.

DOminus majestatis crucifixus exponitur, cum si alternæ substantiæ respicias proprietatem, divina celsitudine ab omnibus crucis contumeliis sequestrata, sola suscepti corporis humilitas senserit passionem. Nam postquam [e] Deus in Christo mun-
B dum reconcilians sibi, creaturæ quam assumsit unitus est, significatur plerumque homo per Deum, Deusque per hominem, sicut est illud: [f] *Cum venerit filius hominis in majestate sua*, cum majestatem Deo potius quam homini nemo convenire dubitet: quod & Psalmista de Deo exponens, *Et videbitis*, inquit, *in majestate sua*. Et Malachias propheta, ob dictorum perspicuitatem Angelus cognomento, de cruciaria Domini passione. [g] *Si affigit*, inquit, *homo Deum suum, quia vos configitis me.* Cum tamen, quod nullus infitiabitur, non Deus, sed homo confixus sit.

IV.

Ex sermone de symbolo.

AUdite quid veritas dicat: [h] *Nemo novit filium nisi pater, neque patrem quis novit nisi filius.* Et si nemo assequitur hanc in sæculo isto notitiam, unde Arrianus assumit in substantiæ ipsius divisione mensuram? Si solus pater novit filium, solus filius patrem; unde dux cæcus majorem intelligit, vel minorem? An forte respondet, & si sibi notitiæ hujus reservat divinitas sola secretum, unde tu æqualem patri filium cognovisti? At ego inquam, paternitatem filius loquitur, omnipotentiam creatura testatur: de substantiæ autem intimo, si nemo
D novit filium nisi pater, neque patrem quis novit nisi filius; ubi æqualis est consilio alternante notitia, una est procul dubio in substantiæ perfectione natura. Neque enim major aut minor est, qui nec minus nec amplius notus est. Quid nunc de Spiritu sancto dicemus, quem credere consequente symboli parte in Trinitate præcipimur? Neque enim, si patrem & filium sibi invicem confert ista notitia, alienus ab ea erit Spiritus sanctus, de quo scri-

a Rom. XV. 4. b Matth. IV. 15. c Matth. IX. 9. d I. Cor. I. 28. e II. Cor. V. 19. f Matth. XXV. 31. g Malach. III. 8. h Matth. XI. 27.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 494.

bitur [a] quod *spiritus omnia scrutatur, etiam altitudines Dei*. Ergo non tantummodo se pater & filius, sed spiritum suum norunt: cui ideo nihil omnino celatur, quia nihil sine illo in veritate cognoscitur. Quocirca sic est cognitio, sicut cooperatio Trinitatis. Nam post istud generationis divinæ mysterium, si in Christo cogitemus humana, quod celebramus Virginem peperisse, Pater misit, Filius venit, Spiritus sanctus infudit. Quapropter nec in humilitate minorationis absconditur claritas æqualitatis.

V.

Ex libris contra Arrianos.

NObis [b] *autem Deus revelavit per spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam altitudines Dei. Quis enim hominum novit, quæ in homine sunt, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Sic & quæ in Deo sunt nemo novit, nisi spiritus Dei*. Rogo suppliciter, locum istum, utpote illuminati a Deo arbitri, judicate: & utrum æqualis sit Patri vel Filio Spiritus sanctus, ex ipsa scientiæ suæ profunditate perpendite. Nemo novit filium, nisi pater, neque patrem quis novit nisi filius. Sed quia nec pater, nec filius, sine spiritu aliquid novit, ideo quæ in Deo sunt nemo scit, nisi spiritus Dei: quia nec spiritus scire aliquid sine patre vel filio potest. Quid est, nemo novit præter patrem, nemo præter filium, nemo præter Spiritum sanctum, nisi quia in Trinitate præter unitatem nihil possumus invenire? Legimus alio loco, [c] *Qui filium non habet, nec patrem habet*. Itemque alio loco, [d] *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus*. Quod non potest non simul totum haberi, quomodo poterit dividi?

V I.

Ex sermone de Pentecoste.

AN [e] *nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis?* Ecce ergo & spiritus Deus est, si habitat templum, quod præter Deum nullus inhabitat. Unde inquit, [f] *Membra vestra templum in vobis est Spiritus sancti, quem habetis a Deo*. Ergo si habetis a Deo Deum, & templum Dei estis, & corpus vestrum templum est Spiritus sancti; quocumque non receptus fuerit Spiritus, non capitur Deus. Igitur cum talia dicimus, non nobis obirascantur, quibus sanctum Spiritum persuadere conamur: quia nisi Deus creditur, ignoro quid de præsenti festivitate dicatur, aut quid in ejus adventu honoris hæreticus excolat, quem quantum ad se est, etiam nomine servitutis inclinat: cum licet, [g] si vos filius liberaverit, tunc vere liberi sitis, [h] ubi tamen spiritus Domini ibi libertas.

V I I.

Ex sermone de Natali calicis.

EO superstitionis ritu plectitur impietas rebellantium Judæorum, ut animal corruptibile, id est agnum, cum veneratione comedant, qui veri & immaculati agni escam periculosissima fame contemnunt. Unde sibi videntur paschalis festi agere sacramentum, cujus hodie omnis ecclesia initium sumit, mysterium intelligit, præmium concupiscit, quod sermo Domini discipulis suis evidenter insinuat dicens: [i] *Scitis quia post biduum pascha fiet?* Aliud sonat, erit aut celebrabitur, aliud autem pascha fiet. Numeret ergo mihi Judæus, usque nunc ab exitu Israel, quantos vult annos: ceterum pascha primum adhuc post biduum fiet, cum præteritas implens figuras, sicut Apostolus ait, [k] *Pascha nostrum immolatus est Christus*.

V I I I.

Ex libris contra phantasma.

QUid vel illo Apostoli sermone lucidius, cet. *ut in epistola II. pag. 8. d usque ad*, qui legem dederat in præcepto.

I X.

Ex sermone de Jona.

PElagus [l], inquit, *operuit caput meum*. Nec istud frustra de solo capite dicebat, quem absque dubio pelagus omni ex parte contexerat: sed celavit contumelia mundi Dominum cæli. [m] Caput viri Christus, caput autem Christi Deus. Velavit humilitas mea gloriam meam, & [n] Deus qui quasi caput inerat Christo mundum reconcilians sibi, ab eis qui hominem patibulo confixerant, non potuit pervideri.

X.

Ex sermone III. *Rogationum.*

PRæsentis sæculi actio, dilatis caussarum eventibus, omnium operum perversitate confusa, non est tempus, sed caussa judicii. Da porro in præsentibus evidentem bonorum malorumque distantiam, & examini quid remansit? Da ut heic malum nulli liceat facere, quid æternitas plus habebit? Da ut heic a fide nullus exorbitet, & [o] hæreses esse qualiter oportet? Neque enim possumus dissimulare, quin oporteat quod oportere veritas clamat. Oportet vero esse hæresem, non quia ejus commentis Christus minuitur, sed quia ejus insidiis Christianus augetur. Sic sunt etiam, præter fornicationem quæ sola in corpus proprium peccat, cetera mala, si non vestias nudum, si punias innocentem, si rapias proximo, si parato etiam pallium cedere tunicam tollas, si malam dexteram verberes etiam lævam offerenti, si per mille passus onustum dirigas, & per alia duo servire meditantem. Aut quid diutius violentiæ genera persequar? In omni imperio fortioris superbia temporalem habet jubendi fructum, æternum vero innocentia patiendi.

X I.

Ex libris contra Arrianos.

DIcit Apostolus [p], quod *oporteat hæreses esse*. Oportet autem, non hæreticis quod sunt esse, sed catholicis sustinere quod non sunt. Sicut de Juda traditore suo Dominus dixit [q], quod *bonum fuerat homini illi non nasci*. Inde enim ait illi, quia

a I. Cor. II. 10. *b* Ibid. vv. 10. 11. *c* I. Joan. II. 23. *d* Rom. VIII. 9. *e* I. Cor. III. 16. *f* I. Cor. VI. 19. *g* Joan. VIII. 36. *h* II. Cor. III. 17. *i* Matth. XXVI. 2. *k* I. Cor. V. 7. *l* Jon. II. 6. *m* I. Cor. XI. 3. *n* II. Cor. V. 19. *o* I. Cor. XI. 19. *p* Ibid. *q* Matth. XXVI. 24.

tuum nasci illi malum erat qui tradidit, nobis bo- A num ad quos salus ex traditione pervenit.

X I I.

Ex libris contra Arrianos.

CUM apparuissent Angeli in terra, clamaverunt: [a] *Gloria in excelsis Deo*. Si Pater & Filius & Spiritus sanctus in excelsis est, bene dicimus, Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto: nec possumus patri sine filio gloriam honoremque dare, cum ipse in evangelio jubeat, [b] *ut omnes sic honorificent filium, sicut honorificant patrem*. Et Apostolus dicit, quod [c] *nemo honorat Dominum Jesum, nisi in Spi-* B *ritu sancto*.

X I I I.

Ex epistolis contra Arrianos.

DE divinitate Spiritus sancti, quem nec factum legimus, nec genitum, nec creatum, Apostolus ait: [d] *Deus qui operatur omnia in omnibus*. Et eodem loco: [e] *Omnia autem hæc operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult*. Et Petrus in Actibus Apostolorum: [f] *Quid convenit*, inquit, *inter vos mentiri Spiritui sancto?* Et post, *Non es mentitus hominibus, sed Deo*. Item alio loco: [g] *Nescitis quia templum Dei estis, & C spiritus Dei habitat in vobis?* Et alibi: [h] *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus*.

X I V.

Ex sermone de ascensu Heliæ.

ET si multa sunt dona: [i] *omnia tamen hæc operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult*. Non in paucioribus minor, nec in majoribus amplior: per quem etiam si alius alio minus accipit, intelligat donum potius posse minui, quam donantem.

X V.

Ex libris contra Arrianos.

QUia posueram de evangelio: [k] *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*, ut potestatem illam, quam sibi dicebat datam, semper in natura divinitatis suæ salvam fuisse monstrarem, commemoravi apostolicum illud quod de filio dictum est: [l] *Cum tradiderit regnum Deo patri*, cum utique pater nullo tempore sine regno esse potuerit: nec ideo patrem qui potestatem filio dedit esse majorem, cum & ipse filius regnum patri traditurus esse dicatur. Ubi enim quis beneficio aliquid confert, jure censetur major accipiente qui donat. In divinitatem autem, ex qua quod ineffabiliter filio datur non est gratia, sed natura, restat dantis & accipientis æqualitas.

X V I.

Ex libris contra Arrianos.

CUM [m] *autem subjecta fuerint illi omnia, tunc etiam ipse filius subjectus erit illi qui sibi subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus*. Istud Apostolus ab octavi Psalmi posuit exemplo. Sic namque scriptum est: [n] *Minorasti eum paullo minus ab Angelis: omnia subjecisti sub pedibus ejus*. Ergo ejus pedibus omnia subdit, quem paullo minus ab Angelis minoravit. Nec mirum est, ut in ea creatura patre dicatur minor, in qua ei etiam beatitudo angelica exstitit major.

X V I I.

Ex libris contra phantasma.

ILle solus hominis statum, cet. *ut in Epistola II. pag.* 8. *e usque ad*, quam susceperat, in inferna descendere.

X V I I I.

Ex libris contra Arrianos.

APostolus Paullus ad Galatas, personæ inseparabilitatem designans, ipsum dicit natum de D muliere quem misit Deus filium suum: sicut alio loco, [o] *Primus*, inquit, *homo de terra terrenus, secundus de cælo cælestis*: cum unus idemque mediator, de cælo Deus, homo de terra sit: qui de utero Virginis editus, ante quam cælos ascenderet, cælestis congrue dictus est; quia celsitudini substantiæ cælestis immixtus, cæli Dominus factus est.

AD CORINTHIOS SECUNDÆ.

I.

Ex sermone Natali calicis.

VIdeamus comparatam Moysi, & multo præcellentem, eam quæ nostri est gratiam redemtoris. Nam ut nova paullulum veteribus conferamus, ille ad hunc populum venit velata facie, iste operta divinitate: ille sublimitate cornutus, iste humilitate mansuetus: illius vultus radiis & E decore luminosus, istius sputis & cæde fœdandus: illius humanam faciem conservus videre non meruit, istius divinam leprosus aspexit.

I I.

Ex sermone die sexto paschæ.

CUM [p] caro, necdum mortis fornacibus defæcata, aggravet sensum multa cogitantem, & impe-

[a] Luc. II. 14. [b] Joan. V. 23. [c] I. Cor. XII. 3. [d] Ibid. ℣. 6. [e] Ibid. ℣. 11. [f] Act. V. 3. 4. [g] I. Cor. III. 16. [h] Rom. VIII. 9. [i] I. Cor. XII. 11. [k] Matth. XXVIII. 18. [l] I. Cor. XV. 24. [m] Ibid. ℣. 28. [n] Psalm. VIII. 6. [o] I. Cor. XV. 47. [p] Sap. IX. 15.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 494.



diat visum pauca cernentem, interlucet tamen in aliquibus gestis dignitas futurorum, & secretorum immortalium splendor etiam mortalibus oculis rara revelatione subradiat. Sed hoc illis tantum, quos sola caro, non etiam carnalitas tenet, & cordibus mundos mundana cohabitatione non pollüit. Sicut præstabatur quondam vati legifero cæleste colloquium: & eo usque divinæ gloriæ quodam intuitu donabatur, donec quiddam in levi fronte cornutum, non asperitas videretur produxisse, sed claritas.

III.

Ex sermone de symbolo.

LEgimus quodam loco, quod [a] *dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino.* Quidquid enim nobis de cælestibus mysteriis traditur, quamlibet indubitabili veritate subsistat, credere debemus, quia videre non possumus. Nam in isto sæculo, nostrum nosse tantummodo credere est. [b] *Beati e*-A *nim mundo corde, quoniam ipsi Deum*, non dixit vident, sed *videbunt*. Unde qui in præsentibus habuerit fidem, ipse in futuris accipiet contemplationem.

IV.

Ex libris contra phantasma.

INtelligit Apostolus ac definit, cet. *ut in epistola II. pag. 8. a usque ad*, parentali chirographo sustineret.

V.

B

Ex sermone die sexto paschæ.

INsonuit Paulli Apostoli auribus, [c] quod non licet homini loqui, quodque ille permitteretur dicere, si nos mereremur audire. [d] Si enim in modico fideles non fuistis, quod majus est quis credet vobis?

AD GALATAS.

I. *Mediator autem unius non est, Deus autem unus est.*
II. *Misit Deus filium suum factum ex muliere.*
III. *Item de eodem.*
IV. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.*

I.

Ex libris contra phantasma.

HOc remedium Apostolus dicit dispositum, cet. *ut in epistola II. pag. 8. c usque ad*, unum reddidit ex utrisque.

II.

Ex libris contra phantasma.

ADsit nunc sermoni nostro Emmanuel, cet. *ut in epistola II. pag. 1. b usque ad*, hic & Dei filius & hominis erit.

C

III.

Ex libro de Christi nativitate.

APostolus dicit, [e] *Postquam vero venit*, cet. *ut in epistola XXVIII. pag. 45. d usque ad*, in corpore cœpisse, de matre est.

IV.

Ex sermone die III. *Rogationum.*

SIcut enim Judæorum lex, ita gentium gloria, gratia est. Et ideo Apostolus Paullus ad unam D partem dicit, [f] *Non bona gloriatio vestra* ad aliam vero, [g] *Mihi autem absit gloriari: nisi in cruce domini nostri Jesu Christi.*

AD EPHESIOS.

I. *In quo signati estis in die redemtionis vestræ.*
II. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.*
III. *Qui descendit, ipse est & qui adscendit super omnes cælos.*
IV. *Quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus & de ossibus ejus.*
V. *Et erunt duo in carne una*, cet.

I.

Ex libris contra Arrianos.

UNum nomen est Trinitatis. [h] *Neque enim est aliud nomen*, ut in Actibus Apostolorum legimus, *in quo oporteat nos salvos fieri*. Si sequestrato filio, de solo istud nomine patris creditur, dicendus est non salvare salvator: rursusque si patre secluso, id solius redemtoris nomine adquirimur, cessavit ab hac redemtione pater, de quo scriptum est [i], quod *redemtionem miserit populo suo*: cum & de Spiritu sancto Apostolus dicat: [k] *In quo signati estis in die redemtionis vestræ.*

E

II.

Ex libris contra Arrianos.

UBi plurale aliquid in divinitate subresonat, non dualitas videtur intelligenda, sed Trinitas, sicut in ipso Sodomiticæ urbis refertur exitio. [l] *Apparuit*, inquit, *Dominus Abrahæ sedenti in ostio tabernaculi, in ipso fervore diei: cumque levasset oculos, apparuerunt ei tres viri; quos cum vidisset cucurrit in occursum eorum, & adoravit in terram, & dixit: Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum.* Certe non in aliquo horum trium, aut cultior habitus, aut emi-

a I. Cor. V. 6. *b* Matth. V. 8. *c* II. Cor. XII. 4. *d* Luc. XVI. 12. *e* Gal. IV. 4. *f* II. Cor. V. 6. *g* Gal. IV. 14. *h* Act. IV. 12. *i* Psalm. CX. 9. *k* Ephes. IV. 30. *l* Gen. XVIII. 1-3.

nentior forma præstabat. Et tamen Abraham, sacramentum indivisæ Trinitatis intelligens, uno nomine tres precatur, quia trina in unitate persona, & una est in Trinitate substantia: de qua & Apostolus dicit: [a] *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Quis præsumat contra vas electionis unitatem istam pluralitate confundere? Noverat namque cum patre vel filio dominari Spiritum sanctum, cui quasi domum corpora nostra sacrabat dicens: [b] *Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis?* Quo umquam magis testimonio Deus probabitur Spiritus sanctus, quam quod habitaculum ipsius sumus, & Deus habitat in nobis? Sed jam dudum hujusmodi credulitatem divinæ vocationi Paullus debebat. Sic quippe in Apostolorum actibus scribitur: [c] *Deservientibus autem illis & jejunantibus, dixit Spiritus sanctus, Segregate mihi Paullum & Barnabam ad opus ad quod vocavi eos.* Non ex superioris præcepto, sed spontanea est ut opinor ista vocatio. Sibi sequestrari præcipit, sibi dicit assumi. Deus est sine ambiguo qui inspirat, eligit vel mittit Apostolos. Et tamen idem sanctus Paullus, cum distincte aliquotiens Patrem, Filium vel Spiritum sanctum Dominum esse doceat, fidei culmen ea qua supra dixi definitione consummat: [d] *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Sic ergo non possumus duos Deos, sicut nec duas fides, nec duo baptismata dicere. Deos nominare gentilitas appetit, crebro se lavacro a peccatis ablui Judæus credit, fides plurali numero quasi multas dici veritas prohibet, nec Latinitas sinit. Unus Dominus est, non dividimus: una fides, non scindimus: unum baptisma, non iteramus. Cui honorem suum etiam in Bonosiacorum aliorumque receptione servantes, si se in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti baptizatos esse respondeant, quod bene confessi sunt, servando recipimus; quod perperam crediderant, benedicendo sanamus; & quod minus fuerat nominatione præmissa, suppletur credulitate firmata.

III.

Ex libris contra Arrianos.

PSalmus dicit: [e] *A summo cæli egressio ejus, & recursus ejus usque ad summum ejus.* Nemo porro recurrit, nisi quo fuit: sed ascendente Christo, filius hominis recurrit in cælum, qui erat prius in cælo. Sic etiam sanctus Paullus exponens ait. [f] *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Et paullo post: *Qui descendit*, inquit, *ipse est & qui ascendit super omnes cælos, ut impleret omnia.* Cumque per omnem eloquii sui locum Deum venisse prædicet, hominem redisse concludens; heic tamen ipsum dicit ascendere qui descendit: quia in Christo Deus & homo; non alter, sed ipse; non duo ex diversis, sed idem ex utroque mediator. Gemina quidem substantia, sed una forma est.

IV.

Ex sermone de passione Domini.

APostolus [g] somno Adæ dominicam mortem coaptans, in ipso mundi principio ædificationem mulieris de costa dormientis viri, nascentis ecclesiæ dicit signasse compagem. Namque cum formato de terra homini, si lecta recolimus, conjunx deesset, & quamquam inexperti, tamen solatii contubernium rudis animus flagitaret, ligatur Adam sensu, solvitur somno, celebratoque hujus similitudinis sacramento, tam pressum novi soporis pondus incubuit, ut merito mortem significasse ex ipso immobili atque insensibili quiete videatur. Taliter autem jacenti detrahitur una costarum, atque inde formata muliere, reviviscenti admodum viro, pro dispendio membri, repensantur lucra conjugii. Ecce & heic hodie Adam novum, culpas veteres sanaturum, oppressum somno impactæ crucis suscipit quies. Nunc videndum est quid sit, quod de solo ejus latere ecclesia formati dicitur, cum totus ipse homo pro ecclesiæ salute moriatur. Refert Joannes evangelista [h], quomodo crucifixo Domino cum duobus latronibus, scilicet sexta sabbati circa vesperam, uti ne pendentium corpora feriata diei solemnitas inveniret, fractis pro acceleranda morte latronum cruribus, cum jam exspirasse Dominum cognovissent, adverterunt a supplicii similitudine temperandum: quia etiam si prematur veritas inimicorum conjuratione, non frangitur: maxime cum & de agni esset immolatione prædictum, [i] *Os non confringetis ex eo.* Et tamen heic circa Dominum, sic quoque quod non fuit necessarium fieri pro exitio, pro sacramento perfectum est. Unus namque de militibus arrepto missili, ut sermonem ipsum ponam, [k] *latus ejus aperuit.* Ergo non rupit, non transfodit, non jugulavit ad ultimum, sed inquit, *aperuit*: ut patentis plagæ portam vitalem, non tam vestigium vulneris, quam salutis esse intelligamus ingressum. Nam & [l] arcam illam cujus claustro tutus Noe tumentes sæculi fluctus mortemque bacchantem, impune solus cunctis pereuntibus enatavit, ostium quo vel ad salutem ingressus, vel regressus ad lucem est, in latere legimus habuisse. Agnosco igitur & hodie in Domino, qui [m] surgit per crucem in requiem suam, ipse & arca, id est caro, sanctificationis suæ: agnosco, inquam, in latere arcæ istius aditum nostrum. Videamus primum quid inde procedit, advertamus postea quomodo ibi Christianus introiit. Patefacto ergo latere Domini, processit ubertim manantibus rivis aqua vel sanguis. Quid admirabilius tali facto? quid lucidius indicio? quid mysterio plenius? Certum est quidem quod doluit Christus, quod interiit certum: sed servat in eo dignitatem suam etiam veritas mortis. Quæ conditio umquam humani corporis habuit aquæ vel sanguinis fluxum? Esto, quod tamen vix consuetudinis ratione permittitur, ut continuerit cruorem suum caro defuncta; ubi latuit viventis aquæ fonticulus in corpore morientis? Unde procedit duplex rivus arentem mundum fecundaturus, purus laticis, pretiosus cruoris? Unde sancti fluminis unda prorumpit, sola restinguendis gehennæ satisfactura vaporibus? Ecce videtis de latere Adam nostri conjugem suam strui. Ecce sponsam victuro, dum moritur, præparari. Ecce dormienti præcipi quod lætificet vigilaturum. Omnis autem ecclesia duo sunt genera hominum. Unum est, quod fideli morte, aliud quod sublimi passione salvatur: unum quod pro Christo occubuit, aliud quod Christo vixit. Nos ergo excipiamus aquam de latere Domini, martyres sanguinem. Illos pretiosa sanguinis purpura vestiat, nos nivea baptismatis unda respergat.

a Ephes. IV. 5. b I. Cor. III. 16. c Act. XIII. 2. d Ephes. IV. 5. e Psalm. XVIII. 7. f Ephes. IV. 8. 9.
g Ephes. V. 31. 32. h Joan. XIX. 31. 32. i Exod. XII. 46. k Joan. XIX. 34. l Gen. VI. 16. m Psal. CXXXI. 8.

V.

Ex libris contra Arrianos.

CONsultus in evangelio Dominus, quid de vinculi matrimonialis soliditate decerneret, [a] *Non sunt*, inquit, *jam duo, sed una caro. Propter quod dico vobis; Quod Deus junxit, homo non separet.* Ecce quod ait Apostolus de conjugio, [b] *Sacramentum hoc magnum: ego autem dico vobis, in Christo & in ecclesia.* Nascitur nempe ab humilitate exempli, altitudo mysterii. Si ex duobus dicitur unum facere copula corporalis, quare totam Trinitatem non solidaverit una substantia? aut cum dicamus, in terrenis separari non licere quod Deus junxit per concordiam, quanto periculo in supernis separari velimus quod Deus junctus est per naturam? Jam ut illud taceam quod scriptum est, quod [c] *multitudinis credentium erat anima una, & cor unum:* quorum singula corda unum cor reddebat unanimitas, sicut proprias in Trinitate personas solidat & exunat æqualitas.

AD PHILIPPENSES.

I. *Qui cum in forma Dei esset, semet ipsum exinanivit.*
II. *Factus obediens usque ad mortem.*
III. *Propter quod Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen quod est super omne nomen.*
IV. *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur.*
V. *Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei patris.*
VI. *Item de eodem.*

I.

Ex libris contra phantasma.

CUm [d] *in forma Dei esset, semet ipsum exinanivit formam servi accipiens, & humiliavit semet ipsum usque ad mortem, mortem autem crucis.* Verus Deus est qui dignatur inclinari: verus homo est, qui potuit mori. *Propter quod*, inquit, *& Deus pater exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen.* Inter eum qui dat, & eum qui accipit honorem, trium est omne nomen. Imum est homo, medium Angelus, summum Deus. Hoc nomen donavit quod super omne nomen est, non ei quem genuit, sed illi quem misit, qui factus est obediens usque ad mortem. Aut quid novum est, credi in eo formam servi, qui nec maledicti opprobria ferre despexit? Apostolo protestante, [e] *eum qui non noverat peccatum, pro nobis maledictum fecit.* Quia scriptum est, inquit, [f] *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Propter quod exaltatus est, ut in nomine Jesu, omne, id est non solum hominis, verum etiam Angeli, genu flectatur: ei scilicet, qui secundum ejusdem Apostoli dictum, [g] *propter vos pauper factus est cum dives esset*, dives ab æternitate, pauper ex ventre: dives in cælis, pauper in pannis.

I I.

Ex libris contra Arrianos.

NOn per hoc minuit æqualitatem filii Dei, quod filius hominis obedivit. Quomodo enim non obediret patri, qui subditus erat matri? dicente Evangelista de parentibus ejus: [h] *Et venit Nazareth, & erat subditus illis.* Sic enim factus est, dicente Apostolo, [i] *obediens usque ad mortem*, sicut ipse Dominus dixit, [k] *Tristis est anima mea usque ad mortem.*

I I I.

Ex libris contra Arrianos.

AN forte solus pater dicendus est Dominus? In evangelio Christus discipulis ait: [l] *Vocatis me Magistrum & Dominum, bene dicitis: sum enim.* Et Apostolus ait [m], quod post mortem Christi, mortem autem crucis, exaltaverit eum pater, & dederit ei nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum, id est adoret, dicente alibi ipso Domino, [n] *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.*

I V.

Ex sermone de pentecoste.

CRux illa in qua vita pendente mors periit, sicut in passione evangelista Joannes enarrat [o], quia multiplicem capere non potuit, triplicis linguæ pagina fuit: ut a toto mundo incunctabiliter crederetur, quod Hebraicis litteris, nec non Latinis Græcisque conscriptum, quasi in ore trium testium firmaretur; ac deinceps [p] *omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei patris*, id est in una cum patre. Quod quamlibet aliquorum intentio negare persistat, & si non omnium sermo, certe omnis lingua proclamat.

V.

Ex libris contra Arrianos.

DIxi cum patre filio æqualem gloriam honoremque nos dicere: quia legimus, [q] *Ut omnis lingua confiteatur, quod Dominus Jesus Christus in gloria est Dei patris.* Si tantummodo dixisset in Dei, forte putaretur, esto in Dei, certe minoris: at cum in patris gloria, quid inæquale? quid exiguum? quid divisum? Non enim in angelica vel humana, sed in gloria est Dei patris. Alias autem, nisi æqualis gloria ista credatur, contra ipsius Domini jussionem [r], non omnes sic honorificabunt filium, sicut honorificant patrem. Nulla enim ratione sic honorari poterit major ut minor. Sed quicumque non sic honorificaverit filium sicut honorificat patrem, quidquid gloriæ demserit, contumeliæ deputavit.

a Matth. XIX. 6. *b* Ephes. V. 32. *c* Act. IV. 32. *d* Philipp. II. 8. 9. *e* II. Cor. VI. 21. *f* Gal. III. 13. *g* II. Cor. VIII. 9. *h* Luc. II. 51. *i* Philipp. II. 8. *k* Matth. XXVI. 38. *l* Joan. XIII. 13. *m* Philipp. II. 8. 9. *n* Matth. IV. 10. *o* Joan. XIX. 20. *p* Philipp. II. 11. *q* Ibid. *r* Joan. V. 23.

VI.

Ex sermone in dedicatione ecclesiæ archangeli Michaelis.

ISte sit ille, quam dulcis, tam terribilis locus, in quo Jacob [a] cernens Dominum scalis innixum, perque eas adscendentes descendentesque Angelos videns, domum divinitatis intelligit: ubi parato mysteriis lapide caput effultus, futurorum caussis aptavit unguentum: sive cum passuri mediatoris pendulum crinem, justificatæ peccatricis obsequio, fragrantis alabastri unda perfudit: ut quod lapidibus vivis in spiritualem fabricam congruenter maneceſſarium flueret, ex irriguo angularis lapidis fonte manaret, sicque Abrahæ filii per lavacrum ex lapidibus suscitati, ut ariditatem contagii naturalis evadant, odoriferi chrismatis munere gratia fecundante pinguescerent. Istud Jacob sopitus vidit in spiritu, expergefactus gessit in signo. Cum nobis inde oratio consecrantis inclamat, nobis ibi somnium dormientis invigilat. Scalæ vero quas vi- A dit, gradus sunt supplicationis humanæ, quibus quisque pro viribus in divinas aures precum qualitate mittatur. Adscendunt autem per eas Angeli, cum vota nostra in cælum porrigunt: descendunt, cum de cælis obtenta transmittunt. Adsistunt hi precibus nostris, non pennarum flatu, sed donorum spiritu, quorum volasse voluisse est. Interque hos sibi vindicat Michael princeps principem locum, quem Daniel [b] ille sublimis vir desideriorum, visionum potens, dissolutor ænigmatum, expositor figurarum, hebdomadæ triplicis fervente jejunio, parum fuit ut haberet visibilem, nisi acciperet adjutorem. Quocirca etiam heic Michael noster, sinceritate voti, jocunditate loci, devotione B populi, provocatus adstat, conferendo magna, maxima obtinendo, conspectum divinitatis quo semper illustratur, huc attrahat. Ad quem, quia multis scripturarum locis agnovimus, subvehentibus Angelis, sive quod pium poscitur, sive quod rectum geritur pervenire, acceptabilium operum salubriumque votorum prospiciamus in studio beatitudinem, qui providimus in archangelo portitorem.

AD COLOSSENSES.

I. *Qui est principium primogenitus ex mortuis.*

I.

Ex sermone die primo paschæ.

FIt Christus in hodierna festivitate non unigenitus, sed sicut Apostolus dicit, [c] *primogenitus ex mortuis*. Video tamen posse aliquos heic moveri, cur Christus primogenitus ex mortuis nominetur, cum factum sit, sicut plerumque nos sacer cælestium lectionum cursus instruxit, ut aliquos mortuorum, etiam sanctorum intercessione redivivos, laxatis naturæ vinculis, lux secunda susciperet. Quod admirabiliter quoque ac triumphaliter ipse Dominus fecerat [d], cum prohibitis prius duobus spiritibus de inferno, corporibus de sepulcro, Lazarum novissime suscitans, jussione tertia, die quarta, non de fauce, sed quodammodo de ventre mortis, vinctas funere, putredine relaxatas, fœtentes tempore, jussione viventes retraxit exsequias. Sed quicumque C sic temporaliter resurrexerunt, ut deinceps morerentur, hos mortuorum primitias, id est primogenitos ex mortuis, quod de solo Christo dictum est, appellare non possumus. Siquidem isti de morte cum mortis vinculis revertentes, nec sub remedio, sed adhuc sub chirographo, non sunt a conditione liberi, sed pro opportunitate laxati. *Christus* autem *resurgens*, ut Apostolus ait [e], *jam non moritur, mors ei ultra non dominabitur*. Ergo hactenus ipse solus est, qui non moriturus resurrexerit; hoc etiam suis postmodum largiturus, cum eos a morte perpetuo victuros resuscitabit. Quocirca illa jam secunda lætitia erit, qua fideles resurgent. Ceterum primum resurgendi gaudium primogenito ex mortuis jure D debetur.

AD THESSALONICENSES PRIMÆ.

I. *Quoniam ipse Dominus in jussu & in voce archangeli, & in tuba Dei*, cet.
II. *Rapiemur in nubibus obviam Christo in aera.*
III. *Item de eodem.*

I.

Ex sermone de Ascensione Domini.

VAs electionis gentium doctor, in quo adhuc mortali homine angelicus sermo vivebat, cum E resurrectionem mortuorum non mortuo sermone describeret, Dominumque nostrum [f] *in jussu*, idest cum imperio, *& in voce archangeli* affore, quasi cum præconis terrorem monstraret, tum *deinde*, inquit, *etiam nos rapiemur in nubes obviam Christo in aera.* Tunc erit possibile, quod modo arduum. Quod nunc in Christo veritas divinitatis, tunc in nobis poterit similitudo. Tunc etiam nostris aere pedibus subjugato, levibus elementis defæcatorum corporum membra ponemus: si tamen veniente eodem rege nostro, non in præteritum timida differendi conscientia retrahat, sed fida securitas ad percipiendam citius dignitatem gloriæ cælestis occurrat.

II.

Ex sermone die primo Rogationum.

PRæparare [g] *in occursum Dei tui Israel*. Dicit quidem Paullus Apostolus, [h] ubi Redemtoris describit adventum, qualiter rapiemur ad nubes obviam Christo in aera. Heic tamen puto occursum istum ad alium pertinere. Nam & heic viventes quasi occurrimus Deo, si præceptum quod porrigitur amplectimur: & quia paratus est ille ad ignoscendum, occurrat ei correctio ad pœnitendum. Sed & quicumque propter amorem æternæ vitæ, non solum ab illicitis abstinet, verum etiam a licitis se coer-

a Gen. XXVIII. 11. *b* Dan. X. 13. *c* Coloss. I. 18. *d* Matth. IX. 24. Luc. VII. 12. Joan. XI. 43.
e Rom. VI. 9. *f* I. Thessal. IV. 15. *g* Amos IV. 12. *h* I. Thessal. IV. 15.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 494.

cet, sponte occurrisse judicandus est. Nam, ut exempli gratia unum quodcumque dicamus, adulterio generaliter interdicto, simplex conjugium lege permittitur; cui tamen virginitatis nitor sine comparatione præfertur: unde [a] qui dat nuptum virginem suam bene facit, & qui non dat melius facit. Hoc ergo de omni debemus observatione sentire. Qui male facit, fugit; qui bene, exspectat; qui melius, occurrit.

III.

Ex libris contra Arrianos.

INtelligendum est, quod dicente filio, [b] *Nemo adscendet in cælum, nisi qui de cælo descendit*, divinitatis tantum potestas unde venerat adscensura dicatur, non eo modo quo adscensum sanctis vel tribuit idem Dominus, vel promisit. Ex quibus Enoch [c] propter meritum translatus a terris, Helias [d] curru elatus est cælis. Taceo illum qui [e] in corpore an extra corpus nescio Deus scit, in triplicibus supernorum secretis audivit verba quæ non licebat hominibus eloqui, quia videbat arcana quæ non licuerat mortalibus intueri. Sed forte parum videtur de ascensu fidelium personalia replicari. Noverat videlicet Apostolus præmia futurorum, cum sponderet illis (ad quos scribebat [f], quod recte viventium conversatio jam nunc esset in cælis, quo utique post resurrectionem corporis & habitatio servaretur: sicut & Dominus noster discipulis suis in evangelio Joannis insinuat dicens: [g] *Vado parare vobis locum. Et si abiero, & paravero vobis locum, iterum venio, & accerso vos ad me, ut ubi ego sum & vos sitis.* Juxta quam promissionem sancti in cælo futuri sunt. Numquid sine adscensu celsitudinem regni cælestis intrabunt? Et quomodo [h] *Nemo adscendet in cælum, nisi qui de cælo descendit?* Sed quia incommutabilis veritas, tam de se falli cum protestatur, quam de nobis fallere non potest cum pollicetur; quamlibet illic cum illo futuri sint qui fuerint glorificandi, ille solus adscendit qui levari alterius ope non indiget. Cui cum voluit solide substratus est aeris gradus. Cujus quo venerat revertentis, de superno vigore vibratum, de terrestri substantia corpulentum, viæ famulata pendenti sustinuit aura vestigium. Præter hunc ergo solum, cui ut sæpe jam dixi, per duplicem generationem suppetiit hæc potestas, multi in cælo futuri sunt, sed nullus ascendet. Quia ut impleatur fidelibus divina promissio, non adscensuris sed assumendis dabitur altitudo. Quod prævidebat Apostolus [i], cum sociandos nos Domino, & apud ipsum semper futuros, per nubem rapiendos in aera præmoneret. Porro intelligi promtum est, quod alieno subvectus arbitrio non graditur propria libertatis sponte qui rapitur. Nec semper invitos rapi rearis: frequenter raptos suos monstrat & gratia. Siquidem teste evangelio [k], & pater trahit qui ad filium veniunt, & [l] a violentis rapitur regnum cæleste. Quæ sic rapina desiderii sui sancti efficit compotem, ut Dei cui hoc violenter eripitur, magis provocet largitatem.

AD TIMOTHEUM PRIMÆ.

I.

Ex libris contra Arrianos.

IN Christo Deus & homo, non alter, sed ipse: non duo ex diversis, sed unus ex utroque mediator. Gemina quidem substantia, sed una persona est. Quam soliditatem si quis scindere dualitate præsumat, primum est quod publice contra Apostoli sententiam profitetur, dicentem: [m] *Unus mediator Dei & hominum Christus Jesus.* Deinde eligat necesse est de duobus, id est divina humanaque, quam naturam mediationis hujus velit mysteria suscepisse. Si solus Deus mediator, non est alius apud quem intercedat: si solus homo, non est qui reconciliare prævaleat. Junge porro ut fit [n] Deus in Christo, & est mundum reconcilians sibi. Ipse videlicet penes quem agendum est, ipse qui agat: sic idem missus, & idem regressus; sicut ipse judicatus, & ipse judicaturus.

II.

Ex sermone de ordinatione episcopi.

SUperest nunc, ut lectionis hujus semper meminerit, quæ peculiariter ei nunc lecta est, inclamante Apostolo, acclamante populo, conclamante judicio, [o] *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Solent autem plerique, propriæ ambitionis incendium dicti hujus apostolici quasi refrigerio temperare, quod jam & libertate permissa res boni operis concupiscatur. Sed statim cessaret tale desiderium, si sequentia tractarentur. [p] *Oportet*, inquit, *hujusmodi irreprehensibilem esse.* Heic secum rogo crescens ambitus & animosa honorum vota decertent: heic permissam sibi desiderii securitatem merita semet ipsa scrutata considerent: si ab omni interdictæ reprehensionis nævo candida divinæ imaginis integritas custoditur: si quandocumque mentis impetus moderationis limitem non excessit: si quibuscumque indigentibus superfluum quippiam manus non tenuit: si numquam sermonis petulantia honestatem silentii salubrioris irrupit: si [q] calentem diei ferventis iracundiam limes occidui solis absolvit: si numquam corde duplici diversum sonantis cogitantisque aliud verba quam vota moliuntur: si ad ultimum digna observantiæ cura, ut de juramentis taceam, vel perjuria formidantur. Non quod ab his omnibus liberi esse omnes possimus, sed quod periculosum sit unumquemque merita sua non recolere, & quod solis irreprehensibilibus debetur, ambire. Jam quid de illis dicatur, quos pretiositatem gratiæ pretii vilitate mercantes, usque ad jacturam pecuniæ verecundiæ jactura producit? Quorum acclamationibus militant conducta mendacia, quorum prurientes scalpentibus præconiis aures mercenarius clamor inflammat: quique non reminiscentes [r] Simonem Magum divini muneris dispensationem pretio voluisse mercari, cum pecunia sua non in sacerdo-

a I. Cor. VII. 36. *b* Joan. III. 13. *c* Hebr. XI. 5. *d* IV. Reg. II. 11. *e* II. Cor. XII. 2. cet. *f* Philipp. III. 20. *g* Joan. XIV. 2. *h* Joan. III. 13. *i* I. Thess. IV. 15. *k* Joan. VI. 46. *l* Matth. XI. 12. *m* I. Tim. II. 5. *n* II. Cor. V. 19. *o* I. Tim. III. 1. *p* Ibid. V. 2. *q* Ephes. IV. 26. *r* Act. VIII. 18.

tium, sed in interitum deputantur. Libere ergo hæc coram ambitu electo compulsoque detester: placere Deo penitus nequit, qui usque ad sui electionem sibi ipse placuerit. Quin potius de innocentum antistitum labore dicamus. Neque enim levis est administraturi caussa pontificis, quem manet dupliciter, sermo ut populi magistrum, actus ut Christi discipulum: qui plebem non minus pietate, quam severitate recturus est. Quem timere convenit dispendiis suis, quem communicare non convenit criminibus alienis. Qui alium onerat se contestante, qui damnum patitur alio pereunte. Quando audit, *non turpis lucri cupidum*, temperaturus est ut sit cupidus, & quidem lucri, nec tamen turpis: id est, ut studeat commissa sibi talenta assiduæ prædicationis sermonibus expolire, & adquisita multiplicataque gregis sui salute geminare. Jubetur esse *ornatus*: nec istud corporaliter accipiendum est. Episcopum cui injuncta merito ornamenta suppeditent, non comit pompa, sed gratia. Sic itaque sacerdotalis locus, artam illam & contribulatam evangelii semitam tenens, perque augustias ejus post se etiam populum trahens, sinistram fugiens, dexteram non præsumens, periculosum ex utraque parte lubricum pertimescat, & sermonis apostolici libram æqualitate considerationis appendens, si districtus esse voluerit, legat *non percussorem*; si humanus, *non vinolentum*: si sobrius, *non avarum*: si subditus, *non abjectum*: si servus, *non elatum*: si misericors, *non remissum*: si terribilis, *non cruentum*: si *domum suam bene regentem*, utique ordinantem omnia, negligentem nulla, adquirentem multa, plurima dispensantem. Ergo & huic ex administratæ domus probato rectoque judicio, super evangelici illius nummularii mensam pecunia multa committitur, quæ multiplicato reddenda compendio vos eritis.

III.

Ex epistola contra Faustum.

Fateor in necessitate positis, cet. *ut in epistola IV. pag. 21. o usque ad*, in carne non viderat conjugatos.

IV.

Ex sermone die II. Rogationum.

Age nunc, in quantum potest fieri, videamus quæ nostra quæve aliena sint. Ait Paullus Apostolus; [a] *Nihil intulimus in hunc mundum, sed nec auferre possumus*. Et quid nostrum dici potest, quod non intulimus, quodque non relaturi sumus? *Nudus*, inquit Job [b], *exivi de utero matris meæ, nudus revertar in terram*. Patet quam infidelis sit usus divitiarum, qui nos nec in principio nostro, nec in fine comitatur. Quid aurum & argentum avare multiplicas? quid tuum dicis, ad quod nudus venisti? Mundi est facultas quam tuam, communis est quam propriam putas. Via itineris cujuscumque quam gradimur, breviter dici nostra potest, dum a nobis ambulatur: nobis vero prætergressis, illorum est qui sequuntur. Quomodo potest nostra esse facultas caduca atque terrena, si non pascat egenum, cum possit pascere violentum? Quomodo nostrum est, in quo nec capiendo innoxii, nec continendo justi, nec possidendo certi, nec conservando securi sumus? Et quam pro certo tenemus, nos nudos in terram venisse, tam certo sciamus, de terrestribus nos auferre nihil posse. Apostolus se recolit nihil intulisse, nihil ablaturum esse. Job fatetur nudum se natum, nudumque moriturum. Salomon [c] omnibus parem clamat interitum & similem exitum. Quantumlibet ambitione velit quisque discerni, principio & fine conjungitur. Nam quod dixit, *Unus introitus omnibus ad vitam, & par egressus ad mortem*, non meritorum æqualitatem, sed æqualem docuit conditionem. Unde si apparet, ut opinor, nec infida fidelium, nec peritura esse salvorum, quæ sint nostra paullulum discernamus. Ecce, ut supra dixi, cum in hunc mundum venientes nihil terrenæ facultatis inferimus, animam tamen arbitrii compotem capacemque rationis, ad eligendum bonum, si Deus inspiraverit, exhibemus. Cumque processu temporis voluntatis nostræ qualitas confirmatur, Dei voluntas est ut bene faciamus, sed nostrum est quod fecerimus. An forte dicit aliquis, & hanc ipsam boni actionem potest homo insidiante diabolo perdere. Verum est, quod amittere homo bonum proprium furante adversario potest. Sed hinc magis nostrum conjici debet, quia non violenter aufertur. Non enim taliter perdimus mercedem, qualiter facultatem. Quod enim extra nos est, carnalis inimicus rapiendo auferre potest: quod vero intra nos, non potest spiritualis nisi insidiando furari. Et ideo, [d] *si sciret paterfamilias qua hora fur venit, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam*. Illa ergo est domus nostra, quæ si vigilamus, non potest dirui: illa vero prorsus aliena est, quæ potest vigilantibus nobis occupari.

AD TIMOTHEUM SECUNDÆ.

I. *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia.*

I.

Ex sermone die III. Rogationum.

Quomodo si, inquit [e], inferant filii Israel munus in vase mundo in domum Domini. Legimus in Apostolo, [f] *in domo magna non solum argentea vel aurea, sed etiam lignea vasa & fictilia* reperiri. Quæ in ipsa graduum diversitate omnia possunt esse usui, etiam si non sunt æqualia dignitati. Cuilibet distantiæ nitor opus est. Potest in fictilibus vasculis, dummodo munditia non desit, divinæ domui munus offerri, si vas ex eadem massa fictum, quia peccando ceciderat in contumeliam, pœnitendo redeat ad honorem. [g] Habemus enim thesaurum istum in vasis fictilibus. Hæc ergo vascula, ut dixi, pœnitentium teneant compunctionem. Porro lignea legitimam conjugatorum præferant simplicitatem: cruore martyris aurea rubeant: virginitatis radio argentea perlucescant. Vasorum talium capacitas est, quod rationabilis naturæ conditi sumus. In hæc modo provideat de suo quisque quod offerat: pro qualitate munerum sit pretiositas vasculorum. Istis credo vasculis Heliseus [h] quondam liquorem olei vivacis infudit, quod cum flueret irriguum, non effluxit impletum.

a I. Tim. VI. 7. *b* Job. I. 21. *c* Sap. VII. 6. *d* Luc. XII. 39. *e* Isa. LXVI. 20. *f* II. Tim. II. 20. *g* II. Cor. IV. 7. *h* IV. Reg. IV.

SÆCUL. V.
CIRCA
ANN. CHR.
494.



AD HEBRÆOS.

I. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.*
II. *Minorasti eum paullo minus ab Angelis.*
III. *Ubi enim testamentum, mors necesse est intercedat testatoris.*
IV. *Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur.*
V. *Lapidati sunt, secti sunt.*

I.
Ex libro de Christi divinitate.

Filius [a] *meus es tu, ego hodie genui te*. Hodie heic æternitas cet. *ut in epistola* XXVIII. *pag.* 45. *c usque ad*, nomen filii ejus, si nosti.

II.
Ex libris contra Arrianos.

Minorasti [b] *eum paullo minus ab Angelis.* Quod Apostolus de Christo exponit dictum, cum in natura divinitatis suæ major esse Angelis a nemine dubitetur. De quo dicit Apostolus ad Titum scribens, [c] *ut abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, prudenter & juste & pie vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei & salvatoris nostri Jesu Christi, qui dedit pro nobis semet ipsum*. De quo alio loco scriptura nostra dicit: [d] *Qui est, qui erat, quique venturus est omnipotens.* Si omnipotens, unde minor? Nam & illud omnipotens dicit jam post resurrectionem suam secundum Matthæum, [e] *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*. Quod si quis minorem putat accipientem eo qui dat, legat & de Christo per Apostolum dici: [f] *Cum tradiderit regnum Deo & patri*: cum sic non possit esse pater sine regno, quod ei filius dicitur esse traditurus, sicut nec filius sine C omni potestate quam sibi dicit datam in cælo & in terra. De quo S. Paullus ad Colossenses, prohibens ne credamus secundum traditionem hominum, secundum elementa hujus mundi, & non secundum Christum: [g] *Quoniam*, inquit, *in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.*

III.
Ex sermone de Natali calicis.

Impleturus redemtor noster sacramentum carnis assumtæ, sicut æternus & piissimus pater, creatis a se redemtisque filiis spem indultæ adoptionis aperiens, substantiamque nobis cælestem ante diem D suæ mortis adsignans, testamentum fecit, quo nos heredes ab his quæ largiebatur instituit, humana quidem comparatione, sed non humana necessitate, non amissurus quod filiis deputabat, sed habiturus magis filios cum hereditate quam scripserat. Testamentum hoc appellamus testamentum novum. In quo exheredatis omnibus, solus heres instituitur populus Christianus. Non autem juxta terrenum morem hereditas ista dividitur, nec corruptibili distributione in plures dispersa tenuatur. Omnes recepit, omnes invitat: nec de portione tenentum tollitur quod aliis nascentibus deputetur. Crescat quantum vult, & multiplicetur renascendi cupida filiorum voluntas, omnibus se incontaminatam reservat hereditas. Sed istud testamentum novum vetere suppleto ordine suo agitur, & to-

A tius firmitatis mysteriis celebratur. Quod ipse ineffabilis redemtor noster, adhibitis valde idoneis testibus, discipulis suis, conscripsit traditus, signavit passus, aperuit suscitatus. Et quia cuncta rite peracta sunt, merito Apostolus Paullus dicit: [h] *Quod hominis confirmatum testamentum nemo irritum facit, aut superordinat*, id est mutat. Agnoscamus nunc fideliter summam hereditatis indeptæ. Illud est videlicet, quod cœnantibus Apostolis æterni libaminis ordinem consecravit. Itaque videmus, quod nihil nobis de substantiæ plenitudine minuit, qui quod pro nobis assumsit, totum nobis reliquit. Alii heredibus suis sua tribuunt, ille semet ipsum, id est carnem vel sanguinem corpo-

B ris sui.

IV.
Ex sermone die paschæ.

Universis igitur ferte quæ sumitis. Quod mensæ apposui, mundo transmisi: calix quem vos gaudetis gustasse, cunctorum est. Novi & æterni testamenti paucos testes adhibuit, multos heredes. Nulla tamen sortis conditio admittit alienum. Certos quosque recipit cælestis cognitio: populus est quidem adoptione, sed unicus.

V.
Ex sermone de Ezechia rege.

Ille quondam patriarcharum maximus pater [i], qui immolandum filium jussus offerre, viriliter præsumsit, nec majestati hominem posse resistere, nec pietati præceptum parricidii convenire. Et tamen, cum mysterii ignoraret eventum, altari filium quasi jugulaturus imposuit: unum certissime tenens, si hujus hostiæ Deo irrevocabilem libuisset tenere sententiam, non homicidium, sed sacrificium fore quod obedientia commisisset.

VI.
Ex sermone die II. Rogationum.

Nos magis instruunt isti prophetæ, & infirmitatem nostram quasi sub suæ impatientiæ sermonibus consolantur. Illorum porro patientiam testantur multiplices in infirmitate virtutes. Quorum ut vel paucissimos, propter istum qui dolet justum ab impio devorari, exempli gratia proferamus, probat hoc de Jeremia gloriosior in captivitate libertas, neque per ligamen corporis licentia vincta sermonis. Probat Esaias, quem ob præconium veritatis, divaricante serra obtusis dentibus, doloribus acutis, sæviens civicus furor, quantum ad pœnam mortaliter torsit, tantum ad gloriam vitaliter occidit. Cumque victore defuncto, victus superstes doleret, per laniatam carnem mentem nequivisse lacerari, cum multas membrorum partes quas disjunxerat numeraret, plus quam unam fidem invenire non potuit.

a Psalm. II. 7. *b* Psalm. VIII. 6. *c* Tit. II. 12. *d* Apoc. XI. 17. *e* Matth. XVIII. 28. *f* II. Cor. XV. 24. *g* Coloss. II. 9. *h* Gal. III. 15. *i* Gen. XXII.

Ex veteri codice.

Ex dictis patrum diversis catholicorum. *Hæc Lugdunensis Florus collegit in unum.*

ALCIMI ECDICII AVITI

EPISCOPI VIENNENSIS

[1] POEMATUM DE MOSAICÆ HISTORIÆ GESTIS

LIBRI V.

PROLOGUS.

* *Domino sancto in Christo piissimo ac beatissimo Apollinari episcopo Alcimus Ecdicius Avitus frater.*

NUper quidem, paucis Homiliarum mearum in unum corpus redactis, hortatu amicorum discrimen editionis intravi. Sed adhuc te majora suadente, in coturnum petulantioris audaciæ edurata fronte procedo. Injungis namque, ut si quidquam de quibuscumque caussis metri lege conscriptum est, sub professione opusculi vestro nomini dedicetur. Recolo equidem nonnulla me versu dixisse: adeo ut si ordinarentur, non minimo volumine stringi potuerit epigrammatum multitudo. Quod dum facere servato caussarum vel temporum ordine meditarer, omnia pæne in illa notissimæ perturbationis necessitate dispersa sunt. Quæ quoniam singillatim aut requiri difficile, aut inveniri impossibile foret, abjeci ea de animo meo, quorum mihi vel ordinatio salvorum, vel dispersorum reparatio dura videretur. Aliquos sane libellos apud quemdam familiarem meum postea reperi: qui licet nominibus propriis titulisque respondeant, & alias tamen caussas inventa materiæ opportunitate perstringunt. Hi ergo, quia jubes, etsi obscuri sunt opere meo, tuo saltem nomine illustrabuntur. Quamquam quilibet acer ille doctusque sit, si religiosi propositi stilum non minus fidei quam stili lege servaverit, vix aptus esse poemati queat. Quippe cum licentia mentiendi, quæ pictoribus ac poetis æque conceditur, satis procul a caussarum serietate pellenda sit. In sæculari namque versuum opere condendo, tanto quis peritior appellatur, quanto elegantius, immo, ut vere dicamus, ineptius falsa texuerit. Taceo jam verba illa vel nomina, quæ nobis nec in alienis quidem operibus frequentare, ne dicam in nostris conscribere licet: quæ ad compendia poetarum, aliud ex alio significantia plurimum valent. Quocirca sæcularium judicio, qui aut imperitiæ aut ignaviæ dabunt, non uti nos licentia poetarum, plus arduum quam fructuosum opus adgressi, divinam longe discrevimus ab humana existimatione censuram. Quoniam in afferendis quibusque rebus, vel etiam prout suppetit explicandis, si quacumque ex parte peccandum est, salubrius dicente clerico non impletur pompa quam regula, & tutius artis pede, quam veritatis vestigio claudicatur. Non enim est excusata perpetratione peccati libertas eloquii. Nam si [a] pro omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, rationem redhibere cogentur; agnosci in promtu est, illud periculosius lædere, quod tractatum atque meditatum & antepositum vivendi legibus, loquendi lege præsumitur.

a Matth. XII. 36.

1. *Poematum libri V.*] De his libris Avitus ipse ad Apollinarem Sidonii filium scribens epist. XLV. *Magnificentiæ vestræ*, inquit, *litteras vidi, quibus scribebatis placuisse vobis libellos, quos de spiritalis historiæ gestis etiam lege poematis lusi*. Titulus hic libris omnibus communis. Nam singuli peculiares suos habent. Pro spiritali autem historia quæ latius patet, Mosaicæ nomen a nobis substitutum, nec Avitus opinor ipse improbaret. Quæ operis hujus primæ fuerunt editiones, princeps videlicet omnium Argentoratensis anno MDVII. & quæ altero ac tertio post anno Coloniæ & Parisiis prodiere, cum manuscriptis consentientes, nihil admodum inter se discrepant, nisi quantum variare diversa solent exemplaria. At longe dissimilis, quæ has anno MDXXXVI. secuta est, Lugdunensis Joannis Gagneii. Innumeris quippe locis, ut præfati sumus, depravata, & quingentis prope versibus, inaudito, ac nisi auctor ipse proderet, incredibili facinore interpolata. Quæ & in ceteras deinceps editiones passim recepta, sic eas infecit, ut fucum pati necesse fuerit viros litteratos, & pro Aviti versibus Gagneianos haud raro legere & usurpare. Hoc igitur contagio ut liber sit Avitus in posterum, suo illum origini genuinoque nitori reddere conati sumus, ope nixi veterum aliquot exemplarium, cum quibus hos libros religiose contulimus, varias lectiones nullas aspernati, præter inutiles, aut quas aliorum codicum consensus refelleret.

* Hanc epistolam minus emendatam antea ediderat Sirmondus inter notas ad Ennodii opusculum de vita B. Epiphanii episcopi Ticinensis.



ALCIMI AVITI
EPISCOPI VIENNENSIS
POEMATUM
LIBER I.

De Initio mundi.

Quidquid agit varios humana in gente labores, A
Unde brevem carpunt mortalia tempora vitam,
Vel quod polluti vitiantur origine mores,
Quos aliena premunt priscorum facta parentum,
Addatur quamquam nostra de parte reatus,
Quod tamen amisso dudum peccatur honore,
Adscribam tibi, prime pater, qui semine mortis
Tollis succiduæ vitalia germina proli.
Et licet hoc totum Christus persolverit in se,
Contraxit quantum percussa in stirpe propago:
Attamen auctoris vitio, qui debita leti
Instituit, morbosque suis ac funera misit,
Vivit peccati moribunda in carne cicatrix.
Jam pater omnipotens librantis pondere verbi
Undique collectis discreverat arida lymphis,
Litoribus pontum constringens, flumina ripis:
Jam proprias pulcro monstrabat lumine formas,
Obscuro sedente die, varioque colore
Plurima distinctum pingebat gratia mundum.
Temporibus sortita vices tum lumina cælo
Fulsere alterno solis lunæque meatu.
Quin & sidereus nocturno tempore candor
Temperat horrentes astrorum luce tenebras.
Actutum suavi producens omnia fetu,
Pulcra repentino vestita est gramine tellus. C
Accepere genus sine germine jussa creari,
Et semen voluisse, fuit. Sic ubere verbi
Frondescunt silvæ: teneris radicibus arbor
Duravit vastos parvo sub tempore ramos.
Protinus in varias animalia multa figuras
Surgunt, & vacuum discurrunt bruta per orbem:
Elatæ in altum volucres, motuque citato
Pendentes secuere vias, & in aere sudo
Præpetibus librat membrorum pondere pennis.
Post etiam clausi vasto sub gurgite pisces
Respirant lymphis, flatusque sub æquore ducunt.
Quæque negant nobis, illis dant humida vitam. D
Nec minus in pelago viviscunt grandia cete,
Accipiuntque cavis habitacula digna latebris:
Et quæ monstra solet rarus nunc prodere pontus,
Aptat ad informes condens sollertia formas.
Quodque hominum falso credit mens nescia fœdum,
Per propriam speciem natura judice pulcrum est.
Ergo ubi completis fulserunt omnia rebus,
Ornatuque suo perfectus constitit orbis:
Tum pater omnipotens æterno lumine lætum
Contulit ad terras sublimi ex æthere vultum,
Illustrans quodcumque videt: placet ipsa tuenti
Artifici factura suo, laudatque creator
Dispositum pulcro quem condidit ordine mundum.
Tum demum tali sapientia voce locuta est:
En præclara nitet mundano machina cultu;
Et tamen impletum perfectis omnibus orbem
Quid juvat ulterius nullo cultore teneri?
Sed ne longa novam contristent otia terram,
Nunc homo formetur, summi quem tangat imago
Numinis, & nostram, celso donatus honore,
Induat interius formosa in mente figuram.
Hunc libet erectum vultu præponere pronis,
B Qui regat æterno subjectum fœdere mundum,
Bruta domet, legem cunctis ac nomina ponat,
Astra notet, cælique vias & sidera norit;
Discat & inspectis discernere tempora signis:
Subjiciat pelagus sævum, ingenioque tenaci
Possideat quæcumque videt: cui bestia frendens
Serviat, & posito discant mansueta furore
Imperium jumenta pati, jussique ligari
Festinent trepidi consueta in vincla juvenci.
Quoque magis natura hominis sublimior exstet,
Accipiat rectos in cælum tollere vultus:
Factorem quærat proprium, cui mente fideli
Impendat famulam longævo in tempore vitam.
Hæc ait, & fragilem dignatus tangere terram,
Temperat humentem consperso in pulvere limum,
Moliturque novum dives sapientia corpus.
Non aliter, quam nunc opifex, cui artis in usu est
Flectere laxatas per cuncta sequacia ceras,
Et vultus implere manu, seu corpora gypso
Fingere, vel segni speciem componere massa.
Sic pater omnipotens victurum protinus arvum
Tractat, & in lento meditatur viscera cæno.
Hinc arcem capitis sublimi in vertice signat,
Septiforem vultum rationis sensibus aptans,
Olfactu, auditu, visu, gustuque potentem.
Tactus erit solus, toto qui corpore judex
Sentiat, & proprium spargat per membra vigorem.
Flexilis artatur recavo sic lingua palato,
Pressus ut in camera pulsantis verbere plectri
Percusso resonet modulatus in aere sermo.
Exin succiduum porrecto in corpore pectus
Spargit ramosas post brachia fortia palmas.
Succedit stomacho medius, qui tegmine molli
Inter utrumque latus foveat vitalia, venter.

Dividuam partem femur excipit, aptius ut se A
Alternus moveat duplicato poplite gressus.
At parte ex alta, fingit quam conditor unus,
Occipiti submissa suo descendere cervix
Incipit, & vastos compagibus addere nervos.
Spina rigens crebris inter commercia nodis
Diffundit duplicem costarum ex ordine cratem.
Pars interna novos vitæ formatur ad usus,
Naturale parant tegmen vitalia cordi,
Massaque congestis pendens absconditur extis.
Additur his tenui pascendus ab aere pulmo,
Qui concepta trahens lenti spiramina flatus,
Accipiat reddens, reddat quas sumserit auras,
Inque vicem crebro pellatur anhelitus haustus. B
Dextra tenet jecoris vegetandum sanguine fontem,
Quo clausum venæ spargunt per viscera flumen.
Lienis lævam sortitur regula partem,
Qua crines perhibent unguesque recrescere sectos,
Nec concisa dolent: hinc nunc augmenta resumunt
Quæ vivunt sensuque carent in corporis usu.
Postquam perfectæ jacuit novitatis imago,
Formatumque lutum speciem pervenit in omnem:
Vertitur in carnem limus, durataque molles C
Visceribus mediis traxerunt ossa medullas.
Inseritur venis sanguis, vivoque colore
Inficit ora rubor: toto tum corpore pallor
Pellitur, & niveos depingit purpura vultus.
Inde ubi perfectis consuescit vivere membris
Totus homo, & sumant calefacta ut viscera solam
Exspectant animam, puro quam fonte creator
Promat, & erectos recturam mittat in artus.
Lenem perpetuo flatum profundit ab ore,
Inspiratque homini: quem protinus ille receptum
Attrahit, & crebri discit spiraminis auras.
Postquam nascentem sollers prudentia sensum D
Imbuit, & puro rationis lumine fulsit,
Surgit, & erectis firmat vestigia plantis.
Tum varias mundi species, cælique figuras
Mirantem, tali compellat voce creator:
Hæc quæ mundanis cernis pulcherrima rebus
Incrementa novis, ornatum tensa per orbem,
Solus habe, totisque prior dominare fruendo.
Tu mihi, cuncta tibi famulentur: maximus ordo est,
Te parere pio qui subdidit omnia patri.
Non species ullæ, nec numina vana colantur,
Non si quid cælo sublime novumque coruscat,
Non quæ vel terris vivunt formata, vel undis, E
Nec quod forte premens prohibet natura videri.
Usibus ista tuis, non cultibus, esse memento:
Præcellens factis factorem pronus adora.
Interea sextus noctis primordia vesper
Rettulit, alterno depellens tempore lucem:
Dumque petunt dulcem spirantia cuncta quietem,
Solvitur & somno laxati corporis Adam.
Cui pater omnipotens pressum per corda soporem
Jecit, & immenso tardavit pondere sensus,
Vis ut nulla queat sopitam solvere mentem.
Non si forte fragor securas verberet aures,
Nec si commoto cælum tunc intonet axe,
Sed nec pressa manu rupissent membra quietem.
Tum vero cunctis costarum ex ossibus unam
Subducit lævo lateri, carnemque reponit.
Erigitur pulcro genialis forma decore,
Inque novum subito procedit femina vultum.
Quam Deus æterna conjungens lege marito,
Conjugii fructu pensat dispendia membri.
Istius indicium somni mors illa secuta est,
Sponte sua subiit sumto quam corpore Christus.
Qui cum passurus ligno sublimis in alto
Penderet nexus, culpas dum penderet orbis,
In latus extensi defixit missile lictor.
Protinus exsiliens manavit vulnere lympha,
Qua vivum populis jam tum spondente lavacrum,
Fluxit martyrium signans & sanguinis unda.
Inde quiescenti gemina dum nocte jaceret,
De lateris membro surgens ecclesia nupsit.
Principio rector tanti sacrare figuram
Disponens vincli, nectit connubia verbo:
Vivite concordi studio, mundumque replete,
Crescat longævum felici semine germen:
Non annis numerus, vitæ nec terminus esto.
Progeniem sine fine dedi, quam tempore toto
Aspicies, generi primus qui poneris auctor.
Pronepos eductos spargens per sæcla nepotes
Viventes numeret proavos, inque ora parentum
Ducant annosi natorum pignora nati.
Tum lex conjugii, toto venerabilis ævo,
Intemerata suo servabitur ordine cunctis.
Femina persistat de viscere sumta virili,
Conjugio servare fidem: nec separet alter
Quod jungit sociatque Deus: patremque relinquat
Et matrem justo constrictus amore maritus.
Ista parentales non rumpant vincula curæ,
Vita sed amborum carnem teneatur ad unam.
Taliter æterno conjungens fœdere vota,
Festivum dicebat hymen, castoque pudori
Concinit angelicum juncto modulamine carmen.
Pro thalamo paradisus erat, mundusque dabatur
In dotem, & lætis gaudebant sidera flammis.
Est locus eoo mundi servatus in axe
Secretis, natura, tuis, ubi solis ab ortu
Vicinos nascens aurora repercutit Indos.
Heic gens ardentem cæli subterjacet axem,
Quam candor fervens albenti ex æthere fuscat.
His semper lux pura venit, cæloque propinquo
Nativam servant nigrantia corpora noctem.
Attamen in tetris splendentia lumina membris
Captivo fulgore micant, visuque nitente
Certior accrescit pullatis vultibus horror:
Cæsaries incomta riget, quæ crine supino
Stringitur, ut refugo careat frons nuda capillo.
Sed magnum nostros quidquid defertur ad usus,
His totum natura dedit telluris opimæ.
Quidquid odoratum pulcrumque adlabitur, inde est.
Concolor his ebeni piceo de fomite ramus
Surgit, & heic, eboris munus quæ porrigit orbi,

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 494.

Informis pulcros deponit bellua dentes. A
Ergo ubi transmissis mundi caput incipit Indis,
Quo perhibent terram confinia jungere cælo,
Lucus inaccessa cunctis mortalibus arce
Permanet, æterno conclusus limite, postquam
Decidit expulsus primævi criminis auctor,
Atque reis digne felici a sede revulsis,
Cælestes hæc sancta capit nunc aula ministros.
Non heic alterni succedit temporis umquam
Bruma, nec æstivi redeunt post frigora soles,
Excelsus calidum cum reddit circulus annum,
Vel densante gelu canescunt arva pruinis.
Heic ver assiduum cæli clementia servat:
Turbidus Auster abest, semperque sub aere sudo B
Nubila diffugiunt jugi cessura sereno.
Nec poscit natura loci quos non habet imbres,
Sed contenta suo dotantur germina rore.
Perpetuo viret omne solum, terræque tepentis
Blanda nitet facies: stant semper collibus herbæ,
Arboribusque comæ: quæ cum se flore frequenti
Diffundunt, celeri confortant germina succo.
Nam quidquid nobis toto nunc nascitur anno,
Menstrua maturo dant illic tempora fructu. C
Lilia perlucent nullo flaccentia sole,
Nec tactus violat violas, roseumque ruborem
Servans perpetuo suffundit gratia vultu.
Sic cum desit hiems, nec torrida ferveat æstas,
Fructibus autumnus, ver floribus occupat annum.
Heic quæ donari mentitur fama Sabæis
Cinnama nascuntur, vivax quæ colligit ales,
Natali cum fine perit, nidoque perusta
Succedens sibimet quæsita morte resurgit:
Nec contenta suo tantum semel ordine nasci;
Longa veternosi renovatur corporis ætas,
Incensamque levant exordia crebra senectam. D
Illic desudans fragrantia balsama ramus
Perpetuum promit pingui de stipite fluxum.
Tum si forte levis movit spiramina ventus,
Flatibus exiguis, lenique impulsa susurro,
Dives silva tremit foliis, ac flore salubri,
Qui sparsus late suaves dispensat odores.
Heic fons perspicuo resplendens gurgite surgit.
Talis in argento non fulget gratia, tantam
Nec crystalla trahunt nitido de frigore lucem.
Margine riparum virides micuere lapilli,
Et quas miratur mundi jactantia gemmas,
Illic saxa jacent: varios dant arva colores,
Et naturali campos diademate pingunt.
Eductum leni fontis de vertice flumen E
Quattuor in largos confestim scinditur amnes.
Euphratem, Tigrimque vocant, qui limite certo
Longa sagittiferis faciunt confinia Parthis.
Tertius inde Geon, Latio qui nomine Nilus
Dicitur ignoto cunctis plus nobilis ortu;
Cujus in Ægyptum lenis perlabitur unda,
Ditatura suam certo sub tempore terram.
Nam quoties tumido perrumpit flumine ripas
Alveus, & nigris campos perinundat arenis,
Ubertas taxatur aqua, cæloque vacante
Terrestrem pluviam diffusus porrigit amnis.
Tunc inclusa latet lato sub gurgite Memphis,
Et super absentes possessor navigat agros.
Terminus omnis abest, æquatur judice fluctu
Annua suspendens contectus jurgia limes.
Gramina nota videt lætus subsidere pastor,
Inque locum pecorum viridantis jugere campi
Succedunt nantes aliena per æquora pisces.
Ast postquam largo fecundans germina potu
Lympha maritavit sitientis viscera terræ,
Regreditur Nilus, sparsasque recolligit undas:
Fit fluvius pereunte lacu: tum redditur alveo
Pristina riparum conclusis fluctibus obex,
Donec dividuum spargens per devia finem
Gurgite septeno patulum percurrat in æquor.
Sed cur dicatur tantum mundana latere
Vertex Nile tuus? nam qui nesciris ab ortu,
Non solus, sed quartus eras, diffusus ab illo,
Despicit excelso qui flumina cuncta meatu,
Ipsius atque pater pelagi supereminet omnes,
Quas montes, quas plana vomunt, quas nubila, lymphas.
Quartus Physon erit, quem possidet India Gangem,
Motus odorifero quoties qui vertice crevit,
Deciduas pulcro quas spargunt flumina luco
Prælambens furatur opes, & gurgite nostrum
Ducit in exsilium. Nam ripa largus utraque,
Amnibus ut nostris enodes ferre papyros,
Aut scirpos algasque leves deducere mos est,
Excrementa trahens magnus sic ditia Ganges
Hoc etiam donat mundo, quod projicit alveo.
Interea primi, summus quos junxerat auctor,
In paradisiaca ponuntur sede parentes.
Tum rector tali proponit præmia lege:
O summum factoris opus, quos sola creavit
Nostra manus, nasci cum cetera voce juberem,
AVitus epiſcopus viro illuſtriſſimo Arigio. Scio quidem quantæ devotionis affectu ire me ad feſta communia voluiſtis, verumtamen ita ut quem gaviſurum tantummodo vobiſcum, non aliquid profuturum, credere debueritis. Nam cum vobis ſacerdotes & magni merito & multi numero digne atque ambienter occurrerint, ego ſolus damno percellor, qui ſingularis patroni gaudiis intereſſe non mereor. Quibus ſi præſentia mea ſecundum deſiderium proveniſſet, ſicut optaveram de laude tanti operis quoscumque digni ſermonis audirem, qui omnibus mem- B bris fabricæ ſublimis inſpectis, congruenter poſſent adſcribere conditori in diſpoſitionum qualitate elegantiam, in expenſarum profuſione jacturam, in dimenſionum ratione concordiam, in ſpatiis diffuſionem, in culminibus celſitudinem, in humilitate firmitatem, expolire præconiis marmorum dignitatem, quibus gemmarum nomen ſola magnitudinis tollat invidia, collectum quodam modo atque incluſum induſtria diem, emolumento metallorum ſplendentium luce vegetari, hiſque omnibus pompis digne inferri reliquias, quibus mundus indignus eſt. Hæc igitur exaggeranda melioribus jure conceſſeram. Verumtamen peculiarem ſibi mercedem ſuam ſermo meus fuerat vindicaturus, recolens utique tempus illud quod inter ſæviſſimas per- C turbationum procellas, cum facti operis firmam ſoliditatem quaſi gubernatores invicti ad dedicationis portum circumſtridentibus undique naufragiorum caſibus impune duxiſtis, me, ut ex communi neceſſitate recolitis, pro gaudiis lacrymas dependente; cui cum ipſum præmaturæ innovationis ardore, cauſſarum ratione librata, non minus congerere ſuadeo quam plangere: quia non ut nuptæ tali ſponſo cui pacta fuerat, qualitercumque jungendæ, etſi ſatis deſiderabantur ſtrumenta cultuum, plus tamen formidari oportuit tela raptorum. Quocirca his omnibus conſilio penſatis, mutaſtis viri fortis conſtantiæ genus, & deponentes quo * adpeſſime floretis D ſæcularis ducatus audaciam, quidquid ab adverſa parte diſcriminis incubuerat, timore viciſtis. Quapropter omnis qui viderit coram poſitam jocunditatem, laudet præteritam feſtinationem. Convenit diſpoſitionibus veſtris rapta de adverſitate ſecuritas. Ante decuit noſtrum fieri, quod taliter libuerat ornari. Ego autem ut horum modo viſione non perfruar, & quæ cauſſa faciat, & nobiles patroni, & quales arbitri, etiam ſi taceatur, advertitis. Apo- A ſtolorum namque feſtivitas Viennenſibus quidem veſtris inter annuum martyrium dies peculiari ſtudio vivit. Habeo præſentiam tempori, quo diei paſſionis fabriculæ quam noſtis videtur injuncta eſſe dedicatio virorum, quia nihil eſt ad quod animum meum veſter deſtinare non poſſit affectus. Excuſans plebiculæ abſentiam, meam anteponerem conſuetudini ſingularitatem, niſi, ut noſtis, in ipſis pœnitentibus noſtris fervor appetens vitium vicinum diu formaret atque ſtrepitum; cum e noſtris ambitio aliquos, alios ſolicitudo adoleſcentior, multos gula tractura ſit. Veritus ſum ne forte ſi vel paucos qui forent quos aliena declinantes, ſuæ magis feſtivitati ſtudium manſuetudinis aggregaret, apud aliquos animus, ut ſolet in tali turbatione, motus iſti quaſi per abſentiam meam, eo die curſus noſtræ devotionis putaretur omitti, quo diverſæ partes videbantur inſtitui. Unde excuſationem meremur. Si rationem rite agnoviſtis, ignoſcite, communem feſtivitatem præteritorum recordatione, præſentium plenitudine cognoſcite, tam abſentium eſt quam præſentium officiis celebrate. Confido de miſericordia Dei noſtri quod etiam mihi in hoc loco quandocumque opportunius verbi præſtabit aditum, quibus geminatæ conſecrationis ornatiorem conceſſit effectum.

* Forte *aptiſſime.*

III. *Epiſtola beati Aviti epiſcopi ad Stephanum epiſcopum.*

AVitus epiſcopus Stephano epiſcopo. Poſt ſanctam feſtivitatem, quam licet avidi atque anxii, veſtro tamen interventu divinaque tuitione tranſivimus, debito famulatus obſequio ac ſedulæ ſolicitudinis devotione ſervimus, quidquid illud nobiſcum meritæ aſperitatis eſt, ſolari veſtræ, quam Deus ſemper augeat, proſperitatis agnitione cupientes.

IV. *Epiſtola Aviti epiſcopi ad Gregorium epiſcopum.*

AVitus epiſcopus Gregorio epiſcopo. Meis potius adſcribo peccatis, quod vos ad diſpoſitionem piiſſimæ voluntatis corporis inæqualitas impedivit, quamquam conſueta dignatio oratione nos & oblatione comitata ſit. Unde ſalutationis officia pagina famulante perſolvens, ſupra quam ſermone valeo gratias ago, quod feſtivitatem noſtram pleno vos deſiderio ſitientem, etiam ſi non ſatiaſtis præſentia, refeciſtis expenſa.

[1] F R A G M E N T A

Libri de divinitate Spiritus ſancti.

SAnctus *Avitus in illo libro quem de divinitate Spiritus ſancti contra Gundobadum Arrianum regem ſcripſit, proceſſionem Spiritus ſancti a patre & filio ita declarat.*

† De divinitate Spiritus ſancti, quem nec factum legimus, nec genitum, nec creatum, Deus eſt, Deus qui operatur omnia in omnibus. Et eodem loco: [a] *Omnia autem hæc operatur unus atque* E *idem ſpiritus, dividens ſingulis prout vult.* Et Petrus in Actibus Apoſtolorum: [b] *Quid convenit*, inquit, *inter vos mentiri Spiritui ſancto?* Et poſt: [c] *Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Item alio loco: [d] *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis?* Et alibi: [e] *Si quis ſpiritum Dei non habet, hic non eſt ejus.* Nos vero Spiritum ſanctum dicimus a filio & patre procedere.

a I. Cor. XII. 11. *b* Act. V. 3. *c* Ibid. ℣. 4. *d* I. Cor. III. 16. *e* Rom. VIII. 9.

1. Vir clariſſ. Stephanus Baluzius in Miſcella lib. I. hæc fragmenta edidit ex veteri codice mſ. monaſterii ſancti Galli in Helvetia.

† Vide ſupra Alcimi operum fragmenta num. XIII.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 494.

A

Idem Avitus in eodem libro.

IPse certe per se Dominus, [a] *Spiritum*, inquit, *veritatis qui a patre procedit*. Enimvero non dicendo *processit* sed *procedit*, non tempus procedentis docuit, sed præterito futuroque submoto, sub interminabilis æternitate præsentiæ virtutem processionis ostendit; ut sicut est proprium Spiritui sancto a patre filioque procedere, istud catholica fides etiam si renuentibus non persuaserit, in suæ tamen disciplinæ regula non excedit.

Item Avitus.

SPiritum sanctum æque patris & filii esse confiteor, eumque a patre vel filio similiter mitti: quod mecum prolata quoque Apostoli sententia videtur adprobasse. Nam legimus: [b] *Paraclitus quem mittet pater in nomine meo*. Et alio loco: [c] *Quem ego mittam vobis a patre*. Nec tamen ut nuper habita * conlocutione tractavimus, scinditur una personarum discretione divinitas. Quia si spiritus, ut adquiescitis, a patre filioque vel mittitur vel procedit, non potest missus mittensque misceri, &
B ex quo procedit procedensque confundi.

* Ea collatio est quæ sequitur

a Joan. xv. 26. *b* Joan. xiv. 26. *c* Joan. xv. 26.

[1] COLLATIO EPISCOPORUM,

PRÆSERTIM AVITI VIENNENSIS EPISCOPI,

coram rege Gundebaldo adversus Arrianos.

PRovidente Domino ecclesiæ suæ, & inspirante pro salute totius gentis cor domni Remigii, qui ubique altaria destruebat idolorum, & veram fidem potenter cum multitudine signorum amplificabat, factum est ut episcopi plures non contradicente rege * congregarentur, si fieri posset, ut Arriani, qui religionem Christianam scindebant, ad unitatem possent reverti. Quod ut melius fieret, videreturque id non consilio accidisse sed occasione, domnus Stephanus scripsit ad episcopos multos, & invitavit illos ad festivitatem S. Justi quæ instabat, in qua ob frequentiam miraculorum fiebat concursus plurimus populorum. Venerunt itaque de Vienna Avitus, de Arelate Æonius, de Valentia . . . . , de Massilia . . . . ius, & plures alii omnes catholicæ professionis & laudabilis vitæ in Domino. Qui omnes ad salutationem regis cum domno Stephano ad Sarbiniacum ubi tunc erat, profecti sunt. Erant quidam inibi de potentioribus Arrianis cum eo; qui si potuissent, prohibuissent nostrorum accessum ad regem, sed Domino cooperante, nihil profecerunt.

Post salutationem factam, domnus Avitus, cui, licet non esset senior nec dignitate, nec ætate, tamen plurimum deferebatur, dixit ad regem: Si excellentia vestra vellet procurare pacem ecclesiæ, parati sumus fidem nostram tam clare demonstrare esse secundum Evangelium & Apostolos, quod nulli dubium erit, illam quam retinetis non esse secundum Deum & ecclesiam. Habetis heic de vestris qui sunt instructi in omnibus scientiis: jubeatis ut nobiscum colloquantur, & videant si possint respondere rationibus nostris, ut parati sumus respondere rationibus eorum.

Ad quæ rex respondit: Si vestra fides est vera, quare episcopi vestri non impediunt regem Francorum qui mihi bellum indixit, & secum inimicis meis sociavit ut me destruerent: nam non est fides ubi est appetentia alieni, & sitis sanguinis populorum: ostendat fidem per opera sua.

Tunc humiliter respondit domnus Avitus faciem habens angelicam ut & sermonem: Ignoramus, o rex, quo consilio & qua de caussa rex Francorum facit quod dicitis; sed scriptura nos docet, quod propter derelictionem legis Dei sæpe subvertuntur
C regna, & suscitantur inimici omni ex parte, illis qui se inimicos adversus Deum constituunt. Sed redite cum populo vestro ad legem Dei, & ipse dabit pacem in finibus vestris; nam si habetis pacem cum illo, habebitis & cum ceteris, & non prævalebunt inimici vestri.

Cui rex: Nonne legem Dei profiteor? sed quia nolo tres Deos, dicitis quia non profiteor legem Dei. In scriptura sancta non legi plures esse Deos, sed unum.

Ad quæ domnus Avitus: Absit, o rex, ut plures Deos colamus: [a] *Unus est Deus tuus, o Israel*: sed ille unus Deus in essentia, est trinus in personis; & Filius & Spiritus sanctus non sunt alii Dei, sed unus Deus, cujus prima persona est Pater, se-
D cunda Filius, tertia Spiritus sanctus; sed Patri non est alia substantia quam Filio, & Spiritui sancto non est alia quam Patri & Filio; & ille Deus qui olim locutus est per Prophetas, novissime locutus est in Filio, & adhuc loquitur quotidie in Spiritu sancto. Et quamvis olim per prophetas, mox per Filium, nunc per Spiritum, unus idemque Deus loquitur; sed sic dicitur ad distinctionem personarum, cum re vera sint coæternæ & consubstantiales. Hoc profitemur & parati sumus ostendere.

Et cum videret regem pacifice audientem, protelavit sermonem & dixit: O si vellet sagacitas vestra cognoscere quam bene fundata sit nostra fides, quantum boni vobis & populo vestro inde prove-
E niret: nam & cælestis gloria vobis non deesset, & [b] pax & abundantia in turribus vestris. Sed vestri cum sint inimici Christi, super regnum vestrum & super populum iram desuper accendunt; quod, ut speramus, non esset si velletis audire monita nostra, & jubere ut vestri sacerdotes de his nobiscum colloquantur coram sublimitate vestra & populo vestro: ut sciatis quia Dominus Jesus est æterni Patris æternus Filius, & utrique coæternus Spiritus sanctus, unus Deus benedictus in sæcula; simulque ante omnia tempora & absque ullo initio.

a Deut. vi. 4. Marc. xii. 29. *b* Psalm. cxxi. 7.

1. Hanc vir clariss. Lucas Dacherius ex schedis Hieronymi Vignerii Congregat. Orat. D. J. edidit in tom. V. Spicilegii.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 494.

Cum hæc dixiſſet procidit ad pedes regis, & amplectens eos flebat amare: procubuerunt & omnes epiſcopi cum eo: unde rex valde commotus eſt, & inclinans ſe uſque ad eos, erexit domnum Avitum cum ceteris, quibus amicabiliter dixit ſe reſponſum daturum illis ſuper petitionibus illorum.

Quod & craſtina die factum eſt: nam rex per Sagonam rediens ad urbem miſit ad domnos Stephanum & Avitum, ut venirent apud illum: qui cum veniſſent, rex dixit ad illos: Habetis quod poſtulatis, nam ſacerdotes mei parati ſunt vobis oſtendere quod nullus poteſt eſſe coæternus & conſubſtantialis Deo. Sed nolo ut id fiat coram omni populo, ne turbæ excitentur; ſed tantum coram ſenatoribus meis & aliis quos eligam, ſicut vos eligetis ex veſtris quos volueritis; ſed non in magno numero, & id fiet die craſtina in hoc loco. Quo dicto epiſcopi ſalutato rege diſceſſerunt, & reverſi ſunt ut omnia intimarent aliis epiſcopis. Erat autem vigilia ſolemnitatis S. Juſti. Et licet optaviſſent quod hoc fieret die ſolemnitatem ſequenti, noluerunt tamen propter tantum bonum amplius procraſtinare. Sed unanimiter decreverunt apud S. Juſti ſepulcrum pernoctare, ut illo intercedente obtinerent a Domino petitiones cordis ſui.

Evenit autem ut ea nocte cum Lector ſecundum morem inciperet lectionem a Moyſe, incidit in illa verba Domini: [a] *Sed ego indurabo cor ejus & multiplicabo ſigna & oſtenta mea in terra Ægypti, & non audiet vos*. Deinde cum poſt Pſalmos decantatos recitaret ex prophetis, occurrerunt verba Domini ad Eſaiam dicentis: [b] *Vade & dices populo huic: Audite audientes & nolite intelligere; & videte viſionem & nolite cognoſcere. Excæca cor populi ejus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne forte videat oculis ſuis, & auribus audiat, & intelligat ſuo corde, & convertatur, & ſanem eum*. Cumque adhuc Pſalmi fuiſſent decantati, & legeret ex evangelio, incidit in verba quibus Salvator exprobrat Judæis incredulitatem: [c] *Væ tibi Corrazaim, væ tibi Betzaida; quia ſi in Tyro & in Sidone virtutes factæ eſſent quæ ſunt factæ in vobis, jam dudum in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent*. Denique cum lectio fieret ex Apoſtolo, pronuntiata ſunt verba illa: [d] *An divitias bonitatis ejus & patientiæ & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam ſuſtinentia Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in tempore iræ*. Quod cum ab omnibus epiſcopis obſervatum fuiſſet, cognoverunt lectiones illas ſic occurriſſe volente Domino, ut ſcirent induratum eſſe cor regis, Deumque illum in ſua impœnitentia relinquere, ad oſtendendum divitias juſtitiæ ſuæ, unde valde triſtes effecti, noctem in lacrymis tranſegerunt. Non deſtiterunt tamen veritatem noſtræ religionis contra Arrianos aſſerere.

Igitur tempore quo rex juſſerat, conveniunt omnes epiſcopi, & ſimul ad regiam vadunt cum multis ſacerdotibus & diaconibus & quibuſdam de catholicis, inter quos erant Placidus & Lucanus qui erant de præcipuis militiæ regis. Venerunt etiam Arriani cum ſuis. Cum ergo ſediſſent coram rege domnus Avitus pro catholicis, Bonifacius pro Arrianis, ſermonem habuerunt. Sed poſtquam domnus Avitus propoſuit fidem noſtram cum teſtimoniis ſacræ ſcripturæ, ut erat alter Tullius, & Dominus inſpirabat gratiam omnibus quæ dicebat; tanta conſternatio cecidit ſuper Arrianos, ut qui ſatis amicabiliter audientiam præbuerat Bonifacius, nihil omnino reſpondere poſſet ad rationes domni Aviti, ſed tantum quæſtiones difficiles proponeret, quibus videbatur velle regem fatigare. Sed cum ab Avito urgeretur ut reſponderet ad antedicta, promittens ſe etiam reſponſurum ad ea quæ propoſuerat, non potuit reſpondere ad unam de rationibus quæ fuerant a domno Avito propoſitæ, neque ullam pro defenſione ſuæ partis allegare; ſed tantum os ſuum in conviciis aperiebat, & dicebat catholicos eſſe præſtigiatores, & colere multitudinem deorum. Quod ſolum cum diceret, videretque rex confuſionem ſuæ ſectæ, ſurrexit de ſua ſede, dicens quod in craſtinum reſponderet Bonifacius. Diſceſſerunt ergo omnes epiſcopi: & quia adhuc dies non erat inclinata, iverunt ſimul cum ceteris catholicis ad baſilicam domni Juſti, confitentes Dominum quoniam bonus, & laudantes eum qui dederat illis talem victoriam de inimicis ſuis.

Sequenti vero die iterum ad regiam profecti cum his qui in præcedenti aderant: cumque ingrederentur, invenerunt Aredium, qui eis perſuadere volebat ut regrederentur; dicebat enim quod tales rixæ exaſperabant animos multitudinis, & quod non poterat aliquid boni ex eis provenire. Sed domnus Stephanus, qui ſciebat illum favere Arrianis ut gratiam regis conſequeretur, licet fidem noſtram profiteretur, reſpondit ei quod non timendum erat ne rixæ procederent ex inquiſitione veritatis & amore ſalutis fratrum ſuorum, immo nihil eſſe utilius ad jungendos animos in ſancta amicitia, quam cognoſcere apud quos eſſet veritas; quia ubicumque eſt, amabilis eſt, & profeſſores ejus reddit amabiles.

Addidit inſuper omnes huc veniſſe ſecundum juſſionem regis, contra quod reſponſum non eſt auſus Aredius amplius reſilire. Ingreſſi ſunt ergo; & cum rex eos vidiſſet, ſurrexit in occurſum eorum, mediuſque inter domnum Stephanum & domnum Avitum adhuc multa locutus eſt contra Francorum regem, quem dicebat ſolicitare fratrem ſuum contra ſe. Sed cum reſponderent præfati epiſcopi, quod non eſſet melior via ineundi pacem, quam concordare in fide, & operam ſuam, ſi gratam haberet, pollicerentur pro tam ſancto fœdere conciliando, nihil amplius locutus eſt, ſed unuſquiſque locum quem præcedenti die tenuerat, occupavit.

Cum itaque ſediſſent, domnus Avitus tam lucide probavit quod catholici non plures Deos adorabant, ut ſapientiam ejus tam catholici quam adverſarii cum ſtupore mirarentur. Id autem fecit ut reſponderet conviciis quæ Bonifacius in noſtram fidem jecerat. Poſtquam ergo conticuit, ut locum daret reſponſionibus Bonifacii, nihil aliud potuit ille dicere, quam quod præcedenti die fecerat, & conviciis addens convicia, tanto impetu clamabat, ut præ raucitate non poſſet amplius loqui & quaſi ſuffocaretur.

Quod cum rex vidiſſet, & ſatis diu exſpectaſſet, tandem ſurrexit vultu indignationem prætendens contra Bonifacium. Tunc domnus Avitus dixit ad regem: Si ſublimitas veſtra vellet jubere ut hi reſponderent propoſitionibus noſtris, ut poſſet judicare quænam fides eſſet retinenda. Sed nihil rex reſpondit, neque ceteri Arriani qui erant cum illo: adeo ſtupefacti erant de do-

a Exod. VII. 3. 4. b Iſa. VI. 9. 10. c Matth. XI. 21. d Rom. II. 4. 5.

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 494.

ctrina & sapientia domni Aviti. Qui cum videret eorum silentium, subjunxit: Si vestri non possunt respondere rationibus nostris, quid obstat, cur non omnes simul conveniamus in eadem fide? Tunc murmurantibus illis, de sua fide securus in Domino addidit: Si rationes nostræ non possunt illos convincere, non dubito quin Deus fidem nostram miraculo confirmet: jubeat sublimitas vestra ut tam illi quam nos eamus ad sepulcrum hominis Dei Justi, & interrogemus illum de nostra fide; similiter & Bonifacius de sua: & Dominus pronuntiabit per os servi sui in quibus complaceat. Rex attonitus annuere videbatur: sed inclamare cœperunt Arriani, & dicere se pro fide sua manifestanda facere nolle ut fecerat Saul, & ideo maledictus fuerat; aut recurrere ad incantationes & illicita: sufficere sibi se habere scripturam, quæ sit fortior omnibus præstigiis, & hæc semper repetentes, & boantes potius quam vociferantes; rex qui jam surrexerat, accipiens per manus domnum Stephanum & domnum Avitum duxit eos usque ad cubiculum suum, & cum intraret amplexus est eos, dicens ut orarent pro eo. Cognoverunt quidem illi perplexitatem & angustias cordis ejus, sed quia [a] Pater eum non traxerat; non potuit venire ad Filium, ut veritas impleretur: [b] *Non est volentis, neque festinantis, sed miserentis Dei.* Et ex ea die plurimi Arriani ad pœnitentiam venerunt, & post aliquot dies baptizati fuerunt, & magnificavit Dominus fidem nostram per intercessionem domni Justi in conspectu omnium,

a Joan. VI. 44. b Rom. IX. 16.



SYMMACHI PAPÆ
AD
AVITUM
VIENNENSEM EPISCOPUM
*EPISTOLA.

Dilectissimo fratri Avito Symmachus.

NOn debuit caritatem tuam offendere, quod ad fratrem & coepiscopum nostrum Æonium nuper rescripsimus. Non enim juri tuo, dilectissime frater, præjudicatum fuit, cum nos, inaudita parte & absque competenti instructione, non posse judicare respondimus. Unde fraternitati tuæ salvum est allegare quod putaverit allegandum, & proponere quod viderit proponendum. Nam licet confusionem provinciæ a prædecessore nostro sanctæ memoriæ Anastasio episcopo præter ecclesiæ consuetudinem & antiqua prædecessorum nostrorum statuta factam esse dixerimus, & non esse tolerandam; attamen si ea quæ fecit, rationabiliter fecisse fraternitas tuas docuerit, gaudebimus nihil esse ab eo contra canones attentatum; quia quod fit præter regulam, modo fit ex justa caussa, non infringit regulam, quam sola pervicacia & antiquitatis contemtus lædit. Nam quamvis a patribus statuta diligenti observatione & observanti diligentia sint custodienda; nihilominus propter aliquod bonum de rigore legis aliquid relaxatur, quod & ipsa lex cavisset, si prævidisset. Et sæpe crudele esset insistere legi, cum observantia ejus esse præjudicabilis ecclesiæ videtur; quoniam leges ea intentione latæ sunt, ut proficiant, non ut noceant. Quamobrem pergat dilectio tua, rationes quæ prædecessorem nostrum ad tractandam prædictam confusionem impulerunt, ad nos dirigere, ut & sciamus quid fuerit statuendum, & in Domino lætemur beatæ memoriæ Anastasium nihil fecisse retractandum. Deus te incolumem servet, frater dilectissime.

Data III. Idus Octobris, Avieno & Pompeio coss.

* Item Dacherius edidit in tomo V. Spicilegii.

SERMO BEATI AVITI VIENNENSIS ARCHIEPISCOPI

FERIA TERTIA IN ROGATIONIBUS.

Ex ms. majoris Cartusiæ.

Legimus in historia Regum, quemdam celebrem prophetarum, exiguo superni pastus alimento, multis diebus iter longissimum sine ullo adminiculo cibi terrestris egisse: adeo divini beneficii virtus in corpore humano sequestrata infirmitate prævaluit. Comparatio autem modo hæc in sermone non caussa est. Sic ergo etiam nobis annuum quoddam iter actionum, casuum, timorum diversitate currentibus, quidam qui nos inter ista consortet Rogationum veluti cælo porrectus sumitur panis: cujus fortitudo atque salubritas non solum inopiam præteritæ sterilitatis suppleat, verum etiam periculum famis ab spiritu nostro non in pane solo, sed in Verbo Dei vivente secludat. Quod si quisquam Rogationes nostro sæculo institutas mi- B retur; quas tantis ante temporibus ecclesiarum multitudo nescivit, constat hunc posse & muneribus redemtionis, quæ mundi ævo jam pæne consumto in sæculorum fine affuit, derogare. Viderit [1] quis certe quid sentiat, qualitatem medicaminis rideat furibundus, nesciat desperatus, ceterum frequenter expertus. Sed quis est iste sic ad integrum sanus, ut medicinæ non egeat, ut nulli ægrotantis animæ morbo succumbat, ut non aut cupiditate ardeat, aut avaritia palleat, aut invidia liveat, aut superbia tumeat, aut iracundia caleat, aut obloquio pruriat? Si quis ergo ex his alicujus tædii sibi conscius est, qui cuncto tempore pœnitentiam debet, non renuat triduum. Quod etiam pleno or- C dine atque digesto prophetia quæ lecta est, si gradibus suis replicetur, insinuat, sic a principio sermonis exorsa: [a] *Vos*, inquit, *cognovi ex omnibus cognationibus terræ.* Heic statim se Judæorum populus, in quamdam rapinam non amore sed ambitione præcipitat, ut ad divinæ familiaritatis notitiam præ omnibus videatur adscitus. Sed disistat hinc opportunitas obstrependi, quia potius sub judicio rationis [2] de proprietate sermonum caussarum certa metienda sunt. *Vos cognovi*, non dixit Inter omnes, sed *Ex omnibus cognationibus terræ*. Qui sunt autem qui acquiruntur ex omnibus cognationibus terræ, nisi qui ab universitate gentium in unum redacti fiunt ex diversis mundi partibus unus D populus, & de multis membris sub Christo capite unum corpus? Cui postmodum vocationi agnoscendæ atque prædicandæ beatissimus Petrus per mentis stuporem defixus vidit linteum quoddam cælo descendere, quod quatuor angulis sinu turgente submissum, omne genus animantium cum volatilibus atque reptilibus continebat, commonitusque ut necessariæ refectioni quod vellet ipse mactaret; appetitum quidem talem, cum talis ciborum modus præcipiebatur, per observantiam legalem exhorruit: sed mox ad eum sermo divinus, [b] *Quæ Deus*, in- A quit, *mundavit, tu immunda ne dixeris*. Atque ille, [c] *In veritate*, inquit, *comperi, quia non est personarum acceptio apud Deum; sed in omni populo & gente qui timet Deum & voluntatem ejus facit, acceptus est illi*. Tunc ergo qui cogniti sunt ex omnibus cognationibus terræ vides, nempe prophetis atque apostolis, qua unitate conveniat. Hoc est profecto, quod etiam nunc lectio ait: [d] *Numquid ambulabunt duo pariter, nisi convenerit eis?* Convenit autem duobus, Christo & Moysi, quia de isto ille scripsit. Convenit legi & gratiæ, quia . . . . . . illa districtius imposuit, ut pretiosius ista laxaret. Convenit veritati & prophetiæ, quia ista peperit, quod illa concepit. Apud Judæos B ista duo non pariter ambulant, ideo non concordant. Inter ipsa enim duo testamenta quasdam minutias ponunt. Ad unum verum Deum nisi uno itinere non itur. Certe si propter quascumque alias caussas potest diverso, adverso non potest. Apud nos vero ista duo pariter junguntur atque conveniunt. Est tamen in hoc prophetæ verbo etiam quod personaliter accipi queat, si dualitas ipsa quam convenire necesse est, sit primum in homine uno, sit deinde in genere humano. Spiritus enim noster & corpus nostrum ex disparis substantiæ qualitate compacta sunt. Quæ duo viam hujus sæculi currere nullatenus queunt, nisi inter se custodita divinæ ordinationis lege consenserint. Si enim non C subjaceat spiritus carnis, sed ad refrenandam concupiscentiam cedat potius menti caro, ducit duos pariter concordia rationis per viam legis ad patriam æternitatis. Si autem dum per hujus sæculi iter curritur, spiritu retardante, animam caro prævenerit, & facultatem viæ, permissa sibi peccati libertate, præcluserit, deserit ipsa currendi æqualitas, quæ homini a creatore præcipitur, & incipit impedita lege mentis perire, & superexaltare lege corporis, nec jam duo pariter pergunt, ubi unum jacet & aliud premit. Et hæc, quod magis dolendum est, non tam ignaris subrepunt, quam dominantur allisis. Docet hoc sermo qui sequitur: [e] *Leo*, inquit, *irrugiit, quis non timebit? Dominus locu-* D *tus est, quis non prophetabit?* Peccatum longe apparet, quare non fugimus? Scriptura prope clamat, quare non credimus? Quis est leo rugiens, nisi de quo Apostolus dicit [f], quia *adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens devorare vos?* Facit furoris incontinentia, ne tacens discubitet qui rugitum longe præmittit: sed audit rugitum, & non cavet qui præcepti conscientiam secum fert ad exordia peccati, confestimque rabido invaditur morsu, nisi præmisso terretur auditu; quod re vera nec absurde conjicimus, nam statim in consequentibus qualitas ipsius morsus ostenditur:

a Amos III. 2. *b* Act. X. 15. *c* Ibid. ℣. 34. *d* Amos III. 3. *e* Ibid. *f* I. Pet. I. 8.

1. Forte *is*.

2. Hic locus manifeste depravatus, tametsi sensus sit obvius. Dicit Avitus falli Judæos, qui verba Amos de se interpretarentur, cum ex judicio rationis potius quam ex vocum proprietate ea metienda sint. Nam si litteram sequamur, hæc quidem de filiis Israel; si judicium rationis, de Christianis vere & proprie dicuntur.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 494.



[a] *Quomodo*, inquit, *ſi eruat paſtor de ore leonis duo crura ovis, aut extremam partem auriculæ*. Paſtor nobis procul dubio ille eſt bonus, qui relictis nonaginta novem ovibus, unam vagantem non deſpexit inquirere. Operæ pretium autem eſt diligentius intueri, quod illas nonaginta novem quas iſte paſtor in montibus reliquit, manifeſtatus in carne, non deſeruit permanens in nativitate. Angelorum enim in cæleſti altitudine gloriantium, qui utique jam errare non poſſunt, evidenter gerunt figuram. Leo enim de quo ſupra diximus, poſt illam proprii caſus ruinam qua conſortium divinitatis affectans, etiam homine miſerior factus eſt, dum dedignatur eſſe inferior creatore, omnis archangelicæ poteſtatis dignitate nudatus eſt. Sed huic tamen quantulamcumque poteſtatem cæleſtium miniſtrorum, ne ſolus periret, caſui ſuæ dejectionis innexuit. Et his hoc tamen de illo eminentis creaturæ vigore nunc ſupereſt, ut damnationem futuram jam patientes dum præſciunt, cum vivendi meritum perdiderunt, & ipſum ſaltem moriendi remedium habere non poſſint[1]. Ab illo itaque, ut dixi, caſu quiſque in amore conditoris ſui & angelicæ beatitudinis honore permanſit, ulterius ſeduci non potuit, ac proinde nec periclitari: & factum eſt in principio de angelis quod de hominibus in fine faciendum eſt, ut evolutus ſcilicet ſalutis & perditionis curſus exacto impletoque numero terminetur. Iſtas ergo supernæ celſitudinis oves reliquit paſtor bonus, & venit ad illam unam ovem perditam, in cujus ſignatione jacebat genus humanum, & illam quæ ab iſto leone corroſa per ſe aſcendere ad illas nonaginta novem non poterat, ſuis humeris vexit, quia in ſuo corpore ſublevavit: & quando cum homine carnis aſſumtæ ad ſuperna cælorum rediit, eamdem utique quæ de paradiſo erraverat, angelis retulit. Quocirca jam patet, qui ſit paſtor qui liberat duo crura & partem auriculæ, & qui ſit leo qui reliquum devorat: hoc eſt, iſte Chriſtus, ille diabolus. Omiſſa vero utcumque conſideratione carnali, videamus quæ ſit minima pars corporis quæ devoranti legitur remanſiſſe. Neque enim puto quod ille paſtor bonus rem tam dilaceratam & pæne conſumtam tanto ſtudio vellet eruere, niſi particulæ ipſi adhuc aliquid palpitantis vitæ ineſſe cognoſceret. Ovis iſta, ſicut jam prolocuti ſumus, quicumque peccator eſt utique, ſi de caulis ſe protegentibus evagatus ſuopte vitio incurſurus beſtiam, cum a paſtore declinavit. Dum enim ambulat per deſerta, hoc eſt, dum cogitat inania perituraque, occurrit illi diabolus, & cogitationem ejus morſu peſtiferæ perſuaſionis invadit. Qui cum jam concupiſcentiam captivi hominis in poteſtate habere cœpit, priorem quodammodo ejus partem vorax laniator abſorbuit. Et tamen ſi concupiſcentiam & definitionem peccati non ſequatur effectus, liberantur quaſi duo crura, hoc eſt, pars poſterior quæ adhuc comeſa non fuerat. Nam etſi quoſdam priores ſuæ cogitationis pedes per concupiſcentiam in fauce leonis amiſit, & reſiduos quos ad effectum non deduxit, operis greſſus [2] miſericordia paſtoris eripuit. * Animadvertendum eſt tamen quod illius ſe miſcuit corporis portionem [3] extremi auriculæ

* Locus corruptus.

A quæ videtur ſupereſſe liberaverit. Poſtquam enim dixerat, *quomodo ſi eruat paſtor duo crura*, addidit *& extremam partem auriculæ*. Auris ergo noſtra eſt obedientia noſtra: nam cum precamur & reſipiſcimus, primam iſtius auris partem leo devorat, noviſſimam paſtor [3] ſolvat. Prima pars auriculæ eſt *Non concupiſcas*. Iſta jam deglutita eſt, quia cogitatio concupivit. Sequens pars eſt, *Poſt concupiſcentias tuas non eas*. Itaque ſi malum quod concepimus cogitatione, opere non impleamus, priore parte obedientiæ vulnerata, & illa quæ extrema eſt ab ore leonis eruitur. Quomodo? Utique per pœnitentiam & correctionem. * Quæ multipliciter lectio ipſa per totum a Domino revol- B vente, quæ & qualia paſſi necdum reſipiſcamus: [b] *Miſi in vos indigentiam panum, ſtuporem dentium, percuſſi vento urente.* Indigentia panis eſt, ut ſciamus quod cum a Domino receditur, non eſt unde vivatur. Stupor autem dentium unde contrahitur? puto convenire illud quod Salomon quodam loco ait, dum comparationem poneret dicens: *Sicut uva acerba dentibus noxia eſt*. Uva autem acerba eſt præmature occupata promiſſio & contenta cum differtur temporis plenitudo. Nam ut dulcedinem & ſuavitatem quæ nobis in æternitate promittitur, in hoc mundo habere velimus, immaturum ſatis atque acerbum eſt. Hujus uvæ adhuc aſperæ viridiſque non vinum, ſed virus intra C paradiſum Adam in ſui noſtrique perniciem deguſtavit; & quia parentes comederant uvam acerbam, dentes filiorum obſtupuerunt. Sed prævidens Ezechiel originale debitum Chriſto ſolvente vacandum, ſic ait: [c] *Vivo ego, dicit Dominus, ſi erit ultra proverbium illud in Jeruſalem: Patres comederunt uvam acerbam; obſtupeſcent dentes filiorum.* Jam tibi non nocet quidquid eſſet Adam quod concupivit ſuperbe, quod præſumſit illicite, quod deſideravit incaute: tu tibi de tuo eſu ſtuporem dentium metue, tu tactum appetitus ab inutili aviditate reſtringe. Deſideras uvam acerbam, ſed ſuſtine maturitatem promiſſionis. Non tuo ſæculo delectatio iſta debetur. Si dulcem quæris, exſpecta D cæleſtem; ſi humanam appetis, patieris immitem. Quæ eſt autem mundi gloria, niſi ipſe quem infra dicit, Ventus urens? cujus etiam ſi lenitas delectat homines, terror tamen percutit amatores: [d] *Et quia nec ſic rediſtis ad me, dicit Dominus, nunc* [4] *(præparare in occurſum Dei tui Iſrael.* Dicit quidem Paullus Apoſtolus [e], ubi Redemtoris deſcribit adventum, qualiter rapiemur ad nubes obviam Chriſto in aera; heic tamen puto occurſum iſtum ad alium pertinere. Nam & heic viventes quaſi occurrimus Deo, ſi præceptum quod porrigitur amplectamur; & quia paratus eſt ille ad ignoſcendum, occurrat ei correctio ad pœnitendum. Sed & quicumque propter amorem æternæ E vitæ non ſolum ab illicitis abſtinet, verum etiam a licitis ſe coercet, ſponte occurriſſe judicandus eſt. Nam ut exempli gratia unumquodcumque dicamus, adulterio generaliter interdicto, ſimplex conjugium lege permittitur; cui tamen virginitatis nitor ſine comparatione præfertur; unde [f] *qui dat nuptum virginem ſuam bene facit, & qui non dat melius facit*. Hoc ergo de omni debemus ob-

* Locus corruptus.

a Amos III. 12. *b* Amos IV. 6. *c* Ezech. XVIII. 3. *d* Amos IV. 10. *e* I. Theſſ. IV. 18. *f* I. Cor. VII. 38.

1. Heic *reſpexiſſe* videtur Avitus ad illum canonem concilii Neocæſarienſis: *Si quis concupita muliere, etiam concubitus ejus deſiderium habeat, non autem ſubſequatur effectus, manifeſtum eſt eum per divinam gratiam fuiſſe liberatum.* Ita in vetuſta canonum verſione quæ Aviti ævo Latinarum eccleſiarum in uſu fuit.

2. Forte *extremæ*.

3. Forte *ſervat*.

4. Heic anſulis incluſa retulit Florus magiſter eccleſiæ Lugdunenſis diaconus in Expoſitione in epiſtolas S. Paulli, quam ex ſcriptis decem ſanctorum patrum concinnavit, ſed ea citat tamquam *ex ſermone die primo Rogationum*, cum titulus in manu ſcripto noſtro præferat feriam III. Rogationum.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 494.



servatione sentire: qui male facit, fugit; qui bene exspectat; qui melius occurrit.) Jam vero post multas & piissimas admonitiones quæ profectui nostro etiam secundum litteram constant, convenienter Rogationes nostras in ipsius lectionis fine describit, dicens: [a] *In omnibus plateis & viis sit planctus*. Viæ istæ & plateæ actus nostros significant, per quos humanam conversationem mortalitate decurrimus. Viæ minora delicta, plateæ vero latiora peccata sunt, quæ ad illam amplam & spatiosam mittunt quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui inveniunt eam. Per angustam vero semitam itur ad illum de quo prædixit propheta, quod vocem ejus in platea nemo audivit, cujus utique verbum in peccati libertate non sonuit. Ergo in ista platea quia est noster actus, sit noster & planctus: quem tamen planctum non confusum & tumultuarium esse debere, testatur sermo subjectus, [b] *Vocabit*, inquiens, *agricolam ad luctum, & ad planctum eos qui sciunt plangere*. Cernis nempe quod istud plangere, non omnes sciant, sed illi tantum vocandi sunt qui noverunt. Agricola est, qui isto pœnitentiæ luctu & compunctionis affectu terram, id est, substantiam suam spinis purgat, præceptis edomat, lacrymis rigat, humilitate fecundat, semine ditat, fruge multiplicat. Enimvero secundum statum calamitatis humanæ, nullus est qui plangere nesciat, quippe est ita generatio, ut etiam ille qui non noverit aliud, istud noscat, ut ipsa quoque intrans hunc mundum nova ætas infantium primam vocem fletu erumpens, quasi quodam vaticinio calamitatum careat omni sensu, planctum quem adhuc non habet in scientia, jam tamen afferat in natura, & sine ullo doctrinæ adminiculo ipsa inchoatio discriminum pariat magisteria lacrymarum. Quæ cum ita sint, quæramus secundum spiritum quæ distantia sit inter eos qui sciunt, & illos qui nesciunt flere. Nam prout sunt genera & ordines hominum, istam scientiam flendi habere singuli debent. Alia regi, alia subjecto, alia peccatori, alia justo caussa lacrymarum. Quemdam Parthicum regem [1] sæcularis historia refert, inspecta [2] post victoriam de eminentiore loco numerosissima sui exercitus multitudine lacrymasse: qui mox a satrapis, quæ in tali beatitudine caussa flendi esset interrogatus; istam, inquit, multitudinem lugeo, quæ quamlibet victrix, intra non multos annos omnis omnino naturæ lege finienda est. Si ad sæcularem sapientiam [3] .... ecce lacrymas dignas rege mundano, quam libet etiam Christiano principi conveniret post triumphos de morte magis quam de culmine cogitantem non tumere, sed plangere: quid si caussa præsente istum [4] religiosi principis fletum testem sciamus, cum David ille virtute magnus, potestate præditus, pietate præcelsus, inter aurea serta gemmataque diademata, cælestis magis regni coronam instantissimo æstu ferventis desiderii suspiraret, [c] *Quando veniam*, dicens, *& apparebo ante faciem Dei mei?*

A Numquid non lacrymas suas habuit panes die ac nocte, dum dicebant illi per singulos dies, *Ubi est Deus tuus?* quod ei certe dicebat, non negare compellens persecutor externus, sed videre concupiscens animus suus. Loquebatur enim sibi spiritus cælestibus intentus, Ubi est Deus tuus? Quando veniam & apparebo ante faciem ejus? Si decuerunt igitur regem sanctum lacrymæ tales, quid nunc de ipso sanctorum Sancto dicamus, qui quatriduano funeri ante quam resuscitandi virtutem ostenderet, flendi impendit infirmitatem? In summo itaque gradu conveniunt tales lacrymæ Redemtori. Multum namque illic ipse deflevit. Ibi Adæ peccatum; ibi peccati stipendium, mortem; ibi B Lazarum, hoc est genus humanum; ibi defunctum lapide obtectum, id est duritiam qualitatis; ibi lacrymosos consolatores, id est incredulitatem resurrectionis; ibi quartam diem venisse defuncto: quæ quatuor accidunt peccatoribus in animarum funere conclamatis: prima cogitandi malum, definiendi secunda, perpetrandi tertia, quarta in crimine permanendi. De quarto omnes nos per Lazarum recurrentes, ut resuscitemur, non solum miserendi dulcedo, sed etiam flendi opus est amaritudo. Post hæc quia tali magisterio etiam nos docuit plangere, discernamus scientiam imperitiamque lacrymarum. Ecce hodie ad ecclesiam conveniunt multi, si quicumque semet ipsum in oratione prosternens C cœpit quantolibet fletu aliquid quod ad sæculum pertineat orare, aut conversationis mundanæ felicitatem, aut inimicorum mortem, aut divitiarum amplificationem, aut vitæ hujus longitudinem, aut honorem sæcularium dignitatum: numquid non hujuscemodi lacrymæ docent hominem nescire quid plangat, quas inutiles satis imperitasque procul dubio perdidit, quotiens sic profudit? Quod non tam miserum, quam si ea flendo ille sibi petat tribui, quæ multi Deum nescientes sine ullis precibus peccando videntur adipisci. E contra vides alium ingemiscentem & clamantem: Domine, propitius esto mihi peccatori, plangere vitam malam, quærere bonam, iisdem lacrymis quibus irrigat stratum, D lavare delictum, ostendere Deo in gemitibus imbecillitatem carnis, ardorem mentis, horrorem mortis, amorem resurrectionis. Hic plangendi peritus, hic doctissimus flendi est. Non cadit in terram lacryma talis, quia commendata est Deo, cui dicitur: [d] *Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo*. Postremo quoniam si Rogationes nostræ rite solvuntur, sine planctu nequeunt expediri, scientiam plangendi quam potero brevissime discernam. Maxima peritia est heic impendi fletum, ut sanari possit quem supra diximus dentium stupor, quam illic servari ubi numquam finiendus est dentium stridor. Nam illis dicitur Væ, qui nunc rident, quia lugebunt flebuntque: istis autem, Beati E qui nunc fletis, quia ridebitis & gaudebitis, & gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

a Amos V. 16. *b* Ibid. *c* Psalm. XLI. 3. *d* Psalm. LV. 7.

1. Id de Xerxe Persarum rege refert Herodotus lib. VII. sed paullo aliter: *Et cum intueretur Xerxes*, inquit, *omnem Hellespontum navibus obductum, omnia litora atque Abydenorum plana hominibus referta, ibi se beatum esse jactavit, & post hæc lacrymas fudit. Quod animadvertens Artabanus ejus patruus ..... his verbis interrogavit: Quam diversa, rex, inter se nunc facis & dudum dixisti; qui te beatum dixeras, nunc lacrymas fundis? Et ille, reputantem me*, inquit, *quam brevis sit omnis humana vita, subiit horum miseratio; quorum cum tot sint, nemo ad centesimum annum supererit.*

2. Immo nondum pugnaverat Xerxes, nec trajecerat in Europam.

3. Deest heic aliquod verbum, forte *respiciamus* aut quid simile.

4. Religiosum principem heic vocat, quem paullo ante regem mundanum appellaverat, quod sane mirum videri non debet, cum Gallienus imperator ὁσιώτερος καὶ φιλοθεώτερος, religiosissimus Deique amantissimus magno Dionysio Alexandrino sit dictus apud Eusebium lib. VII. hist. eccles. cap. XXIII.

INDEX

EORUM QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

Adjecta ex libro I. *Miſcellaneorum* V. Cl. Stephani Baluzii.

Ex tomo V. *Spicilegii* Lucæ Dacherii.

* Ex tomo V. *Theſauri Anecdotorum* Martenii & Durandi.

Epiſtolæ ad quos ſcriptæ ſint.

Aliorum ad AVITUM.

JOANNIS S. R. E. DIACONI
EPISTOLA

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 496.

AD SENARIUM VIRUM ILLUSTR.

De variis ritibus ad baptismum pertinentibus, & aliis observatione dignis.

I. DOmino merito inlustri, semperque magnifico filio SENARIO, JOANNES diaconus. Sublimitatis vestræ paginam filio nostro spectabili viro RENATO deferente suscepimus, in qua & antiquæ gratiæ nobis jucundam fecistis memoriam, & quantus pectori vestro divini cultus ardor insideat, catholica solicitudine non celastis. Nam, ut vestræ loquuntur litteræ, quædam vobis scribi, quædam dirigi transscripta voluistis. Sed in transscribendo curam nostram utcumque notariorum labor adjuvit: in his vero quæ scribenda sunt, multum fateor laboris indicitis, & superaddere hoc mensuram meam adducta fronte respondeo. Primum, quod ea, sicut opus est, differere, non ita, ut credit amici æstimatio, meum valet ingenium. Fallitur enim amantium sæpe judicium, cum plus dilectioni tribuit, quam meritis dilectus ostendit. Accedit deinde quod infirmus corpore, ut alia taceam, ecclesiastico jugiter adstringor officio. Postremo otiosum tempus res postulat, ut majorum volumina recensentibus quid de unaquaque re dici debeat, illorum tuta juvamine procedat oratio. Quid igitur in hæc possumus, nisi forte quod me posse vota desideriaque vestra præstiterint? Idcirco quæsita breviter conabor attingere, ne si omnino taceam, infructuosi silentii pœnas excipiam. Confido enim orationibus tuis me posse juvari, qui ut hæc auderem tam ardua compulisti. Unde quæso, ut nihil in me eloquentiæ, nihil summæ doctrinæ desideres: quia nec illi plene studui, & doceri adhuc malo, quam doctoris nomen audire. Igitur si in hac inquisitione, mea, qualiscumque est, placet aut exspectatur oratio, jam nunc de singulis quæ sunt proposita videamus. Illud interea prudentiæ vestræ prædico, quia inquisitionum ordo, non ita, ut vestra legitur pagina, consequetur: sed ut se unaquæque suggesserit, absolutione congrua terminabitur. Itaque inquisitionis tuæ verba ita se habent.

II. *Requiro*, inquis, *a vobis, quare ante quam baptisma quis consequatur, catechuminus fuit: vel quid sibi habeat hoc vocabulum, aut hæc catechizatio, aut qua regula in veteri testamento præmissa sit: aut certe, si novella regula est, & magis a novo Testamento sumsit exordium. Simul etiam scrutinium quid sit, aut quare tertio ante Pascha scrutinentur infantes; aut quid sibi hæc districtio vel solicitudo scrutaminis vindicet*, cet.

III. Ad hæc ita respondeo. Studium vestrum nosse confidimus: quia omne genus humanum in ipsis, ut ita dicam, mundi cunabulis prævaricatione primi hominis in morte fuerit jure conlapsum; nec ab ea posse redimi, nisi affuerit gratia Salvatoris: qui dum ante sæcula genitus esset ex Patre, propter nos ex sola matre fieri non est dedignatus in tempore. Non est ergo dubium, quod prius quam aliquis renascatur in Christo, diabolicæ potestati teneatur adstrictus: cujus laqueis nisi inter ipsa primitus fidei rudimenta veraci professione renuntians exuatur, ad salutaris lavacri gratiam non accedit. Et ideo hunc oportet prius catechuminorum auditorium introire. Catechesis enim græce, instructio dicitur. Instruitur namque ecclesiastico ministerio per benedictionem imponentis manum, ut intellegat quis sit, quisve futurus sit; hoc est, quia ex damnabili sanctus fiat, ex injusto justus appareat, ad postremum filius fiat ex servo: ut qui in primo parente perditus fuerat, secundi reparatus beneficio, hereditatis paternæ possessor exsistat. Exsufflatus igitur exorcizatur: ut fugato diabolo, Christo Deo nostro paretur introitus; & a potestate erutus tenebrarum, transferatur in regnum gloriæ caritatis Dei: ut qui dudum vas fuerat satanæ, fiat nunc domicilium Salvatoris. Exsufflatur itaque, quia tali dignus est ignominia desertor antiquus. Exorcizatur autem, id est conjuratur, ut exeat & recedat, illius agnoscens adventum, cujus erectam in paradisi felicitate imaginem prava suasione dejecerat. Accipiet jam catechuminus benedictum sal, in quo signatur: quia sicut omnis caro sale condita servatur, ita sale sapientiæ & prædicationis verbi Dei mens fluctibus sæculi madida & fluxa conditur, ut ad soliditatem stabilitatis atque permansionis digesto penitus corruptionis humore divini salis suavitate perveniat. Hoc ergo agit frequens impositio manus, & reverentia Trinitatis, & invocata super caput ejus tertio benedictio conditoris.

IV. Dehinc quodam profectu atque provectu, ille qui dudum exsufflatus diabolicis laqueis pompisque renunciaverat, Symboli ab Apostolis traditi jam meretur verba suscipere: ut qui paullo ante solum catechuminus dicebatur, nunc etiam vocetur competens vel electus. Conceptus enim est in utero matris ecclesiæ, & vivere jam incipit, etiam si nondum sacri partus tempus explevit. Tunc fiunt illa, quæ ab ecclesiastica consuetudine scrutinia dicitantur. Perscrutamur enim eorum corda per fidem, utrum menti suæ post renuntiationem diaboli sacra verba defixerint; utrum agnoverint futuram gratiam Redemtoris; utrum se credere fateantur in Deum Patrem omnipotentem. Et cum hæc ita esse illorum responsione claruerit, quia scriptum est, [a] *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit in salutem*; tanguntur sanctificationis oleo aures eorum, tanguntur & nares: sed aures ideo, quia per eas ad intellectum fides ingreditur, Apostolo dicente: [b] *Fides autem per auditum, auditus vero per verbum Dei*: ut quasi quodam sanctificationis muro aures instructæ, nihil noxium, nihil quod retro revocare possit admittant.

V. Cum vero tanguntur nares eorum, ammonen-

a Rom. X. 10. b Ibid. ✝. 17.

Saecul. V. circa Ann. Chr. 496.

tur sine dubio, ut quamdiu spiritum vitae hujus naribus trahunt, in Dei servitio mandatisque perdurent. Unde ille vir sanctus dicebat: [a] *Vivit Dominus qui abstulit judicium meum, & omnipotens qui ad amaritudinem adduxit animam meam: quia donec superest halitus in me & spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.* Aliud quoque in narium unctione signatur: ut quia illud oleum in nomine benedictum est Salvatoris, ad spiritalem ejus odorem quadam ineffabili interiores sensus suavitate ducantur, ut delectati cantent: [b] *Unguentum effusum est nomen tuum: post odorem unguentorum tuorum currimus*: quo mysterio sensus narium praemunitus, nihil voluptuosum saeculi, nihil quod mentem resolvere queat, possit admittere.

VI. Dehinc pectus eorum oleo consecrationis perunguitur, in quo est sedes & habitaculum cordis: ut intellegant firma se conscientia & puro corde debere promittere, quod jam relicto diabolo Christi mandata sectentur. Hi etiam nudis pedibus jubentur incedere, ut depositis morticinis & carnalibus indumentis, agnoscant se illius viae iter arripere, in qua nihil asperum, nihil potest inveniri nocivum. Haec igitur ecclesiastica solicitudo per successiones temporum cauta dispositione constituit: quamvis horum vestigia vetus pagina non ostendat. Proinde cum istis quasi vehiculis spiritalibus electus sive catechuminus in fide processerit, tunc & necesse est unici lavacri baptismate consecrari: in quo sacramento baptizatus trina demersione perficitur. Et recte. Nam qui in nomine Trinitatis baptizandus accedit, ipsam utique Trinitatem trina debet mersione signare, & illius se agnoscere beneficiis debitorem qui tertia pro eo die resurrexit a mortuis. Sumtis dehinc albis vestibus, caput ejus sacri chrismatis unctione perunguitur: ut intellegat baptizatus regnum in se ac sacerdotale convenisse mysterium. Chrismatis enim oleo sacerdotes & principes unguebantur: ut illi offerendo sacrificia, illi populis imperarent. Ad imaginem quippe sacerdotii plenius exprimendam, renascentis caput lintei decore componitur. Nam sacerdotes illius temporis quodam mystico velamine caput semper ornabant: cuncti vero regenerati albis vestibus induuntur ad ministerium resurgentis ecclesiae, sicut ipse Dominus & Salvator coram quibusdam discipulis ac prophetis ita in monte transfiguratus est, ut diceretur: [c] *Resplenduit facies ejus velut sol: vestimenta vero ejus facta sunt candida sicut nix.* Quo facto splendorem, ut dictum est, resurgentis in futurum figuravit ecclesiae, de qua item scriptum est: [d] *Quae est ista quae ascendit dealbata?* Utuntur igitur albis vestibus: ut quorum primae nativitatis infantiam vetusti erroris pannus fuscaverat, habitus secundae generationis gloriae proferat indumentum: ut ad mensam sponsi caelestis nuptiali veste circumdatus homo novus occurrat.

VII. Illud autem ne praetermissum videatur, ante praedicimus, quod ista omnia etiam parvulis fiant, qui adhuc pro ipsius aetatis primordio nihil intellegunt. Unde scire debetis, quia dum a parentibus aut a quibuslibet aliis offeruntur, aliena eos professione salvari necesse est, qui fuerant alieno errore damnati. Ac proinde adjungis ut dicam, cur sanctum chrisma soli pontifici liceat consecrare, quod presbytero non videtur esse concessum. Et merito: quia episcopus summi pontificis gradum obtinet, presbyter vero secundi sacerdotii locum retinere cognoscitur. Omnis enim pontifex est sacerdos; non omnis sacerdos pontifex dici potest. Nam in veteri testamento, ut alia taceam, etiam indumentorum habitu differebant: ita ut sacerdotes quatuor quibusdam mysticis vestibus uterentur, quae illis cum pontifice videbantur esse communes: at pontifex quatuor aliis utebatur, quibus indui sacerdotibus penitus non licebat. Adjicitur etiam quod in sancta sanctorum semel in anno solus pontifex habebat accessum. Unde jam in novo populo episcopus ordinandi presbyteros meruit potestatem. Recte igitur benedictionis & unctionis quodammodo potestas apostolica huic traditioni servatur, quam constat ecclesiasticorum ordinum tenere principium.

VIII. Illud quoque non praetereundum videtur, [1] qui nec eadem benedictionis verba presbyterii consecratio promeretur, quae pontificalis apex consuevit audire. Nam si nihil speciale reservatum esset episcopo, gradus indifferens esse videbatur: nec opus esset diverso vocabulo, quod eadem benedictio consecraret. Sed nec illud tangat animum, quod sibi aliquando quaedam vis necessitatis assumit, veluti (quod nunc per Africam fieri dicitur,) ut presbyteri sanctum chrisma conficiant: quod merito moveret, si istam pontificalis auctoritas licentiam non dedisset. Unde constat etiam nunc a pontificibus quodammodo fieri, quod in tanta rerum necessitate, ut a presbyteris effici possit, superior ordo constituit. Nota.

IX. Illud etiam vultis scire, quos ecclesia catholica redeuntes non baptizet haereticos? Quod ego pro meo modulo brevi responsione concludam: illos venientes baptizari, quos non constiterit in nomine Trinitatis aeque suscepisse mysterium. Nam sive Patrem solum quis confiteatur, negans Filium & Spiritum sanctum, baptizandus omnino est: sive Filium confitens, neget Patrem vel Spiritum sanctum, sine dubio consequi debet baptismatis sacramentum: vel si Spiritum sanctum denegans, Patrem fateatur ac Filium, aeque, ut meminimus, mystico fonte purgabitur, juxta illam Domini regulam dicentis: [e] *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Verum si Trinitatis nomen accepit, inaequalitatis quolibet modo faciens differentiam, veluti qui illo in tempore Arrium sunt secuti, baptizari omnino non possunt: quia illam dominicam consecuti sunt regulam, licet videantur errare. Unde hujusmodi docendi sunt potius quam baptizandi, & incorporandi matris Ecclesiae visceribus benedictione succedente pontificis: ut per caritatem qua Deus proximusque vere diligitur, quid minus habuerint, quidve in eis completum fuerit, recognoscant. De Pelagianis autem, Eutychianis sive Nestorianis aperta & vulgata sunt omnia, quae in libro de haeresibus cum legeritis, plenius poteritis advertere.

X. Acolythi autem exorcistis hoc ordine differunt, quod exorcistis portandi sacramenta, eaque sacerdotibus ministrandi negata potestas est; tantumque manus impositioni vacent, propter quod exorcistae dicuntur; vel cetera quae intra acolythorum ordinem esse probantur, explere festinent. Acolythi vero sacramentorum portanda vasa suscipiunt, & ministrandi sacerdotibus ordinem gerunt. Ideoque exorcista fieri potest acolythus: iste vero ad exorcistarum officium nulla penitus promotione descendit: qui si optime suum officium ministraverint, ad subdiaco-

a Job. XXVII. 2-4. b Cant. I. 2. 3. c Matth. XVII. 2. d Cant. III. 6. VIII. 5. e Matth. XXVIII. 19.

1. *Qui*] Legendum videtur *quia*.

natus gradum poterunt pervenire: cujus hic apud A nos ordo est, ut accepto sacratissimo calice in quo consuevit pontifex dominici sanguinis immolare mysterium, subdiaconus jam dicatur. Qui si rursus nullo fuscatus vitio inculpabilis perseverat, ad diaconii vel presbyterii sacratissimas dignitates poterit pervenire.

XI. Quod de septem altaribus inquisisti, quæ in urbe Roma sabbato Paschæ moris est consecrari; hoc dico, quia majores nostri, sive in septiformis gratiæ spiritu decreverint faciendum; sive quia septem regionibus ecclesiastica apud nos militia continetur a qua hæc ipsa parantur altaria, ut singulis benedictio præstaretur: an quia septenarius ipse B numerus mysticus & sacratus est, quia in Trinitatis nomine orbis credit universus, qui quatuor partibus ab scriptura sæpe describitur; ac per hoc ternarius quaternario junctus septenarium efficiat, qui quasi inter illa sacra terribilia totius mundi repræsentat imaginem: an alia quadam ratione constitutum sit, certe mihi habetur incognitum. Illud tamen firma mente custodio, quod non a majoribus tradita custodiret ecclesia, nisi certa sui ratio poposcisset. Nec ea possumus dicere inania videri ac fribola, quia eorum minime rationem accepimus. Nam multa qui proxime ante nos fuerunt, & nos, ut nobis ratio persuadet, in ecclesiis quædam nova sancimus: quæ dum ad posteros transmittimus observanda, et- C iamsi qua id ratione a nobis factum sit, longe posterior ætas ignoret, non putabit tamen inania, si in Deum piam præcedentium intellegat voluntatem. Hoc ergo modo etiam nos quod .... majorum ratio ipsa non venit: nam quorum pervenit, & ipsa tenentur & res: quorum autem caussa latet, & res fidei non resultat, observari ac teneri necesse est.

XII. Quod autem quæsistis, cur in sacratissimum calicem lac mittatur & mel, & Paschæ sabbato cum sacrificiis offeratur? Illud in caussa est, quia scriptum est in veteri testamento & novo populo figuraliter repromissum: [a] *Introducam vos in terram repromissionis, terram fluentem lac & mel.* Terra er- D go repromissionis terra est resurrectionis, & in illa felicitate semper permanentis, quæ nihil est aliud quam terra corporis nostri, quæ in resurrectione mortuorum incorruptionis pacisque gloriam consequetur. Baptizatis ergo hoc sacramenti genus offertur, ut intellegant, quia non alii, sed ipsi qui participes fiunt corporis & sanguinis Domini, terram repromissionis accipient, cujus iter inchoantes, tamquam parvuli lacte nutriuntur & melle, ut incipiant decantare: [b] *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua Domine, super mel & favum.* Lac ergo & mel [1] portantur novi homines post amara delicta: ut qui in prima nativitate corruptionis lacte nutriti sunt, & amaritudinis lacrymas inchoarunt; secunda generatione lactis ac mellis dulcedinem in ecclesiæ visceribus sumant, ut nutriti talibus sacramentis incorruptionis perpetuæ mysteriis consecrentur.

XIII. Illud etiam quod interrogare dignatus es, cur *Alleluja* usque ad Pentecosten in ecclesia decantatur? scire vos convenit, alia esse in fide catholica, quibus per totum mundum omnis Christianus adstringitur, veluti est auctoritas novi ac veteris testamenti: alia rursus esse instituta patrum, a quibus nulli licet catholico deviare, veluti Nicæni canones, & si quid hujusmodi est: itemque alia esse, quæ unaquæque ecclesia tamquam propria retinet, & a suis majoribus tradita sibi custodit, quæ salva fide & pace catholica cum alterius regionis non observat ecclesia, ut est Romana, quæ sabbatis omnibus jejunat, quod orientalis facere non videtur: vel quod heic septem altaria componuntur, quod alibi nullus attemptat: & rursus fiant alia alibi, quæ heic fieri non probantur. Hæc autem omnia ita diversis ecclesiis diverso modo fiunt; ut tamen omnes illius Reginæ vestem faciant, de qua dictum est: [c] *Adsistit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta varietate.* Nihil ergo moveat, cum videntur heic aliqua in Dei laudibus fieri, quæ alibi alio modo fieri comprobantur. Sive enim usque ad Pentecosten *Alleluja* cantetur, quod apud nos fieri manifestum est: sive alibi toto anno dicatur; laudes Dei cantat Ecclesia. Sed reservatur aliquid apud nos paschali reverentiæ, ut majoribus gaudiis, & quasi mentibus innovatis ad laudem Dei recurrat affectus: propter quod *Alleluja*, latino sermone *Laudate Dominum* dicitur. Quamquam & aliis verbis id quotidie populorum vox dicentium resonet: [d] *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis.* Itemque: [e] *Laudate Dominum omnes Angeli ejus.* Et iterum: [f] *Laudate Dominum omnes gentes.* Semper ergo cum Deus quoquo modo fideli corde laudatur, *Alleluja* cantatur.

XIV. Restat nunc illud quod interrogandum putastis: Si baptizatus sine chrismatis unctione ac benedictione pontificis ex hac vita migraverit, utrum ei obsit aliquid, an non? De qua re magis a doctis plenius audire vellem, quam ipse aliquid dicere. Quid tamen mihi videatur, salva meliore intelligentia & majorum plena sententia, quod in omnibus supra dictis volo tenere; quia ita vestræ voluntati parere studui, ut tamen de omnibus quid melius (quod non dubito) a majoribus dictum est, hoc uterque servemus. Quid ergo videatur breviter dicam. Ducatur ergo similitudo ab hac prima nativitate in qua orti sumus, ut intellegamus illam secundam ex qua vere vivimus & in qua justificati sumus. Cum natus fuerit infans, & lucis hujus participationem contigerit, perfectum hominem natum esse dicimus, & est ejusdem substantiæ eujus est ille qui genuit, hoc est, animal rationale mortale; quamquam ille grandis, hic parvus: quæ sunt accidentium vocabula, non naturæ. Si ergo accidant adjumenta ad ætatis provectum, numquid adjectum est aliquid definitioni substantiæ? absit: quia non extenditur aut minuitur naturæ proprietas......
Cetera desunt.

a Levit. xx. 24. b Psalm. cxviii. 103. xviii. 11. c Psalm. xliv. 10. d Psalm. cxlviii. 1. e Ibid. ℣. 2. f Psalm. cxvi. 1.

1. *Portantur*] An *potantur*?

Sæcul. V. circa Ann. Chr. 499.

SANCTI REMIGII

EPISCOPI REMENSIS

EPISTOLÆ IV.



EPIST. I.

* *Ad* Chlodoveum *Francorum regem*.

Consolatoria in obitu Albofledis sororis ejus, quæ non multo post susceptum baptisma e vita migrarat.

Domino illustri meritis Chlodoveo regi Remigius episcopus.

ANgit me, & satis angit, vestræ caussa tristitiæ, quod gloriosæ memoriæ germana vestra transiit [1] Albofledis. Sed consolari possumus, quia talis de hac luce discessit, ut recordatione magis suscipi debeat, quam lugeri. Illius enim vitæ fuit, quod assumta credatur a Domino, quæ a Deo electa migravit ad cælos. Vivit vestræ fidei, etsi est conspectus desiderio recepta. Christus implevit, ut benedictionem virginitatis acciperet; quæ sacrata non est lugenda, quæ fragrat in conspectu Domini flore virgineo; quo scilicet & corona tecta, quam pro virginitate suscepit. Absit ut a fidelibus lugeatur, quæ bonus Christi odor esse promeruit, ut per eum cui placet, auxilium possit conferre poscentibus. Dominus meus, repelle de corde tuo tristitiam: animo rite composito regnum sagacius gubernate, erectiora sumentes studio serenitatis consilia. Læto corde membra conforta: mæroris tor- A pore discusso acrius invigilabis ad salutem. Manet vobis regnum administrandum, & Deo auspice procurandum. Populorum caput estis, & regimen sustinetis. Acerbitate ne te videant in luctu affici, qui per te felicia videre consueverunt. Esto ipse tuæ animæ consolator, vigorem illius providentiæ continens ingenitæ, ne tristitia candorem tuæ menti subducat. De ejus præsente transitu quæ choris est juncta virgineis, ut credo, rex gaudet in cælo. Salutans gloriam vestram, commendo familiarem meum presbyterum Maccolum quem direxi. Quæso ut tantis habeatis ignoscere, quod qui occursum debui, exhortatoria destinare verba præsumsi. Tamen per harum bajulum si jubetis ut va- B dam, contemta hiemis asperitate, frigore neglecto, itineris labore calcato, ad vos auxiliante Domino pervenire contendam.

* Hujus epistolæ initium refert Gregorius Turonensis *Hist. Franc.* lib. II. cap. XXXI. Ex hac porro epistola intelligimus, Albofledem Chlodovei sororem consecratam Deo virginem decessisse. Nam & *benedictionem virginitatis* eam *accepisse* scribit Remigius, atque *sacratam lugeri* negat oportere. Hinc Hadrianus Valesius *Rer. Franc.* lib. VI. tom. I. pag. 261. jure miratur nec Gregorium qui hanc epistolam legerat, nec ceteros rerum Gallicarum historicos id animadvertisse: existimatque Albofledem non ab alio quam Remigio ut baptizatam, sic consecratam fuisse. Extat hæc epistola in *Concil. collect.* tom. V. pag. 396. edit. Ven-Labb. eamdemque recitat Ruinartius in *Append. ad opp. Gregorii Turon.* pag. 1326.

1. *Albofledis*] Sic sane Gregorius Turonensis. At Valesius l. c. scripsisse Remigium *Albochledis* tradit. Neque aliter in suo exemplari Ruinartius.

EPIST. II.

* *Ad* Chlodoveum *regem hortatoria, quum rex ad bellum Gothicum se accingeret.*

Domino insigni & meritis magnifico Chlodoveo regi Remigius episcopus.

RUmor ad nos magnus pervenit, administrationem vos secundam rei bellicæ suscepisse. Non est novum, ut cœperis esse sicut parentes tui semper fuerunt. Hoc in primis agendum, ut Domini judicium a te non vacillet, * ubi tui meriti, qui per industriam humilitatis tuæ ad summum culminis pervenit: quia quod vulgo dicitur, ex fine actus hominis probatur. Consiliarios tibi adhibere debes, qui famam tuam possint ornare. Et beneficium tuum castum & honestum esse debet, & sacerdotibus tuis honorem debebis deferre, & ad eorum consilia semper recurrere. Quod si tibi bene cum illis convenerit, provincia tua melius C potest constare. Cives tuos erige, afflictos releva, viduas fove, orphanos nutri, * si potius est quam erudies, ut omnes te ament & timeant. Justitia ex ore vestro procedat: nihil sit sperandum de pauperibus vel peregrinis, ne magis dona aut aliquid accipere velis. Prætorium tuum omnibus pateat, ut nullus exinde tristis abscedat. Paternas quascumque opes possides, captivos exinde liberabis & a jugo servitutis absolves. Si quis in conspectu vestro venerit, peregrinum se esse non sentiat. Cum juvenibus [1] jocare, cum senibus tracta, si vis regnare nobilis judicari.

* Exstat in *Concil. collect.* tom. V. pag. 539. & apud Ruinartium l. c. De hac vero Chlodovei expeditione videas Gregorium Turonensem *Hist. Franc.* lib. II. cap. XXXVII. nec non *Mem. de l'Acad. des Inscr.* tom. X. p. 529. & tom. XX. p. 178. seqq.

1. *Jocare*] Apud Ruinartium, *joca* activa forma; qua etiam usurpatur Plauto *Cas.* IV. IV. 20.

Sæcul. V.
circa
Ann. Chr.
499.

EPIST. III.

* *Ad tres episcopos.*

De Claudio presbytero, in cujus caussa spretum se ab illis conqueritur.

Dominis vere sanctis & merito beatissimis in Christo fratribus, Heraclio, Leoni & Theodosio, Remigius episcopus.

PAullus Apostolus in epistola sua loquitur, [a] *Caritas numquam excidit*: quæ ut tales ad me litteras mitteretis, in vestris sensibus non resedit. Nam pro Claudio fudi simplicem precem, quem vos non presbyterum scribitis, ut in me indignationem vestri pectoris proderetis. Illum non abnego graviter deliquisse: sed vos ætatis meæ, etsi non meritis, decuerat detulisse. Quod propitia divinitate sit dictum, quinquaginta & tribus annis episcopali sedi præsideo, & me appellavit tam procaciter nemo. Dicitis melius vos fuisse [1] non natos. Hoc mihi fuerat opportunum, ne audissem transgressoris opprobrium. Ego Claudium presbyterum feci, non corruptus præmio, sed præcellentissimi regis testimonio, qui erat non solum prædicator fidei catholicæ, sed defensor. Scribitis, canonicum non fuisse quod jussit. Summo fungimini sacerdotio. Regionum præsul, custos patriæ, gentium triumphator injunxit. Tanto in me prorupistis felle commoti, ut nec episcopatus vestri detuleritis auctori. Rogavi ut Claudius sacrilegii perpetrator pœnitentiæ servaretur. [b] Legimus namque, legimus quod excidium cælesti denuntiatione prædictum evaserunt per pœnitentiam Ninivitæ: quod [c] Joannes præcursor Domini in evangelio prædicavit, ut regno appropinquante cælorum, eam populi agerent ne perirent. In Apocalypsi angelis ecclesiarum scribitur [d] ex præcepto Domini salvatoris, ut quæ digne minus egerant, pœnitentiæ satisfactione corrigerent. De iracunda dictione sanctitatis vestræ [2] intelligo, quod lapsum non misereamini post ruinam. Sed magis velle vos video, ne convertatur & vivat, cum Dominus dixerit: [e] *Nolo mortem morientis, sed ut convertatur & vivat*. Hoc nos expedit sequi, hanc Domini voluntatem non prætermittere, sed tenere: quia nos posuit non ad iracundiam, sed ad hominum curam, & servire pietati potius quam furori. Ponitis in epistola vestra, quod Celsus quidam qui Claudio credidit, quo abductus, & utrum vivat, an sit mortuus ignoratis, atque hujus inquisitorem me esse præcipitis; & nescitis si in sæculo, aut si apud inferos sit quærendus: & res suas a me vultis restitui quas sublatas fuisse non novi. Impossibilia præcipitis, ut impia peragatis. Annorum numero me esse scribitis [3] Jubileum, irridentes potius, quam pro dilectione gaudentes, cui vinculo caritatis irrupto insinceriter a vobis nec parcitur, nec defertur.

a I. Cor. XIII. 8. *b* Jon. III. 5. 10. *c* Matth. III. 2. *d* Apoc. II. 5. seqq. *e* Ezech. XXXIII. 11.

* Exstat in *Concil. collect.* tom. V. pag. 748. eamdemque recitat Cointius in *Annalibus eccl. Franc.* ad ann. 512. §. II.

1. *Non natos*] Sic recte Cointius. Deest improvide particula negativa in Concil. collect. ubi & mox male, *Ergo Cl.*

2. *Intellige*] Apud Cointium non bene, *interrogo*.

3. *Jubileum*] Contumeliose propter seniorem ætatem Remigium vocarunt *Jubileum* illi episcopi, quod scilicet quinquaginta & amplius annos in episcopatu transegisset. Eodemque nomine propter senectutem per contemtum a multis solitum vocari beatum antistitem testantur Hincmarus in *Vit. Remig.* & Flodoardus *Hist. eccl. Remens.* lib. I. cap. XVII. sub init.

EPIST. IV.

* *Ad Falconem episcopum Tungrensem.*

Arguit illum quod in Mosomagensi ecclesia jurisdictionem sibi adversus Remensis ecclesiæ jura usurparit.

Domino vere sancto & in Christo beatissimo fratri, Falconi episcopo Remigius episcopus.

QUantum comperi, rebus gestis probavi, prius curæ beatitudini tuæ fuit, ut mihi inferres injuriam, quam salutationem deferres. O conveniens principium quod dedisti, ut læderes episcopus ante me, quam episcopum te viderem! Nimium cito pennis tenerulis evolasti, levitate animi, non maturitatis consilio. In ipso siquidem episcopatus exordio jus ingredi tentas alienum, qui adhuc tuum verecunde debueras introire. Fas ergo fuit, ut illicitis ordinationibus tuis a te crederis occupandam loci Mosomagensis ecclesiam, quam metropolitani urbis Remorum sub ope Christi sua semper ordinatione rexerunt? Adhuc arbitror tua nescis, & jam aliena pervadis. In qua igitur cum levitas feceris, presbyteros consecraris, archidiaconos institueris, primicerium scholæ clarissimæ, militiæque lectorum; non queror quod me consilio inter ista non videris, utinam te vidisses. Si enim canones tua sanctitas ignorabat, satis præproperum fuit, ut transgredereris ante quam disceres. At vero ecclesiarum statuta si noveras, tanto gravius tantoque periculosius insipientia tua [1] prisco-

* Exstat in laudata *Concil. collect.* tom. V. pag. 749. Eamdem recitat refertque Cointius l. c. ad annum 495. §. IV.

1. *Priscorum pontificum decreta*] Remigius non inani auctoritate nitebatur. Inter canones enim Apostolorum, qui numero tricesimus sextus est, juxta veterem editio-

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 499.



rum magnificorumque pontificum decreta calcavit. Cave qui aliena præsumis, ne quod habere videris, amittas. Cum factæ ordinationis jura non constent, quo potissimum consilio sacerdotalis officii tirocinia defensabis, si temerariæ transgressionis admissum pertinacia vel impotentia miscueris? Majoris discriminis erit antiquam sanctionem fuisse violatam, quam laus sit loco stare contra canones quos creasti. Sed quid de eorum loquar ordinibus, quos a beatitudine tua licuit promoveri? Plus illud est, quod si juxta majorum statuta severitatemque discutimus, non minus quam status illorum, vester veniet episcopatus in dubium. Dominus in evangelio dicit ad Petrum: [a] *Simon Joannis diligis me?* & Petrus: *Etiam Domine, tu scis quia amo te.* B Cui bis terque a Domino sub hac responsione præcipitur: *Pasce oves meas.* Ego quia oves Christi pascere, omnimodis imperitus, alimoniæ cælestis ubertate non possum; qui ex sacris eruditionibus eruditus, eas quæ mihi Christo jubente traditæ sunt, ut pascas admoneo, ut invadas inhibeo. Age semper ut te digna comitentur. Ecclesiæ quam divina dispensatione meruisti præsidendam, deservi, & pro salute gregis dominici solicitus pastor invigila. Utinam mediocritati meæ ista suppeterent, quæ in nomine Domini habere vos cupio. Sed quia desunt meæ, vel credita mihi sunt obsequia Salvatoris, salvari mercenario non requiro. Joannes in Apocalypsi [b] septem quippe angelis suis comprehen- C A dit, & unicuique scribit ecclesiæ. Facta igitur merita quæ præpositis; quæ probata corrigenda, castigat. Cum ergo sub vocabulo angeli tradatur actionis forma pontificiæ, doleo super tuæ præsumtionis audacia, ut jura permutes vetera novus, cauta temerarius, divina terrenus. Audiant nos, audiant quos elegeris sacerdotes. Sacerdotes tui ipsi nos audiant. Creatoris confido sententiam non pro te, sed in te, a judicantibus proferendam. Quis enim pro sensus sui probitate non improbet eum contra ecclesiæ regulam prorupisse, qui debuerat ecclesiæ regulam custodire? Mandas, ut audio, colonorum tibi tributa portari, & præcipis ut reditus deferantur agrorum. Datur intelligi, quod ecclesiæ rem, non ecclesiam concupisti, quando solicitus exquisitor exposcis, quæ ego ad quem jure veniebant, remisi potius quam quæsivi. Nolo te lateat, levitas atque presbyteros, contra ordinem quos fecisti, ab ordine jam remotos. Perpendi enim quod a me non decebat admitti, quos a te non licuerat ordinari. Heu quantum me a cultus tui proposito repulisti, dum mavis perperam agere, quam fœdera fraterna servare! Optaveram namque ut clericus permansisses, quia factus fueras vi sacerdos. Sed si mentem tuam cura ista non tangit, ego tamen pro sinceritate profiteor, quod animum non minus angit a te inexcusabiliter erratum, quam me fuisse contemtum.

a Joan. XXI. 15. b Apoc. II, III.

nem Dionysii Exigui, statuit *Episcopum non audere extra terminos proprios ordinationes facere in civitatibus & villis, quæ illi nullo jure subjectæ sunt. Si vero convictus fuerit hoc fecisse, præter eorum conscientiam qui civitates & villas detinent, & ipse deponatur, & qui ab illo sunt ordinati.* Dissidium illud inter præsules sanctitate conspicuos haud diu duravit; & ecclesia Mosomagensis in parœcia Remensi permansit. COINT. l. c.



*TESTAMENTUM SANCTI REMIGII

REMENSIS EPISCOPI.

IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI.
GLORIA DOMINO ✠ AMEN.

EGO REMIGIUS episcopus civitatis Remorum, D sacerdotii compos, Testamentum meum condidi jure prætorio, atque id codicillorum vice valere præcepi, si ei juris aliquid videbitur defuisse. Quandocumque ego Remigius episcopus de hac luce transiero, tu mihi heres esto, sancta & venerabilis ecclesia catholica urbis Remorum. Et tu fili fratris mei, LUPE episcope (quem præcipuo semper amore dilexi) Et tu nepos meus AGRICOLA presbyter qui mihi obsequio tuo a pueritia placuisti, in omni substantia mea quæ mea forte obvenit ante quam moriar, præter id quod unicuique donavero, legavero, darive jussero, vel unumquemque vestrum voluero habere præcipuum. Tu sancta heres mea Remensis ecclesia, colonos quos in Portensi habeo territorio, vel de paterna maternaque substantia, vel quos cum fratre meo sanctæ memoriæ PRINCIPIO episcopo commutavi, vel donatos habeo, possidebis. Dagaredum, Profuturum, Prudentium, Tenuaicum, Maurilionem, Baudoleifum, Projunciolum, Niviatenam, Lautam, Suffroniam colonas, Amorinum quoque servum tuo dominio vindicabis: nec non agros quos possideo in solo Portensi, cum pratis, pascuis, silvis, ad te testamenti hujus auctoritate revocabis. Futuro episcopo, successori meo, [1] Amphibalum album pa-

* Hoc Testamentum variis auctum interpolationibus exstat apud Flodoardum *Hist. Rem.* lib. I. cap XVIII. Illudque recitat Brissonius *de Formulis* lib. VII. nec non Miræus *Opp. Diplom. & Hist.* tom. I. sub init. At genuinum hujus Testamenti exemplar tandem prodiit Jo. Jac. Chiffletii studio in Disquisitione *de Ampulla Remensi*, sed aliquot mendis deforme, quas ope sanioris apographi sustulit Philippus Labbeus in *Nov. Bibl. mss. librorum* tom. I. pag. 806. Item apud Cointium occurrit in *Annal. eccl. Franc.* ad ann. 533. §. 1. tom. I. pagg. 407. seqq. In eo autem exscribendo editionem Labbeanam secuti sumus. E Porro de hujusce integritate monimenti vide sis Pagium ad ann. 514. §. IX. & ad ann. 541. §. XI.

1. *Amphibalum*] Indumentum aliquod designat a Græco ἀμφιβάλλω, circumpono, operio, induo, ut observat Colvenerius in scholiis ad primum librum Flodoardi. Octavius Ferrarius lib. II. *de re vestiaria* cap. XII. scribit fuisse genus aliquid vestimenti ad instar lænæ, non multum chlamydi absimilis, quod veteres *amphimallum* appellabant. Planetam interpretatur Andreas Saussaius in *Panoplia cleric.* part. I. lib. V. cap. V. Nam olim planeta tota rotunda erat, totum mystam ambiens; adeo ut quum

ſchalem relinquo, ſtragula columbina duo, vela tria, A quæ ſunt ad oſtia diebus feſtis triclinii, cellæ & culinæ. Vas argenteum decem & octo librarum, inter te, heres mea, & diœceſim tuam eccleſiam [1] Lugdunenſem, factis patenis atque calicibus ad miniſterium ſacroſanctum, prout volui, Domino annuente diſtribui. Aliud argenteum vas, quod mihi domnus illuſtris memoriæ HLODOWICUS rex quem de ſacro baptiſmatis fonte ſuſcepi, donare dignatus eſt, ut de eo facerem quod ipſe voluiſſem, tibi heredi meæ eccleſiæ ſupra memoratæ jubeo [2] turriculum & imaginatum calicem fabricari; quod faciam per me, ſi habuero ſpatium vitæ; ſi ante clauſero ultimum diem, tu fili fratris mei, LUPE epiſcope, ſpecies ante dictas tui ordinis memor ef- B ficies. Compresbyteris meis & diaconibus qui ſunt Remis, [3] viginti & quinque ſolidos æqualiter dividendos in commune dimitto. Vitis plantam ſuper vineam meam ad ſuburbanum poſitam, ſimili modo communiter poſſidebunt cum Melanio vinitore, quem do in loco eccleſiaſtici hominis Albovichii, ut Albovichius libertate pleniſſima perfruatur. Subdiaconibus ſolidos duos, Lectoribus ſolidos duos, Oſtiariis & Junioribus ſolidos duos jubeo dari. Pauperibus in matricula poſitis ante fores eccleſiæ exſpectantibus ſtipem, duo ſolidi, unde ſe reficiant, inferentur. De Vaculiaco Frunimium, Degaleiſum, Dagaredum, Ductionem, Baudovicum, Uddulſum, Vinofeiſam, liberos eſſe præcipio. Tennare- C dus qui de ingenua naſcitur matre, ſtatu libertatis utatur. Tu vero fili fratris mei, LUPE epiſcope, tuo dominio vindicabis Niſaſtem, & matrem ſuam [4] Nuciam: vineam quoque quam Enias vinitor colit. Eniam & Monulſum ejus filium juniorem jubeo libertate perfungi. Mellovicum porcarium, & Paſchaſiolam conjugem ſuam; Vernivianum cum filiis ſuis, excepto Widragaſio cui tribuo libertatem, tuo juri deputabis. Servum meum de Ceſſurnico tuum eſſe præcipio. Agrorum partem ad te, quam frater meus PRINCIPIUS epiſcopus tenuit, cum ſilvis, pratis, paſcuis revocabis. Servum meum quem Mellonicus tenuit, Viteredum [5] tibi derelinquo. Teneurſolum, Capalinum D & uxorem ſuam Tendoroſenam, tuo juri dominioque tranſſcribo. Teudonivia quoque ex mea præceptione ſit libera. Edoveiſam quæ homini tuo ſociata fuit, & ejus cognationem retinebis. Uxorem Aregildi & cognationem ſuam ingenuos eſſe jubeo. Partem meam de prato, quod Lugduni juxta vos habeo, ad imitatem montium poſito, & quæ Jovia ſunt pratella, quæ tenui, ad te revocabis. Tibi autem, nepos meus AGRICOLA presbyter, qui intra domeſticos meos parietes exegiſti pueritiam tuam, trado atque tranſſcribo Merumvaſtem ſervum, & uxorem ſuam Menatenam, & eorum filium nomine Marcovicum. Ejus fratrem Medovicum jubeo eſſe liberum. Amantium & uxorem ſuam Daero, tibimet derelinquo: eorum filiam eſſe præcipio liberam Daſovindam. Alaricum ſervum tuæ deputo portioni: cujus uxorem quam redemi & manumiſi, commendo ingenuam defendendam. Bebrimodum, & uxorem ſuam Moram tuo dominio vindicabis. Eorum filius Monacharius gratulabitur beneficio libertatis. Mellanricum & uxorem ſuam Placidiam ad tuum dominium revocabis: Medaridus eorum filius ſit libertus. Vineam quam Mellaricus Lugduni facit, tibi dono, Brittobaudem ſervum meum, nec non etiam Gibericum. Vineam quam Bebrimodus facit, tibi eatenus derelinquo, ut diebus feſtis & omnibus dominicis ſacris altaribus mea offeratur oblatio, atque annua convivia Remenſibus presbyteris & diaconibus præbeantur: delegoque nepoti meo PRÆTEXTATO Moderatum, Tottionem, Marcovicum, Innocentium ſervum quem accepi a Profuturo originario meo, coclearia quatuor de majoribus, acetabulum, lacernam quam mihi Tribunus Friaredus dedit, & argenteam tabulam figuratam. Filiolo illius Paronio acetabulum, & tria coclearia, & caſulam cujus fimbrias commutavi. REMIGIÆ coclearia tria, quæ meo ſunt nomine titulata: mantele ipſius quod habeo feriale, tranſſcribo: hichinaculum quoque dono illi, de quo Gundobado dixi. Delegoque benedictæ filiæ meæ HELARIÆ diaconæ ancillam nomine Noram, & vitium pedaturam quæ ſuæ jungitur vineæ quam Cattuſio facit, dono: & partem meam de Talpuſciaco tranſſcribo pro obſequiis quæ mihi indeſinenter impendit. AETIO nepoti meo partem de Ceſſurnico quæ mihi ſorte diviſionis obvenit, cum omni jure quod tenui atque poſſedi: Ambroſium quoque puerum ad jus illius dominiumque tranſmitto. Vitalem colonum liberum eſſe jubeo, & familiam ſuam ad nepotem meum Agathimerum pertinere, cui vineam dono quam poſui Vindoniſſæ, & meo labore conſtitui: ſub ea conditione, ut a patribus ſuis omnibus diebus feſtis ac dominicis pro commemoratione mea ſacris altaribus offeratur oblatio, & Lugdunenſibus presbyteris atque diaconibus annua convivia, concedente Domino, præbeantur. Dono eccleſiæ Lugdunenſi ſolidos decem & octo, quos presbyteri & diaconi inter ſe æquali diviſione diſtribuant. Partem meam de Seeia ex integro ad ſe revocet eccleſia Lugdunenſis. Commendo ſanctitati tuæ, fili

ſacris operaretur, neceſſe eſſet limbum utrumque ad dextram & lævam ſuper celebrantis brachia complicare. Unde mos ille ortus videtur, quo etiamnum ſolemus ſacerdotis hoſtiam divinam ac ſalutis perpetuæ calicem attollentis, oram caſulæ ſeu planetæ aut penulæ elevare, ne E celebranti incommodum adferat onere ſuo; quamvis vix jam opus ſit id facere, planeta utrimque diſſecta a dextro & ſiniſtro latere: adeo ut qui tremenda agit myſteria, expedite lacertos manuſque moveat, exſeratque ſine ullo obice. — COINT. l. c. ad ann. 533. §. LII.

1. *Lugdunenſem*] In multis exemplaribus prædicti Teſtamenti leguntur *Lugdunum* & *Lugdunenſes*, in aliis *Laudunum* & *Laudunenſes*. Retinuimus quidem *Lugdunum* & *Lugdunenſes*: ſed monitum te volumus Lugdunum Clavatum, *Laon*, intelligi, quod ſubeſt metropoli Remenſi; non autem Lugdunum Seguſianorum, *Lion*, quod eſt caput Galliæ Celticæ. — ID. ibid. §. LI.

2. *Turriculum & imaginatum calicem*] Labb. *turibulum*. At Colvenerius ad Flodoardi lib. I. cap. XVIII. *Hiſt. Remenſ. eccl.* legit, prout edidimus. Neque aliter Cointius, qui l. c. §. LIII. ad hunc locum hæc obſervat: „ Difficultas oboritur, inquit, circa *turriculum & imaginatum calicem*. Nam *turriculi* loco *turibulum* quidam reponunt: alii *turriculam* contra fidem veterum exemplarium, quibus ſtandum putamus cum Colvenerio: cui calix *turriculus* idem eſt ac turritus ſeu turriculatus, atque ita dictus a figura; ut & *imaginatus*, quia ſculptis ſacris imaginibus eſt inſignitus. Quod hodie *ciborium* vocamus, antiqui *turrim* dixerunt. Teſtis Gregorius Turonenſis, apud quem lib. I. cap. LXXXVI. *de gloria martyrum* hæc leguntur: *Acceptam turrem diaconus in qua myſterium dominici corporis habebatur, ferre cœpit ad oſtium*. Teſtis & ipſemet Flodoardus *Hiſt. Remenſ.* lib. II. cap. VI. a quo laudatur Lando Remenſis epiſcopus, quod *turrim auream quam ad votum ſuum fabricari fecerat, ſuper altare poſuit S. Mariæ Remenſis eccleſiæ*. „

3. *Viginti & quinque ſolidos*] Solidorum quantitas numero quadraginta denariorum computatur, ſicut tunc ſolidi agebantur, & in Francorum lege Salica continetur, & generaliter in ſolutione uſque ad tempora Karoli perduravit velut in ejus Capitulis invenitur. — LABB. l. c. pag. 806.

4. *Nuciam*] Ita legimus cum Cointio; ubi Labbeus habet *mutam*; mendoſe ut videtur.

5. *Tibi derel.*] Pronomen *tibi* quod deeſt apud Labbeum, ex Cointio reſtitui.

SÆCUL. V. CIRCA ANN. CHR. 499.

fratris mei, LUPE episcope, quos libertos esse præcipio, Carthusionem & Auliatevam conjugem suam; Nonnionem, qui meam vineam facit; Sunnoveisam, quam captivam redemi, bonis parentibus natam, & ejus filium Leuberedum; Mellaridum & Mellatevam; Vasantam coquum, Cesariam, Dagarasevam & Baudorosevam Leonis neptem, & Marcoleifum filium Tottionis: hos totos, fili fratris mei, LUPE episcope, sacerdotali auctoritate liberos defensabis. Tibi autem heredi meæ ecclesiæ Flavianum & uxorem suam Sparagildem dono: eorum filiolam parvulam Flavarasevam liberam esse constitui. Fedamiam uxorem Melanii, & eorum parvulam, Remenses presbyteri & diaconi possidebunt. Cispiciolum colonum liberum esse præcipio, & ad nepotem meum Aetium ejus familiam pertinere, ad utrumque, id est, ad Aetium & Agathimerum pervenire colonicam Passiacum. Pronepoti meæ Prætextatæ dono Modorosevam. Profuturo, Leudocharium puerum trado. Profuturæ dari jubeo Leudoveram. Lugdunensibus subdiaconibus, lectoribus, ostiariis & junioribus quatuor solidos derelinquo. Pauperibus in matricula positis solidus dabitur ad eorum refectionem; delegoque octo solidos ecclesiæ Suessionum pro commemoratione nominis mei; Catalaunensi ecclesiæ solidos sex, Mosomagensi solidos quinque, Vongensi agrum apud officinam molinarum, quæ ibi est constituta; Catarigensi ecclesiæ solidos quatuor, totidemque Portensi pro commemoratione mei nominis inferentur. Ursi archidiaconi familiaribus usus obsequiis, dono ei domi A textilis casulam subtilem, & aliam pleniorem; duo saga delicata, tapete quod habeo in lecto, & tunicam quam tempore transitus mei reliquero meliorem. Heredes mei, LUPE episcope, & AGRICOLA presbyter porcos meos inter vos æqualiter dividetis. Friaredus quem ne occideretur, quatuordecim solidis comparavi, duos concessos habeat: duodecim det ad basilicæ domnorum martyrum Timothei & Apollinaris cameram faciendam. Hæc ita do, ita lego, ita testor. Ceteri omnes, exheredes estote, suntote. Huic autem testamento meo dolus malus abest, aberitque. In quo, si qua litura vel charaxatura fuerit inventa, facta est me præsente, dum a me relegitur & emendatur. Actum B Remis die & consule supra scripto, intercedentibus & mediis signatoribus.

✠ REMIGIUS episcopus testamentum meum relegi, signavi, subscripsi, & in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Domino adjuvante complevi.

V. C. PAPPOLUS interfui, & subscripsi.
V. C. RUSTICOLUS interfui, & signavi.
V. C. EULODIUS interfui, & signavi.
V. C. EUTROPIUS interfui, & signavi.
V. C. EUSEBIUS interfui, & signavi.
V. C. DAWEUS interfui, & signavi.

Post conditum testamentum, immo signatum, occurrit sensibus meis, ut basilicæ domnorum martyrum Timothei & Apollinaris missorium argenteum sex librarum ibi deputem, ut ex eo sedes futura meorum ossium componatur.

* VERSUS A B. REMIGIO DICTATI,

Ejusque jussu in vase argenteo insculpti ad usum venerabilis Sacramenti Eucharistiæ.

Hauriat hinc populus vitam de sanguine sacro,
Injecto æternus quem fudit vulnere Christus.
REMIGIUS reddit Domino suo vota sacerdos.

* Hos versus recitat Flodoardus in *Hist. Remens.* lib. I. cap. x.

* EPITAPHIUM REGIS CLODOVEI

A sancto REMIGIO, *ut fertur, compositum.*

Dives opum, virtute potens, clarusque triumpho
Condidit hanc sedem rex Clodoveus: & idem
Patricius magno sublimis fulsit honore.
Plenus amore Dei, contemsit credere mille
Numina, quæ variis horrent portenta figuris.
Mox purgatus aquis, & Christi fonte renatus,
Fragrantem gessit, infuso chrismate, crinem.
Exemplumque dedit, sequitur quod plurima turba
Gentilis populi: spretoque errore suorum
Auctorem est cultura Deum, verumque parentem.
His felix meritis superavit gesta priorum:
Semper consilio, castris, bellisque tremendus:
Hortatu dux ipse bonus, ac pectore fortis,
Constructa acies firmavit in agmine primus.

* Exstat hoc Epitaphium apud Aimoinum *de gestis Francorum* lib. I. cap. xxv. Idem exscripsit ex Aimoino Baronius ad ann. 514. §. xxviii. De eo vide sis Cointium in *Annal. eccl. Franc.* ad ann. 511. §. lx. & Pagium ad ann. 514. §. x.

INDEX LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ.

Vide a pag. 199. ad 320.

GENESIS.

EXODUS.

LEVITICUS.

NUMERI.

DEUTERONOMIUM.

PROVERBIA.

JEREMIAS.

BARUCH.

EZECHIEL.

DANIEL.

OSEE.

JOEL.

AMOS.

JONAS.

AGGÆUS.

MARCUS.

LUCAS.

JOANNES.

ACTUS APOSTOLORUM.

AD ROMANOS.

I. AD CORINTHIOS.

II. AD CORINTHIOS.

AD GALATAS.

AD EPHESIOS.

AD PHILIPPENSES.

AD COLOSSENSES.

I. AD THESSALONICENSES.

I. AD TIMOTHEUM.

II. AD TIMOTHEUM.

AD TITUM.

AD HEBRÆOS.

EP. JACOBI.

EXPLICIT.

INDEX

RERUM ET VERBORUM.

A

B

C

D

E

F

G

H

I

L

M

N

O

P

Q

R

T

V

X

Y

Z

E X P L I C I T.

EMENDANDA.

In Prolegom.

Pag. VI.	e.	lin. 3.	Rejenfi.	Reienfi.
II.	b.	14.	ur fert.	ut fert,

In textu.

Pag. 19.	d.	10.	operihus	operibus.
22.	c.	10.	factœ	factæ.
41.	a.	12.	fordidiffime	fordidiffimæ.
44.	a.	1.	*ftagno*	*ftamno.*
48.	e.	11.	Videamur	Videamus.
49.	e.	ult.	Pfalm. VII.	Pfalm. VII. 16.
50.	b.	1.	afpernahantur	afpernabantur.
59.	c.	10.	largendum	largiendum.
67.	c.	13.	damnemus	damnemur.
69.	a.	7.	ulterutram	alterutram.
101.	c.	10.	nota	notas.
111.	b.	10.	*Quid*	*Qui.*
118.	e.	5.	Romaua	Romana.
133.	e.	3.	dilectiffime	dilectiffimi.
164.	c.	11.	*futuræ*	(forte) *futuri.*
196.	d.	4.	venia a Chrifto, fi præfto eft	venia a Chrifto præfto eft. *Sic rectius Fabricius Bibl. Gr. tom.* V. *p.* 80. *fub fin.*
—	e.	5.	Numa	fic Martenius: fed forte leg. *Numina.*
200.	a.	2.	*δήτα*	*δῆτα.*
222.	b.	12.	Οὖοι	Οὖτοι.
234.	d.	9.	Γρηγορήσατε, ὁ ἀντ.	Γρηγορήσατε. ὁ ἀντ.
245.	e.	8.	mibi	mihi.
246.	e.	8.	*βεβλαίως*	*βεβαίως.*
247.	e.	4.	φιλοχείςῳ	φιλοχείςων.
256.	d.	7.	ibid.	ibid. 27.
257.	a.	5.	cap. V. 2. 7.	cap. LII. 7.
265.	d.	9.	tirophagi.	tyrophagii.
284.	e.	7.	Criptof.	Cryptof.
291.	infcr.		Editio catholicarum epiftolarum	Editio epiftolarum Paulli.
324.	c.	10.	Valenitnianus	Valentinianus.
—	d.	11.	Olymp. CCXIV.	Olymp. CCXCIV.
Pag. 338.	e.	ult.	Hiff. Conff.	His Conff.
341.	a.	8.	in Romaniam	in Romania. *Sic legendum videtur cum Pagio.*
369.	e.	9.	apocriphas	apocryphas.
381.	c.	7.	Predeftinatione	Prædeftinatione.
391.	b.	3.	invenerit vigilantem	*invenerit vigilantem.*
392.	c.	1.	*dicit Apoft.*	*dixit Apoft.*
464.	not. 6.	lin. 4.	*Nobilitas,*	*Nobilitat.*
473.	e.	9.	*πόκτης*	*πύκτης.*
519.	e.	7.	*Scene*	*Scenæ.*
537.	d.	6.	prævias	*prævias.*
—	—	12.	Mala	Male.
539.	e.	6.	neceffitnem	neceffitatem.
545.	a.	9.	noxa	nexa.
601.	not. 2.		κλύθί μ.	κλῦθί μ.
621.	c.	8.	iuterior	interior.
633.	a.	12.	*οἷον τὶ*	*οἷόν τι.*
636.	d.	2.	*ποτε*	*ποτὲ.*
637.	a.	11.	ὺκ ὁ διδ.	ὐχ ὁ διδ.
645.	e.	6.	*παραδόζυ*	*παραδόξυ.*
—	—	7.	*οἷά δη*	*οἷα δὴ.*
649.	d.	5.	rationes fequi	rationes non fequi.
657.	a.	12.	*τύχον*	*σῦκον.*
660.	e.	10.	his ex	ex his.
665.			BREVICULUS EUTYCH.	BREVICULUS HISTORIÆ EUTYCH.
677.	d.	11.	gloriofus	gloriofius.
712.	a.		EPISTOLA X.	EPISTOLA V.
717.	e.	16.	*ποτε*	*ποτὲ.*
722.	c.	5.	*eftimabitur*	*æftimabitur.*
—	e.	2.	infcriptiooe	infcriptione.
729.	e.	16.	*καταβώωντων*	*καταβοώντων.*
750.	b.	5.	*fumus*	*fumus.*
—	d.	3.	*ufqne*	*ufque.*
777.	e.	1.	Jam conf.	Tam conf.
806.	c.	2.	Apoc. II. 3.	Apoc. II. III.

In Indice rerum.

Pag. 831.	col. 1.	lin. 8. a fine	Chartham	Chartam.

NOI RIFORMATORI

dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revifione & Approvazione del P. F. *Gio: Tommafo Mafcheroni* Inquifitor General del Santo Offizio di Venezia, nel Libro intitolato: *Bibliotheca Veterum Patrum, antiquorumque Scriptorum Ecclefiafticorum*, cura & ftudio *Andreæ Gallandii Presb. Congreg. Oratorii : Tomus decimus, Ms. e Stamp. &c.* non vi effer cofa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteftato del Segretario Noftro, niente contro Principi e buoni coftumi, concediamo licenza a *Gio: Battifta Albrizzi* Stampator di Venezia che poffa effere ftampato, offervando gli ordini in materia di Stampe, e prefentando le folite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia e di Padova.

Dat. li 27. Aprile 1775.

(Andrea Tron Kav. Proc. Rif.

(Girolamo Grimani Rif.

(Sebaftian Fofcarini Kav. Rif.

Regiftrato in Libro a Carte 785. al Num. 255.

Davidde Marchefini Segr.

Addi 28. Aprile 1775.

Regiftrato al Magiftrato contro la Beftemmia in Libro a Carte 57.

Gio: Pietro Dolfin Segr.

E M E N D A Z I O N I

[illegible]

N O I R I F O R M A T O R I

dello Studio di Padova.

[illegible]